AM

BULLARII ROMANI

CONTINUATIO

SUMMORUM PONTIFICUM

BENEDICTI XIV. CLEMENTIS XIII. CLEMENTIS XIV.
PII VI. PII VII. LEONIS XII. PII VIII.

CONSTITUTIONES, LITTERAS IN FORMA BREVIS,
EPISTOLAS AD PRINCIPES VIROS, ET ALIOS,
ATQUE ALLOCUTIONES COMPLECTENS.

TOMUS SEXTUS

PARS II.

PII VI.

CONTINENS PONTIFICATUM

AB ANNO NONO USQUE AD ANNUM XV.

ALBER ET GHETTUS SOC.

PRATI

IN TYPOGRAPHIA ALDINA

MDCCCXLVIII.

ANNO NONO

Dat. Romae 17. martii 1785 Anno IX.

CDXX.

Confirmantur regulae, et constitutiones fratrum ordinis Beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Portugalliae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. In supremo militantis Ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti, ea, quae pro salubri eorum, qui Altissimi obsequiis sub suavi religionis jugo mancipati sunt directione, ac felici gubernio provide, prudenterque constituta sunt, ut firma semper atque inviolata persistant apostolici muniminis Nostri praesidio, cum id a Nobis petitur libenter roboramus.

Expositio precum porrectarum a priore generali ordinis evincentium statuta condita fuisse a capitulo generali in sequelam facultatis impertitae a Clemente XIV.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior generalis, ac fratres ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Lusitanae, quod nuper in vim facultatum, quas capitulo generali ordinis, et congregationis praedictorum felicis recordationis Clemens pp. XIV. praedecessor Noster die XXVIII. aprilis anni MDCCLXXIII. impertitus est, statuta, et leges, ac constitutiones pro recta ordinum, et congregationis praedictorum administratione, ac regimine, toto approbante, ac subscribente capitulo generali confecerunt, praescripseruntque, tenoris, qui sequitur, videlicet.

PARS PRIMA CONSTITUTIONUM

Tenor statutorum.

De rebus ad omnium mores spectantibus, ac de conventuum oeconomia, eorumque peculiari disciplina.

Caput I.

De moderata cum saecularibus religiosorum communicatione.

De moderata communicatione religiosorum cum saecularibus.

§. 3. 1. Cum ex instituto nostro teneamur saecularium frequentiam devitare, insimulque ipsorum saluti incumbere, maximi momenti, ac ponderis res est, sic illi limites affigere, ut hanc minime spernere videamur. Sola igitur charitas lapis est terminalis, quem non transgredientur quaecumque officia a nobis in saeculares impendenda. Idcirco omnia illa, quae ad spiritualem ipsorum provectum, animarumque salutem, ex so ordinari perspiciuntur, non omittantur: illa vero, quae ab hoc ordine abire videntur, omnino interdicta censeantur.

De apertione ecclesiae, et claustra.

§. 4. 2. Statuimus ergo, ut ecclesiae, et claustra nostrorum conventuum, eremitico excepto, quolibet in die ad undecimam usque horam matutinam pateant; diebus vero solemnioribus, et majoris populi frequentia, aut cum prudens ratio expostulaverit ad longius usque tempus, ut saeculares divinis officiis possint assistere, conscientiae sordes ad poenitentiae tribunal extergere, animasque augustissimo Eucharistiae sacramento reficere. Praeterea loca-

libus superioribus commendamus, ut diligentissime curent necessaria omnia providere, quo haec sacramenta prompte administrentur petentibus fidelibus cujuscumque status, et conditionis sint, ne ob confessariorum defectum, aut mora graventur poenitentes, aut inconfessi abire cogantur. Invigilent pariter, ut confessarii ab inutili cum poenitentibus communicatione penitus abstineant, praesertim otiosis cum foeminis, quarum plures, ut inquit apostolus, discere semper student, nunquam tamen scientiam aeternae salutis assequuntur.

Prohibitio de ingrediendis cellis, et dormitorio.

§. 5. 3. Non permittimus autem, ut saeculares titulo confessionis sacramentalis, spiritualisque communicationis, aut quovis alio praetextu dormitoris, et religiosorum cellas ingrediantur; nec superiores ad hoc facultatem impertiri poterunt, nisi per quam raro, idque tantum gravioribus, honorabilioribusque personis.

De non prodeundo in civitatem sine licentia.

§. 6. 4. Non tantum in ecclesiis nostris, sed extra illas etiam charitatem erga proximum exercere debent religiosi nostri: attamen sine prioris generalis facultate non poterunt in civitatem prodire, aut in oppidum, ubi conventus est, ut saecularium confessiones in eorum aedibus excipiant, nisi ii sint, qui gravi morbo laborantes, aut alia justa causa detenti, foras egredi non possunt. Nunquam tamen (sub poena jejunii in pane, et aqua) immorari licebit per totam noctem in domo alicujus saecularis, praetextu etiam morienti alicui subveniendi, nisi illis in casibus, quibus hoc vitari nequeat sine manifesta charitatis laesione. Ad confessiones autem mulierum aegrotantium si invitati fuerint, maximam adhibeant circumspectionem, prudenterque operam dabunt, ut cubili ingressus ita sit patens, ut socius, quin audiat, possit, si velit, confessarium intueri.

De continentia in confabulationibus, et quaestionibus.

§. 7. 5. Quia a sancta virgine, et matre nostra Theresia monemur saeculares operibus, plus quam verbis edocere, maxima hic a nobis praestanda est solicitudo, ut in nobis videant, quae ipsis, tam in suggestis, quam in confessionalibus suadere non desistimus, sicque nosmetipsos exhibeamus bonorum operum exemplum, sicut Dei ministros in multa patientia, in doctrina, in integritate, in gravitate, in charitate non ficta, ut non vituperetur ministerium nostrum. Studeant ergo religiosi nostri apud saeculares inutiles quaestiones, confabulationes inanes, scurrilia verba, et jurgia omnino devitare; sunt etenim viro religioso minime decentia: immo haec, et his similia sic solerter alio divertere, ut pietas sit, quae semper colloquium absolvat.

De maledicentia obtruncanda.

§. 8. 6. Studeant, et maxime obtrectationem, et maledicentiam intersecare, et ea omnia, quae quavis ratione injuriam aliis inferre poterunt; demonstrantes verbo, et exemplo, quam execranda sint haec vitia, non solum viro catholico, sed homini cuivis, penes quem ratio, honestumque in pretio sunt. Superiores serio, seduloque omnimodam constitutionis hujus observantiam exquirant, sique subditum aliquem deliquisse cognoverint, pro qualitate culpae, poenam infligant; insuperque omni cum saecularibus communicatione interdicant.

De colloquiis habendis praevia licentia superioris.

§. 9. 7. Siquis in conventu religiosum aliquem quaesiverit, hic poterit de superioris facultate cum illo colloqui: non poterit tamen confabulando cum eo immorari in sacristia, claustro, aut ecclesia, neque cum mulieribus ad conventus januam.

Quod nemo implicare se debeat saecularibus negociis.

§. 10. 8. Non minus expedit e loco sancto, eorumque habitaculo, qui in protectione Dei commorantur, in eumque solum sperare profitentur saecularia negotia penitus eliminare, dicente apostolo: — Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus — Ne igitur videantur domus fieri negotiationis, quae revera domus sunt orationis, stricte praecipimus religiosis nostris, ut a procurandis saecularium, etiam consanguineorum negotiis sese abstineant. Si vero charitas urgeat ad aliquod hujusmodi negotium non dimittendum, praelatus, si conveniens judicaverit religiosum per semel praedictum agere negotium, ad id poterit eidem concedere facultatem. Si vero generalis prior quempiam in hoc deliquisse cognoverit, eum pro qualitate culpae puniat, et, si opus fuerit, in alium conventum transferat, ac patriam invisendi facultatem deneget.

De poena incurrenda ab eis, qui eleemosynas erogaverint, et petierint.

§. 11. 9. Eamdem poenam, in cellaque inclusionem per dies quindecim sustineat, qui sine prioris generalis facultate eleemosynas exteris, etiam consanguineis erogandas petere ausus fuerit. Si autem alicujus pater, aut mater ita gravi laboret inopia, ut nisi mendicans, aut misere degens subsistere possit, tunc idem religiosus rem ad priorem generalem deferet, ut ipse meliori, quo possit, modo, eorum indigentiae subveniat, quantum vires ordinis ferent. Exploratum tamen habeant omnes ordi-

nem, seu praelatos ad subveniendum eorum parentibus raro teneri.

De mansuetudine colenda.

§. 12. 10. Oportet etiam (ut inquit apostolus) servum Dei non litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem. Eapropter inter omnia saecularia negotia, nulla magis a religiosis aliena existimamus, quam quae sine lite terminari nequeunt. Hac de causa sub poena suspensionis ab officio praelatis, subditis vero privationis vocis, et loci per sex menses infligenda praecipimus, ut nullus saeculari cuicumque litem movere, aut quumodolibet ad judicium vocare audeat, praeterquam in casibus, in quibus, sine magno conventus, aut ordinis detrimento id vitari nequeat; tunc enim de consensu conventualis capituli, ac de prioris generalis licentia, pro qualibet vice obtinenda, fieri licebit.

Exceptiones peculiares quoad lites.

§. 13. 11. Excipimus tamen casum, quo judicium instet, et locus non sit praefatae licentiae petendae; tunc enim consensus capituli per secreta suffragia sufficiet; dummodo de hoc conscius reddatur prior generalis, e cujus judicio omnino pendeat, vel litem prosequi, vel ab ea desistere.

Excipimus etiam eas lites, quae in debitis exigendis frequenter suboriri solent, has namque prioris localis, et procuratoris arbitrio relinquimus.

De litium prosecutione

§. 14. 12. Si autem saeculares nos in judicium vocaverint, et prior, adhibito consiliariorum judicio, auditisque jurisconsultis melioribus, jus nobis favere deprehenderit, poterit, quin aliam facultatem expectet, litem prosequi, ac jus nostrum modeste, uti religiosum decet, defendere. Haec autem, ut omnino serventur, pater generalis, aut visitator singulis annis hac de re inquisitionem faciet visitationis suae tempore.

De muneribus non suscipiendis nisi de mandato Papae.

§. 15. 13. Ob eamdem rationem nullus religiosus, sive subditus sit, sive praelatus poterit judicis conservatoris munus quaecumque in causa exercere, nisi de expresso summi pontificis mandato, nec testamentorum curam accipere, nisi de licentia prioris generalis. Qui contra fecerit praedictae poenae subjaceat.

De permissu negando ultra tres dies immorandi in conventu criminosis ibidem confugientibus.

§. 16. 14. Sub eadem poena ordinamus ut siquis criminosus ad conventus nostros confugerit, ultra tres dies ibi immorari non permittatur, neque pro ejusdem defensione liceat religiosis nostris magistratuum administris contentiose se opponere.

De hospitalitate exercenda tramites paupertatis.

§. 17. 15. Erga saeculares alios nostris in conventibus hospitalitas exerceatur, prout nostra ferl paupertas. Verum cum saecularium hospitum frequentia praecipuo instituti nostri fini plurimum obesse possit. Statuimus 1.° , ut hujusmodi hospitibus admissis, raro, et justa solum de causa moras ducere permittatur, 2.° , ut in hospitio a dormitorio separato recipiantur 3.° ut religiosorum cellas, et conventus officinas non ingrediantur, nisi necessitas adsit. 4.° ut in refectoriis nostris non edant, nisi nobiles sint, virique de nobis benemeriti, neque illic carnes, aut carnibus immixta fercula ipsis apponantur 5.° ut religiosorum nullus, excepto hospitalario, cum iisdem, data opera, colloqui possit, sine superioris licentia. Religiosi qui in constitutionis hujus observantia deliquerint, ab immediato superiore media poena plectentur.

Quomodo religiosi in hospitiis se gerere debeant

§. 18. 16. Religiosi in saecularium domibus hospitio excepti perquam submisse, et modeste se gerant, ac gratum animum pro accepto beneficio prae se ferant. In oppidis autem, ubi ordinis conventus existunt, nemini fas sit extra illum edere, nisi tantum apud aliorum ordinum conventus, episcopos, principes, personasque in prima nobilitate constitutas, licet titulo careant, quod tamen raro, matureque a praelatis concedatur. Liceat etiam fratribus, id poscente pietate, apud patrem, vel matrem manducare semel, aut bis in anno, et etiam pluries, si justa urgensque sit causa, et praevio, praeter superioris facultatem, consiliariorum consensu.

De licentia religiosis danda ad patriam invisendam

§. 19. 17. Poterit etiam definitorium generale semel in unoquoque triennio (aut pluries gravi de causa) religioso cuicumque, si verus sit observantiae cultor, nec ab his constitutionibus exceptus, facultatem concedere, ut per aliquod tempus patriam invisat, ac in parentum aedibus inhabitet, si ibidem ordinis conventus non sit. Hancmet facultatem praestare poterit prior generalis, dummodo socium attribuat religioso, cui id concedet. Sine socio, id ipsum aliquoties concedere poterit, sed raro; de hocque definitorium certius facere tenebitur. Religiosis, qui ad transmarinos conventus mittuntur, illicque ultra triennium laudabiliter vixerunt, attento eorum labore, alteraquoque licentia in triennio poterit concedi.

De simili venia praebenda etiam a

§. 20. 18. Si quis religiosus necessitate prematur in patriam proficiscendi, ut parentibus,

Superiore minori in casu necessitatis, ut consanguineo adsistat in mortis periculo.

aut fratribus morti proximis adsistat, vel istiusmodi momenti rem agat, superior immediatus poterit eidem veniam praebere, etiam si extra ani conventus territorium sita sit religiosi patria; at socium illi attribuet, et priorem generalem quam primum faciet certiorem. In aliis, praeter has, circumstantiis superiori locali minime liceat subdito cuicumque facultatem concedera, ut ultra limites sui territorii progrediatur, sub poena privationis ab officio, subditis vero privationis vocis, per unum mensem.

Prohibitio ne religiosus ad regalem curiam accedat.

§. 21. 19. Sub eadem poena per sex menses infligenda praecipimus, quod nullus religiosus, sive subditus, sive praelatus ad regalem curiam accedera audeat, neque ad locum alium ab illa, una tantum leuca distantem sine prioris generalis facultate in scriptis habita.

Caput II.

De silentio, ac jugi mansione in cella.

De silentio, et jugi mansione in cella.

§. 22. 1. In sua unusquisque cella manebit, ibique sedebit solitarius, et tacebit, ut suo muneri satisfaciens, per orationis studium in Deum se possit supra se levare, ac cum silentio praestolari salutare Dei, cum hoc praescribat regula dicens: — *Maneant singuli in cellulis suis die, ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur.*

De numero cellarum.

§. 23. 2. Ut autem hoc exactius adimpleatur, statuimus, ut in conventibus nostris religiosi cellarum numerum non excedant, neque in quolibet triginta plures, aut quindecim pauciores conventuales esse possint, praeter laicos. Augeri tamen poterit hic numerus in domibus collegii, tyrocinii, et noviter professorum, sicuti etiam minui in conventibus factis deterioribus, vel nondum expletis.

De numero religiosorum in quolibet conventu retinendorum.

§. 24. 3. Igitur, si religiosorum numerus ad regularem observantiam sufficiens aliquo in conventu commode degere nequeat, tunc definitorii judicio bini, aut terni in illo permaneant, et hospitiorum rationem vivendi servent. Si vero hujusmodi conventus idoneam habeat clausuram, insuperque necessaria pro sex religiosis choro deputatis sustentandis, hi collegialem vitam (cantu excepto) servabunt; praesidenti, tamquam proprio superiori obedient, ac conventuale capitulum, sicut regula praecipit, celebrabunt. Poterit autem generale capitulum huic, et aliis id generis conventibus priorem praeficere, si in eisdem sanctissimum Eucharistiae adservatur sacramentum.

De non egrediendo cellas, sine gravi necessitate.

§. 25. 4. Quo tempore religiosi in cella manere tenentur extra illam versari non permittatur, nisi pro urgenti necessitate, aut pro implendo munere sibi commendato, vel ut devotionis causa pio operi in choro satisfaciant, aut in ecclesia, si ad illam tunc saeculares non confluunt. In his tamen egressibus sancte silentium observent; nec absque superioris facultate inter se destinato colloquantur. Ab omni etiam strepitu caveant, horis praesertim studio statutis, et tempore pomeridiani, nocturnique silentii. Qui in hoc deliquerit poena media puniatur.

De poena ingredientibus alterius cellam irroganda.

§. 26. 5. Eamdem poenam sustineat, qui sine prioris licentia alterius cellam ingrediatur de die, si vero de nocte, id agat, puena gravi plectatur. Caeterum quocumque tempore, si superioris cellam sine ejus venia intraverit, dum ipse a cella abest, panem, et aquam super nudam prandeat humum. Si autem hujus, aut alterius cellam ingressus aliquid notabile inde subtraxerit, praeter modo dictam poenam, voce, et loco per mensem privabitur, remque ablatam suo reponet loco; quod si non fecerit, duplicabitur poena.

De silentio impensius observando a fine completorii ad primam alterius diei.

§. 27. 6. Licet omni tempore ad silentium teneamur, impensius tamen observabitur a fine completorii usque ad primam dictam sequentis diei; cum hoc temporis spatium strictiori silentio a regula praefiniatur. Quapropter neque praelati religiosum aliquem tunc temporis a silentio eximere poterunt nisi gravis urgeat necessitas; neque ipsis cum subditis loqui licebit, nisi de iis tantum rebus, quae sine detrimento differri non possunt, et tunc breviter, submissa voce, ac intra eorum cellulas. Qui silentium hoc violaverit, poena media puniatur, uti etiam ille, qui data opera, loquatur in refectorio, dormitorio, claustro, ecclesia, sacristia, et choro.

Caput III.

De recreatione, et collocutione fratrum, ac debito inter eos ordine servando.

§. I.

De recreatione.

De recreatione.

§. 28. 1. Quoniam experientia, et sanctorum patrum exempla nos doceant regularem

dilabi observantiam nisi aliquoties de ejusdem severitate aliquid remittatur, insuperque a regula discamus aliquas esse occasiones justas, ut a jugi in cella mansione fratres absolvantur; permittimus, ut cunctis anni diebus, excepta majori hebdomada usque ad sabbathum exclusive, religiosi nostri conventuales, tum ob animi relaxationem, cum ob corporis exercitationem possint post vesperas, nulla alia expectata venia, intra septa monasterii deambulare, aut seorsim, aut conjunctim inter se colloqui, infirmos adire, aut ludo aliquo honesto oblectari, et permisso; locis tamen prohibitis non colloquantur. Debent vero quo quisque se ad rationem praeparet, audito ad hoc campanulae officiorum signo, cellas repetere.

Similia, ut supra.

§. 29. 2. Scholastici nostri illis tantum diebus, quibus a lectionibus fuerint feriati, omnes simul, a conventualibus tamen sejuncti, et non aliter, eadem poterunt gratia uti. Poterunt etiam novitiorum, ac recens professorum magistri aequam ex more solitam recreationem discipulis suis concedere solemnioribus diebus, vel aliis ad eorum arbitrium.

De lectione spirituali habenda singulis sextis feriis.

§. 30. 3. Praecipimus vero, ut in omnibus sextis feriis, aut, hoc die impedito, in alio ad superioris arbitrium, statim post vesperas omnes ad cellas se recipiant, nemine excepto, ibique per semihorae spatium lectioni vacent spiritnali, ad quod tam initio, quam in fine campanula officiorum pulsata signum dabit. Superiores autem monitos volumus, ut hunc devotionis actum eadem vigilantia zelare curent, ac alium quemvis communitatis actum.

De permissione agros adeundi diebus designandis a priore.

§. 31. 4. Praeter modo dictam animi recreationem, permittimus etiam, ut religiosi omnes (exceptis novitiis, ac recens professis, eremique habitatoribus) septies in anno exercitii gratia in agrum pergant diebus a priore designandis: non poterunt tamen extra conventum pernoctare. Qui hac de causa in agrum tendunt, his diebus ab ordinis jejunio erunt immunes, et posteaquam domum redierint ab omnibus communitatis actibus cessabunt ad finem usque horae, vel horarum minorum, quae immediate post orationem matutinam sequentis diei recitabuntur. Superioris tamen erit ad hujusmodi exercitium ita religiosos distribuere, ut semper in conventu sufficiens maneat numerus ad omnes observantiae actus obeundos.

De licitis collocutionibus post prandium.

§. 32. 5. Quotidie etiam (exceptis memoratis majoris hebdomadae diebus) omnes fratres immediate post prandium simul conveniant in locum aptum a superiore designandum, vel ejus vicemgerente, ibique ad invicem colloquendo (cum non adsit res utilis, et omnium attentione digna) oblectentur, ad semihoram usque post meridiem, nec multum excedant; aut ad horam usque in illis diebus quibus vesperae ante prandium sunt recitatae.

De similibus ante coenam.

§. 33. 6. Idem observari volumus per horae spatium ante coenam, aut refectionem parvam; permittimusque, ut in conventibus, qui procul a civitatibus aut oppidis sunt constructi, et a saecularium frequentia expediti, possint religiosi aestatis tempore hanc vespertinae recreationis horam insumere per agrum una omnes deambulando: sed a festo exaltationis sanctae Crucis usque ad pascha Resurrectionis haec non habeatur recreatio, nisi tantum in dominicis, et festivis diebus sanctorum Joseph protectoris nostri, matris nostrae Theresiae, patris nostri Joannis a Cruce, et a pervigilio nativitatis Dominicae usque ad Epiphaniam.

Quod recreationibus omnes intersint, qui justa de causa non excusentur.

§. 34. 7. Recreationibus istis interesse debent religiosi omnes, qui justa de causa impediti non fuerint, exceptis novitiis ac recenter professis, qui cum suo magistro, ac socio in alium ad id congruum novitiatus locum convenire debent. Saeculares nunquam ad recreationis actum admittantur, nisi cum aliqua praecellentis dignitatis persona definitorio generali visum fuerit dispensare.

---

§. II.

De collocutione fratrum.

De collocutione fratrum.

§. 35. 1. Ab Apostolo Jacobo discimus: » Siquis autem putat se religiosum esse non » refraenans linguam suam, sed seducens cor » suum, hujus vana est religio ». Hinc debent religiosi nostri linguam caute custodire et verbum proferendum fideli rationis statera prius appendere, ne prolatum inveniatur minus habens in aedificationem.

De moderata voce adhibenda in recreationibus.

§. 36. 2. Quapropter ordinamus, ut praefatis recreationibus omnes fratres moderata loquantur voce, ne ea impediant audiri, quae dicuntur in communi. Caveant etiam, ut dis-

sidia omnino fugiant, et mordax, aut fraternae charitati contumeliosum verbum minime proferant, ne grave, molestumque evadat, quod ad decens, religiosumque levamen fuit institutum. Qui haec neglexerit, si a praesidente admonitus, statim non resipuerit, per dies quatuor in recreatione omnino taceat: superior vero, qui hanc poenam infligere contempserit, a priore generali graviter puniatur.

De injuriosis, ac dicacibus verbis eliminandis in colloquiis, et scripturis.

§. 37. 3. Caveant etiam in omnibus aliis colloquiis, uti in scriptis, ab indecentibus, injuriosis, atque dicacibus verbis, aut aliis quibuscumque, quae directe, vel indirecte alicujus fratris, vel saecularis famam, honorem, modestiamve laedere possint. Qui contra fecerit, pro prima vice, graviter puniatur. Si autem semel, et iterum punitus in id ipsum relabi deprehendatur; vel (quod deterius est) apud exteros de religione in communi, aut de fratribus in particulari detraxerit, priori generali statim denuntietur, ut quamprimum de remedio provideat; aut si id culpae enormitas exposcat ad definitorium remittat. Et praelatis superioribus maxime commendamus, ut super hujus constitutionis observantia diligenter inquirant, et severe animadvertant in immediatos praesules, qui hanc infligere poenam despexerint.

De vitanda nimia familiaritate in colloquiis.

§. 38. 4. Caveant denique religiosi nostri, ut inter loquendum nimiam familiaritatem devitent, et a verbis saecularibus abstineant, quae plus vanitatis, et jactantiae, quam humilitatis, aut paupertatis religiosae spiritum praeseferunt. Quamobrem nemo honorificis doctoris, jubilatique, aut praesentati titulis nominetur; nemo etiam reverendissimi, aut paternitatis nomine alium, etsi ipse sit ordinis generalis appellare audeat; sed sacerdotes simpliciter patres, et usitato vestrae reverentiae titulo nuncupentur; non sacerdotes vero simpliciter fratres, et vestrae charitatis vocabulo discernantur.

§. III.

De debito inter fratres ordine servando.

De debito inter fratres ordine servando.

§. 39. 1. Quo inter fratres aequa servetur ratio, et sua superiori cuilibet constet reverentia, religiosi omnes priorem generalem nuncupabunt titulo — *admodum reverendi patris nostri* —, definitores generales titulo — *reverendi patris nostri* —, postquam autem hujusmodi officiis functi fuerint in omni congregatione titulo — *nostri patris;* vicarius provincialis transmarinus titulo — *reverendi patris nostri;* et priores locales titulo — *patris nostri* a suis tantum subditis, et praecise suorum officiorum tempore nominabuntur; procurator generalis, dum in suo munere perstiterit, titulo — *patris nostri* in omni congregatione. In epistolarum superscriptionibus eaedem retineantur nomenclaturae, addaturque sui muneris gradus, si illud exerceat; hac ratione: — R. admodum P. N. priori generali Carmelitarum excalceatorum, etc. Caeteris vero similiter suorum titulorum ratione servata.

Quomodo verbis, et factis inter se colere debeant religiosi, et praesules.

§. 40. 2. Non solum verbis, sed etiam factis se ipsos colere debent religiosi nostri, praecipue vero praesules. Idcirco, cum in dormitoriis, aliove loco invicem occurrant, caput in debitae reverentiae signum inclinabunt, locumque cedet, qui in professionis tempore minor est, aut dignitate inferior.

De onere religiosorum assurgendi cum aliquis superior supervenerit.

§. 41. 3. Si quis superior, sedentibus religiosis etiam in communitatis actibus supervenerit, omnes illi assurgant. Id ipsum praelati inferiores aequalibus praestabunt, hique communitati; adeo ut nec ipse generalis prior sedere debeat, cum communitas steterit, vel ad locum, ubi ipse fuerit, devenerit.

De ordine loci unicuique assignando.

§. 42. 4. Quoad ordinem in locis unicuique assignandis haec statuimus. Prior generalis primum ubivis teneat locum: exinde illum definitores generales, electionis attenta ratione cujuslibet illorum immediate sequantur: hos proxime subsequantur priores locales in propriis conventibus, quibus deinde propinquior sit vicarius, provincialis ultramarinus: postmodum priores hospites, et his vicini postea vicarii canonice electi juxta conventuum suorum antiquitatem. Hos proxime subsequatur procurator generalis. Hunc vicarii canonice non electi. Hosce superiores in suis conventibus, quos congregationis secretarius, quem denique subpriores hospites juxta suorum conventuum antiquitatem.

De ordine antiquitatis servando.

§. 43. 5. Reliqui antiquitatis ordinem servabunt. Sacerdotes diaconos semper praecedent, diaconi subdiaconos, hi sacris nondum initiatos ordinibus. Post hos novitii choro deputati, quorum, qui sacro aliquo ordine fue-

fit insignitus, reliquos praecedat. Laici tandem ultimum tenebunt locum, seque praecedent secundum professionis suae ordinem, nunquam tamen religiosos choro addictos in aliquo communitatis actu.

De ordine sedendi in refectorio.

§. 44. 6. Ne autem id aliquando eveniat, refectorio accumbant infimi laici, ut religiosi choro addicti digniorem queant locum occupare (janitor tamen excipiatur, qui ad introitum refectorii semper sedebit) et si quando inferiores sedes vacuas non invenerint, usquedum vacuae remaneant, expectabunt. Qui haec neglexerit, acerbe a superiore corrigatur, ac in sequenti die humi jacens panem, et aquam prandeat.

De onere laicorum assurgendi, dum relig. osus supervenerit.

§. 45. 7. Illud etiam praestare debent laici quocumque in loco extra communitatis actus, ut si, dum ipsi sedent, religiosus quivis choro addictus superveniat, eidem statim assurgant, neque coram illo sedere, aut caput tegere audeant, quin ipse verbis, aut signis praecipiat. Si vero plures religiosi adsint, ab antiquiori hoc debent expectare signum.

Caput IV.

De regulari clausura.

---

§. I.

Quid sit clausura, quibusque de causis ab illa egredi permittatur.

Quid sit clausura.

§. 46. 1. Regularis clausura, de qua hic agere molimur, non illa censenda in cellis perseverantis, quam secundo in capite observandam proposuimus. Illa etenim intra cellularum clauditur angustias, haec amplior intra septa continetur monasterii.

Quomodo ab illa egredi permittatur.

§. 47. 2. Hanc non adeo rigorosam arbitramur, ut ab illa egredi religiosis nostris nunquam permittatur; a regula enim edocemur plures justas posse occasiones evenire, id ipsum postulantes: sed ne hasce humana fragilitas plus nimio praetendat, ac saepe saepius supergrediatur.

Quando liceat egredi ad sepeliendos mortuos.

§. 48. 3. Statuimus, ut religiosi nostri una omnes e conventu ad sepeliendos mortuos cujuscumque conditionis sint, saeculares, aut alterius ordinis regulares nullatenus exeant, ad responsoria recitanda, vel canenda, vel ut exequiis adsistant, nisi pro rege, regina, caeteraque prole regia, pro cardinalibus, nuntio apostolico, episcopo dioecesano, nec non pro proregibus. Si autem eveniat occasio totius, aut majoris partis communitatis egressum necessario postulans, tempusque non suppetat definitorium consulendi, prior, annuentibus consiliariis, id permittere poterit, dummodo apto tempore rationem de hoc definitorio reddat.

De privilegiis quoad processiones publicas.

§. 49. 4. Similiter ad nullam quantumvis generalem, et solemnem processionem ex privilegio sanctissimi domini Clementis VIII. et Pauli V. exire debent. Excipimus tamen processiones pro publica causa instituendas, pro regis, reginae, caeterarumque regalium personarum salute, vel quibus rex ipse adesse jusserit. Nullum hinc praejudicium patientur privilegia super hoc nobis concessa.

De iis quibus in conventu habendis.

§. 50. 5. Excipimus etiam processiones, quae in conventibus aliquibus, ubi tertius ordo est institutus, aut est confraternitas Beatissimae Virginis Mariae de monte Carmelo fieri solent per vias oppidi, aut civitatis, videlicet processio pro solemni commemoratione ejusdem Beatissimae Virginis, et processio triumphi Domini Nostri Jesu Christi in dominica Palmarum, vel alia die prope ipsam dominicam. Caeteras autem, quae his constitutionibus praescriptae inveniuntur, intra ecclesias nostras, aut claustra, vel ad summum consuetudine, aut necessitate id poscente, ad atrium usque ecclesiae prodibunt. Quae omnia observari praecipimus sub poena suspensionis ab officio per duos menses infligenda praelatis, qui contrarium aut fecerint, aut permiserint.

Prohibitio de interveniendo nuptiis, conviviis, aliisque spectaculis.

§. 51. 6. Praecipimus etiam, ut nemo nostrorum religiosorum, cujuscumque conditionis sit, domo exire audeat, ut nuptiis, nuptialibusve conviviis, comoediis, aliisque id generis spectaculis adsistat. Et si quis religiosae modestiae oblitus, immemorque decoris, in hoc deliquerit, certissime gravi poena mulctabitur, et insuper per duos menses officio privabitur, si superior; si subditus, voco, ut loco per idem tempus.

De jure prioris, definitoris, et visitatoris circa clausuram.

§. 52. 7. Cum justa occasione, vel quando tibi necessarium videbitur, poterunt a regulari clausura egredi, nulla petita venia, prior generalis, et definitores in tota congregatione; visitator a generali, vel definitorio designatus in conventibus sui juris, et prior in suo con-

ventu. Hos tamen hortamur, ut in hoc subditis exemplum praebeant, solitudinem, quantum fieri possit, sancte custodientes.

De facultate prodiendi concedenda examinatoribus synodalibus, consultoribus s. inquisitionis, concionatoribus, et confessariis.

§. 53. 8. Poterunt etiam de prioris localis facultate in urbem prodire, ut suum munus exerceant, examinatores synodales, sanctae inquisitionis consultores, concionatores, nostrarum monialium confessores, vel etiam qui de prioris generalis facultate monialium alterius ordinis confessiones exceperint, nec non ut aegrotantibus in ultimo agone adsistant, ac infirmorum, vel carceribus detentorum confessiones audiant, uti in primo capite statuimus; ac damum, ut intersint vesperis, et missis patriarcharum aliorum ordinum, atque publicis literarum actibus in universitatibus, academiis, ac regularium conventibus.

De egressu pro celebrandis festivitatibus permisso.

§. 54. 9. Eumdem egressum permittimus pro celebrandis festivitatibus in nostrarum monialium conventibus videlicet, sanctissimi Corporis Christi, ejusque laudis perennis, sanctissimae Virginis, et matris nostrae Mariae de Monte Carmelo, sanctae matris nostrae Therosiae, ejusque cordis transverberationis, sancti Joseph protectoris nostri, ac ejus patrocinii, et sancti patris nostri Joannis a Cruce, sanctique conventus titularis. Idem fiat pro benedictione candelarum, cinerum, et palmarum, in triduo majoris hebdomadae, ac pro sacri velaminis solemnitate; et denique aliis quibuscumque de prioris generalis facultate celebrandis.

Non liceat autem priori quidpiam stipendii a monialibus exigere pro hujusmodi religiosorum adsistentia, nisi et ipsae pro ejusdem celebritatis expensis aliquid legatum, vel datum a benefactore accepissent.

De religiosis ad functiones celebrandas mittendis.

§. 55. 10. Nec etiam liceat priori ad praefatas functiones plures religiosos mittere, quam pulpiti, et altaris ministeriis opus fuerit: neque alii adsistere possint, et si egrediendi facultatem aliss obtinuerint, nec etiam alterius conventus, si in urbe sit, conventuales, oisi nuper relata munia obire debeant. Excipimus tamen praelatos superiores, priorem localem, cui monialium cura demandata est, et duos confessarios, si ad confessiones audiendas sint necessarii.

De numero mittendo ad celebrandas monialium exequias.

§. 56. 11. Siquae exequiae ibidem celebrentur, siquae funera ad hujusmodi monialium efferantur conventus, illos adire praefatos fratres prior minime detrectet; attento tamen defunctorum gradu, religiosorum praefiniatur numerus duodecim non major; eleemosynamque a monialibus recipiet proportionnatam illi, quam ipsae acceperint.

Quomodo, et quando procurator domus exire potest in civitatem, aut oppidum ubi situs est conventus.

§. 57. 11. Praeterea de prioris facultate poterunt in civitatem, aut oppidum, ubi situs est conventus exire procurator domus, vel ejus loco alius, ita tamen, quod unus non exeat, dum alter extra monasterium existit. Procurator etiam monialium, aut ejus vices gerens; sed bis tantum in hebdomada. Item unus cum socio ad petendam cerae eleemosynam tempore quadragesimae. Et tandem qui ad transmarinos conventus sunt profecturi; at per quindecim tantum dies, antequam navim conscendant, et per totidem postquam reduces e navi prosiluerint.

De venia deneganda exeundi, priore in oppidum egresso.

§. 58. 13. Priore in oppidum egresso, qui ejus loco praeestet exire nequeat, nec aliis, ut exeant veniam praebere, nisi procuratori, praedicatori, et confessario si ad munus suum exercendum urgeat occasio. Priori etiam non liceat praeter assignatos, alium in civitatem mittere, nec etiam religiosorum aliquem choro deputatum ad eleemosynam ordinariam ostiatim mendicandam, nisi ad hoc gravis urgeat necessitas. Hanc constitutionem ad laicos non extendimus, qui prioris arbitrio egredi poterunt quin facultatem egrediendi aliis ante permissam impediant.

Exceptiones pro conventibus regiae curiae, et urbis Portugallensis.

§. 59. 14. Excipimus etiam regiae curiae, et Portugallensis urbis conventus in quibus ob nimiam hospitum frequentiam, ac perurgentium negotiorum multitudinem, alium praeter dictos poterit prior foras mittere, quoties sibi necessarium videbitur. Si autem temporis tractu, ut hujusmodi conventus, aliive quicumque hujus congregationis commode regi nequeant, quin superiorum localium facultates in hac parte amplientur, generalis definitorii erit id permittere, quibusdam tantum in casibus, et ad determinatum numerum redactis.

De constitutione Urbani VIII servanda dum extra loca ubi est conventus religiosi exire poterunt.

§. 60. 15. Extra loca, ubi conventus est, quandoque exire poterunt religiosi nostri: quocirca declaramus: 1. Nos minime velle definitorii generalis jurisdictionem circumscribere, dummodo hujusmodi facultates absolutas non concedat, sed pro qualibet vice determinatas; neque permittat religiosum aliquem extra ordinis conventus, aut hospitia degere nisi in casu urgentissimae necessitatis ab apostolica Sede approbatae, juxta praescriptum Urbani VIII.

De socio episcopo, ei concedendo.

§. 61. 16. Siquis autem episcopus ex ordine electus religiosum aliquem sibi socium postulaverit a definitorio concedi permittimus, et, quo visum fuerit tempore, episcopi imperio subjiciet. Praeter hunc casum, nullus superior (nec etiam generale definitorium) poterit monasterium aliquod, aut religiosum quemvis (nisi apostata fuerit) aliorum praelatorum, aut exterorum quorumcumque jurisdictioni subjicere, nec privilegiis ullis nobis concessis renuntiare; quod si secus fecerint, de hinc irritum, et inane declaramus; ipsumque praelatum, vel praelatos, et quoscumque alios similibus operam dantes poenae suspensionis ab officio per sex menses obnoxios esse volumus; insuperque privationis vocis, et loci per idem tempus. Poterit etiam definitorium, si necessitas aut prudens ratio expostulaverit, facultatem impertiri, ut religiosi aliqui in Africam, Brasiliam, et Asiam pergant ad Jesu Christi fidem paganis, sive infidelibus praedicandam.

Declaratio circa facultates prioris generalis quoad veniam concedendam progrediendi absque socio.

§. 62. 17. Declaramus 2. priorem generalem cuilibet religioso progrediendi veniam, etiam sine socio, concedere posse, intra regnum quocumque velit, extra regnum vero ad centum tantum leucarum distantiam; salva tamen constitutione formam praescribente invisentibus patriam.

Similis quoad facultatem superiorum localium.

§. 63. 18. Similem facultatem superioribus localibus permittimus quippe sibi subditis veniam praebere poterunt, ut intra duodecim leucarum spatium una cum socio iter agant, vel ad alium conventum, vel ad locum extra illum, quoties opus fuerit ad illaque negotia his constitutionibus alias non vetita. Poterit etiam intra eamdem distantiam sine socio mittere procuratores, et praedicatores, quoties eorum muneri fuerit necessarium.

De non accedendo Romam absque protectoris ordinis licentia.

§. 64. 19. Declaramus ultimo nullum religiosum ad Romanam urbem accedere posse sine protectoris ordinis, aut definitorii generalis facultate juxta decretum Clementis papae VIII. et sub poenis in eodem decreto inflictis.

§. II.

Quomodo a clausura egredi permittatur.

Quomodo a clausura egredi permittatur.

§. 65. 1. Non aliter, nisi bini, apostolorum more, religiosi nostri, cujuscumque conditionis sint (laicis exceptis) extre poterint in locum, ubi fuerit ordinis conventus: ideo unicuique a priore designetur socius, non petentis voluntate, sed arbitrio suo, quem non recipere in culpa erit. Extra conventum ille praesideat, qui intra illum antiquitatis loco praecellit, nisi justa de causa praelatus juniorem praeficiat; nulloque titulo poterunt, donec redeant, alter ab altero separari sub gravis culpae poena. Excipimus tamen casum, ad nobilem quo quia se conferat aliquem, ut cum illo secreto loquatur; tunc enim socius extra conclave remanebit, donec vocetur; nunquam tamen audiendi aviditatem praeseferet. Si autem cum nobili matrona id contingat, proportione habita, id ipsum servabitur, quod statuimus cap. 1. n. 6.

De benedictione a superiore flexis genibus petenda.

§. 66. 2. Omnes fratres sive conventuales, sive hospites antequam e domo prodeant benedictionem genibus flexis a superiore petent, et postea coram Sanctissimo breviter orent, ut eorum exitum, et introitum custodiat, quod et praestabunt cum redierint, orationem benedictioni anteponendo. Qui priorem generalem comitaverit, benedictionem a praelato locali accipere non tenebitur, sed illi ante vel saltem post egressum idipsum patefacere.

Quomodo priores hospites eam possunt reverentiam praestare priori locali.

§. 67. 3. Priores hospites licet egrediendi facultatem, non tamen benedictionem a priore locali recipere tenentur, sed tantum inclinato capite eidem reverentiam praestare. In conventu, ubi fuerit prior generalis, nec localis prior, nec alius quantumvis superior, e domo prodibit, quin flexis genibus ab illo cum socio benedictionem accipiat.

Quod omnes viribus potentes iter agentes pedestres eant.

§. 68. 4. Omnes iter agentes, si sint viribus potentes pedestres eant, si non, iis ad vecturam utantur animalibus idoneis, quae eorum indigentiae, religiosaeque paupertati, ac humilitati sint consentanea. Teneantur etiam eadem quae prodeuntibus in urbem praescripta sint, observare. Praeterea testimoniales literas secum deferent, ex quibus non arithmeticis notis, sed verbis non compendiario expressis innotescat a quo conventu egrediuntur, cujus praelati venia, quo die, mense et anno, ad quem locum tendant, quodque temporis spatium morae permissum. Statim ac ad quodlibet ordinis monasterium, hospitiumve accesserint, hujus modi testimoniales literas, etiam non petitas, praesidenti conspiciendas offerant; quod si omittant, praesidens haud negliget eas exquirere, et examinare.

Quod iter agentes ultra triduum in conventibus ordinis non immorentur.

§. 69. 5. Sancimus etiam, ut iter agentes, si in aliquo ordinis conventu hospitio fuerint excepti, ultra triduum ibidem non immorentur, sine expressa competentis superioris facultate: si autem justa aliqua causa contrarium poposcerit, prior, aut praesidens ejusdem conventus in supradictis testimonialibus literis dies, et causas morae adnotabunt. Contrafacientes, per quot dies licentiam excesserint, per tot dimidiato tempore, in cella maneant, e qua non prodibunt, nisi ut sacrum faciant, et communitatis actibus, excepta recreatione, adsistant.

De poena irroganda eis, qui domum saecularem ingressi fuerint in loco ubi conventus ordinis reperitur.

§. 70. 6. Hac eadem poena per dies decem puniantur itinerantes, qui sine expressa superioris facultate, in urbe, aut loco ubi est ordinis conventus, aut hospitium, ingressi fuerint domum cujuscumque saecularis. Si vero in eadem domo pernoctaverint poena carceris per dies quindecim pro qualibet vice punientur.

De iis, qui extra conventum se male gesserint.

§. 71. 7. Si quis fratrum extra conventum non ita se gesserit, ac religiosum decet, statim, quod id sciverit propioris conventus praesul, ad suum vocabit conventum praefatum religiosum, et pro qualitate culpae poenam infliget, ac si proprius illius subditus esset.

§. III.

De injusta clausurae violatione.

De injusta clausurae violatione.

§. 72. 1. Quicumque fratrum absque legitima praelati venia a monasterio discesserit, et extra illud evagatus fuerit, ut clausurae violator habendus est; ideo omnibus, et singulis congregationis nostrae religiosis, cujuscumque status, aut conditionis sint, facultatem concedimus ut si quos invenerint hujus generis nequam viros in professione fratres, eos apprehendere, viciniorique praesuli custodiendos tradere curent.

De jure praelatorum absolvendi a censuris pro violata clausura religiosos flagitiosos.

§. 73. 2. Deinde praelatos omnes serio monemus, et stricte ipsis praecipimus sub poena suspensionis ob officio, ut quoquo modo fieri poterit, caute tamen, et secreto, ne scandalum oriatur, at diffametur religio, judicis etiam ecclesiastici, et saecularis implorato auxilio, si opus fuerit, has sibi commendatas oves, gravissimo salutis aeternae periculo errantes, in proprium, tutumque ovile reducere diligentissime curent. Eisdem praelatis facultatem impertimur, ut statim ac in carcerem, aut cellam ad id designatam religiosos fugitivos induxariot, ab omni censura, etiam priori generali reservata, eos absolvere possint.

De perlustratione clausurae a superioribus peragenda.

§. 74. 3. Ut autem occasio hujusmodi nefas perpetrandi omnino auferatur, curent maxime priores, vel qui eorum vices gerunt, per se, vel per sub priorem clausuram singulis noctibus perlustrare, ac omnes obstruere fores, per quas ad publicam viam, aut ad domestica monastarii septa prodire quis possit clavesque tuto aliquo cellae suae adservare loco.

De facultate transeundi ad aliam religionem vel ad statum saecularem a s. Sede obtinenda.

§. 75. 4. Demum, ne aliquod praetermittamus medium ad apostasiam vitandam idoneum, et pro comperto habeamus, nonnullos religiosos ideo execrandum hoc crimen patrare non erubescere, quia excutere volunt religioni jugum, quod sine amore, delectu et verae vocationis spiritu amplexi sunt, ac maximo cum taedio, ac displicentia sustinent; omnibus et singulis, qui in hoc infelici versantur statu, denuntiamus, congregationem nostram minime eorum votis obstituram, si id conentur, ut a sancta Sede apostolica veniam obtineant, transeundi ad aliam religionem, vel statum saecularem, Idcirco priori generali praecipimus, ut benigne eorum postulatus admittat, probationes, et causas expendat, et tandem definitorii generalis consensu, ipsis permittat, quidquid a jure eisdem conceditur.

Monitum ad janitores, circa foeminarum exclusionem.

§. 76. 5. Ultimo invigilandum superest, ut regularis clausura non violetur per earum personarum ingressum, quibus semper inaccessa esse debet. Quare conventuum janitoribus valde commendamus, eorum conscientias onerantes, ut maximam curam adhibeant, ne eorum negligentia foeminae cuicumque occasionem praebeant clausuram ingrediendi. Nunquam idcirco a janua recedant, dum eadem patet, aut claves minus tuto sunt loco sub poenis pro culpae modo infligendis.

De modo admittendi foeminas ad confabulandum cum religiosis.

§. 77. 6. Praetera nunquam sinant mulieres ad ostium monasterii plus temporis immorari, quam opus sit, ut quid velint, significent. Si vere aliqua foemina religiosum vocari petierit, ut cum illo sermonem habeat, illico superiorem certiorem faciant, ut quod aequum fuerit ipse decernat. Sed pro culparum expiandarum ratione, vel similium ad ecclesiam attinentium, dum ipsius ostium patet, illuc mittendae sunt, et quid velint sacristae exponant; hicque, si opus fuerit, superiorem conscium reddat.

De modo custodiendi sacri aliquandum ecclesiae ostium patet.

§. 78. 7. Sacristae pariter injungimus, ut dum ecclesiae ostium patet clathra, vel repagula in medio ipsius sita clausa retineat, nec aperiri sinat, nisi quando vitari nequeat. Severe etenim puniotur sacrista, vel minister quivis, negligentia cujus mulier regularam clausuram intraverit.

De poena excommunicationis latae sententiae, contra eos qui mulieres in clausuram intromittunt

§. 79. 8. In materia autem adeo gravi, ut omnis, qui irrepere potest, tollatur abusus, praecipimus in virtute spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub formali praecepto, nec non sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, omnibus, et singulis ordinis nostri religiosis, tam praelatis, quam subditis, cujuscumque conditionis sint, ut nullatenus per se, vel per alium, data opera, consilio, aut consensu mulierem intromittant in clausuram, aut intromittere sinant; neque, si ingressa fuerit, se illi socios adjungant. Qui secus fecerit, ultra praedictam censuram, poenasque addictas praeceptorum formalium transgressoribus, eas etiam luent, quae in pontificiis constitutionibus praescribuntur.

Caput V.

De obedientia superioribus debita.

De obedientia superioribus debita.

§. 80. 1. Inter solemnia vota, quibus constituitur, tum religiosus status, tum monasticae disciplinae perfectio, praestantissimum est obedientiae votum; in illo etenim continetur quidquid bonum, quidque laudabile in regulari invenitur instituto perfectior; ergo religiosus erit ille qui perfectior fuerit obediens.

De veneratione erga pontificem, et regem.

§. 81. 2. Hac de causa religiosis nostris super omnia commendamus, ac districte praecipimus, ut sanctam obedientiam ardenter colant, et pro viribus observent. In primis autem eam ipsis commendamus, quam commendat apostolus, cum dicit: — *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ita obsequentes esse volumus summorum pontificum decretis, atque regum nostrorum jussis, ut adservetur, immo in dies augeatur clarum nomen, bonaque fama, qua semper viguit congregatio nostra; quod, scilicet obedientes Ecclesiae filii simus, regumque fideles subditi.

De obedientia praelatis debita.

§. 82. 3. Deinde suis praelatis in omnibus obediant, illos, non ut homines, sed ut Deum ipsum, cujus loco praesunt, venerantes; insuperque prae oculis habentes, quod voluntas sibi fuit voluntate propria privari, alienaeque subjici. Hoc autem ut perfectius exequantur, nullatenus ignorare debent, quot observantiae partes in obedientiae amplitudine comprehenduntur, earum discrimina, quamque vim obligandi habeant.

Declarationes circa ea, quae obedientiam respiciunt.

§. 83. 4. Igitur declaramus 1. Quod hujusmodi partes sunt regula, constitutiones, caeremoniale, manuale, sanctae, et legitimae consuetudines, et denique superiorum mandata.

Ad quid regula obliget.

§. 84. 5. Declaramus 2. Quod regula ad culpam tantum venialem obligat: hoc enim ordo noster semper intendit, sibi persuasum habuit, et declaravit, nec ad aliud obligantur ejusdem alumni, dum obedientiam profitentur — secundum regulam primitivam dicti ordinis —.

Ad quid obliget caeremoniale, manuale, consuetudines, et superiorum mandata.

§. 85. 6. Declaramus 3. quod constitutiones, caeremoniale, manuale, consuetudines, et superiorum mandata, non ad culpam, sed ad poenam impositam, vel a superiore imponendam obligant. Haec autem omnia intelligi oportet, dummodo non adsit contemptus, aut formale praeceptum, aut contrarium ejus quod statuitur, ex natura sua, vel aliter culpa non sit.

Quod pro viribus statuta ordinis servare quisque teneatur ad perfectionem

§. 86. 7. Quamvis autem hoc ita sit, religiosi sanctae obedientiae studiosi, qui ad perfectionem tendere tenentur, et Dei voluntatem pro suarum actionum regula habent; cum haec in ordinis statutis manifeste resplendeat, clareque illucescat, ea pro viribus, et omni diligentia exequi debent.

De conveniendo ad singulos actus communes, et ad alia officia.

§. 87. 8. Quam obedientiae perfectionem, ut cumulate acquirant religiosi nostri, ordinamus, ut ad communes actus signo convocati sedulo conveniant, et officia quaevis per communem tabulam ipsis injuncta perficiant: epistolas nec recipient, nec mittant, quin prius immediato superiori eas deferant, ut si velit, perlegat, vel retineat, earumque auctores puniat, siquid religiosorum profectui, et quieti nocivum, aut reipublicae contrarium in eisdem deprehenderit. Qui secus fecerit, poena gravi puniatur.

Quod nemo prohibere possit praelatis litteras scribere.

§. 88. 9. Superioribus autem praelatis scribere, eorumque epistolas recipere, omnibus libere absque prioris venia liceat.

Siquis vero hujusmodi aperire retinere, aut occultare scienter, vel callide ausus fuerit, poena gravi plectatur. Eadem afficiatur poena,

qui dolose epistolas scripserit, nomina non subscripto, ne dignoscatur.

De oeconomia monastica, et regulari disciplina.

§. 89. 10. Ordinamus etiam, ut omnia ad oeconomiam monasticam, et regularem disciplinam spectantia quantumvis minima, absque prioris licentia non fiant. Hujusmodi sunt Eucharistiae sumptio, praeter designatos cunctis fratribus dies; alicujus cibi esus, vel aquae potus praeter communes horas; aliquid ab officinarum ministris in proprium usum petere vel accipere, et alia similia; quae omnia, sub poena pro qualitate culpae infligenda, de prioris arbitrio pendere volumus, ut fiat satis regula dicenti — de arbitrio, et dispositione ipsius, postmodum quae agenda sunt, cuncta procedant. —

De obedientia praebenda juxta regulam primitivam ordinis.

§. 90. 11. Sed cum subditorum obedientia praelatis debita, juxta regulam, et constitutiones ordinis maxime exigenda sit; hinc est, quod in iis maximopere obedire tenentur, quae in regula primitiva ordinis, atque in his constitutionibus, quae ejusdem veluti quaedam sunt explanationes ab omnibus acceptatae, continentur. Parere etiam tenentur suorum praelatorum mandatis, sive toti communitati, sive alicui suorum subditorum indictis, quae ad ejusdem regulae observantiam, et ad bonum commune, vel etiam ad alicujus particularis utilitatem sunt necessaria, et sine quibus ipsamet regula in vigore suo conservari nequeat.

De licentia superiorum insurgendi etiam contra regulam ad noxios abusus eliminandos.

§. 91. 12. Quapropter, si aliquando superiores grave aliquod malum prudenter timeant, quod in damnum religionis redundet, vel satis deprehendant a permissorum abusu infractionem provenire partis substantialis regulae, vel constitutionum, in iis circumstantiis decernere poterunt, et debent quidquid justum existimabitur, atque idoneum ad damnum illud, ac infractionem vitanda; etiam si illud idoneum praeceptum formale sit.

De praeceptis, et censuris a superioribus imponi permissis.

§. 92. 13. Praeceptum hocce sicut et censuras imponere poterunt praelati omnes superiores, et inferiores, vel etiam his a loco conventus absentibus, transactoque viginti quatuor horarum spatio, qui eorum loco praesunt, vicarii, superiores, et praesidentes, suis communitatibus, vel alicui ejus membro. Id tamen de consiliariorum consensu, et in supradictis circumstantiis, quod si omiserint, religiosis omnibus commendamus, ut illud ad competentes superiores deferant, qui in illos debita poena animadvertant.

De non opprimendis subditis sine necessitate etiam in iis, quae a regula indigitantur.

§. 93. 14. Praeterea omnes, et singulos superiores hortamur, et iterum, atque iterum in Domino rogamus; ut in his etiam, quae regulae, et constitutionibus sunt consentanea, subditos formalibus praeceptis non opprimant, nisi gravissima necessitas urgeat, ac postea quam omnia alia a constitutionibus statuta remedia fuerint experti; ne ubi remedium quaeritur, pernicies paretur. Qui aliter se gesserit, a majore superiore arguetur, quamvis quae praecepta, aut censuras indixerint, valida erunt.

Forma adhibenda in injunctione praeceptorum.

§. 94. 15. Nulla tamen erunt quaecumque praecepta, quae in scriptis, et horum verbo rum serie non ferantur — *In virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto*. Idem dicimus de censuris, quae hac subscripta forma non imponantur —, *sub poena excommunicationis latae sententiae*. Excipi tamen volumus illud praeceptum, quod prior generalis, aut visitator initio visitationum edicit, et ea, quae in capitulis, et definitoriis generalibus imponi solent: haec enim, licet verbalia, valida declaramus, ac si in scriptis fuissent indicta.

Nullitas praeceptorum, et censurarum latarum contra regulas.

§. 95. 16. Nulla itidem declaramus omnia, et quaecumque praecepta, aut censuras, quae contra regulam, aut constitutiones fuerint indicta. Nulla, quae majori congregationis parti a priore generali imponantur, sine capituli generalis, aut definitorii consensu. Attamen hoc non intelligatur in aliquo gravissimo casu, de quo definitorio quam primum rationem reddere teneator.

Nullitas praeceptorum, et censurarum a superioribus localibus injunctarum sine consensu consiliariorum, cum suis limitationibus.

§. 96. 17. Eodem modo nulla erunt praecepta, et censurae a superioribus localibus injuncta omni, aut majori suae communitatis parti, si sine consiliariorum consensu injungantur. Excipitur vero casus juridicae alicujus inquisitionis faciendae, in quo commissarius absque praedicto consensu formale praeceptum injungere potest religiosis omnibus suae commissionis, ut veritatem sub jursoiento dicant, vel secretum, si opus fuerit, servent.

Jus privativum capituli generalis circa reservationes casuum, et censurarum.

§. 97. 18. Nulla similiter erunt quaecumque casuum, aut censurarum reservationes, a quocumque superiore fiant, etiam ab ipsomet generali definitorio: quippe volumus, ut hujusmodi reservationes solius capituli generalis juris sint. Si quis vero superior hanc sibi facultatem arrogaverit, nullius roboris sint, quae circa hoc statuerit, et insuper eamdem sustineat poenam, qua juxta constitutiones nostras

puniri debent, qui superiorum jurisdictionem in re gravi usurpant.

De duratione jussorum, et censurarum.

§. 98. 19. Tandem declaramus, quod omnia, et singula praecepta, censurae, aut mandata a quibuscumque superioribus ferantur, etiam ab ipso definitorio, ipsis deficientibus, deficiunt, nullumque vigorem in posterum retinere, nisi ab insequenti generali capitulo confirmentur.

De non inducendis novis consuetudinibus.

§. 99. 20. Praecipimus vero 1. omnibus superioribus maxime localibus, ut novas consuetudines ad suum arbitrium non inducant, neque ad eas servandas subditos cogant. Non intendimus tamen tollere, quinimo observare jubemus laudabiles illas, ac primitivas, quae in omnibus congregationis nostrae monasteriis generaliter vigent; sicuti etiam, quae ad accuratiorem noviliorum, recens professorum, scholasticorumque educationem ordo noster semper retinuit. Ne autem temporis injuria oblivioni tradantur, aut clandestinam patiantur additionem, statuimus, ut in compendium redactae generali definitorio sistantur, ut illas discutiat, et earum, quae probatae fuerint, exemplar in tabulario adservet.

De rejiciendis observantiis inductis contra regulam.

§. 100. 21. Praecipimus 2. superioribus, ut efficaciter rejiciant quascumque observantias, aut contrarias, aut superadditas regulae, constitutionibus, consuetudinibusque generatim receptis. Neque ferant, ut coram communitate aliquid agatur (quantumvis laudabile appareat) quod in morem abire possit. Licet enim supererogationis opera a regula valde commendata, nos satis, superque probemus, volumus tamen ut particulariter fiant, et in occulto, quo palam uniformitas appareat.

De poenis contra constitutionem non irrogandis.

§. 101. 22. Praecipimus 3. superioribus, ne poenas ad arbitrium subditis infligant, sed illas tantum, quae in his constitutionibus reperiuntur. Si quod autem fuerit delictum, cujus in constitutionibus specifica non inveniatur poena, ad proportionem earum, quae ibi sunt, plectatur, ita ut pro levi culpa nonnisi levis poena infligi possit, et sic de caeteris. Siquis superior determinationibus istis non obtemperaverit, prior generalis, aut visitator illum ab officio per tres menses removebit; et si iterum deliquerit, ad definitorium deferat, ut si opus fuerit, eum perpetuo amoveat.

Quod superiores Christi vicem gerentes honorentur.

§. 102. 23. Tandem omnes fratres superiores suos Christi vicem gerentes, semper in honore habeant, ac venerentur; et siquis (faxit Deus, non eveniat) eo malitiae ac protervias devenerit, ut iisdem resistere, aut gravem audeat injuriam irrogare, caeteri religiosi paterni honoris defensionem suscipiant, aggressorisque repellendo audaciam, toto pectore exposcant, ut quamprimum puniatur juxta statuta in 2. parte harum constitutionum capite 13. §. 4. num. 3. et 5.

Caput VI.

De castitatis voto.

De voto castitatis.

§. 103. 1. Cum matris castissimae Mariae Virginis singulari titulo filii nominemur, et simus, ne degeneres evadamus, operae pretium nobis erit, singulari quoque castitatis praerogativa decorari. Quod ut assequamur, nulla nobis aptiora media, quam quae ipsum castitatis nomen praesefert; ex hoc enim, quod per rationem concupiscentia castigatur, castitatis verbum derivari docet praeceptor angelicus.

De desideriis compescendis, quae sine castitatis periculo haberi nequeunt.

§. 104. 2. Ex his mediis satis plura regula, et constitutiones istae perscribunt; ideo cunctis fratribus valde commendamus, ut in iisdem observandis maximam adhibeant curam, ac ita desideriis propriis modum imponant, ut nunquam ad ea declinent, quae sine castitatis laesione, vel laesionis periculo amari nequeunt.

De castitate etiam externis sensibus servanda.

§. 105. 3. Quamvis autem castitas in corde praecipue sit retinenda, externis etiam sensibus illam oportet colere: quare studeant religiosi nostri omni tempore, et loco eam modestiam praeseferre, ut pudici oculi, et pudica lingua non obscurum internae puritatis exhibeant argumentum. Familiaritatem cum mulieribus, etiam honestis et virtuti addictis omnino devitent, neque cum iisdem colloquantur, nisi id exigat urgens (praecipue ipsius animae) negotium, modoque in his constitutionibus jam statuto servato. Denique sibi persuasum habeant neminem, nisi cautum diu castum persistere posse.

Quomodo monendi, et corripiendi sint qui quidpiam minus caste commiserint.

§. 106. 4. Si quis autem (utinam a nobis procul) quippiam minus castum commiserit, si occultum sit, et spes emendationis adsit, statim socius illum secreto corripiat; si autem facta correctione, videat se non profuisse, aut ante factam, re mature perpensa, non credat ea profuturum, revelet culpam alicui, quam profuturum existimet; quo deficiente, revelet

superiori pio, et prudenti, cujus consilia sunt efficaciora. Saepe autem, aut semel tantum labentem, si non lapsu bonum religionis nomen periclitatur, superiori tamquam patri, aut pro qualitate culpae tamquam judici deferat, ut subditi lapsi salutem quaerat, et bonum religionis nomen sublatum restituat.

Quod nec praelati adversus statuta quid praecipere possint, vel subditi parere teneantur.

§. 107. 5. Adversus haec statuta neque praelati aliquid praecipere possint, neque subditi parere teneantur: et si quis contrarium egerit a competenti superiore puniatur, tamquam evangelici praecepti transgressor, et fratrum suorum infamator. Casus tamen excipi debet, quo certis ab indiciis hujusmodi crimina infamia laborent, e suspicione haud infirma in propatulo incipiant patefieri. His in circumstantiis poterit superior licite (ut firmat D. Thomas) subditos cogere, ut quidquid hac de re sciverint, exponant.

De monendis, et puniendis flagitiosam aliquam familiaritatem colentibus.

§. 108. 6. Localis superior, cui validis suspicionibus suboleverit subditorum aliquem flagitiosam fovere familiaritatem, illum seorsim, atque secretissime arcesset, et corripiet benigne, ut possit lucrari fratrem suum, inter se, et ipsum solum, ut evangelicae paroemiae, et praecepto obtemperet, quin et famuletur. Si paterna admonitione non resipuerit illum coram consiliariis admonebit. Si autem huic salutari monito non acquiescat, iterum, et eodem moneatur modo. Et si nec dum se correxerit, sed potius temere, et tenaciter in eadem familiaritate perstiterit, superior, praesentibus, et consentientibus consiliariis, praeceptum formale illi ponat, ut statim praefatam familiaritatem procul pellat, ac penitus abrumpat. Tandem, si praeceptum hoc ab ipso transgredi legitime constiterit, tamquam reus, ac de suspecto crimine convictus, ac insuper, ut praecepti formalis transgressor puniatur. Quod, ut fiat, ad definitorium generale deferatur, cui tota haec res juridico testimonio comprobata committi debet.

Quomodo conventus immutatio erit praecipienda a superiore.

§. 109. 7. Verum quando localis superior prudenter judicaverit sola conventus immutatione hujusmodi religiosum corrigi posse, adhibito consiliariorum consensu, si criminis sint conscii sin aliter, praetermisso priorem generalem moneat, ut ipse decernat, ad quem conventum conveniat transferri. Si vero necessitas urgeat, et periculum sit in mora, ipsemet localis superior migrare illum praecipiat ad conventum, qui sibi idoneus videbitur. Monitos tamen volumus omnes superiores, et sub poena suspensionis ab officio per sex menses praecipimus, ne in hoc aliquid temere et inordinata animi affectione operentur.

Caput VII.

De paupertatis voto.

---

§. I.

De paupertate in communi.

De paupertate in communi.

§. 110. 1. Sicut radix omnium malorum, apostolo teste, est cupiditas, ita bonorum omnium origo voluntaria propter Deum suscepta paupertas, temporaliumque abdicatio; habet namque praemium coelestium possessionem, pauperibus spiritu a Christo promissam.

De modo servando in aedificiis construendis, altaribus ornandis, et similibus.

§. 111. 2. Praeterea ordinamus, ut in aedificiis construendis, templis, et altaribus ornandis, in omnibusque aliis, aut usu habendis, aut jure possidendis, ea semper adhibeatur moderatio, ut in mendicantium domibus nihil umquam appareat, quod pauperes dedeceat.

De cappellis et sepulcris, saecularibus non concedendis.

§. 112. 3. Superior igitur nullus saecularis facultatem concedere queat, ut juspatronatus, cappellam, vel sepulcrum nostris in ecclesiis, aut monialium proprium habeant, et multo minus, ut in eisdem choros, vel absides (vulgo tribunas) extruant, vel portas, fenestras, aut foramina quaevis aperiant: quoniam bonorum primum in casibus a jure permissis, et servatis servandis, definitorio servamus; secundum vero, capitulo generali, quod dictam facultatem elargietur illis tantum ex praecipua nobilitate, qui de congregatione sint benemeriti, et indultum ad hoc apostolicum in forma commissaria superioribus ordinis directum reportaverint.

De concessione humationis in sepulcris communibus.

§. 113. 4. Poterunt vero humari in sepulchris communibus nostrarum ecclesiarum, et claustrorum saeculares quicumque, maxime pauperes. Caveant tamen fratres, si ulla cum parochis de funerum commodis oriatur controversia, ut libenter cedant, scandala vitando, plurisque faciendo pacem, et fraternam charitatem lucro, temporalive emolumento: salvis semper remanentibus privilegiis, et indultis apostolicis quoad hoc regularibus concessis.

De exclusione possessionum agrorum, cum suis dealbationibus.

§. 114. 5. Inhibemus autem, ut monasteris nostra agrorum possessiones, annuosve redditus habeant, nisi ii sint, qui ratione fundationis, patronatus alicujus conventus, ecclesiae, cappellae, aut causa monumenti, nec non titulo memoriae anniversarii, orationis, aut cujuscumque alterius functionis religiosae pro annua, sive perpetua earumdem functionum eleemosyna, a benefactoribus fuerint destinati; qua in re quatuor subsequentia volumus observari.

Quod ablationes recipi nequeant, nisi de superiorum licentia.

§. 115. 6. Primum, quod illa pecuniarum sors, quae aliqua ex praefatis causis nobis attributa, aut ablata fuerit, recipi nequeat, nisi de generalis definitorii licentia in scriptis exhibita, quae nullatenus exhiberi possit, si ea definitorii suffragia desiderentur, quae pro quslibet dispensatione requiruntur.

Quod caput sortis insumi nequeant nisi de licentia capituli generalis.

§. 116. 7. Secundum quod praedicta pecuniarum sors integra semper maneat, nec umquam insumi possit, nisi vero admodum, et de capituli generalis facultate.

Quod scripturae publicae intercedant circa pacta conventa in receptione legatorum piorum.

§. 117. 8. Tertium, quod nonnisi per publicam scripturam omnes pacti conditiones exprimentem queat recipi; conditioque subsequens in posterum futuris scripturis exarandis semper adjiciatur, videlicet, quod si oneri imposito destinati redditus integre non percipiantur, dummodo hoc nostra sine culpa contingat, pro rata tantummodo satisfacere teneamur, et ad nihilum, si nihil percipiatur.

De modo investiendi pecuniam receptam.

§. 118. 9. Quartum, quod ipsa data, et recepta pecunia in bonis immobilibus, cujusmodi sunt agri, vineae, oliveta, et his similia, neutiquam stabiliatur. Superior, qui haec quatuor diligenter non servaverit, ab officio privabitur, aliisque poenis ad definitorii arbitrium puniatur.

De utensilibus, vasibus, aliisque similibus adhibendis in ecclesiis.

§. 119. 10. Praeterea, cum in concilio Viennensi resolutum inveniatur, quod — Deus per illa non vult serviri, quae servorum suorum statui, et paupertatis conditioni dissonant, — propter decernimus, ut in ecclesiis nostris utensilia aurea, vel argentea in posterum permittantur, praeter calices, patenas, pyxides, etiam eas, quae ad ostendendum fidelibus, publiceque deferendum venerabile Eucharistiae sacramentum, vitreis circulis observantur. Vasa etiam olei infirmis reservandi, thuribula, naviculas, coronas, sive radios, aut alia quae sanctis imaginibus ornamento sunt; reliquiarum thecas, et denique lampades, si ab aliquo benefactore fuerint donatae: quae omnia aurea, vel argentea permittimus, non tamen magno sumptu elaborata.

De sacris vestibus, et ornamentis altarium.

§. 120. 11. Decernimus etiam, ut sacrae ministrorum vestes, vel quaevis alia altarium, totiusque ecclesiae ornamenta, ad summum ex aliqua materia serica, simplici, o minime acu compta, aut intertexta fiant. Excipimus tamen baldachinum, et operculum exterius sacrarii, aliudque interius ad ejusdem ornamentum, quae serica, ex auro, argentove intertexta esse permittimus.

De majori apparatu adhibendo in majoribus solemnitatibus.

§. 121. 12. Ut autem majorum solemnitatum diversitas, sicut universalis Ecclesiae moris est, nostris quoque in ecclesiis majori apparatu dignoscatur, permittimus etiam, ut in quolibet conventu pro solemnissimis festivitatibus duplex habeatur sericum ornamentum, albi unum, alterum rubri coloris ex argento, aurove textili affabre concinnatum, limbisque, et lacinis aureis similiter, vel argenteis ornatum, minime vero acu intertextum: hoc autem ad ductilia vela, et cortinas, quibus altaria tegi, et exornari cupimus, nolumus extendi. Quicumque praelatus contra superius stabilitum de sacris supellectilibus contrarium egerit, aut permiserit, privationem ab officio inevitabilem incurrat, etiam si causetur, se ab aliquo benefactore gratis accepisse; namque etiam donata recipi prohibemus, nisi interveniente pacto, ut venundentur, et in alia non prohibita pretium convertatur, vel cum iisdem non prohibitis commutentur.

§. II.

De paupertate in particulari.

De paupertate in particulari.

§. 122. 1. Non solum possessiones, sed etiam cupiditates, et eas maxime abdicare debent religiosi nostri; ad hoc enim se adstrinxerunt ratione voti paupertatis in professione solemniter emissi, scilicet cujuscumque rei dominio, effectu, et affectu renuntiare.

Quod nemo quid proprium esse dicat.

§. 123. 2. Statuimus ergo, ut nullus fratrum sibi aliquid proprium esse dicat: nullus sine praelati venia aliquid recipere, retinere, donare, permutare, aut alio modo alienare audeat: nullus (etsi devotionis causa) ejus rebus utatur, quae ex auro, vel argento, vel alia pretiosa materia fuerint confectae, vel illis exornatae. Immo jubemus, ut ea, quae ad usum

necessaria requiruntur, ita sint humilia, et numero pauca, ut evangelicam redoleant paupertatem, necessitatique potius suppetant, quam affectum alliciant, ut sic possimus dicere cum apostolo. *Nihil enim intulimus in hunc mundum haud dubium, quod nec auferre quid possumus; habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus.*

Quod omnia quae religiosis obveniunt, sint communia.

§. 124. 3. Quamobrem omnia inter nos communia esse volumus, quaecumque religiosis obveniant, etiam ipsi praelato, sive praedicationis causa, sive eleemosynae, sive laboris proprii, aut quovis alio titulo omnia in commune penu, vel depositum conferri debent, ut exinde, sicut regula praecipit: *Distribuantur cuicumque per manum prioris vel per fratrem ab eodem ad idem officium deputatum; . . . inspectis aetatibus, et necessitatibus singulorum.* Quae tamen sic distributa, ea animi dispositione quisque debet accipere, et retinere, ut libenter sit paratus dimittere, quoties praelato visum fuerit, vel auferre, vel aliis commutare, alias se paupertatis voti transgressorem cognoscet.

De prohibitione pecuniae.

§. 125. 4. Nulli religiosorum permittatur pecunias penes se servare, vel secum ferre, quamvis eas sibi dicant necessarias ad sui ministerii usus, vel sibi fuisse impertitas ad restituendum, in pauperes erogandas, aut in similes alios usus distribuendas: statim enim, quod religiosus aliquis qualemcumque pecuniam acceperit, praelato tradat ad servandam in communi arca, extrahendamque inde, cum distribuendi secundum donantis voluntatem tempus advenerit.

Exceptiones circa usum pecuniae.

§. 126. 5. Conventuum procuratores excipimus, et necessaria pro victu quotidie amentem, aliumve ministrum ad superioris arbitrium, qui in quotidianas expensas aliquid pecuniae penes se habere poterunt, dummodo partem, vel minimam absque superioris facultate ad suum arbitrium non insumant. Superiori vero exactam ac fidelem rationem, quoties ipsi videbitur reddent.

Quod praelati de bonis conventus expendere non possint.

§. 127. 6. Inhibemus praeterea, ne praelati locales de bonis conventus expendant, donent, aut quovis alio modo alienent aliquid notabile, sub proprietariorum poena sine consiliariorum consensu, ac Sedis apostolicae beneplacito, si ea fuerit bonorum quantitas, quae ex apostolicis constitutionibus alienari non possit. Neque etiam pecunias retineant, sed in communi arca reponant, neque eas secum portent, quin in libro accepti, summa fideliter adnotetur, circa idque consiliarios faciat certiores.

Quod etiam superiores, et prior paupertatis voto abstricti intelligantur.

§. 128. 7. Superiores praelati, etiam si prior generalis sit, non minus quam subditi paupertatis voto adstringuntur. Ideo Clementis VIII. decreto inhaerentes, in suo quisque libro fideliter notare debet, quidquid ratione officii acceptum habuit, et expensum; neque in alius, praeter necessarios usus, quidquam insumere, cumque officium obsolverit, exactam accepti, et expensi rationem definitorio reddet, ut ab illo dijudicetur, et quod aequum fuerit super reliqua pecunia disponat.

§. III.

De religiosorum vestibus.

De vestibus religiosorum

§. 129. 1. Religiosorum indumenta ejus materiae, et formae esse debent, ut non tam corpus concinnent, quam nuditatem operiant. Ideo statuimus, ut religiosorum nostrorum habitus ex laneo, rudiorique panno fiant, coloris grisei ad nigrum vergentis, sed nativi, et ejusdem in omnibus formae. Duobus tantum digitis a solo distet, cujus inferior orbita duodecim, in corpulentioribus autem quatuordecim palmos non excedat: ejus manicae ad mediam manum protendantur, ibique in unius palmi latitudinem desinant. Idem servetur in tunica, aut interiori habitu, hoc solo discrimine, quod aliquantulum brevior, ac angustior esse debet.

De scapulari et caputio.

§. 130. 2. Scapulare latitudinem unius palmi cum dimidio non excedat; a terraque ad palmum elevetur. Caputium ad capitis proportionem, ac ordinis consuetudinem ita fiat, ut qua in humeros decidit, palmos circiter quatuor latitudinis in orbita non excedat, et acutiori parte elevetur a zona quatuor digitorum interjecta mensura. Omnia haec ejusdem sint coloris, ac habitus. Zona sit ex corio nigro duorum digitorum latitudinem habens, fibula ossea, aut ferrea subnexa, ejusque pars versus terram pendens ad palmum, circiter ipsa altior absistat.

De pallio.

§. 131. 3. Pallium, quoad materiam cum habitu sit conveniens sed albi coloris, sicque formatum, ut humeris impositum, naturaliter delabatur, quin sinus ullos arte quaesitos ostendat

dat, usquequo duobus palmis a terra distet: latitudini cujuscumque corporis erit proportionatum, ita ut nec in amplitudine superfluitatem, nec in angustia nimietatem praeseferat. Caputium ejusdem materiae, et coloris in magnitudine, et forma griseo correspondeat.

De tunica interiore.

§. 132. 4. Interior tunica de more ordinis sit lanea, ac paulo infra genua protendatur. Femoralia linea erunt, ac infra genua semipalmum descendant. Poterunt vero religiosi de prioris facultate, quandoque uti femoralibus, aut braccis crassi panni, vel similis materiae. Sudaria ad emungendas nares ex lana, gossipio, aliove crasso filo texta sint, honesti semper coloris.

Statuta de vestibus communia sint etiam praesulibus.

§. 133. 5. Hucusque de vestibus stabilita, omnibus volumus esse communia, tam praelatis, quam subditis, tam choro addictis, quam laicis, recens professis, et noviliis; hoc tamen discrimine, quod novitiorum anterior pars scapularis quadam levis ejusdem materiae et coloris taena cum posteriori adnectatur. Laicorum vero pallium non album, sed ejusdem cum habitu materiae sit, et coloris; nec aliud super pallium addatur caputium, praeter griseum, quo uti debent, etiam intra domum, pallio non utentes; habitus quoque caeteris brevior, quatuor saltem digitis a terra distet; palliom vero sit longius dummodo scapularis mensuram non adaequet.

De sandaliis adhibendis.

§. 134. 6. Non calceis, sed sandalii excalceati nostri fratres utantur, quae rudia esse volumus, et pauperibus digna, et ex materia, cujus ordo semper usum habuit, ita formata, ut superior pars pedis, extremaque digitorum appareant nuda. Caeterum conventualibus permittimus, ut intra domum (sed extra communitatis actus, qui in ecclesia aut claustro peraguntur) uti crepidis ligneis corio in superiori parte contectis, dummodo calcaneum, extremaque digitorum nuda relinquant; propterea retro corio careant.

De cruribus tegendis in casu necessitatis.

§. 135. 7. Permittimus etiam religiosis, id suadente necessitate, uti aliquo ad crura tegenda, et etiam thorace, vel aliqua alia veste intima prope supernam corporis partem (vulgo colete) ex crasso panno formatis juxta ordinis consuetudinem, dummodo facultatem a priore generali in scriptis obtineant, eamque in prima cujusque triennii visitatione praesentent, iterum confirmandam, si necessitas perseveret.

De talari pallio pro iter agentibus

§. 136. 8. Permittimus etiam conventualibus, ut de licentia praelati uti possint, in cella, et dum iter agunt, talari pallio frigori, et imbribus arcendis apto; sed ejusdem coloris, et materiae, ac uniuscujusque pallium minus galerum albi coloris etiam recens professis, et scholasticis, dum iter agunt, vel ad aegrum tendunt, denique permittimus; at niger erit laicis.

§. IV.

De aliis religiosorum utensilibus.

De aliis utensilibus religiosorum

§. 137. 1. In cellis nihil exquisitum, aut pretiosum inveniatur. Crux lignea inter omnes potissima sit supellex, cui etiam addi poterunt piae aliquae, et devote immagines in papyro, non alio nisi nigro colore depictae. Mensae et sedilia lignea quoque sint, et inelaborata. Lectulus nulla arte laboratus ex tabulis componatur, tres circiter palmos altitudinis, et quinque fere latitudinis comprehendens, cui nunquam colcitra, nec sindones, nec quidquam lineum adhibeatur; sed habebit tantum leve aliquod stramentum, laneum pulvinarium, et lodices aliquas laneas albi coloris; cooperculа alia non permittimus, nisi ex pellibus, aut palmarum foliis, aut simili alia materia compenatur, sitque etiam unius, honestique coloris tale cooperculum.

Quomodo fratres dum cubant interiorem tunicam retinere debeant.

§. 138. 2. Omnes fratres, dum cubant, interiorem tunicam semper retineant, et insuper parvum scapulare ex eodem, ac habitus, panno, quod unius palmi latitudinis, unius, et semi sit longitudinis. Qui haec neglexerit in terra comedat. Nolumus autem haec aegrotos strictim servare, qui dum male se habent, minori scapulari poterunt uti, sicuti etiam laneis culcitris, linteis, et aliis, quae vel necessitas, vel medicus suaserit.

De apparatu mensae in refectorio

§. 139. 3. In refectoriis nunquam religiosorum mensae mappis sternantur majoribus, sed linteum aliquod ad uniuscujusque locum apponatur. Escaria vasa, omniaque alia minora, non nisi fictilia, et crassa permittantur, albi, alteriusve coloris, prout quaeque feret regio, ubi conventus situs est. Majora vasa, ex quibus aqua, et vinum religiosis distribui solent, ex aere comparari poterunt. Communis denique victus, neque paupertatis, et frugalitatis limites exuberans transiliat, neque ansam religiosis praebeat, esculenta in cellis asservan-

di, quod omnibus prohibemus sub poena culpae mediae.

§. V.

De bibliotheca, et librorum usu.

De bibliotheca, et librorum usu.

§. 140. 1. Ne ulla occasio violandi paupertatis votum, religiosis nostris sit reliqua, statuimus, ut in quolibet conventu sit bibliotheca communis, in qua omnes necessarii libri, praesertim scripturae sacrae, sanctorum patrum, theologorum, jurisconsultorum, philosophorum, et cuicumque alii, tum ad pietatem, cum ad instructionem conferre possint, minime desiderentur; sed potius studeant diligenter priores, suo quisque in triennio, novis eam voluminibus augere, quantum suorum conventuum vires ferant, ac sedulum ministrum deputare, penes quem illius clavis semper erit, quique de illius ornatu, ac munditie assidue sit sollicitus; librosque ordinate disponat, ac omnium accuratum indicem texere, qui in bibliotheca semper ad manum sit, ut libros quaerentibus adjumento sit. His autem ut melius satisfaciat, orationi vespertinae interesse non teneatur.

De libero accessu ad bibliothecam

§. 141. 2. Liberum sit religiosis nostris bibliotecam adire, sed ad hoc tantum, ut libros sibi necessarios consulant, aut aliquoties deferant ad cellas, si ibi geminata exemplaria extent: de hoc tamen certiorem facient bibliothecae custodem, qui et libros extractos, et extrahentium nomina peculiari catalogo notare debet. Extrahere libros, quorum unum tantum in bibliotheca extat exemplar, nemini liceat; et si aliquando id necesse sit, praeter superius dicta, de licentia prioris fiat, qui solum per tempus necessarium illam concedet.

Prohibitio de extrahendis libris e bibliotheca.

§. 142. 3. Nullus religiosus quavis auctoritate fungens, libros, etsi parvulos, folia, sive quaternata, sive non, vel impressa, vel manuscripta, e bibliothecis nostris extrahere possit, ut mutuo dentur saecularibus, vel aliorum ordinum regularibus; vel illa jam extracta, quoquo modo praefatis personis commodare, mutuare, donare, vel dare, sub quovis quaesito colore, vel praetextu, audeat, seu praesumat, sub excommunicationis majoris poena, ipso facto et absque alia declaratione incurrenda juxta decretum Urbani VIII. anno 1642 emanatum, et a sanctissimo domino Nostro Pio VI. nuper confirmatum. Quae autem haec excommunicationis poena omnibus nota sit, in bibliothecis nostris exemplar pateat, ut a laudato pontifice praecipitur.

Prohibitio de vendendis libris etiam de consiliariorum capitali conventualis licentia.

§. 143. 4. Omnino interdicimus superioribus localibus sub gravis culpae poena, quoscunque conventus libros vendere, aut quovis modo alienare, etiam de consiliariorum, vel capituli conventualis consensu, nisi eos, qui non necessarii, vel inutiles redduntur, quos de supradicto consensu permutare, aut vendere permittimus, dummodo eorum pretium in alios libros utiliores convertatur.

Licentia concedenda ut de uno ad alium conventum per aliquod temporis spatium libri afferantur.

§. 144. 5. Permittimus etiam prioribus, ut adhibito consiliariorum consensu, facultatem impertiri possint alicui congregationis religioso ut ab uno in alium conventum commodatos secum deferat libros aliquos; sed per determinatum tempus, intereaque remanente in arca trium clavium schedula, ex qua constet librorum titulus, et numerus, dies, mensis, et annus, ejusque, cui commodati sunt, nomen. Religiosus qui aliter alicujus conventus libros, aut librum deportaverit, poenae gravi censeatur obnoxius, uti etiam prior conventus, in quem libri exportentur, si statim, ac sciverit, ad quem spectant, non remiserit.

De libris a consanguineis, vel benefactoribus gratis oblatis.

§. 145. 6. Insuper permittimus religiosis nostris, ut ad usum habeant, et secum deferant ab uno in alium conventum eos libros, quos a consanguineis, aut benefactoribus gratis oblatos acceperint, vel pecunia ab iisdem elargita comparavere. Nemo autem sibi persuasum habeat horum librorum dominium aliquod permitti, sed tantum usum, ideoque nec extraneis mutuare, nec vendere, nec quovis modo eos alienare poterunt, sicuti etiam fratribus de prioris mandato illos commodatos petentibus negare non licebit. Qui secus fecerit proprietariorum poenis plectetur. Declaramus autem quod in conventu, ubi decesserit religiosus, remanere volumus hujusmodi libros.

§. VI.

De aliis ad paupertatem spectantibus.

De aliis ad paupertatem spectantibus

§. 146. 1. Ad perfectiorem proprietatis vitii extirpationem stricte praecipimus praelatis omnibus immediatis sub poena suspensionis ab officio per quindecim dies, ut semel, aut bis in anno subditorum suorum cellas visitent, ipsis praesentibus, vestes, et omnem aliam su-

pellectilem perspiciant, superfluaque et ab his constitutionibus reprobata continuo extrahant; quae vero defuerint, necessaria provideant, secundum uniuscujusque indigentiam, ac ordinis paupertatem. Idem poterunt repetere, quoties sibi expediens videbitur, et etiam dum a cella adsunt religiosi; at tunc nonnisi duobus consiliariis sociati, vel aliis eorum vices supplentibus.

De clavibus communibus a superioribus retinendis.

§. 147. 2. Quod, ut facilius exequi valeant, habeant omnes immediati superiores, ut ab eodem Urbano VIII. decernitur unam, aut plures claves ita fabrefactas, ut cum sibi videbitur, omnes subditorum cellas reserare possit, nullusque propterea noctu cellae januam ita claudat, ut a superiore nequeat aperiri. Siquis vero a loco, ubi fuerit conventus discesserit, cellae clavem apud priorem deponat, sub poena in terra comedendi.

De usu aliarum clavium particularium.

§. 148. 3. Praeter cellae clavem alias claves religiosis non permittimus, nisi priori generali, et illius secretario, definitoribus generalibus, visitatoribus, eorumque secretariis, et generali procuratori, qui omnes arcam, vel thecam obseratam habere poterunt, ut tutius queant suorum munerum scripta custodire. Poterunt similiter conventuum, sive religiosorum, sive monialium procuratores clausam habere arcam ad redditu um, et communium expensarum nummos servandos, dummodo superiori reserent, quoties ipsi libuerit.

De locorum ulteri tribuendo ei qui opus aliquod scribit, vel grave negotium pertractat.

§. 149. 4. Idem poterit generale definitorium cuivis religioso concedere, cui opus aliquod scribendum, vel grave aliud negotium pertractandum commiserit, vel commissum cognoverit praecipiendo etiam primo, si opus fuerit, ne cuivis inferiori detegatur praelato.

Ne quid circa vestes, cellas, refectorium permittatur contra expressum in regula.

§. 150. 5. Quicumque praesul, quaotumvis superior sit, si aliquid sibi, vel aliis permiserit contra hucusque stabilita de vestibus, cellis, refectorio, aliisque in hoc capite contentis, poena gravi puniatur, subditusque hac in re delinquentes. Et si religiosus aliquis (quod nunquam fore in Domino speramus) proprietatis reus fuerit convictus in materia gravi, activa, et passiva voce biennio privabitur, ut a Tridentino decernitur, et insuper in carcerem duobus mensibus sine ulla dispensatione conjici a definitorio dijudicabitur.

Quod supplicio afficiatur qui necessaria ad vestitum non suppeditaverit.

§. 151. 6. Quicumque etiam prior subditis necessaria, tum ad vestitum, cum ad victum constitutionibus istis, hic, aut alibi designata non suppeditaverit, a priori generali, aut visitatore suae visitationis tempore gravi supplicio afficiatur, tribusque mensibus ab officio suspendatur. Si vero post haec poenam rursus deliquerit; ab eodem superiore ad definitorium deferatur, quo illum ab officio in perpetuum removeat.

Poenae contra negantes necessaria iter agentibus.

§. 152. 7. Eodem modo, et sub eadem poena teneantur priores subditis iter agentibus necessaria omnia providere; hoc autem intelligi volumus, cum ut curentur, vel aliquod religionis negotium, vel praelatorum mandatum exequantur, illud faciant; minime vero, cum obtenta praelati venia, ad propriam utilitatem tantummodo, parentum, aut aliorum; tunc enim eorum, qui commodum sentiant, vel expectent, expensis fieri debet. Superior autem pecuniam hunc in finem religiosis attributam minime insumat, sed communi servat in arca, successoribus tradat: alias eadem poena puniatur, ac qui hospitum deposita usurpant.

De tabaco sub ministrando.

§. 153. 8. Teneantur etiam immediati superiores sub praedicta poena necessarium tabacum subditis praebere, si de prioris generalis facultate illo utantur. Sed ut circa hoc nimius abusus irrepere non possit, nulli hujusmodi facultas concedatur, quin prius de necessitate constat ex medici approbatione ab immediato conventus superiore inscripta. Hanc facultatem, qui obtinuerit, in visitationibus exhibebit, ut dictum reliquimus de illis, qui aliquo ad crura tegenda, vel thorace, aut aliqua alia veste intima prope supernam corporis partem utuntur.

Caput VIII.

De vita communi.

§. I.

De communi divinis laudibus assistentia.

De vita communi.

§. 154. 1. Cum a nobis religiosis vita communis illa non solum sit intelligenda, quae vitae necessaria aequaliter subministrat, sed illa etiam, quae ad explendas obligationes sine personarum acceptione librata producitur, statuimus, ut religiosorum nullus, quocumque titulo, aut praetextu privilegii et superioritatis, etiam generalis, divinis laudibus in choro, aut

in ecclesia recitandis, vel canendis, aliisve communitatis actibus ibidem babendis immunis censeatur, nisi pro tempore, quo quis in proprii muneris exercitio fuerit occupatus. Si quis vero a competenti superiore perpetuam de his exemptionem impetraverit, justa licet de causa nos etiam juxta ipsum exinde in perpetuum de quacumque ordinis praefectura, et superioritate exemptum, illisque inhabilem declaramus: maximum namque inde proficiscitur regulari observantiae damnum, si superiores praesentia, et exemplo subditos non excitent.

De interdictione praelatorum, aliorumque superiorum circa actus a definitorio probandos.

§. 155. 2. Hac ipsa de causa interdicimus praelatos se se iis negotiis implicari, quae quotidianis bis actibus interesse non permittunt. Similiter nulli ordinis superiori liceat, nisi definitorio generali, idque gravi de causa, sub ditorum quemquam alicui muneri praeficere, quod impedimentum afferat, ut communi huic, gravique obligationi diu, aut assidue desit.

De liberandis ab assistentia chori.

§. 156. 3. Poterit tamen prior, cum fratres plus solito insomnes, aut assidua suorum munerum exercitatione fessos inspexerit, eos alternatim divisos, omni singularitate semota, a matutino in choro, vel a matutina oratione liberare. Ægroti vero media nocte chorum non petent, nisi in festis primae classis, et in his etiam superior illos liberabit, quos morbi molestiam sibi detinere videatur.

Declarationes speciales circa chori assistentiam.

§. 157. 4. Praeterea ordinamus, ut in diebus coenae extraordinariae conventualium communitas ita dividatur, ut una pars matutino, altera matutinae orationi interesse non teneatur. At si aliqua ex solemnioribus tunc festivitas occurat, in primam diem non impeditam haec gratia transferatur. Si vero communitas ita sit parva, ut sic divisa sufficiens desideretur religiosorum numerus ad divinum officium recitandum ea, qua par est, gravitate, et decentia, in minores dividatur partes, et vicissitudo in dies plures protendatur.

§. II.

De communi victu.

De victu communi.

§. 158. 1. Quidquid esus, aut potus in refectoriis nostris apponi solet, ac debet, cunctis religiosis nostris commune esse volumus. Idcirco statuimus, ut omnes, tam superiores, quam subditi, duplici transacto die, postquam ad monasterium accesserint, eodem pane, eodem vino, eodemque obsonio, absque ullo discrimine tam in quantitate, et numero, quam in qualitate, et condimento in uno eodemque refectorio simul utantur: neque extra illud prandere, coenare, aut aliquid edere; neque etiam primae mensae non interesse ulli unquam liceat, nisi, qui legitima fuerit occupatione detentus.

De cibo diebus jejunio non assignatis.

§. 159. 2. Diebus jejunio non assignatis communis omnium cibus ad prandium erit, praeter panem, et vinum, oryzae, vel alicujus leguminis abundans portio, ac ferculum piscium etiam portione abundans, vel aliud eorum loco ferculum, quibus aliqua, vel aliquae pomorum, aut fructuum species adjici debeant. Diebus vero jejunii tum Ecclesiae, cum ordinis aliud addatur ferculum qualitate, et conditura diversum, dummodo nihil ministretur, quod non sit ab Ecclesia legitimave consuetudine, aut privilegio permissum. Excipimus tamen parasceves diem, in quo panem tantum, et aquam religiosi comedant.

De coena ordinaria.

§. 160. 3. Ordinariae coenae ex sufficientium piscium ferculo, alioque herbarum ferculum unum tantummodo apponatur: loco hujus aliquod fructuum, vel pomorum poterit subrogari. In jejuniis vero Ecclesiae eadem panis, et vini quantitas cum paucis fructibus solummodo ministrari volumus. Permittimus tamen praelatis, ut pro fructibus conditas aliquando herbas dare possint, si id necessitas susserit.

Quod superiores nihil quotidiano victui addere possint.

§. 161. 4. Superiores omnes inhibemus, ne solito huic, et ordinario religiosorum victui aliud quidpiam addere, possint, nisi in solemniorum dierum prandiis, et cum extraordinariae coenae de more sint exhibendae, in quibus etiam religiosa frugalitas nunquam excedatur. Si quid autem christiana charitas ad conventum inopinato remiserit, licet ordinariis diebus, aequaliter divisum poterit religiosis ministrari ad prandium, vel ad coenam.

De hora prandii.

§. 162. 5. Hora prandii quovis tempore undecima sit; at in Ecclesiae jejuniis undecima cum dimidia. Caeterum si dies solemnis, aut magnus populi coetus, aliave justa causa compellat aliquantum horam protrahere, ad prioris arbitrium relinquimus. Collatio, ordinariaque coena fiat hora septima pomeridiana, extraordinariae vero coenae inter sextam et séptimam ad prioris arbitrium.

De coenis extraordinariis.

§. 163. 6. Praedictae coenae extraordinariae erunt in die Nativitatis Domini cum duu

bus sequentibus, tribus primis paschae, et pentecostes, nec non in aliis per annum juxta ordinis consuetudinem, dummodo viginti quatuor numerum non exuperent. In alicujus, vel aliquarum ex his locum, si libuerit, poterit prior extra ordinarium prandium substituere, non tamen in die festo primae classis. Collatio extraordinaria in pervigilio Nativitatis de more ministranda est.

§. III.

De spirituali lectione, peculiaribusque mortificationis exercitiis in refectorio peragendis.

De spirituali lectione, et peculiaribus mortificationibus in refectorio peragendis.

§. 164. 1. Ut interior homo Dei verbo pascatur, dum exterior reficitur, cum religiosi communi accumbunt mensae, sacra lectio, ut a regula decernitur, habeatur. Quare praecipimus, ut post lectionem sacrae scripturae, aliqua pars nostrarum constitutionum, ex iis tantum, quae ad communes, et generales ordinis mores spectant, legatur (exceptis diebus festivis, et quando adsit aliquis extraneus) et postea aliquid ex devotis, et spiritualibus libris, et singulis sextis feriis nostra regula legatur, omniaque alia serventur, quae in caeremoniali circa refectorii lectionem ponuntur. Quare in refectorio maximum silentium debet observari.

Hortatio ad fratres circa observantiam caeremonialis.

§. 165. 2. Fratres omnes hortamur, ut quid quid circa hos communitatis actus caeremoniale praescribit, sedulo observent. Hortamur praeterea omnes, et praecipue praelatos, ut suasione, et exemplo mortificationes, tam ordinarias, quam extraordinarias ab initio religionis nostrae in refectoriis landsbiliter fieri consuetas, maximopere conservare studeant.

De saluberrima fratrum correctione ante refectionem.

§. 166. 3. Saluberrimam quoque fratrum correctionem ante coenam, aut refectionem parvam, etiam conservari praecipimus immediate postquam mensae religiosi accubuerint. Numquam tamen fieri illa poterit, nisi a priore, superiore, aut vicario; numquam, nisi de levibus culpis, nec ultra semiquadrantem protrahenda; nec in diebus festis, quatuor ultimis majoris hebdomadae, pervigilio majorum festivitatum, et conventuale capitulum die praecedente.

Quomodo praelati se gerere debeant circa correctiones.

§. 167. 4. His in correctionibus valde prudenter, et circumspecte se gerat praelatus, vel quivis alius, culpas in medium productas benigne arguat, juxta constitutiones puniat, vel delinquentibus parcat, si justa subsit causa, et a verbis irracundis, dicacibus, atque fraternae charitati injuriosis omnino abstineat. Qui aliter se gesserit a superiori praelato publice arguetur, et majori poena subjaceat. Finita mensa, janitor a praesidente interrogatus, de acceptis eleemosynis, rationem reddet, et solitis tandem precibus actus absolvatur.

§. IV.

De Jejunio, et abstinentia.

De jejunio, et abstinentia.

§. 168. 1. Praecipimus, ut in jejuniis observandis praelatos inter, et subditos nullum permittatur discrimen, cum omnes comprehendat regula dicens: « Jejunium singulis diebus, exceptis dominicis, observetis a festo » exaltationis sanctae Crucis usque ad diem » Dominicae resurrectionis, nisi infirmitas, vel » debilitas corporis, aut alia justa causa jejunium solvi suadeat.

De jejuniis extraordinariis.

§. 169. 2. Praeter jejunia a regula, et ab Ecclesia indicta, ordinamus, ut singulis sextis feriis per annum, tribus diebus rogationum ascensionem Domini praecedentibus; in omnibus etiam vigiliis beatissimae virginis Mariae in quarum festis secundum caeremoniale nostrum antiphona — Salve Regina — solemniter canenda sit (excepta tamen ejusdem sanctissimi nominis vigilia) et in pervigiliis sanctissimi Corporis Christi, et sancti patris nostri Eliae, et denique in die sancti Marci, nisi in dominica venerit, jejunium ab omnibus observetur.

De exemptione iter agentium.

§. 170. 3. Iter agentes, maxime pedestres, habita ratione laboris, a jejunii tum regulae, cum constitutionum absolvi poterunt, et de hinc omnes exemptos declaramus per totum itineris tempus. Facultatem praeterea immediatis superioribus damus, ut intra conventum aliquem, vel aliquos ex religiosis ab ejusdem jejunii lege absolvant, si justa adsit causa.

De abstinentia ab esu carnium.

§. 171. 4. Ab esu carnium omnes fratres abstineant, sicut regula praecipit. Qui autem juxta illam ob infirmitatis, vel debilitatis remedium, eas manducaverint, non promiscue inter alios piscibus vescentes, sed loco intra refectorium signo aliquo de more distincto, ubi nemini, praeter infirmos, sedere liceat, illus carnibus vesci mandamus.

De licentia exquirenda pro esu carnium extra conventum.

§. 172. 5. Extra conventum carnes edat nemo, nisi de licentia praelati inscriptis obtenta; haneque nunquam praelati duobus fratribus concedant, qui extra conventum una sint manducaturi. Si quis vero extra conventum aegrotaverit, medici praescriptis obediat. Si nullus sit medicus, conscientiam consulat, conventuumque consuetudinam, et quod ipsae soaseriot, agat.

De poenis contra eos qui carnibus vescuntur.

§. 173. 6. Siquis intra conventum sine superioris facultate carnibus vescatur; vel illas ab extraneis acceperit, primum per dies decem graviter punietur, at secundo lapsus per mensem in carcerem conjicietur. Si quis vero superior intra conventum carnibus vescatur occulto, et extra locum, et tempus ad id designatum, per menses duos ab officio privabitur.

Si autem ipsis vescatur cum saecularium scandalo, ab officio statim privetur, et voce passiva per triennium careat. Eidem poenae subjaceat, qui sine causa majori communitatis parti carnes exhibeat, aut eis vesci permittat. Qui vero dapes carnibus conditas aliis, aut praebuerit, aut indulserit, per tres tantum menses ab officio suspendatur.

De licentia in scriptis procuranda pro esu carnium quomodolibet faciendo.

§. 174. 7. Caeterum, cum haec abstinentia veluti essentialis ac peculiaris regulae pars sit, et alioquin timeamus, ne statutae poenae omni hac in re abusui, offentionique vitandis sufficientes sint; idcirco praecipimus in virtute spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub formali praecepto, ut religiosorum nostrorum nullus extra conventum carnes edat, sine superioris licentia in scriptis habita, excepto infirmitatis casu juxta dicta numero quinto.

§. V.

De officiis per communem tabulam distribuendis.

De officiis per communem tabulam distribuendis

§. 175. 1. Communem officiorum tabulam sequentis hebdomadae publice singulis anni sabbathis eam praecedentibus legendam post prandium pescribat superior conventus, (in dominibus autem novitiis, aut recens professis destinatis eorum magister) consulto priore, et caeremoniali, ad normam dirigente. In hac tabula officia taliter distribuat, ut solum aegrotos excipiat, si lecto cubent, vel convalescant, et eos, qui per majorem hebdomadae partem extra domum versentur. Valetudinarii, qui ex consuetudine carnibus vescuntur, illa obibunt officia, quae attenta charitate, illorumque infirmitate, exequi potuerint. Teneantur autem omnes officia sibi injuncta inexcusabiliter obire, adaumasimque praestare. Qui e domo est egressurus, aut inopinata aliqua occasione praepeditus fuerit, praelato denuntiet, ut alium substituat. Qui hoc neglexerit, si inde sequatur inordinatio, in terra comedat.

Quod praelati sint liberi ab officiis tabulae.

§. 176. 2. Praelati, ratione dumtaxat sui officii sive superiores, sive inferiores, a tabulae officiis erunt liberi, praeterquam ab officio cappellani beatissimae virginis, et ab illis, quae ad humilitatem spectant. Finita autem praefectura, omnia, ut caeteri obibunt. Subpriores, dum conventui non praesunt, exceptis diaconi, subdiaconi, acolythi, thuriferarii, lectoris, pulsatoris cymbalorum, campanularum, et ministri rasorae caetera omnia officia sibi, sicut aliis designare solent, designabunt. Si secus fecerint, poena gravi puniantur.

De barba semel in hebdomada radenda, et tonsura choristarum.

§. 177. 3. Volumus tamen, ut in conventibus novitiatus, professorum noviter, et in collegiis ubi collegiales, recens professi, et novitii sex plures fuerint, inter eos tantum distribuantur quinque ultima nuper relata officia. Barba semel in hebdomada radatur. Curent autem superiores, et rasurae minister, ut choristarum tonsura ita a barbitonsoribus disponatur, ut circulus capillorum eam undique circumdantium tres tantum digitos habeat latitudinis, et super aurium summitatem desinat.

Caput IX.

De cura erga infirmos et hospites impendenda.

§. I.

De infirmis.

De infirmis.

§. 178. 1. Maximum charitatis praeceptum, et perfecta vitae communis ratio nos adigit omnem navare operam, ut tam praelati, quam subditi, dum aegrotant, par levamen, parque subsidium, et obsequium experiantur. Haec ut observentur, quolibet in conventu unus saltem eligatur medicus, scientia, et probitate praeditus, ex cujus nutu superiores in iis, quae ad aegrotorum medicamenta, cibum, lectum, interioraque vestimenta spectant, omnino pen-

deant. Per secreta conventualis capituli suffragia eligendus erit iste medicus, mediantibus ipsis suffragiis ejiciendus, cum justa subsit causa. Haec omnia observari erga chirurgum praecipimus.

De religioso eligendo in curam infirmorum.

§. 179. 2. Deputetur etiam a priore religiosus sedulus, ac benignus charitate, maximeque patientia praeditus, qui ab omnibus feristus, (si id sit necesse) infirmorum curae diligentissime intendat: et si augeatur aegrotantium numerus, adjutor illi tribuatur. Ad prioris arbitrium hoc ministerium praestabit, dumque in illo perstiterit, quidquid medicus erga quemlibet aegrotum decreverit, praelato diligenter denuntiet, a quo protinus executioni mandari praecipimus, quin inde vel latum discedat umquam. Nec etiam ullo modo obsistat praelatus, ut religiosi, qui de infirmitate conquerentur, medicum libere consulant: immo pii parentis induens personam, et affectum, eorum praeveniat desideria, et in providendo eis necessaria, quantum poterit, ita large, et benigniter se gerat, ut nihilo prorsus indigere videantur; ideoque praeterita consanguineorum blandimenta omnino non recordentur.

Monitum ad aegrotos.

§. 180. 3. Meminerint tamen aegroti, quam sibi vitam elegerint, Deoque promiserint observandam, poenitentem scilicet, ac pauperem, et cum pauperi nequeant aliquando necessaria non deesse, sicut et poenitentes nequeant plurima non pati corporis incommoda, nolint ipsi moleste queri, cum sibi parcius quandoque ministretur, nec importuna morbulis quibusque remedia investigare magno cum regularis observantiae praejudicio.

De cura infirmorum.

§. 181. 4. Non nimis perspicax sit prior in subditorum morbis explorandis, sed potius quidquid ipsi dixerint, credat, ametque potius ab illis, quam a se ipso falli. Si aliquando illis utile fore judicaverit, aut carnibus vesci, aut lineis vestibus uti, aut quovis alio fulciri levamine, ipse poterit continuo praecipere, quin medici praestoletur adventum, dummodo eum quamprimum vocet, ac de omnibus certiorem faciat, in posterumque quidquid ipse praescripserit, servet. Ingravescente morbo, ita ut unius tantum medici judicio facile acquiescendum non sit, quinquot necessarii sint, vocabit, quodque omnes conveniens judicaverint, executioni mandabit. Volumus tamen medicum monasterii his in casibus semper adsistere.

De visitatione infirmorum

§. 182. 5. Bene valentes religiosi cunctis diebus vespere decumbentes visant: hoc ipsum, ut praestent mane, aliquos designabit prior, cum sibi expediens videbitur; ipse autem aut mane, aut vespera hocmet paterna affabilitate praestare debet quotidie, ut ita possit, non solum parentis aspectu filiorum corda exhilarare, sed etiam suis ipse oculis perspicere ac detegere, quid illis necessarium desit, quave charitate, ac sedulitate illis ministretur, et insuper eos, si necessarium fuerit, benigniter moneat, ut saltem per singulas hebdomadas confiteantur defectus, et sacram Eucharistiam recipiant; quod ab omnibus infirmis observari mandamus, quo expurgata conscientia, morbi labor fructuosior reddatur. Si prior aliquando praecipuo huic sui officii muneri satisfacere nequiverit, alium designet, qui ejus vices gerat, et sibi denuntiet, quidquid notaverit.

De poenis contra negligentes in cura infirmorum.

§. 183. 6. Priori generali, et visitatori admodum commendamus, ut si tempore suae visitationis superiorem aliquem deprehenderint negligentem in exequendis, quae circa aegrotos his in constitutionibus statuimus, nulla excusatione paupertatis etiam admissa, severa in eum pro culpae modo animadvertant. Si autem adeo negligens sit, ut ob id subditus aliquis in grave vitae discrimen deveniat, aut (ut nam non sit) sacramentis haud munitus obierit, irremissibiliter gravi poena per tres dies, et suspensione ab officio per annum puniatur.

Quod religiosi in domibus saecularibus minime curentur nisi sub gravi necessitate.

§. 184. 7. In saecularium domibus fratres nostri minime curentur, nisi aliquis ibi subito corripiatur morbo, aut eo indigeat remedio, quod intra monasterium nequeat adhiberi, applicarive, ut sunt in patria naturae commodior aeris afflatus, et thermae, balneave atque mineralis, vel maritimae, vel fluvialis, sed iis uti non poterunt, nisi de licentia definitorii generalis, cui prius constare debet praesertim ex medici conventus testimonio, et prioris, aut alterius religiosi attestatione, tum morbi necessitas, cum indubitata remedii utilitas; quod ut fiat, ad priorem generalem recurrant aegroti tempore ita opportuno, ut certior fieri, definitoriumque consulere possit.

Declaratio ut supra.

§. 185. 8. Eamdem facultatem subditis suis concedat prior immediatus, adhibito consiliariorum consensu, si aliquando hujusmodi remedii necessitas urgeat, at tempus non suppetat ad definitorium recurrendi, ipsi tamen rationem reddet. Praefata remedia, si pluries

experta, nunquam profuisse dignoscantur, tanquam inutilia respuantur.

De usu aquae fontalis.

§. 186. 9. Cum fontalis aqua idem saepe medicamen afferat, quod fluvialis, priores locales suis conventibus idoneum praeparent locum, ubi commode religiosi, quibus medicus hujusmodi remedium praescripserit, illo uti possint, ac omnia ad id eisdem necessaria praebeant.

De loco quo infirmi sunt curandi.

§. 187. 10. Quocumque in conventu religiosus noster in morbum incidat, ibidem curetur, donec satis convalescat, quamvis conventualis non sit ibi, nec illic, nisi obiter pervenerit: neque prior procurationis, aut alimentorum sumptibus aliquid petat a conventu, in quo aegrotus conventualis fuerit. Verum si aliquis de medici consilio a priore generali in alium conventum consulto mittatur, ut ibidem curetur, conventus, ubi conventualis fuerit, expensas curationi proportionatas solvere teneatur. Si quis vero prior aegrotum hospitem a suo conventu discedere cogat, antequam pro necessitate curetur, gravi poena per tres dies, et suspensione ab officio per tres menses plectatur.

§. II.

De hospitibus recipiendis.

De hospitibus recipiendis.

§. 188. 1. Non aegros tantum, sanos itidem respicit hospitalitatis virtus. Quapropter praelatis omnibus localibus praecipimus, sub gravi poena, ut omnes nostri ordinis religiosos hospites, qui legitima superiorum licentia ad eorum pervenerint monasteria, benigne excipiant, eisque omnia necessaria, quandiu ibi fuerint provideant, ac si ipsius monasterii essent conventuales: idcirco singulis hebdomadibus in communi officiorum tabula unus deputetur hospitum minister, cujus muneris sit, eorum pedes abluere, cellas mundare, lectulos sternere, omniaque ipsis necessaria ministrare, et etiam, ut animalibus eorum vectoribus provideatur curare.

De modo recipiendi religiosos ipsius ordinis.

§. 189. 2. Eodem modo se gerant tam praelati, quam hospitum ministri erga religiosos nostri ordinis, alterius congregationis, qui ad suum conventum pervenerint, quio etiam majori illos honore, obsequio, urbanitateque prosequantur, ut fratres, ejusdemque religionis filios, et tam benevalentibus, quam infirmis omnia suppeditent necessaria. Idem, proportione servata, observari volumus erga aliorum ordinum religiosos, praesertim mendicantes.

De onere hospiti congregationis celebrandi sacrum pro intentione praelati.

§. 190. 3. Congregationis nostrae hospites, transacto primo die, sacrum pro intentione praelati, cujus domo hospitantur, offerre debeant, ejusdemque praeceptis, et ordinationibus subjiciantur, ac in omnibus se se gerant, sicut caeteri conventuales. Teneantur insuper sub gravi poena per quinque dies sustinenda, quamcumque pecuniam secum afferant, intra dies octo priori tradere, in arca trium clavium custodiendam. Priori vero praecipimus, ut eamdem pecuniam fideliter custodiat, ipsisque, cum discesserint, integre reddat, sub poena privationis ab officio per tres menses, sub aliisque ad arbitrium infligendis, usque dum omnia restituat.

De dispensatione hospitum a jejunio.

§. 191. 4. Duobus primis diebus religiosi hospites a jejunio ordinis et a communitatis actibus vacabunt: postea ad superioria arbitrium vacent. Qui vero remissionis gratia de prioris generalis, aut definitorii facultate aliquem adierit conventum ab omnibus supradictis sit liber, praeterquam a vesperis, et a matutino primae classis, et totius octavae Corporis Christi, nec non ab antiphona *Salve*, solemnique missa beatissimae virginis, et sabbatis canenda.

De simili dispensatione eorum, qui aliquam facultatem obtinuerunt.

§. 192. 5. Eadem potiantur immunitate, qui dictam facultatem obtinuerint, ut propriis in conventibus animum, viresque reficiant. Priori tamen generali commendamus, ut uni, eidemque religioso hanc vel supradictam facultatem semel tantum in triennio concedat, si justa causa allud sibi aequum non suadeat.

Declarationes speciales

§. 193. 6. Denique religiosi, qui in alium migrant conventum, ut ibi conventuales sint, vel ad proprium regrediuntur, ab omnibus communitatis actibus primo tantum die vacabunt, si quinque leucis iter non sit longius, si autem longius per biduum quiescent. Hoc nequaquam intelligatur de his, qui e conventu in conventum intra eamdem civitatem transmigraverint.

Caput X.

De oratione, aliisque spiritualibus exercitiis.

§. I.

De oratione mentali.

De oratione mentali.

§. 194. 1. Omnibus Christifidelibus (veritas testatur divina) oportet semper orare, et

nunquam deficere. » Quid igitur nobis, quibus dictum: » Die ac nocte in lege Domini meditantes, et in orationibus vigilantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur? » Sed ne subrepat animo (ut assolet) humana fragilitas, operae pretium duximus aliquas praefinire horas, quibus religiosi huic suo praestantissimo religionis muneri ardentius incumbant.

De tempore impendendo in oratione mentali.

§. 195. 2. Statuimus ergo, ut omnes fratres bis in die, mane scilicet per unam horam, vespere similiter per aliam, in unum conveniant locum, ut ibi mentali orationi quiete nimis animum intendant. Hora quinta tum mane, cum vespere finita, prius facta cymbali pulsatione, incipiet hic communitatis actus, excepto hyemis tempore, a festo, scilicet, omnium Sanctorum ad Cinerum usque diem exclusive, in quo mane hora sexta fieri volumus. Fratres omnes in Domino hortamur, ut audito primo signo, omnibus aliis occupationibus dimissis, ad orationem sedulo accedant.

De loco in quo oratio mentalis sit facienda.

§. 196. 3. Fiat autem haec communis oratio in choro, aliove loco ad quietem magis idoneo, ubi postquam fratres convenerint genibus flexis, divinam implorabunt gratiam, recitando antiphonam, « *Veni Sancte Spiritus* » quam inchoabit praesidens addendo postea orationem, « *Deus qui corda etc.* Deinde ex designato libro ad utiles cognitiones suggerendas idoneo, aliquid devote legatur; qua lectione ad praesidentis signum finita, omnes in spiritu, et veritate, erecta ad Deum mente, silentes orabunt. Completa hora, praesidens incipiens, quem prosequitur chorus, recitabit antiphonam « *Sub tuum praesidium*, » et postea ipse solitam orationem « *Protege Domine* » cum aliis duabus ad ejus arbitrium; sicque terminetur mentalis oratio.

Exemptiones a mentali oratione.

§. 197. 4. Singulis anni diebus haec statuta oratio habeatur; at matutinam omitti volumus in vigilia, dieque Nativitatis Domini, in die solemni Paschatis, et in illis, quibus capitulum fit conventuale. Vespertina autem oratio cessabit in die Epiphaniae, in feria quarta, quinta, et sexta majoris hebdomadae, et cum post prandium habeatur concio, cui communitas debeat interesse.

Quod abstinere a mentali oratione nemo possit, nisi de licentia superioris.

§. 198. 5. Ab hoc communitatis actu neminem absolutum esse permittimus, nisi qui de superioris mandato legitime sint impediti, et qui actualiter convalescunt, quos a matutina oratione, loco, et tempore designatis absolvi volumus. Qui vero habitualiter carnibus vescuntur, ad superioris arbitrium tantummodo, et pro eorum necessitate liberi sunt. Omnes autem, qui chorum adire nequeunt, in Domino hortamur, ut maxime curent, ut suis in cellis tempore, et modo sibi commodo orationi incumbant, nullus enim morbos impedire valet, quod Deo mente vacare possimus.

Monitum ad superiores circa orationem mentalem.

§. 199. 6. Deinde immediatis superioribus valde commendamus eorum conscientiis onus imponentes, ut sine gravi causa religiosos ab assistentia orationi alio non distrahant; neque tempore eidem definito cum extraneis loquendi facultatem concedant, nisi raro, et cum prudenter omitti non possit. Religiosi vero, qui de superioris licentia cum saecularibus loquantur, adveniente orationis tempore, urbane eos dimittant, ac, ubi cymbalum sonuerit, ad chorum pergant, nisi res ea sit, quae discedendi locum non praestet, de quo postea superiorem conscium reddent.

§. II.

De oratione vocali.

De oratione vocali.

§. 200. 1. Omnibus choro addictis praecipimus religiosis, ut quotidie horarum canonicarum pensum devote persolvant juxta ritum Sanctae Romanae Ecclesiae, modumque in caeremoniali nostro explicatum. Vesperae semper tunc continuo, quando secunda praeterierit hora post meridiem recitabuntur, exceptis diebus jejunii quadragesimae in quibus ante conscientiae examen prandium praecedens prope meridiem recitari debent. Completorium vero quovis tempore statim post coenam, aut collationem recitandum, diebus extraordinariae coenae post vespertinam persolvi recreationem volumus.

De recitatione matutini.

§. 201. 2. Matutinum media nocte perpetuo persolvatur, nisi Ecclesiae, aut ordinis obstet consuetudo. Ideo hic non venit intelligendum matutinum in triduo majoris hebdomadae, in festis Paschae, et Pentecostes cum tribus sequentibus diebus, in festo sanctissimi Corporis Christi, et per octavam, in festo sancti Stephani protomartyris cum tribus sequentibus, in die Circumcisionis, et Epiphaniae Domini, in diebus sanctissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo, ejusdemque assumptionis, et sanctae matris Theresiae; at in his

tribus ultimis praebabita dumtaxat media orationis hora, sicut in festo Corporis Christi, et tandem diebus omnibus in quibus ob causas capite quarto §. 1. numero 3. relatas communitas e conventu fuerit egressa, vel extraordinarius occurrat casus, quo dumtaxat gravi ipsius incommodo praedicta possit hora choro interesse. His in casibus illico post completorium, vel immediate ante orationem sequentis diei matutinum volumus persolvi.

De recitatione horarum. §. 202. 3. Hora prima toto anni tempore continuo post matutinam orationem recitabitur. Tertia ante conventualem missam, cui immediate succedent sexta, atque nona. Cum vero ob magnam populi frequentiam conventualis anticipetur missa, extemplo post orationem matutinam omnes hae recitabuntur horae minores.

Hortatio ad fratres circa horarum canonicarum diligenti recitatione. §. 203. 4. Fratres hortamur, ut primo audito signo sine mora ad horas canonicas persolvendas in chorum conveniant. Qui pulsatione finita non venerit poena levis culpae puniatur. Si consuetudini subjectus, gravis culpae poenae erit obnoxius. Si vero matutino non interfuit, sequenti die super terram comedat absque piscibus, sive eo quod earum loco communitati ministratur.

Aliud monitum generale circa recitationem officii. §. 204. 5. Hortamur etiam, ut in divini officii recitatione non celeriter, sed servatis moralis, aut intervallis, pro solemnitatum diversitate majoribus, vel minoribus, attente, ac devote se gerant. Quae ut accurate serventur, decernimus, ut vespere simul cum litania beatissimae Virginis, quae de more tunc recitari debet, usque ad horae quadrantem cum dimidio protrahantur. In completorio unius quadrantis tantum tempus teratur, a recitationis initio computandi, quod et intelligi debet in aliis horis circa temporis computandi rationem.

De tempore insumendo in recitatione matutini. §. 205. 6. Matutinum in communibus festis duplicibus, aut semiduplicibus, nec non in feria quarta, et sabbatho horam usque protendetur: in aliis vero feriis, diebusque, quibus communitas dividetur, usque tres horae quadrantes: at in dominicis per annum usque quinque fere horae quadrantes. In uno absolvatur prima, in duobus vero absolvantur reliquae tres horae minores.

De officio parvo b. M. virginis. §. 206. 7. Officium parvum beatissimae Virginis Mariae die, modoque a caeremoniali praescriptis recitabitur; quod licet devote, minori tamen cum pausa persolvi volumus, sicut etiam officium defunctorum.

Quomodo in actibus communitatis religiosi se gerere debeant §. 207. 8. In communitatis actibus graviter, ac modeste religiosi se gerant; nec prius ab illis umquam discedat aliquis, quin exeundi causam praesidenti significet, veniamque more solito obtineat. Siquis vero post inceptum actum pervenerit, signum flexis genibus ab ipso praesidente expectabit.

De religiosis sacris ordinibus nondum initiatis. §. 208. 9. Religiosi choristae sacris ordinibus nedum initiati, qui choro adsistere non possint, privatim officium recitabunt, sicut regula praecipit; laici, ut ipsa praescribit, precum suarum pensum quotidie solvant. Insuper diebus festivis matutino et vesperis in choro interesse teneantur, ac omnia tunc temporis obire munia, quae religiosos choristas divino ab officio avocare poterunt. Aliis vero diebus, ab horisque canonicis facilius poterit prior illos absolvere, si prudens id suadeat ratio, inspectis eorum viribus, et occupationibus: attamen vacationem ab oratione mentali numquam, nisi gravi de causa permittat.

De poenis contra religiosos professos divinum officium non persolventes. §. 209. 10. Siquis religiosus post emissam professionem divinum non persolverit officium, et de hoc satis fuerit convictus, aut vehementer suspectus, in carcerem statim conjiciatur, in eoque juxta gravitatem delicti ad arbitrium prioris maneat.

§. III.

De iis, quae cum cantu celebrari debent.

De iis, quae cum cantu celebrari debent. §. 210. 1. In solemnioribus festivitatibus divinum officium cum cantu celebrari volumus; quamobrem statuimus ut vesperae, tum primae, cum secundae canantur in solemnitatibus primae et secundae classis Ecclesiae, aut ordinis prout in nostro novo caeremoniali notatur. Caeterum si justa ratione praedictarum nunc hora praescripta transferatur, cantus praetermitti debeat.

De completorio. §. 211. 2. Completorium nunquam canendum, canenda tamen semper antiphona finalis beatissimae Virginis, nisi de feria fiat officium, vel eo die antiphona, *Salve Regina* cantetur solemniter, quod fieri de mora volumus singulis anni sabbatis, et in festis ejusdem beatissimae Virginis, prout in caeremoniali cavetur.

De laudibus et matutino cum cantu celebrandis. §. 212. 3. Statuimus etiam simul cum laudibus matutinum cum cantu celebrari in solem-

nitate Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Paschae, et Pentecostes, in triduo majoris hebdomadae, in festo sanctissimi Corporis Christi, in commemoratione solemni beatissimae virginis, et matris nostrae Mariae de Monte Carmelo, ejus assumptione, et in festo sanctae matris nostrae Theresiae.

De matutino Conceptionis B. M. Virginis, aliove ritu primae classis.

§. 213. 4. In matutino Conceptionis sanctissimae Virginis, aliove ritu primae classis celebrato (excipiatur ecclesiae dedicatio) canatur tantum invitatorium cum hymno sequenti, et *Te Deum laudamus*, et in laudibus a capitulo usque ad finem, atque ad horam cum dimidia producatur. Idem servetur in matutino Circumcisionis, dulcissimi nominis Jesu, septem dierum infra octavam Corporis Christi, sanctissimae Trinitatis, inventionis sanctae Crucis, nativitatis, purificationis, et annuntiationis beatissimae Virginis, sanctae Annae, sancti Joachim, et denique sancti Bartholomaei, quo die auspicatissime incoepit nostra Carmeli reformata religio anno Domini 1562.

De caeteris festis secundae classis.

§. 214. 5. In caeteris secundae classis festis *Te Deum* dumtaxat praecipimus cantari, quae, hora completa, cum quadrante ad exitum perducantur. Prima cum cantu fiat in vigilia nativitatis Domini: tertia in die Pentecostes, et in singulis dominicis, festisque diebus, quibus missa conventualis hora consueta canenda sit. Nona autem in die Ascensionis.

De missa conventuali.

§. 215. 6. Conventualis missa cum cantu celebrabitur in dominicis, festisque diebus de praecepto, vel ex consuetudine vim praecepti habente; fiet autem hora competenti prout cautum est in caeremoniali; in eaque tres horae quadrantes cum dimidio praeteribunt. Idem servetur in diebus ab ecclesia vel ordine ritu primae classis celebratis, in die sancti titularis, et in diebus secundae classis, in quorum matutino invitatorium cantari debeat, et laudibus a capitulo usque ad finem: Idem etiam in die Cinerum, feria quinta, et sabbatho majoris hebdomadae. Diebus in quibus missa non cantetur, recitetur post tertiam, eidemque communitas adsistere teneatur.

De missa votiva B. Mariae Virginis celebranda.

§. 216. 7. Singulis anni sabbathis, praeterquam in majori hebdomada, diequo Nativitatis Domini, statim post primam aut tertiam, prior per se, vel ipso impedito, per alium ex dignioribus, votivam missam de beatissima Vergine cum cantu celebrabit, additis commemorationibus Spiritus Sancti, et sancti Joseph juxta antiquissimum ordinis morem ab Alexandro VII. approbatum; nullumque stipendii pro hac missa accipiet prior, sed pro reformationis nostrae, et incremento omnino illam applicabit.

Exceptiones peculiares.

§. 217. 8. Si vero sabbatho occurrat festum ejusdem beatissimae Virginis, vel aliud, ob quod conventualis missa cantari debeat, ipsa definito supra tempore canatur, sed semper, ut fertur, applicetur. Quod si votum aut alia causa occurrat dictam applicationem impediens, secunda ad hunc finem canenda erit; aliter haudquaquam.

De missa qualibet sabbatho audienda.

§. 218. 9. Omnes fratres, quaecumque tandem eorum occupatio sit, aut dignitas, huic sabbathi missae adsistere teneantur; etiam si cum de eorum agitur officiis, nulla de hoc mentio fiat. Quod similiter intelligi volumus de solemni antiphona, *Salve regina*.

De cantu Gregoriano adhibendo.

§. 219. 10. Cum omnes ferme ecclesiae chori Gregoriani cantus delectum habeant, eumdem et nos in choris nostris ad omnia, quae canenda sint, deligere debemus; atque in iis canendis ea temporis mora servanda, quae ut devota et religiose fiant, magis congrua existimetur, attenta horarum, solemnitatumque diversitate. Praelatis autem praecipimus, ut omni cura haec servari, at negligentes corrigere studeant.

§. IV.

De conscientiae examine, communi flagellatione, aliisque exercitiis ad spiritus renovationem spectantibus.

De examine conscientiae.

§. 220. 1. Statuimus, ut religiosi nostri bis in die per semiquadrantem conscientiae examini vacent; mane ante prandium, et vespere, dicto completorio, vel post flagellationem. Ad hoc omnes in chorum conveniant, et genibus flexis conscientiae disquisitioni incumbant.

De verberibus ad flagellationem adhibendis.

§. 221. 2. Ut culpas per quotidianum examen in se ipsis agnitas fratres poenitentiae vindicta deleant, et pro Ecclesiae pace, regis nostri, regnique prosperitate Deum exorent, ipsique placationis hostiam offerant, tribus cujusvis hebdomadae diebus, feria scilicet secunda, quarta et sexta post completorium, in aliquem convenientes locum se unusquisque verberubit, quandiu cantetur psalmus *Miserere* cum antiphona *Christus etc.* et tribus orationibus,

Respice, *Protege*, et tertia pro rege, quas praesidens canere debet; uti etiam psalmum et antiphonam inchoabit. In hebdomada vero majori ad melius imitandam passionem, ejusque memoriam recolendam unusquisque se flagellabit, quamdiu praedictus psalmus ter cantetur cum antiphona *Christus*, et unica in fine oratione *Respice*.

Quod verberatio in feriis primae classis suspendatur.

§. 222. 3. Si in supradictis feriis primae classis festivitas occurrat, postridie verberatio fiat. In vigilia autem, et die nativitatis Domini cum tribus sequentibus, ac etiam Circumcisionis, et Epiphaniae, et feria secunda Resurrectionis, et Pentecostes, et in die sanctae matris nostrae Theresiae verberatio absolute omittatur.

De sententia canenda excerpta ex meditationibus.

§. 223. 4. Absoluto post completorium conscientiae examine, omnes fratres cellas repetant, elapsaque brevi temporis morula, religiosus junior, vel alius a superiore designatus in singulis monasteriis dormitoriis piam aliquam cantabit sententiam, ex meditationibus, aut mysteriis eo tempore occurrentibus excerptam, quae religiosorum corda ad superna possit erigere; et sic cujusque diei pensis finem imponent.

De peculiaribus piis exercitiis.

§. 224. 5. Praeterea cum tot inter hujus, quamvis haud parum austeræ vitae solicitudines religionis munera obeunda propemodum impossibile videatur, quod mentes carnis fragilitate depressae paulatim ad terrena non dilabantur, religiosos omnes tum subditos, cum praelatos in Domino hortamur, ut quotannis per diem decem solitudini vacent, ab omnique etiam domesticorum commercio separati, spiritus tantum instaurationi intendant.

Declarationes circa eos, qui exercitia dirigunt.

§. 225. 6. Qui in hujusmodi degerint exercitiis, omni officio erunt immunes, et communitatis actibus, praeterquam matutino, oratione mentali, verberatione, et refectorio. In caeteris autem (silentio ac solitudine exceptis) sicut alii se gerant, nec alias, praeter consuetas mortificationes in refectorio exerceant.

De renovatione votorum in festo Epiphaniae.

§. 226. 7. Tandem, ne temporis injuria vocationis ardor tepescat, omnes fratres in Epiphaniae festo vespertinae orationis tempore in chorum conveniant, ibique juxta antiquissimum ordinis morem, solemnem professionem innovabunt, eadem vota denuo toto cordis affectu Domino offerentes, cui per illa se sponte dicarunt. Observent etiam alia, quae de perutili hoc actu in manuali sunt praescripta.

Caput XI.

De sacramentis conficiendis, recipiendisque.

§. I.

De sacrosancto missae sacrificio.

De sacrosancto missae sacrificio.

§. 227. 1. Quemadmodum enim per mentalem orationem, ita et intimius per dignam sanctissimi corporis Christi receptionem Deo unimur, statuimus, ut religiosi sacerdotes, nisi morbo, aliave rationabili causa sint impediti, sacrosanctum missae sacrificium quotidie devote, debitaque puritate celebrent, sub poena jejunii in pane, et aqua, sine licentia prioris omittentibus applicanda. Religiosi non sacerdotes, et novitii quotidie etiam privatam audient missam, praeter conventualem, quae hora competenti celebretur cum cantu, vel sine illo prout capite decimo §. 3. num. 8. stabilivimus.

De ritu in missa servando.

§. 228. 2. Sacerdotes nostri Ecclesiae ritum, prout in rubricis missalis Romani praecipitur, et in coeremoniali nostro continetur in missarum celebratione observent, in qua brevius tertia horae parte tempus terere nequeant juxta praescriptum a Benedicto XIII. in concilio Romano cap. 3. Si quis autem nimis festinanter, aut sine devotione celebraverit, vel mala ex consuetudine coeremoniam aliquam praetermiserit, graviter ad prioris arbitrium puniatur, ipsique non permittatur publice celebrare, usquedum perfecte corrigatur.

De applicatione missarum.

§. 229. 3. Religiosi sacerdotes quotquot in conventu fuerint, sive conventuales, sive hospites, quas celebraverint missas juxta praelati intentionem applicabunt. Id ipsum quamdiu extra conventum fuerint, praestabunt; praeterquam cum levaminis gratia de ipsius praelati, vel prioris generalis, aut definitorii licentia in consanguineorum domum, aut aliam similem locum se conferant: tunc enim toto recessus tempore, et primo a regresso die, pro quibus sibi placuerit sacrum facere permittimus. Quacumque tamen causa extra conventum sint, si de religiosi cujusque obitu ad illos pervenerit nuntius, teneantur quam primum pro illius anima sacra persolvere, quae his constitutionibus praecipiuntur.

De numero missarum accipiendo.

§. 230. 4. Nullus superior plures numero missas accipiat simul quam, quae a sui conventus sacerdotibus intra tempus a jure praescriptum, vel a vnluntate eleemosynam largientis statutum celebrari possint. Prior generalis, aut visitator suae visitationis tempore in perfectam hujus constitutioois expletionem seduln inquirere, et meritas poenas delinquentibus imponere; quod ut facilius deprehendatur, decernimus, ut in arca trium clavium quidam asservetur liber, ubi coram consiliariis quotquot, et acceptae, et satisfactae fuerint missae, scribantur. Si vero prior generalis, aut ejus vicemgerens hanc remissius inquisitionem exequatur, a generali capitulo severe puniatur, et postqnam praefecturam absolverit, voce activa, et passiva per tres menses privetur.

De testimonio praebendo capitulo generali super implemento onerum missarum.

§. 231. 5. Teneatur etiam quisque consiliariorum socio, qui a suo conventu ad generale capitulnm iverit, juratum testimonium tradere, ex quo coram capitulo patescat, utrum soluta, an vero solvenda maneant onera missarum omnium, sive legatorum, sive manualium, ad id usque temporis in monasterio accepturum, proindeque congruat istius priorem absolutum, aut punitum dimittere.

§. II.

De communione, et confessione fratrum.

De communione, et confessione fratrum.

§. 232. 1. Dominicis diebus, et feria quinta novitii, fratresque non sacerdotes sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumant de manu sacerdotis sacrum facientis, qui in domibus novitiatus, aut recens professorum erit magister, aut ejus loco socius; in aliis vero subprior aut aliquis a priore designatus. Laudabilem consuetudinem non improbamus in conventuali missa communicandi, immo valde commendamus, utpota fidelium exemplo non parum inservientem.

Declarationes speciales.

§. 233. 2. Habdomadibus illis, in quibus festum primae, aut secundae classis Ecclesiae sive ordinis venerit celebrandum, vel pontificia impertiatur benedictio, in ipsum diem una ex communibus transferatur. Feria quinta autem in coena Domini religiosi omnes, etiam sacerdotes de manu praelati sacrosanctum Christi Corpus accipiant.

Monitum salutare.

§. 234. 3. Omnes autem cum apostolo monemus, ut se ipsos probent, antequam ad divinam mensam accedant, et per poenitentiae sacramentum animas extergere curent, cujus fructum, ut uberius percipiant, prodest, praecipue novellis (experientia docente) non arbitrarios, sed certos, e a praelatis designatos confessarios habere.

De iis qui confessiones audire valeant.

§. 235. 4. Quamobrem decernimus, ut in domibus novitiorum, eorum confessiones, caeterorumque sub magistri disciplina adhuc degentium, nemo audire praesumat, nisi magister ipse, ejusque socius, vel alius etiam ex dignioribus, et doctioribus communitatis, magistri judicio a priore designandus. In domibus recens professorum magister, et subprior, vel alius etiam a priore declaratus. In collegiis subprior, et quilibet ex lectoribus. Poterit tamen prior (et quidem oportet) in solemnibus festis, multotiesque alios ex dignioribus subrogare. Superiores praelati in tota congregatione, et prior in suo conventu possint, et debeant hujusmodi confessiones excipere, quoties ipsi fratres sponte id flagitaverint.

Similis ut supra.

§. 236. 5. Decernimus secundo, ut laici, qui sub disciplina magistri non sunt, et sacerdotes, licet collegiales possint intra conventum peccata sua aperire cuilibet ordinis confessario approbato, minime vero simplici (etiam ordinis) sacerdoti, neque extraneo saeculari, aut regulari, quamvis approbatus sit. Cum vero extra conventum degunt, cuivis approbato sacerdoti domestico, vel extraneo pandere culpas possint: si nullus adsit approbatus, simplici ordinis sacerdoti confiteantur.

§. III.

De ordinum receptione.

De receptione ordinum.

§. 237. 1. Res omnium maxima est, ad altare, nonnisi dignos ministros deligere. Idcirco praecipimus, ut nullus fratrum ad ordines promoveatur sine prioris generalis facultate, et quin prius ejus capacitas constet, quoad mores, per secreta conventualis capituli suffragia; quo ad scientiam vero ex sententia immediati superioris, primi consiliarii, et alicujus tertii a priore generali electi, quae omnia in libro ad id designato notabuntur. Superiores, qui secus fecerint, aut permiserint, ex officio per tres menses amovebuntur. Eidem poenae erunt obnoxii, si ad subdiaconatum, aut diaconatum promoverint religiosum aliquem, qui duos, et

ad presbyteratum, qui tres a professione annos nondum expleverit.

De primo sacro non faciendo nisi praemissa approbatione.

§. 238. 2. Nullus extra, aut intra ordinis conventum primum sacrum faciat, quin a caeremoniarum magistro immediato superiore, primoque consiliario probatus sit, et exinde per dies decem spiritualibus exercitiis incumbat. Nullusque extra conventum primum ipsum sacrum celebret.

Caput XII.

De confessariis, et concionatoribus.

§. 1.

De confessariis.

De confessariis.

§. 339. 1. Quia animarum salus a confessariis maxime pendet; prior generalis, ad quem confessariorum literas spectat exhibere, morum innocentia, doctrinaeque integritate ornatos huic muneri praeficiat; praecedente conventualis capituli quoad mores, triumque examinatorum ab ipso generali deputatorum, quoad scientiam approbatione.

De licentia episcopi exquirenda pro audiendo confessione saecularium.

§. 240. 2. Qui ita approbati patentes confessariorum literas consequantur in quolibet congregationis nostrae monasterio nostrorum religiosorum possint confessiones excipere; minime vero saecularium, sine dioecesani episcopi, aut archiepiscopi licentia; qua tamen quantumvis generalis sit, oti non poterunt quo ad mulieres, nisi tertium supra trigesimum aetatis annum inceptum habuerint, insimulque facultatem a priore generali acceperint; prioribus exceptis, quibus de hinc hujusmodi facultatem impertimur.

De examine subeundo a confessariis.

§. 241. 3. Ne notum in studiis remisse se gerant, statuimus, ut confessarii omnes in secunda cujusque triennii visitatione theologiae moralis examen subeant coram priore generali, aut visitatore, simul cum immediato superiore, et duobus aliis examinatoribus a visitatore designatis, qui omnes per secreta suffragia de cujusque habilitate, at scientia judicium ferant.

De restitutione patentalium literarum facienda ab iis, qui non fuerint iterum approbati.

§. 242. 4. Qui in hoc examine approbati non fuerint a majori suffragiorum numero, patentes literas sibi ante concessas visitatori tradent (qui easdem petere haud negliget) nec deinceps confessiones excipiant; donec alio approbentur examine; et si aliter fecerint, severe ad arbitrium ejusdem superioris puniantur. Vetitum enim est ipsis, atque propterea illicitum quascumque saecularium, vel regularium confessiones excipere, quin prius novam obtineant approbationem etsi ab ordinariis facultatem habuerint.

Qui ab examine sint exempti.

§. 243. 5. A praefato examine immunes esse volumus praelatos superiores, et lectores, qui pro tempore fuerint, vel antea fuissent, et illos, qui de re morali controversias pro tempore, vel per annos novem antea id ipsum exercuerint. Priores etiam dum sua exerceant officia; minime vero postea nisi per duplicem triennium illa absolverint. At si quis ex ipsis adeo parum studio vacaverit, ut credi haud tamen possit necessaria destitui scientia, poterit generalis prior, etiam post triennia perplura illum ad examen vocare.

De iis qui ad confessarii munus exercendum inhabiles facti sunt.

§. 244. 6. Qui ex culpabili negligentia, vel prava otii cupiditate ad confessarii munus exercendum inhabilem se reddiderit e conventu ne prodeat, donec habilis reddatur, officia aliis communia saepius obeat, nec nisi raro, et perurgenti casu, facultas inviseodi patriam, vel alium locum ei concedatur.

De controversiis moralibus habendis ad munus confessarii bene obeundum.

§. 245. 7. Et ut nullum desideretur medium, quoad confessariorum munus se se habiles reddant, praecipimus, ut singulis conventibus, praeter eremum theologiae moralisque collegium, quadam uniuscujusque hebdomadae die prioris arbitrio designanda, vespertino tempore per sesqui horam controversiae habeantur morales, quibus intersint religiosi choristae, iis exceptis, qui praelati superiores antea fuissent; lectoribus cum suis collegialibus, magistrisque novitiorum, et recens professorum cum suis discipulis.

De praesidibus controversiarum moralium.

§. 246. 8. A priore generali eligantur harum controversiarum praesidentes prudentia, et doctrina apprime exculti, qui perspicuitate, qua poterunt, unius, vel plurium quaestionum plus utilitatis confessariis afferentium fundamenta exponant, probabiliores ad improbabilibus secernant, ac amplectantur opiniones, et demum religiosorum dubiis, objectionibusque satisfaciant. Quo autem religiosi exponendas quaestiones perpendant, teneantur praesidentes ipsas in tabella scribere, et per aliquot ante disceptationem dies publico in loco appendere.

De casibus verbo, et scripto resolvendis.

§. 247. 9. Teneantur praeterea conscientiae casus verbo, aut scripto sibi propositos resolvere; et controversias, quibus praesederint scribere, easque visitationis tempore priori generali, aut visitatori exhibere, una cum exemplaribus notabilium consultationum, quas scripto vulgarunt. Ideo volumus hujusmodi praesidentes eodem, quo lectores, modo a communitatis oneribus sint immunes, praeter matutinum primae, et secundae classis universalis ecclesiae, et ordinis vesperas omnes, et completorium, quod immediate orationem subsequitur, vel matutinum, cui interesse debeant, praecedit.

Quod nullus religiosus mulierum confessiones excipiat nisi in confessionali.

§. 248. 10. Nullus religiosus mulierum confessiones excipiat, nisi in confessionali, in quo sint duae laminae aereae exiguis foraminibus perforatae, vel saltem una cum velo clavis fixo: sintque, quantum fieri poterit, ipsa confessionalia undique occlusa, et praeter confessionis tempus sub clave maneant.

De requisitis necessariis, ut monialium confessiones recipi possint.

§. 249. 11. Nullus etiam monialium nostrarum confessiones excipere poterit, quin prius, praeter alia ex jure requisita, et salvo episcoporum jure circa approbationem hujusmodi confessariorum, juxta canonicas sanctiones, quin cum supra trigesimum aetatis annum inchoaverit, specialemque habeat facultatem a priore generali in scripto exhibitam, quae respectu aliarum monialium servari praecipimus. Nemini etiam liceat monialibus quibuscumque adhuc extra confessionale loqui, nisi aut mater sit, aut soror, vel praefatam obtineat licentiam, salvo etiam quoad hoc episcoporum jure. Excipimus superiores praelatos pro tempore, et in posterum, et priorem localem: quippe illi totius congregationis monialibus loqui, earumque confessiones audire poterunt; iste vero illius tantum monasterii, cujus sibi cura demandata est.

Quod confessarii monialium clausuram ingredi minime possint.

§. 250. 12. Cujuscumque dignitatis, aut conditionis sit monialium confessarius clausuram ingredi minime poterit, nisi in gravi, evidentique necessitate; videlicet ut sacramenta ministret iis, qui nullo modo ad confessionale, vel communitatis fenestram accedere valent; et tunc alio comitatus religioso, a quo nunquam discedet, nisi quantum, ne audiatur, opus fuerit. Qui secus fecerit, poena plectatur suspensionis ab officio per sex menses, si praelatus sit, si subditus privationis vocis, et loci per idem tempus. Poena tamen gravi puniantur, si ambo non recta ad id tendant, cujus gratia ingrediantur; vel ipso peracto continuo non egrediantur, qui moras trahant, vel alio divertant, nec etiam ut alterius monialis similí causa non impeditae confessionem excipiant.

De poenis contra eos qui pernoctaverint in monasteriis monialium.

§. 251. 13. Sub eadem poena nemini liceat intra monialium clausuram pernoctare, praetextu etiam aegrotanti, quae in mortis articulo videatur constituta, adsistendi, nisi vere morti proxima, illo egeat pietatis officio, quod erga morientes exerceri solet: ubi autem expiraverit, absolutoque solito responsorio, statim exeant, et aliqua honorabili persona associati domum redeant; quod si commode non possit fieri, in sacristia, vel alio decenti loco, usque dum lucescat maneant.

De electione confessariorum monialium a definitorio facienda.

§. 252. 14. Non prioris generalis, sed definitorii erit monialium confessarios, sive ordinarios, sive extraordinarios, deligere; illique valde commendamus, ut ex religiosis, qui aetatem expleverint, legant literis, et virtutibus praestantiores. Si autem definitorium suo pro tempore munere jam functum fuerit, ejusque membra ab se segregata, et gravis sit causa, ut aliquis denuo sit eligendus, generalis prior per epistolas consulat definitores singulos, et de consensu duorum saltem, illud ei tribuat munus, qui aptior sibi videbitur, donec definitorium iterum congregetur, et coram illo rationem reddat, ut quod visum fuerit expedire, maturius in posterum definiatur.

De electione confessariorum monialium.

§. 253. 15. Confessores ordinarii monialium, confessiones illarum audiant, quoties ipsae teneantur confiteri. Extraordinarii quater aut quinquies in anno, quorum unus semel saltem extraneus eligatur, saecularis, aut regularis juxta constitutionem Benedicti XIV.

Monitum ad confessarios.

§. 254. 16. Omnes autem tam saecularium, quam monialium confessarios monemus, et per Dominum obsecramus, ut sacris profana non immisceant ex spirituali poenitentium directione occasionem capientes, ut temporalia eorum pertractent negotia, ut ipsorum procuratores, aut oeconomos se gerant, vel ut temporale aliquod inde sibi, aliisve lucrum reportent. Qui secus fecerit, si semel, et iterum monitus non resipiscat, a confessariorum numero arceatur.

§. II.

De concionatoribus.

De concionatoribus.

§. 255. 1. Decernimus, ut concionatorum

munus iis dumtaxat injungatur, qui in sacrae scripturae, sanctorumque patrum lectione sint apprime versati, ac theologiae scholasticae, sacrorumve canonum studiis per duos saltem annos operam impenderint; de quibus periculum fiat, et etiam quoad mores, eodem modo, eodemque tempore, ac pro excipiendis confessionibus.

De modo obtinendi, et exercendi munus hujusmodi

§. 256. 2. Religiosis propterea, quibus patentes confessarii literas prior generalis exhibuerit, praebeat simul concionatoris, si praehabito examine, idonei reperiantur, et impedimento aliquo non afficiantur: nemo tamen hoc munus exerceat, quin prius juxta Tridentini sanctionem se se ordinario praesentet, ab eoque facultatem obtineat.

Monitum ad concionatores

§. 257. 3. Omnibus autem injungimus, ut in hoc ministerio, ut veri Christi Jesu ministri se se exhibeant semper omni tempore et loco. Divinum verbum pure, et sincere praedicent, non ad suam, sed ad Dei gloriam aspirantes, non suo, sed eo sensu, et spiritu, quo a sacris literis, divina, et ecclesiastica traditione, sanctorumque patrum interpretatione nobis commendatum fuit. Prima religionis, et moralis principia, quoties oportuerit, clare, et solide exponant, ab inutilibus, fabulosisque narrationibus abstinentes. Denique vitia increpent, personas minime laedant, quod proprium est evangelizantium pacem. Qui horum aliquid neglexerit, severe puniatur.

De examine ab ipsis praebendo.

§. 258. 4. Hoc autem, ut ad finem melius perducatur, ordinamus, ut concionatores, qui ab examine theologiae moralis non sunt immunes, tertia cujusque triennii visitatione examinentur etiam de eis, quae ad concionandum requiruntur a priore generali, vel visitatore, qui praeterea inquirere debebit, utrum recte, neve, suo muneri satisfecerint; indignosque ab exercitio removere, dignos vero ad opus feliciter incoeptum identidem prosequendum excitare.

De concionibus habendis.

§. 259. 5. In omnibus congregationis nostrae monasteriis concio habeatur in commemoratione solemni beatissimae Virginis, et matris nostrae Mariae de monte Carmelo, sancti vel cujusvis conventus titularis, sancti Joseph protectoris nostri, ac ejus patrocinii, sanctorum parentum nostrorum Eliae, Theresiae, ac Joannis a Cruce festivitatibus; in dominica infra octavam Corporis Christi; feria quinta in coena Domini statim post pedum lotionem, et denique aliis diebus, quibus immediatus superior aequum judicaverit. Praeterea singulis mensibus domestica exhortatio haberi poterit in conventibus, ubi sint confraternitas scapularis, et tertiarius ordo beatissimae Virginis de Monte Carmelo, vel quodlibet ex his.

De exemptionibus concionatoribus dandis.

§. 260. 6. Concionatores per tres dies ante, et per totidem post quamlibet concionem a communitatis oneribus eximantur, oratione mentali excepta. Si vero per novenos dies conciones habeant, vel omnibus quadragesimae Dominicis, ad laboris mensuram, erit exemptio a praelato concedenda; dummodo per totam quadragesimam, aut majorem ejus partem extra monasterium eos immorari non sinat.

Caput XIII.

De suffragiis pro defunctis.

De suffragiis pro defunctis

§. 261. 1. Sancta, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur. Ea propter fratres omnes in primis hortamur, ut cum vel ad Deum orant, vel meritorium aliquod opus agunt, animarum in purgatorio detentarum recordentur, praesertim fratrum, et benefactorum nostrorum.

De modo servando in commemoratione defunctorum.

§. 262. 2. Deinde praecipimus in omnibus conventibus solemnem Ecclesiae commemorationem fidelium defunctorum celebrari sequenti modo. In pervigilio, vesperis divini officii recitatis, continuo (si die sequenti non occurrat dominica) officii defunctorum vesperae solemniter canantur. Sequenti die matutinum, et laudes eadem solemnitate fiant, at cantu orationis matutinae loco, et tempore; missa conventualis hora solita, et tandem processio. Idem observetur in defunctorum ordinis commemoratione; insuperque pro ipsis offerant religiosi quot missas eo die celebraverint.

De processione et missa quavis hebdomada habenda.

§. 263. 3. Feria secunda cujusque hebdomadae non impedita singulis conventibus processio habeatur, et una missa privata offeratur pro omnibus congregationis nostrae defunctis, et benefactoribus. Si autem ob Ecclesiae ritum processio aliquando omittatur, aut transferatur, missam neque omitti, neque transferri volumus. In his omnibus serventur, quae in manuali, et caeremoniali praescribuntur.

De officio defunctorum recitando.

§. 264. 4. Praeterea singulis conventibus, nullo excepto, quotannis tria integri officii defunctorum cum vesperis ternaria recitentur, et

totidem offerantur missae. Primum tribus ordine continuis diebus, vel interruptis, Epiphaniae inter absolutam octavam, et Purificationem beatissimae Virginis pro religiosorum nostrorum, ac monialium animabus. Secundum octavam inter Resurrectionis expletam, et Ascensionem pro animabus consanguineorum, et amicorum nostrorum, ac eorum omnium, quorum corpora nostris in ecclesiis sepulta sunt. Tertium denique finitum inter sancti Michaelis festum, et omnium Sanctorum festum pro animabus benefactorum nostrorum, ac eorum, qui ab ordine fraternitatis literas acceperunt.

De tumulis erigendis pro sepultura defunctorum.

§. 265. 5. Statuimus praeterea, ut in unaquaque nostrarum domorum peculiare designetur sepulchrarium locorum spatium a saecularium tumulis separatum, in quo religiosorum sepeliantur cadavera, nulla immoderata pompa, nullioque subditos inter, et praelatos discrimine; sed omnia fiant in sepeliendi modo, sepulturaeque officiis, prout in caeremoniali praescribuntur. Prior, qui secus fecerit, aut fieri permiserit, per menses duos ab officio privabitur.

De notitia obitus religiosorum danda.

§. 266. 6. Sub eadem poena teneatur de obitu cujuscumque religiosi in suo conventu decedentis quamprimum certiorem facere priorem generalem, ac omnes totius congregationis priores, vicarios, et hospitiorum praesidentes, nec non monialium priorissas, per literas ad id speciatim scriptas (adnotando in eis religiosi mortui nomen, diem, et horam, quibus vitam finivit, patriam, conventum, in quo professionem emisit, quotque in religione annos vixerit) ut ubique suffragia ei debita, prout in hoc capite declarabitur per quam cito persolvantur.

De suffragiis faciendis post notitiam obitus fratrum congregationis.

§. 267. 7. Quotiescumque nuntius venerit de obitu fratris nostri in hac congregatione solemniter professi, cujuscumque professionis sit, tribus non impeditis diebus, tria defunctorum officia in communi recitentur, et una conventualis pro illius anima missa offeratur: offerantur praeterea tot missae privatae, quot religiosi sacerdotes in conventu sint ad celebrandum habitualiter habiles, conventuales sint, aut hospites, subditi, seu praelati; et insuper tot aliae missae quot sacerdotum communitatis numerum dimidium aequabunt. Si autem numerus sit impar, unitas dimidii cujuslibet numeri, quae superfuerit, missarum numero accrescat, ut in demortui cedat favorem: laici tria rosaria recitabunt.

Idem ut supra.

§. 268. 8. Haec omnia praestari jubemus in omnibus conventibus, et etiam in hospitiis, ubi collectis omnibus divinum officium recitari solet: attamen in ipsis hospitiis, et collegiis missam conventualem privata substituat. Illis vero hospitiis, in quibus ob modicum religiosorum numerum, divinum officium in communi non persolvitur, quilibet sacerdos unam missam offerat privatam, triaque privatim defunctorum recitet officia. Hortamur autem singulos fratres, qui hujusmodi suffragiis in choro non interfuerint, ut eadem privatim solvere non negligant.

De suffragiis faciendis in coenobiis monialium.

§. 269. 9. In monialium coenobiis pro quolibet religioso defuncto duplex conventualis missa cantabitur, duplexque integrum defunctorum officium recitabitur a non laicis; a laicis vero duplex privatim integrum rosarium. Idem esto in nostris conventibus pro defuncta qualibet moniali.

De aliis suffragiis faciendis in omnibus conventibus, et eremis.

§. 270. 10. In conventu, quantumvis eremi, aut studiorum, ubi religiosus obierit, si ibi conventualis fuisset, ex tribus supradictis officiis, unum integrum, matutinum scilicet, et laudes, semper canantur, et conventualis missa, si fieri possit, corpore praesenti, sin aliter, quantocius, sepulturaeque officium, prout in manuali habetur. Praeter hanc missam, octo aliae conventuales offerantur in sequentibus octo diebus, totidemque ad sepulturam canantur responsoria. Praeterea tribus primis ab obitu diebus singuli domus sacerdotes conventuales, aut hospites, subditi, seu praelati sacrum pro eo celebrent; et insuper teneatur prior dimidium, quae quarto die celebrentur, missarum numerum applicare, modo numero septimo exposito. In hoc missarum numero novem conventuales debeant includi.

De iis, quae sunt praestanda si defunctus fuerit hospes tantummodo

§. 271. 11. Si vero hospes fuerit religiosus defunctus, idem servetur, hoc dumtaxat quoad missas discrimine, quot ipso obitus conventu, tot in primis missae pro illius anima applicentur, quot fuissent applicandae, si in quolibet obiisset: deinde tot aliae offerantur, quot in propriae conventualitatis monasterio offerri debuissent, si in illo vita decessisset. Nullam igitur conventualitatis propriae debebit prior offerre, has tamen debet ultimas alteri priori satisfacere; vel eleemosynam largiendo, vel tot alia pro illius intentione applicando.

De iis, quae erunt praestanda ei religioso extra conventum interierit.

§. 272. 12. Si quis religiosus extra conventum interierit, conventus, ubi conventualis erat, praeter sepulturae officium, omnia praestituta suffragia pro illo offerat. Idemque pro quolibet religioso, qui in hospitio obierit; licet enim ibi diu permanserit, conventualitatem primam non amisit; proindeque non hospitium, sed conventus, a quo postremo discesserat, suffragia persolvet. Idem similiter pro religiosis, qui in conventum de Angola transmigrarint, si ibi oppetiverint mortem, vel ante quam priorem conventum reduces se recipiant, vel in conventu a priore generali designato inhabitaverint conventuales.

De forma servanda pro suffragiis in morte prioris, aliorumque praelatorum.

§. 273. 13. Cum advenerit nuntius mortis prioris generalis, vel alterius praelati superioris, qui in officio interierit, statim cymbala pulsabuntur in omnibus congregationis monasteriis; et praeter suffragia caeteris fratribus communia quilibet congregationis sacerdos unam privatam missam, et quilibet conventus, tam fratrum, quam monialium unam conventualem offerant, integrumque defunctorum officium in communi recitent; laici vero integrum rosarium. Si vero post officium obierint, addantur tantum tot conventuales missae, quot vices in officio fuissent. Idipsum eademque differentia facere debeant peculiares conventus pro prioribus localibus, proque vicariis a definitorio electis. Pro procuratore vero generali, si in officio obeat in quolibet congregationis conventu missa una conventualis superaddatur.

De suffragiis in morte novitiorum faciendis.

§. 274. 14. Pro novitiis, in novitiatus tantum conventu, integrum defunctorum, et sepulturae officium, missaque conventualis canatur, et quilibet sacerdos conventus unam privatam dicat missam: laici vero integrum rosarium, quod similiter intelligi volumus de illis, qui anto completum probationis annum, ex privilegio in mortis articulo constitutis indulto, professionem emittunt.

De suffragiis faciendis pro saecularibus, qui fraternitatis literas habuerunt.

§. 275. 15. Pro saecularibus, qui a capitulo generali fraternitatis literas obtinuerint, in conventu sibi ad conventualitatem designato, integrum defunctorum officium in communi persolvatur, conventualis missa una, et ab unoquoque sacerdote privata alia offerantur. Praeterea prior reliquis tum fratrum, cum monialium conventibus totius congregationis notum facere teneatur illius, qui eveniat, obitum, in illisque integrum defunctorum officium in communi recitetur, unaque missa conventualis offeratur. **Laici, et laicae rosarium unum recitabunt. Attamen, si ipse dum viveret, oneri sibi injuncto, suisque in literis expresso (videlicet unam privatam missam celebrare facere** pro quolibet religioso defuncto, aut moniali defuncta) non satisfecerit, nec nuntius mittatur, nec ulla pro illo suffragia fiant.

De literis mittendis religiosis extantibus extra conventum.

§. 276. 16. Si dum memorata suffragia fiunt religiosus aliquis a conventu absit, prior per literas, aliove modo ipsum moneat, ut ubicumque sit, sacra, vel rosaria sibi injuncta, protinus persolvat; quod si non fecerit, cum ad conventum redierit, statim persolvat, neque prior poterit, usque dum huic obligationi satisfaciat, missas pro alia intentione applicare.

De tabella in choro retinenda.

§. 277. 17. Atque ut ignorantiae excusatio nemini favere possit, ad chori ingressum quaedam semper maneat appensa tabella, in qua, servato temporis ordine, scribantur religiosorum nomina, qui ab uno ad aliud usque generale capitulum obierint. Haec scribere teneatur subprior, eamque singulis annis visitatori afferre examinandam, subscribendamque. Idipsum fiet in libro ad hunc finem destinato.

De suffragiis in obitu summi pontificis, et cardinalis protectoris ordinis.

§. 278. 18. Ordinamus ultimo, quoties ad conventus nostros certa pervenerit notitia de obitu summi pontificis, cardinalis ordinis protectoris, regis, reginae, alteriusve a regia familia solemnes fieri exequias modo a caeremoniali nostro praescripto. Cum vero de obitu patris, vel matris cujusque religiosi pro illorum animabus singulis una conventualis missa canatur, ubi religiosus ipse extiterit, si regularis vitae monasterium sit, sin aliter privata una applicetur.

Praeceptum ad superiores congregationis, pro implemento suffragiorum.

§. 279. 19. Denique praecipimus in virtute spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub formali praecepto omnibus, et singulis congregationis nostrae superioribus, ut offerant, et offerre faciant omnes in hoc capite praestitutas missas, aliis posthabitis quibuscumque, praeter illas, quae sine justitiae laesione differri nequeant.

Caput XIV.

De Novitiis.

§. I.

De novitiorum domo.

De domo novitiorum.

§. 280. 1. Nullum nobis negotium facessat, sed maximi faciamus, ut primaevus a sancta

matre nostra splendor reformationis increscat in dies, et uber, feraxque ab apostoli afflato *sicut radix sancta, ita et rami* a transversum unguem non discedat, novitios bonos accipere, melioresque procreare.

De cellis novitii assignandis.

§. 281. 2. Quapropter statuimus, ut in hac congregatione aliquod a definitorio generali destinetur monasterium, unum aut plura dormitoria clausa habens, ubi novitii una cum magistro, ejusque socio, sua quisque in cella, a caeteris conventualibus separatim, ac sub clave commode degere possint. Contineat illius aedificii ambitus oratorium, in quo novitii quotidie sacrosancto missae sacrificio, aliisque spiritualibus exercitiis intersint.

De viridario pro recreatione novitiorum.

§. 282. 3. Peculiare etiam aedificio inhaereat viridarium bene conclusum, munitumque ad novitiorum recreationem, si fieri possit, sin aliter poterit cum illis magister viridarium adire commune; dummodo caeteri religiosi eodem tempore illuc non conveniant: quorum nullus novitiatum ingredi poterit, nisi praelatus superior, conventus prior, aut quivis religiosus gravis, cum idem prior ad id concedat expressam facultatem.

De monasteriis eligendis pro receptione novitiorum.

§. 283. 4. Cum in hujusmodi monasteriis novitiorum instructio praecipuus sit scopus ad quem omnia dirigi, collineareque expediat, maxime invigilandum, ut ad novitiatum conventuales seligantur, qui obedientia, silentio, temporalium rerum despectu, caeterisque tum christianis, cum religiosis virtutibus sint praestantiores, ut novitii eorum exemplo perfectionis viam alacriores arripiant.

De electione prioris novitiorum.

§. 284. 5. Major in prioris electione adhibenda cura, cum ab ipso nimis recta novitiorum institutio pendeat; ideo eligatur ille, qui spiritus fervore, zelo et discretione caeteros excedat, et si fieri possit, qui jam magistri obierit munus; quem tamen non aequum erit se se immediate magistro regimini immiscere. Prior ipse, haud aliquid, ipso inconsulto, ad novitios spectans determinet; immo nec ipsum magistrum, si in aliquo deliquerit, publice reprehendat, cum potius ipsius honorem commendare, potestatemque extollere debeat, et tueri, semperque occasiones vitare quibus discipuli eum ullo modo imperfectum existimare queant, adeoque minus honorent, ac venerentur. Privata tamen omnino, si opus fuerit, utatur monitione, quae si illi non profuerit, certiorem priorem generalem faciat ut remedium adhibeat.

De sacerdote eligendo in magistrum novitiorum.

§. 285. 6. Quare magni interest illum eligere novitiorum magistrum, qui sacerdotali initiatus ordine, quintum supra trigesimum aetatis expleverit annum, decimumque saltem post professionem, quo tempore in religione laudabiliter perstiterit; insimulque sit doctrinae, et morum integritate praeditus, prudentia, et charitate refertus, orationi, et mortificationi deditus, gravis, at affabilis, ac ab animi perturbatione, irae praesertim, quam longe alienus, ut se possit discipulorum cordibus insinuare, eosdem verbo, et exemplo erudire; ac ab eis plus quam timeri, amari.

De tempore durationis muneriis hujusmodi.

§. 286. 7. A definitorio generali eligatur hujusmodi magister, et per tres saltem annos suum munus exercebit, neque ab illo poterit amoveri, nisi ob causam gravem probatam, ac ab ipso definitorio tandem sententia confirmatam.

De socio magistri novitiorum.

§. 287. 8. Socius illi tribuatur, qui trigesimum aetatis annum exuperet, iisque dotibus polleat, ut magistro adjutorio esse possit, ac ejus vices, illo absente, omnino agere possit. A priore generali eligatur; et in omnibus, quae ad novitiatus administrationem spectant, magistro pareat, cui summa in omnibus, quae ad novitiorum, ac recens professorum institutionem pertinent, sit potestas.

Quod una tantum sit domus novitiatus.

§. 288. 9. Novitiatus domum in hac congregatione unam tantum volumus haberi, in eaque omnes choro destinati instituantur novitii; si autem numerum multiplicari opus sit, ita, ut illos capere nequeat domus una, generale definitorium aliam ad hoc designabit. Laici, si fuerit necesse, in recens professorum conventibus novitiatum poterunt habere.

§. II.

De novitiorum acceptatione.

De novitiorum acceptatione.

§. 289. 1. Maximum in accipiendis novitiis delectum commendant satis, tum antiquorum patrum exempla, cum summorum pontificum decreta. Propterea priori generali, cujus muneris erit novitios deligere, et accipere, maxime commendamus, ejusque conscientiae onus imponentes, ut omnimode petentium delectui animum intendat, curetque, ut eorum examen, ac admissio fiat juxta constitutiones apostolicas, praesertim Clementis VIII., et juxta ea, quae eisdem decretis superaddita, nimisque conformia hic praescribuntur.

De probatione spiritus.

§. 290. 2. Quamobrem debet in primis eorum spiritus probare, an ex Deo sit, scilicet, si sponte an coacta, si voto se in meliorem frugem recipiendi, Deoque liberius famulandi, an potius animi laevitate, inordinatove aliquo affectu religionem ingredi petant.

De probatione ingenii.

§. 291. 3. Debet etiam eorum ingenii vim, et acumen examinare, si docile sit, ac rationi cedens: voluntatem explorare, si mitis, et obedire parata, veraeque virtutis cupida; si tenax, inconstans, et ad malum proclivis: corporis proportionem intueri, quam decet esse honestam, et validam ad ordinis labores ferendos. Quos idoneos invenerit, accipiat, caeteros rejiciat.

De aliis qualitatibus necessariis.

§. 292. 4. Debet praeterea alias qualitates attendere ad religionis ingressum ad modum requisitas; quocirca statuimus, neminem ad habitum admitti, qui septemdecim aetatis annos non expleverit, vel quadraginta exuperet, si chorista, si vero laicus sit, unum supra viginti numeret, et unum supra trigiuta non excedat; quod ex jurato parochi testimonio a baptizatorum libris extracto constare debet: si quis vero petentium choristarum numero asciscendus, ita idoneus inveniatur, ut aetatis defectum satis componset, idem generalis prior poterit illum admittere, dummodo quindecim annos habeat completos.

De admittendis ad numerum choristarum.

§. 293. 5. Nemo etiam ad choristarum numerum admittatur, quin prius latinam linguam ita calleat, ut nobiliores scientias actutum sine obice possit addiscere; quod constare debebit per examen, et approbationem examinatorum a priore generali nominatorum. Qui laici voluerint esse eodem modo de doctrina interrogentur christiana.

De reprobandis a numero choristarum.

§. 294. 6. Nemo itidem ad choristarum, aut laicorum gradum idoneus censeatur, qui notabili aliqua sui corporis parte, aut ejus exercitio careat; qui mala capitis habitudine, aut alia laboret infirmitate, regularem observantiam, suaeque professionis munera peragere impediente; et potiori ratione, qui insanabili, vel habituali morbo vexatur: qui aliqua deformitate notatur, vel cujus parentes aliquo infamiae dedecore afficiantur, aut tali graventur inopia, ut absque ejus ope nequeant sustentari: qui ratione alicujus officii, quod ipse, vel ejus parentes exercuerint, adeo vilis in republica habeatur, ut ob hoc honorifica ejusdem munera nunquam detur obtinere.

De excludendis ab habitu religionis.

§. 295. 7. Inhibemus praeterea nostrae religionis habitum induere servo, aut a servis descendenti, illegittimo, conjugato, alterius ordinis professo, novitiove, eique, qui eremitarum veste publice fuisset usus. Item caeco, aut aliqua irregularitate, in qua difficile dispensari soleat, innodato, aut aere alieno obstricto, quod ante religionis ingressum solvi nequeat, vel reddendae rationi alicujus administrationis obnoxio.

Idem ut supra.

§. 296. 8. Denique religionis habitum minime induant illi, qui Christi fidem non profitetur, aut ab ea per apostasiam recesserit; qui execrandum laesae majestatis divinae, vel humanae crimen commiserit, aut schismatis infidelitatis, alicujusve infectae, at damnatae sectae infamia fuerit irretitus, vel a progenitoribus simili infectis labe ad tertiam usque generationem inclusiva descendens; qui furti, homicidii, alteriusve criminis infamiam secum afferentis suspicione laboret, et tandem, qui sceleribus fuerit assuetus.

Aliae declarationes ad eumdem finem.

§. 297. 9. Hos omnes nec recipi, nec profiteri permittimus; immo siquis novitius laesae majestatis divinae, aut humanae crimine infamis id ita occultaverit, ut ad professionem admittatur, et postea ex publicis actis constiterit, judices adversus eum ante susceptionem habitus de ipso crimine accusationem suscepisse, vel inquisitionem instituisse, hujus professionem nullius vigoris declaramus, et statim ex ordine expellatur. Idem fiat cum illo, qui post professionem eadem execranda commiserit crimina. Ne autem ullo umquam tempore de ignorantia excusationem praetendant, de hoc omnes moneantur, et antequam habitum induant, ac professionem emittant, caput hocce attente legant coram novitiatus priore, praesentibus magistro, primoque consiliario.

Monitum ad priorem generalem pro exclusione facienda juridice.

§. 298. 10. Omnia hucusque enarrata impedimenta teneatur prior generalis, qua possit sedulitate, per semetipsum secreto explorare: insuperque religioso idoneo commissionem in scripto exhibeat, ut horum omnium juridicam inquisitionem faciat ex veridicis, et juratis testibus nullam juris exceptionem habentibus. Absoluta vero, et obsignata hujusmodi inquisitione, ad novitiatus priorem mittatur, ab eoque coram novitiorum magistro, primoque consiliario discutienda aperiatur.

De exclusione facienda per vota secreta.

§. 299. 11. Quemcumque aliquo ex jam dictis impedimentis irretitum judicaverint per

vota secreta, statim rejiciant; quem vero ab omnibus immunem, accipiant; quam immunitatem conventuali denuntiabunt capitulo, cum pro habitus susceptione illi proponatur. In conventus archivio haec inquisitio servatur ab ipso, quae non extrahatur (etiam post tyronis professionem) nisi ut comburatur post illius obitum, idque de expresso definitorii mandato.

De iis, qui capitulo sunt proponendi.

§. 300. 12. Quilibet petentium, priusquam capitulo proponatur, si chorista, per tres saltem dies saeculari veste in conventu maneat; et capitulares, praesertim magister cum illo agant, praecipua de iis, quae numero 2. et 3. stabilita sunt, ut juxta conceptam de eo opinionem, aut illum probent, aut reprobent. Si autem laicis adscribendus sit, per quindecim dies ad minus detineatur, et suae vocationis ministeria exerceat, ut et magister, et capitulum, melius expendant vires illius, an solito, aut non sint aptae labori.

De iis, qui a capitulo sunt approbati.

§. 301. 13. Approbatus tandem a capitulo illico novitiatum ingrediatur habitaque prioris generalis licentia, ordinis habitus induatur illi, modo a manuali nostro praescripto. In libro autem ad hoc designato notabitur hujusmodi functionis hora, dies, mensis, et annus; quod illi saeculari nomen, quod religioso; qui parentes, quae patria. Declarabitur insuper, si aliqua ad ejus acceptionem fuerit capituli generalis, aut definitorii dispensatio, qualisque.

De descritione rerum a novitiis allatarum.

§. 302. 14. Deinde alio in libro scribatur quidquid novitius secum attulerit sive sint vestes, sive libri, sive pecunia, et a priore, magistro ac novitio subscribantur. Si vero ipse ante professionem in saeculares redeat, idem prior, at magister, detractis tantum pro victu, et vestitu factis expensis, reliqua fideliter tradant, quin sibi, aut aliis aliquid sumant, etiam sponte oblatum a parentibus, aut curatoribus, prout a Tridentino decernitur sub anathematis poena.

§. III.

De novitiorum educatione.

De educatione novitiorum.

§. 303. 1. Flocci novitiorum solers acceptio pendenda absque illorum provida, bene morataque educatione. Quare novitiorum magistrum per Dominum obsecramus, ejus conscientiam obstringentes, ut omnes ingenii sui vires, ac virtutes ad hunc dirigat scopum, ut quemadmodum apostolus (*ad Colos.* 1. 28.) tyrones suos perfectos exhibeat in Christo Jesu.

De Dei timore, et amore colendo.

§. 304. 2. Studeat in primis illos in Dei timore, et amore firmiter instruere, detque operam, ut probe noscant omnia ad rerum spiritualium notitiam spectantia; virtutes, et media illas acquirendi; vitia, et vias illa fugiendi; passiones, et modum illas moderandi, vel potius dissipandi, fructus ex sacramentorum frequentia, quasque dispositiones, ut illos percipiant.

De divina vocatione exquirenda.

§. 305. 3. Det etiam operam, ut perspicue addiscant divinae vocationis, qua digni facti sunt, praestantiam, doceatque ipsos omnia, quae statui nostro tam quoad substantialia, quam quoad perfectionem jure conveniunt: videlicet quam obligandi vim habeant, tum solemnia vota, cum regula et constitutiones, quas in perpetuum sunt observaturi; qualiter ad orationem teneantur mentalem pariter, ac vocalem; ad sacramentorum frequentiam, ad jejunia; ad abstinentiam a carnium esu, et a lineorum usu, ad exercitium in omni genere mortificationis sive internae, sive externae, praecipue in abdicatione proprii judicii, et voluntatis, honoris, aestimationis, aliarumque passionum, et concupiscentiarum.

De reverentia in choro, ecclesia, et altari servanda.

§. 306. 4. Doceat quoque quam in choro, ecclesia, et altari reverentiam, devotionem, exactamque rituum observantiam unusquisque habere debeat, quam in refectorio frugalitatem, et munditiem; ubique modestiam, ac praesertim oculorum demissionem, inviolabile silentium, omnimodamque a terrenis abstractionem praeseferre; atque erga alia, quae sibi injuncta non sunt, sic se habere, tanquam surdus non audiens, et tamquam mutus non aperiens os suum.

De utilitate a communione, confessione, aliisque bonis operibus colligenda.

§. 307. 5. Exploret attenta quam utilitatem ex communione, confessione, sacra lectione, orationeque quisque reportet; atque eos prudenter inducat, ut interiora omnia, prospera, seu adversa ei aperiant, ut cognitis uniuscujusque affectibus, rectius eos ad finem instituti nostri dirigere, ac perducere valeat.

De perfectione colenda.

§. 308. 6. Denique, ut suum adamussim exequatur munus, debet magister, commissum sibi gregem, non illis tantum, quae novitiorum instructioni typis jam tradita praescribuntur, sed omnibus etiam aliis, quae ad summam perfectionis metam noverit ipse con-

ducere, omnimodis erudire. Ob hunc finem, praeter privatas admonitiones, omnes, bis saltem in hebdomada in aliquo communi, et decenti loco congregatos adhortabit, illorumque errata benigne corriget, pluris faciendo, ut supplicia potius amore suscipiant, quam illis timore subjaceant.

De novitiorum cellis a magistro, et socio ad libitum ingrediendis.

§. 309. 7. Novitii magistri, ejusque socii cellam ingredi poterunt, biquo novitiorum cellas, quoties opus fuerit; at novitius alterius novitii cellam minime ingrediatur, nisi in necessitatis casu, et de magistri facultate. E novitiatu ne prodeant novitii, nisi ut communitatis actibus assistant, ac officia sibi magistro injuncta exequantur; caeteroquin lectioni, orationi, morum correctioni vacent: quamobrem nulli, nisi spirituales, illis libri permittantur.

De exclusione commercii cum saecularibus.

§. 310. 8. Nullis etiam muneribus occupentur, quae cum saecularibus commercium, nec etiam cum fratribus collocutionem exigant; cum nullo enim, praeter priorem, et superiores praelatos loqui permittimus. Parentibus etiam, vel aliis extraneis saecularibus, aut regularibus non ostendantur, neque cum eis loquantur, nisi in aliquo casu raro, et inevitabili, semperque coram magistro.

De licentia superiorum exquirenda, ut conventualis cum novitiis loquatur.

§. 311. 9. Nullus etiam conventualis cum novitiis loquatur, illis aliquid injungat, aut eos corrigat, sub poena ad prioris arbitrium infligenda. Si quis autem in illis aliquid culpabile deprehenderit, praelato, aut magistro denuntiet, vel coram conventuali capitulo adducat. Poterit nihilominus, praesente magistro, vel ejus adjutore cum illis necessaria loqui, qui Gregorianum eos docuerit cantum, cujus lectioni quotidie per horam vacabunt: quam tamen aliquando omittent, cum magister aequum censuerit.

§. IV.

De novitiorum approbatione professioni praemittenda.

De novitiorum approbatione professioni praemittenda.

§. 312. 1. Qui in novitiorum approbatione suffragatuti sint conventuales, Dei gloriam, communeque religionis bonum prae oculis habeant, novitii mores perpendant, et pro meritis illum approbent, vel reprobent.

De consultationibus habendis circa admissionem novitiorum.

§. 313. 2. Per intra novitiatus annum conventuali capitulo proponatur quilibet novitius; videlicet quarto, octavo, et decimo ab habitus susceptione elapso mense, tribusque ante diebus a priore debeant de hujusmodi actu moneri omnes, qui vocem in capitulo habent, ut inter se consulant, ex aliisque vocem non habentibus sciscitentur quid de novitio proponendo noverint, et sentiant.

De examine faciendo circa profectum novitiorum.

§. 314. 3. Post triduum, convocato capitulo, fidelem primitus exhibeat magister relationem de omnibus, quae circa novitii profectum, aut defectus perspexerit. Idem faciat secundo ejus adjutor, et similiter alii per ordinem, quidquid existimaverint, aut sciverint, secundum conscientiam dicant, et referant; et tandem, exploratis omnibus, per secreta suffragia sententiam ferant.

De suffragiorum translatione in casu necessitatis.

§. 315. 4. Si quid autem ambiguum profeⁿratur, ad cujus veritatem dignoscendam plus temporis desideretur, ad alium diem suffragiorum collectio transferatur. Poterit etiam ultimae approbationis differri terminus; si id necessarium judicaverint, ut anceps novitii indoles melius dignoscatur; ad idque teneantur, quoties major capituli pars postulaverit.

De publicatione approbati facienda in capitulo.

§. 316. 5. Qui in scrutinio majorem suffragiorum partem sibi faventem habuerit, ut approbatus publicetur in capitulo: qui vero medietatem dumtaxat habuerit, si hoc evenerit in prima propositione, quarto elapso mense, existimetur interim approbatus, et in novitiatu maneat usque ad secundam approbationem: si vero in hac, aut tertia contingat, eodem prorsus modo reprobatus, ac si minorem suffragiorum partem habuisset, a novitiorum consortio statim segregetur, decenterque a saecularibus remittatur, sed quantum fieri possit, illius occultentur defectus.

De expulsione indignorum.

§. 317. 6. Verumtamen si quis crimen aliqued expulsione dignum perpetraverit, vel quid recenter professione indignum in ipso reperiatur, praefinitum tempus non expectetur; sed confestim capitulo proponatur, et ex ordine expellatur, etiam si ultimam approbationem jam obtinuisset. Immo si expulsionis causas ob infamiae notam capitulo patefacere non oporteat, poterunt prior generalis simul cum conventus priore, et magistro de communi consensu, nullo illorum discrepante, novitium expellere.

De nova receptione exclusorum.

§. 318. 7. Si causa expulsionis alicujus culparum fuerit frequentia, nulla ratione ad habitum in posterum recipiatur: si vero ob aliud id evenerit, poterit generale definitorium cum

ipso dispensare, ut iterum accipiatur, si certe constet expulsionis, vel egressus causas omnino cessasse, et de seria conversione firma habeatur fides. Hoc similiter de eo, qui sua sponte decessit, intelligi volumus.

De regestratione faciendo approbationum, et reprobationum, ingressuum, et expulsionum.

§. 319. 8. Itaque hujusmodi novitiorum approbationes, et reprobationes, expulsiones, et egressus adnotentur in libro, in quo eorumdem ingressus notari jussimus, immediateque ad uniuscujusque notationem apponatur; atque a priore, magistro, et primo consiliario subscribatur, et in arca trium clavium perpetuo reservetur.

§. V.

De novitiorum professione.

De professione novitiorum.

§. 320. 1. Cum quis tertio fuerit approbatus, magister de hoc eum certiorem faciat, quo reliquo novitiatus tempore rebus suis commode providere, constitutiones, attenta mentis consideratione, legere, seque ad professionem praeparare possit, eamque emittet, expleto probationis anno, habitaque prius generalis prioris facultate.

De votis a novitiis emittendis.

§. 321. 2. Novitii omnes praeter communia tria vota, quartum aliud nuncupare debeant; videlicet, qui choro addicti sunt — *Non ambiendi* — directe vel indirecte, per se, vel per alium ordinis dignitates, aut officia, quae in his constitutionibus declarantur. Laici vero — non quaerendi per se, vel per alium aliam habitus mutationem, aut ad gradum evelli superiorem ille, ad quem admissi fuerint.

Declarationes circa quartum votum.

§. 322. 3. Ne autem dubiis, animique anxietatibus ullus sit locus, declaramus primo, quartum hoc votum limitari ad actus tantum externos sponte et libere factos adversus rem voto promissam, insimulque cum violentia, hoc est, minis, promissis, precibus importunis, dolo, vel alio simili modo. Secundo dignitates, et officia hoc modo non requirenda, haec esse, et non alia, nimirum, prioris, definitoris, vicarii, et procuratoris generalis, vicarii provincialis, prioris localis, et vicarii canonice electi, socii demum capitularis, et consiliarii.

De nullitate professionum tacitarum.

§. 323. 4. Declaramus praeterea, professionem, quae non sit expressa, apud nos invalidam censeri debere: idcirco nullius valoris erunt professiones tacitae, tempore, habitu, exercitiis, aut alio simili titulo fundatae, ita ut cuicumque hoc modo professionem facienti, liberum sit ad saeculares redire, uti etiam nobis liberum erit eumdem ordine expellere.

De forma professionis emittendae.

§. 324. 5. Quapropter ordinamus, ut novitii nostri, sive choro destinati, sive laici suam professionem emittant coram communitate, in choro, aut ecclesia, alta, et intelligibili voce, forma, coeremoniisque in manuali nostro ad hujusmodi functionem praescriptis. Hac tamen functione peracta, statim in professionum libro, qui ab alio ingressuum debeat esse distinctus, sequens apponatur testimonium, quod ab ipso recenter professo, priore, magistro, duobusque consiliariis, aut eorum vices supplentibus subscribatur. Videlicet » Fr. N. a N. in saeculo dictus N. filius N. et N. in oppido, aut urbe N. episcopatus, aut archiepiscopatus, aut patriarchatus N. ortus, informatione facta et approbata juxta Bullas summorum pontificum, expleto probationis anno, aetatisque . . . . . omnibusque aliis servatis, quae constitutionibus nostris observanda praecipiuntur, tandem die . . . . mensis N. anni . . . . horaque . . . . (matutina, aut vespertina) sponte sua, nemineque rogante, aut cogente, in hoc carmelitarum excalceatorum monasterio N. Lusitaniae congregationis beatissimae Virginis de monte Carmelo, solemnem suam professionem emisit, quatuor solita praedictae congregationis vota faciens. Quae omnia, ut in perpetuum constent, publicum hoc testimonium coram testibus immediate subscriptis exhibuit, itidemque subscripsit, die, mense, et anno supra memoratis.

Fr. N. a N. prior	Fr. N. a N. recenter professus
Fr. N. a N. primus consiliarius	Fr. N. a N. novitiorum magister
	Fr. N. a N. secundus consiliarius.

§. VI.

De recenter professis.

De recenter professis.

§. 325. 1. Recenter professi per sex saltem menses post emissam professionem in novitiatu maneant magistro, eodem modo ac novitii, immediate subjecti: attamen si eorum ita multiplicetur numerus, ut illos capere, aut alere praedicta domus non valeat, poterit prior generalis eos in recens professorum conventum, vel conventus mittere, ubi a conventualibus

segregati, sicut in novitiatu sub magistri ductu degant, usquedum ad collegia transferantur.

De magistro professorum, ejusque potestate.

§. 326. 2. A generali definitorio eligatur professorum magister, et eadem illi sit potestas erga recenter professos, quae erga novitios suo erit magistro, hoc excepto, quod sine prioris venia, neminem in jejuniis ab ordine stabilitis dispensare possit. Socium non habeat, sed, si abfuerit, vel impeditus fuerit, subprior conventus ejus agat vices.

De iis, in quibus professi erudiendi sunt.

§. 327. 3. In praefatis domibus eadem observabunt recens professi quoad mores, quae in novitiatu, habita proportione, eisdemque piis exercitiis vacabunt. Caeterum abs re non erit, sed summopere expediet eos ibidem in aliquibus erudire. Ea propter ordinamus, ut a generali definitorio aliquis eligatur religiosus, qui per horam quotidie hujusmodi professos instruat in lingua latina, ortographia, et rhetorica; immo, si fieri poterit idem professorum magister in his eos exerceat. Religiosus, qui hoc munus exercuerit eadem, qua collationum moralium praesidentes, immunitate fungatur.

De subjectione professorum priusquam sacerdotio initientur.

§. 328. 4. Recens professi, licet collegiales sint, priusquam sacerdotio initientur sub magistri disciplina erunt, nec ad patriam ire poterunt, nisi inibi sit ordinis conventus. Idem observabunt sacerdotes, donec tres post professionem annos absolvant.

De subjectione laicorum.

§. 329. 5. Laici per sex menses post professionem in novitiatu degant, neque patriam adibunt, donec tres a professione annos expleverint. Poterit nihilominus prior generalis (si necesse fuerit) ad alios conventus eos transferre, sex mensibus nondum elapsis. At ubicumque fuerint, per sex annos sub potestate vivant magistri, vel superioris, qui pro magistro erit in domibus ubi novitiatus, aut recens professorum conventus non extiterit; hic tamen recens professorum cellas ingredi non poterit, nec ipsi illius cellam, nisi priore absente, vel facultatem praebente.

CAPUT XV.

De collegiis.

§. I.

De collegiis designandis.

De collegiis designandis.

§. 330. 1. Omnium errorum mater ignorantia est; sed etiam deforme spectaculum in iis maxime, qui aliis facem praeferre debent. Idcirco decernimus, ut scholasticorum collegiis necessaria a generali definitorio assignentur monasteria; in quibus noviter professi non intermissis temporibus studiis vacare possint. In primo collegio per integrum triennium philosophiae operam dabunt: in secundo per totidem annos theologiae scholasticae, polemicae, expositivae, et mysticae: in tertio per idem tempus theologiae morali, sacrisque canonibus.

De electione, et numero collegialium philosophiae.

§. 331. 2. Generalis definitorii erit philosophiae collegiales designare; designabitque illos, quos ob vitam, et mores dignos invenerit, totque numero, quot collegium capere, et alere queat; ita ut suam quisque habeat cellam, caeterisque ibi locum non habentibus ad sequens triennium reservatis. Fiat haec designatio reservato antiquitatis ordine a professione computandae, quem nulla ratione inverti volumus; et definitores, qui secus fecerint, a successoribus puniantur privatione vocis, et loci per tres menses.

De iis, qui sunt aetate provecti praeferendis.

§. 332. 3. Siquis vero inveniatur aetate provectus, et ante religionis ingressum in praedictis facultatibus fuisset satis instructus, poterit antiquioribus praeferri, qui aequali careant scientia, et ita ad collegium mitti: immo praetermisso philosophiae curriculo ad theologiam tendere si aequum definitorio videbitur.

De mittendis ad collegium theologiae.

§. 333. 4. Absoluto philosophiae triennio teneatur prior generalis eosdem omnes ad theologiae collegium mittere, et postea hujus collegiales ad theologiae moralis, et canonum collegium. Ordinamus autem, ut praelatorum nullus hanc studiorum seriem dissolvere audeat ante tempus hic definitum, neque scholasticorum quempiam a collegio amovere, nisi a definitorio fuerit expulsus, aut ab examinatoribus, morbi inepti ingenii causa, reprobatus.

§. II.

De disciplina in collegiis servanda.

De disciplina servanda in collegiis.

§. 334. 1. Licet in collegiis, ut in caeteris monasteriis communis sit servanda vita, aliquantum tamen communitatis actus aliter distribuendi, ut studentium commodo melius inservire possint. Statuimus igitur, ut oratio matutina toto anni tempore hora quinta habeatur, qua finita, recitentur statim quatuor

horae minores, praeterquam prima in vigilia Nativitatis Domini, tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis, quae hora competenti canendae sunt. Vespertina oratio studiorum tempore, a die scilicet sancti Hieronymi usque ad resurrectionis Paschae exclusive, hora similiter quinta, et deinceps hora sexta babenda sit.

De recitatione horarum in collegiis.

§. 335. 2. Vesperae hora secunda recitentur, praeterquam quadragesimalis jejonii diebus, quibus ante prandium haberi debeant. Canentur autem in solemnioribus diebus primae classis, scilicet, universalis Ecclesiae, aut totius ordinis (dedicatione ecclesiae excepta) et in die sancti conventus titularis tam primae, quam secundae vesperae. In festivitatibus vero secundae classis, si die festo incidant secundae tantum vesperae canantur. Declaramus autem, quod si hujusmodi festivitates in aliam diem transferri contingat, cantus solemnitatem omitti volumus.

De completorio.

§. 336. 3. Completorium statim post vespertinam orationem persolvatur, vel ante matutinum, ad prioris arbitrium: at tempore, quo vespertina recreatio habenda erit, ipsa finita, illico recitetur.

De matutino.

§. 337. 4. Matutinum completorium immediate sequatur, ipso in tempore, diebusque, quibus praefata babebitur recreatio, reliquo vero tempore hora octava cum quadrante recitabitur. Canetur autem hora competenti in solemnitatibus Nativitatis Dominicae, Paschae, et Pentecostes, in triduo majoris hebdomadae, in commemoratione solemni beatissimae Virginis matris nostrae Mariae de Monte Carmelo, et in festo sanctae matris nostrae Theresiae. Festum sanctissimi Corporis Christi, et per octavam, eodem, ac in caeteris conventibus, modo celebretur. In aliis festivitatibus nihil de matutino canatur.

§. 338. 5. Quoties conventualis missa dicenda fuerit, cum cantu celebrabitur. Canetur autem festivitatibus, quibus debeant cantari primae, et secundae vesperae, diebus dominicis et festis de praecepto, feria quarta Cinerum, et quinta in coena Domini, sabbathoque sancto. Missa beatissimae Virginis sabbathis cantanda, in collegiis privatim celebrabitur.

De commemoratione defunctorum.

§. 339. 6. In solemni defunctorum commemoratione ecclesiae, et ordinis, idem, quod in aliis conventibus observabitur: idem etiam omnino, cum ordinis religiosi decesserint. Responsoria autem singulis hebdomadibus persolvenda, post nonam in choro dicentur.

De examine conscientiae.

§. 340. 7. Primum conscientiae examen fiat ante prandium, quod regulariter erit hora undecima ante meridiem, et post illud recreatio meridiana; vespertina antem si habenda fuerit, post vespertinam orationem fiat; at in diebus extraordinariae coenae, ut in aliis conventibus haberi volumus. Secundum conscientiae examen, et communis verberatio subsequantur matutinum, et hoc coena, vel collatio.

De parvo officio B. M. Virginis.

§. 341. 8. Officium parvum beatissimae Virginis persolvendum, et *Salve* solemniter canenda, ut in aliis conventibus: caeterum spiritualis lectio qualibet hebdomadae die ad prioris arbitrium designanda, in aliis conventibus babenda, in collegiis die a lectionibus feriato habeatur.

§. III.

De literariis exercitiis.

De literariis exercitiis.

§. 342. 1. In collegiis nostris potissimum agi volumus de studiis; ideo decernimus, ut collegiales nostri omne a communitatis actibus, officiisque communibus vacuum tempus scientiis addiscendis impendant, quod in omnibus collegiis incipiet die ultima septembris, finietque in vigilia Pentecostes: toto hujus temporis spatio, feriatis diebus exceptis, collegiales philosophi, et theologi morales per binas horas mane, et per totidem vespere scholae interesunt; caeteri vero collegiales theologi supra relatas horas tres addant quadrantes mane, sacrae theologiae expositivae, et mysticae lectiones auscultantes.

De pulsatione campanae pro scholis.

§. 343. 2. Tribus elapsis quadrantibus post horam octavam mane, et post secundam vespere in omnibus collegiis scholae campana pulsabitur; excipiatur theologiae collegium, quo mane hora octava pulsabitur; scholasticorum nullus hos praetermittat actus, nisi morbus, gravisque occupatio illum detineat, ac de superioris facultate, de qua lectorem monebit.

De defendendis thesibus.

§. 344. 3. Praeter hos actus literarios theses defendantur in dominicis Adventus, ac in dominicis ab Epiphania ad infra octavam usque Ascensionis, exceptis sexagesimae, quinquagesimae, quarta quadragesimae, Palmarum, Paschatis, et in Albis. Omittuntur etiam in philosophiae collegio toto primi anni Adventu.

De methodo servanda in defendendis thesibus.

§. 345. 4. Juxta novam studiorum methodum habeantur praefatae theses, et ab hora tertia pomeridiana ad sextam usque protrahantur, illisque intersint omnes religiosi choristae. Laici autem, et quilibet alius, qui justa causa, et de praelati venia illis adsistere nequeat, vespertinae intersint orationi in choro. Immediatus superior alium in diem has transferre nequeat controversias, nisi urgenti, inevitabilique causa, neque earumdem vacationem dare queat.

De tempore vacationis studiis in cellis.

§. 346. 5. Praeterea ultima septembris die usque ad Pascha (si vespertina recreatio non fuerit habenda) omnes, sive scholastici, sive conventuales post vespertinam orationem, vel post completorium, statim cellas se recipiant, ibique per horas duas studio vacent, usquedum ad matutinum campanula pulsetur. A Paschate vero usque ad exaltationem sanctae Crucis per horam tantum studio incumbent, a quinta scilicet usque ad sextam vespertinam, ad quam officiorum campanula signum dabit. A die autem quarta decima usque ad vigesimam nonam septembris, si recreationi designata non sit, per aliam horam post vespertinam orationem studio operam dabunt.

De peculiaribus dispensationibus a superiore indulgendis.

§. 347. 6. Quidquid de studii tempore pro collegiis statuitur, servetur in conventibus, qui collegialem vitam exercent. Poterit tamen immediatus superior tam in his, quam in collegiis, levaminis gratia, aliquibus diebus solemnioribus religiosos in hora studii a quinta usque ad sextam habenda dispensare.

De exercitiis tempore feriarum habendis.

§. 348. 7. Quamvis feriarum tempore, a Pentecoste scilicet, usque ad extremum septembris diem, scholae exercitia omitti debeant, ordinamus, ut diebus non festis, et non feriatis, collegiales in eadem schola literariam collationem habeant ab hora quarta pomeridiana usque ad quintam. Igitur illis facultas non concedatur ad alios migrandi conventus quo feriarum ibi terant tempus; neque eosdem mendicandi, aliive occupationi destinare, aut ad agenda ea cogere, quae in communi tabula non fuerint designata.

De curriculo studiorum a concionatoribus, et confessariis absolvendo.

§. 349. 8. Concionatoris, aut confessarii non exerceant munus, nondum expleto studiorum curriculo, neque ad oppidum, ubi conventus fuerit, prodire valeant, nisi ut concionibus, aut literariis actibus intersint. Poterit tamen praelatus collegii, aut quivis superior cum ad memoratum exierit oppidum, quemlibet eorum sibi socium adjungere. Extra oppidum vero nullus praelatorum praeter definitorium, possit illis exeundi veniam praebere, nisi cum exercitii gratia cum lectore diebus alibi designatis ad agrum, tendunt. Qui secus permiserit superior, per duos menses ab officio removeatur. Prior tamen generalis iis, qui jam fuerint sacerdotes veniam concedere poterit, ut cum socio patriam, aut alia loca adeant, causa suadente justa.

Monita specialia.

§. 350. 9. Curent scholastici, majori qua poterunt vi, ad literarum studia incumbere. Curet prior generalis eorum in studiis profectum diligenter explorare; quamobrem suae visitationis tempore cunctos ad examen vocabit, unaque cum collegii praesule, et cujusque facultatis lectore eos interrogabunt de omnibus toto anni curriculo a magistro praelectis, judiciumque ferent per secreta suffragia, et quem hac ratione inhabilem judicaverint, etiam si adversae valetudinis causa a collegio removeant.

De diligenti examine theologiae scholasticae.

§. 351. 10. Theologiae tamen scholasticae examen ultimum exactius fieri debebit; in ipso enim deligendi sunt praestantiores, qui tanquam veterani novorum scholasticorum (vulgo passantes) in ipso collegio manebunt, et ad philosophiam mittentur. Perpendant autem examinatores cunctorum scholasticorum scientiam, et ad illam aptitudinem, et quos digniores invenerint quatuor, aut sex, sive plures per obseratam epistolam definitorio proponat unusquisque, ut ab ipso illorum dijudicetur electio, completaturque.

De literis obtinendis a confessariis, et concionatoribus.

§. 352. 11. Eodem modo se gerant, ac caeteri collegiales recentes, praeterquam in ordinariis scholae exercitiis, quibus interesse non debebunt. Poterunt tamen, finito triennio, concionatoris, et confessarii literas obtinere, si qualitatibus polleant ad id requisitis, ac ultimo triennii anno ad quaslibet literarum oppositiones, ut habiles admitti teneantur etiam in thesibus de more defendendis arguere; ac bis in anno easdem unusquisque propugnare, ad quod cunctas quaestiones scholasticis lectas se se inter distribuentes in disputationem revocabunt. Qui has theses fuerit propugnaturus, praecedenti hebdomada scholam adibit illico post magistrum, et argumentationibus ab eodem magistro, aut collegialibus sibi contra suas theses objectis satisfaciet.

De exercitio concionatorum in re-

§. 353. 12. Teneantur praeterea in unoquoque e primis duobus annis concionatoris mu-

lectorio habendo.

nus ter exercere in refectorio, aliove loco coram communitate, quin saecularis ullus intersit. Idem ultimo anno trium agent collegiales theologiae, et moralis, poteruntque libros ad id necessarios a bibliotheca extrahere communi, dummodo exacte servent, quae stabilita manent capite 6. 2.

§. IV.

De collegii rectore et lectoribus.

De collegii rectore, et lectoribus.

§. 354. 1. Ad studiorum domos praelati eligantur ii, qui non modo in regularis disciplinae observantia, sed etiam in literarum exercitio caeteris excellant, ut in omnibus doctrinam pariter et exemplum praebere possint. Meminerint namque electores, hujusmodi praelatorum esse praeter alia, scholasticos examinare, deque eorum scientia, et moribus suffragium ferre; invigilare item, an muneri suo lectores satisfaciant, ac eorum errata corrigere: ex his facile conjicient quanti interarit eos eligere, qui lectoris munere fuerint olim laudabiliter perfuncti.

Monitum ad praesules collegiorum.

§. 355. 2. Hortamur autem collegiorum praesules, ut invigilent maxime, ne scholastici orationis assiduitatem, et modestiam solitam studiorum causa praetermittant; sed potius ita unum alteri annectatur, et emolumento sibi invicem esse possint. Studeant etiam, ut constitutiones nostrae, maxime quae ad commonem vitam spectant, exceptis, quae hic pro collegiis decernuntur, observentur.

De electione lectorum.

§. 356. 3. Eligantur etiam a definitorio generali lectores, qui scientia, et morum ingenuitate praediti non minus ad pietatem, quam ad doctrinam discipulos suos verbo, et opere promovere valeant. Per annos duodecim exercebunt munus, quin hoc tempore alio diverti possint, nisi sponte sua renuntient, vel justa causa a definitorio deponantur. Poterunt tamen de una ad alias facultates permutari, videlicet de philosophia ad theologiam non moralem, et de hac ad moralem.

De lectore philosophiae.

§. 357. 4. Philosophiae unus dumtaxat constituatur lector, qui bis in dia, nisi festus, aut feriatus sit, hanc edoceat facultatem per duas integras horas in quarum prima mane, et similiter vespere scholasticis explicet lectionem postera die ab ipsis repetendam; in secunda vero lectionem praecedenti die lectam ab eisdem reposcat, agatque, ut dubia circa ipsam occurrentia sibi invicem opponant, et ad illa respondeant. Teneantur etiam conclusionibus designatis diebus praesidere.

De lectoribus in facultate theologica.

§. 358. 5. Ad theologiae collegium tres designentur lectores, quorum duo primi scholasticae tractatus inter se dividant, et alter mane, vespere alter scholam adeat, serventque proportione habita, quod philosophiae lector servare debebit; alter etiam conclusionibus praesint. Tertius lector per tres horae quadrantes mane, statim post primum lectorem, sacrum textum exponet tribus hebdomadae diebus, mysticam theologiam in reliquis. Ter in anno conclusiones defendendas proponet. Denique duo eligantur quorum unus moralis theologiae, alter juris canonici lectionem habeant, et se gerant in caeteris sicut theologiae scholasticae lectores.

Monitum ad omnes lectores.

§. 359. 6. Lectores omnes monemus, ut suum munus prudenter exercere studeant, et ita se gerant, ut discipulorum venerationem, ut par est, honoremque erga se expiscari possint. Caveant, ne operam perdant, vanis, et inutilibus quaestionibus, quae nihil instructionis, aedificationisve afferunt. Sanctos patres consulant, et auctores pervolutent, qui subtilia, et nova non tam pertractant, quam secura, et vera, et eos sequantur, omnemque adhibeant curam, ut discipulorum mentes solidioribus, sanioribusque doctrinis imbuant. Quod ut fiat, praecipimus, ut novae nostra studiorum methodi servent statuta sub poena suspensionis ab officio, qua poena plectentur etiam praelati, si ab hac aliquid detraxerint methodo, vel ad illam addiderint.

De exemptione lectorum a munere confessarii, et concionatoris.

§. 360. 7. Caeterum, cum difficile videatur, ut suis muniis plane satisfaciant lectores, si concionum, et confessionum exercitiis fuerint distracti, statuimus, ut confessionibus excipiendis nostrarum, aut alterius ordinis monialium nullo modo destinentur, neque lectionum tempore ullam habeant concionem extra oppidum, ubi fuerit conventus. In oppido vero per quam raro id agant, sub gravis culpae poena, tam illi, quam praelato permittenti pro qualibet vice infligenda.

De eorum exemptione a choro.

§. 361. 8. Propterea choro interesse non teneantur, cum in proprii officii munere fuerint occupati. Intererunt tamen communiter orationi mentali, conscientiae examini, verberationi, recreationi, communi mensae, capitulo,

et *Salve* beatissimae Virginis solemniter canendae; missis conventualibus, vesperis dominicarum, festorum de praecepto, et solemnitatum primae classis, dedicatione ecclesiae excepta; matutino primae classis Christi, beatissimae Virginis, protectoris nostri sancti Joseph, ejusdemque patrocinii, ss. parentum nostrorum Eliae, Theresiae, et Joannis a Cruce, tertiusque octavae Corporis Christi, et quandocumque in collegio cantari debeat. Intererunt etiam processionibus solemnibus, officiis, missisque commemorationis omnium defunctorum ecclesiae, et ordinis, exequiis cujusvis religiosi, qui in collegio obierit, et missae canendae pro anima generalis in officio decedentis. A reliquis vero communitatis obligationibus (praeterquam ab officio cappellani beatissimae Virginis, et ab officiis humilibus) ratione, et tempore suae occupationis erunt immunes, quocumque in conventu fuerint; qui conciones defenderit, ipso die conventuali tantum capitulo interesse teneatur.

§. V.

De literariis oppositionibus.

De literariis oppositionibus.

§. 362. 1. Ut meritum, et ingenium eorum, qui caeteris edocendis destinari debent melius dignoscatur, statuimus, ut nemo lectoris munus adipiscatur, nisi per oppositiones, quae ultimo cujusque triennii anno a definitorio sunt indicendae, ab illoque conventus designandus ubi erunt habendae, qui ferme theologiae erit collegium: designetur autem ita apto tempore, ut convenire possint religiosi omnes, quicumque voluerint, dummodo tempus in collegiis terendum absolverint; et philosophiae lector mensibus sex, antequam suum incipiat triennium, eligatur, de hocque certior fiat, ut ad provinciam sibi demandatam possit se commode praeparare.

De methodo servanda in faciendis oppositionibus.

§. 363. 2. Hac autem ratione fient oppositiones. Primum: quae fuerint quaestiones praecipuae ejus facultatis, ad cujus cathedram lector promoveri debeat, distinctis quibusdam schedulis scriptae ipsisque ita complicatis, ut quid contineant, videri nequeat, in urnam ad id designatam conjiciantur: deinde oppositoribus collectis, horum antiquior schedulam extrahet, aperiendamque, ac legendam tradet definitoribus, et quam ipsi scriptam repererint, elapso viginti quatuor horarum spatio, exponet, probabit, ac defendet, definitorio praesente, et per id temporis, quod definitorio congruum videbitur.

De argumentis impugnandis.

§. 364. 3. Oppositorem hunc triplici argumento alius ejus competitor a definitorio designatus impugnabit, qui suo quoque die sortitam sibi aliam quaestionem similiter propugnabit, illo pariter impugnante, qui antea defendentis munus exercuit, et sic caeteri per ordinem. Qui hoc inierint certamen, diebus, quibus defendere, aut arguere debebunt, ab omnibus communitatis actibus, et officiis absolvantur.

De judicio ferendo super admissione ad cathedram.

§. 365. 4. His itaque peractis, definitores per secreta suffragia de omnibus, et singulis judicium ferant; et qui in suffragiorum numero plura sibi propitia habuerit, suae oppositionis cathedram obtineat, dummodo bonis etiam moribus polleat. Si vero duo, vel plures concurrant, ita meritis pares, ut facile eorum inter se praestantia discerni non possit, ille praeferatur, qui finito scholastici sexennio, plus in collegiis habitaverit; si vero adhuc in hoc sint pares, antiquior in professione praeferatur.

De prudentia ab electoribus adhibenda in admissione dignioris.

§. 366. 5. Verum, cum ob inaequalem quaestionum foecunditatem, vel fortuitam ob causam minus sapiens oppositor quandoque in oppositione sapientiori parem se se ostendit, retreacta certamina, necesse est, perpendant electores, ne feliciorem digniori anteponant. Propterea in definitorii archivio liber adservetur, in quo hujusmodi oppositiones scribantur, singulorumque oppositorum nomina, et merita notentur sequenti modo: Qui optime defenderit, ita ut nihil ultra expectari possit, ita exprimatur: — *Maxima cum laude suum munus exercuit;* — Qui plusquam ordinaria, sed non ita optime, hoc signetur discrimine: — *Magna cum laude* — Qui et si bene, ordinarie tamen propugnaverit, simplici hac nota discernatur: — *Cum laude;* — Qui vero nec ordinario defenderit, sic notetur: — *Non placuit* —. Non ideo tamen inhibeantur ad alias oppositiones redire, quousque eadem nota ter fuerint signati. Quicumque lectores cujusvis facultatis semel facta prima oppositione, ob quam dignitatem fuerint adepti, sine ulla prorsus nova oppositione ad alias cathedras poterunt promoveri.

De officio lectorum.

§. 367. 6. Eodem tempore, et modo quo lectores, substituti etiam eligi debeant; totque

erunt, quot collegia, et per triennium officium peragent, nullaque ob id exemptione gaudebunt, nisi cum alicujus lectoris vices suppleverint. Superioribus autem commendamus, ut nullis eos occupationibus impediant, quae ab studio possint adducere. Si quis autem lector, triennio non absoluto, moriatur, vel sese munere abdicet, aut amoveatur, illius vices gerat substitutus, usquequo alius lector in primis oppositionibus eligatur.

De exercitio officii lectoris.

§. 368. 7. Memorata magisteria intra conventus nostros omnino exerceantur, nec saeculares ad illa admittantur; nullus etiam congregationis nostrae religiosus alicui cathedrae extra religionem se opponat; neque publicas in aliqua academia, aut universitate habeat lectiones; neque doctoris, aut praesentati gradibus laureari intentet, sub poena in aliquo praedictorum deficientibus, privationis vocis, loci, et officii in perpetuum.

De inhabilitate ad officium ob imploratam opem saecularium.

§. 369. 8. Statuimus praeterea, et cum rigore prohibemus omnes, et singulos congregationis nostrae fratres, ne saecularium opem implorent, ut cathedras, studia, conventualitates, officia, aut quaslibet ordinis dignitates obtineant; et qui secus fecerint, inhabiles ad ea obtinenda, eo ipso censeantur, insuperque per integrum annum voce, et loco priventur.

CAPUT XVI.

De constitutionibus ad eremum spectantibus.

§. I.

De eremi monasterio, et ejus fine.

De eremi monasterio, et ejus fine.

§. 370. 1. Quamvis juxta regulam singuli religiosi teneantur manere in cellulis suis in lege Domini meditantes, nisi aliis justis occasionibus occupentur; quia tamen hae occasiones non raro solent in aliis conventibus evenire; idcirco statuimus, ut in congregatione una saltem sit domus specialis in interiori alicujus eremi loco constructa, in qua degere possint religiosi, quicumque velint, ibique ab hominum frequentia semoti, majori studio ad proprium se vertant spiritualem profectum, puritatemque mentis enixius reparare curent, orationi ac coelestium contemplationi se totos dicantes. Hic non alius eremiticae vitae finis.

De applicatione bonorum operum in eremo faciendorum.

§. 371. 2. Ex aequo etiam sibi proponent eremi habitatores ecclesiae sanctae, cunctisque ejusdem fidelibus utili esse subsidio: eapropter continuum orationis exercitium, assiduas preces, vigilias, corporis afflictationes, et quodcumque aliud meritorium opus Deo offerre debebunt pro spirituali Ecclesiae augmento, ejusque ministris, praecipue pro sanctissimo papa nostro, dominis nostris rege, et regina, caeterisque de prole regia, regni, et regiminis felicitate; pro ordinis demum, ipsiusque eremi conservatione, et augmento.

De jurisdictione prioris generalis super eremo.

§. 372. 3. Ordinariae subsit haec domus prioris generalis jurisdictioni, qui ejus conservationi, regiminique tum spirituali, cum temporali maxima debebit incumbere cura, nec ulla ratione omittet eam singulis annis visitare per se, vel in necessitatis casu per alium; et ex his, qui eremiticae vitae rigorem velint, et possint sustinere, praestantiores conventuales seligere, dummodo viginti quatuor numerum non excedant.

De exclusis ab eremo.

§. 373. 4. Novitii, recenter professi, aegroti, et qui tunc alicujus delicti poenas luerint, ad eremum minime mittantur: immo ad alium conventum transferantur, qui morbo affecti, eremiticae vitae exercitia ferre non potuerint, vel qui oscitanter nimis in observantia se gerant: at benigne prior generalis illorum sanctis, piisque assentiatur votis, qui expertae virtutis cum sint, ibi perpetuo degere in animo habuerint; et hujusmodi facultatem quatuor saltem concedat, qui recenter missos instruant, ac eisdem exemplo sint. Qui semel hanc obtinuerint facultatem, ad alium non transferantur conventum, nisi id ipsi petierint, vel justa, urgensque causa aliud suadeat.

§. II.

De eremi clausura.

De eremi clausura.

§. 374. 1. Adeo strictam esse volumus eremi clausuram, ut ibi commorantium religiosorum nullus, chorista sit, aut laicus (praeter procuratorem, vel eo impedito, aliquem laicum) nec ipse etiam localis prior e conventu queat prodire, ut confessiones excipiat, concionetur, eleemosynam petat, aut aliud agat, nisi tantum de prioris generalis, aut definitorii venia, quae sine gravissima causa haudquaquam concedenda erit. Superior, aut prae-

sidens, qui contrarium egerit, aut permiserit, ab officio privabitur.

De frequentia in eremo vitanda

§. 375. 2. Praeterea, cum solitariae vitae repugnet hospitum frequentia, ordinamus, ut ordinis nostri religiosi, definitoribus generalibus, et visitatore exceptis, in eremi conventu minime hospitentur, nec ibi ingrediantur, nisi de prioris generalis licentia in scripto exhibita, quae mature, et per tres tantum dies exhiberi debeat. Poterunt tamen hospitio recipi religiosi; qui dum mendicationem exercuerint, illuc pervenerint. Si vero ordinis superior, lector, praedicator, similisve alius hujusmodi licentiam per duos, vel tres menses, ut spiritualibus incumbat exercitiis, petierit, poterit prior generalis illam concedere, dummodo nulla ibi immunitate fruatur, et in omnibus, ut caeteri conventuales, se gerat.

De facultate prioris recipiendi religiosos in eremo

§. 376. 3. Liberum tamen priori relinquimus alterius ordinis religiosos sine exceptione recipere, et etiam justa, et rationabili causa per unam immorari noctem permittere. Liberum etiam eremi ingressum concedimus archiepiscopis, et episcopis; eodemque modo, ac bonore, sicut in aliis monasteriis recipi volumus; permittimusque, ut cunctis communitatis actibus, praeterquam conventuali capitulo, culparum correctioni, et collationibus, possint, si velint, interesse. Salva tamen manente eremi observantia, quam nulla ratione fas erit, paululum etiam, remittere. Non permittimus autem, ut quis cujuscumque dignitatis, aut conditionis sit, locum istum vere sanctum, ac luctui, poenitentiae, et contemplationi sacrum profanum faciat, venatione, ludo, aliisve similibus oblectamentis; nec ullam ad hoc facultatem superior aliquis, nec ipsum etiam generale capitulum concedere poterit.

De exclusione saecularium ab eremo

§. 377. 4. Saecularibus omnino ingressum interdicimus, nec ullus ibi hospitetur, aut recipiatur, nisi de licentia prioris generalis quam raro admodum, et ad diem tantum concedet: nec prior aut praesidens sub gravi poena poterit aliquem excipere, qui hanc expressam licentiam non exhibeat. Excipimus illos qui fraternitatis literis illic conventuales fuerint, qui solitariam aediculam aere proprio ibi extruxerint; quique annuam eleemosynam pro congrua alicujus eremitae sustentatione praestiterint; hoc enim poterit eremi prior sine alia facultate excipere, at ibi pernoctare non sinat, nisi gravi urgente necessitate. Siqui vero alii sint, qui, ut orationi aliquantum vacent, solam ecclesiam inire cupiant, nisi id frequenter accidat a priore concedatur.

De exclusione mulierum ab eremo, et ecclesia eremo adnexa.

§. 378. 5. Mulieres neque ecclesiam, neque aliquem eremi locum ingredi permittimus, quod ut cautum omnino habeatur, praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub praecepto, nec non sub excommunicationis majoris poena ipso facto incurrenda omnibus, et singulis congregationis nostrae religiosis, cujuscumque dignitatis, et conditionis, ut nulla ratione, nec etiam processionum occasione, vel quovis alio titulo, aut privilegio, intra eremi septa aliquam mulierem cujuscumque qualitatis sit, admittant, vel ad id auxilium praestent, consiliumve, aut permissionem. Si quis vero secus fecerit, praeter statutas poenas, statim ad alium conventum transferatur, et ab officio privetur, si praelatus, si vero subditus sit, aequali poena plectatur.

Prohibitio generalis super dispensatione in materia clausurae eremi.

§. 379. 6. Nemini tandem liceat, neque generali definitorio in supradicta constitutione dispensare, nec etiam casu, quod ab apostolica Sede privilegium obtineatur, nisi simul praeceptum in eodem contineatur. Ne autem in hac materia tergiversationibus ulius detur locus, declaramus sub eremi nomine intelligi debere omnia, et quaevis loca, quae intra sylvae muros comprehenduntur. Ordinamus etiam, ut in ejusdem eremi vestibulo foris apponatur in lignea, aut lapidea tabula fideliter exarata Bulla, quam ad hunc finem concessit sanctissimus pontifex Gregorius XV. die 23. julii anni Domini 1622, ut omnibus pateat; et quae praecipit nemo ignoret.

§. III.

De peculiaribus eremi actibus ad mentalem, vocalemque orationem pertinentibus.

De oratione mentali habenda in eremo.

§. 380. 1. Praeter assiduam orationem ad quam ex regulae praecepto habeamus obligamur omnes, quam et eremitae adamussim observare debent cum aliis justis occasionibus non occupentur, omnes in communi tribus horis quotidie mentali orationi vacabunt, quarum una semper primo mane hora ejuita, et altera vespere eadem hora habeatur: dimidia ante prandium, in qua conscientiae includatur examen; at diebus, quibus conventualis

missa cantetur, praetermissa abstinentia, conscientiae examen subsequatur: dimidia altera post matutinum usque ad horam secundam tantum post mediam noctem fiat: verum in infra octavis Paschae, et Pentecostes finita post matutinum media orationis hora, ante secundam chorum exeant. Post completorium fiet etiam conscientiae examen juxta congregationis nostrae morem.

De recitatione divini officii

§. 381. 2. Divinum officium magna cum reverentia, devotione, et pausa ab omnibus persolvatur; quod ut fiat ordinamus, ut matutinum in duplicibus, et semi duplicibus horae cum dimidia tempus terat: in dominicis, et solemnitatibus, quibus collatio extraordinaria habenda erit, duarum fere horarum: in simplicibus autem, et feriis horae cum quadrante. Matutinum officii parvi beatissimae Virginis semihora absolvatur.

De matutino media nocte habendo.

§. 382. 3. Media nocte persolvatur semper matutinum; cantabitur autem simul cum laudibus in triduo majoris hebdomadae, in solemnitate nativitatis Domini, in festis Resurrectionis, Pentecostes, sanctissimi Corporis Christi, septemque sequentibus diebus; sed in his ultimis quoad ea, quae in aliis conventibus cantabuntur, et in aliis praefatis observetur etiam quod in aliis conventibus observari solet. In festivitatibus primae classis, aliisque quibus collatio extraordinaria erit habenda canatur tantum *Te deum laudamus:* in reliquis cantus omnino omittatur.

De recitatione aliarum horarum.

§. 383. 4. Minores horae eodem tempore, ac in caeteris regularis observantiae conventibus, recitentur: sed prima (idem esto in vesperis et completorio) fere ad dimidiam usque horam protrahatur: tertia, sexta, et nona paulo ultra quadrantem singulae protendantur. Si autem officium parvum beatissimae Virginis una cum officio majori persolvatur, prima simul cum tertia ad horam usque prolongetur; sexta et nona ad tres usque quadrantes dilatentur; eadem fere mora sit in vesperis; in completorio dimidia consumatur hora.

Distributio recitationis horarum.

§. 384. 5. Prima canatur in vigilia Nativitatis Domini; tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis. Vesperae primae, et secundae cum cantu celebrentur in primis trinae Paschae diebus, in festis Epiphaniae, Circumcisionis, Corporis Christi, sanctissimae Virginis Mariae de monte Carmelo, ejusque Assumptionis, s. Joseph, et ejus patrocinii, parentum nostrorum s. Eliae, s. Theresiae, et s. Joannis a Cruce, ac demum s. conventus titularis.

De missa conventuali.

§. 385. 6. Conventualis missa, cui omnes intererunt, semper habebitur, vel recitanda tempore antemeridianae orationis, quam hora canonica antecedat, et alia subsequatur; vel canenda quod fiet tantum in dominicis, et festis de praecepto, et in festivitatibus sanctorum nostri ordinis, qui cum octava celebrantur, et et in festo dedicationis ecclesiae. Si autem a proprio die transferatur solemnitas, cantus minime transferatur. Singulis anni sabbatis praedicta conventualis missa mane, et sine cantu celebretur votiva de beatissima Virgine cum orationibus Spiritus Sancti, et s. Joseph, prout mos est in congregatione nostra, et nullo accepto stipendio, in obsequium beatissimae virginis proque ordinis incremento applicetur: attamen si aliqua tunc occurrat festivitas ejusdem beatissimae Virginis, aut alterius sancti, in qua cani debeat, ad consuetam horam transferatur, eodemque modo applicetur.

De aliis peculiaribus piis operibus implendis.

§. 386. 7. In die Purificationis beatissimae Virginis, feria quarta Cinerum, dominica Palmarum, in triduo majoris hebdomadae, et in aurora Resurrectionis idem omnino observetur, tam in benedictionibus, et processionibus, quam in aliis, quod in caeteris regularis vitae conventibus observari solet. Idem similiter in solemni commemoratione defunctorum tum ab ecclesia, tum ab ordine instituta. Idem etiam in exequiis, et suffragiis pro defunctis, secundum quod in his constitutionibus manet statutum: at responsoria, quae singulis hebdomadibus cum cantu celebrantur, sine illo in eremo hora solita recitentur.

De processionibus Corporis Christi facienda

§. 387. 8. Fiat praeterea sicut in aliis conventibus solemnis processio sanctissimi Corporis Christi, omittatur autem cantus in litaniis sancti Marci, et rogationum, quas, ut in collegiis recitari volumus; et nullae aliae processiones habeantur. Si autem ob publicam causam per universam congregationem a priore generali aliquae indicentur rogationes, missae, aut processiones, idipsum in eremo servabitur. Qui in separatis cellulis degerint, officium divinum eodem tempore, et modo persolvant, ac in conventu persolvetur.

De concionibus habendis.

§. 388. 9. Tandem concio nunquam ad populum habeat; quando autem ex lege, vel consuetudine ad fratres haberi solet, ex sedili chori prope praelati locum dicatur. Caeterum fe-

ria quinta in coena Domini in latere presbyterii recitabitur.

§. IV.

De austeriore paupertate, et abstinentia in eremo servanda.

De austeriore paupertate, et abstinentia in eremo servanda

§. 389. 1. Non supervacanea tantum, et quae paupertati dissonant, ab eremo erunt eliminanda, sed necessaria etiam eligenda de his, quae ruditatem, et simplicitatem redoleant. Prior generalis, quive ejus egerit vices in exactam hujus strictissimae paupertatis observantiam inquirat diligenter; et quidquid superfluum, aut minus necessarium deprehenderit, salva congrua religiosorum sustentatione, ac provisa satis monasterii reparatione, de definitorii consensu, pauperibus congregationis conventibus distribuat. Teneantur etiam eremi habitatores, quorum conscientias obstringimus, si quid hujusmodi repererint, non expectato visitationis tempore, ad superiorem deferre.

De supellectile adhibenda.

§. 390. 2. Eadem paupertas, et simplicitas in aedificiis eluceat, nullaque ibi pergulae, vel cellulae, aut dormitoria super illa, quibus subjacet immediate solum, construantur. Nulla etiam in ecclesia, vel sacristia admittatur supellex auri, vel argenti, et auro, argentove obducta praeter calices, et patenas, vel pyxidem, aut custodiam, quo venerabile Eucharistiae sacramentum in processionibus deferatur, pyxidemque unam, qua in sacrario adservetur, et aliam, qua fratribus ministretur, vasque sanctae infirmorum unctioni destinatum. Altarium tabulae pictae in marmoris speciem, vel alio colore fingi poterunt, et debebunt fasciolis inauratis distincto. Sacrae tandem vestes, caeteraque ad altarium, totiusque ecclesiae ornamentum spectantia, sacrarii apparate excepto, ex lana, lino, aut gossipio erunt, non tamen acu intertexta, serico, auro, argentove esse poterunt.

De frugalitate in cibo servanda.

§. 391. 3. Peculiaris etiam in religiosorum cibo frugalitas servanda erit: quamobrem sancimus, ut tam in quantitate, quam in qualitate ille sumatur cibus, qui potius necessitati subvenire, quam appetitum satiare videatur. Ad prandium adhuc jejunii tempore, leguminum paropsis in abundanti quantitate ministratur, insuperque ferculum unum ex lichiis (vulgo sardinhas) vel siccatis piscibus vulgo Bacalhao, Cacão, et aliis; vel loco piscium dentur herba, aut fructus cocti, vel ova ad superioris arbitrium. Ad coenam vere ex praefatis piscibus, aut ovis unum exhibeatur ferculum, regulariterque addatur pauculus fructus, vel olus aliquod.

De austeritate relaxanda diebus paschalibus.

§. 392. 4. Poterit tamen prior paschalibus diebus, et quoties collatio extraordinaria haberi solet, hunc abstinentiae rigorem aliquantulum temperare, aliquid, et in quantitate, et in qualitate, superaddendo, prout ipsi in Domino videbitur expedire. Id ipsum in coenis extraordinariis agere poterit, quae quatuor tantum, aut quinque erunt in anno, solemnibusque diebus, ad prioris arbitrium.

De jejuniis extraordinariis

§. 393. 5. Praeter Ecclesiae, regulaeque jejunia, jejunabunt etiam eremitae nostri singulis feriis sextis per annum, nullumque obsonium, quod igne paretur, ad prandium bis diebus comedent, sed tantum oleribus, lacte, caseo, et fructibus aliquibus victitabunt, nisi dies festus sit, vel aliqua occurrat solemnitas beatissimae Virginis Mariae, s. ordinis, s. Pauli primi eremitae, vigiliae Nativitatis, ecclesiae dedicationis, et cum conventualis missa cum cantu celebretur; tunc enim ordinarius cibus ministrabitur. Attamen poterit prior aliqua cum necessitate, aut causa religiosos aliquos hac abstinentia levare, aliquid aliud suppeditando, prout eorum postulaverit necessitas. In die parasceves, et pridie Cinerum, nisi festum sancti Mathiae simul occurrat, omnes in pane et aqua jejunent.

§. V.

De silentio.

De silentio.

§. 394. 1. Ordinamus, ut religiosi nostri solitudinis incolae cum hospitibus saecularibus, aut alterius ordinis religiosis nunquam colloquantur, nisi prior, et janitor, quibus commendamus, ut ad ipsos extraneos ea tantum verba faciant, quae opus fuerint, ut cum urbanitate, officio suo plane satisfaciant. Idipsum de prioris venia poterunt agere monasterii subprior, et procurator. Quilibet etiam religiosus semel in anno parentibus selummodo, vel fratribus colloqui peterent, si ipsi necessaria facultate obtenta, illic hospitio excipiantur. Cum hospitibus ordinis etiam colloqui non per-

mittimus, nisi coram praesule, habita prius ejus venia, vel tempore collationis spiritualis.

De scriptura, aliisque signis adhibendis, ne silentium frangatur.

§. 395. 2. Assiduum etiam inter se, et adeo exactum silentium servabunt omnes eremi conventuales, ut tempore adhuc a regula silentio non destinato, solum praelato loqui possint. Si autem ratione alicujus officii alteri religioso aliquid exprimere opus habuerint, scripto, nutibus, ac signis utantur, sive ad prioris praesentiam se conferant, ut ibi verbo aperiant, quod aliter percipi nequiverit. Tempore autem a regula vetito, ea tantum, quorum dilatio detrimentum attulerit, in prioris cellula submissa voce tractentur. In choro, ecclesia, sacristia, claustro, dormitorio, et refectorio nec prior ipses, nec ipsi priorem alloquantur: at caeteris locis, et temporibus, et si liberum erit priori, quoties justa subsit causa, quemlibet suorum subditorum affari, hoc tamen ea faciat vocis demissione, ut alibi non audiatur.

De allocutionibus habendis cum superioribus

§. 396. 3. Praelatis superioribus eodem modo, ac immediato, loqui poterunt eremitae omnes, nec non per literas, ubicumque sint, communicare. Immo cum ad eremum accesserint, convenire debeant omnes, qui in monasterio sunt, ut ipsos visant, alloquanturque ea reverentia, et urbanitate, quae religiosum decet.

De non scribendo extraneis absque prioris venia

§. 397. 4. Scribere extraneis etiam nostri ordinis religiosis extra eremum degentibus, nemini eremitarum fas sit, nisi priori, et de ejus venia, procuratori, pro eis solum, quae sui officii sunt. Si quis vero alius ad scribendum necessitate compellatur, id faciat de prioris generalis licentia, vel priorem interpellet, ut pro se ipse scribat.

De poenis contra violantes eremi silentium.

§. 398. 5. Quicumque eremi silentium, ut praefertur, violaverit, poena gravi puniatur; si tempore a regula praescripto id faciat, disciplinam insuper accipiat; si denique in id frequentor, et cum aliorum scandalo reciderit, duplicatam accipiat poenam, et ex eremo protinus rejiciatur. Quicumque alterius cellam sine debita licentia ingrediatur eisdem subjaceat poenis, quae pro aliis conventibus sunt praestitutae: si autem solitarias aediculas huc, illuc dispersas fuerit ingressus pro prima vice dictis poenis subjaceat, pro secunda eremo expellatur.

De exclusione recreationis in eremo.

§. 399. 6. Recreatio tum meridiana, cum vespertina in eremo nunquam habeatur: liceat tamen religiosis a Paschate ad exaltationem usque sanctae Crucis post coenam, aut parvam refectionem e domo egredi, et quacumque velint (intra tamen muros) exercitii gratia perambulare; dummodo seorsim quisque id faciat, neque duo umquam sint simul, omnesque domum redeant tempore ad completorium persolvendum apto.

§. VI.

De spiritualibus collationibus.

De spiritualibus collationibus.

§. 400. 1. Singulis quindecim diebus in dominica post vesperas omnes eremitae, habita prius per dimidiae horae spatium mentali oratione, more sanctorum patrum convenient pro spirituali collatione habenda, quae duarum horarum cum dimidia tempus consumet; et his diebus nulla alia vespertina oratio habeatur. Idem fiat diebus purificationis, nativitatis, et conceptionis beatissimae Virginis, in die sancti Pauli primi eremi incolae, sancti patris nostri Hilarienis, nec non in vigiliis Nativitatis et resurrectionis Dominicae, dominicaque Palmarum, ac tandem tribus aliis totius anni diebus arbitrio prioris designandis.

De collationibus extraordinariis.

§. 401. 2. In solemnioribus vero diebus, videlicet in die Nativitatis Domini cum tribus sequentibus; die quoque Circumcisionis, tribusque primis Paschae, et Pentecostes; in die sancti Bartholomaei; pridieque exaltationis sanctae Crucis, vel si feria sexta sit in feria quinta antecedenti; in dominica quinquagesimae, et prima Adventus, ac in solemnitatibus omnibus, quae ritu primae classis in toto ordine celebrentur, ecclesiae dedicatione excepta, et tandem quoties ad eremum generalis prior accesserit, collatio extraordinaria habeatur.

Declarationes speciales circa collationes extraordinarias.

§. 402. 3. Si qua vero ex praedictis festivitatibus ante, vel post dominicam, in qua ordinaria collatio alias haberi soleat, ita proxime occurrat, ut inter ipsam festivitatem et dominicam tres saltem dies non intercaleotur, ordinaria illius dominicae collatio omittatur, et nonnisi in dominica post quindecim dies in posterum habeatur. Item si qua ordinaria, vel extraordinaria collatio in octavario Corporis Christi occurrit, oratio mentalis, quae collationem praecedere debuisset, tunc subsequi debeat.

De congregatione eremitarum pro collationibus ordinariis, et extraordinariis.

§. 403. 4. Semel tantum in ordinariis collationibus congregentur eremitae; at in extraordinariis bis in die convenire poterunt, ante, videlicet, et post coenam, aut refectionem parvam: in omnibus autem sermo sit de rebus tantum ad spiritualem animae provectum, contemplativaeque, et eremiticae vitae perfectionem spectantibus. Saecularia verba, aut saecularium rerum nutitias, vel quaevis alia nuvitiatum genera; et si ex illis sint, quae in aliis conventibus non prohibentur, curet praelatus diligenter procul inde amandare, utpote eremitis impropria nimis. Curet etiam in una collatione certam decernere materiam, circa quam in sequenti sermo versari debeat.

De exclusione extraneorum a collationibus.

§. 404. 5. Extranei, cujuscumque dignitatis sint, absque expressa definiturii licentia huic collationis actui interesse nequeant. Nec etiam ex nostris illi, qui Adventus, et quadragesimae tempore in separatis cellulis degunt; hi nimirum pro generali priore tantum, et eremi visitatore convenire debeant.

§. VII.

De iis, qui in separatis aediculis solitudini impensius vacant.

De iis, qui in separatis aediculis solitudini impensius vacant.

§. 405. 1. Praeter cellulas in monasterii claustro aedificatas, construantur aliae intra ipsius muros, ab ipso tamen, invicemque semutae, ac suo quaeque inhaerens sacello, privatoque septo circundatum, ut ibi ad tempora prioris arbitrio designanda, solitarie vivant, quicumque velint; dummodo ex illis sint, qui prius in conventu solitis communitatis actibus ad duos saltem menses interfuerint.

De tintinnabulis adhibendis, et vitae tenore servando in cellis.

§. 406. 2. Qui hujusmodi cellas se receperint, nullos alios, praeter spirituales libros secum deferent, eumdemque, ac in conventu vitae tenorem observabunt; et ad signum communi cymbalo exhibitum cujusque solitarii tintinnabula respondebunt, sub poena hoc negligentibus juxta qualitatem culpae applicanda; statimque ad sacellum orationi, matutino, caeterisque canonicis horis, ac etiam conscientiae examini, flagellationi, solitisque aliis ecclesiae functionibus ibidem satisfacturi, accedant.

De graviori abstinentiae rigore.

§. 407. 3. Major tamen erit ipsis abstinentiae rigor; namque, praeter panem, et vinum, nullo alio obsonio communiter uti debeant, nisi oleribus crudis, aut coctis, facile tamen parati, et pomis, aut aliis terrae fructibus. Poterit tamen prior (qui eos saltem semel in hebdomada viset) attenta dierum festivitate, aut corporum debilitate, aliud quandoque abundantius addere, prout sibi in Domino placuerit.

De interventu ad capitulum conventuale.

§. 408. 4. Dominicis diebus ad monasterium venire debeant, ut conventuali capitulo intersint, ibique facta de propriis defectibus humili confessione, debitaque correctione a praelato accepta, caeteris communitatis actibus assistant, donec absolutis vesperis, vel, si dies collationis sit, hac expleta, ad suam quisque vertatur aediculam.

De reditu ad conventum faciendo.

§. 409. 5. Qui per Adventum, aut quadragesimam has incolunt cellas, pridie tantum vigiliae Nativitatis, sive dominicae Palmarum ad conventum redeant, nec ante revertere possint, nisi infirmitatis causa, vel ut eremi visitationi adsint, ac sepulturae officio, exequiisve alicujus fratris in eremo decedentis, vel supplicationibus causa publica habendis. Liberum tamen priori relinquimus eorum aliquem, vel aliquos, prout ipsi Dominus suggesserit, ante praestitutum diem ad domum revocare, aut alios in ipsorum locum sufficere.

Monitum ad superiores.

§. 410. 6. Superior diligentissime curet, ut religiosi harum cellularum recessum ament, detque operam, quin ulla cogat vi, ut sex in Adventu, et totidem in quadragesima illic inhabitent, et aliqui etiam per reliqua anni tempora, dummodo in conventu maneat sufficiens religiosorum numerus, qui divina officia, solitosque communitatis actus decenter persolvere queant.

Praeceptum a praelato et ejus vicesgerente servandum.

§. 411. 7. Quamobrem praelato, aut ejus vicesgerenti praecipimus, ut feria secunda post dominicam primam Adventus, et die Cinerum, omnibus in ecclesia congregatis, illos ad hanc rem exhortetur, et posteaquam orationi per aliquod tempus vacaverint omnes, ipse singulas distribuat aediculas, singulis illas ultro petentibus, qui post primam dictam, vel post Cinerum impositionem, accepta prioris benedictione, statim ad designatas sibi aediculas tendant.

§. VIII.

De aliis ad eremi regimen spectantibus.

De aliis spectantibus ad regimen eremi.

§. 412. 1. Quamvis eremi monasterium ordinariae subsit prioris generalis jurisdictioni, debet tamen generale capitulum priorem immediatum ipsi praeficere. Curent igitur ele-

ctores illum deligere, qui in eremitica disciplina fuerit apprime versatus, vel saltem ipsius amore vehementer affectus, insuperque alias qualitates in caeteris ordinis prioribus requisitas praeseferat, ut suo possit exemplo, ac adhortationibus spiritualem subditorum vitam sustentare, doctrinaque perficere. Quod ut facilius obtineat, teneatur, semel saltem in mense cum singulis seorsum communicare spiritualiter, atque eorum necessitates, nedum spirituales, sed etiam temporales sedulo explorare, ac remedium, et solatium quam primum providere: teneatur etiam ipsorum confessiones, ipsis ultro petentibus, auscultare.

De electione, et munere subprioris.

§. 413. 2. Subprior a priore eligatur, et quantum fieri possit similes habeat qualitates: attamen officium non exercebit, quin a generali priore confirmetur. Procuratoris autem electio ad ipsum priorem generalem tantummodo spectabit; nullaque ratione poterit monasterii prior quemvis alium in electi locum, et si morte fuerit praeoccupatus, substituere, nisi per breve illud tempus necessarium, ut priorem generalem conscium reddat, ac ejus determinationem accipiat.

De confessionibus religiosorum excipiendis.

§. 414. 3. Pro religiosorum confessionibus excipiendis, praeter patrem superiorem alii duo, vel tres ex dignioribus a priore, designentur; quod si horum aliquis solitariam aediculam se recipiat, vel alia de causa id exercere queat, prior alium in ejus locum sufficiat. Solemnioribus diebus poterunt omnes eremitae de praelati venia (quam exhibere curabit) approbato cuicumque religioso peccata sua aperire. Poterunt etiam qui in cellulis vivunt separatis, si approbati fuerint, alter alterius confessiones audire: et nonnisi panio ante missam, et in sacello id faciant. Praeter enumeratos nullus alius, nisi sit ex superioribus praelatis, poterit alicujus religiosi in eremo degentis confessiones auscultare.

De saecularium confessionibus non audiendis.

§. 415. 4. Nullus etiam solitarius saecularium confessiones audire queat, nisi ipsi sint conventus famuli, vel qui illuc feria quinta in coena Domini conveniant, servatis de jure servandis. Poterit nihilominus prior facultatem concedere, ut quivis ab ordinario approbatus extranei sacerdotis regularis, vel saecularis confessionem excipiant, cum sacrum in eremo celebrare debeat.

De communi arca, et de acceptis, ac expensis computo faciendo.

§. 416. 5. Prior simul cum subpriore, et procuratore singulis duobus mensibus de acceptis, et expensis computum faciant; sitque communis arca, in qua libri de rebus, et sumptibus monasterii, sicut in aliis conventibus, et eleemosynae reponantur, cujus duas claves habeat prior, et subprior.

De cura situs eremi.

§. 417. 6. Ut eremi situs in dies, et amoenus, et orationi aptus fiat, teneatur prior quotannis agrestes arbores denuo plantare, nullamque excidere, vel eradicare sine conventualis capituli approbatione, in qua ex tribus partibus duae saltem suffragentur. Attamen, ne ob nimium agriculturae studium spiritus fervor tepescat, ordinamus, ut illud terrae colatur tantummodo, quod unus, vel duo operarii exequi valeant.

De robore constitutionum in eremo habendo.

§. 418. 7. Ordinamus etiam, ut eremi hae constitutiones, idem habeant robur, ac communes leges, nullique praelato fas sit in ipsis dispensare, aliquid ad illas addere, vel de illis minuere, nisi generali capitulo, eoque modo, quo in legibus ad regimen spectantibus dispensari, ad illas addi, aut de illis minui possit, et debeat: immo cunctae ad literam ab omnibus, ad quos spectant, non modo observari, sed zelari etiam debeant, quod omnibus commendamus, ut prudenter agant.

De eremi consuetudinibus servandis.

§. 419. 8. Ordinamus praeterea ut primitivae eremi consuetudines a generali definitorio approbatae omnino serventur: si quod autem circa ipsas vel circa legum intelligentiam oriatur dubium, definitorium consulatur, quodque decreverit, servetur, usquedum generale capitulum, quod aequum censuerit, statuat.

De lectione hujus capitis in refectorio facienda.

§. 420. 9. Ne autem hac in re ullus oblivioni sit locus, praecipimus, ut caput istud initio cujuscumque mensis publice in refectorio legatur post sacrae Scripturae lectionem, et semel in anno visitationis tempore una cum solitudinis instructione.

PARS SECUNDA

De rebus ad totius congregationis regimen spectantibus.

CAPUT I.

De praelatorum electionibus in communi.

§. I.

De electorum obligationibus.

De obligationibus electorum.

§. 421. 1. Et si leges optime dirigant, quae agenda, quaeque umittenda sunt; attamen ob

ingenitam humanae naturae conditionem qua nitimur in vetitum; nisi aliquibus zelo, et prudentia, doctrina, et sanctitate praestantioribus, detur clavus imperii, ut caeterorum mores ad legum praescripta reducant, pax nulla poterit, nullaque perfectio in monastica professione expectari. Sunt igitur necessariae praelatorum electiones.

De voto non ambiendi ab electis emittendo.

§. 422. 2. Ut autem fiant inter nos ullo absque periculo, et pacis dispendio opere pretium duximus, in primis pestiferam omnium malorum radicem, ambitionem, praecidere, omnemque reviviscendi occasionem omnino praecludere. Eapropter monitis jam recenter professis, singulari antidoto quarti voti « *Non ambiendi* » nunc praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub formali praecepto, et sub poenis in decreto Clementis VIII numero 35 taxatis, omnibus, et singulis congregationis nostrae fratribus, subditis, et superioribus cujuscumque conditionis, aut dignitatis sint, ne praelaturas aut officia in voto « *non ambiendi* » comprehensa, et modo, ubi de ipso agimus, adnotato, umquam obtinere procurent.

Monitum ad electores.

§. 423. 3. Sub eodem praecepto injungimus omnibus, et singulis electoribus, ut in cunctis electionibus, sive in generali capitulo, sive in conventuali, sive in definitorio faciendis, ad praedicta officia sufficienda pro iis tantum suffragentur, quos coram Deo digniores, dotibusque per has constitutiones requisitis instructos cognoverit.

Aliud ut supra.

§. 424. 4. Praeterea eosdem electores hortamur, ut scira curent inhabilitates omnes juris communis, ne in superiorem eligant, qui illas contraxit; ac insuper eas, quae sequentibus declarationibus, continentur, quas ad hanc effectum ejusdem roboris esse volumus.

De inhabilibus ad praelaturas, et officia.

§. 425. 5. Prima: ad relatas praelaturas, vel officia, inhabiles erunt omnes illi, qui voti « *non ambiendi* » vel praecepti de non procurando pro se, aut pro aliis ejusmodi officia infractores deprehensi fuerint: qui a superiore, quamvis legitimo perpetuam a communitatis actibus exemptionem impetraverint. Qui in re gravi fratrem aliquem apud saeculares infamaverint: qui ad superiorem aliquem extra ordinem, licet alias legitimum, non servato ordine juris, appellaverint: qui ab ordine fuerint expulsi, vel aliquando apostataverint: qui pro nostrarum legum mutatione, aut contra debitam ipsarum executionem, vel ad impedienda, abrogandave superiorum mandata, a generali capitulo, vel definitorio legitime dimanata, eodem illegitimo modo, per se, vel per alium pertractasse dignoscantur: qui denique quavis de causa passiva voce carent, aut integrum annum post studiorum cursum non expleverint.

Idem ut supra.

§. 426. 6. Secunda: Erunt similiter inhabiles, qui ob adversam valetudinem ab aesu carnium abstinere, chori actibus communiter interesse, et alias observantias ordinarie ferre non possunt. Attamen poterunt electores in hac inhabilitate cum aliquibus dispensare, aut in superioribus praelatos eligantur, si coram Deo judicaverint, hujusmodi defectus posse, singulari ipsorum prudentia, vitaeque sanctitate, in majorem ordinis utilitatem compensari.

Idem ut supra ad munus prioris generalis.

§. 427. 7. Tertia: Nullus in priorem generalem assumi possit, qui quadragesimum aetatis annum, duodecimumque ab emissa professione non habuerit: nullus in definitorem generalem, aut vicarium provincialem, qui trigesimum quintum aetatis, et a professione decimum non expleverit: nullus in procuratorem generalem, praelatum localem, et socium ad generale capitulum, qui duos et triginta ab aetate, et a professione octo non compleverit.

Idem ut supra.

§. 428. 8. Quarta: In priorem generalem nonnisi dignior eligi debet, sit, vel non, in capitulo; finita vero hac praelatura, in illam, aut in aliam iterum eligi non poterit, nisi transactis tribus annis. Idem esto de definitoribus generalibus, si antecedenti triennio praelaturam aliam habuerunt: excipimus tamen prioris generalis dignitatem, ad quam fas erit assumi quamvis per plura triennia alia munera occupasset.

Idem ut supra.

§. 429. 9. Quinta: Qui prioris, aut vicarii canonice electi munere in antecedenti triennio functus fuerit, non poterit illico in simile munus reeligi: hanc inhabilitatem ad eremi priorem non extendimus, ut in eumdem locum iterum praeficitur, cum id conveniens judicabitur: non extendimus etiam ad alium quemcumque priorem, ut in eum, vel alium conventum denue eligatur, quoties tres e quatuor electorum partibus id opportunum censuerint.

De excommunicatione persequentium electores.

§. 430. 10. Sciant praetera, excommunicationem a communi jure, ipso facto, incurrare, quicumque audeat, aliquo modo electores persequi, aut gravare, pro eo, quod rogati, seu

alias inducti, alicui suffragentur. Sciant etiam ex Tridentini decreto, omnes quorumcumque electiones per secreta suffragia fieri debere; ita ut eligentium nomina, nunquam publicentur; quamobrem omnes, et singulos electores, praeter praefatas poenas, sub privatione vocis, et loci inhibemus, ne suffragia ab ipsis ferenda per se scribant, aut alterius manu scripta, signe aliquo denotare audeant, ex quo, cujusnam sint, dignosci queat.

§. II.

De modo suffragandi.

De modo suffragandi. §. 431. 1. Ut recte, omnique libertate fiant electiones, hoc modo perfici volumus. In primis duo fratres, qui ex gremio capituli non sint, si de custodiendo secreto bene audiant, a definitorio eligantur; ut in quibusdam schedulis unusquisque scribat quaecumque religiosorum nomina sibi ab electoribus petita; teneanturque duo isti coram capitularibus suo ordine considentibus, juramentum praestare de non revelando petita, vel non petita sibi nomina: quo praestito, statim suum quisque ad locum, a domo capituli sejunctum, et parum distantem, secedent, ibique ita invicem separati permaneant, ut eorum nullus, quod alteri dicitur, audire, aut, quod ab illo scribitur, intueri valeat.

De cathalogo eligendorum definitorio exhibendo. §. 432. 2. Interim capitulares suum quisque cathalogum definitorio praebeant, propria, vel aliena manu antecedenter scriptum, in quo tot religiosorum contineantur nomina, quot, ut cuilibet praeficiantur officio, idoneos judicaverint. Definitoriom erit tunc hujusmodi cathalogos attente inspicere, ad invicem conferre, et saepius in omnibus repetita nomina extrahere, atque in generalem cathalogum fideliter regere, qui a secretario capituli perlegi, et in interiore aliquo ipsius capituli loco affigi debet, ut ab omnibus facile legatur.

De denunciatione officii in quod electio dirigi debet. §. 433. 3. His peractis, capituli praeses officium denuntiabit, in quod electio primum dirigi debet; dotes in religioso eligendo requisitas declarabit; posteaque una cum vocali sibi immediato a capitulo egredientur, et a deputatis fratribus (unusquisque a suo) schedulas expostulabunt, in quibus inscribi faciant religiosorum (ad minus trium) nomina, quae in conscientiae veritate ad praedictum officium noverint esse digniores: quibus inscriptis, statim ad capitulum revertantur, et reservatis aliis, quam maluerint schedulam, unusquisque ita plicabit, ut quod continet, forinsecus videri nequeat, et coram omnibus intra urnam, ad hoc in definitorii mensa praeparatam, injiciet, statimque ad suas sedes revertantur. Idem observabunt caeteri per ordinem, bini et bini egredientes illico, ac primi ingrediantur, et non antea.

§. 434. 4. Deinde hujusmodi schedulae numerentur, et nomina in ipsis scripta publice legantur coram definitorio tantum, insimulque perscrutentur a praeside, duobus primis definitoribus, et capituli secretario, atque ab istis calamo adnotentur, quot pro unoquoque suffragia concurrant; ac tandem, ut canonice electus habeatur, qui majorem suffragiorum partem obtinuerit. De schedularum perscrutatione.

§. 435. 5. Licet in alicujus favorem plura concurrant suffragia, si majorem partem non obtineat, electio nondum facta reputetur; ideoque electores iterum, et eodem modo ad nova ferenda suffragia se vertant. Si nullus adhuc dimidiam suffragiorum partem superaverit, ad calculos albos, et nigros lis tota devolvatur: duobus in schedulis scribantur nomina duorum, qui hac secunda collatione plures pro se voces habuerunt, vel si quoad hoc aequales alii inveniantur aliis dimissis, qui antiquiores sunt in professione. Si in hoc adhuc sunt aequales, in aetate majores; et ambae schedulae in suo quaeque vase, ita affigantur, ut ab omnibus perspicue cerni possint, tunc electores per calculos albos, et nigros in unoquoque vase secreto injectos, declarabunt, quem duorum malint, et quem ipsorum renuant; ac tandem ille censeatur canonice electus cui plures calculi albi favore contingant. Si vero aeque in utrumque dividantur, electus dijudicabitur primo, qui in aetate praecelluerit. De canonica electione.

§. 436. 6. Eodem modo reliquae electiones perficiantur, liberumque sit cuilibet electorum, illi suffragari, quem digniorem coram Deo judicaverit, sit, vel non in praefato cathalogo. Idem suffragandi modus, proportione habita, servetur in electionibus a definitorio, vel conventuali capitulo peragendis pro officiis in voto — *non ambiendi* —. At in illo pro scribendis schedulis unus tantum religiosus deputetur extra definitorium; in isto vero duo ex eodem capitulo. Ordinamus praeterea, ut omnes prae- De reliquis electionibus.

lati, tam superiores, quam inferiores, statim ac fuerint electi, si adsint, publicam fidei professionem juxta constitutionem — *Injunctum* — Pii IV. coram capitulo faciant: si absint, id exequantur suo in conventu coram communitate cum patentes literas perlegi mandaverint.

De combustione schedularum electione peracta.

§. 437. 7. Peracta quacumque electione schedulae omnes comburantur statim, ac praeses praeceptum electoribus imponit, ut quas in electis inhabilitates cognoscunt, patefaciant. Asservari tamen debet in definitorii archivio cathalogus generalis supradictus, ut pro aliqua electione triennali decursu forsitan facienda, digniores facilius dignosci queant.

De dissolutione dubiorum circa electiones.

§. 438. 8. Si aliquod circa electiones oriatur dubium, ad definitorium spectabit, illud intra diem decidere, et cujus decisioni omnes acquiescent, sub poena privationis vocis, et loci, ipso facto, per annos tres incurrenda. Caeterum, si dubium sit circa prioris generalis, aut alicujus definitoris electionem, a definitorio egrediatur is, usque dum decidatur, et ejus loco alius subrogetur, qui ipsius vices agat, prout infra dicendum est. Si circa alia, dubia versentur, eorum decisio ad totum capitulum pertinebit; quod si capitularium suffragia aeque dividantur, a definitorio tandem lis tota dirimatur.

De decisionibus, aut consensu exquirendo capituli, definitorii, consiliariorum, aut examinatorum.

§. 439. 9. Quotiescumque his in constitutionibus apponetur, decisionem requiri, aut consensum capituli, definitorii, consiliariorum, aut examinatorum; hoc sensu intelligi debet, quod major suffragiorum pars requiratur, quae per globulos albos, et nigros semper exprimi debet, si eaedem constitutiones aliud expresse non decreverint.

De recta applicatione suffragiorum.

§. 440. 10. Item quotiescumque duo ex tribus, aut tres ex quatuor suffragiorum partes requiri statuitur; et simul accidit, ut aliqua supersint suffragia, quae in praedictas partes nequeunt aequaliter dividi, hoc modo computari debent: si unum, aut duo tantum remaneant suffragia, haec ad majorem numerum partium a constitutionibus requisitum conferantur; si vero tria supersint, duo ad majorem, tertium vero ad minorem, distribuantur.

De scrutatoribus in capitulis, aut definitoriis generalibus.

§. 441. 11. Scrutatores in capitulis, aut definitoriis generalibus erunt, ipso jure praesidens, primique duo, juxta electionum suarum ordinem prope ipsum assidentes, una cum secretario. In conventuali capitulo scrutabuntur praesidens, tresque consiliarii, quorum unus secretarii munus exercebit; et ad capituli praesentiam suffragia publice dinumerabunt: si consiliariorum aliquis absit, ex vocabulis antiquior ejus vices agat. In privato denique consiliariorum, aut examinatorum congressu scrutinium cunctis ipsis aeque patebit.

Ne quis duas simul praelaturas habere possit statuitur

§. 442. 12. Nemo duas simul praelaturas habere possit; attamen, si aliquis, dum uni praeest conventui, in priorem alterius fuerit electus, in primi regimine manere volumus, donec ad secundum proficiscatur, vel ejus successor per se, sive per alium, debitam possessionem sibi assumat.

Caput II.

De capitulo generali.

§. I.

De tempore, quo capitulum generale celebrari debet, ac de vocalibus ad ipsum concurrentibus.

De tempore, quo celebrari debet capitulum generale, ac de vocalibus ad ipsum concurrentibus

§. 443. 1. Generale capitulum, in quo totius congregationis regimen, supremaque residet potestas, feria secunda post Pentecostes tertii cujusque anni celebretur, et ultra dies decem prolongari nequeat; nisi aliqua interveniat causa justa, et rationabilis plus temporis expostulans, quae a majori ipsius parte per secreta suffragia ut talis, probari debet.

De precibus habendis pro felici exitu capituli.

§. 444. 2. Pro felici ipsius exitu, per integrum mensem ante relatum diem, in singulis congregationis nostrae monasteriis, tum publice, cum privatim, assiduae Deo offerantur preces, piaque opera praesertim dominica quinta post Pascha, et infra octavam Ascensionis, in quibus supplicationes a manuali nostro praescriptas fieri mandamus; et insuper ipso in die, quo capitulum inchoabitur, solemnis missa cum cantu celebretur primo mane, naliuquo pro ea accepto stipendio, hunc in finem omnino applicetur.

De concionibus praemittendis.

§. 445. 3. Pridie igitur hujus diei mane, et non antea, teneantur vocales in conventum a praecedenti capitulo designatum, etsi vocati non sint, convenire, ut concioni ipso mane hac de re habenda, interesse queant. Si quis vero praestituto tempore non accedat, cumque gravis aliqua, et inevitabilis occasio non excu-

set, poena privationis ab officio, passivaeque vocis per annum afficiatur.

De vocalibus in capitulo.

§. 446. 4. Capituli vocales erunt prior generalis, (qui praesidens ordinarius esse debet) definitores generales, priores locales, et vicarii canonice electi, una cum sociis, procurator generalis, et vicarius provincialis ultramarinus, si hoc in regno degerit. Nulli alii in capitulo sit locus, nisi quis a legitima potestate extraordinarius praesidens fuerit constitutus: nulli etiam in conventu tunc admittantur hospites, praeter congregationis secretarium, aliumque religiosum ad inserviendum vocalibus designatum.

De prorogatione officiorum usque ad exitum capituli.

§. 447. 5. Quamvis autem vocalium officia, successorum electione, et confirmatione facta, finem accipiant; jure tamen suffragandi ad finem usque capituli gaudent: recenter vero electi, si antea vocales non erant, suffragii jus ipso in capitulo non habeant, nisi qui in superiores praesules fuerint assumpti. Caeterum, si triennii decursu justa subsit causa generale capitulum convocandi, vocem, et locum in illo habebunt, qui munus exercent, cui vox adjuncta est.

De non praestolando adventu absentium ad inchoandum, prosequendumve capitulum.

§. 448. 6. Ad inchoandum, prosequendumve capitulum nullius vocalis absentis praestoletur adventus, nisi prioris generalis ad octavum usque diem, et non ultra dummodo prius idem capitulum, per secreta suffragia probabile esse declaret, posse illum intra idem tempus accedere: sin aliter, capitulum inchoetur, illeque praesideat, qui inter vocales praesentes primum tenet locum; et statim tot assumantur substituti, quot desiderentur, ut legitimus definitorum numerus compleatur. Hoc tamen per electionem non fiat, sed ipso jure substituant, qui in ipso capitulo sunt, qui definitoris munus jam exercuerunt, juxta electionis suae antiquitatem, et ordinem: si vero desint; qui post praesidem, et definitores nobiliorem occupent locum. Idem servetur semper, quoties in generali capitulo aliquis, ex quinque definitorium constituentibus, deesse contingat.

De dilatione capituli ob infirmitatem prioris generalis.

§. 449. 7. Quod si eveniat, ut prope tempus, quo generale capitulum celebrari debet, prior generalis infirmetur; ita ut in eo non possit assistere; tunc per unum mensem, et non amplius, capitulum differre poterit. Si autem id contingat, post quam capitulum congregatum est, per illud decidatur, quid circa hoc agendum sit.

§. II.

De praeliminaribus capituli actibus.

De praeliminaribus capituli actibus.

§. 450. 1. Ipsa Pentecostes die post vesperas, signo ex more dato, ad solitum capituli locum congregentur omnes, ibique post sancti Spiritus invocationem sedeant, primo loco prior generalis, aut praesidens, una cum definitoribus, secundum electionis suae seriem dispositis circa mensam definitorii in medio positam, et in ultimo ipsius loco capituli secretarius. Extra definitorii mensam ad dextrum latus sedebunt priores locales, vicarii canonice electi, juxta conventuum suorum ordinem ab antiquitate computandum, vicarius provincialis ultramarinus, si adsit, procurator generalis, et subpriores, qui priorum suorum ibi vices agunt. Ad sinistrum latus sedeant socii, eumdemque ordinem servent. Eumdem servabunt etiam omnes, extra capituli domum, et juxta illum communitatibus actibus praesidebunt, quin immediato regimini se se immisceant.

De iis, quae quisque ostendere tenetur.

§. 451. 2. Capitularibus ita sedentibus, suas quisque vocatorias literas definitorio sistat. Subpriores, si adsint, exhibeant praeterea authenticum testimonium de legitimo sui prioris impedimento. Deinde socii patentes suas literas ostendant, insuperque testimonium a sui conventus consiliariis inscriptum, ac juratum, ex quo constet 1.° Adimpleverit, nec ne, localis prior missarum onera, tum perpetua, cum manualia? 2.° Gravaverit, an non, conventum aere alieno, et qua causa? 3.° An gravatum jam invenerit, qua summa et a quo tempore? 4.° Quomodo se gessit in conventus administratione, sive quoad bonorum conservationem, sive in providendo satis de necessariis fratres omnes, praesertim aegrotos; quaeque de novo auxit? 5.° Si fecit satis omnibus aliis in constitutionibus statutis?

De ejiciendo a capitulo.

§. 452. 3. Si ex praefatis testimoniis legitime constaverit, priorem aliquem non adimplesse missarum numerum, qui paucis diebus absolvi nequeat, statim definitorii declaratione e capitulo ejiciatur, voceque activa, et passiva careat, juxta decreta Urbani VIII., et aliis poenis ad arbitrium puniatur. Si vero non in hoc, sed in aliis defecisse inveniatur, in capitulo maneat; sed pro modo culpae, poenam accipiat, si antea visitator in eum non animad-

vertit. Si quis autem ob ingenii defectum, asperitatem, aliamve bene probatam causam, ut inhabilis dijudicetur ad praelaturas iterum obtinendas, passiva voce privetur: attamen haec poena ad insequens capitulum differri poterit, quo veritas melius dignoscatur.

Idem ut supra.

§. 453. 4. Si quis socius dolo malo, aut industria praenarratum testimonium non exhibeat, a capitulo ejiciatur, voceque passiva, et activa careat. Definitorii erit, hujusmodi poenam absque venia infligere, et a competentibus consiliariis testimonium aliud exquirere, siquae in ipso testimonio socium alicujus culpae reum esse deprehenderit, juridicam hac de re inquisitionem faciet, et pro meritis puniet.

Idem ut supra.

§. 454. 5. Deinde praesidens omnibus, et singulis (interea sedentibus) sub formale praecepto injungat, ut siquem recognuverint, aliqua de causa suffragii jure carere, id protinus definitorio aperiant; eodemque praecepto definitores compellat rem cito, ac ipsa die decidere. Si quis autem detegatur aliqua inhabilitate irretitus, illudque legitime probetur, statim ut inhabilis a definitorio declaretur, et abire cogatur.

De juramento praebendo ab omnibus intervenientibus in capitulo.

§. 455. 6. Posthac, praesidens ipse, caeterique per ordinem jurabunt, nunquam revelaturos, quid quid in praesenti capitulo factum, aut tractatum fuerit, et ab eodem declaretur sub tali juramento specialiter comprehendi. Postremo, generale definitorium in gremio capituli unum eliget, qui tam capitulo, quam definitorii secretarii munus exerceat; ac insuper duos extra capitulum ad schedulas inscribendas, ut dictum est. Et sic, nulla interposita mora, praeliminares capituli actus absolvantur.

§. III.

De prioris generalis electione.

De electione prioris generalis.

§. 456. 1. Primo mane sequentis diei post primam, solemnis cantetur missa de Spiritu Sancto, quam praesidens celebrabit, aut alius ex dignioribus, ab ipso deputatus: interim capitulares, qui nondum celebrarunt, sacrum facere poterunt. Postea ad horam diei octavam, et ad consuetam tintinnabuli pulsationem, tam isti, quam caeteri monasterii fratres, in chorum se recipient, ibique per semihorae spatium mentali orationi vacent, donec a praeside detur signum, ut a cantoribus initietur hymnus — *Veni creator Spiritus* — surgantque cuncti illum praecinentes, usque ad locum capitulo destinatum; quo ibi expleto, recitataque antiphona — *Sub tuum praesidium* — ac orationes — *Deus qui corda fidelium* — *Protege Domine* — *Sanctissimae Genitricis* — et etiam sanctae matris nostrae Theresiae, ac sancti patris nostri Joannis a Cruce quas omnes praesidens subjunget; fratrum communitas chorum iterum repetat, et per aliam semihoram orationi incumbens, Deum oret pro felici capituli exitu. Hac die vespertina oratio omittatur.

De digessu electione facienda.

§. 457. 2. Cum jam sedeant capitulares, praesidens brevem exhortationem faciat super gravissima eorum obligatione digniorem semper eligendi; et quanti sit aestimandus error, in electione praesertim illius, qui super omnes constitui debet. Accedant deinde secretarius, duoque illi deputati, et coram capitulo juramentum praestent, ille de fidelitate, et secreto sibi commendato, in sui munus exercitio servandis, et ut in illis, quae a capitulo aut definitorio fuerint sancita, facta, aut declarata, nec quoad sensum, nec quoad verba tum in dicendo, aut legendo, cum in scribendo, aut testificando, aliquid ex industria, aut malitia addet, mutabit, aut imminuet: reliqui vero duo de non revelando, juxta dicta capite antecedenti.

De absolutione a censuris.

§. 458. 3. Qui primo post praesidem loco sedet, protinus, ad cautelam, a quibusvis censuris, quibus forte sit innodatus, eum absolvat; ipseque pariter ac caeteri vocales a praeside absolvantur in hunc modum — *Auctoritate mihi ad hunc actum concessa vos absolvo ab omni censura, et super omni irregularitate vobiscum dispenso in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* — Cum secretarius clara et intelligibili voce legat antecedens caput, ad numerum usque nonum §. 1. Immediateque idoneorum cathalogi praesententur, et in unum redigantur, ac tandem ad prioris generalis propositionem, ut electionem, modo jam dicto procedatur.

De confirmatione prioris electi.

§. 459. 4. Facta jam, et proclamata prioris electione, ipso jure censeatur confirmatus, et statim (nisi obsit) praesidentiae locum obtineat: qui autem hoc munere antea fungebatur, primam post ipsum, et definitores vocem habeat, et sedem; extra tamen definitorii mensam.

De comburatione schedularum, et actione gratiarum.

§. 460. 5. Vocentur deinde communi signo omnes fratres ad capituli locum; interimque electionis schedulae comburantur. Congregatis vero omnibus pro gratiarum actione, hymnus *Te Deum* a monasterii subpriore, vel alio ex dignioribus sacris vestibus induto, initiatus, solemni processione ad ecclesiam usque cantetur; et orationes in manuali praescriptae subjungantur: quibus finitis, in loco sibi decenter ad latus evangelii praeparato sedeat prior ipse generalis, singulique per ordinem fratres, bini, et bini, accedentes, in genua flexi in signum obedientiae sibi praestitae, ipsius manum humiliter osculentur, eumque dein comittentur ad usque capituli locum, ubi ad definitorum electionem ante prandium procedatur.

De prohibita publicatione electionum per externa signa.

§. 461. 6. Prohibemus autem, hanc, et aliam quamcumque electionem ab ordine factam saecularibus denuntiari externo aliquo illuminationis, aut festivae cymbalorum pulsationis signo; sub poena gravi per tres dies cuilibet praelato, qui secus fecerit, aut permiserit. Permittimus tamen, in capituli tantum monasterio, ut dum praefatus hymnus — *Te Deum* — canitur, campanulae pulsibus iteratis, et festivis pulsentur.

De electione prioris absentis.

§. 462. 7. Si prior generalis recenter electus longe absit, persoluta gratiarum actione definitorium quantocitius eum de electione certum faciat, vocalesque protinus congregare teneatur, ut secretis suffragiis dijudicent, an possit ille intra dies octo, a datis literis computandus, istuc pervenire, nec ne? observabuntque tunc, quod stabilitum manet §. 1, n. 6.

§. IV.

De definitorum generalium electione.

De electione definitorum generalium.

§. 463. 1. Definitorum generalium electio eodem prorsus modo, ac generalis prioris, fiet, et statim, ac ultimi electio publicetur, omnes simul a praeside confirmentur. Verum si prior generalis absit, tunc ille, qui primo fuit electus, immediate confirmetur, et continuo praesidentis munere fungatur, aliosque definitores denuo electos una confirmet. Idem esto de secundo definitore, si primus absit; a praesidentia autem vacabit tum definitor primus, adveniente priore generali, cum secundus accedente primo; quem definitorium de electione monebit statim, ac fuerit confirmatus.

De confirmatione electorum.

§. 464. 2. Confirmatione facta, omnes una cum generali priore juramentum praestabunt de secreto perpetuo servando circa ea, quae ad uniuscujusque munus spectant; si de secreto digna sint, vel ut talia a definitorio declarentur per majorem suffragiorum partem. Absentes idem praestabunt illico, ac advenerint; et haec omnia in libro illius tribunalis adnotabuntur.

De serie electorum, et eorum antiquitate.

§. 465. 3. Inter definitores eadem sit locorum series, ac electionem, et qui prius fuerit electus, antiquior existimetur. Hoc etiam observetur, si ob alicujus mortem, abdicationem, aliamve similem causam alium subrogari contingat. Durante capitulo, et intra ipsum immediate post praesidem in definitorii mensa sedeant: ac in caeteris communitatis actibus extra capitulum ad illum subsequantur, qui ante eorum electiones praesidentis munere fungebatur. Veteres definitores intra capitulum ex-praesidentem immediate subsequantur: extra capitulum vero post novos definitores, servato semper electionum ordine.

§. V.

De caeterorum praelatorum electione.

De electione caeterorum praelatorum.

§. 466. 1. Sequenti die priorum localium electiones fiant, juxta ipsorum conventuum antiquitatem. Procedatur exinde ad electionem vicarii provincialis ultramarini, et procuratoris generalis congregationis. Hujusmodi autem electiones, ut confirmentur, praesidens sub formali praecepto oretenus edicto praecipiat omnibus, et singulis capitularibus, ut intra viginti quatuor horarum spatio, coram definitorio denuntient, quodcumque canonicum impedimentum in noviter electis ipsi noverint, propter quod debeant non confirmari. Hoc elapso tempore, si nihil impedimenti, aut appareat, aut probetur, definitorium omnes indicabit habiles quo a praesidente confirmentur, sin aliter evenerit, et impedimentum ad definitorii judicium fuerit legitimum, confirmatis aliis, in excepti locum eligatur alter.

De electionibus durante capitulo faciendis.

§. 467. 2. Durante capitulo, omnes electiones, sive superiorum praesulum, sive localium, quae causa mortis, aliove titulo fieri opus sit ab universo capitularium coetu fiant: ab eodem etiam admittantur, aut rejiciantur, quaecumque renunciationes tunc temporis occurrant.

§. VI.

De visitatione eorum, qui definitoris munere functi sunt.

De visitatione eorum, qui definitoris munere functi sunt.

§. 468. 1. Absolutis electionibus, capituli praesidens eos visitare curet, qui praecedenti triennio definitoris munera exercuerunt. In istiusmodi inquisitionis secretarium primum definitorem assumat, vel si absit, qui proxime sequitur; dummodo ex illis non sit, qui visitari debent; ab ipsoque juramentum sumet de fidelitate servanda, quod ad ejusdem visitationis caput inscribi debet. Deinde formale praeceptum cunctis vocalibus (praesentibus definitoribus exceptis) scripto imponat, ut quidquid de illis noverint animadversione dignum, tam circa eorum mores, et regularem observantiam, quam circa sui muneris administrationem, coram ipso, et secretario detegant. Postea singulos vocabit, et quae pro testimonio dixerint, quidquid illud sit, juramento adhibito, idipsum attestetur, et una cum teste, et secretario subscribat.

De iis, qui a visitatione exempti sunt.

§. 469. 2. Omnium dicta, simul cum inquisitione in eosdem definitores ante capitulum facta in monasteriis, ubi commorabantur, definitorio referat, intra biduum, aut triduum dijudicanda; si autem eveniat, ut visitatus de mensa sit definitorii, ab illa pro tunc recedat, et ejus locum sufficiat ad hanc causam tantummodo judicandam dignior e capitularibus juxta dicta capite antecedenti. Prior generalis denuo electus, aut actualis capituli praesidens hujusmodi visitationi non subjacest, tametsi definitoris officium exercuisset.

De poenis irrogandis contra reos alicujus probatae culpae.

§. 470. 3. Si quae culpae fuerint in aliquem legitime probatae, et ab audita parte (quae illico certior fieri debet) exceptio nulla, nullave excusatio deferatur, eas penitus enervans proportionali poena puniatur; ita ut publici, notabilisque criminis convictus, publicae quoque admonitioni, scriptae tamen, et a definitorio approbatae, una cum poena ab ipso inflicta, coram capitulo submitti debeat: sin minus, privatim, vel coram definitoribus dumtaxat, corrigatur. Si vero aliquid de testibus, aut reo fuerit allegatum, cujus probatio ultra tridui spatium plus temporis requirat, teneatur definitorium hujusmodi causam in posterum retinere, et intra menses tres, inquisitione facta, quod dubium fuerit, discutere, ac tandem pro meritis sententiam proferre.

De nuntiandis vocalibus delinquentibus in electionibus.

§. 471. 4. Hac visitatione peracta, aliud formale praeceptum imponat capituli praesidens omnibus, et singulis capitularibus, aut apud ipsum, et secretarium sub juramento denuntient, quoscumque invenerint vocales, quos circa peractas electiones contra justitiam, aut charitatem graviter deliquisse cognoverint: similiter eos, qui, licet vocales non essent, electionibus tamen sese injuste immiscuerint: et tandem definitorii consensu, quos reos esse cognoverit, eisdem meritas infligat poenas; observatis iis, quae supra n. 2. sunt ordinata.

§. VII.

De forma condendi leges, et acta.

De forma condendi leges, et acta.

§. 472. 1. Sequentibus sessionibus alia pertractentur, et statuantur, quae ex constitutionibus nostris generali capitulo reservantur; et illa quoque (si placeant, et congruant) quae ex jure communi, consuetudine, aut privilegiis (et si sacris aliis ordinibus indulta fuisset) eidem competunt; dummodo regulae non obsistant, nec ad ejus relaxationem, sive dispensationem aliquo modo conducant. Hac de causa fas erit praesidenti, quaecumque communi congregationis bono congruentia caeteris decernenda proponere. Eodem quoque jure gaudebunt singuli definitores; ita ut siquis eorum aliquid proposuerit, teneatur praesidens, vel (si renuat iste) definitor ipse caeteris imperare, ut unusquisque suum sensum super re exposita manifestet; et exinde cuncti per secreta suffragia quid tenendum, definiant. Graviora negotia, ut maturius praemeditentur, in una sessione proponantur, et ad aliam decisio differatur. Idem servetur, quoties vocales quinque postulaverint ut ex iis, quae vetita non sunt, aliquid proponatur.

De variatione constitutionum non proponenda.

§. 473. 2. Nemini autem liceat ipsi neque capituli praesidi, proponere, ut ad constitutiones jam stabilitas, tum ad mores, cum ad regimen spectantes, aliquid addatur, aut imminuatur; vel, ut aliquid in materia regiminis, unica vel vice, dispensetur; qui secus fecerit a capitulo statim ejiciatur, voceque activa, et passiva privetur: attamen si major capituli pars expostulet, ut de praefatis rebus aliquid proponatur, praesidens id facere non detrectet, et vocales de propositae rei utilitate satis inter se conferat, ac demum per secreta suffragia approbent, vel rejiciant.

Reservationes speciales.

§. 474. 3. Approbari autem nequeat, nisi per tres ad minus, e quatuor suffragiorum partes; tuncque, ut simplex ordinatio interim servanda, donec in duobus aliis capitulis generalibus, de triennio in triennium immediate sequentibus, a praeside, vel quovis alio proposita, cum tribus etiam a quatuor suffragiorum partibus approbetur; sicque ad ultimam approbationem, et non antea, vim constitutionis obtinebit. Si vero in aliquo ex tribus dictis capitulis, aut non proponatur, aut non approbetur, illico extincta censeatur.

Conditiones servandae pro abrogatione constitutionum.

§. 475. 4. Tria haec praeterea observari praecipimus 1. Ut aliqua constitutio ab apostolica Sede approbata abrogari queat, praeter modo dicta, ejusdem sanctae Sedis confirmationem obtineri volumus 2. Ut hujusmodi ordinationes tempore intermedio obligationem inducere possint, debent; quo tempore ad conventus mittuntur, secum afferre testimonium, per quod cunctis pateat, et ad constitutionem dirigi, et a requisito suffragiorum numero fuisse approbatas. 3. Si itidem major capituli pars dispensationem aliquam expostulaverit in his, quae ad regimen spectant, poterit capitulum, concurrentibus tribus e quatuor suffragiorum partibus, pro unica tantum vice in triennio, ad certumque, ac determinatum tempus, eam concedere.

Item ut supra.

§. 476. 5. In constitutionibus vero, quae ad mores attinent, si justa, et rationabilis interveniat causa, necesse non est, ut dispensatio a majori capituli parte proponatur; neque ut approbetur, indiget plus quam duabus ex tribus suffragiorum partibus: dummodo ultra triennium non extendatur dispensatio, nec in sequenti capitulo confirmetur, nisi eodem prorsus modo, ac si prima vice approbetur. Haec autem ad eremi constitutiones nolumus extendere, neque ad alias expresse exceptas.

De divisione congregationum in provincias facienda.

§. 477. 6. Poterit etiam generale capitulum, favente majori suffragiorum parte, congregationem in provincias dividere, et peculiare unicuique regimen constituere: dummodo in omnibus, proportione habita, universali regimini his in constitutionibus statuto respondeat. Eisdem numero suffragiis eligere poterit vicarium provincialem, qui aliquos ejusdam congregationis conventus regat. At, hoc si eveniat, vicarius ipse priori generali erit immediate subjectus, priores omnes loco praecedet, jusque suffragii in capitulo habebit; uti etiam suae ditionis priores.

De stabiliendis actis ad temporale, et spirituale congregationis augumentum.

§. 478. 7. In omnibus aliis, quae ad spirituale, sive temporale congregationis augmentum, ad debitam constitutionum observantiam, ad optatam religiosorum pacem, ad probam conventuum oeconomiam, ad aliaque similia conducere videatur, poterit idem capitulum acta stabilire, a majori suffragiorum parte approbata; dummodo constitutionibus non adversentur: alias irrita, et tanquam a non habente potestatem dimanata, existimentur. Durabunt autem ad insequens usque capitulum, ubi, si confirmatae non fuerint, nullius roboris in posterum habeantur.

De confirmatione actorum, ut vim legis obtineant.

§. 479. 8. Quamvis autem pluribus in capitulis ejusmodi acta confirmentur, vim tamen legis nunquam obtinebunt; nisi prius servetur ordo ad aliquid constitutionibus addendum praestitutus. Ut confirmationem obtineant, coram omnibus legi debent; eritque tunc unicuique liberum, quidquid contra ipsa habuerit, objicere, et quan sic fuerint ab aliquo reclamata, seorsim ab aliis subeant suffragiorum periculum.

De confirmatione ordinationum a definitorio latarum.

§. 480. 9. Eodem prorsus modo confirmari debeat a capitulo, quaecumque ordinationes a definitorio fuerint emanatae; et nisi confirmentur, censeantur abrogatae; triennioque sequenti nequeant a definitorio renovari, nisi nova subsit causa. Poterit tandem generale capitulum in poenis a quocumque superiora inflictis dispensare, etiam si perpetuae sint.

De declaratione dubiorum uni capitulo generali reservanda.

§. 481. 10. Si super alicujus constitutionis intelligentia dubium aliquod oriatur, quod ex aliis earumdem constitutionum locis expediri nequeat, capituli generalis erit sensum declarare, cui omnes inhaerere debent, donec a sequenti aliquo capitulo, vel id non confirmetur, vel aliud statuatur. Hujusmodi autem declarationes, et quaecumque alia a capitulo fuerint praestituta, in libro ad id deputato fideliter a secretario perscribantur, et in definitorii archivio perpetuo reserventur. Praeterea eorum exampla, quae ad subditorum notitiam pervenire debent, a praeside, et secretario subscripta singulos in conventus quantocius mittantur; ubi coram communitate legi debent, et in libro transcribi, ac in arca trium clavium asservari.

De acceptatione vocalium haben-

§. 482. 11. Prope finem capituli curent vocales tam praelatorum, quam subditorum re-

da a praeside, ut sensum aperiant circa observantiam constitutionum.

furmationi, bonoque totius congregationis numini pru viribus incumbere, sicque a praeside sciscitati — Utrum in omnibus congregationis conventibus constitutiones nostrae in sua viridi observantia consistant? an earum aliqua a pristino defecerit vigore; indigeatque proinde validiori fulcimento, ne penitus extinguatur? Singuli per ordinem, omni exuta carnis, et sanguinis imbecilitate, libere respondeant; et nullus alium loquentem interpellare audeat.

De acceptatione privilegiorum a sancta Sede concessorum.

§. 483. 12. Eodem modo se habeant, cum secundo fuerint a praeside interrogati — An aliquid sciant mali, quod rationabiliter in congregationis damnum vergere timeatur; et quibus mediis judicent, posse illud opportune praepediri? — Haec omnia, si in una nequeant sessione deliberari, ad aliam, vel ad plures protrahantur: postquam autem plane fuerint absoluta, praesidens suo, totiusque capituli nomine omnia privilegia a sancta Sede apostolica, tam nostrae, quam aliis religionibus indulta, acceptabit, quo ad ea, quae regulae, et constitutionibus non opponuntur.

De cathalogis religiosorum.

§. 484. 13. Deinde singuli praelati locales cathalogos duos capitulo exhibeant, unum religiosorum sui conventus, adnotando insimul eorum nomina, patriam, aetatis, et professionis annos, conventus, ubi professionem emiserunt, et tandem, si confessarii, vel concionatores sint; alterum, in quo scripta inveniantur nomina, patria, aetatis, et professionis anni religiosorum, qui in tota congregatione eodem triennio e vita decesserunt.

De testimonio praebendo super legatorum implemento, aliisque ad hospitium pertinentibus.

§. 485. 14. Praesidentes hospitiorum hujusmodi cathalogos transmittere teneantur, insuperque testimonia, e quibus constet de missarum, tum legatorum, cum manualium satisfactione, et an aere alieno gravatum sit hospitium. Deinde praelati locales mentionem faciant insignium sui conventus benefactorum, et demum omnes capitulares per secreta suffragia conventum designent ad futurum capitulum habendum. Omnes autem in Domino hortamur, ut in hac conventus designatione illos interponant, qui a saecularium strepitu, et frequentia sunt remotiores, nisi aliud justa, et rationabilis causa suadeat.

§. VIII.

De modo capitulum absolvendi.

De modo capitulum absolvendi.

§. 486. 1. Ultimo capituli die solemnis cantetur, et gratis offeratur missa pro defunctis nostrae congregationis; pro fratribus, qui associationis literas obtinuerunt, et pro benefactoribus: qua finita, concio habeatur, et consuetum responsorium canatur, quibus omnes capitulares interesse debent.

De confessione, et amplexu in absolutionem capituli habendo.

§. 487. 2. His absolutis, omnes ad capituli locum se recipiant, ubi praesidens, flexis genibus, humilem de propriis defectibus confessionem faciat coram capitularium digniore sedente, (aliis interea stantibus) qui, et a censuris eum absolvet, et plenariam indulgentiam illi applicabit. Idem agent uno omnes coram praeside, et praesidens erga ipsos, ut in caeremoniali praescribitur: cumque omnes se mutuo, et peramanter amplectentes, de felici exitu capituli congratulentur, statim clara voce legantur omnia, quae a capitulo facta, et decreta ad librum ejusdem capituli transcripta fuerint, et a vocalibus, ac secretario subscribantur: et tandem ipsi quamprimum ad suum quisque monasterium iter instituant, nisi a priore generali, vel praeside, alio se divertendi facultatem obtineant.

Caput. III.

De generali definitorio.

---

§. 1.

De ejus oeconomia.

De oeconomia definitorii.

§. 488. 1. Secundum congregationis tribunal in quo post generale capitulum suprema residet totius congregationis auctoritas, atque potestas, generale est definitorium. Absoluto capitulo, protinus congregari debet, et ante omnia, ex quatuor definitoribus unum eligere ejusdem definitorii secretarium, qui juramentum de secreto, ac fidelitate servandis statim praestabit. Si autem hic alicui definitorio interesse non valeat, idem definitorium alium assumat, quo ejus vices agat, et ab ipso etiam juramentum exquirat: erit namque illegitimum definitorium, in quo juratus desit secretarius.

De munere secretarii.

§. 489. 2. Praecipuae secretarii partes erunt omnes, et singulas sessiones, et quaecumque in ipsis acta fuerint, fideliter perscribere in libro ad id designato (cujus paginae sint suo quaeque numero, ac prioris generalis manu, et nomine signatae; insuperque in prima, et

novissima authenticum affigatur ipsius praesulis testimonium; quo eorum numerus exacte referatur) et postquam scriptae fuerint, in eadem vel alia sessione coram definitorio perlegere, ac tandem una cum priore generali, et definitore ex assistentibus antiquiore immediate subscribere. Hujusmodi librum, et quaecumque alia scripta ad definitorium spectantia in archivio sub clave, ita caute custodire debet secretarius ipse, ut nulli umquam, praeter priorem generalem, aut definitores, legenda possit ostendere absque definitorii permissione.

Idem ut supra. §. 490. 3. Praeterea teneatur omnia, et singula, quae fuerint a definitorio decreta, stabilita, aut concessa transcribere, transcriptaque, ad quos attinent conventus, aut singulares personas, mittere, interposita officii fide, propriique nominis subscriptione: ac insuper definitorio sequenti ante omnia rationem reddet de eorum, tum missione, cum executione, et hoc ipsum in praedicto libro adnotabit. Praefatae literae definitorii sigillo muniri debent, illae praesertim, quae electionem, aut commissionem, aut formale praeceptum, aut juridicam sententiam continent; et a priore generali (cujus nomine fieri debent, expresso quoque definitorii consensu) subscribi. Veruntamen ad secretarium tantummodo spectat eas mittere.

De definitorio ordinario. §. 491. 4. In definitorio immediate post capitulum designetur dies, et locus, quibus iterum congregari debet mense decembris; et idem observetur de uno in aliud definitorium ordinarium, quod bis in anno, videlicet, mense maji, et decembris inviolabiliter celebrari volumus. Hujusmodi designatio fieri debet per schedulas propria uniuscujusque manu conscriptas, et conventibus patefieri; ut non modo definitores sciant, quo, et quando accessuri sunt, sed etiam religiosi, ubi tempestive possint suos judices adire. Si vero aliquam ob causam definitores in praefixum locum convenire nequeant, in praecedenti aliquo definitorio extraordinario alium permutare poterunt. Tempus durationis definitorii non praefigimus, sed in unoquoque id temporis impendatur, quod negotiis ibi occurrentibus absolvendis necessarium fuerit; nec terminari valeat, quin a majori suffragiorum parte absoluta esse declaretur.

De definitorio extraordinario. §. 492. 5. Poterit prior generalis, cum sibi justum videbitur definitorium extraordinarium congregare: immo id peragere debet paulo ante capitulum generale, ut generalis, quas tunc reddet procurator generalis de acceptis, et expensis in toto triennio, rationes dispungantur. Illud debet etiam congregare, quoties tres e quatuor definitores postulaverint: et si noluerit, tres ipsi definitores, tum priori generali, cum alii definitori, diem dicant, qua debeant ad definitorium convenire, in conventu, qui a tribus ipsi designabitur, celebrandum. Si quis illorum statuto tempore non accesserit, ad octo usque dies (nisi sit periculum in mora) expectetur, quibus elapsis, si non adsint, a tribus ipsis celebretur definitorium; et ante omnia, tam secretarii (si absit) quam aliorum absentia eligantur substituti (ex patribus qui prioris generalis munere functi sunt, vel si desint, aut impossibilitate detineantur, ex his, qui definitores fuerunt, antiquitatis, et electionis ordine servato) et haec omnia teneatur secretarius in libro definitorii, fideliter scribere.

§. 493. 6. Idem fiet in definitorio ordinario, si minor definitorum pars desit; excepto quod nulla tunc ratione queant ultra praestitutum tempus absentes expectare, aut iterum arcessiri; sed eorum substituti statim eligantur, ita ut nullum existimetur definitorium ordinarium, extraordinariumve, cui desit quinarius suffragantium numerus, nisi sit pro electione eorum, qui in absentium vices subrogari debent. Si vero major pars desit, definitorium non habeatur, usque dum omnes conveniant; et tune, quod primum celebretur, ordinarium existimabitur. De iis quae in definitorio observanda sunt.

§. 494. 7. Si trium, aut quatuor definitorum mors simul accidat, vel uno eodemque tempore eorum munera omnino vacent, tunc duo, qui residui sunt, definitorium quantocius congregare teneantur, nullam tamen substitutorum electionem facient, sed ex illis patribus, qui supra num. 5. commemorati sunt, tot accedant (et si non vocati) quot sufficiant, ut una cum residuis quinarium numerum compleant, et quotquot desint definitores, eligant. De supplendis definitoribus morte peremptis.

§. 495. 8. Quod si definitorium (nolit Deus) totum disperat; ex jam dictis patribus primus, vel eo impedito, expeditus alius, qui sequitur, sex aliis eodem ordine subsequentibus diem dicat, et conventum designet, in quo simul cum ipsis vicarii generalis, ac definitorum electionem faciat, nullamque aliam in congrega- Idem ut supra.

tione (cui interim praesidebit) valeat potestatem exercere. Idem pater, vel eo impedito, alius ex supra memoratis, accersiri debet ad definitorium, quoties pro electione alicujus substituti quatuor tantum concurrunt suffragia, et paria sunt ad tertium usque scrutinium; ut lis ab ipso dirimatur schedula propria manu scripta, illeque censeatur electus, in cujus favorem istius recidat suffragium.

De forma servanda in electione peragenda.

§. 496. 9. Eadem methodo, ac definitores, eligantur hujusmodi substituti, etsi praecedenti capitulo praelati munere per sexennium functi fuissent, dummodo illud actualiter non exerceant: postquam autem juramentum praestiterint vocem, et locum immediate post definitores; eamdemque, ac isti, potestatem habebunt, usque dum adveniant illi, quibus subrogati fuerunt, vel ad finem usque definitorii, si usque tunc desint. Veruntamen pro definitore absente eligi nunquam poterit substitutus in definitorio extraordinario, nec istud legitime celebrari, nisi postquam definitor ipse apto vocatus tempore ad diem in vocatoria praestitutum non aderit.

De poenis contra non intervenientes irrogandis.

§. 497. 10. Teneantur definitores ad ordinarium definitorium designato tempore, ad extraordinarium vero, quoties fuerint a priore generali, vel a majori definitorii parte vocati, convenire: aut si legitime fuerint impediti, statim per epistolam certum faciant ipsum definitorium. Si quis autem, nulla interveniente causa, vel absque expressa definitorii licentia (quae uni tantum concedi poterit, et pro casu, quo sine charitatis laesione negari nequeat) ex industria, pertinacia, aliove futili praetextu, praecipuae huic desit sui muneris obligationi, visitationis suae tempore, pro qualibet vice voce careat, et loco per annum. Eidem poenae subsit prior generalis, si aliqua sui muneris occupatione, justave alia occasione non praepediatur, de qua similiter definitorio rationem reddet.

De iis, quae in definitorio proponendae sunt.

§. 498. 11. Unam inter, et aliam definitorii sessionem (quae per unam saltem horam durabit) plusquam dies unus non intercaletur; et in ipsis prior generalis, vel eo absente, antiquior definitor quaecumque agenda sunt, proponat; singuli vero, quid de illis sentiant verba prius, et omni libertate dicant, quin ab aliquo, ipso vel priore generali interpellari possint. Secretis deinde suffragiis, quid tenendum, definiant. Quidquid fuerit a praeside praetermissum, poterit definitorum cuilibet proponere, si ad definitorii jurisdictionem spectaverit, vel communi bono fuerit consentaneum. Item, si duo ex ipsis conveniant, et petant, ut res aliqua quomodocumque proposita decidatur, id ulla absque contradictione fiat. Teneantur pariter in sequentem differre sessionem, quoties definitor aliquis, vel ob negotii difficultatem, vel ob justam causam, tempus petierit ad rem maturius perpendendam.

De voto pro tribunali sedendo emittendo.

§. 499. 12. Nihil decidant, aut disponant, imperent, aut concedant, nisi omnes simul pro tribunali sedentes; et suum quisque per globulos albos, et nigros latenter immissos consensum exprimat, aut dissensum praeterquam in electionibus; quae per schedulas fieri debent, uti diximus: et etiam in casu, quo a constitutionibus hujusmodi consensum per literas exhiberi permittitur, adhuc soluto definitorio; quo in casu, et si sufficiat, ut tres ex definitorio annuant, omnes tamen consuli debent: quaecumque autem fuerint aliter decisa, vel disposita, vim nullam habeant.

Declarationes circa vota hujusmodi.

§. 500. 13. Veruntamen si quid in definitorio proponatur, cujus decisio in grave definitorum damnum cedere possit, vel id timeat aliquis, tum poterit, si velit, suffragium suum manifeste ferre, et in sui defensionem testimonium a secretario petere authenticum, et juratum, ex quo constet, quomodo se gessit, quodque suffragium tulit. Teneatur autem secretarius testimonium illud exhibere, quin a definitorio valeat impediri; quod si non faciat, poena gravi per diem, et privatione vocis activae et passivae per mensem puniatur.

De sancitis per definitorium iterum non proponendis.

§. 501. 14. Quidquid a definitorio fuerit semel sancitum, nequeat iterum proponi, definitore aliquo absente; etiamsi quinarius numerus aliunde compleatur: si vero omnes adsint, et quatuor a quinque conveniant, ut iterum proponatur, tunc fieri poterit, et exinde suffragiorum pars major sufficiet, ut prior illa sanctio revocetur.

§. II.

De rebus, quarum decisio ad generale definitorium spectat.

De rebus, quarum decisio ad generale definitorium spectat.

§. 502. 1. Ea praeter, quae diversis earum constitutionum locis definitorio dijudicanda attribuimus, ad ipsum spectare volumus, in primis decidere quaecumque occurrant dubia, tam

circa ordinis manuale, quam circa caeremonialos immo etiam in ipsis, prout rerum et temporum circumstantiae exegerint, aliquid mutare, addere, vel minuere: dummodo nulli adversentur constitutionibus. Dubia etiam circa constitutiones tum fratrum, cum monialium exorta declarare: acta quoque pro universa congregatione stabilire, modo capite antecedenti praescripto in constitutionibus, ad mores spectantibus dumtaxat, nec generali capitulo reservatis, dispensare, sed haec nonnisi raro, justaque de causa, nunquam ultra annum, et quatuor ex quinque concurrentibus suffragiis; illae vero dispensationes, quae unico actu finem suum consequuntur, ratae omni tempore habeantur, etsi statim ipsa dispensatione non utatur.

De poenis a constitutionibus statutis non remittendis.

§. 503. 2. Nequibit tamen poenam perpetuam a constitutionibus statutam vel a quolibet superiore inflictam, remittere: id namque solus generalis capituli erit, duobus e tribus suffragiorum partibus faventibus. Nequibit etiam, (nec capitulum generale juxta decretum Innocentii XII.) dispensare, ut in aliquo monialium nostrarum conventu plus quam una et viginti sint: attamen, si aliqua in amentiam devenerit, et per triennium, in ipsa perduraverit, facta de hoc juridica quaestione, poterit definitorium vacuum declarare locum, et permittere ut alia in ipso admittatur, juxta declarationem Urbani VIII.

De dispensationibus non concedendis.

§. 504. 3. Nulla etiam definitorio sit potestas dispensandi, ut puellae aliquae ad habitum admittantur, quae decimum quintum aetatis annum nondum expleverint: hanc enim dispensationem capitulo reservamus, nobilibus tantum personis concedendam. Item nulli personae concedere poterit locum perpetuum in monialium conventibus, nisi titulo patronatus, aut fundationis, unum tantum, vel ad plurimum duo. Verum quae puellae ad hujusmodi locum admittendae sunt, debent prius a monialium capitulo probari, et illas habere dotes, quae in quibuslibet aliis requiruntur, ac insuper omnia ad novitiatus annum praebere, quae a caeteris praeberi solent.

De facultatibus circa ingressum monialium.

§. 505. 4. Definitorio etiam non permittimus, ut cuicumque foeminae, quantumvis nobili, consensum praebeat ingrediendi monialium nostrarum conventus, licet facultatem ad id a Sede apostolica obtinuerit, nisi simul praeceptum contineat. Erit autem definitorii facultatem concedere, ut ab uno in alium locum intra eamdem civitatem transferri possint conventus, sive fratrum, sive monialium; et etiam, ut aliquot moniales a conventu in conventum transeat, fundationis causa, vel alia a jure permissa servatis tamen a jure servandis.

De fundationibus conventuum

§. 506. 5. Item, novas conventuum, tum fratrum, cum monialium fundationes admittere, vel admissas deserere, servatis de jure servandis novorum utriusque sexus. Nullam tamen poterit admittere, quae parochiale munus adjunctum habeat, vel a religiosis, vel a saeculari parocho administrandum. Nullam etiam, ubi quindecim saltem religiosi ex consuetis eleemosynis, proprioque labore nequeant commode sustentari: Nec tandem plures; sive fratrum, sive monialium in eodem loco: erit quippe hoc solius capituli. Curabit autem ut conventus (eremitico excepto) extra urbes aedificentur, sed non procul ab ipsis, ut religiosi a saecularium frequentia semoti, possint insimul eorum saluti quandoque vacare.

De donatione bonorum

§. 507. 6. Immobilia bona, mobiliaque etiam notabilis pretii, unius conventus alteri donare poterit, de consensu tamen communitatis, a qua possidentur; atque omnibus conventibus (cum id necessitas exegerit) imperare, ut pro expensis definitorio, communique totius congregationis, sive monasterio alicui, necessariis, aliquod pecuniarum subsidium praebeant, servatis tamen in his caeteris de jure servandis.

De iis, quae permitti possunt circa aedificia.

§. 508. 7. Aedificia plus aequo sumptuosa, quaecumque paupertatis limites transgrediantur, minime permittat. Ut autem omnia certis dimensionibus circumscribantur; statuimus, ut ecclesia quadraginta tantum palmos latitudinis habeat; latitudinique respondeat longitudo, et altitudo: quilibet claustri angulus, in longum ad octoginta, vel ad plurimum octoginta quinque palmos protendatur, in latum vero duodecim, aut tresdecim palmos non excedat: cellulae in majoribus conventibus sexaginta, in minoribus vero triginta; et non amplius esse poterunt; sexdecimque in longum, et latum palmos non excedant: permittimus tamen septem alias majoribus in conventibus, et quinque in valetudinarium designatas. Officinae tandem, et parietum altitudo locorum capacitati accommodentur, quin moderationis modum excedat. In fine harum constitutionum apponitur palmus has dirigens mensuras.

De ichonographiis conventuum in archivio servanda.

§. 509. 8. Ut haec exactius observentur, praecipimus, ut in definitorii archivio duae semper reserventur iconographiae a perito aliquo artifice delineatae, una pro majorum, altera pro minorum conventuum constructione; ut si quis denuo fundari debeat, juxta illam, quae definitorio aptior visa fuerit, et ab eodem subscripta, tota novi aedificii fabrica construatur; quin possit quis aliquid addere, vel minuere, aut mutare absque ejus licentia in scriptis exhibita, sub poena privationis ab officio per annum praelatis, subditis vero, vocis, et loci (vel si voce careant) pari poena infligenda.

De constructione hospitiorum pro confessariis monialium.

§. 510. 9. Praecipimus etiam, ut nullum hospitium pro monialium nostrarum confessariis extrui possit sine definitorii facultate: et quae sic fuerint constructa, taliter disponantur, ut illorum fores, et januae e regione nunquam sint foribus, et januis conventuum, nec intergerinus paries rotam, aut foramen aliquod habeat, quo possint (titulo adhuc confessionum) hinc inde inspicere, videre, vel audire. In hujusmodi hospitiis bini semper confessarii degant, una cum laico, illique praesideat, qui ad id fuerit a definitorio designatus; et ecclesiasticas monialium functiones peragat, quoties prior, aut superior praelatus non adsit.

De historiographo congregationis.

§. 511. 10. Spectat etiam ad definitorium congregationis historiographum, et quemvis alium scriptorem (si congruum videatur) eligere, suaeque electionis patentes literas exhibere, ac in ipsis injungere, ut elapso ab electione anno, in singulis definitoriis decembris mense celebrandis, quidquid scripserint, coram ipso manifestent, ut juxta scriptorum merita decernat, inceptum ne opus prosequi oporteat, an ab eo desistere. Hi scriptores eamdem, ac lectores, vitae rationem observabunt; insuperque ab oratione mentali vespertina, et conscientiae disquisitione immunes erunt, necnon a communi mensa nocte; antemeridianae vero communiter assistent.

De impressione et publicatione operum.

§. 512. 11. Nemini autem liceat, sub poena privationis ab officio, activaque, et passiva voce per biennium, opus aliquod, quamvis ab alio scriptum, typis mandare, quin prius illud definitorio manifestet, ab eoque tradatur doctis saltem censoribus, qui plene capiant materiam, de qua agitur, et unus saltem sit in sacra theologia apprime versatus: ut, quae ibi fuerint descripta perlegant, et quae a recto, aut vero deflexisse viderint, fideliter adnotent, formalique praecepto astringantur, ne extra definitorium evulgent, quid de libro sentiant. His omnibus absolutis, opereque a mendis expurgato, poterit auctor de definitorii licentia illud praelo committere: et sub praedicta poena, et sub formali praecepto deinde a definitorio injungendo, nequeat aliquid addere, mutare, aut minuere, absque nova ipsius facultate, neque ipsum a typis jam excussum divulgare, quin prius a definitorio examinetur, si, vel non, autographo conforme. Non liceat etiam auctori pecunias in editionis sumptus procurare, aut editis libris arbitrio suo uti, vel de venditis ipsis, pecuniam sibi reservare; sed omnia haec priori, ubi conventualis est, reservamus.

De jure puniendi, et expellendi reos

§. 513. 12. Privativo jure ad definitorium attinet in eos, qui gravissimam culpam perpetrarunt, animadvertere, et incorrigibiles ab ordine expellere, servando, quae a sacris constitutionibus circa hoc decreta sunt. Idcirco ad hujusmodi electionem duos alios adsciscet patres ex gravioribus, sapientioribusque in singulis capitulis generalibus ad hoc munus eligendis, sive praelati sint, sive subditi; qui dum munus suum exercent, eisdem, ac definitores honoribus fruantur.

De sententiis criminalibus.

§. 514. 13. Criminales istae sententiae, actaque omnia judicialia ipsis praecedentia in archivio definitorii consuta reserventur, quo ad usque reorum mors comperte habeatur, tuncque illico comburantur; nisi in raro aliquo casu definitorium aliud decernat. Idem erit de aliis quibuscumque criminalibus sententiis. Praeterea definitor secretarius teneatur easdem in libro adnotare; nunquam tamen crimina, aut poenas propalare, neque aliud quidpiam, quod infamiam praeseferat, indicare.

De loco archivii, et forma in eo servanda.

§. 515. 14. Haec ut perficiantur, statuimus, ut in Ulyssipponensi conventu Dominae nostrae a Remediis, et in Conimbriensi divi Joseph ab eodem definitorio designetur locus, ubi generale ordinis archivium construatur, quod duabus occludatur clavibus, penes definitorem secretarium semper servandis. Hocce intra archivium duo, aut plura sint armaria, variis loculamentis, et numeris discriminata; in quorum primo serventur Bullae, ac Brevia apostolica, caeteraque scripta ad congregationem spectantia, numero, et ordine collocata, insimulque repertorium, in quo cujusque nu-

merus adnotetur, in secundo criminales religiosorum causae, et quaevis alia scripta, quae definitorii judicio occultiora esse debent. Primum una tantum clave, penes secretarium manente, obserari debet; secundum vero, tribus diversis, quarum primam habeat generalis prior, secundam et tertiam antiquiores definitores, itaut duae nunquam apud unum esse possint, nec armarium istud reserari, nisi tribus clavigeris, ac coram definitorio, vel de illius mandato. Secretarius cum ab officio abierit, teneatur successori suo claves ad eum spectantes tradere, ac repertorium ab utroque subscriptum, ex quo constet, quae scripta acceperit, quaeque trienii decursu sunt addita.

De jure alias poenas irrogandi definitorio reservato.

§. 516. 15. Solius etiam definitorii est, poenam depositionis ab officio infligere. Prioribus, visitatoribus, vicariis, ac priorissis canonice electis, ob delicta in constitutionibus expressa, vel quando jus ita expostulaverit (dummodo haec prius juridice probentur) et in eorum locum vicarios substituere. Renuntiationes accipere quorumcumque superiorum, ac ministrorum a generali capitulo electorum, cum se se extra capitulum abdicant; et successores eligere, ac officia, quavis de causa vacua, conferre. Verum si generalis prior cum uno simul definitore, vel duo definitores simul renuntiaverint, secundi renuntiatio non admittatur, quin pro primo alius subrogetur. Teneantur definitores, cum ordinarie congregantur, in vacantis officia electiones peragere: si autem ea sint definitoris generalis, quomodocumque congregentur, electiones istas fieri mandamus.

De punitione prioris, et ejus vicesgerentis.

§. 517. 16. In re gravissimi momenti, uti est si (quod absit) prior generalis, aut ejus vices gerens pravo nimium saecularium, aut religiosorum scandalo procedat; si religionem cum notabili relaxatione, aut regulae transgressione in rebus gravibus, gubernet; si definitorii jurisdictionem usurpaverit, et congregationis regimen in his constitutionibus praefixum in toto, vel in parte audeat impedire, vel mutare; vel in constitutionibus ipsis immutationem aliquam procuret, modo praetermisso ab ipsis praescripto; si officii sui prolongationem quaesierit; et denique si crimen aliquod patraverit ex illis, quae a jure solent poena capitis, aut perpetua ad triremes damnatione puniri: eis in casibus poterit, et debet definitorium contra eum procedere sequenti modo.

De suffragiis habendis contra priorem, ut puniri valeat.

§. 518. 17. Antiquior definitor sub poena privationis vocis per biennium visitationis suae tempore infligenda teneatur reliquos definitores congregare, et ex gravioribus supra §. 1. num. 5. memoratis tot vocare, quot sufficiant, ut novem constituant suffragia: quod si noluerit, aut omiserit, caeteri definitores de communi consensu, etiam per literas exhibito, hoc faciant, teneanturque praefati patres statim, ac fuerint vocati, accedere; et una cum definitoribus, in priorem generalem procedere, ejus causam judicare, et si opus fuerit, eum poterunt ab officio deponere, septem ex novem concurrentibus suffragiis.

De monitionibus praemittendis.

§. 519. 18. Priusquam tamen ad id perveniant, (si ad eorum judicium, periculum ex mora non timeatur, et spes emendationis adsit) semel et iterum, charitate id poscente a definitoribus modeste commune fiat prior ipse generalis, ut a criminibus abstineat. Tuncque poterunt eum, per censuras etiam, (si opus fuerit) aut quovis alio modo compellere, ut in quodam certo monasterio ab ipsis designato, permaneat, et munus suum non exequatur, donec ejus causa penitus absolvatur. Et similiter religiosis, ac monialibus totius congregationis censuras, atque praecepta edicere, quae veritati dignoscendae, et justitiae melius administrandae inservire cognoverint: ut autem plenam fidem faciant, sat erit, ab antiquioribus duobus definitoribus, et secretario esse subscripta.

De sententia contra illum ferenda.

§. 520. 19. Peracta juridica quaestione, acceptaque rei confessione, et defensione; si septem e novem suffragia ad depositionem concurrant, per formalem sententiam haec poena infligatur: tuncque prior generalis suo jam munere functus ad definitorii mensam arcessiri, et ibi suam sententiam audire debet; qui eam aequanimiter ferens, vicario generali (qui ipso jure erit definitor primus juxta dicenda capite 3.) humiliter se subjiciat.

De exceptionibus rei.

§. 521. 20. Quod si reus, ut definitorii evadat judicium, asserat se mandatum, aut commissionem habere supremae alicujus potestatis; nisi in scriptis haec exhibeantur, minime credatur. Si vero coeperit juridicam causam a definitorio in se factam, vel faciendam, violenter impedire, aut ex judicibus aliquem relegare,

in carcerem detrudere, vel quovis alio modo vexare, ipso facto, et ante judicum sententiam, suo sit officio, omnique jurisdictione privatus; atque munus suum protinus occupet generalis vicarius.

De punitione definitorum.

§. 522. 21. Si quispiam ex definitoribus crimen aliquod ex nuper narratis commiserit, poterit definitorium poenis a jure latis eum afficere, ab officio suspendere, vel si opus sit, eum deponere; dummodo quinque ad id concurrant suffragia e septem, quae ex praefatis patribus compleri debent.

De punitione inferiorum praelatorum.

§. 523. 22. Spectat tandem ad definitorium quascumque ad se delatas causas, sive querimonias examinare, judicare, ac de remedio providere; nec non, quos reos esse cognoverit, pro qualitate culpae punire. Similiter praelatis inferioribus (quoties opportunum censuerit) instructiones mittere, modumque praescribere, quo se gerere debeant in ordine ad subditorum pacem, morum reformationem, et conventuum oeconomiam.

Monita ad definitores.

§. 524. 23. Caveant tamen definitores 1.° Ne subditis adversus praelatos, nec praelatis adversus subditos facile credant, inaudita parte, et antequam legitima testium omni exceptione majorum attestatione comprobetur, et quin aliunde constet, haec ab inferiore judice fuisse, aut injuste repulsa, aut non recte judicata: sed potius eos, qui hunc ordinem inverterint, aut falsitatis fuerint convicti, nunquam impune dimittant. 2.° Ne aliquid statuant, praeter ea, quae hic, aut alibi a constitutionibus eidem definitorio expresse committuntur. 3.° Ne jurisdictionem delegent priori generali, nisi in aliquo casu raro, et ad rem aliquam determinatam (dummodo nostrarum legum dispensationem, revocationemve alicujus sanctionis a definitorio jam factae, fratrum expulsionem, praelatorum depositionem, aut renuntiationem, conventuum fundationes, aut desertiones, minime attingant) tuncque annuentibus quatuor e quinque suffragiis, ut per illud tantum temporis, quod ab uno in aliud definitorium ordinarium intercesserit. Teneaturque prior generalis in primo definitorio declarare, an, et quomodo delegatione ipsa usus fuit, quod si omittat, definitores illud exquirant, ut non solum, quae non recte facta judicaverint, emendent; sed ut etiam in definitorii libro jubeant a secretario fideliter adnotari.

CAPUT IV.

De priore generali.

§. I.

De prima ejus obligatione.

De praecipua obligatione prioris generalis.

§. 525. 1. Prioris generalis munus, ut ipsum vel nomen indicat, nihil est aliud, quam caeteros congregationis fratres generaliter in omnibus anteire: ut, qui ad perfectionis metam post eum tendere jubentur, gressu promant aequali, quae ab ipso, tanquam viae duce, et pastore, relicta fuerint vestigia. Hinc patet, quantus esse debeat in omni virtutum genere, qui cunctis praeponitur ad omnigenae perfectionis exemplum, qualemque solicitudinem circa singulas subditorum animas habere, qui districtam pastori summo pro ipsarum salute rationem reddet.

De divino auxilio ab eo quaerendo.

§. 526. 2. Hac etiam de causa, nihil de industria, scientiaque sua confidere debet, sed potius Dei opem, atque beatissimae Virginis, sancti Joseph, et sanctae matris nostrae Theresiae auxilium desinenter implorare, ac tandem in arduis, gravioribusque negotiis religiosos consulere, quos literis et virtutibus maxime praeditos esse cognoverit.

§. II.

De ejus jurisdictione.

De ejus jurisdictione.

§. 527. 1. Eamdem in omni congregatione potestatem habet prior generalis, ac immediate praesules suis in conventibus, insuperque omnem illam, quae a jure, aut a privilegiis sibi a Sede apostolica communicatis, conceditur aliorum ordinum generalibus. Hanc potestatem exercere poterit in omnibus, non modo fratrum, sed monialium etiam conventibus; et circa omnia, singulaque totius congregationis negotia: dummodo a nostris constitutionibus non circumscribantur, aut capitulo, definitoriove non reserventur.

De sede eidem competente.

§. 228. 2. Prima ei sedes, nobiliorque locus, prae ceteris ejusdem congregationis fratribus, etiam praelatis (quibus praesidebit) in omnibus, et singulis functionibus, tametsi ex-

tra ordinis monasteria peragendis, jure competat. At officiose (ut par est) et urbane se gerat cum aliis praelatis, praesertim definitoribus generalibus, quos intra mensam definitorii titulo — nostri reverendi patris — appellabit.

De ejus jure erigendi confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo. §. 529. 3. Priori generali competit confraternitatem beatissimae Virginis, et matris nostrae Mariae de monte Carmelo quovis loco erigere, juxta privilegia a Paulo V. nobis concessa: licentiam praebere, ut quis ordinis scapularibus benedictionem impertiat, vel aliquem praedictae fraternitati adscribat: postulatores ad habitum nostrum admittere; et, ut professionem emittant, servatis tamen a jure servandis facultatem concedere, tam pro fratribus, quam pro monialibus, quae cum admittendarum parentibus, aut curatoribus pactum, sive conventionem inire non poterunt, absque illius facultate: congregationis conventus visitare: conventualitatem religiosis designare: eosque de uno in alium conventum transferre, quoties sibi videbitur expedire (si in munere a definitorio attributo non sint occupati) nunquam tamen duas simul conventualitates eidem religioso designabit, neque absque una aliquem admittet.

De jure poenas irrogandi. §. 530. 4. Competit etiam quemcumque priorem, aut vicarium canonice electum ab officio suspendere, si irretitum inveniat iis criminibus, quibus haec poena expresse a constitutionibus annectitur, ipsisque vicarium substituere pro suspensionis tempore. Si tamen praefata poena in constitutionibus non reperiatur taxata, aut in perpetuum designetur (quod similiter est intelligendum si cui poena privationis vocis, aut loci, ultra annum infligenda sit) tunc ad definitorium tantummodo spectabit, et hujusmodi poenam infligere, et vicarium eligere, vel priori generali, ut ipsum eligat, committere.

De jure subrogandi successores in locum defunctorum. §. 531. 5. Itidem competit in demortui cujuscumque prioris vices, alium quempiam sufficere, donec a definitorio successor eligatur. Renuntiationem admittere illorum munerum, quorum electio, aut designatio capitulo, vel definitorio non reservantur. Excommunicatos ob violentam manuum injectionem etiam aenormem in aliquem ordinis religiosum, vel ob apostasiae crimen absolvere, et cum iisdem, si tunc, temporis celebraverint, super irregularitate dispensare. Ac demum ad plenam executionem reducere quaecumque alia in his constitutionibus expresse sibi demandantur.

De ejus jurisdictione in coenobiis monialium. §. 532. 6. Suam etiam potestatem exerceat in omnibus monialium sibi subditarum coenobiis. Eas visitabit, electionibus praesidebit, et eas confirmabit: attamen si justa delineator causa, poterit, vel id muneris religioso gravi delegare, cui secretarium attribuat, quo ambo suffragia perscrutentur, vel electionem differre ad quatuor menses tantum, vel amplius de definitorii consensu; priorissa, caeterisque in muneribus suis ad ejus arbitrium conservatis. Quascumque officiorum renuntiationes poterit admittere; nequibit autem monialem aliquam ab officio privare, aut suspendere, quod communitatis suffragiis obtinuit, nisi iis conditionibus, quae ad priores locales amovendos requiruntur. Nullum etiam religiosum monialium vicarium constituere queat, neque jurisdictionem ullam erga ipsas in foro externo alicui delegare, nisi in singulari aliquo casu, et ad determinatum tantummodo effectum.

De usu jurisdictionis faciendo. §. 533. 7. Caveat autem, in jurisdictionis suae usu sic se habere, ut nunquam inferiorum munera praelatorum sibi assumere videatur, nisi prudenti ratione ductus, aut eorum defectu compulsus. Si secus fecerit, omni cum reverentia a definitoribus (praesertim primo) moneatur, et, nisi monitus se ipse correxerit, solito visitationis suae tempore arguatur, meritasque luat poenas.

De usu temporalis potestatis. §. 534. 8. In temporalibus conventus non gravet, libros, videlicet, aut quaevis alia bona alteri deferendo: sive onus pecuniae alicui solvendae, imponendo: immo quos repererit conventus plus solito penuria laborantes, studeat quam primum allevare, superfluos inde removens conventuales, necessarios tantummodo relinquens, aut alios substituens, qui praedicatione, labore, honestoque alio, ac religioso modo utilius possint hujusmodi indigentiae subvenire.

De subjectione inferiorum. §. 535. 9. Inferiores praelati sub gravia culpae poena teneantur, quaecumque fuerint a priore generali, vel a quovis alio praelato superiore sibi, aut cuilibet religioso sibi subdito quomodocumque demandata, debita alacritate exequi: dummodo regulae, et constitutionibus clare non adversentur. At si grave aliquod inconveniens in eorum executione repererint, ad ipsum adire liceat per se (nisi longe absit) vel per literas; et pro tunc expectare, quid quid,

inspectis circumstantiis, decernere maluerit. Ne autem licentiarum praetextu quis possit immediati sui praesulis obedientiam evadere, praecipimus ut dicenti se aliquam habere licentiam a superiore obtentam, nisi eam in scriptis exhibeat, nullam ei fidem prior adhibere teneatur.

De duratione muneris prioris generalis.

§. 536. 10. Secum exercebit munus generalis prior ad successoris usque sui electionem, quae in generali capitulo proxime sequenti fieri debet. Suum socium, sive secretarium habebit a definitorio generali designatum, qui sacerdotali sit ordine initiatus, et in trigesimo quinto aetatis suae anno constitutus, zelo, et prudentia praeditus, aliisque qualitatibus insignitus, ut ei consilio, et opere adjumento esse possit. Hoc cum munere praelaturam exercere non valeat, neque in capitulis generali, aut conventuali jus suffragii habere.

De electione, et jurejurando post electionem praebendo.

§. 537. 11. Ut in definitorio eligatur, tres religiosos habiles proponet generalis prior, quo unus assumatur: quod si in primo scrutinio non fiat, tres, ac tres deinde proponat, donec tandem unus electus appareat. Antequam munus suum exerceat, coram generali definitorio jurejurando se astringat fidelitatem, et secretum sibi commendatum in sui muneris exercitio servare, et etiam in illis, quae a capitulo, vel definitorio, vel ipso generali priore fuerint stabilita, declarata, aut mandata, sic se habere in dicendo, scribendo, aut testificando, ut ex industria, vel malitia nihil mutare, addere, sive minuere audeat.

De jure subrogandi secretarium.

§. 538. 12. Si secretarius iste e vita decedat, vel oneri obeundo inhabilis reddatur; poterit generalis prior in illius locum alium subrogare, breve tamen ad tempus, donec expeditior reddatur, aut (si perpetuum sit impedimentum) alterius electio a definitorio fieri queat.

§. III.

De visitationibus a priore generali peragendis.

De visitationibus a priore generali faciendis.

§. 539. 1. Ad priorem generalem spectat, tanquam praecipua muneris sui pars, singulos, tam fratrum, cum monialium conventus visitare, ut sic propius vultum pecoris sui agnoscat, suosque greges consideret: quamobrem teneatur omnes conventus quotannis adire, et non nisi ad tres tantum, vel quatuor ad plurimum, absque definitorii facultate visitatorem mittere.

De modo quo erit recipiendus in conventibus.

§. 540. 2. Cum primum ad aliquem conventum (licet non visitaturus) accesserit, eo excipiatur modo, qui a manuali nostro praescribitur: aliis vero occasionibus, singulis fratribus ad tintinnabuli signum convocatis, ut ipsius adventum congratulentur, amplexum, et benedictionem perhumaniter dispenset.

De initio visitationis.

§. 541. 3. Die, et hora a se praestitutis, ut visitationem incipiat, omnes iterum, signo dato, ad chorum, commodumve alium locum convocare jubeat; ubi praemisso flexis genibus hymno — *Veni creator Spiritus* — una cum oratione — *Deus qui corda* — eos suo jam ordine considentes de illis breviter hortetur, quae ad visitationem congruere sibi videantur; et statim hujusmodi praeceptum, verbo tenus cunctis adstantibus injungant — Auctoritate, qua fungor omnibus, et singulis hujus conventus fratribus, tam praelato, quam subditis praecipio in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, ac sub praecepto, ut unusquisque a me interrogatus aperiat quidquid animadversione dignum in hoc conventu vel in aliquo ipsius religioso contra Dei, aut Ecclesiae legem, contra regulam, aut constitutiones, sive praelatorum ordinationes deprehenderit; servato tamen charitatis ordine.

De praeceptis irrogandis in prima visitatione.

§. 542. 4. In prima visitatione haec insuper addit — Eodem sub praecepto jubeo, ut coram me denuntient, quid quid de antecessore meo, ac de ejus secretario juxta nostras constitutiones interrogabo. Deinde, nullo addito praecepto huic formulae finem imponet, subjungendo — Praecipio sub obedientia religiosis omnibus, ut in cellularum visitatione omnia, quae suos habent in usus ostendant — Praeceptum hoc nec infra tres, nec ultra decem dies perdurabit; et quidquid ipsi addatur nisi sit scriptum nullius omnino roboris, aut momenti censeatur.

De visitatione sacrarii Eucharistiae.

§. 543. 5. Posthac in primis se conferat ad visitanda sacraria sanctissimi Eucharistiae sacramenti tempore apto, quo communitas assistere possit, illudque canere, quod in caeremoniali praescribitur, vasculum etiam olei infirmorum, confessionalia, omnemque supellectilem et quaecumque divino cultui sunt addicta, ac Ecclesiae ottori inserviunt, de cujus munditie, atque decore majorem in modum inquiret.

De interrogatione fratrum.

§. 544. 6. Deinde avocatis ad se in cellulam suam singulis fratribus, de rebus in praecepto nuper expresso contentis unumquemque interrogabit non generaliter, sed specialiter, hac ratione — An pacem, et quietem inter se habeant religiosi; regulaeque et votis in professione nuncupatis plene atque perfecte satisfaciant? An apud saeculares debitum praeseferant bonorum operum exemplum; nimismque illorum effugiant consuetudinem, juxta modum a constitutionibus praefixum? An in officio divino, oratione, clausura, silentio, vitaque communi, et aequali defectus aliquis in praelato, aut in subditis notetur; vel abusus in vestitu, sive aliis ordinis observantiis irrepsisse dignoscatur? An praelatus publicas subditorum culpas, vel legum violationes permiserit impune grassari; aut omiserit necessaria religiosis praesertim infirmis, juxta legum nostrarum dispositionem, subministrare? Inquiret etiam caetera quaecumque, quae regularis observantiae conservationi necessaria esse judicaverit.

De interrogationibus circa antecessorem.

§. 545. 7. In prima visitatione haec de antecessore suo interrogabit — Si communem vitam, et constitutiones nostras exacte observavit, earumque observantiam zelavit? Si aliquem abusum admisit, vel admissum augeri permisit? Sique aliquo alio defectu, tum in moribus, cum in suis muneris exercitio fuerit notatus? — De secretario sciscitabitur — An regularem observantiam sit prosecutus; aut in sui muneris administratione delicta aliqua admiserit? —

De juramento praebendo a deponentibus.

§. 546. 8. Quidquid contra hos fuerit a testibus denuntiatum, nisi sub juramento firmetur, minime admittatur: quae vero sic fuerint asserta, propria inquirentis manu perscribantur, ipsiusque simul, ac deponentis nomine subsignentur. Si quae fuerint culpae legitime probatae eas reo in scriptis patefaciat, quin deponentium nomina detegat, ut illis ipse respondeat; quae autem fuerint ab ipso responsa una cum inquisitione generali definitorio conferantur, ut pro meritis sententiam ferat.

De rejectione animadversionum in scriptis.

§. 547. 9. Animadversiones scriptas ulla in visitatione admittat, et si quis eas facere tentaverit, nulla ejusdem testificatio ipso in anno admittatur. Quidquid religiosorum quisque detulerit, teneatur visitator propria perscribere manu, et insuper ab ipso inquirere, num qui sint alii delatae rei conscii? Si quos ille designaverit, eosdem visitator adnotabit, et cum delatore subscribet: congruo autem tempore a designatis testibus, vel ab omnibus religiosis (si publicam rem esse dicant) quid de ipsa re sciant, explorabit, unaque cum ipsis, quidquid exposuerint, teneatur similiter obsignare; denuntiantium vero, aut testium nomina nequibit unquam palam reo facere. Nihil deferentes testes id ipsum cum visitatore subscribant.

De examine librorum accepti, et expensi.

§. 548. 10. Libros accepti, et expensi studiose pervolutet, ac de monasterii bonis, caeterisque ad rectam ipsius administrationem spectantibus, nec non de plena missarum satisfactione rationem quaerat. Teneatur etiam coram communitate uniuscujusque habitum, et pallium circumspicere, et ad legis mensuram reducere, quidquid ab illa discessisse compererit. Communes officinas per se ipsum adeat, et religiosorum cellulas singulatim perlustret; agatque, ut nec ibi desint, quae fuerint religiosorum usibus necessaria, nec remaneant, quae professionem nostram dedeceant. Et tandem omnia peragere teneatur, quae in diversis harum constitutionum locis ipsi praecipiuntur.

De confessione defectuum accipienda.

§. 549. 11. Deinde cunctis iterum vocatis, culpas unicuique injunctas, eisdem exponat, ut suas ipse defensiones audiat: ab omnibus tandem, quibus corporis molestiis, quibus animi angoribus afficiantur, inquirat; quo se modo habeant in mentalis orationis studio, ac in salubri, tum passionum mortificatione, cum virtutum exercitatione diligentius exploret; ut omnibus ita possit, et in temporalibus auxiliari, et in spiritualibus juxta vires media sufficere, quae ad perfectionem consequendam utiliora esse videantur.

De poenis irrogandis, et correctionibus adhibendis.

§. 550. 12. Postremo culparum capitulum celebrabit eo modo, quo conventuale fieri solet; ibique, non tam judicis, quam patris personam referens, excessus, aut defectus, quos, vel ipse notaverit, vel ab aliis legitime didicerit, aperiat, et media charitate corrigat, vel etiam puniat; ne parcendo virgae filios odisse videatur. Utatur tamen aequitatis virga, quae plus vitam quaerens, quam vindictam, delicta ita profligare valeat, ut sospites conservet personas delinquentium; sicque omnibus correptio fiat in salutem, et sit opus justitiae pax, quam visitator post se relinquere studeat semper.

De ordine inter religiosos servando, in accipienda correctione, et poena.

§. 551. 13. Religiosi omnes, ut correptionem accipiant, ordine a caeremoniali praescripto accedant. Prior si aliquod crimen publicum admisit, publice quoque afficiatur supplicio; si vero major communitatis pars id ignoret, coram paucis tantum, qui bono ipsius nomini, et honori plus consulant, latenter corripiatur. Si quem visitator deprehenderit obnoxium crimini, quod suam excedat jurisdictionem, illum ad definitorium deferat; interimque si periculum sit in mora, meliori, quo possit, modo de remedio provideat. Si quem ficti, et falsi criminis delatorem invenerit, quam reo poenam, si culpa probaretur, inferre deberet ad delatorem transferat malitiosum. Ea propter culpam, quae per duos saltem testes non probetur, nec aperire, nec corripere, nec etiam ipsi denuntiato poterit visitator indicare; nisi ipse id cognoscat, et ex illis non sit, quae juxta charitatis ordinem nequeunt licite propalari; quem ordinem semper observari volumus, juxta dicta prima parte capite 6.

De disciplina et absolutione a censuris.

§. 552. 14. Ad extremum capituli, praemissa ab omnibus generali confessione, communique suscepta disciplina, prout in caeremoniali adnotatur; visitator, et de censuris absolutionem, et ex privilegiis nostris indulgentias, cunctis sub hac formula elargiatur. — Auctoritate Domini nostri Jesu Christi, qua fungor in hac parte, in quantum possum, absolvo vos ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis, et virtute Bullarum, et privilegiorum sacri nostri ordinis concedo vobis plenariam indulgentiam, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. —

De visitatione conventuum monialium.

§. 553. 15. Simili modo monialium conventus visitet, detque operam, ut moniales ipsas accurate suas servent constitutiones, praesertim quae ad divinum cultum, clausuram, ac abstractionem spectant; nec umquam permittat, ut ex monialibus aliqua sine expressa ipsius facultate in scriptis exhibita alloquatur, cancellis apertis, veloque sublato; cuicumque saeculari, vel regulari, etiam nostri ordinis; nisi iis tantum, qui in latis, et illarum constitutionibus excipiuntur. Ipsarum monialium clausuram non intret visitator nisi unica tantum vice ad eam visitandam, tuncque secretario stipatus, comitantibusque duobus aliis religiosis ex gravioribus: caeterae visitationis functiones (idem erit in electionibus) extra clausuram in locutorio, vel in ecclesia prope chorum inferiorem peragantur. Qui contrarium egerit privationem ab officio per sex menses incurrat.

De probatione edendi, et dormiendi in conventibus monialium.

§. 554. 16. Inhibemus praeterea visitatorem, et quemcumque alium religiosum sub gravis culpae poena, ne in praenarratis conventibus sub quovis praetextu prandere, coenare, aut dormire audeant: sed ut his satisfaciant, religiosorum conventum repetant, si in loco sit; sin aliter, ad confessariorum hospitium, aut viciniorem domum se conferant, ubi moniales ipsae victum praebere teneantur, eodem prorsus modo, ac communitati solet ministrari.

De subrogatione prioris decedentis in muneris exercitio.

§. 555. 17. Si generalis prior, dum suum exercet munus e vita decedat, primus definitor, vel si abest, qui sequitur, aut definitoribus absentibus, prior domus teneatur illico accuratum efficere inventarium rerum omnium ad defunctum spectantium, ipsasque caute servare, usque dum successor eligatur, cui fideliter tradentur, ipseque definitorio patefaciet, ut, quod justum fuerit, de ipsis disponat. Hujusmodi inventarium coram duobus testibus confici debet, quorum unus sit ejusdem defuncti saecretarius, vel alius ab ipso, dum in vivis ageret, forte constitutus, ut scripta conscientiae penes se retineret.

Caput V.

De definitoribus generalibus.

De definitoribus generalibus.

§. 556. 1. *Ubi non est gubernator* (testatur summa veritas) *populus corruet; salus autem, ubi multa consilia*. Idcirco constituto jam supremo congregationis gubernatore, priore scilicet generali, operae pretium duximus aliquos e gravibus patribus, zelo et prudentia insignibus, et qui saltem per triennium in theologia, aut canonibus sacris lectoris munus exercuissent, designare; et una cum ipso difficilloris, majorisque momenti res dirimant, ac expediant.

De numero definitorum.

§. 557. 2. Definitorum generalium titulo gaudebunt, et nec numero plures, nec pauciores erunt, quam quatuor; curentque maxime, et si non rogati, prioris generalis onus in rebus illis, quae ad ejus salutem, et universae congregationis regimen spectant opera, et consilio sublevare. Aequa omnium sit potestas, et

juxta suarum electionum seriem immediate post generalem digniorem occupet locum semper, et ubique: sunt enim veri totius congregationis praelati superiores. Praesideant etiam in omnibus communitatis actibus, ubi non adsit prior generalis, aut localis: at toto definitorii tempore, etiam locali priore praesente, ad definitores praesidentia spectabit.

De munere definitorum.

§. 558. 3. Extra definitorii mensam peculiari conventuum regimini se se non immisceant; neque de illorum bonis, aut fratrum dispositione aliquid decernant. In conventibus a generali priore sibi designatis commorentur; in eodem autem (si commode fieri possit) nunquam duo cohabitent. E loco, ubi resident, exire nequeant sine prioris generalis, aut definitorii facultate, nisi ad sex tantum leucarum distantiam; neque in oppidum, ubi conventus est, prodire valeant sine socio ab ipsis designato, qui socius de hac designatione localem priorem certum facere teneatur.

De licentia ingrediendi cellas religiosorum.

§. 559. 4. Ubicumque fuerint, in singulos religiosorum, istique in proprias illorum cellulas, dummodo in ipsis adsint, absque alicujus praelati venia ingredi poterunt. Verum in conventibus sibi designatis conventualibus interdicimus, definitorum cellulas ingredi absque localis prioris facultate. Poterunt etiam ad ipsos religiosos, et quascumque alias personas quovis loco, et tempore, pariter ac prior ipse generalis, alloqui, et scribere: immo, quae fuerint ab ipsis, vel ad ipsos directe literae nequibunt, sub poenis in his constitutionibus alibi taxatis, ab ipso neque generali priore aperiri, aut callide retardari.

De signo adhibendo a definitoribus.

§. 560. 5. Ne autem ignorantiae titulum in excusationem possint adducere, qui hoc attentare praesumpserit, statuimus, ut praeter sigillum, quo obsignantur scripta a capitulo, definitorio, et priore generali expedita, omnes praelati superiores in obsignandis epistolis propriis utantur sigillis, in quibus sculptum sit idem ordinis stemma, addita in circuitu uniuscujusque inscriptione, videlicet — *definitorium generale* — *prior generalis* — *definitor generalis primus* — et sic de reliquis. Sigillum definitorii penes definitorem secretarium semper asservetur, qui sub poena gravis culpae illo nunquam utatur, nisi in scriptis ab eodem definitorio expeditis.

De immunitatibus definitorum

§. 561. 6. Quoad regularis disciplinae observantiam, communemque vitam, sic se gerant definitores in monasteriis, ubi morantur, ut caeteris religiosis exemplo esse possint. Conventuali capitulo, et quibusvis aliis communitatis actibus, in quibus culparum correctio fiet, minime intersint; nec nisi subjiciantur poenae, aut praecepto, nisi a capitulo, vel definitorio fuerint injuncta. Caeterum si quis minus observantiae custos inveniatur, vel (quod Deus avertat) pravis moribus aliis fratribus mali exempli sit, prior localis secreto, ac debita cum reverentia illum moneat: si vero non resipuerit, priorem generalem certum faciat, qui reliquorum definitorum consensu illum reprehendet, vel pro qualitate culpae puniet.

De inquisitione definitorum facienda.

§. 562. 7. Paulo ante capitulum prior generalis per se, vel per alium (dummodo ex superioribus praelatis non sit) juridicam inquisitionem faciet de quolibet definitore in conventu suae habitationis, conventualibusque formale praeceptum imponet, ut quidquid de ipso tam circa regularem observantiam, quam circa sui muneris administrationem objurgatione dignum deprehenderint, coram ipso sub juramento detegant: in quacumque vero testificatione una cum teste subscribat. Peracta autem hujusmodi inquisitione, posteaque complicata, et obsignata sigillo proprio (vel conventus, si ab alio fiat) ad capitulum generale tuto mittat dijudicandam: a novo definitorio intra tempus capite 2.° statutum.

De vicario generali, ejusque munere.

§. 563. 8. Primus definitor ipso jure sit vicarius generalis, ut prioris generalis vices suppleat: dum infirmus, aut legitime fuerit impeditus, munus tamen hocce non obeat sine expresso definitorii mandato, cujus est judicare, sit nec ne, legitimum impedimentum. Si autem generalis prior morte fuerit praeoccupatus, et hoc eveniat in ultimo triennii anno, statim absque alicujus mandato praedictum munus exerceat definitor primus, et in istius locum alius eligatur definitor, ut quinque suffragiorum numerus integer perseveret. Si vero mors antea eveniat, capitulum generale extraordinarium statim vocetur ad novum priorem generalem eligendum, omniaque ad hanc usque electionem regat vicarius ipse, quin aliquid in antecedenti regimine immutet: postea regat prior generalis noviter electus, qui iterum reeligi poterit in sequenti capitulo, si per majorem triennii partem officium non exercuerit. Haec omnia eodem modo, ac si mors in-

teresset, intelligi volumus, quando hujusmodi officium aliam ob causam vacare contingat. Idem, etiam, quod de primo definitore dictum reliquimus, de caeteris per ordinem eodem modo intelligatur, si primus deficiat.

Caput VI.

De vicario provinciali ultramarino.

De vicario provinciali ultramarino. §. 564. 1. Vicarius provincialis ultramarinus, utpote verus illorum conventuum superior praelatus, non minus ac caeteri, literis, et virtutibus insignis esse debet. A generali capitulo est eligendus, suffragiique jure in illo gaudebit, si dum fit, in hoc regno extiterit. Locus sit illi prioribus conventualibus inferior, superiorque prioribus hospitibus. At in ultramarinis conventibus omnibus praecedet, superioribus tantum congregationis praelatis exceptis; jurisdictionemque ibidem exercebit sibi a jure concessam, quin ulli subjiciatur, nisi generali priori. Officium renuntiare nequeat (idem esto de prioribus suae jurisdictionis) nisi honoribus ipsi adjunctis se se simul addicet, nec in hoc regnum revertere, nisi post successoris adventum. Qui secus fecerit, voce, et loco per sex menses privabitur.

De secretario ab eo eligendo. §. 565. 2. In secretarium eligat religiosum iis ornatum dotibus, quae pro ipso munere apte exequendo requiruntur; atque ab ipso juramentum exquirat de secreto, ac fidelitate servandis in his, quae sui sunt officii, eodem prorsus modo, ac generalis secretarius illud praestare debet. Vitam denique communem observare teneantur ambo, regularemque sequi observantiam, quantum sui officii ratio patiatur.

De translatione religiosorum ab ipso facienda. §. 566. 3. Religiosos, qui transmarinis conventibus ultra tres annos sponte commorari volunt, ad alios poterit suae jurisdictionis conventus transferre, necessitate id expostulante: nequeat tamen ullum, transacto triennio, ipsis in locis coacte retinere. Idem praecipimus quibuscumque aliis ultramarinis praelatis; et siquis contrarium egerit, spiritualium exercitiorum per dies decem poena afficietur. Religiosis vero, quibus id contingat, facultatem impertimur, ut quibus literis a regno profecti sunt, cum iisdem a consiliariis subscriptis ad regnum revertantur. Praecipimus etiam omnibus, et singulis ab ultramarinis conventibus revertentibus, ut statim ac regno appulerint, sub gravis culpae poena priorem generalem certiorem faciant, quo ipsis conventualitatem designet.

De inquisitione contra eum, et secretarium facienda. §. 567. 4. Statuimus praeterea, ut de ultramarino vicario provinciali, deque ejus secretario juridicam faciat inquisitionem ipsius successor, eo modo ac de priore generali statutum manet. Absoluta inquisitione si ibidem adhuc persistat, cum ipso rationem ineat accepti, et expensi suo in triennio, insuperque delatas culpas illi objiciat, defensionem accipiat, atque omnia obsignata caute ad definitorium transmittat, ut, quod aequum judicaverit, decernat: si vero inde jam discesserit visitationis acta ad priorem generalem mittat, hicque, audita prius rei defensione, ipsam una cum visitationis actibus definitorio judicandam tradat; per se autem accepti, et expensi rationem instituat.

De pecunia ei necessaria. §. 568. 5. Tandem statuimus, ut procurator generalis mutuo det vicario provinciali ultramarino pecuniam sibi necessariam ad navigationis sumptus; ab ipso autem memoriam accipiat, ex qua authentice constet, tum pecuniae traditio, cum ipsius summa. Praecipimus vero eidem vicario, ut quam primum possibile sit, memoratam solvat pecuniam: caeterum, si antequam id faciat, morte fuerit praeoccupatus, ultramarini conventus id satisfacere teneantur, et se se inter illius dividant spolium.

Caput VII.

De procuratore generali.

De procuratore generali. §. 569. 1. Procuratoris generalis munus inter graviora religionis adnumerari debet: quippe ab eo potissimum dependet felix, infelixve gravium totius congregationis negotiorum exitus: hac de causa in ejus electione maximum habere delectum oportet.

De juramento ab eo praestando. §. 570. 2. Post sui electionem coram definitorio quamprimum juramentum praestabit de secreto, et fidelitate servandis in iis omnibus, quae ipsum tribunal circa ejus munus illi declarabit, videlicet, numquam per se vel per alium, quovis modo solicitaturum aliquid, quod communi congregationis vel alicujus conventus bono adversetur, aut constitutionibus, statutisque a capitulo, vel definitorio generali dimanatis opponatur: quaesiturum se nun-

quam immutationem ullam in regimine, aut in aliqua ordinis constitutione: nihil se acturum sine capituli, aut definitorii facultate, ut apostolicas literas impetret; immo ad definitorium delaturum esse omnes, quos in hac parte aliquid tentare, aut procurare cognoverit, ipso generali priore non excepto, traditisque epistolis, et aliis quibuscumque scriptis ab ipso apprehensis, hujusmodique materiam concernentibus: et tandem ab instructionibus minime discessurum, quas a generali capitulo, vel definitorio acceperit, ad commissa sibi negotia, sive ad universam ordinis utilitatem spectantes. Si postea haec neglexerit, praeter poenas ad culpae qualitatem infligendas, ab officio deponatur, et ut inhabilis habeatur, ad quaecumque ordinis honorifica officia iterum obtinenda.

De defensione bonorum, et jurium congregationis.

§. 571. 3. Ad suum spectat munus omnia congregationis bona, at jura defendere; lites in ipsam injuste commotas vi justa, decentique modo propulsare, nec non operam dare, ut negotia sibi a definitorio, quibusvisve aliis praelatis commendata, sive communia, sive conventus peculiaria sint, felicem sortiantur effectum. Adsit etiam publicis instrumentis, quae Ulyssipponensium, et Carnidensium monialium nostrarum novitiae ante ingressum conficere debet. Nullis tamen extrariorum negotiis se immisceat, nec etiam particularium religiosorum, nisi a competenti superiore licentiam prius ipsi obtinuerint. Praeterea prioribus localibus ordinamus, ut curare studeant, quae a procuratore generali sibi fuerint commendata, cum ob locorum distantiam aliquid per se ipsum agere nequit.

De cathalogo ab eo exhibendo.

§. 572. 4. Singulis annis in ordinario definitorio mense maji celebrando cathalogum exhibeat, ex quo constet, et numerus, et status litium, negotiorumque tunc temporis occurrentium; insuperque fidelem rationem reddat de acceptis, et expensis eodem anno, sive ad generalem procurationem, sive ad conventus suae curae commissos spectent. Denique paulo ante capitulum rationem reddet universalem de acceptis, et expensis in triennio, apochas simul, adnotationesque exhibendo, e quibus dignosci queat, quomodo suo muneri satisfecit; juramento etiam firmabit, omnia ad conventus spectantia jam tradidisse.

Declarationes circa munus de quo supra.

§. 573. 5. Ad universalem istiusmodi rationem ineundam duos designabit definitorium religiosos idoneos, qui per se ipsos praesentem numerent pecuniam, et libros, ac scripta, caeteraque omnia examinent, quo fidelem, et accuratam ipsi definitorio reddant rationem de omnibus sibi commissis.

De remissione redditnum priori generali facienda.

§. 574. 6. Annuos cujuslibet conventus reditus remittat procurator generalis illius priori, aut vicario, statim ac eos acceperit; neque sine ipsius expresso consensu eos retinere audeat, vel alio divertere. In aliis vero, quae ut fiant, communitatis, aut consiliariorum consensum requirunt, cujusmodi sunt, pecunias in foenore ponere, vel accipere, contractus inire, et quaevis bona alienare; nihil omnino agat, quantumvis prior expostulet, nisi postquam authentico consiliariorum testimonio sibi constiterit; hujusmodi consensum praecessisse, et etiam prioris generalis, si pecunias ab alio foeneratas suo conventui accipi expostulet. Contrarium agens ipso facto, ab officio amoveatur. Eadem afficiatur poena, si pecuniarum sortes, quae a foenore liberantur, ad quos spectant conventus, non remiserit, iis tantum exceptis, pro quibus definitorium aliud observari mandaverit.

De pecunia foenori non collocanda.

§. 575. 7. Nihil pecuniae in foenore ponat sine approbatione communitatis, ubi generalis procuratio sita est, et quin prius in libro adnotatam referat hujusmodi approbationem a consiliariis inscriptam, insimulque diem, mensem, et annum, quibus pecunia ipsa in foenore fuit posita. Nihil etiam pecuniae poterit sub procurationis generalis nomine ab alio foenerare, sine definitorii facultate in scriptis exhibita, et pro qualibet vice obtinenda. Nihil itidem pecuniae suppeditare in sumptus alicujus particularis religiosi, sive subditus, sive praelatus sit: attamen si generalis prior, aut definitor aliquis pecuniam in ordinis negotia insumendam ab ipso petierit, exhibere teneatur, petita ab eo hac de re memoria, quam definitorio sistet, cum rationem reddiderit. Qui eorum aliquid neglexerit, praedictam subeat poenam; gravi autem subjaceat per diem, si privati religiosi pecunias asservaverit, sine expressa praelati superioris facultate.

De loco procuratori tribuendo.

§. 576. 8. In omnibus congregationis conventibus locum habeat generalis procurator post priores, aut vicarios canonice electos; praesideatque communitatis actibus, ubi non adsit conventus prior, aut subprior. Adesse tamen volumus conventuali capitulo, ubi prae-

sidet prior, cujus subditus est, a quo benedictionem accipere debet, quoties e domo egreditur. Caeterum libera mittendi, atque recipiendi quascumque litteras, quin ab aliquo superiore, praeter definitorium generale resignari, retineri, aut supprimi possint, facultate gaudebit. Volumus etiam, ut in obsignandis litteris ad suum munus spectantibus, sigillo utatur, quod ordinis stemma insculptum habeat, ut sui indicem officii inscriptionem.

De habitatione procuratoris generalis

§. 577. 9. In conventu a definitorio designato inhabitet, habeatque socium a priore generali destinatum, et etiam laicos, quos prior ipse generalis in procurationis ministeria necessarios esse judicaverit, qui omnes coram ipso fidelitatem jurabunt: habeat praeterea procuratores, sive causidicos saeculares, qui lites, et causas in forensibus tribunalibus agant. Quoties necessarium duxerit, poterit in urbem prodire una cum socio, vel hoc impedito, cum alio a priore designato, quin egrediendi occasionem aliis impediat. Poterit etiam sine socio extra urbem prodire, vel socium, sive laicos mittere ad quatuordecim leucarum distantiam tantum cum sui muneris ratio id expostulaverit.

De infirmitate procuratoris generalis.

§. 578. 10. Procuratore generali impedito, ut suum persgat munus socium mittat una cum religioso a priore designando; tuncque, nec exeundi locum aliis adimat, nec a priore impediri valeat, sicut et laici procurationi addicti: quamvis enim veri sint ejusdem prioris subditi, in omnibus tamen, quae ad suum spectat munus, procuratori generali tantummodo parere volumus. Per triennium durabit in suo munere procurator iste generalis, poterit tamen in ipso reeligi, si generale capitulum ita expedire censuerit. Poterit etiam in hoc munus assumi quicumque localis superior, statim ac suum absolverit officium.

De procuratore conventuum Brasiliensis, Ulyssipponensis, et Carnidensis.

§. 579. 11. Si definitorium aliquem designaverit laicum in procuratorem Brasiliensum conventuum, ac monialium Ulyssipponensium, et Carnidensium, ipse laicus teneatur rationem procuratori generali reddere de litibus suae administrationi spectantibus; nec ullam intentare valeat, aut pactum aliquod facere debitoribus aut creditoribus monialium sine communitatis earumdem approbatione, et procuratoris generalis consensu: teneatur praeterea eodem tempore, et modo, ac ipse, definitorio rationem reddere. Quo autem pecunias monialium nomine in foenore ponat, vel accipiat, praeter procuratoris generalis consensum, omnia servare teneatur, quae numero 6. statuta reliquimus.

De pecuniis Brasiliensis conventus nomine non foeneranda.

§. 580. 12. Brasiliensium conventuum nomine, nec pecunias foenerabit, nec foeneratas accipiat sine prioris generalis facultate: nullum similiter pactum ad eosdem conventus spectans aget, quin prius procurator generalis, et duo Ulyssipponensium conventuum praesules consentiat. Servet praeterea omnia alia, quae pro generali procuratore stabilita manent: si autem omiserit, pro culpae modo a definitorio plectatur.

Caput VIII.

De prioribus localibus.

De prioribus localibus.

§. 581. 1. Ad priores locales, tamquam ordinarios, immediatosque pastores, specialiter attinet, corporalem non modo, sed spiritualem etiam religiosorum salutem procurare, ac jugi animi applicatione contendere, ut eorum mores, et actiones per divinae legis, institutique nostri observantiam ad perfectionis metam recte dirigantur. Igitur ut gravissimo huic muneri satisfaciant necesse est, curent in primis, suam quisque vitam sic instituere, ut non tam sibi, quam subditis vivere videantur, et forma gregis sui facti, id ipsum, quod eis suadere nituntur, praevio suo exemplo comprobent.

De continentia subjectorum.

§. 582. 2. Ne dum exemplo, verum etiam monitionibus, et poenis, nec non formalibus praeceptis (prout dictum manet prima parte cap. 5) debent ex officio subditos ad perfectam legum, debitamque praelatorum obedientiam coercere, et eorum transgressiones, ad gravem usque culpam tantummodo, punire. Sed licet poenarum metus sit reverentia legum, praeceptorumque custodia: attamen parum subditis prodesse poterit, si eo tantum coacti, quidquid praecipitur, exterius exequantur, interius vero indignationem, malasque affectiones callide recondant. Idcirco praecipuum prioris studium eo collimet, ut externis non contentus, singulorum interiora penetret; cordis recessus, animique motus agnoscat, ac spiritales uniuscujusque vires perpendat, ut juxta ipsorum dispositionem discernat, quos, quando, et quomodo exhortari, admonere, corrigereve debeat.

De charitate erga subditos adhibenda.

§. 583. 3. Hoc ut assequatur, affabiliter, cum subditis agat, omnesque paterno prosequatur amore: bis saltem in anno, tempore videlicet Adventus, et quadragesimae, singulos privatim alloquatur spiritualiter; tuncque simul eorum necessitates, tum spirituales, tum corporales inquirat, ac de remedio providere studeat: ipsorum confessiones, quoties ipsi ultro petierint, benigniter audiat; pusillamines erigat, moerentes consoletur, infirmis compatiatur, discordes componat, naturaliter impatientes ad horam sustineat, sicque erga singulos (quoad licite fieri potest) se se accomodet, ut omnibus omnia factus, omnes Christo lucrifaciat. Rebus etiam necessariis omnibus praesto sit, quin alios aliis praeponat, nisi quantum major, aut minor cujusque suaserit necessitas, pro comperto habens, nihil adeo paci officere, ut inaequalitas praelati erga subditos. Quamobrem omnes in Domino hortamur, ut si quid hujus generis in praelato invenerint, superiori denuntient, quo de salutari remedio incunctanter provideant.

De observantia constitutionum curanda.

§. 584. 4. Curent praeterea, ut subditi praestitutam a regula, et constitutionibus solitudinem servent, ipsique, quantum sui muneris occupationes ferant, in hoc ipsi exemplum praebeant. Si vero gravis aliqua urgeat necessitas a domo egrediendi, et per aliquod tempus extra illam immorandi, poterunt, praesente adhuc subpriore, ex religiosis sibi subditis vicarium constituere, qui conventum regat, caeterisque fratribus, subpriore non excepto, praesideat, non tamen prioribus, aut vicariis canonice electis: limitationes autem observabit, quibus prior ipsius regimen circumscribere voluerit; et tandem suum exercebit munus ad prioris usque reditum, vel (si obeat, aut quavis alia causa sit officio defunctus) donec alius a superioribus praelatis huic muneri praeficiatur.

De vicarii assumptione.

§. 585. 5. Dum vero in conventibus extiterint, vicarium non assumant, nisi gravi infirmitate detenti praecipuas sui officii partes exsolvere non valeant. Similiter, cum ad generale capitulum tetenderint, nullum in sui vices subrogare poterunt, nisi subpriorem: immo solus hic, priore mortuo, aut legitime impedito, si non adsit vicarius a definitorio electus, ad capitulum se conferre debet. Si quis vero prior, eo quod ad capitulum ire nequit, in conventu manet, ipsum regere debet usque dum successoris patentes literae legantur in conventuali capitulo; nec antea prior denuo electus jurisdictionis actum (et si praesens) exercere valeat; quantumvis prioris locum, omnesque sui muneris honores habere debeat.

De distributione officiorum.

§. 586. 6. Ad priores quoque spectat domestica quaeque officia in communi tabula non comprehensa (cujusmodi sunt sacristae, janitoris, vestium custodis, dispensatoris, ac valetudinarii) distribuere religiosis indole bona praeditis, qui aliorum pacem, et quietem turbare nequeant, vel ad libitum auferre poterit. Nullus tamen prior conventus procuratorem eligere, aut amovere queat, nisi ope conventualis capituli e cujus consensu pendeat etiam, vel ejus depositio infra triennium, vel ejus conservatio ultra annos tres.

De suppeditandis religiosis transmigrantibus

§. 587. 7. Religiosis, qui superioris praelati jussu in alios transmigrant conventus, non modo necessarie pro itineris expensis suppeditare tenentur, sed etiam novos habitus praebere, si veteres bienii usu fuerint attriti, et alias vestes, quae consiliariorum judicio necessaria videantur. Qui haec neglexerit, graviter puniatur, ab officioque per sex menses privabitur; prior autem ille, in cujus domum religiosus transfertur, quidquid vestium ad consiliariorum judicium opus fuerit, continuo praebeat, et de expensis certum faciat superiorem praelatum; quo ipse solvere praecipiat.

De erudiendis famulis in doctrina christiana

§. 588. 8. Curent praeterea, ut sui conventus famuli in doctrina christiana per fratrem a se designatum sufficienter erudiantur, atque ad poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta frequenter (semel saltem in mense) accedant; et ita sint benemorati, et nulla in eis possit infidelitatis, aut divinae offensionis gravitas patere. Si his se nolint accomodare semel, et iterum admoniti, et non correcti protinus expellantur.

De signo quo uti poterunt priores.

§. 589. 9. In scriptis ad suum munus spectantibus poterunt priores sigillis uti, quae ordinis stemma, conventusque nomen insculptum habeant: caeteraque servare teneantur, quae pluribus in locis harum constitutionum ipsis praecipiuntur. Si quis autem in munere suo adimplendo remisse se gerat; ad culpae proportionem poenam sustineat a priore generali infligendam. Quod si eo negligentia devenerit, ut in causa sit, quod communitas, aut pars ejus major pace careat, sive observantia, vel grava aliquod spirituale, aut temporale patia-

tur damnum intra, vel extra conventum; vel si frequenter, nec juxta detentus causa, a communi vita, regularique observantia se se eximat, ob idque plus damni, quam commodi ab ejus regimine percipiatur, tunc praelatus superior eum confestim ab officio suspendat per menses quatuor, interimque rem totam juridice probatam definitorio tradat, cujus erit, audita parte, definitivam depositionis sententiam proferre.

Caput IX.

De conventuali capitulo.

De capitulo conventuali.

§. 590. 1. Dominicis diebus, vel aliis, ubi opus fuerit, sicut regula praecipit, conventuale capitulum congregari debet ad culparum correctionem habendam, aliaque ordinis negotia pertractanda. A priore, vicario, aut sub priore fiat hujusmodi capitulum ad matutinam orationis horam, nisi justa aliqua causa in aliam transferri expostulaverit; ad illudque convenire teneantur omnes subditi, sive conventuales, sive hospites; qui in conventu sunt, at quidquid de hoc actu caeremoniale praescribit, omnino servetur. In hebdomada, qua annua visitatio habetur, vel occurrerit solemnitas Nativitatis, et Resurrectionis Dominicae capitulum omitti, congruum putamus.

De hortationibus a praeside faciendis.

§. 591. 2. In hoc actu omnibus jam sedentibus, praeses per se ipsum, vel per alium, si aliquoties expedire judicaverit, breviter eos exhortetur, ut suo quisque profectui spirituali, regularique observantiae totis viribus indesinenter incumbant: deinceps ad culparum correctionem deveniat, ordine et modo in caeremoniali praestituto. Nemo possit in uno monitus capitulo, mutuam in eodem monitori suo viam reddere: nec proprias, sive alterius culpas defendere; nec de illis conqueri, adhuc extra capitulum, neque in isto aliquatenus loqui, ipsum vel ad praesidem, nisi ab eo veniam obtineat. Quisquis aliter se gesserit gravem substineat poenam; et insuper, si jussus illico non conticescat, a praeside declaretur, voce et loco privatus, usque dum poenitens, et correctus communi scandalo satisfaciat.

De culpis in capitulo animadvertendis.

§. 592. 3. Sub eadem poena statuimus, ut in capitulo, nonnisi leves culpae possint a zelatore, aliove quocumque vocali animadverti: si quae vero aliae fuerint, extra capitulum, servato charitatis ordine annuntientur priori, cujus erit, auditis primo consiliariis, eas coram capitulo, vel privatim coram paucis (prout ipse plus, minusve notae fuerint) corrigere. Statuimus etiam sub eadem poena, ut in culparum admonitione et correctione piusquam semihorae spatium non insumatur, neque totum capitulum, exhortatione comprehensa, ultra horam protendatur.

De monitionibus adhibendis.

§. 593. 4. Ingenuo animo, omnique pravo studio vacuo, se se gerant zelator, et caeteri vocales in culpis monendis; nullatenusque eas exagerare, aut accumulare audeant, neque ullam animadvertere a reo propria sponte jam manifestatam. Contra facientes poenae mediae subjiciantur: at gravi a superioribus publice infligendae erit obnoxius capituli praeses, qui in culpis objurgandis indecentibus, iracundis, injuriosis, aut dicacibus utetur verbis.

De iis, quae sunt in capitulo proponenda.

§. 594. 5. Absoluta capitularium correctione, prior ipsos rogabit, ut extra capitulum secreto ipsum moneant, si quid in eo suo statui, aut muneri minus consonum perspexerint. Deinde omnibus injungat, ut quidquid communi bono adversum deprehenderint, ipso in capitulo declarent. Ultimo capitulo proponat, quidquid occurrat, a capitularium suffragiis desumendum: ut tamen res maturius perpendi valeant, nonnisi elapsis tribus diebus, hujusmodi suffragia exhibeantur; praeterquam in urgenti aliquo casu, qui ipsorum judicio promptam decisionem exquirat. Si in re aliqua decidenda suffragia in partes dividantur aequales, dubium decidere, ad consiliarios spectabit; praeterquam in novitiis approbandis, reprobandisque.

De silentio servando circa ea quae in capitulo peracta sunt.

§. 595. 6. Teneantur vocales sub culpae mediae poena vocis jure carentibus celare, quidquid in capitulo dictum, aut factum fuerit. Teneantur etiam sub poena privationis vocis, at loci per sex menses secretum servare, a capitulo jussum per majorem suffragiorum partem. Denique, si aliquis eodem in capitulo flagellatione puniri debet, omnino observetur, quod in caeremoniali ad hoc praescribitur; uti etiam cum eadem poena in refectorio infligitur, quod in fine mensae tantummodo fieri debet.

Caput X.

De patre subpriore.

De patre subpriore.

§. 596. 1. Gravis adeo momenti est, ac ponderis cujusque communitatis regimen, ut

solus prior alieno destitutus auxilio vix posset illud diutine sustinere. Hac de causa statuimus, ut prior quisque subpriorem habeat, a se et a generali priore electum, qui prudens, ac diligens sit, dexteritateque, at consilio polleat; ut priori, non modo in laborioso suo munere adjamento sit, sed praecipue, illum iuter, ac subditos concordiam servare studeat. In officio permaneat, usque dum ejus successor iu possessionem veniat, et recenter professorum magister sit in domibus, ubi novitiatus, aut professorium non adest.

De munere subprioris. §. 597. 2. Ad ipsum attinet divini officii directorium (ne typis editum sit) construere, religiosos iu choro ordinare, et de una in aliam partem transferre, quando necessarium duxerit, dare operam, ut, quae ad cultum, ac officium divinum spectant, perfecte exequantur iis ritibus, et caeremoniis, quibus utitur, atque uti jubet sancta, et universalis Ecclesia Romana, prout iu nostro caeremoniali habentur. In iis autem quae ad cantum spectant, sive in choro, sive in ecclesia non se se immisceat: volumus enim, ut id muneris ad majorem cantorem, in quolibet conventu a prioribus locali, et generali eligendum, spectet. Ab eisdem eligatur etiam caeremoniarum magister, cui hac iu parte omnes obediaut in publicis actibus; praelati vero animadvertant iu eos, qui his duobus religiosis obedire iu rebus ad illorum munera spectantibus detrectaverint.

Idem ut supra. §. 598. 3. Agat etiam subprior, ut in choro, claustro, dormitoriis, caeterisque monasterii publicis locis concinnitas, et munditiee inveniatur. Curet praeterea iu designato libro adnotare gesta mira, vitaeque historiam religiosorum virtute illustrium, qui suo iu conventu obierint, et reliqua omnia, quae triennii decursu ad historiam apta evenerint: at si prior alium, ut huic satisfaciant muneri, deputare velit, ab illo cessare teneatur subprior, a quocumque autem exequatur, ita diligenter, et juridice eventus examinentur, ut iu posterum fide sint digni: ob id prior generalis, aut visitator visitationis suae tempore hunc librum examinare teneantur.

De ejus jurisdictione. §. 599. 4. In conventuales nulla uti jurisdictione poterit subprior, nisi pro iis rebus, quae ad officii divini recitationem spectant, juxta modo statuta; neque ab ipsis discriminari, praestantiamve habere, nisi quae sibi expresse fuerint in his constitutionibus assignata; neque eos arguere, aut punire, nisi cum iu refectorio, aut conventuali capitulo culparum correctioni praeest.

De ejus munere obeunte priore. §. 600. 5. Obeunte priore, vel a domo obeunte conventum regat subprior (si a priore vel majori praelato vicarius alter non designetur) prioris tamen locum, aut honores nullatenus sibi sumat, neque aliud quidpiam innovare audeat: immo limitationes a priore sibi positas observare curet, sub poena suspensionis ab officio per tres menses.

Caput XI.

De consiliariis.

De consiliariis. §. 601. 1. Ut perfectius, sicut cupimus, prioris regimen exequi valeat, congruum satis putamus, tres illi religiosos depotare, qui consiliis suis in levamen ipsi esse possint. Erit primus a definitorio electus, secundus a priore generali, tertius a conventuali capitulo. Subpriorem iu hoc munus eligi non permittimus.

De electione consiliarii. §. 602. 2. Non multo postquam novus prior monasterii regimen acceperit, tertii consiliarii electio hoc modo fiat. In primis duo deputentur religiosi, qui sub secreti juramento coram capitulo, a quo eligi debent, praestito, cunctorum schedulas scribat, eodem prorsus modo, ac iu generali capitulo: simili etiam modo vocales e capitulo exeant bini, et bini ad locum, ubi duo illi deputati debent separatim consistere, ab ipsisque duas, aut tres schedulas quisque postulabit, iu quibus scripta sint nomina eorum, qui ad praefatum munus, aptiores sibi videantur, et ex iilis unam, quam maluerint; ad capitulum reversi in vas opertum coram omnibus iujiciant, ita plicatam, ut quod contiuet, foris videri nequeat. Deputati (si vocales sint) suas inscribant schedulas: et tandem omnia serventur, quae in reliquis canonicis electionibus servari debent. Scrutatores sint novus prior, et qui hactenus consiliarii munus exercuerunt: si quis desit, suppleat capitularis antiquior, qui confessarius sit, et denique, ut canonice electus habeatur, qui majorem suffragiorum partem obtinuerit: si vero paria sint suffragia, antiquior in professione praeferatur.

De duratione officii consiliarii. §. 603. 3. Per triennium durabit consiliariorum officium; ejusque renuntiatio admitti

neqocat nisi a generali definitorio: poterunt autem qui eo fuerint defuncti, ad ipsum itorum reassumi, quandocumque electoribus placuerit. Dum illud axercent, lu privato ipsórum congressu sedeant juxta electiouis seriem; in quibuslibet vero commuoitatis actibus, juxta professiouis antiquitatem, uisi iu casu, quo aliquis monasteriu praesideat, vel quaudo una cum priore suffragia suut scrutaturi. Primus consiliarius, vel eo absente, qoi sequitur, mooasterio praesideat, quoties in ipso uou adest prior, aut vicarios, aot subprior; tuucque omues praecedat, hospitibus praelatis exceptis, et vicariis cauooice electis. Caeterum quaado aliquis ex praenarratis domi sunt, et communitatis actui oon intersuot, coofessarius lu professione aotiquior praesidentis muuere fruatur.

De substituto eligendo.

§. 604. 4. Absente aliquu cousiliario, si instet negotium ex his, quae juxta coustitutiones absque ejus consensu peragi nequeunt, communitas substitutum eligere poterit, qui eos inter ultimum occupabit locum. Quod si aliquis obeat, vel ab officio depouatur, successoris electiu ad antecessoris electores spectabit, et qui recenter fuerit electus, autecessoris occupabit locum.

De onere consiliariorum.

§. 605. 5. Cum lu priorum adjutores designati siot cousiliarii, ex officio tenentur (etiam uon rogati) ipsum nedum consiliis adjuvare, verum etiam cohortationibus praemunire, quoties ratio, aut charitas id postulaverint; priorque libenter audiat, quidquid ipsi pruponaut; et ab eorum sententia (dummodu rationi dissona non sit) facile non discedat: immo si quid excessus, aut defectus commiserit cum debita cum revereutia, privatimque moneaut, illudque monitum ipse beuignitor accipiat, et emendet; vel (si expediens judicaverit) facti, vel uon facti ratioocm imperturbato auimo patefaciat.

De notitia rerum ad monasterium pertinentium exquirenda.

§. 606. 6. Tenentur praeterea perfectam de cunctis mouasterii rebus notitiam habere; ita ut possint a soperioribus interrogati de redditibus, de perpetuo missarum onere, de quovis aere alieno, do litibus, at sic de caeteris, accuratam reddere rationem eodem modo ac prior. Quamobrem praecipimus, ut in quolibet conventu uoum coustruatur archivium, ubi sententiae, instrumenta, tituli, et similia documenta ad communitatem spectantia asserventur. Doabus clavibus, iisque diversis, quarum una penes priorem, sive praesidentem, altera penes primum consiliarium sit, obserari debet archivium hocce: at quoties consiliariorum aliquis quidquam ex supradictis inspicere voluerit, id libere possit agere.

De clavibus communis arcae custodiendis.

§. 607. 7. Sit etiam communis arca tribus diversis obserata clavibus, quarum unam prior, aot praesidens, reliquas vero duas antiquiores duo consiliarii penes se habeant semper: cum autem abesse contigerit eorum vices gerentibus eas tradant. In eadem arca asservari debeut libri, et peculiaria scripta, quae aliis in locis harum constitutionom ibi asservari mandavimus; et praeterea quidquid pecuniae in convautu fuerit; qoae si ad communitatem spectet, in accepti libro protiuus adnotetur, si vero ad privatas aliquas personas, iuscriptione aliqua discernatur. Nuuquam, nisi consiliariis praesentibus, ipsa arca reseretur; at illod taodem observetur, quod prima parte, cap. 7. circa hoc stabilivimus.

De redditione rationem praebenda.

§. 608. 8. Io fine cujusqoa mensis prior simul cum consiliariis, et procuratore exactam accepti, et expensi rationem inire teneantur sub poeua gravis culpae, atque iu designato libro adootare, quidquid discriminis invenerint, proprio cujusque uomioa subscribendo. Similem rationem priori generali, aut visitatori reddent semel in auno, vel pluries, si interrogati fueriut, de acceptis, at exponsis iu toto anno.

De pecunia sine consiliariorum approbatione insumenda.

§. 609. 9. Sine consiliariorum approbatione potest prior illod pecuniae iosumere, quod ad communes sumptus necessarium putaverit; uimirum ad religiosorum victum, ac vestitum, ad alienum aes solveudom, ad sarciendas monasterii ruioas, ad aliaque similia: iu eo vero non ita necessaria, et si utilia, nequeat toto triennio ultra ceutum, et quinquaginta aureos quin prius approbent coasiliarii, nec ultra tercentos quin prius anouat conventuale capitulum, aliquid expendere sub poena suspensionis ab officio superioris judicio infligenda, prout culpae modus expostulaverit. Eamdem subibit poeoam, si absque hujusmodi approbationibus aliquid veudat, aut quovis modo alieoet, cujus aestimatio nuper relatas pecuniae summas excedat.

De aedificiis non extruendis sine assensu consiliariorum.

§. 610. 10. Nequeat etiam prior sine consiliariorum assensu aliquid geous aedificii inchoare, vel absque prioris generalis venia, si aedificii pretium centum aureos excedat. Similiter arbores non caedat, aut avellat; opus ali-

quod ab antecessoribus constructum non demoliatur, neque pecuniam in foenore ponat, priusquam a conventuali capitulo approbationem obtineat: mutuo etiam dare non possit pecuniam sine eadem approbatione, vel saltem (si in parva sit quantitate) sine consiliariorum consensu. Ut vero foeneratam accipiat, ad capituli suffragia addatur oportet prioris generalis licentia.

Exceptiones peculiares.

§. 611. 11. Permittimus tamen, ut aliquando, necessitate urgente, possit prior, adhibita consiliariorum approbatione, pecunias sine censu mutuatas accipere: dummodo in fine triennii conventum plusquam centum aureos gravatum non relinquat. Omnibus autem et singulis prioribus mandamus, ut quodcumque aes alienum ab antecessoribus contractum non aliter ac si ipsi contraxissent, quamprimum solvere curent; et ante quam solvant, nihil innumerò audeant, nisi pro religiosorum victu et vestitu, inevitabilique aliquo monasterii negotio.

De divisione suffragiorum a consiliariis laterum.

§. 612. 12. Si in consultationibus prioris cum consiliariis quandoque eveniat, ut suffragia aequaliter dividantur, tunc ad conventuale capitulum decidenda res deferatur: si in capitulo id similiter contingat, suffragio sue dubium dirimat capitularis ad id electus a capitulo per scriptas schedulas. Omnes capitulares, qui in conventu fuerint, aegrotis exceptis, capitulo interesse teneantur, quoties in illo aliqua sunt proponenda; praesertim pro electionibus, approbationibus, consultationibusque capitularibus; ita ut, si qui in oppidum ubi est conventus, egressi fuerint, expectari debeant, nihilque antea dijudicari.

De poenis irrogandis in eos qui indebitam potestatem sibi sumunt.

§. 613. 13. Si prior, vicarius, aut praesidens illam sibi sumat potestatem; quae juxta has constitutiones ad illum spectat, tantummodo post consiliariorum, aut conventualis capituli approbationem, poena suspensionis ab officio per tres menses puniatur. Si vero ab aliquo consiliario, vel capitulari admonitus, minime destiterit, eamdem sustineat poenam, ac illi, qui superioris munus usurpant: consiliariis autem praecipimus sub poena privationis ab officio per tres menses, ut quotiescumque prior in hoc, aliisve in praesenti capite statutis contumaciter deliquerit, priori generali denuntient per literas, vel saltem annuae visitationis tempore. Si prior generalis remedium non adhibeat, ad definitorium rem totam deferre teneantur; alias delicti amplius existimati, poenae quoque efficientur participes.

CAPUT XII.

De sociis ad capitulum generale profecturis.

De sociis ad capitulum generale profecturis.

§. 614. 1. In unoquoque conventu, octo dumtaxat diebus, antequam prior ad generale capitulum ordinarium proficiscatur, in conventu autem ubi illud celebrari debet, totidem aeque ante diebus, quam celebretur, eligatur a conventuali capitulo ejusdem prioris socius, ut simul cum eo ad capitulum generale tendat, ibique vocem habeat; et una cum caeteris vocalibus decernat, quid quid ad commune totius congregationis bonum videbitur expedire, agatque praeterea suae communitatis vices, atque literas a fratribus missas fideliter exhibeat; praecipua vero authentica consiliariorum testimonia, de quibus in hac parte cap. 2. egimus.

De electione sociorum.

§. 615. 2. Ad hanc socii electionem teneantur omnes monasterii vocales simul accurrere; quin prior ullo possit praetextu quemlibet sic uspiam destinare, ut interesse non valeat; praeter quam in urgenti, inevitabilique casu. Fiat autem hujusmodi electio juxta statuta cap. 1. hujus secundae partis: praesideatque in illa prior, et una cum consiliariis suffragia perscrutetur coram capitulo: sed nec prior ipse, nec quivis alius, qui generali capitulo interesse debeat, hac in electione suffragii jure gaudebit.

De praeficiendis dignioribus inter vocales.

§. 616. 3. Praeficiatur huic muneri dignior ex vocalibus illius dumtaxat conventus, tametsi absens sit, vel in hospitio commoretur, sive praesidentis munus ibidem exerceat, aut etiam integrum triennium adhuc non sit elapsum, ex quo duplici praelatura per sexennium non interrupta sit defunctus: dummodo non ita sit distans, ut intra praefinitum tempus venire possit. Fas erit in hujusmodi munus successive reeligi eumdem religiosum quoties tres e quatuor votorum partibus id postulaverint: similiter generali capitulo licebit per suffragiorum pluralitatem quemcumque socium eligere in munus, cui suffragandi jus ad insequens capitulum sit adjunctum.

De renunciatione sociorum.

§. 617. 4. Ad conventuale capitulum spectat socii renunciationem accipere, et in ejus locum alium eligere. Spectat etiam, cuilibet

sic electo patentes electionis suae literas, a priore, consiliariis, cunctisque aliis capitularibus subscriptas, et conventus sigillo munitas, capitulo generali praesentandas, protinus exhibere, quae in hunc modum exarabuntur « Reverendi admodum patres. Cum ad capitulum » generale, in monasterio . . . hujus congre» gationis . . . hoc anno . . . mense . . . die . . . » celebrandum, profecturus esset R. P. fr. . . . » prior hujus nostri conventus . . . nosque ex » constitutione nostra deberemus ei socium » per legitimam electionem designare, huic » muneri satisfacturi cum ad illius electionem » procederemus die . . . hujus mensis . . . no» tum facimus, quod P. fr. prima (vel secun» da, aut tertia) vice cum tot vocibus, ex tot » conventuale capitulum constituentibus, so» cius fuerit canonice electus: cui plenam, et » absolutam facultatem, qua rite fungeremur » si praesentes esse possemus, ad quaecumque » munia, et negotia in generali capitulo pera» genda, (et si ex illis sint, quae de jure spe» cialiter exprimi deberent) libentissime elar» gimur; ex nunc jam ratum, et gratum ha» bentes, quidquid in posterum ab ipso pera» ctum fuerit: ipsique simul, et caeteris patri» bus ejusdem capituli auxilium a Domino ob» secramus, ut quae ad religionis bonum, et » augmentum plus possint conducere, unani» miter decernant. In quorum fidem praesen» tes literas uniuscujusque nostrum nomine » subscriptas, conventusque sigillo munitas » dedimus die . . . mensis . . . anni . . . »

Caput XIII.

De diversis culparum speciebus, ac de poenis ipsis applicandis.

De diversis culparum speciebus, ac de poenis ipsis applicandis.

§. 618. 1. Nulla fuit, nec erit aliquando religiosa familia diu florens in laudabili suarum legum observantia, nisi simul innixa super integram illam, immotamque justitiam, quae nullius delictum impune relinquens, cunctos ad virtutis studium, non modo allicit, sed et impellit. Ea propter opportunum duximus in fine harum constitutionum poenas statuere; pro culparum diversitate diversas; ut sic praelati illas recte infligere valeant, finisque obtineatur, quem intendit lex; videlicet, ut quem punit aut emendet, aut ejus poena caeteros reddat meliores, aut sublatis malis, securiores reliqui vivant.

§. I.

De culpa levi, et poena ipsi applicanda

De culpa levi, et poena ipsi applicanda.

§. 619. 1. Levis culpae erit reus, qui nonnullum errorem in choro commiserit, et tunc simul omiserit se statim prosternere, ac solum osculari; qui ad communes actus negligenter accesserit; qui officium per communem tabulam sibi distributum, vel a praelato injunctum non adimpleverit; qui absque superioris venia cibum, aut potum, praeter communes horas, assumpserit; aut extra tempus designatum cum aliquo fuerit fratre ex professo collocutus; et qui tandem aliqua ex constitutionibus violaverit, quae nullam adjunctam habeat poenam.

Declarationes speciales

§. 620. 2. Haec, et alia similia facienti (dummodo non adsit contemptus, nec aliud disponant constitutiones) poena levis infligatur, scilicet psalmum, aut aliquam orationem privatim recitare; sive ordinariam aliquam mortificationem in refectorio peragere; religiosorum pedes ibi osculari; vel ad ipsius ostium, humi jacens, sive in genua provolutus, persistere, donec religiosi transeant, et praesidens ipsum assurgere praecipiat.

§. II.

De culpa media, et ejus poena.

De culpa media, et ejus poena.

§. 621. 1. Mediam culpam committit, qui sine superioris facultate ab aliquo communitatis actu recedit; vel ad ipsum non accedit; qui in officiis divinis recitandis, aut canendis inordinate, vel indecenter se gerit; qui sacras vestes, ecclesiae ornamenta, communes libros, sive utensilia quaecumque sibi concessa, vel commendata male tractat; qui interdiu alterius cellam ingreditur sine debita facultate; vel cum saecularibus, data opera, colloquitur; qui in congruentibus horis per conventum, aut hortum vagatur; aut quovis tempore aliquid a regula praescriptum temere violaverit, nulla adhibita circumstantia aggravante.

Declarationes circa materiam.

§. 622. 2. Hujusmodi delinquentes media afficiantur poena, qualis est unam a praeside disciplinam recipere, aut psalmum aliquem, vel orationem, flexis genibus in refectorio coram communitate recitare; aut abjecta mensa per diem obire, vel tandem super humum, aliquo ex solitis obsonio relicto, semel prandere.

§. III.

De gravi culpa et poena.

De culpa gravi, et poena.

§. 623. 1. Ad gravem culpam spectat inter fratres discordias seminare; aut grave alicujus crimen, ab ipsa jam satisfactum, improperare, juramentum sine debita divino nomini veneratione praestare, coram externis immodice cum aliquo altercare, ex consuetudine in materia levi mentiri, aut aliquod regulae statutum violare, indecentia verba proferre; adversus alium contumeliam scripto, aut verbo inferre; et tandem noctu alicujus cellam ingredi sine debita facultate.

Declarationes circa materiam ut supra.

§. 624. 2. Omnes praenarratae culpae, et aliae similes poena gravi puniri debent; videlicet semel in pane et aqua super nudam humum jejunare, et in refectorio flagellationem a praesidente accipere; ibidem extraordinariam mortificationem subire; per dies decem spiritualia exercitia peragere, vel per quindecim in propriam cellam recludi, indeque nullatenus exire, nisi ad sacrum faciendum, et communitatis actibus assistendum, recreatione excepta.

Idem ut supra.

§. 625. 3. Haec tria poenarum genera, cum ad regularem disciplinam, fratrumque correctionem pertineat, tenetur localis praesul applicare in capitulo, aut refectorio, quin juridica aliqua inquisitio praemittatur, aut reus audiatur, sed cognita tantum delicti veritate; poterit etiam, quando expediens judicaverit, culpas privatim tantummodo arguere. Si quis vero de aliqua fuerit culpa (quantumvis levi) correctus, et exinde nihilo melior factus, frequenter, et pertinaciter in ipsam labi non erubescat; pro pertinaciae modo, gravioribus poenis puniatur, ita ut levis in mediam, media in gravem, gravis in graviorem, et tandem gravior in gravissimam mutetur, donec vel resipiscat, vel juridice ejiciatur.

§. IV.

De graviori culpa, et poena.

De culpa graviori, et poena.

§. 626. 1. Gravior culpa est quodlibet lethale peccatum extremum: aliquod Dei, aut Ecclesiae praeceptum in re gravi non adimplere: solemnia vota graviter violare: justa sine causa divini officii recitationem omittere: formale praeceptum a constitutionibus, vel legitimo superiore indictum advertenter transgredi: et excommunicationem a competenti superiore latam scienter incurrere. Ad eamdem culpam reducitur si quis audeat praelatorum officium usurpare, sive impedire, aut proprium alicujus sigillum adulterare, vel eo uti adversus constitutionum statuta; seu tandem alicujus ex ipsis literas aperire, vel callide retardare, aut supprimere: si quis ab ordinis sententia, ad superiorem aliquem extra ordinem (et si legitimum) non servato ordine juris, appellat; aut pro constitutionum nostrarum mutatione, sive contra debitam ipsarum executionem, vel ad impediendo, abrogandave superiorum mandata, a generali capitulo, seu a definitorio legitime dimanata, per se, vel per alium apud extrarios aliquid temere agat, inverso juris ordine: et tandem si quis literas doloso animo, nulloque apposito nomine scribat.

Enumeratio poenarum.

§. 627. 2. Qui praefata crimina perpetraverint, graviori afficiantur poena, quae, nisi a jure, vel constitutionibus alibi statuatur, ex quatuor sequentibus una sit tantum. 1. Privatio vocis, et loci per tempus ad superioris arbitrium, juxta culpae modum dummodo ultra annum non protendatur; ac per interruptos aliquot dies pane, et aqua tantum humi victitare. 2. Ad tempus similiter assignatum noviliorum habitu indui, et in capitulo, caeterisque communitatis actibus locum, et ordinem habere prope laicos; ac insuper singulis septimanis, aut mensibus unam a praeside flagellationem accipere, et semel itidem in pane, et aqua jejunare. 3. Ad tempus in cella, aut carcere detineri, et inde non exire, nisi ut sacrum privatim audiat, vel faciat; et tertio quoque die ad refectorii ostium pro se introeuntium preces apud Deum, flexis genibus, expostulare; voce; et loco tamdiu privari, quamdiu ad judicia sententiam videbitur expedire; et denique praedicto jejunio determinatis diebus obstringi. 4. Ad tempus in carcerem detrudi, quin inde exeat; praedictum jejunium statutis diebus observare; relato modo voce privari; in refectorio, aut capitulo flagellationem aliquoties a praesidente accipere; monachali tonsura spoliari; et per aliquod temporis spatium (si aequum videbitur) a sacrorum ordinum exercitio suspendi.

De poena resistenti praelato mitigenda.

§. 628. 3. Si quis praelato legitima praecipienti in faciem restiterit, et contumax ipsius mandato noluerit obtemperare, religiosi, qui

praesidentes adsunt, illico eum in carcerem detrudant, et praesul ipse coram consillariis formale praeceptum eidem imponat, ut id agat, quod antea agere renuerat. Si tunc obedierit, elapsis quindecim diebus, bisque in ipsis servato panis, et aquae jejunio, ad pristinam libertatem reducatur. Si vero pertinax perseveret, in carcere detineatur, et graviori poena a competenti judice (priore generali) puniatur. Si nec ita resipuerit, reus erit gravissimae culpae a definitorio dijudicandae.

De poena contra violantes votum castitatis.

§. 629. 4. Siquis castitatis votum opere violaverit, postquam convictus, aut confessus fuerit, graviori poena, privationeque vocis, et loci per annum puniatur, et per sex menses in carcerem conjiciatur. Si gravi externorum scandalo id fecerit coram aliquibus ex dignioribus a priore in publicum capitulum convocatis, circularem disciplinam recipiat (quod semper observari volumus, ubi grave saecularium scandalum intervenerit) carcerique per annum tradatur, et per triennium voce careat, et loco. Si secundo in eamdem fuerit culpam relapsus, eadem ei poena duplicetur. Si tertio, ad definitorium spectabit, quam aequam censuerit, sententiam ferre, et reum vel a confessarii, vel a sacrorum ordinum exercitio, vel ab utroque simul privare, ac in carcerem detrudere ad tempus, vel in perpetuum; aliasque addere poenas pro majori, vel minori culpae gravitate: imuo (si nihil haec media, et remedia proficiant, nec effatim scandalo satisfaciant) ad ejectionis sententiam devenire.

De poena contra vulnerantes fratres malitiose

§. 630. 5. Si quis malitiose fratrem aliquem vulneraverit, aut in ipsum violentas injecerit manus, protinus in carcerem conjiciatur; ubi postquam fuerit ab excommunicatione absolutus, per integrum annum a lata judicis sententia computandum perseveret, ultimamque ex gravioribus quatuor poenis sustineat. Quod si protervum hoc facinus in praelatorum aliquem commiserit, duplicata eadem poena plectatur. Si vero enormis fuerit percussio, ut gravissimae culpae reus ad definitorium deferatur.

De poenis contra fures de rebus monasterii.

§. 631. 6. Si quis de monasterii bonis notabile aliquod furetur, gravierem poenam, insuperque alias in propriet̃arios statutas, subeat, et ad omnem temporalium rerum administrationem inhabilis in posterum declaretur. Si hujusmodi scelus iteravit, eadem ei duplicetur poena. Si tertio idem fecerit, ad definitorium deferatur, ut pro meritis sententiam ferat. Id ipsum prima statim vice agendum est, si de bonis ecclesiae fuerit furtum, vel gravi cum saecularium offensione patratum.

De poenis contra graviter laedentes proximi famam.

§. 632. 7. Si quis scripto, aut verbis proximi famam graviter laeserit, in primis cogatur famam injuste detractam restituere, et graviori afficiatur poena; ac insuper, in detestabilis linguae suae dignum, semel in hebdomada, dum in carcere detinetur, ad refectorii ostium, aliquod ferens insigne, cunctis introeuntibus exponatur, et postea panem tantum, et aquam prandeat. Eisdem poenis, praeter relatas prima parte cap. 3.° punietur, qui aliquid in propatulo ponat, unde bonum alicujus religiosi, aut nostrae congregationis nomen laedatur; vel unde grave eidem congregationi damnum inferatur. Qui autem falso juraverit, vel juramentum rite praestitum violaverit, praeter supradictas poenas, nunquam ad juridicam testificationem in posterum admittatur.

De poena plectendo eos qui contra superiores peccaverint.

§. 633. 8. Si quis contra superiorum obedientiam, vel sine debita eorum facultate e conventu excesserit, et animo redeundi extra illum vagatur (dummodo intra decem dierum spatium redeat) tanquam mere fugitivus punietur poena carceris per quindecim dies, quos intra bis in pane, et aqua jejunabit. Si vero animo non redeundi fugam arripiat (quod pro comperto, et ut satis probatum habebitur, quoties intra praefatos decem dies ad conventum se non recipiat) tunc ut apostata judicabitur; et inprimis, decimo ab ipsius recessu elapso die, prior, aut praesidens coram capitulo huno in finem convocato apostatam, et excommunicatum publice denuntiet, caeterosque moneat, ut pro ejus salute Deum orent: cum autem fuerit apprehensus, protinus in carcere ad custodiam detineatur, posteaque ex competentis judicis sententia per sex menses in ipso permaneat, in quibus quatuor dicto jejunio satisfaciat; et per duos alios voce, et loco careat.

De poenis quibus afficitur qui ad superiores confugerit.

§. 634. 9. Eodem prorsus modo judicabitur, et poenis afficietur, qui ad superiores confugerit, non tamen recto tramite pergat, nec dicto jam tempore ad conventum revertatur. Qui vero sine habitu discesserit, vel post discessum eum exuat, duplicatas subeat poenas: attamen, si saecularium cum offensione eum projecerit praeter relatas poenas, coram ipsis circularem disciplinam, ut dictum est, recipiat. Denique si, praeter apostasiam, alia

patraverit crimina juxta eorum gravitatem meritas luat poenas.

De poenis irrogandis contra secundo fugam arripientes.

§. 635. 10. Si quis fugam secundo arripiat, definitorii sententia per dimidium annum incarceretur, aliaeque augeantur poenae antecedentibus numeris relatae, et ordinis privetur antiquitate, quae in posterum a die, quo ultimo ad conventum est reversus, non aliter, ac si tunc solemnem professionem emitteret, incipiet. Si tertio, eadem in ipsum proferatur sententia; sed nullam poterit antiquitatem obtinere, nisi postquam a die reditus annus elabatur; non secus, ac si tunc novitius reciperetur. Eidem poenae subjiciatur ille, qui in apostasia (licet prima) per annum duraverit: si vero diutius in ipsa permanserit, a definitorio usque ad expulsionem (si ex justitia id esse censuerit) judicabitur. Si tandem quarto fugerit, ab eodem definitorio, tamquam incorregibilis, juxta literas Pii V. ab ordine expellatur.

De poenis contra eos qui ad alium ordinem se conferunt sine pontificia licentia.

§. 636. 11. Si quis absque Romani pontificis, pro tunc existentis, facultate, ad alium (praeter Carthusianorum) ordinem se conferat, non modo apostasiae, perpetuaeque infamiae notam, sed etiam excommunicationis poenam, ipso facto, incurret, aliasque luat praeterea, cuilibet alteri fugitivo hucusque designatas. Quapropter teneantur omnes praelati, praesertim locales, hujusmodi apostatas a quibuscumque alterius ordinis superioribus exposcere; eisque, (si opus fuerit) notum facere Pauli V. diploma, Romae aeditum die 3. aprilis anni 1610. ut sciant, se sub anathematis poena, et privatione ab officio eos tradere teneri absque mora, et quin aliqua ad id sententia, aut judicis auctoritas sit necessaria; etiamsi novam jam professionem emisissent.

De poenis contra non reducentes fugitivos e monasterio.

§. 637. 12. Statim, ac religiosus aliquis e monasterio aufugerit, localis praesul generalem priorem certum faciat die, hora, causaque fugae; insuperque teneatur, sub poena suspensionis ab officio per menses duos, illum quamprimum in conventum reducere, ac delictorum summarium conficere, quod tuto ad annum usque post fugam asservari debet, si ad id usque temporis in apostasia permaneat. Si, hoc elapso tempore, ad nullum ordinis conventum se recepit, ejus contumacia juridice probetur, illum revocando per edictum publico aliquo conventus loco affixum, terque repetitum, ita ut inter unum, et aliud quindecim intercalentur dies. Praeterea idem praesul in aliquo communitatis actu publice interroget, an aliquis quidquam in delinquentis favorem proponendum habeat, vel ipsum defendere velit, si nullus se se offerat, quem ipse idoneum magis judicaverit eum designet, et haec omnia in processu juridice adnotentur; ipsoque sic confecto, ad definitorium transmittatur, ut juxta leges nostras, ac pontificia statuta definitivam ferat sententiam.

Declarationes speciales

§. 638. 13. Omnes poenae hucusque in hoc §. statutae a priore generali infligi debent; illius namque est graviores culpas punire, nisi alias definitorio sint reservatae: ideo, quae perpetua fuerit poena, quaeque ob scandalum in gravissimam debet transire, ab illo infligi non potest: neque etiam priores, aut vicarios canonice electos ab officio privare, si aliquam ex praefatis culpis admiserint: id enim ad definitorium spectare volumus.

§. V.

De gravissima culpa, et poena.

De culpa gravissima, et poena.

§. 639. 1. Gravissima culpa tunc datur, quando quis delictum committit ex his, quae a communi jure atrocia censentur, et capitis poena, vel perpetuo triremium supplicio puniri solent. Si quis igitur religiosus in hanc culpam inciderit, perpetuam carceris poenam sustineat, insuperque alias juxta qualitatem delicti a definitorio infligendas. Si vero id fecerit cum publico, et gravissimo saecularium scandalo, ut huic plene satisfaciat, et nequid gravis jacturae possit inde in religionem redundare, definitorium, una cum conjudicibus, de quibus hac parte cap. 3.° egimus, poterit reum ab ordine rejicere, si major suffragiorum pars consentiat.

De poenis contra incorrigibiles in culpa lethali

§. 640. 2. Eadem ejectionis poena puniri debet, qui ita obstinate aliquot lethalia peccata committit, ut nec monitis, nec poenis exagitatus resipiscat: servari tamen debent constitutiones apostolicae Urbani VIII., et Innocentii XII. hac de re editae. Quapropter eorum mandatis humiliter obsequentes, statuimus, ut quicumque religiosus, qui de tribus (etiam distinctis) lethalibus peccatis, diverso tamen temporis intervallo commissis, ter similiter fuerit convictus, totidemque punitus, et exinde in eadem, vel similia relabatur; definitorii

sententia in carcerem detrudatur, et per sex continuos menses ab indictione sententiae computandos, caputio, et scapulari privatus, jejunio, ac poenitentia maceretur. Eo tempore elapso, si nihilominus non resipuerit, vel emendatum se simulans, e carcere liber iterum de eodem crimine juridice convincatur; ab ordine ejici poterit, annuentibus ex septem quatuor saltem suffragiis.

De poenis contra non subjicientes sententiae judicum.

§. 641. 3. Similiter si quis ob culpam lethalem ad graviorem poenam; per legitimam judicis sententiam semel damnatus ei subjici noluerit, in carcerem conjiciatur, vel detineatur; ibique in jejuniis ac aliis macerationibus exerceatur, donec, transacto aliquo dierum spatio, eadem sententia per judicem, vel ejus commissarium coram testibus (quod semper ita fieri debet) ipsi rursus indicetur. Si adhuc obedire renuerit, idem observetur, quod in prima indictione. Si tertio denique nolit a sua pertinacia desistere, processus ad definitorium deferatur, cujus erit ipsum carceri probativo tradere per sex menses ab indicta sententia inchoandos: quibus expletis, si contumax adhuc perseveret, a septem conjudicibus per majorem suffragiorum partem definitiva ejectionis sententia proferatur.

Declaratio circa materiam ut supra.

§. 642. 4. Si reus intra dies decem ab indicta sententia superiorem, et competentem judicem appellaverit; ad hunc tota illius caosa devolvatur, ipso interim in carcere detento: si vero appellationem omiserit decem ipsis diebus transactis, e carcere eductus; coram communitate ordinis habitu expolietur, clericalique vestitus, foras egredi compellatur, sub ordinarii loci jurisdictione, et obedientia in posterum victurus; quin ab aliquo ordinis superiore possit iterum ad habitum admitti, nisi ab eodem tribunali, a quo fuit ejectus procedendo juxta ea, quae in decreto Urbani VIII. pro hujusmodi expulsorum receptione praescribuntur, nempe, si evidens subsit emendationis spes, et literis saltem testimonialibus ordinarii, cujus conscientiam in his literis concedendis sacra congregatio serio oneravit.

De perpetua vocis privatione expulsorum iterum receptorum.

§. 643. 5. Quamcumque ob causam congregatio nostra expulsum aliquem recipere cogatur, idque ea sub conditione fiat, ut in perpetuum ipse voce careat, et loco; et insuper (si sacris sit initiatus) non nisi post sexennium, habita prius definitorii dispensatione, illis uti permittatur. Tandem nulli ejecto testimaniales literae concedantur; sed ejectionis sententia executioni mandata, statim praelatus ordinarium loci certum facere tenentur. Cum autem evenire possit, ut delinquentes praedictae obstinationi deveniant eo fine, ut tamquam incorrigibiles ab ordine expellantur, et hac via a pollicito regularis observantiae rigore liberentur; ideo omnibus notum facimus, nulla nos lege, aut praecepto ad hoc adigi; proindeque liberum omnino esse superioribus, vel hanc ipsis infligere poenam, vel in carcere, donec resipiscant, retinere.

De carcere construendo.

§. 644. 6. Praecipimus autem praelatis localibus sub gravis culpae poena, ut in suo conventu tutum, sed commodum, et humanum carcerem disponant, aut construere faciant; et religiosis ibi detentis necessaria omnia suppeditentur; ac eos frequenter visitent. Id ipsum agat generalis prior semel saltem in anno: caeteri vero fratres nequeant sub gravis culpae poena, eos alloqui, nec eisdem aliquid ministrare, excepto carceris custode, et quodam alio prudentia, et charitate praedito, quem prior designaverit, ut eos possit consolari, et ad patientiam commovere; ac ad meliorem frugem reducere.

De poenarum remissione contra poenitentes.

§. 645. 7. Cum localis prior in quolibet vincto, vel reo aliquo non obscura perspexerit humilitatis, et emendationis signa, de omnibus certum faciat superiorem praelatum, a quo lata fuit sententia, quique poenae partem (si aequum judicaverit) poterit remittere: dummodo dimidia saltem ejus pars jam fuerit explota.

De amissione caputii, et scapularis in carcerem detrusorum.

§. 646. 8. Qui per juridicam sententiam in carcerem detruditur, debet caputio, et scapulari exui; haec tamen poena illi non infligatur ante indictam sententiam, nec cum ad custodiam tantum in illo detinetur. Si quis vi, aut fraude, clandestinove vinctum religiosum e carcere educat, vel ad fugam auxilium, consiliumve praebeat, per dies viginti in carcerem conjiciatur, si fuga non sequatur: si vero vinctus aufugiat, tamdiu carcere detineatur, quamdiu detinendus erat fugitivus. Eidem poenae subjaceat carceris custos, si ob culpabilem ejus incuriam id evenisse certo constiterit. Qui carcerem confregerit, duplicatam subibit poenam.

De inquisitione adhibenda antequam gravissima poena infligatur.

§. 647. 9. Quamvis ad superiores praelatos spectet, gravioris, et gravissimae culpae reos punire; debent nihilominus praelati locales de ipsis inquisitionem instituere, et postea ad

competentem judicem transmittere, ut sententiam ferat; ac interim eos in carcere ad custodiam detinere, si prudenter fuga timeatur, vel grave damnum ex mora possit oriri. Nullus tamen superior inquisitionem hanc poterit instituere, nisi delatio, accusatio, aut infamia praecedat; nec testibus praecipere ut de occulto crimine testimonium perbibeant; nec similiter reo imperare, ut sibi soli, vel coram aliis veritatem detegat. Qui secus fecerit, mortaliter peccabit, et ad culpae qualitatem punietur. Verum si crimen, alias occultum, indiciis, suspicione, et infamia in plurimorum notitiam devenit; vel illud sit tale, quod praeter damnum peccantis, grave inde proficiscatur damnum reipublicae, aut ordinis communi bono; sive etiam alicujus particularis, tunc et superiores inquirere, et subditi, quidquid sciverint, aperire tenentur.

Declaratio materiae.

§. 648. 10. Teneantur etiam judices praelati ad praefatam inquisitionem procedere quoties frater aliquis coram ipsis, tamquam judicibus, alium accuset, accusatoris partes agere volens, accusationique proprium inscribens nomen (quod his in casibus semper est servandum) et reo, si fuerit convictus, meritas poenas infligere; si vero convictus non fuerit, nec crimen possit accusator sufficienter probare; immo de calumnia convincatur ipse, easdem subeat poenas, quas daret accusatus, si crimen plene probaretur.

Aliae declarationes ut supra.

§. 649. 11. Praeterea circa poenarum applicationem declaramus: 1.° Quoties in his constitutionibus jejunium imponitur, debet intelligi, quoad prandium praeter panem, et aquam super nudam humum nihil aliud capiatur. 2.° Quando poena privationis simpliciter injungitur, de voce tam activa, quam passiva, in quocumque congressu, aut capitulo debet intelligi. 3.° Qui loco privatur, infra omnes sui gradus, et professionis postremum debet habere, nisi aliud a constitutionibus exprimatur. 4.° Quod praelatorum nullus possit aliquem privatione vocis afficere sex mensibus ante generale capitulum, nisi ob graviorem, gravissimamque culpam: si quis vero ob alia crimina intra praedictum tempus fuerit hac poena gravatus, suffragium ferre poterit in electione socii capitularis, ac in id muneris eligi.


Abrogatio veterum statutorum.

§. 650. 12. Tandem declaramus, quod nulla alia statuta, seu constitutiones, acta, vel ordinationes, aut decreta a religione nostra usque nunc edita, alicujus roboris sint, ullamve possint in futurum obligationem inducere, si videantur in aliquo adversari praesentibus constitutionibus, quae de potestate nobis a Sanctissimo domino Clemente XIV. felicis recordationis concessa die 28 aprilis anni 1773. fuerunt stabilitae, et in generali nostro capitulo de communi omnium consensu approbatae, et subscriptae Ulyssipponensi coenobio beatissimae Virginis Mariae a Remediis nuncupato die 17 mensis maji anni 1781.

Quarta pars palmi in aedificationum mensuram.



Quarta pars palmi in vestium mensuram.



Preces porrectae pro confirmatione apostolica constitutionum.

§. 651. Cum itaque sicut eadem expositio subjungebat exponentes praedicti, quo constitutiones, ac leges praedictae firmius subsistant, ac serventur exactius apostolicae auctoritatis munimine roborari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 652. Nos igitur exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes; et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertas constitutiones auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 653. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suf-

fragari, et ab eis respective inviolabiter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 654. Non obstantibus constitutionibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 18. martii 1783. Anno IX.

CDXXI.

Facultas vice-legato Avenionensi ad dirimendas quasdam controversias inter ministros, et subditos S. S. comitatus Venayssini ex una, et subditos regis christianissimi ex altera partibus etc.

Dilecto filio magistro Jacobo Filomarino in utraque signatura referendario et in civitate Avenoniensi, et in comitatu Nostro Venayssino, Nostro et Sedis apostolicae vice legato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, quaedam controversiae inter dilectos filios Nostros, et sanctae Sedis ex una, et carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis christianissimi ministros ex altera partibus ob aliquas operationes ab istis factas, nec non inter homines, et universitatem terrae, seu loci de Moroas, et Caderousse in comitatu Venayssino, quae loca limitropha sunt provinciae Quitaniae pariter ex una, et ejusdem regis christianissimi subditos ex altera partibus ortae sint, et vigeant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos controversias hujusmodi per Nos, et Sedis apostolicae, atque ipsius Ludovici regis commissarios dirimi cupientes, ac de tua fide, prudentia, integritate, et in rebus agendis solertia plurimam in Domino fiduciam habentes, controversias praedictas, earumque dependentias universas una cum persona, seu personis a dicto Ludovico rege ad id deputata, seu deputatis, vel deputanda, seu deputandis cognoscendi, easque per viam sive judicati formalis, aut arbitrarii, sive amicabilis inter partes praedictas compositionis, quae vim judicati obtineat, terminandi, tollendi, ac dirimendi, nec non dilectum etiam filium Julium Caesarem comitem Zollio rectorem Carpenctoratensem, et comitatus Venayssini ad praemissa, seu aliqua eorum cum simili vel limitata potestate, quoties opus fuerit, aut opportunum censueris subdelegandi, et substituendi auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus.

Reservationes speciales.

§. 3. Nobis tamen, et Sedi praedictae expresse reservantes approbationem, et ratihabitionem eorum, quae per te, seu subdelegatum tuum cum persona, seu personis a dicto Ludovico rege deputata, seu deputatis, aut deputanda, et deputandis, quomodolibet in praemissis, et circa ea acta, gesta, definita, et stabilita fuerint.

Derogatio contrariorum.

§. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 18. martii 1783. Anno IX.

CDXXII.

Confirmatio decreti congregationis disciplinae regularis super approbatione constitutionum duorum recessuum ordinis s. Francisci de observantia reformatorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Si sollicitudo ecclesiae universalis per bonorum omnium largitorem Nobis injuncta exigit, ut omnes Christifideles, et praesertim eos, qui relictis bujus saeculi illecebris, artam viam, quae ducit ad vitam ingressi, Jesum Christum Redemptorem Nostrum propius sequi susceperunt, gratiis apostolicis fovere, et modis omnibus propugnare studeamus, impensius certe eis consulere tenemur, qui in religione ipsa arctiorem, et sanctiorem disciplinam sibi ipsis elegerunt, sperantes fore, ut hi in regularis vitae serenitate tranquillam vitam ducentes, et securi quasi in littore stantes, Nobis ob concreditum humilitati Nostrae pastoralis ministerii afficiom inter hujus mundi fluctus, qui hisce praesertim difficillimis temporibus, Nos undique, quasi obruunt, navigantibus, suarum orationum manum tendant, et conantes Nos ad terram viventium pergere, quantis possunt precibus adjuvent.

Tenor precum porrectarum pro assequenda confirmatione apostolica. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores locales, caeterique religiosi duorum recessuum, nempe sancti Francisci Graecij Reatinae dioecesis, ac sanctae Mariae Gratiarum Setiae dioecesis fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia reformatorum noncupatorum provinciae Romanae, quod alias in eadem coenobia strictior regulae sancti Francisci observantia invecta fuit, absque tamen peculiaribus legibus, quae ad ipsius institutionis finem, ac spiritum essent accomodatae. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, regulae hujusmodi fuerint nuper collectae, atque ad triginta sex redactae, ac examini venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium regulari disciplinae praepositorum subjectae, ac subinde ab eadem congregatione impetraverint decretum tenoris, qui sequitur.

Tenor decreti editi a s. congregatione super disciplina regulari. §. 3. Sacra congregatio super disciplina regulari visis, ac mature perpensis triginta sex regulis pro duobus recessibus sancti Francisci terrae Graecij dioecesis Reatinae videlicet, et sanctae Mariae Setiae dioecesis Terracinensis ordinis minorum strictioris observantiae provinciae Romanae confectis, una cum omnibus, et singulis in ipsis contentis, ac in foliis a R. P. D. dictae sac. congregationis secretario subscriptis; eadem sacra congregatio, audito patre generali supradicti ordinis censuit, ac judicavit praefatas regulas ad impediendam dictorum recessuum qualemcumque jacturam, ad firmandam in eis plenam sacri instituti observantiam, nec non ad ipsorum recessuum conservationem perpetuo tuendam apprime idoneas esse, utiles, atque opportunas. Idemque eminentissimi patres praevia confirmatione fundationis, seu erectionis duorum nuncupatorum recessuum triginta ab hinc annis peractae, praefatas regulas, omnisque in eis contenta approbarunt, et confirmarunt; simulque praecipiunt tam superioribus localibus, quam eorum religiosis subditis in dictis recessibus pro tempore commorantibus, ut easdem adamussim, et uniformiter observare teneantur. Omnibus autem guardianis, ipsisque provincialibus, definitoribus, aliisque superioribus quibuscomque generalibus pro tempore existentibus, omnino prohibent, ne supradictas regulas inconsulta ipsa sacra congregatione, abrogare, vel etiam immutare praesumant. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae 29 januarii 1783.

J. C. card. Boschi pro praefectus.

G. De Lascaris patriarcha Hierosolymitanus secretarius.

Quo decretum hujusmedi firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae firmitatis robore muniri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Nos igitur supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; praeinsertum decretum auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in praemissis ejusdem congregationis auctoritate. Tenor apostolicae confirmationis.

§. 5. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis, omnibus, et singulis superioribus generalibus, et provincialibus ordinis praedicti, caeterisque ad quos spectat, ut eosdem fratres, ac superiores locales dictorum duorum recessuum omnibus, et singulis statutis, et constitutionibus per dictam venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium con- Poenae contra inhobedientes imdictae.

gregationem approbatis juxta tenorem praesentium oti, ac frui sinant, ac faveant, et quoad praemissa respective assistant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXIII.

Dat. Romae 21 martii 1783 An. IX.

Congregationis Mantuanae, et provinciarum omnium ordinis Carmelitici calceati reformatorum ad provincias *antiquae observantiae* nuncupatas aggregatio, et unio.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Exigit apostolici Nostri officii ratio, ut ad ea proclives simus, quae ad majorem decorem, felicemque statum, ac progressum ordinum regularium conducunt, paterna etiam charitate, congruisque modis illa temperantes quae licet recte, sapienterque alias constituta, ob rerum tamen humanarum vicissitudines, non amplius convenire comperiontur, si id ad omnipotentis Dei gloriam, ac Ecclesiae catholicae decus, et praesidium, ad regularis disciplinae incrementum, spiritualemque Christifidelium aedificationem, et animarum salutem, expedire in Domino arbitremur.

Expositio precum porrectarum a rege Sardiniae. §. 2. Cum itaque charissimus in Christo filius Noster Victorius Amadeus Maria Sardiniae rex illustris, Nobis nuper exponi fecerit, in Cismarinis ditionibus ejus dominio subjectis praeter conventus ordinis Carmelitarum calceatorum nuncupatorum antiquae observantiae, alios similiter existere ejusdem ordinis, vel reformatos, vel alterius congregationis nuncupatae Mantuanae, qui si primo dicto ordini antiquae observantiae, cujus magistro, seu priori generali certo modo jam subjacent, ita unirentur, ut, sublata imposterum quacumque differentia, unum, idemque corpus cum eo efficeret, ac eisdem statutis, constitutionibus, et legibus sine ullo discrimine subessent, non modica Christifidelibus illuc commorantibus, obveniret utilitas ex uberioribus bonorum operum fructibus, qui ab ita unitis Carmelitani ordinis professoribus uni, eidemque charitatis, aliarumque virtutum studio incumbentibus, sperari merito possent, ac proinde eos omnes conventus per Nos uniri, ac in unum corpus sub omnimodo regimine, et gubernio prioris, seu magistri generalis antiquae observantiae, ac cum eisdem legibus, et statutis redigi summopere desideret: cumque subinde porrecta Nobis fuerit supplicatio etiam dilecti filii fr. Andreae Andras, moderni prioris, seu magistri generalis ordinis Carmelitarum calceatorum, qui generalem unionem, ac reductionem, omnium diversarum congregationum ejusdem ordinis in unum corpus antiquae observantiae, ac praecipue omnium conventuum, tum congregationis Mantuanae, tum provinciae nuncupatae Montis Sancti, in ditione Nostra pontificia existentium, humiliter Nobis postulavit, propterea quod conventus hujusmodi pauci sint, nec multis abundent alumnis: plerique insuper ob temporum calamitates ita sint exinaniti, ut subsistere ex se ipsi nequeant; omnes vero hujusmodi diversarum congrega-

tionum viri eamdem regulam, ac disciplinam, easdem ritus, caeremonias, habitum, exteriuresqua mores, profiteantur; eaeque jurisdictioni subsint ejusdem magistri generalis ordinis antiquae observantiae, aliqua tantum intercedente limitatione, ac varietate, praesertim quoad religiosos congregationis Mantuanae, qui ob privilegia eis concessa dismembrati a provinciis ordinis antiquae observantiae alias fuerunt, ita ut si praefata a Nobis fieret universalis unio, ac omnimoda conjunctio, magnam idem prius, seu magister generalis, obventuram fore confidat, tam universo Carmelitarum ordini, quam ipsi christianae reipublicae ex feliciori ecclesiarum Carmelitis concreditarum administratione, utilitatem.

Tenor, et tolio concessionis.

§. 3. Hinc Nos ex pastorali Nostri muneris debito prosperitati, at commodis congregationum omnium Carmelitarum calceatorum, nec non Christifidelium saluti, divinique cultus augmento, quantum ex alto Nobis conceditur, prospicere; ac insuper memorati regis Sardiniae votis, supplicationibusque praefati magistri generalis annuere cupientes, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes conventus congregationis nuncupatae Mantuanae, vel cujuscumque observantiae, vel reformationis ubicumque existentes, una cum omnibus monasteriis monialium earumdem congregationum (quarum congregationum superiores generales audire etiam opportune voluimus) ordini principali Carmelitarum calceatorum antiquae observantiae, harum serie, perpetuo unimus, ac invicem sub gubernio, ac regimine prioris, seu magistri generalis ejusdem ordinis, et respective sub immediata subjectione provincialium, aliorumque localium priorum, et officialium, incorporamus; itaut ex nunc, et imposterum, unicus sit, et esse censeatur ordo Carmelitarum calceatorum, qui vocetur antiquae observantiae, omnesque Carmelitae praefatarum congregationum unum tantum corpus cum eo efficiant, unum, eumdemque habitum induant, ac regulas, et constitutiones memorati ordinis antiquae observantiae a Sede apostolica approbatas exacte observent, sublata qualibet inter easdem congregationes differentia, utcumque a praedecessoribus Nostris admissa, quam apostolica Nostra auctoritate abrogamus; at personae omnes regulares earumdem sic unitarum congregationum, sive masculi, sive foeminae, absolutae imposterum sint a suarum legum, et consuetudinum particularium observantia, solasque leges, constitutiones, et consuetudines ordinis, cui uniuntur, aggregantur, et incorporantur, profiteri teneantur.

Declarationes speciales, super distinctione provinciarum.

§. 4. Volumus autem, ut unicus hic ordo ex omnibus memoratis diversarum congregationum conventibus constitutus in opportunas ita dividatur provincias, ut conventus omnes Carmelitarum calceatorum in ditione Nostra pontificia existentes duas efforment provincias, Romanam scilicet, et Romandiolae; ex illis in ditionibus Cismarinis dicti regis illustris existentibus alia provincia constituatur nuncupanda provincia Pedemontana, cui subsit monasterium monialium congregationis Mantuanae illuc existens: et ex aliis conventibus in aliorum christianorum regum, ac principum ditionibus, existentibus, alia seu aliae fiant provinciae juxta methodum a priore, seu magistro generali una cum suo generali definitorio praescribendam: quod si in una, alterave saecularium principum ditione adeo pauci sint Carmelitarum sic unitorum conventus, ut aptam efformare ex se nequeant provinciam, arbitrio relinquimus ejusdem prioris, et definitorii generalis, conventus illos aggregandi provinciae viciniori alterius saecularis ditionis, prout ordinis bono magis expedire in Domino existimabunt.

Distributio honorum, et privilegiorum vicariis generalibus competentium.

§. 5. Praeterea volumus, quod moderno vicario generali congregationis Mantuanae, cujus officium omnino cessare per unionem istam debebit, aliisque ex-vicariis generalibus ejus antecessoribus, honores, et privilegia imposterum tribuantur ex-generalibus ordinis Carmelitarum antiquae observantiae competentia: itemque moderno, ac antecessoribus procuratoribus generalibus congregationis ejusdem, qui pariter cessare ab officio debebunt, privilegia, et honores adscribantur ex-procuratorum generalium ordinis; et sic gradatim cuilibet actuali religioso, tam congregationis Mantuanae, quam aliarum praedictarum provinciarum, reservata imposterum, ac integra maneant magisteria, baccalaureatus, caeterique gradus, et honores, quos legitime juxta regulas earumdem congregationum hucusque obtinuerunt; et si quid adhuc ad hujusmodi gradus, et honores, non pervenerint, promoveantur, convenienti habita respectivorum merito-

rum hurusque acquisitorum, et deinceps acquirendorum ratione.

Alia declaratio super distributione officiorum ordinis.

§. 6. Mandantes, ut officia omnia ordinis sic uniti, ac in unum corpus redacti, aequa proportione inter religiosos etiam aggregatos imposterum distribuantur juxta prudentiam, et conscientiam magistri, seu prioris generalis, nec non generalis definitorii, ac capitulorum provincialium, quibus omnibus respective facultatem decernendi caetera ad regularem disciplinam, studia, oeconomicam administrationem, aliaque ad feliciorem ordinis, conventuum, et religiosorum statum, conducentia indulgemus.

Poenae contra inobedientes inflictae.

§. 7. Praecipimus praeterea omnibus, et singulis superioribus, fratribus, aliisque personis congregationum Carmelitarum, ita unitarum sub virtute sanctae obedientiae, aliisque arbitrio nostro infligendis poenis, ut praesentibus nostris literis prompte pareant, et obediant, et ea, quae in illis contenta sunt humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 8. Decernentes, easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, seu eorum aliqua jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, praeeminentiae, superioritatis, ordinis, conditionis, ac dignitatis existant, etiamsi cardinalatus honore fulgeant, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana dignitate praediti, seu alias speciali, et individua mentione, et expressione digni sint, illis non consenserint, aut ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae, propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et sufficienter, aut nullo modo justificatae fuerint; vel ex alia quacumque quantumvis justa, juridica, pia, et privilegiata causa, occasione, colore, ingenio, praetextu, et capite, etiamsi in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae, seu jus, vel interesse habentium, seu habere praetendentium consensus, aliove quovis quantumlibet magno, formali, substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili, necessarioque, et specificam expressionem requirente defectu notari, infringi, impugnari, retractari, limitari, modificari, in controversiam vocari, aut ad terminum juris reduci, seu adversus illas, et illa aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, vel etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concessu, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; neque ipsas praesentes literas sub quibusvis similium, vel dissimilium unionum, conjunctionum, statutorum, ordinationum, concessionum, et indultorum revocationibus, restrictionibus, limitationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et quoscumque Romanos pontifices successores Nostros, sedemque praefatam, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et alias quomodocumque, et quandocumque faciendis, umquam comprehendi, et comprehensas censeri, sed semper ab illis exceptas; et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac etiam de novo sub quacumque posteriori data per eos, ad quos spectat, et pro tempore spectabit, quandocumque eligenda, concessas intelligi, semperque, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, ac fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque, et non aliter, in praemissis omnibus, et singulis censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, et apostolicae Sedis nuncios, aliosve quoslibet quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes vocatis, quorum interest, aliisque nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec-

non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, ac felicis recordationis Bonifacii papae VIII. praedecessoris Nostri de una, et concilio generali de duabus dictis, dummodo ultra tres dietas aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis, editis constitutionibus, et ordinationibus, et praefatorum ordinis, et congregationum, domuum, conventuum, et locorum quorumvis, et aliis quibusvis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eisdem congregationibus, seu earum alteri, illarumque, seu alterius earum superioribus, fratribus, personis, domibus, conventibus, et locis quibuslibet sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, et alias in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur, pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra, adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die XXI. martii MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

CDXXIV.

Dat. Romae 21. martii 1783 An. IX.

Confirmatio resolutionis congregationis particularis a S. S. deputatae qua congregatio doctrinae christianae ad instar congregationis Presbyterorum Secularium redigitur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pias quorumcumque Christifidelium, praesertim ecclesiasticorum congregationes in proximorum subsidium, animarumque salutem provide institutas paternis prosequentes affectibus si quae in earum incrementum alias disposita, temporis successu in perniciem constitutae disciplinae verti contingat, ea moderamur non modo, sed quandoque etiam revocamus, atque disponimus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Andreas Josephus Vincenti procurator generalis congregationis clericorum saecularium doctrinae christianae, quod eadem congregatio, etsi fuerit ab initio, sitque etiam nunc societas clericorum more saecularium, ejusque institutum juxta mentem venerabilis servi Dei Caesaris De-Bus fundatoris sui felicis recordationis Clemens pp. VIII. praedecessor Noster per apostolicas suas in simili forma Brevis die XXIII. decembris MDXCVII. expeditas literas approbaverit, et confirmaverit, nihilominus ex quo piae itidem mem. Paulus pp. V. etiam praedecessor Noster, per similes literas die XI. aprilis anni MDCXVI. expeditas, illam clericis regularibus congregationis Somaschae univit, nunquam primaevam suam quietem, pristinique sui splendoris, ac dignitatis jura recuperavit. Et quamvis paulo post felicis itidem memoriae Innocentius pp. X. etiam praedecessor Noster, literis in pari forma Brevis die XXX. julii anni MDCXLVII. expeditis, unionem hujusmodi dissolverit, et primodictam congregationem in pristinum saecularem statum, ac formam restituerit, attamen ii, qui dum vigeret unio praedicta emiserant vota solemnia, miscere statim omnia, ac perturbare coeperunt, nec non congregationis regimine potiti, ea precum importunitate devenerunt, ut a piae itidem memoriae Alexandro pp. VII. praedecessore etiam Nostro per similes apostoa-

licas literas die XXVI. martii anni MDCLIX. datas obtinuerint, quod firmis remanentibus omnino secundum universum tenorem memorati Innocentii praedecessoris literis, omnes, et singuli, qui in eadem congregatione post ipsas literas admissi reperirentur, quique in posterum admitterentur expleto probationis anno, si tamen idonei, tria vota simplicia, nempe obedientiae, paupertatis, et castitatis emitterent, una cum voto, seu juramento in eadem congregatione perpetuo perseverandi, non dispensando, vel relaxando a quocumque alio, nisi a solo Romano pontifice, aut a capitulo generali, vel definitorio memoratae congregationis.

Concessionis ratio.

§. 3. Hujusmodi autem indultum obtentum plane inconsultis iis, quos tantummodo afficere debeat, iis nempe dictae congregationis clericis saecularibus, qui post promulgationem praedictarum Innocentii praedecessoris literarum in illam ingressi nullo se votorum vinculo obstringendos iri confidebant, gravia incommoda, et detrimenta importavit, et importat in dies; alienum insuper est a mente, et instituto praedicti fundatoris, qui in animo tantum habuit erigendi congregationem, seu societatem mere saecularem ecclesiasticorum virorum pietate, et doctrina excellentium solo charitatis vinculo conjunctorum, qui in vinea Domini ardenti, et indefesso studio adlaborarent, maxime doctrinam christianam rudes edocendo, et pauperes evangelizando; eventus denique fefellit eos ipsos, qui illud obtinere conati sunt, dum enim sperabant, futurum ut illud vinculum frequentiores e praedicta congregatione impediret desertiones, non modo huic damno non occurrerunt, verum studio retinendi semel admissos etiam invitos, admittendos procul abalienarunt. Quae et alia magni momenti incommoda maturo consilio in comitiis generalibus dictae congregationis Parisiis habitis anno MDCCLXXVI. perpensa, superiorem generalem nuncupatum, omnesque, ac singulos vocales impulerunt, ut a Nobis postularent ejusdem congregationis in primarium suum merae saecularitatis statum redintegrationem. Nobis propterea dictus Andreas Josephus etiam totius suae congregationis nomine humiliter supplicari fecit, ut ad felicem ejusdem congregationis gubernium, majoremque pii, ac laudabilis instituti progressum, eam in pristinum statum restituere, et reintegrare, nec non privilegia, gratias, et indulta eidem congregationi a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris alias concessa confirmare, et desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 4. Itaque, audito prius dilecto filio magistro Francisco Carrara congregationis venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum secretario, ad quem supplicem libellum Nobis porrectum remisimus particularem congregationem dilectorum filiorum Nostrorum Eugenii Vicecomitis, Francisci Xaverii de Zelada, et Hyacinthi Gerdil nuncupatorum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterorum cardinalium, ejusdemque magistri Francisci secretarii ad consulendum, quid hac in re expedire existimarent, deputavimus; quae quidem congregatio attenta relatione venerabilis etiam fratris Josephi archiepiscopi Seleucensis apud carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum Nostro, et Apostolicae Sedis nuntio, auditoque saepius tam in voce, quam in scriptis dicto Andrea Josepho procuratore generali, ac viso consensu moderni vicarii generalis Italicae nuncupat., qui nomine suae congregationis supplicationi accesserat, die XIV. martii elapsi anni MDCCLXXXII. censuit, consulendum esse Nobis pro gratia juxta petita, ita tamen, ut subjecti remaneant omnimodae jurisdictioni respectivorum ordinariorum, et in casu ordinationis, debeant ordinari titulo vel patrimonii sacri, vel beneficii ad formam sacri concilii Tridentini, et ad dominum secretarium ad mentem; mens autem fuit, ut quatenus Nos consultationem exciperemus, et congregationis sententiam probaverimus, decernere etiam dignaremur, an resolutio exequi deberet jam quoad eos, qui in posterum congregationi adscribendi essent, quam quoad alios, qui huc usque adscripti reperiuntur.

Sensus particulares a congregatione deputata.

§. 5. Nos igitur, attendentes bonorum operum uberes fructus, quos praedicta doctrinae christianae congregatio proferre satagit, ejusque zelum satis spectatum, ac labores assiduos, quos ad instituendos, erudiendosque in pietate, et religione cum pueros, tum adultos jugiter suscipit, memoratum Andream Josephum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censu-

Tenor concessionis.

ris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: praeinsertam resolutionem dictae congregationis particularis auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Statuimus praeterea nihil esse innovandum quoad eos, qui praedictae congregationi doctrinae christianae adscripti jam sunt, ita ut quoad eos firma maneant vota castitatis, paupertatis, et obedientiae, nec non juramentum perseverantiae; alios vero, qui in posterum in eadem congregatione recipiendi erunt ab emittendis praedictis votis simplicibus, et juramento perseverantiae eximimus, ita ut ipsa congregatio ad instar congregationis presbyterorum saecularium redigatur, idque pro omnibus provinciis totius congregationis praedictae exequi, auctoritate, et tenore praedictis volumus, atque mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non congregationis doctrinae Christianae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXV.

Dat. Romae die 21. martii 1783. Anno nono.

Monialibus monasterii sanctae Catharinae civitatis Caesenatensis indulgetur, ut uti possint titulo monasterii Pontificii.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Inscrutabili aeternae sapientiae arcano speculatores domus Israel nullo licet meritorum Nostrorum suffragio constituti sacras virgines, quae oblitae populum suum, et domum patris sui divinis obsequiis sese sub suavi religionis jugo devoverunt, quaeque uberes bonorum operum fructus proferre jugiter satagunt, favoribus, et gratiis, quibus possumus, amplissimis libenter prosequimur, prout rerum, et temporum qualitatibus debite pensatis conspicimus in Domino salubriter expedire.

Expositio precum porrectarum a monialibus.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii sanctae Catharinae civitatis Caesenatensis, quod ipsae ne perpetuis futuris temporibus paternae Nostrae charitatis qua eas jugiter complexi sumus, prout transacto anno Nos a Vindobona urbem Romam remeantes etiam coram testimonium perhibuerimus, memoria obliteretur, aliquam specialem gratiam eis per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur peculiarem gratiam eis facere volentes, earumque singulares personas a

quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps futuris perpetuis temporibus monasterium praedictum pontificium appelletur, ita tamen, ut ex hujusmodi titulo nulla prorsus exemptio ab ordinariis, ac quavis alia legitima jurisdictione, eidem monasterio, ac monialibus proveniat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus.

Concessio usus aurei numismatis, pro abbatissa, et priorissa. §. 4. Insuper, ut abbatissa, seu priorissa nunc, et pro tempore existens ejusdem monasterii, quoad usque in hoc officio permaneat aureum numisma in forma crucis cum inscriptione *Pius pp. VI.* collo appensum ex resticulo serico albi coloris ante pectus tam publice, quam privatim ubique illud deferre, illoque uti libere, ac licite possit, et valeat, auctoritate, et tenore praedictis indulgemus; illisque desuper a quoquam molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; ac dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXVI.

Dat. Romae die 22. martii 1783. Anno nono.

Confirmatio statuti editi in loco nuncupato — *Bauco* — super damnis datis in bonis ejusdem loci.

Reverendissimo cardinal Casali prefetto della nostra congregazione de' Sgravi, e Buon Governo.

Prooemium. §. 1. Benchè le leggi comuni della giustizia, e delle umana società, e le apostoliche ordinazioni assicurar dovessero dall'incontro de' danni nelle campagne per fatto, o colpa degli uomini, si sperimenta nondimeno in qualche luogo una contraria licenza, sicchè restano frequentemente danneggiati i seminati, le piante, e frutti della terra in pregiudizio non solo dei privati, ma anche del pubblico, disprezzandosi, o sinistramente interpretandosi le leggi medesime, ed evitandosi così l'incorso nelle pene, e la dovuta emenda de' danni.

Tenor statuti. §. 2. Ci è stato rappresentato per parte della nostra comunità di Bauco, che appunto a simili perniciosi effetti trovasi quel territorio, onde quel pubblico consiglio tenuto il dì 2. novembre 1781. anche coll'intervento de' deputati ecclesiastici regolare, e secolare, per frenare la condannabile libertà de' danneggianti abbia stabiliti alcuni capitoli, e sanzioni del tenore seguente, cioè

De poena contra caedentes arbores in olivetis. §. 3. I. Che trovandosi chiunque a portar via dagli oliveti rami, o legna di ogni sorta di olive, tagliar alberi, sveller radiche, e fare ogni altro atto pregiudizievole alle piante di olivo in qualsivoglia tempo, incorra per ciascuna volta nella pena di scudi quattro da dividersi pro aequali fra il giudice locale, la comunità, e l'accusatore, oltre la rifazione di tutti, e singoli danni a tenore della Bolla della sa. mem. di Benedetto XIV. de' 25. gennajo 1751. ed in altre pene corporali ancora, secondo la qualità, e condizione delle persone, e le circostanze de' casi, a tenore dell'enciclica della sa. mem. di Clemente XIV. su di tal materia emanata.

De poena infligenda contra furantes arbores. §. 4. II. Che chiunque si farà lecito di rubar piantoni di olivi, e rami di questi per piantagione, debba soggiacere alla pena di scudo uno per piantone, o ramo derubato per ciascuna volta, da distribuirsi come sopra, oltre la rifazione del danno, e la pena afflittiva come sopra.

De inquisitione statuenda adversus latitantes. §. 5. III. E qualora si trovassero dannificati gli olivi senza la presenza della persona dannificante, ed indi si venisse in cognizione di chi avesse causato tal danno, sarà lecito in tal caso di procedere contro questi previe le solite legali giustificazioni *per inquisitionem* ad oggetto della rifazione del danno a pro del dannificato, e dell'incorso della pena come nel capitolo II.

De poena irroganda adversus immittentes §. 6. IV. Che non sia lecito a chiunque d'introdurre bestiami di sorta alcuna sotto

qualsivoglia quesito colore negli oliveti ristretti con macerie, fossi, o limiti in qualsivoglia tempo sotto pena da incorrersi in ciascuna volta, e da dividersi come sopra, se saranno pecore, di bajocchi dieci per qualsivoglia capo, se somaro o mulo di bajocchi cinquanta per capo, se bovi, purchè non siano attualmente sotto il giogo, scudo uno per bove, se capra bajocchi cinquanta per capo, atteso il maggior danno, che sogliono cagionare con il loro morso; oltre di che sia tenuto ogni pastore de' riferiti bestiami alla rifazione del danno, intendendosi per oliveti ristretti ancora quelli, li quali fossero contermini con uno, o più compossidenti, e non vi fosse nei termini, o confini divisione di macerie, siepi, limiti, o fossi, bastando, che siano ristretti nella circonferenza.

Declaratio ut supra.

§. 7. V. Parimente si proibisce di poter introdurre qualunque sorta di bestiami nei piantoni di olivi per anni dieci, che si sono fatti, e si faranno, sebbene non siano ristretti, come sopra, altrimenti s'incorra ciascuna volta nella pena contenuta nel capitolo II. da ripartirsi come sopra, colla rifazione anche del danno, dovendosi queste riguardare come ristretti per dar campo alle piante, che crescono.

De olivetis in quibus pecudes immitti possunt.

§. 8. VI. Negli oliveti non ristretti da macerie, siepi, fossi, o limiti si possa introdurre qualunque sorta d'animali, con che però trovandosi danno nei germogli, o piantoni di detti oliveti, siano li dannificati tenuti alla rifazione de' danni, ed all'incorso nelle pene come nel capitolo V.

De tempore quo licita erit pecudum immissio.

§. 9. VII. Che s'intenda in detti oliveti, o ristretti, o non ristretti in tempo del frutto pendente proibita l'introduzione di tutte le suddette sorti di bestiami dal primo di novembre fino a tutto febbrajo, ed in caso di contravenzione siano li delinquenti soggetti ciascuna volta alle pene espresse nel capitolo IV. Qualora poi li frutti pendenti cominciassero a cadere per infezione, o intemperie d'aria allora s'intenda la proibizione anticipata alli 15. di ottobre, previa però la notificazione da pubblicarsi dal governatore locale: e le dette pene da dividersi come sopra colla rifazione de' danni.

De pullis gallinaceis.

§. 10. VIII. Riguardo alli gallinacci, come pregiudiziali alli frutti, non solo pendenti, ma anche decaduti dalle piante, s'intenda proibita l'introduzione di qualsivoglia sorta d'oliveti dal primo di settembre fino alla totale raccolta sotto la pena per ciascuna volta di bajocchi cinque per capo, rifazione del danno, e la pena suddetta da dividersi come sopra.

De vetita collectione fructuum relictorum.

§. 11. IX. E siccome si sono inoltrate maligne industrie de' dannificanti da pochi anni a questa parte, li quali sotto specie di spigolare e profittare delle olive abbandonate dal padrone e suoi uomini nell'atto della raccolta vanno di giorno, e notte a man salva derubando olivi con notabil danno anche delle piante stesse, con romper rami. Quindi è, che per ovviare ad un danno tanto notabile, si proibisce a chiunque lo spigolare olivi in qualsivoglia oliveto, se prima il padrone dello stesso oliveto, non avrà terminata interamente la raccolta degli olivi, sotto la pena per ciascuna volta di scudi quattro, ed altre afflittive, da arbitrarsi dal suddetto governatore locale, secondo la qualità de' casi, e persone a tenore di detta enciclica.

De jure colligendi spicas relictas.

§. 12. X. Ed acciocchè la povera gente possa aver comodo di raccogliere la spiga negli oliveti, perciò si proibisce espressamente ad ogni padrone di qualsivoglia sorta di bestiame, ed anche alli padroni degli oliveti medesimi d'introdurre bestiame di qualsivoglia specie, e pascolare negli oliveti, già colto il frutto, se non scorsi giorni otto dalla detta generale raccolta sotto la pena ai trasgressori di scudi tre per ciascuna volta, da ripartirsi tra il giudice, comunità, ed accusatore, ed anche *per inquisitionem*.

De poenis contra frangentes repagula.

§. 13. XI. Chiunque devasterà macerie, siepi, fossi, che formano ristretto agli oliveti, incorra nella pena di scudo uno da dividersi tra il giudice, comunità, ed accusatore, oltre la rifazione dell'istesse macerie, siepi, limiti, e fossi.

De furibus.

§. 14. XII. Se poi si trovassero persone, le quali di proposito, sì di notte che di giorno andassero a man salva derubando, incorrano nella pena del furto come anche afflittiva, secondo la detta enciclica, oltre la rifazione de' danni.

De cultura morum.

§. 15. XIII. Essendosi da molti anni incominciata l'industria della seta in questa nostra patria, e per tal' effetto fatte delle molto piantagioni di mori gelsi da' cittadini, che però scorgendosi continui derubamenti nella foglia de' medesimi con grave loro danno, e pregiudizio negli alberi stessi con romper rami, perciò si è stabilita, oltre l'emenda del danno al padrone dannificato, la pena di scudi cinque contro chiunque ruberà la foglia suddetta, o pregiudicherà agli alberi, da ripartirsi tra il

giudice, comunità, ed accensatore, e non essendo il danneggiante idoneo al pagamento si debba procedere alla pena afflittiva, a tenore della suddetta enciclica.

De aliis arboribus.

§. 16. XIV. Contro poi tutti quelli, li quali studiosamente danneggeranno le piante di qualunque specie si nascenti, che crescenti s' intenda comminata, ed imposta per ciascuna volta la pena di scudi quattro da ripartirsi come sopra, ed anche afflittiva, secondo la suddetta enciclica, ma se il danno non sarà studioso allora s' intendano soggetti li dannificanti, oltre l' emenda del danno alla pena di bajocchi trenta.

De poenis contra damnificantes in locis clausis.

§. 17. XV. Come ancora incorrano nella medesima pena, ed anche afflittiva ed all'emenda del danno, tutti quelli, che danneggeranno i seminati d' ogni specie con i loro bestiami, o faranno pascer l' erba ne' terreni si ristretti, che non ristretti, ed anche prativi.

De similibus adversus furantes.

§. 18. XVI. Alla medesima pena di scudi quattro oltre l' afflittiva, ed all' emenda del danno s' intendano incorsi tutti quelli, che anderanno derubando, o si sapesse avere in qualunque modo derubato, tanto ne' campi, quanto nelle are, grano, formentone, detto grantureo, orzo, legumi, ed altro biade, volendo, che per reprimere maggiormente la licenza di tali persone danneggianti, abbiano esse ad incorrere le pene comminate in detta enciclica Clementina, alla quale, ed alla detta Benedettina si dovrà aver sempre relazione ne' casi, e circostanze non contemplati nei presenti statuti.

Preces porrectae pro confirmatione statuti.

§. 19. Ed avendo la medesima comunità da Noi implorato, che lo accennate sanzioni, come sopra stabilite, vengano dalla Nostra sovrana autorità approvate, e confermate, Noi, che abbiamo tanto a cuore la conservazione delle campagne immuni da' danni, e specialmente da quelli, che chiamansi studiosi, o manuali avendo su di questa istanza sentito il parer vostro, e della detta nostra congregazione del Buon Governo, da cui gli accennati capitoli, o statuti sono stati riveduti, esaminati, e ne' termini suddetti in parte riformati, siamo volentieri condiscesi ad esaudire l' istanza.

Tenor confirmationis.

§. 20. Quindi col presente Nostro chirografo in cui abbiamo per espressa, o di parola in parola inserita la costituzione *de damno dato* della sa. mem. di Benedetto XIV. de' 25. gennajo 1751. e la successiva enciclica della sa. mem. di Clemente XIV. su la stessa materia emanata, la citata risoluzione del pubblico consiglio di Bauco degli 11. novembre 1781. e qualsisia altra cosa quanto si voglia necessaria d' esprimersi di Nostro moto proprio, certa scienza e pienezza della Nostra potestà approviamo, e confermiamo, in ogni loro parte i suddetti nuovi statuti, e sanzioni, e vogliamo, che onninamente si osservino. Intendiamo però, che tanto rispetto alla pertinenza delle cause, o al giudice ecclesiastico, o al giudice secolare; quanto rispetto alla forma del giudizio, ed al modo di procedere contro i dannificanti per li danni studiosi e manuali si osservino le disposizioni della citata costituzione Benedettina, e rispettivamente della citata enciclica Clementina, commettendo a voi, ed alla detta Nostra congregazione del Buon Governo di dare per l' esecuzione gli ordini necessarj, ed opportuni.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 21. Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo non possa mai opporsi di orrezione, o surrezione, nè di alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ma abbia, e debba aver sempre la sua piena esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione (salva la costituzione di Pio IV. *de registrandis* quale vogliamo, che si osservi, pagata solamente la mercede al notaro, e non altro) ancorchè non vi siano stati citati, o sentiti quelli, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, non ostante la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, ed ogni altra costituzione, ed ordinazione apostolica Nostra, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti riforme, usi, stili, e consuetudini, e qualsivoglia altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, o di parola in parola inserito per questa volta sola, o per l' effetto delle cose premesse amplamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Vaticano questo di 26. marzo 1783.

Pius PP. VI.

CDXXVII.

Dat. Romae die 28 martii 1783. anno nono.

Confirmatio compositionis inter Amantium Lepri, et ordinem Hierosolymitanum factae etc.

Dilecto filio magistro Amantio Lepri protonotario apostolico supranumerario, et in utraque signatura referendario.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Devotionis, et familiaritatis obsequia, quae Nobis, et apostolicae Sedi hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, Nos inducunt, ut te specialibus favoribus, et gratiis prosequamur. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod cum alias habitum per clericos regulares congregationis pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatarum gestari solitum susceperis, et professionem regularem per eosdem clericos regulares emitti consuetam expresse emiseris, postmodum certis tunc expressis de causis ad fratres cappellanos obedientiae magistralis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani auctoritate apostolica transferri obtinuisti, ac subinde etiam professionem regularem per eosdem fratres cappellanos dicti hospitalis emitti consuetam expresse emisisti. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, adhuc te filio familias existente, et apud patrem vivente residuum assignamentorum tibi a patre concessorum collocasses, ac de iis ad libitum disponere exoptasses, magno magistro hospitalis praedicti tunc existenti exposuisti, quod aliqua bona acquisita non ex tua parsimonia, sed ad te spectantia jure haereditario, et successionis extra religionem, vel alias obtinebas, ideoque ea, ut tuis indigentiis facere satis, alienare, vel etiam causa mortis disponere posse exposcebas.

Concessiones factae a magno magistro ordinis memorantur.

§. 2. Tuis precibus annuit magnus magister praefatus, tibique plenam facultatem concessit, omnia, et singula bona quovis jure tam haereditario, quam successionis, et legati ad te spectantia, seu spectare, et pertinere debentia, stabilia tantum aliena prorsus, et separata a religione dicti hospitalis ad tuum beneplacitum, et liberam voluntatem vendendi, alienandi, et in alias quascumque personas transferendi, ac de illis tam inter vivos, quam in articulo mortis, seu ultima voluntate disponendi, dummodo tamen de aliqua portione bonorum arbitrio tuo juxta conscientiae et propriae devotionis dictamen declaranda religioni, et ordini praedicto per expressum legatum disponeres, seu testamento hujusmodi relinqueres, prout in literis magistralibus hisce desuper die vigesima sexta augusti MDCCLX. expeditis, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Tenor dispositionis factae a Carolo Ambrosio Lepri favore suorum filiorum.

§. 3. Post haec bonae memoriae Karolus Ambrosius Lepri genitor tuus supremum clausit diem, qui jampridem per apocham donationis inter vivos, die nempe decima nona novembris MDCCLXIII. signatam de omnibus suis bonis inter suos filios disposuerat, in primis constituens unam primogenituram scutorum biscentum millium monetae Romanae pro Josepho ejus filio secundogenito, tibique vineam extra portam Numentanam sitam, et Joanni itidem filio tertio genito scuta quinquaginta millia respective jure praelegati; concedens deinde reliquorum bonorum proprietatem tribus suis filiis praedictis aequis portionibus donavit, sub lege tamen perpetui fideicommissi agnatitii favore omnium descendentium masculorum ex masculo in masculum, inter descendentes eorumdem filiorum cum lineali reciproca substitutione, usque dum extaret masculus, aliisque sub conditionibus, et dispositionibus, praesertim vero cum libertate utilium, et residuorum ex redemptionibus, et appaltibus, ac negotiationibus provenientium, quae ab omni omnino onere fideicommissi exempta, et libera voluit, prout in apocha donationis hujusmodi, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Tenor novae compositionis initae cum eodem magno magistro ordinis, super opibus supervenientibus.

§. 4. Quocirca cum exinde facultatibus, ac opibus magis afflueres, memor impetratae veniae a magno magistro dicti hospitalis anno MDCCLX., ut praefertur, libere disponendi de bonis tuis, ne post tui obitum aliqua controversia de, et super liquidatione tuorum lucrorum, tum quippe adhuc cum tuis fratribus convivebas, oriretur, et ad omne pariter tollendum hisce desuper conscientiae scrupulum novas eidem magno magistro preces obtulisti ad impetrandam compositionem, pro qua summam scutorum octomillium monetae Melitensis promittebas; tuis precibus hujusmodi facile annuit praedictus magnus magister ipsis sub die decima tertia septembris MDCCLXXI. rescribendo gratiam petitam, cum conditione, de

qua in precibus oratori concedimus — videlicet soluta dicta summa scutorum octomillium Melitensium, ut in precibus, et rescripto praedictis, quorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Tertia compositio inita super utilibus negociationum, et appaltuum.

§. 5. Verum quia in supplici libello hujusmodi exposuisti, te a patre in simplicem haeredem usufructuarium tertiae partis haereditatis suae fuisse institutum, ac insuper cum nondum liquidata, neque divisa essent utilia negotiationum, et appaltuum silentio omnino praeteriisti, tibi, tuisque fratribus liberam dispositionem utilium, ac lucrorum hujusmodi fuisse a patre tributam, ad evitandam quamcumque subreptionis, vel obreptionis notam in obtenta compositione, tuaeque etiam conscientiae consulendum, magno magistro dicti hospitalis denuo supplex, narrata dictorum utilium libertate, compositionis praedictae confirmationem per rescriptum sub die IX novembris MDCCLXXI. ab ipso signatum impetrasti, ac subinde quoque a felicis recordationis Clemente pp. XIV. praedecessore Nostro per suas in simili forma Brevis die XXIII decembris MDCCLXXI. expeditas literas eidem magno magistro commissas, utraque memorata rescripta apostolica auctoritate confirmari, nec non declarari, ut peracta per te solutione dictorum octomillium scutorum Melitensium, liber, et absolutus esses, neque quidquam ratione spolii magnis magistris dicti hospitalis pro tempore existentibus, qui propterea nil amplius petere possent, relinquere deberes pariter obtinuisti, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Superveniis novis bonis per aliorum fratrum praedecessorum, novae implorantur facultates ad effectum de illis ad libitum disponendi.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat per mortem utrorumque fratrum tuorum sine filiis masculis, sed unica dumtaxat superstite foemina Josephi filia integrum paternum fideicomissum, tum qualitatem ejus agnatitiam masculinam, tum ob volitam a genitore tuo reciprocam linealem tui favore sit purificatum, ac etiam super bonorum fideicommissariorum hujusmodi libertate jam pendeat praeventum judicium coram A. C. Cinja, in vim tum dictorum rescriptorum magni magistri dicti hospitalis, cum etiam literarum apostolicarum, ut praefertur, a memorato Clemente praedecessore expeditarum de omnibus, et singulis tuis bonis disponere exoptans, irrevocabilem donationem inter vivos die XXVI decembris MDCCLXXXII. exarasses, eamque etiam apud acta Mariotti camerae Nostrae secretarii, et cancellarii exhiberi curasses; immo etiam usufructum in dicta donatione tibi reservatum postmodum die decima mox elapsi februarii cessisses, nunc autem haec omnia in iis partibus, quae sunt irrevocabilia ad publicum instrumentum reducere, ac legata, assignamenta, aliaque revocabilia in dicta donatione, aut in testamento, et codicillis ante eamdem donationem disposita pro arbitrio moderare, vel in totum, vel pro parte revocare, nec non de summa scutorum decemmillium monetae Romanae tibi ad effectum testandi reservata, scilicet quomodolibet disponere desiderans, licet de praememoratae compositionis, ejusque apostolicae confirmationis validitate, ac propterea de tua libera facultate disponendi de omnibus, ac singulis tuis bonis nullimode dubites; nihilominus, ut omnibus controversiis, seu litibus, quae in posterum emergere forsan poterunt, occurratur, quo praedicta duo rescripta, et compositionem a magno magistro dicti hospitalis concessa, et a dicto Clemente praedecessore, ut praefertur, confirmata firmius subsistant, ac serventur exactius, apostolicae firmitatis patrocinio communiri desideres. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Priores concessiones apostolica auctoritate confirmantur.

§. 7. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, duo praedicta rescripta, nec non compositionem inde secutam, ac literas apostolicas pro illorum confirmatione a memorato Clemente praedecessore, ut praefertur, expeditas, ac omnia in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac sanamus,

Conceditur facultas libere disponendi de bonis obtentis, sive per testamentum, sive per donationem.

§. 8. Tibique insuper, quatenus opus sit, ut licet in praedicta congregatione clericorum regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatarum professionem, et vota solemnia emiseris, ac etiam per tuum transitum a congregatione praedicta ad fratres cappellanos obedientiae magistralis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani ibidem pariter professionem regularem expresse emiseris, nihilominus de omnibus, et singulis tuis bonis stabilibus, mobilibus, immobilibus, ac semoventibus, aliisque omnibus sub quocumque nomine nuncupatis, disponendo dictam donationem inter vivos die XXVI decembris MDCCLXXXII. irrevocabiliter factam, nec non cessionem reservati usufructus die X februarii mox praeteriti signatam ratihabere, ac confirmare, seu ex integro iterum facere, et exarare libere, et licite possis, et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Sanatio nullitatum, et defectuum.

§. 9. Nos enim quamcumque nullitatem aut facti, aut juris, aut ex quacumque alia causa etiam incogitata provenientem, quae in dicta donatione, et subinde secuta usufructus cessione, occurrerit, aut revera occurrisse censeri, aut dici posset, auctoritate, et tenore praedictis validamus, et sanamus. Immo tibi de praedicta donatione, ac respective cessione pro ea parte, quae irrevocabiles sunt, publicum conficiendi instrumentum, aliaque revocabilia in praedicta donatione, aut in testamento antecedenter facto contenta moderandi in totum, vel pro parte revocandi, postmodum de summa scutorum decem millium tibi ad effectum testandi, ut praefertur, reservata per actum inter vivos, aut ultimae voluntatis, aut alias quomodolibet disponendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non votis solemnibus in professione regulari emissis, ac congregationis, et hospitalis praedictorum, et quatenus opus sit, camerae Nostrae, et fabricae sancti Petri de urbe etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, usibus, et actibus capitularibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXVIII.

Dat. Romae die 28. martii 1783. anno IX.

Confirmantur articuli pro hospitali amentium Civitatis Avenionensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties animo perpendimus a bono illo, aeternoque pastore humilitatem Nostram ad ejus vices in terris gerendas fuisse electam, qui cum charitas sit pro ovibus suis in ara crucis immolari voluit, quique cum in tremendo novissimae discussionis examine in Sede majestatis suae advenerit, singula in proximum

pietatis, et charitatis opera sibi ipsi facta, aut abnegata rependat, illaque electis, qui ea exercuerunt, memorabit comiter ad sempiternam retributionem, et gloriam, reprobis autem, qui ea abnegarunt exprobabit acriter ad aeternam perditionem, et poenam, magno quidem timore corripimur, ne Nos, qui plus caeteris in hoc mundo accepisse aliquid cernimur ab auctore mundi, gravius inde judicemur, quatenus praecipuam ministerii Nostri sollicitudinem ad miserabilium personarum morbosa praesertim corporum calamitate inter caeteras deploranda oppressarum necessitatibus occurrendum non impendamus. Quamobrem piis Christifidelium desideriis, quae huic Nostrae consonant voluntati, et debite, ut votivos sortiantur effectus, opem, et operam Nostram libenter concedimus, ac omnia, ac singula, quae ad horum executionem, et destinatorum operum stabilitatem, ac felicem, faustumque successum conducere possunt, quantum Nobis ex alto permittitur, ultro elargimur.

Expositio precum.

§. 2. Sane dilecti filii rectores societatis poenitentium de Misericordia nuncupatorum civitatis Nostrae Avenionensis exponi Nobis nuper fecerunt, quod jamdiu non sine gravibus sumptibus hospitale ad excipiendos amentes nedum civitatis, et comitatus Avenionensis, sed etiam aliarum civitatum, et comitatuum, soluta eidem hospitali exigua menstrua pensione erexarunt, ac construi curarunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tam proficuum, ac utile opus ob nonnullorum malitiam decreta, ac statuta vice-legatorum Avenionensium pro hospitalis hujusmodi stabilitate facta fraudantium deficeret, nisi novis constitutionibus, ac legibus illorum malitia compesceretur, ac iis apostolica auctoritas hinc cum exponentis praedicti efformaverint leges, ac statuta tenoris, qui sequitur videlicet.

ARTICOLO I.

De confirmatione hospitalis consequenda.

§. 3. Che l'ospedale de' pazzi stabilito in Avignone da monsignor Niccolini allora vice legato, li 16 settembre 1681, e che in seguito divenne comune ai pazzi del contado per la convenzione fatta fra gli stati della provincia, ed i rettori della Misericordia li 25 ottobre 1741. per gli atti dell'Horet notaro, sia confermato con tutte la facoltà, che seguono.

ARTICOLO II.

De directione hospitalis

§. 4. Che la condotta, e la direzione totale di detto ospedale appartenga intieramente, e privativamente alla opera pia, e divota compagnia de' penitenti Neri della Misericordia di Avignone, affigliata all'arciconfraternita della Misericordia di Roma, ed amministrata da un offizio generale composto di quaranta consiglieri perpetui, e da un offizio particolare composto di cinque amministratori, cioè del rettore anziano, del rettore moderno, e di tre amministratori, e questo tanto per lo stabilimento degli offiziali, guardie, custodi, domestici a loro arbitrio, e volontà, quanto per la direzione, mantenimento, e correzzione di tutte le persone dei due sessi in esso racchiuse per causa di pazzia per contenerla in tutte le furme, e maniere che riputeranno, e crederanno necessarie, facendole ancora legare, ed incatenare, secondo la loro prudenza, intendendosi tutto ciò, ancorchè i componenti l'offizio particolare, che sono, come si è detto, il rettore anziano, il rettor moderno, o i tre amministratori, cambiassero tali nomi, e si chiamassero diversamente.

ARTICOLO III.

De iis, qui in hospitali recipi debent.

§. 5. Che tutte le persone de' due sessi tanto di Avignone, che del contado ricchi, e poveri, che si trovino attaccati da pazzia, siano condotte in detto ospedale, per esservi custodite invariabilmente sino che sieno guarite, o sino alla loro morte, se non possono pervenire ad essere guarite; e che conseguentemente i consoli della città e villaggi, dove un qualsisia abitante diverrà pazzo, siano tenuti di farlo trasportare in detto spedale, senza la minima dilazione per qualunque causa potesse esservi, e senza poterlo di loro autorità ritenere in alcun luogo; ma se uno de' prossimi parenti di tal pazzo, e pazza vuole curarlo nella sua propria casa, allora ne abbia egli la privativa, ad esclusione di esso spedale, con che in tal caso detto parente sia responsabile non solo della persona pazza, ma ancora dei casi dispiacevoli, che potranno seguirne. Ed inoltre che sia proibito ad ogni persona di qualunque grado, stato, condizione e qualità tanto secolari, che regolari di ricevere, e tenere a titolo di pensionarj nelle loro case rispettive sia d'Avignone,

o sia del contado alcun insensato, o insensata tanto d'Avignone, e del contado, che forastiera, salvo che non fosse qualchednno da' suoi prossimi parenti, ed il tutto sotto pena di una multa di cento cinquanta lire, da incorrersi in ipso facto da ciascun contraveniante, ed applicabile per un terzo al fisco, un terzo al detto spedale, ed un altro terzo al denunciante, il quale sarà tenuto segreto, e che in tutti i casi, in cui un insensato, o insensata sarà sotto la guardia e cura de' suoi parenti siano questi tenuti d'informarne subito monsignor vice legato, il quale gli autorizzerà a questo, se realmente sono parenti, e non altrimenti, e ciò ancora sotto la pena della suddetta multa, come sopra, dichiarandosi però che se qualche regolare dell'uno, e dell'altro sesso cadrà in pazzia, si possa ritenere, e curare ne' rispettivi conventi, se così piacerà ai superiori delle rispettive religioni.

ARTICOLO IV.

De visitatione hospitalis facienda.

§. 6. Che ad effetto non possa sopravvenire alcùn abuso nella continuazione della detenzione degl' insensati, o insensate tanto d'Avignone, e contado, quanto anche forastieri, che saranno ricevuti in detto spedale, sia esattamente osservato il savio costume già da lungo tempo stabilito, cioè che ciascuno dei monsignori vice legati, che pro tempore riempiranno il governo di Avignone, e contado di Venaisino, vada due volte l'anno di sei in sei mesi, ed inoltre in tutte le volte, che gli piacerà a far una visita esatta di detto spedale, e parlare con ciascuna delle persone in esso ritenute, affine di sentire i di loro richiami, se ve ne è di bisogno, e di dare la libertà a qualsivoglia persona, se ve ne sia, che, avendo ricuperato l'uso perfetto del suo buon senso, non sia stata ancora rilasciata; che in conseguenza il detto spedale, il quale si trova così ben situato sotto gli occhi del governo, ed a portata del palazzo apostolico, sia il solo privilegiato per tenervi rinchiusi tutti gl' insensati, ed insensate tanto di Avignone e del contado, che forastieri, senza potersone mai stabilire dei simili in altro quartiere della detta città di Avignone, e molto meno in qualsivoglia luogo del contado Venaisino.

ARTICOLO V.

De pauperibus gratis recipiendis.

§. 7. Che riguardo ai pazzi Avignonesi quelli, che si troveranno o mendicanti, o senza alcuna sorte di beni, sieno gratuitamente ricevuti in detto spedale, ma ogni volta e non altrimenti, per mezzo di un biglietto sottoscritto da due consoli di Avignone, i quali lo manderanno ad uno dei rettori della detta opera pia della Misericordia, ad effetto che metta sotto detto biglietto l'ordine al custode di ricevere tal insensato, o insensata, e ciò in corrispettività della somma di seicento lire, che la detta città paga annualmente al medesimo spedale, e continuerà d'essa a pagare sopra il prodotto annuale dell'appalto del tabacco, e delle tele dipinte; che al contrario i poveri insensati, o insensate, che non sono nativi di Avignone, ma abitanti di essa, non sieno ricevuti, che provisionalmente in detto spedale, e che se la loro pazzia, dopo i primi rimedj usitati, è sempre la stessa, e pare divenire incurabile, l'uffizio particolare di amministrazione sia obbligato di farli trasportare nel luogo stabilito per i poveri pazzi della provincia, di dove sono nativi, e dove sono sempre ricevuti per diritto; ancorchè sieno andati ad abitare altrove; che finalmente se tali poveri insensati, o insensate si trovino essere nativi di una città, o villaggi del contado Venaisino, la comunità del detto luogo sarà tenuta allora di pagare per essi al detto spedale, come si dirà all' articolo VIII.

ARTICOLO VI.

De aliis, qui recipiuntur in diversis locis piis.

§. 8. Che tutti quelli tanto Avignonesi, che altri, i quali essendo ricevuti in un opera pia, come la limosina generale, gli orfani, ed altre, o ancora in qualunque altro corpo che non sia opera pia, caderanno in pazzia, sianno ammessi in detto spedale, dovendo però l'opera pia, o altro corpo che sia fornire gli alimenti, e vestimenti ordinarj a tale insensato, o insensata, seppure la detta opera pia o altro corpo non stimerà meglio pattuire un assegnamento in denaro coll'offizio particolare di amministrazione di detto spedale.

ARTICOLO VII.

De onere denunciandi amentes.

§. 9. Che riguardo alle persone sia di Avignone, o ivi domiciliate, le quali possedendo

beni, o entrate, si troveranno senza parenti nelle loro abitazioni, nel momento, che caderanno in pazzia, siano tenuti i vicini di darne subito avviso all' uffizio particolare di amministrazione, il quale verrà a far apporre il suggello della detta Misericordia sopra tutti gli effetti di tal casa, o appartamenti per mezzo del loro segretario, e procuratore. Che in seguito essi procedano all' inventario dei beni, che sottoscriveranno unitamente a due testimonj, avendo però antecedentemente chiamati i parenti, se ve ne sono, ad assistervi; e che se allora, quando si sarà verificato per mezzo di detto inventario, quali siano l' entrate di tale insensato, o insensata, sia in libertà di detti parenti di avere la privativa, ed esclusione di detto spedale, per divenire legittimi amministratori de' riferiti beni, ed entrate, obbligandosi per altro verso detto uffizio particolare della detta Misericordia, di pagare per tale insensato o l' assegnamento della tassa della comunità del contado Venaisino, se l'entrate non arrivino a questa somma, e se sono anche inferiori; o al contrario l' assegnamento della tassa del quartiere segreto di detto spedale se l'entrate sopravanzano detta somma, non compresi in detto assegnamento gli abiti, biancheria, vestimenti, ed ancora i medicinali, i quali non concernono il male della pazzia. Che nel caso che i parenti non vogliano caricarsene, cioè dell' amministrazione di detti beni, ed al tempo stesso del pagamento di detto assegnamento, o nel caso che non vi sia alcun parente, il detto offizio particolare della Misericordia, divenga allora legittimo amministratore di detti beni, ed entrate di tale insensato, o insensata; e se le dette entrate arrivino alla tassa dell' assegnamento delle comunità del contado, servano di pagamento all' ospedale per l' assegnamento di tal insensato, il quale sarà situato nello stesso quartiere, dove stanno i nativi del contado; se finalmente le dette entrate non arrivano alla suddetta tassa dell' assegnamento delle comunità del contado, il medesimo offizio particolare della detta Misericordia possa servirsi dei fondi di tale insensato per compire il pagamento della prescritta pensione, i quali fondi possa vendere a quest' effetto di sua propria autorità, interpellati tuttavolta i parenti se ve ne sono, ed il tutto sotto una ordinanza di monsignor vice legato, e senza spese di sorte alcuna giudiciarie, e che quello che potrà restare della vendita di essi fondi, allorchè lo spedale sarà stato pienamente soddisfatto degli assegnamenti dovuti, e di tutto altro, che avrà potuto fornire per vestimenti, e medicinali fuori di quelli per i mali di pazzia, appartenga alla morte di tal insensato ai parenti più prossimi del medesimo; ma se dopo aver venduti tutti i fondi de' beni di tal insensato, o insensata, non resti esattamente niente per continuare a pagare il suo assegnamento, il detto offizio particolare sia tuttavia tenuto a continuare a ritenersi, e curarsi gratuitamente fino che siano guariti, o fino alla loro morte, se la pazzia diviene incurabile.

ARTICOLO VIII.

De amentibus natis in oppido Venaysino.

§. 10. Che per quello concerne ogni e qualunque insensato, o insensata nati in una città, o villaggio del contado Venaisino, o che vi saranno domiciliati nel tempo della loro caduta in pazzia, tale comunità sarà senza pregiudizio dei diritti della provincia caricata di pagare, come è stato stabilito da sei anni a questa parte, e come è stato confermato nell' ultima assemblea dei tre stati della provincia ventiquattro lire di assegnamento il mese per gli alimenti, e che si continui la stessa fino a che in avvenire l' aumento delle derrate possa dar luogo ad aumentare la tassa di detta pensione, ed in quel caso la medesima assemblea sia precedentemente invitata a portare il detto assegnamento ad una tassa più alta relativa, e proporzionata all' aumento delle derrate, come si è successivamente praticato per lo passato, atteso che non è possibile fissare con equità una tassa invariabile per un assegnamento alimentario per sempre in avvenire; o ciò ogni qual volta che li monsignori vice legati non amino meglio loro stessi di ordinare allo comunità tale aumento, quale verrà suggerito dalla loro prudenza, secondo il bisogno suddetto, che potrà sopravvenire, come hanno praticato molte altre volte con diverse ordinanze da loro rese a quest' effetto. Che inoltre allorchè succederà qualche caso fra più comunità del contado suddetto per il pagamento dell' assegnamento per tale insensato, o insensata, sia sempre la comunità, in cui tal uomo, o donna sarà caduto in pazzia, che pagherà detto assegnamento alimentario al detto spedale (salvo il ricorso di quella comunità contro l' altra, che essa

crederà proprio) e che il medesimo spedale non sia mai nel caso di correre appresso per il suo pagamento, il quale mai deve essere ritardato per qualunque causa; e che in conseguenza sia proibito a detto offizio di amministrazione di mai questionare per quest'oggetto, ed ancora di mai ricevere alcun pazzo del contado, senza che precedentemente non sia stato pagato l'assegnamento alimentario di tal pazzo, o pazza al tesoriere del suddetto spedale per quattro mesi anticipati per parte dei consoli di tale comunità, dove tal'uomo o tal donna sarà divenuta pazza, e senza che detti consoli non abbiano ottenuto ordine da monsignor vice legato ad effetto che detto pazzo, o pazza sia racchiuso nel medesimo spedale di Avignone, e del contado della detta Misericordia.

ARTICOLO IX.

De iis, qui in loco secreto recipiuntur.

§. 11. Che riguardo ai pazzi sia di Avignone, sia del contado, ed anche forastieri, che i loro parenti vorranno situare nel quartiere segreto di esso spedale, per esservi meglio alloggiati, ed alimentati, i detti parenti, tratteranno con detto offizio particolare di amministrazione relativamente all'assegnamento alimentario che deve essere pagato, secondo i patti particolari, in cui verranno insieme d'accordo, e gli presenteranno la fede del battesimo, l'attestato del medico, il quale spiegherà il genere di follia, e finalmente il consenso sottoscritto almeno da tre dei più prossimi parenti, e di più una lettera del vescovo diocesano, allorchè sia questione di un prete, affinchè uno dei rettori munito di questi documenti possa prodnrli a monsignor vice legato per ottenerne l'ordine verbale di riceversi, in seguito di che i detti documenti saranno registrati nel libro particolare di tali pensionarj, e nel loro ingresso sarà ad essi dato un nome di santo, affinchè il loro proprio nome sia tenuto segreto; e finalmente che i custodi, o i domestici non permettano a qualsisia persona d'introdursi (se non ha un biglietto sottoscritto da uno de'cinque amministratori) nel quartiere segreto dove alloggiano tali pazzi, a meno che non fosse un consigliere, o qualche altro offiziale dell'opera.

ARTICOLO X.

De jure custodum.

§. 12. Che sia pagata ai custodi una volta solamente la somma di tre lire di diritto di entrate per ciascuno de' pazzi, eccettuati quelli provenienti dal contado, allorchè saranno ricevuti in detto spedale. Che gli amministratori abbiano cura di avvisare, allorchè i parenti condurranno tali insensati, che in caso di morte, o di uscita di essi, saranno loro resi i mesi completi, i quali essendo stati pagati anticipatamente, non siano stati guadagnati per il soggiorno di tali pensionarj, ma che il pro rata dei giorni, che si troverà non arrivare ad un mese, rimarrà a profitto dello spedale.

ARTICOLO XI.

De dimissione infirmorum.

§. 13. Che nessuno degli amministratori possa permettere l'uscita di alcuni di quelli insensati, che pagano assegnamento, e che il solo offizio particolare possa ordinarla, a seconda delle ragioni, che potranno dar luogo alla uscita degl'insensati, e dopo essersi prima assicurato, che non vi resta assolutamente niente da riscuotersi per la pensione di tal insensato, o per altri oggetti per negligenza non soddisfatti. In conseguenza sia espressamente proibito di accordare l'uscita di tal insensato, se antecedentemente non sia stato sborsato tutto ciò, che si troverà esser dovuto all'opera pia; e in difetto dell'esatta osservanza di questa regola per parte degli amministratori, saranno essi tenuti a pagare del proprio detto reliquato allo spedale.

ARTICOLO XII.

De non recipiendis infirmis ad vitam.

§. 14. Che sia espressamente proibito al suddetto offizio particolare di poter concludere alcun trattato per prendere un pensionario a vita, se prima non vi abbia deliberato l'uffizio generale dei consiglieri, e che inoltre l'offizio particolare non possa ammettere alcun forastiere in detto spedale, se non si paga un assegnamento superiore alla tassa di quelli, che pagano le comunità del contado.

ARTICOLO XIII.

De pensione ab alienigenis solvenda.

§. 15. Che l'offizio particolare sia obbligato esigere dai forestieri, che vorranno godere la facoltà di far racchiudere i loro parenti per causa di pazzia, una buona, e sufficiente sicurtà in detta città di Avignone per il pagamento dell'assegnamento, e fornitura di biancheria,

vestimenti, e medicinali, che non sono quelli concernenti il male della pazzia. In mancanza di questa indispensabile sicurtà, gli amministratori saranno responsabili verso detto spedale di ogni perdita potesse soprsvvenire su quest'oggetto.

ARTICOLO XIV.

De segregatione virorum, et mulierculorum.

§. 16. Che vi sia un muro divisorio, il quale separi gli alloggi degl'insensati da quelli dello insensate, di modochè non vi possa essere comunicazione fra i pazzi dei due sessi, e che allorchè qualcheduno venisse a scappare da detto spedale, i rettori possano dar ordine agli officiali della Marechaussée, per fargli correre appresso i cavalieri della medesima, con che però debbano gli stessi rettori renderne istantaneamente inteso monsignor vice legato, e ciò per ogni buon fine, ed effetto; ed avendo ricondotti i fuggiti insensati, saranno essi officiali pagati dal detto spedale del da loro sborsato (se lo hanno fatto) per cibarie, ed alloggi nalle locando, senza poter pretendere niente di più assolutamente.

ARTICOLO XV.

De jure rectoris.

§. 17. Che resti all'arbitrio, o prudenza dei rettori dell'opera pia di ammettere nello spedale le persone, che si presenteranno per vedere, o visitare i pazzi in esso ritenuti, e che la detta opera pia della Misericordia di detto spedale continui ad avere il privilegio esclusivo di questuaro pubblicamente per mezzo de'confrati nella detta città di Avignone, ed alle porte delle chiese, e cappelle di essa città per sollievo de'poveri pazzi, e dei prigionieri, bene inteso però, che rispetto alle questue dalle porte delle chiese e cappelle debba riportarne il permesso, e l'approvazione di monsignore arcivescovo della stessa città.

ARTICOLO XVI.

De hospitalis thesaurario.

§. 18. Che il tesoriere di detto spedale non possa ricevere a meno di quattro mesi anticipati gli assegnamenti di sopra stabiliti, o che saranno convenuti, senza potere accordare ai debitori di quelli la minima dilazione, trattandosi di pensione alimentaria, e che per detti assegnamenti i debitori non possano essere ammessi a opposizioni, o grazie moratorie per qualunque causa possa essere, o che siano esatti con il maggior rigore *more fiscalium debitorum* per la sola via, ed esibizione delle presenti, o attestati di esse, senza forma, nè figura di giudizio.

ARTICOLO XVII.

De foro competenti in causis hospitalis.

§. 19. Che tutte le cause in qualunque modo concernenti il pagamento degli alimenti, o altri appuntamenti per i poveri insensati, o il ricevimento, ritenzione, o dimissione de' medesimi contro qualunque persona di qualsivoglia grado, e condizione tanto del paese, che forastieri, ed in qualunque tribunale di questa città, e contado, le quali si trovino intentate, o da intentarsi anche contro le comunità delle città, e villaggi, contro tutti i corpi secolari, o regolari, e tutte persone privilegiate, sia proceduto more fiscali sommariamente, semplicemente, e *de plano, ac sine figura judicii, omnibus appellatione, ac recursu remotis* avanti i monsignori vice legati ad effetto, che le suddette cause senza dispendio, e ritardo siano ben tosto spedite non ostante qualunque bolla, legge, statuto, regolamento, stile di curie, ed anche costituzioni apostoliche, ancorchè dovessero essere più espressamente, o specialmente individuate, alle quali sia derogato per sempre.

ARTICOLO XVIII.

De dilatione a creditoribus concedenda.

§. 20. Che qualsivoglia creditore generalmente di detta opera pia non possa fare, nè far fare alcuna esecuzione per il pagamento corrente delle pensioni, che dopo un mese dal termine della scadenza, sotto pena di nullità, e che detti creditori siano inoltre tenuti di venire a domandare i loro pagamento, allorchè si tiene l'officio particolare, il quale si aduna ogni venerdì in detta Misericordia, e di accettare i mandati, che saranno loro lì stesso spediti, e sottoscritti da tre de' cinque amministratori per presentarli in seguito al tesoriere della detta opera pia, il quale sarà obbligato di pagare tali mandati, dopo la quietanza posta sotto dai detti creditori.

ARTICOLO XIX.

De notariis, scriptoribus, et procuratoribus.

§. 21. Che tutti i notari, scrivani, e procuratori non possano far significare alcun atto

concernente la detta opera pia altrove, che all'offizio di essa o suo legittimo procuratore, senza poter mai per qualunque causa farne significazione certa ai rettori, o altri officiali in persona, nè nelle loro case, sotto pena di nullità.

ARTICOLO XX.

De instrumentis piae operae tradendis.

§. 22. Che sia ordinato inoltre a tutti i notari tanto di Avignone, che del contado di portare all'offizio di detta opera pia gli estratti de' legati, o altre disposizioni fatte nei loro protocolli a profitto della detta opera pia nel termine di otto giorni per i notari di Avignone, e di ventidue per quelli del contado, dopo che avranno aperti tali atti, per essere subito registrati dagli archivisti della Misericordia nei libri a tal'effetto destinati, e che mancando detti notari di avere così fatto verso la detta opera pia, divengano essi responsabili della perdita, che potesse alla medesima risultarne, per non esserne stata diligentemente istruita.

ARTICOLO XXI.

De juribus hospitalis.

§. 23. Che tutte le fondazioni, legati, donazioni, elemosine, ed altri diritti qualunque, che potranno sopravvenire in favore di detta opera pia rimangano per sempre irrevocabilmente, ed a pieno diritto acquistato alla medesima, senza potere giammai essere trasportate altrove, affinchè la intenzione de' donatori, ed altre persone caritatevoli vi sia sempre esattamente eseguita.

ARTICOLO XXII.

De privilegiis ipsius.

§. 24. Che la detta opera pia goda di tutti i diritti, privilegj, esenzioni d'imposizioni, di diritti, d'introduzione generalmente qualunque, e di dogana, e di tutte altre franchigie, libertà, ed immunità, delle quali ha goduto finora, senza che possa farsi il minimo ostacolo, e difficoltà alla detta opera pia della Misericordia per questo oggetto, e che i cinque amministratori della medesima siano esenti di tutela, e di tutte le cariche municipali, durante il tempo della loro amministrazione.

ARTICOLO XXIII.

De guardiis, et custodibus.

§. 25. Che la detta opera pia essendo solita di tenere quattro guardie, e custodi coll'uniforme già stabilito per guardare detto spedale, come ancora due mandatarj di onare, de' quali si servono le persone più comode di Avignone nelle pompe funebri, e per far sapere per la città la morte di tale, o tale persona ai parenti, ed amici del defonto per assistere al di lui funerale; che però da quelli, che vorranno servirsi di detti mandatarj di onore, possa la medesima opera pia ritrarne il valore di tre libre di cera per ciascun giorno di servigio, che presterà ciascuno di essi mandatarj d'onore, che la suddetta opera pia fornirà, e ciò sia fissato invariabilmente.

ARTICOLO XXIV.

Monitum ad officiales.

§. 26. Che affinchè tutte le precedenti regole risguardanti l'amministrazione dell'ospedale de' pazzi di Avignone, e del contado, siano più esattamente osservate, ogni consigliore dell'offizio generale di datta opera pia viene esortato a formare opposizione in tutto ciò che potesse esser fatto in pregiudizio, ed inosservanza di ciascuna di dette regole, e che questa opposizione sia in seguito decisa dai monsignori vice legati, (senza forma, nè figura di lite) ai quali apparterrà la interpetrazione di dette regole, le quali devono essere osservate fedelmente ed invariabilmente in perpetuo.

Preces porrectae pro confirmatione apostolica.

§. 27. Quo igitur praeinserta articula firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 28. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, cupientes tam pium, ac salutare opus alias incohatum perficere, praeinserta articula auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilia apostolicae firmitatis robur adjungimus, ac omnes, et singulos juris, at facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 29. Decernentes easdem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 30. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ejusdem societatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliss in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava martii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 27. martii 1783. anno nono.

CDXXIX.

Erectio episcopalis ecclesiae Tudelensis

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad universam agri Dominici curam, et inspectionem, ubi primum fuimus, ex divinae bonitatis consilio, nulloque Nobis assistente meritorum suffragio vocati, nedum Nos plane ad hoc constitutos esse intelleximus, ut juxta verbum propheticum prava litium germina avellere, ac noxia quaeque curaremus destruere, ut fructuosa plantaremus, atque aedificaremus utilia, sed vicissim agnovimus vigilis esse, et industrii agricolae studium praecipuum, ut ubi inspexerit partem aliquam ipsius agri bonis undique florentem arboribus, illic satagat coloniam instruere, novumque praeficere cultorem, ut circa eam duplicatis operariorum labore, et industria nullum in posterum, quod mereatur succidi germen appareat, sed herbis ita salubribus virescere videatur, ut dulcia pabula fiant, quae gregem eo advenientem valeant saginare, ac denique repetente Domino cujusque villicationis rationem, et Nos de injuncto nobis munere gaudeamus, et de traditis quisque sibi talentis relatos fructus uberius ei possit exhibere.

Exponitur praestantia civitatis Tudelae, et magnificentia ecclesiae matricis B. M. Virginis dicatae.

§. 2. Cum itaque, sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici per dilectum filium Hieronymum ducem de Grimaldi ejus apud Nos, et Sedem apostolicam oratorem Nobis facta nuper accepimus, in satis conspicuo nomine suo Navarrae regno insigne, ac perantiquum oppidum civitatis nuncupatum Tudelae nullius dioecesis, aeris salubritate, solique, ac rerum humanarum feracitate, et opulentia, nec non habitatorum numero ad duodecim mille, quos inter plurimae illustres nobilitate, paucissimae vero pauperes respective numerantur familiae ascendentium. Charissimum cum suo magistratu pro illius temporali regimine existat, quod inter caetera, et elargita privilegia illo vocis comitiis ipsius regni pro tempore habendis gaudet, et in quo diversis, et successivis temporibus moram, et sedem Navarrae reges habuere, et generalia ipsa praedicti regni comitia celebrata extiterunt, ac praeter octo diversorum ordinum, et institutorum regularium conventus, et quatuor sanctimonialium monasteria, clerique saecularis amplitudinem, pluresque parochiales ecclesias, nec non tria, unum videlicet pueris projectis addictum, ac aliud peregrinorum curandorum, et reliquum magnifice extructum, et dotatione conspicuum, cum suo vicario, ac tribus cappellanis, pluribusque inservientibus probe munitum pro infirmis, tam civibus, quam exteris excipiendis respective instituta hospitalia, veluti mater existat saecularis, et insignis collegiata ecclesia sanctae Mariae nuncupata in sua constructione fortis, et ampla, elegantique forma ex munifi-

centia, ac pietate eorumdem Navarrae regum fundata, tribus navibus cum suis in forma crucis disposita brachiis, et choro centum stallorum pro varietate, et ordine classium distributorum numero referto, ac sacrarium supellectilibus, sacris vasis, et parameutis ad pontificalia exercenda abundanter instructum habens, et unica plane in toto regno Hispaniarum existens, in qua stantibus omnibus, tam canonicis, quam caeteris infrascriptis eidem choro interessentibus non mediocri populi aedificatione divina celebrantur officia, cum suis insuper organo, magistro musices, sufficientique musicorum numero, nec non clericis, sacrista, aliisque caeteris pro servitio dictae collegiatae ecclesiae annuali stipendio mancipatis.

Describuntur dignitates, canonici, aliique beneficiati ecclesiae collegiatae.

§. 3. Hujus autem tam insignis collegiatae ecclesiae capituli, quod quatuor dignitatibus, videlicet decanatu cum ei perpetuo canonice unitis canonicatu, et praebenda dictae collegiatae ecclesiae, quae ibi principalis, et de jurepatronatus dicti Caroli regis ex fundatione, vel dotatione, aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum fore dignoscitur, ac cujus etiam canonicatus, ac praebendae illi, ut praefertur, unitorum hujusmodi fructus, redditus, et proventus ad quadraginta quatuor mille, ac ducentos, et octoginta quatuor regales de Vellon monetae illarum partium annuatim ascendunt, cuique palatium ipsi contiguum collegiatae ecclesiae januam habens in illius claustro praefatis, superque competenti decani habitatione, adeo sua latum mole, ut in eo cl. mem. Philippus eo nomine V. dum viveret Hispaniarum rex catholicus, una cum toto ejus comitatu fuerit hospitio exceptus, ac thesaurariatu, qui secunda, ac cantoria, quae tertia, ac scholastria, quae quarta respective dignitates, quarum cujuslibet annuus redditus summam quinque millium regalium hujusmodi attingit existunt, nec non septemdecim canonicatibus, totidemque praebendis, quarum una decanatui praedicto reperitur unita, ut praefertur, ac alia magistralis, ac alia doctoralis, seu theologalis, ac alia demum vicarialis, et respective poenitentiaria etiam existunt, ac quarum quaelibet summam sexmillium regalium parium annuo habet in reddito, ac quinque insuper portionibus, quarum altera vicaria nuncupatur; unaquaeque vero illarum trium millium, et tercentorum regalium similium annuo gaudet reddito.

Enumerantur loca subjecta decanatui ecclesiae, qui mitrae, et baculi usu gaudet sub dioecesi nullius.

§. 4. Ac praeterea tribus subcanoratibus, et quadraginta, et amplius cappellaniis, quas respective obtinentibus interessendi choro dictae collegiatae ecclesiae onus incumbit componitur. Decanus ipse caput esse noscatur, qui mitrae, et baculi pastoralis usu gaudet, ac territorium separatum, et districtum, videlicet ex dicto oppido civitate, ut praefertur nuncupato Tudelensi, et septem aliis sibi subjectis locis, uno scilicet de Ablitas, ac alio de Marchante, ac alio de Fontellas, ac alio de Rivaforada, ac alio de Arzante, ac alio de Pedriz, ac reliquo de Murillo de las Limas respective nuncupatis constans, in quo domiciliatos inter, ac simpliciter residentes numerus viginti sex millium animarum, circiter comprehenditur habet, et in eo jurisdictionem quasi episcopalem ex repetitis apostolicae Sedis indultis exercet, ita ut ex praemissis omnibus, et ipsum oppidum civitas, ut praefertur nuncupatum Tudelae, quod plures quidem episcopales Hispaniarum hujusmodi civitates praestat, ut ad civitatis, et ipsum episcopatus honorem evehatur, et collegiata ecclesia praedicta ad cathedralis ecclesiae statum, et dignitatem sublimetur jure optimo videatur mereri.

Memorantur aliae rationes quae intercedunt, ut novus episcopatus erigatur.

§. 5. Cumque, ut similiter accepimus ad hujusmodi opus explendum plurima etiam accedant, et urgeant necessitatis pariter, atque utilitatis objecta, non secus ac reparandi animarum civium, et habitantium infrascriptorum exitio, et jurgiorum seminum extirpandorum gravissima rationum momenta, videlicet, quod licet dictae collegiatae ecclesiae decanus, qui pro tempore fuit, usque a suae dignitatis decanalis exordio jure, tam optimo, tamque probato jurisdictione sibi attributa hujusmodi in suo districtu, seu territorio praedicto ab ordinaria cujusvis, ac praesertim vicini episcopi Tirasonensis jurisdictione perfrui debuerit, et usque debest in praesens; secus vero Tirasonensis episcopus suam quoque, praescriptam tamen et limitatam, in hujusmodi decanali districtu, seu territorio ad tres solummodo scilicet usurae, ac haeresis, et matrimonii respective casus jurisdictionem habeat, percipiatque propterea quartam ipsius districtus, seu territorii decimarum partem pro unius ad id inducti tribunalis manutentione; nihilominus a tempore memoriam hominum excedente: alteram quoque nimirum decanalem hujusmodi jurisdictionem super jurium dioecesanorum, atque honorum exercitio,

nec non beneficiorum ecclesiasticorum provisionibus, aeque ac sacramentorum administratione, et confessariorum approbatione eidem decano ipsius collegiatae ecclesiae contendere totis viribus expertus fuit, ex quo tam ruinosa litigia inter ipsum episcopum, ac capitulum, et canonicos ecclesiae Tirasonensis ex una, nec non decanum, ac capitulum, et canonicos praedictes ejusdem collegiatae ex altera partibus exarserunt, ut plurium saeculorum spatium ad illa quomodelibet compescenda, baud extiterit sufficiens, et quamvis de anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo fel. rec. Julius pp. V. praedecessor Noster per suas literas apostolicas jura omnia praedicta, quae ab episcopo Tirasonensi, ut praefertur contendebantur super ipso territorio Tudelae supradicto decano ipsius collegiatae ecclesiae antea, ut supra, concessa perpetuo confirmaverit, quo medio tutum putabatur fore, ut episcopus, ac capitulum, et canonici Tirasonenses praedicti, tunc et pro tempore existentes ab bujusmodi litigiorum genere adversus dicti decani jura desisterent, hoc non obstante lites, et contestationes praedictae ex tunc eo fortius invaluerunt cum incredibili spirituali exitio civium dictae Tudelae, Illiusque districtus babitantium praedictorum, super quorum capitibus funesta litium hujusmodi damna ceciderunt. Vigentibus enim bisca discordiis, et contestationibus, illarum causa continuae seditiones in populo, seu civibus praedictis suboriebantur, et quibus uni, quibus vero alteri partium praedictarum faventibus scandala, provocutiones, et bomicidia etiam fuerunt sequuta. Quod inde itidem effecit, ut ab eodem anno millesimo quingentesimo duodecimo ipsius civitatis, ut praefertur nuncupatae Tudelae, ejusque districtus praedicti respective babitatores hujusmodi confirmationis sacramento caruerint, et succedentibus novis Tirasonensibus episcopis, novisque ipsius collegiatae ecclesiae decanis, quum ipsa jugiter iusurrexisset quaestionis materia, tam ultro progressum fuit, ut recurrente de anno ejusdem Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo primo completo orbis universalis jubilaei largitione apostolica, vicissim binc denuo contendentibus episcopo Tirasonensi, et dictae collegiatae ecclesiae decano, tunc respective existentibus praedictis super illius publicatione, quam eorum uterque facere conabatur, ob hujusmodi contentiones illud minime publicatum, proindeque cives Tudelenses, totiusque decanalis districtus praedicti babitatores supradicti, tam pretioso Ecclesiae thesauro orbati remanserint, fataliqne huic jacturae venit etiam addendum, quod stantibus tunc hisce discordiis, eo usque adventum est, ut de validitate licentiarum sacramentales excipiendi Christifidelium confessiones, et ecclesiastica administrandi sacramenta dubitaretur, quae omnia quum exitialia singulis babitantibus praedictis vere fuissent, eorumque plura conscientias everterent obstreperentque, undique cum vicinorum quoque populorum scandalo, dictus Carolus rex, ad cujus audientiam, semel ac iterum civium, et habitantium praedictorum querelae, damna, et incommoda ex litibus bujusmodi provenientia delata fuerunt perspectum habens, quod usque de anno praedicti Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo clarae memoriae Philippus II., et deinde Philippus, eo quoque nomine III., dum viverent reges catbolici praedecessores sui de anno ipsius Domini millesimo sexcentesimo decimo in exterminandis eisdem litibus post varias ab eis respective ad boc susceptas provisiones operam perperum impenderant, planeque inde praenoscens fieri non posse, ut contentiones, dissidia, et lites hujusmodi, nec in toto, nec in parte eliminentur, seu componantur, nisi penitus evellatur dissidiorum, et jurgiorum ipsorum semen, et radix mediante dicti decanatus, qui per obitum quondam Martini Valdemoro illius, dum viveret, ultimi possessoris ipsius collegiatae ecclesiae decani extra Romanam curiam defuncti ad praesens vacat suppressione, et extinctione, ac unius in dicta civitate, ut praefertur, nuncupata Tudelae sedis, et dignitatis episcopalis erectione id postulantibus eisdem ipsius collegiatae ecclesiae modernis capitulo, et canonicis, ac magistratu, et civibus Tudelensibus, caeterisque territorii, seu districtus decanalis bujusmodi babitatoribus antedictis dilectis respectiva filiis pro spirituali pabulo, et conscientiarum suarum tranquillitate obtinendis pro catbolici principis pietate, et vigilantia in boc providere percupiens rem omnem suae regiae camerae consilio perpendendam remisit, quae inde in re tanti momenti expositionum, et scripturarum communicatione respective partibus facta, earumque responsionibus, juribus, rationibus, ac omnibus, et singulis circumstantiis maturo examini redactis, probeque expensis, post plu-

rium annorum lapsum de anno demum Domini millesimo septingentesimo septuagesimo quarto eidem Carolo regi in sua desuper habita consultatione, sub die tamen vigesima quarta mensis novembris anni proxime praeteriti publicata referre in Domino sensit. Quod tam praejudicialibus litigiis, quibus hactenus non fuit, nec esse poterit spes aliqua compositionis aliquando cum civium, et habitantium praedictorum utilitate removendis, penitusque terminandis antedicti decanatus ipsius collegiatae ecclesiae suppressio stante potissimum illius vacatione praedicta unicum esset expediens.

Utilitates quae ex nova erectione provenirent enumerantur.

§. 6. Quodque de caetero, si in dicto oppido civitate, ut praefertur, nuncupato Tudelae unus episcopatus institueretur, ac dicta collegiata ecclesia in cathedralem ecclesiam, decanatus autem sic suppressus praedictus in dignitatem episcopalem respective erigerentur; dioecesis vero Tudelae, ex ipso decanali districtu, seu territorio satis competente efformaretur, ac demum pro mensae episcopalis Tudelensis dotatione constituenda primum dicti supprimendi decanatus, eique, ut praefertur, uniturum canonicatus, et praebendae ipsius collegiatae ecclesiae fructus, redditus, et proventus, insimul ad quadraginta quatuor mille, ac ducentos, et octoginta quatuor regales similes annuatim, ut praefertur, ascendentes, deinde redditus perpetui simplicis, et personalem residentiam non requirentis beneficii ecclesiastici prioratus nuncupati in parochiali ecclesia terrae de Caparosso Pampilonensis dioecesis, quae a dicta civitate, ut praefertur, nuncupata Tudelae sex leucis distat, et quod beneficium de jurepatronatus ejusdem Caroli regis ex fundatione, vel donatione, aut etiam ex privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum pariter existit, et per obitum quondam Pauli de Areyzaga illius, dum viveret etiam possessoris extra Romanam curiam defecti, similiter nunc vacat ad quindecim mille, et quinquaginta octo regales pares annuatim quoque ascendentes, praevia tamen ipsius beneficii tituli collativi suppressione, et extinctione infrascriptis, ac postremo, ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam tamen ecclesiam Tirasonensem ex persona venerabilis fratris Nostri moderni illius episcopi pastoris solatio destitui contigerit eadem quarta decimarum pars, quam super ipso territorio Tudelae idem Tirasonensis episcopus percipere solet, ad viginti duos mille, ac noningentos, et nonaginta novem regales similes annuatim pariter ascendentem, praevia itidem ejusdem decimarum quartae partis ab episcopali mensa Tirasonensi dismembratione in eventum hujusmodi perpetuo, ut infra facienda assignaretur, ita ut episcopalis mensa Tudelensis omnibus insimul comprehensis redditibus annua potiretur summa octoginta unius millium, ac tercentorum, et quadraginta unius regalium dictae monetae, quae pro tuenda episcopalis dignitate Tudelensi, attenta ejusdem soli fertilitate supradicta, et pauperum sublevandorum paucitate noscitur esse sufficiens; ex his profecto incommodis, et abusibus praedictis via tutissimo clauderetur, ac veluti nova dies post tot tenebrarum curriculum sacramentorum praesertim confirmationis administratio, iterum appareret, et animarum civium, et habitantium praefatorum salus, quies, et tranquillitas induceretur, proindeque quum dictus Carolus rex, cui tam clamorosa dissidia, quae ordinem ecclesiasticum summopere dedeceat a vinea Domini eliminare, nec non subditorum suorum animarum ruinam avertere, eisque spirituale pabulum procurare praecipua cura inest tam necessaria media pro sui debito exequi cupiens, suas Nobis per dictum Hieronymum humiliter preces obtulerit, quatenus erectionem hujusmodi, aliaque praemissa ad optatum effectum perducere, ac circa ea, ut infra disponere, et providere de benignitate apostolica dignaremur.

Litibus finem imponitur, quae super exercitio jurisdictionis subortae fuerunt

§. 7. Nos igitur, qui ejusdem oppidi statu, et insignitate, aliisque circumstantiis universis matura consideratione perpensis nedum congruam esse censemus novae sedis episcopalis erectionem hujusmodi, sed eam, ac omnia, et singula per Nos, ut infra disponenda catholicae fidei propagationi, Christifidelium aedificationi, et spirituali consolationi, divinique cultus incremento, valde profutura confidimus, eximium dicti Caroli regis zelum, ejusque tam pia, et religiosa desideria plurimum in Domino laudantes, ac benigno favore prosequi, atque exemplo illius, qui author pacis existit pacem hujusmodi finem imponere volentes, ac quarumcumque litium, et causarum infrascriptarum, ut infra introductarum, et etiam ut infra decisarum, pendentium status, et merita, nomina, et cognomina, et qualitates judicum, et collitigantium, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, et expres-

sionem requirentia praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine quascumque lites, et causas in quocumque tribunali super jurium praedictorum exercitio quovis tempore introductas, et hactenus indecisas, etiam pendentes ab eisdem tribunalibus ad Nos apostolica auctoritate tenore praesentium avocamus, illasque penitus, et omnino extinguimus, perpetuumque silentium imponimus.

Suppressio decanatus, et omnium beneficiorum eidem adnexorum.

§. 8. Deinde vero decanatum praedictum, illique, ut praefertur, unitos canonicatum, et praebendas, sive ut praefertur, sive alio quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona, seu per liberam resignationem dicti Martini, vel cujusvis alterius de illo, et illis extra dictam curiam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assequutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacent, etiamsi super eo, et eis inter alios, ac alias, quam ut praefertur lis, cujus statum etiam praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat quoque indecisa, dictique decanatus, ac canonicatus, et praebendae illi, ut praefertur, unitorum hujusmodi respective titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam dignitatis, et beneficii collativorum, ita quod ille, et illi ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativus, et collativi esse desinant, et de cetero, uti talis, et tales in titulum collativum, seu commendam quavis auctoritate conferri, aut concedi, seu impetrari, aut alias de illo, et illis quovis modo disponi amplius nequeat, etsi illum, et illos deinceps ullo umquam tempore conferri, seu impetrari, aut commendari, vel alias de illo, et illis disponi contigerit collationes, impetrationes, commendae, aliaeque dispositiones de illo, et illis pro tempore, quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant.

Ecclesia collegiata in cathedralem erigitur.

§. 9. In dicta autem collegiata ecclesia ad infrascriptae erectionis effectum collegialitatem, et titulum, nomen, et denominationem, naturam, et essentiam collegiatae ecclesiae, ita quod illa ex nunc deinceps collegiata ecclesia denominari, inscribi, reputari, et intelligi amplius minime debeat, de ipsius Caroli regis consensu dicta apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, omnimodamque jurisdictionem, quam super ipso oppido civitate, ut praefertur nuncupato Tudelae, ejusque districtu seu territorio praedicto, tam decanus ipsius collegiatae ecclesiae, ut praefertur suppressae, extinctaeque, quam episcopus Tirasonensis praedicti quomodolibet respective hactenus exercuerunt, seu ab eis respective exerceri praetensum fuit motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, ex nunc penitus, et omnino tollimus, abrogamus, et abolemus. His vero praemissis praedictum oppidum, seu civitatem nuncupatum Tudelae in civitatem episcopalem Tudelensem nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae, et earum cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, atque uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum. Dictam autem collegiatam ecclesiam per Nos, ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedralem ecclesiam Tudelensem pariter nuncupandam archiepiscopo Burgensi suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam extituram sub invocatione ejusdem sanctae Mariae, et in ea sedem et dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Tudelensi, qui eidem ecclesiae, illiusque civitati Tudelensi, ut praefertur nuncupandae, ac dioecesi etiam Tudelensi, ut infra assignandae praesit, synodum convocet, omnimodamque jurisdictionem, auctoritatem, et potestatem, prout juris est, etiam super capitulo, et clero suae dioecesis Tudelensis hujusmodi absque ulla classium distinctione semper exercere, sicuti etiam caetera omnia munera, et actus tum ordinis, tum jurisdictionis, prout alii episcopi, tam in eisdem Hispaniarum regnis dicti archiepiscopi Burgensis suffraganei existentes, quam alibi ubicumque constituti in suis ecclesiasticis civitatibus, ac dioecesibus de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet ea privilegiis, gratiis, indultis, et dispositionibus apostolicis, desuper nominatim, et in specie concessa auctoritate, et facultate suffulti, et quibus ad praesens uti solent, et gaudent, ac gaudere possunt, pariformiter, et aeque principaliter, et absque ulla prorsus differentia, perinde, ac si sibi quoque nominatim, et in specie concessa, et expressa fuissent in sua dioecesi Tudelensi praedicta facere, gerere, et exercere libere, et licite possit, et debeat cum suis capitulo, arca, sigillo, mensa episcopali,

caeterisque cathedralibus, et pontificalibus insigniis, quibus caeterae, etiam cathedrales, earomque praesules quomodolibet similiter gaudent, ac gaudere poterunt in futurum ad omnipotentis Dei laudem, et gloriam, ejusdemque beatae Virginis Mariae honorem, fideique catholicae exaltationem apostolica auctoritate praedicta, itidem perpetuo erigimus, et instituimus, nec non capitulum dictae collegiatae ecclesiae per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae in capitulum cathedrale Tudelense; thesaurariatum vero praedictum, qui secunda in majorem post pontificalem, ut praefertur erectam, et institutam, ac cantoriam hujusmodi, quae tertia in secundam, et scholastriam praedictam, quae quarta dignitates ipsius collegiatae ecclesiae per Nos, ut praefertur suppressae, et extinctae: parique modo residuales sexdecim canonicatus, et praebendas, ac quinque portiones, et tres subcantoratus praedictos, caeterasque cappellanias hujusmodi dictae collegiatae ecclesiae, similiter, ut praefertur, per Nos suppressae, et extinctae in totidem canonicatus, et praebendarum portiones, subcantoratus, et cappellanias ejusdem cathedralis ecclesiae Tudelensis, ut praefertur erectae, et institutae eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo substituimus, et subrogamus, ita ut praedictas dignitates, ac canonicatus, et praebendas, nec non portiones, ac subcantoratus, et cappellanias hujusmodi per Nos, ut praefertur, substitutas, et subrogatas, ac substitutos, et subrogatos respective nunc obtinentes.

Communicatio privilegiorum pro ecclesia cathedrali noviter erecta.

§. 10. Non obstantibus ipsius collegiatae ecclesiae, etiam, ut praefertur, suppressae, et extinctae status immutatione, ac substitutione, et subrogatione praedictis in earumdem dignitatum, ac canonicatuum, et praebendarum, nec non portionum, et subcantoratuum, ac cappellaniarum hujusmodi, sic per Nos, ut praefertur, substitutarum, et subrogatarum, ac substitutorum, et subrogatorum respective possessione, absque alia eis desuper facienda provisione, et in eadem fructuum, redituum, et proventuum, quos de praesenti ex illis respective percipiunt fruitione libere, et licite remanere possint, et debeant, firmis etiam, salvis et illaesis remanentibus favore capituli, et canonicorum dictae collegiatae ecclesiae, ut praefertur, suppressae, et extinctae in capitulum, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiae Tudelensis per Nos, ut praefertur, substitutorum, et subrogatorum hujusmodi privilegiis, indultis, exemptionibus, libertatibus, immunitatibus, praeeminentiis, insignis, aliisque gratiis quibuscumque, tam spiritualibus, quam temporalibus, et mixtis eisdem capitulo, et canonicis ipsius collegiatae ecclesiae per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae in capitulum, et canonicos ejusdem cathedralis ecclesiae Tudelensis sic erectae, et institutae substitutis, et subrogatis hujusmodi ante suppressionem, erectionem, et subrogationem praedictas per Nos, ut praefertur, factas apostolica, vel alia quavis auctoritate hactenus, quomodolibet concessis, ac etiam de jure, consuetudine, privilegio, aut alias competentibus, dummodo tamen sint in usu, et revocata non sint, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non repugnent in omnibus, et per omnia, ac si status collegialitatis hujusmodi minime immutatus foret. Nos enim eisdem modernis capitulo, et canonicis dictae collegiatae ecclesiae, ut praefertur, suppressae, et extinctae in capitulum, et canonicos ipsius, ut praefertur, erectae, et institutae cathedralis ecclesiae Tudelensis per Nos itidem, ut praefertur, substitutis, et subrogatis, ut ipsi, eorumque in dignitatibus, ac canonicatibus, et praebendis, sic respective substitutis, et subrogatis successores pro tempore existentes quotiescumque sedis episcopalis Tudelensis vacatio contigerit in ordinaria episcopi Tudelensis jurisdictione toto singularum ejusdem sedis episcopali Tudelensis vacationum tempore durante ad instar aliorum capitulorum cathedralium ecclesiarum Hispaniarum regni praedicti succedere etiam possint, et debeant.

Declarationes circa regimen dioecesis notae tempore vacationis sedis episcopalis.

§. 11. Ita tamen, ut pro totius dioecesis Tudelensis, ut infra assignandae regimine, spiritualique gubernio, nec non pro parochialium ecclesiarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum cum eis annexa cura animarum concursibus ad tramites concordatorum inter Sedem apostolicam ex una, et Hispaniarum regem catholicum ex altera partibus de anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio initorum habendis unum tamen vicarium capitularem infra tempus, ac alias in omnibus, et per omnia ad praescriptum concilii Tridentini, sive de gremio eorum capituli praedicti, sive extra illud, dummodo tamen, qui in vicarium hujusmodi assumptus fuerit,

in jure canonico, vel civili licentiatus, seu doctor omnino existat eligere, et deputare valeant dicta apostolica auctoritate pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Assignatio mensae episcopalis. §. 12. His autem peractis ad infrascriptae ejusdem mensae episcopalis Tudelensis, ut praefertur, erectae, et institutae donationis effectum, beneficium antedictum prioratum, ut praefertur, nuncupatum in eadem parochiali ecclesia loci de Caparrosso dictae Pampilonensis dioecesis existens similiter, sive, ut praefertur, sive alias quovis modo, aut ex alterius cujuscumque personae, seu per liberam dicti Pauli, vel cujusvis alterius resignationem de illo extra dictam curiam, etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assequutionem quoque alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, illiusque pariter titulum collativum, nomen, denominationem, prioratus hujusmodi naturam, et essentiam beneficii ecclesiastici collativi, ita quod illud ex nunc deinceps perpetuis itidem futuris temporibus collativum esse desinat, ac de caetero, uti tale nullus ad illud praesentari, illudque in titulum collativum quavis auctoritate conferri, seu impetrari, aut alias de illo quovis modo disponi amplius nequeat, etsi ad illud deinceps ullo umquam tempore aliquem praedictum, illudque respective conferri, seu impetrari, vel alias de illo quovis modo, ut praefertur, disponi contigerit, praesentationes, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de beneficio hujusmodi pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nemini que suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, de simili ejusdem Caroli regis consensu apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque supprimimus, et extinguimus, nec non ab eadem mensa episcopali Tirasonensi dictam quartam decimarum partem ab illius episcopo super ipso oppido in civitatem episcopalem Tudelensem, ut praefertur erecto, totoque districtu, seu territorio Tudelensi praedicto percipi solitam ex nunc, prout ex tunc, et e contra postquam praedictam ecclesiam Tirasonensem ex persona illius moderni episcopi praedicti pastoris solatio destitui contigerit, eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, et ad hoc, ut episcopus Tudelensis pro tempore exstiturus statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decenter tenere valeat ex nunc easdem, tam dicti decanatus, eique, ut praefertur, unitorum canonicatus, et praebendas, quam supradicti beneficii per Nos, ut praefertur, respective suppressorum, et extinctorum fructus, redditus, et proventus, nec non ex nunc, prout ex tunc, et e contra videlicet in eventum praemissum praedictos etiam redditus ab eadem quarta decimarum parte ab ipsa episcopali mensa Tirasonensi per Nos etiam, ut praefertur, dismembrata, divisa, et separata provenientes, et respective decimas ipsas eidem mensae episcopali Tudelensi, ita quod liceat personae eidem ecclesiae Tudelensi nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum praeficiendae, ejus ac dictae mensae episcopalis Tudelensis nomine omnium, et quorumcumque tam dicti decanatus, eique, ut praefertur, unitorum canonicatus, et praebendas, nec non beneficii hujusmodi per Nos respective, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum respective fructuum, redditiuum, proventuum, jurium, rerum, proprietatum, et bonorum quorumcumque, nec non statim ac casus vacationis praedictae ecclesiae Tirasonensis, ex persona illius moderni episcopi praedicti quomodolibet evenerit, eorumdem quoque redditutim ex ipsa quarta decimarum parte a supradicta mensa episcopali Tirasonensi, et per Nos, ut praefertur, dismembrata, divisa, et separata, seu decimarum ipsarum quartae partis hujusmodi veram, realem, corporalem, et actualem possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, illiusque, et illa, ac illas respective locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, et recuperare, ac in suos, et dictae mensae episcopalis Tudelensis usus, et utilitatem convertere, cujusque licentia desuper minime requisita apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo unimus, applicamus, et incorporamus.

Concessio domus ad eorum beneficiorum. §. 13. Eidemque episcopo Tudolensi pro tempore extituro, pro ejus satis commoda, decentique episcopali habitatione antedictum palatium decanatui praedicto per Nos, ut praefertur, suppresso, et extincto annexum hujusmodi itidem perpetuo addicimus, et assigna-

mus, ac praetera ut futuro episcopo Tudelensi praedicto clerus, et populus, nec non dioecesis constitui valeant, praedictum oppidum in civitatem episcopalem Tudelensem, ut praefertur, erectum, nec non septem loca praedicta unum scilicet de Ablitas, ac alium de Marrhante, ac alium de Fontellas, ac alium de Rivaforada, ac alium de Urzante, ac alium de Pedriz, ac reliquum de Murillo de las Limas, ut praefertur, respective nuncupata, et decanale districtum, seu territorium hujusmodi, ut supra componentia, ac in eis respective consistentes, et consistentia parochiales, et alias ecclesias, monasteria, praepositatus, prioratus, et alia quaecumque, quotcumque, et qualiscumque cum cura, ut sine cura secularia, et quorumvis ordinum regularia beneficia ecclesiastica, etiamsi canonicatus, et praebendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, et electiva: regularia vero beneficia hujusmodi praepositatus, praepositurae, dignitates etiam conventuales, personatus, administrationes, et officia, etiam claustralia, cappellaniae, et cappellae sint, et ad dignitates, prioratus, praeposituras, et praepositatus hujusmodi consueverint, qui per electionem assumi, dictique oppidi in civitatem episcopalem Tudelensem sic erecti, eorumdemque septem locorum utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant a praedicta per Nos sic aboleta decanali jurisdictione cui hactenus subjecta, et subjecti extiterunt dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo disjungimus, et eximimus, dictumque oppidum in civitatem episcopalem Tudelensem sic erectum, eademque septem loca respective, ut praefertur, disjuncta, et exempta, eorumque universas personas praedictas tam seculares quam ecclesiasticas, et quorumvis ordinum regulares, ecclesias, monasteria, prioratus, praeposituras, praepositatus, et alia beneficia ecclesiastica hujusmodi cum suis juribus, et pertinentiis, usibus, novae ecclesiae episcopali Tudelensi, illiusque futuro praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, clero, et populo ita quod liceat praedictae personae eidem ecclesiae Tudelensi tam nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi quam deinceps, ut praefertur, pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum, ut supra, praeficiendae per se, vel per alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in dicto oppido in civitatem episcopalem, ut praefertur, erecto, aliisque septem locis praedictis propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam huiusmodi perpetuo retinere dicti archiepiscopi Burgensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita simili apostolica auctoritate, etiam perpetuo concedimus, et assignamus; nec non ordinariae ipsius episcopi Tudelensis pro tempore extituri jurisdictioni respective supponimus, atque subjicimus.

§. 14. Ac insuper eidem futuro episcopo Tudelensi, ac modernis, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis ipsius sic erectae cathedralis ecclesiae, ut praefertur, substitutis, et subrogatis, ut ipsi attenta status in dicta collegiata ecclesia sic suppressa, et extincta immutatione hujusmodi, quatenus opus sit, capitulariter congregati pro dictae cathedralis ecclesiae Tudelensis, ut supra erectae, et institutae, ac illius mensae capitularis, sacristiae, ac fabricae, earumque rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium novo, ac prosperiori statu, regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis pro tempore incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, ac de dignitatibus canonicatibus, et praebendis, portionibus subcantoratibus, et cappellaniis, ut praefertur, respective subrogatis hujusmodi, inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione personali residentis distributionum, etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et administratione, ac poenarum per absentes, ac divinis officiis, et functionibus suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione singulorum praesentiis, et absentiis notare, dictis caeremoniis, et functionibus in dicta cathedrali ecclesia, ut praefertur, erecta, et instituta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis, nec non ministris in eadem cathedrali ecclesia sic erecta, et instituta deputandis, ac amovendis salariis, et stipendiis eo- Privilegia ecclesiae et canonicorum indigitantur.

rum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis relus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque etiam nova statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis non contraria condendi, et edendi, conditaque, et edita pro temporum, et rerum variatione, et qualitate mutandi, limitandi, seu et antiquis corrigendi, declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, et per eos ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contrafacientes statuendis observari faciendi plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem eadem apostolica auctoritate, similiter perpetuo concedimus, et impertimur.

Concessio juspatronatus favore regis.

§. 15. Ulterius eidem Carolo regi ejusque successoribus regibus catholicis juspatronatus, et praesentandi ad ecclesiam Tudelensem praedictam tam hac prima vice a primaeva illius erectione, et institutione a Nobis, ut praefertur, factis hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties illam pro tempore quomodolibet etiam apud Sedem apostolicam praedictam similiter pastoris solatio destitui contigerit, personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad praesentationem hujusmodi eidem ecclesiae Tudelensi in episcopum praeficiendam, firma etiam remanente favore ipsius Caroli regis, ejusque successorum regum praedictorum nominatione, seu praesentatione ad omnes dignitates, canonicatus, et praebendas, aliaque beneficia praedicta per Nos, ut praefertur, subrogatas, subrogatos, et subrogata ejusdem sic erectae cathedralis ecclesiae Tudelensis ad tramites concordatorum hujusmodi apostolica auctoritate praedicta sibi perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Decernentes juspatronatus, et praesentandi hujusmodi ad dictam ecclesiam episcopalem Tudelensem, sic erectam, et institutam regium exercere, eidemque Carolo regi ejusque successoribus regibus praedictis pro patronatus, et praesentandi jure, quod ad decanatum per Nos, ut praefertur suppressum, et extinctum hujusmodi competebat similiter competere. Illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juspatronatus regii hujusmodi obtinere, ac sub tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione, etiam per vias constitutionis, legis, regulae cancellariae apostolicae, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse neque debere.

Clausulae sectulares, et irritantes.

§. 16. Easdem quoque praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes literae emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, seu quopiam alio quantumvis magno substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legittima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari posse in judicio, et extra illud; neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, supplicationibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae

praedictae regulas, quandocumque, etiam in crastinum assumptionis nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, et consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris pontificii. §. 17. Quocirca dilecto filio futuro ab ipso Carolo rege ad eamdem ecclesiam Tudelensem a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, ut praefertur, vacantem praesentando, et respective eligendo episcopo Tudelensi ad hoc, ut praemissa omnia per Nos, ut praefertur, disposita suum prospero felicique successu sortiri valeant effectum motu simili earumdem praesentium executionem committimus, ei per apostolica scripta mandantes, quatenus ipse per se, vel alium, seu alios praesentes Nostras literas praedictas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit solemniter publicans faciat auctoritate Nostra sibi attributa praesentes ipsas, et in eis contenta hujusmodi ab omnibus et singulis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari, ac quaecumque obstacula, et impedimenta ex parte cujuscumque personae, super eisdem praemissis quomodolibet oritura auctoritate praedicta sibi, ut praefertur, attributa prorsus dirimere, et removere satagat, ac super eis, servatis tamen quae fuerint de jure servanda, etiam definitive, et appellatione remota pronunciet. Non obstantibus nostris, et cancellariae apostolicae praefatae regulis de jure quaesito non tollendo, et de unionibus ad partes committendis, et de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri, ac beneficia ecclesiastica unius dioecesis alterius dioecesis beneficiis uniri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi respective prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae Tirasonensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaelibet alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum omnium, et singulorum validitatis effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine hujusmodi harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 18. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae avocationis causarum, illiusque praedictarum extinctionis, ac silen- Sanctio poenalis.

tii impositionis, nec non suppressionum, et extinctionum abrogationis, abolitionis, erectionis, institutionis, substitutionis, subrogationis, concessionis, indulti, dismembrationis, divisionis, separationis, unionis, applicationis, incorporationis, disjunctionis, exemptionis posteriorum concessionum assignationum suppositionis, subjectionis, facultatis, impartitionis, reservationis, decreti, commissionis, mandati, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc atteotare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingesimo octuagesimo tertio sexto kalendas aprilis, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 1 aprilis 1783 Anno IX.

CDXXX.

Ampliatio, et extentio chirographorum san. mem. Clementis pp. XIV. praedecessoris, et S. S. super causis alimentorum signatorum pro conservatorio beatae virginis Mariae in coelum Assumptae urbis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Philippus Mazzoleni parochus ecclesiae sancti Salvatoris a Ponte Rotto; nec non oeconomus conservatorii beatae Mariae Virginis in coelum Assumptae almae Nostrae urbis, quod conservatorium praedictum gravissimis urgetur miseriis, ex quo, et aere alieno in conspicua summa gravatur, et debitas praestationes, ac assignamenta convictricium ejusdem conservatorii debitis temporibus exigere nequeat. Cum autem sicut eadem expositio prosequebatur ex hujusmodi debitarum solutionum dilatione maximum detrimentum eidem loco pio proficiscatur, quo huic male citius, quam fieri potest, occurratur, chirographa a felicis recordationis Clemente pp. XIV. praedecessore Nostro die v. augusti MDCCLXIX. et septima martii MDCCLXXII. manu propria signata super causis alimentorum, ad conservatorium praedictum extendi, et ampliari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur conservatorium, ac exponentem praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et personam dicti exponentis a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati memorata chirographa, ac omnia in eis contenta ad dictum conservatorium auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus, et ampliamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit atteotari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conservatorii etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis; ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo septingen-

tesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 1 aprilis 1783. Anno nono.

CDXXXI.

Deputantur tres judices ad definiendas sine strepitu judicii controversias, et lites super qualitate dignitatum canonicalium, et beneficiorum ecclesiae cathedralis Leyrensis pendentes.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Decet Romano pontifici justitiae simul, et pacis assertori ad tollendas lites omnes, ac controversias, quae super rebus ecclesiasticis non sine divini cultus detrimento jamdiu pendent ea concedere, quae pro promptiori illarum expeditione salubriter in Domino expedire arbitratur, praesertim cum sublimiorum principum vota accedant.

Exponitur status controversiae subortae. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissima in christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliae, et Algarbiorum regina fidelissima, quod cum jamdiu pendeat controversia super qualitate omnium dignitatum canonicalium, et beneficiorum cathedralis ecclesiae Leyrensis, num scilicet sint de jurepatronatu regio, aut potius de libera collatione episcopi Leyrensis pro tempore existentis, illorum collatio multis ab hinc annis non sine gravi ejusdem ecclesiae detrimento suspensa est. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, huic incommodo memorata Maria Francisca regina fidelissima pro sua pietate, quam citius occurrere, ac diuturniori controversiae finem imponere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae votis annuere volentes, ac supplicationibus hujusmodi inclinati, cum de doctrina, fide, ac justitia dilectorum filiorum Francisci Antonii Marques Giraldes Andrade, nec non Josephi Ricald Pereyra de Castro, nec non venerabilis fratris moderni archiepiscopi Lacedaemoniensis vicarii generalis patriarchae Lisbonensis plurimum in Domino fiduciam habeamus, hiec eidem Francisco Antonio, veluti causae relatori, dictisque Josepho, et archiepiscopo Lacedaemoniensi auctoritate apostolica tenore praesentium committimus, et mandamus, ut causam, et causas, ac controversias omnes super qualitate dignitatum canonicalium, et beneficiorum cathedralis ecclesiae praedictae usque adhuc exortas, sine strepitu judicii, et sola facti veritate inspecta, omnique appellatione remota, definiant, decidant, ac dirimant. Nos enim ipsis ad praemissa omnia terminanda, ac absolvenda quamcumque necessariam, et quomodolibet opportunam faciendi, gerendi, et exequendi auctoritate praedicta facultatem, et auctoritatem concedimus, et impertimur.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non cathedralis ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficaciuribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono. Derogatio contrariorum.

Dat. Romae die 6. aprilis 1792. Anno nono.

CDXXXII.

Erectio terrae Vetrallae Viterbiensis dioecesis in civitatem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Circumspecta Romani pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, ac fideles suos, et temporalis Sanctae Romanae Ecclesiae ditionis subditos praesertim illos, qui sincerae fidei, et devotionis affectum erga apostolicam hanc sanctam Sedem gerere comprobantur amplioribus honoris, decoris, at honorificentiae titulis, nec non specialis benevolentiae favoribus amplecti solet, prout personarum, locorumque qualitatibus, et meritis conspicit convenire.

Expositio precum porrectarum a communitate. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii primi conservatores communitatis terrae Nostrae Vatrallae Viterbiensis dioecesis, quod cum ad eamdem terram nova via regia, ac militaris ad Hetruriam ducens, quam nuper non sine gravi sumptu pro commodiori viatorum, ac commeatuum transitu sterni curavimus tranijciat, ac insuper dicta terra ex felicis recordationis Benedicti pp. XIII. praedecessoris Nostri indulto suum gubernatorem per literas apostolicas in simili forma Brevis per Nos, successoresque Nostros Romanos pontifices eligendum, ac plusquam tercentos pagos eidem gubernatori subjectos habeat, nec non eadem terra satis frequens sit, continens quinque mille circiter incolas, et habitatores, ac in ea saecularis, et collegiata ecclesia cum archipresbytero, et tresdecim canonicis a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessore Nostro usu superpellicei, seu rocchetti donatis, quatuor parochiales ecclesiae, tres itidem ordinum regularium conventus, et una domus clericorum regularium passionis Domini Nostri Jesu Christi, sanctimonialium ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo monasterium, confraternitates, oratoria, ac etiam xenodochium, seu hospitale reperiantur; ea propter dicti exponentes pro eorum, et terrae hujusmodi, nec non singularum incolarum, et habitatorum decore terram ipsam civitatis nomine insigniri, eisque alia privilegia per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut ipsa indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, ac etiam motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine terram Vetrallae praedictam in civitatem Vetrallae nuncupandam tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, eique civitatis titulum, ac denominationem, cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus ditionis Nostrae pontificiae civitatibus competere dignoscuntur, nec non magistratui ejusdem terrae in civitatem, ut praefertur, erectae consuetos honores, et insignia, quibus aliarum ejusdem ditionis civitatum magistratus de jure, usu, et consuetudine gaudere, seu quibus uti possunt pariformiter, et absque ulla differentia gaudere, potiri, et uti posse concedimus, et impertimur, ac ejusdem terrae incolas, et habitatores praedictos civium nomine decoramus, ita tamen, ut nunc, et pro tempore existens episcopus Viterbiensis in ea residere minime teneatur; sed terra hujusmodi in civitatem sic erecta cathedrali ecclesiae Viterbiensi, ut prius, subjecta remaneat. Tenor concessionis.

Concessio togae pro magistratu civitatis noviter erectae. §. 4. Ut autem exponentes praedicti Nostri beneficii magis magisque devicti in devotione, et fide erga eamdem sanctam Sedem sincere persistant, et eorum exemplo alii ad similia proemia promerenda inducantur, primo conservatori, ac secundo, et tertio pro tempore existentibus memoratae terrae Vetrallae in civitatem, ut praefertur, erectae, ut tempore eorum magistratus togam longam ex holoserico raso nigri coloris, cum zona simili, ita tamen ut a zona primi conservatoris duo flocci aureo contexti, a zona vero secundi, et tertii simplices flocci nigri coloris pendeant, gestare, illisque uti, libere, et licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis pariter concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et de- §. 5. Decernentes easdem praesentes lite-

Decretum irritans. ras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae camerarium, ac alios cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis praedictae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictae terrae, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXIII.

Dat. die 4. aprilis 1783. Anno IX.

Imminutio festorum in dioecesi Pinhelensi.

Venerabili fratri episcopo Pinhelensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium, et ratio concessionis. §. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo Magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Expositio precum

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Pinhelensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Pinhelensis existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis beatae Mariae Virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio: in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupolo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXIV.

Dat. Romae die 10. aprilis 1783. anno nono.

Suppressio tituli collativi simplicis cappellaniae, et illius reductio ad legatum pium ad nutum serenissimae reginae fidelissimae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem pro varia rerum, et temporum circumstantia beneficiorum ecclesiasticorum essentiam ministerio suppressionis quandocumque immutare, ut quod

de illorum fructibus, adimpletis oneribus, superesse dignoscitur, munifica regalium personarum dextera diversis piorum operum objectis, prudenti eorum arbitrio valeat providere.

Tenor precum porrectarum a regina Portugalliae.

§. 2. Cum itaque sicut dilectus filius Didacus de Noronha apud Nos, et Sedem apostolicam carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae administer plenipotentiarius regio ejus nomine Nobis nuper exposuit, juspatronatus, et praesentandi ad perpetuam sine cura, et personalem residentiam non requirentem cappellaniam sub invocatione sancti Bartholomaei apostoli in parochiali, et matrice ecclesia villae de Benevente Elborensis dioecesis per liberam cessionem dicti juspatronatus, et praesentandi, quod ad pro tempore existentes senatum camerae, et communitatem dictae villae spectabat, et pertinebat, favore ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae a dilectis pariter filiis modernis senatu, et communitate praedictis nuper factam in eamdem Mariam Franciscam reginam fidelissimam, ejusque successores reges fidelissimos modo translatum esse dignoscatur. Dicta autem cappellania ex persona illius ultimi possessoris certo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso modo extra Romanam curiam vacaverit, seu vacet ad praesens, proindeque Didacus praedictus regio nomine supradicto Nobis preces obtulerit, quatenus praevia ejusdem cappellaniae tituli collativi suppressione, et extinctione, illam ad legati pii mere laicalis statum, et conditionem reducere, aliaque infrascripta decernere, ac statuere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos cupientes ipsius Mariae Franciscae reginae fidelissimae precibus, et votis annuere, ac Didacum praedictum specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, tenore praesentium titulum collativum, naturam, et essentiam, nomen, et cognomen dictae cappellaniae collativae, cujus, et illi forsan annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt; ita quod ex nunc illa collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illa quomodolibet disponi nullatenus umquam possit, et si illa deinceps conferri, aut impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illa faciendae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus; illisque sic suppressis, et extinctis, cappellaniam praedictam ad legatum pium mere laicale dicta apostolica auctoritate reducimus: ac omnium, et singulorum illius bonorum eamdem Mariam Franciscam reginam fidelissimam liberam administratricem, ejusque successores, reges fidelissimos liberos administratores; cum hoc tamen, quod ab eadem Maria Francisca regina fidelissima, ejusque successoribus regibus fidelissimis pro tempore existentibus, etiam per aliam personam delegandam, cappellanus ad nutum ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae, ejusque regum fidelissimorum successorum amovibilis pro dictae cappellaniae oneribus adimplendis cum congrua assignatione nominari debeat: superextantes vero fructus cappellaniae hujusmodi eadem Maria Francisca regina fidelissima, ejusque successores reges fidelissimi pro suae, et eorum regiae pietatis arbitrio convertere, et erogare libere possit, et respective possint eadem apostolica auctoritate constituimus, et declaramus. Ac insuper facultatem cappellanum praedictum pro tempore existentem ad sui vitam, quotiescumque expedire videatur, deputandi eidem Mariae Franciscae reginae fidelissimae, ejusque successoribus regibus fidelissimis praedicta dicta apostolica auctoritate concedimus, et impertimur.

Clausulae salutares.

§. 4. Easdem quoque praesentes, et in eis contenta, ac expressa quaecumque nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, etiam ex eo, quod causae propter quas praemissa emanarunt, coram Nobis, vel alibi adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, aut quevis alio defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam vocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari nullatenus posse, sed eas semper validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, ad quos nunc spe-

rtat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 5. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam quovis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus fructus redditus, et proventus cappellaniae praedictae ad majorem summam ascendant, Nostra, et cancellariae apostolicae regulis de exprimendo vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore in suppressionibus, ac de eisdem suppressionibus committendis ad partes, ac Lateranensis concilii novissime celebrati suppressiones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam in synodalibus, provincialibus, universalibus, et generalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus. Quibus omnibus, et singulis otiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Deputatio executoris literarum apostolicarum, et sanctio poenalis.

§. 7. Nos enim venerabilem fratrem Nostrum moderanm archiepiscopum Lacedaemoniensem in civitate Lisbonensi commorantem in exequutorem praesentium literarum apostolicarum auctoritate, et tenore praemissis constituimus, et deputamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, reductionis, constitutionis, declarationis, concessionis, impartitionis, decreti, derogationis, et deputationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, quarto idus aprilis, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXV.

Dat. die 11. aprilis 1783. Anno IX.

Mandatum, ut in posterum in dioecesi Ariminensi diebus festis nundinae celebrari nequeant.

Venerabili fratri Vincentio episcopo Ariminensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio constitutionis.

§. 1. Gravia quidem sunt, et non parvo moerore lugenda scandala, quae ex suborta corruptela in hac tua dioecesi celebrandi in diebus festis, et praecipue in diebus dominicis publicos mercatus, abusive nundinas nuncupatos fraternitas tua evenire Nobis significat, siquidem cum idcirco in diebus festis ab opere humano cessandum sit, ut liberius ad ecclesiam ire, psalmis, et hymnis, ac canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis sanctorum communicare, ad incitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosynas indigentibus ministrare valeat christianus, multi e contrario Christifideles spe lucri illusi, ac nimium, quam par est negotiosi, quoties mercatus, sive nundinae, utcumque vocentur in hisce diebus habeantur, quae sua, ac hujus saeculi sunt, dumtaxat quaerentes, vix, aut ne vix quidem ecclesiam adeunt, divinoque sacrificio adstant, tantum abest, ut Dei verbum attente, pioque ore audire, ecclesias frequentare, conscientiam mundare, Deo laudes persolvere, aliasque salutares exercitationes obire curent.

Memorantur praedecessorum provideutiae super nundinis faciendis prolatae.

§. 2. Nos non latet felicis recordationis Benedictum pp. XIV. praedecessorem Nostrum per suas literas archiepiscopis, episcopis, et ordinariis ditionis ecclesiasticae directas die quinta novembris MDCCXLII. datas districte quidem mercatus in diebus festis prohibuisse,

sed sub certis tunc expressis conditionibus nundinarum celebrationem tolerasse, aliosque decessores Nostros aliquibus populis peculiaribus literis id indulsisse. Verum cum ex hujusmodi indulgentia, ac facilitate nimis ultro processerit corruptela; quod vero in populorum commodum fuerat concessum in hac tua dioecesi, in apertum, ac intollerabilem dierum festorum contemptum collapsum sit, hinc precibus tuis Nobis hisce desuper porrectis, saluberrimas sanctiones, quibus ecclesia celebrandarum nundinarum hujusmodi, seu potius mercatuum in diebus festis abusum tollere jugiter studuit, ad illarum pristinam observationem revocantes, fraternitati tuae per praesentes edicimus, et mandamus, ne in dioecesis tuae urbe, oppidis, ac locis, non obstante quavis consuetudine, etiam immemorabili, nundinas hujusmodi, seu potius mercatus celebrari in diebus festis patiaris.

Tenor mandati traditi ad nundinas prohibendas. §. 3. Quocirca tibi, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad hujusmodi abusum tollendum, ac circa ea, quae ad harum praesentium Nostrarum literarum exequutionem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea, quae pro earumdem praesentium exequutione componere, constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris, plenam et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea omnibus, et singulis hominibus civitatis, oppidorum, et locorum praedictorum, aliisque, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, ut tibi in omnibus, et singulis praemissis prompte pareant, et obsequantur, tuaque mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententias, sive poenas, quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Benedicti praedecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXVI.

Dat. Romae die 11 aprilis 1783. Anno IX.

Erectio sedis archiepiscopalis Latini ritus in civitate Mobiloviensi in Alba Russia ec.

Venerabili fratri Joanni Andreae archiepiscopo Chalcedonensi ad charissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniae regem illustrem nostro, et Sedis apostolicae nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Onerosa pastoralis officii cura, qua Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimini superni dispositione consilii praesidemus, animum Nostrum jugiter sollicitat, ut animarum periculis, quantum in Domino possumus, mature occurrere, et spiritualibus Christifidelium, praesertim in longinquis partibus degentium, utilitatibus prospicere studeamus.

Ratio decernendae erectionis exponitur. §. 2. Quamobrem cum in vastissimo Russiaco imperio nulla Latini ritus constituta reperiatur ecclesia, cujus episcopus, non modo ea, quae sunt ordinis episcopalis exerceat, sed etiam ad pascendam salutaris doctrinae pabulo, custodiendamque illam catholici gregis partem, sedulo incumbat, libentissime eam occasionem amplexi sumus, qua Nobis de catholici

episcopi opera, et solatio, tam dissitas regiones providere, Dei optimi maximi opitulante gratia, permittitur.

Facultas erigendi novum episcopatum, et deputandi rectorem nuncio apostolico conceditur.

§. 3. Quod, ut felicius, atque secundum Romanae catholicae Ecclesiae regulas, ac instituta perficiatur, tibi, venerabilis frater de cujus fide, integritate, prudentia, et catholicae religionis zelo plenam habemus in Domino fiduciam, praesentium auctoritate concedimus, ut durante legatione, quam tibi demandavimus apud potentissimam totius Russiae Imperatricem, civitatem Mobiloviae in Alba Russia, unamque ex illius civitatis, quae tibi magis idonea visa fuerit, ecclesiis, secundum canonicas sanctiones, in metropolitanam, ac sedem archiepiscopalem Latini ritus pro uno archiepiscopo Mobiloviensi, seu Albae Russiae nuncupando, congrua aliqua assignata dote, erigas, ac constituas, cum pallii, et crucis deferendae honore, aliisque omnibus juribus, praerogativis, atque insigniis, quae de jure archiepiscopis, et metropolitanis competere dignoscuntur; ac praeterea, ut praedictae abs te sic erectae, ac constitutae metropolitanae ecclesiae virum honestum, et providum, ac in vinea Domini strenue laborantem, qui pontificali conveniat oneri, ac honori praedicta auctoritate Nostra deputes, ac praeficias, cui, nisi jam episcopali charactere sit insignitus, vel tu ipse, vel alius quilibet episcopus per te deputandus cum duobus aliis episcopis apostolicae Sedis communionem habentibus, vel, si non adsint, duobus ecclesiasticis viris in aliqua dignitate constitutis, episcopalis consecrationis munus impendas, vel impendat; pallium, quod ex beati Petri corpore desumptum tibi mittimus, eidem imponat, recepto tamen prius nostro, et Romanae Sedis nomine juramento, quod tam in electi consecratione, quam in pallii traditione ab omnibus noviter electis archiepiscopis haec apostolica Sedes recipere consuevit.

Licentia de erigendis canonicatibus in ecclesia metropolitana.

§. 4. Praeterea, si in praefata Mobiloviensi per te designanda ecclesia, beneficia aliqua fundata existant, vel constitui possint, volumus, ut ea in canonicatus dignitatem, atque honorem, si ita ad Dei cultum, ejusdemque metropolitanae erigendae ecclesiae decus noveris expedire, evehere possis, pro totidem clericis, aut presbyteris saecularibus, qui capitulum ejusdem ecclesiae, juxta canonicas sanctiones, ac praesertim juxta sacrosancti Tridentini concilii decreta, constituant, atque componant, cum omnibus honoribus, praerogativis, ac juribus, quae metropolitanarum ecclesiarum capitulis de jure conveniunt.

Declaratio circa jurisdictionem novi episcopi.

§. 5. Ut vero in amplissimo totius Russiae, ac aliorum regnorum, quae praedictae imperatricis subsunt imperio, novus abs te creandus Mobiloviensis archiepiscopus suam possit supra catholicos Latini ritus ordinariam auctoritatem, et jurisdictionem exercere, quousque altera Nobis alios catholicos episcopos deputandi sese offerat occasio, ac donec aliter per hanc apostolicam Sedem fuerit dispositum, omnes Christifideles tam ecclesiasticos, quam saeculares, universumque clerum, ac populum Latini ritus in Russia, atque aliis praedictis regnis existentem, quamvis alteri cujuscumque dioecesis episcopo hucusque subjectus fuisset, eidem novo archiepiscopo, suisque in archiepiscopatu praedicto canonice subrogandis successoribus, deinceps subjectum declarare, ac decernere auctoritate Nostra tibi committimus, ac indulgemus, contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compescendo: ita ut novus archiepiscopus, ejusque in archiepiscopatu legitimi successores, in Nostra, et apostolicae Sedis communione permanentes in praedictis regnis catholicas Latinorum ecclesias, vel per se ipsos, vel per alios ab ipsis delegandos, visitare, abusus tollere, fidelium mores corrigere, eaque omnia exercere possint, quae juxta canonicas sanctiones, Tridentini concilii decreta, et apostolicae Sedis constitutiones episcopis permittuntur, salva semper in omnibus Nostra, et hujus apostolicae Sedis auctoritate.

Deputatio coadjutoris cum futura successione.

§. 6. Cum vero in tam longinquis, vastissimisque regionibus, quae ad Europae, et Asiae partes protenduntur, minime unus sufficere possit episcopus; ideo Nos animarum saluti, quantum in Domino possumus, prospicere volentes, tibi pariter, ut postquam novum archiepiscopum Mobiloviensem elegeris, ac in ejus ecclesiae possessionem immiseris, coadjutorem illi cum futura successione, sacerdotem aliquem saecularem probum, et idoneum designare, ac episcopalis ecclesiae Gadarensis in partibus infidelium titulo decoratum, recepto ante consecrationem solito juramento, vel per te ipsum, vel per alium catholicum antistitem cum aliorum duorum episcoporum; si commode haberi poterunt, vel saltem duorum ecclesiasticorum aliqua dignitate fulgentium assi-

stentia consecrare possis, et valeas, auctoritate Nostra concedimus, et impertimur. Ac demum, ut ea pro prudentia, ac religione tua peragas, quae ad majorem Dei honorem, ac cultum, ac Catholicae Ecclesiae unitatem, et incrementum, ac ad Christifidelium spirituale bonum, et utilitatem magis in Domino noveris expedire, tibi enixe commendamus, praecipimus, ac hortamur.

Derogatio contrariorum. §. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet editis, vel edendis etiam in synodalibus, provincialibus, universalibusque conciliis specialibus, vel generalibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quarumcumque ecclesiarum Latini ritus, quibus antea omnes Christifideles in Russia, aliisque regnis praedictis, ut praefertur, existentes subjecti erant, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 15. aprilis 1783. Anno IX.

CDXXXVII.

Exemptio seminarii Urbevetani ab onere solvendi quolibet biennio scuta centum monasterio Nominis Jesu ejusdem civitatis vigore haereditatis Capelletti.

Dilecto filio Nostro Paulo Francisco Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Antamoro nuncupato ex dispensatione apostolica episcopo Urbevetano.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Apostolicae auctoritatis, et providentiae partes in utilitatem, et incrementum collegiorum, et seminariorum, in quibus adolescentes ad religionem, ac pietatem, et sacrarum doctrinarum studia efformantur, bonisque moribus imbuuntur, salubriter collocatas esse intelligentes, non sine maximo animi Nostri gaudio, cum a Nobis id petitur, libenter interponimus, et conferimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, eorumdem seminariorum incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur. Prooemium.

§. 2. Sane pro ea pastorali sollicitudine, ac paterna charitate, qua tuae curae, et vigilantiae commissum gregem jugiter prosequeris, eoque studio, quo pro iis omnibus, quae ad illius bonum, ac etiam temporale commodum spectare intelligis, enixe conaris, cum primum ad hanc ecclesiam, cel ex apostolica dispensatione praees fuisti assecutus, tuae providentiae intuitum ad episcopale seminarium ad formam Tridentini concilii novissime institutum fore coejiciendum intellixisti, et quoniam, quotidianum ejusdem seminarii cultum pro mercede praeceptoribus, et ministris solvenda, tum pro alenda juventute, aliisque necessariis sumptibus adeo majorem esse suo satis tenui censu es deprehensus, ut propterea aliquod opportunum, atque firmum remedium huic malo esse adhibendum cognoveris; Nobis exponi fecisti, quod inter caetera, quae a fel. rec. Paulo pp. V. praedecessore Nostro per suas in simili forma Brevis die XXI julii MDCXIV. expeditas literas circa haereditatem quondam Muti Capelletti civis Urbevetani fuerunt disposita, constituit quoque, ut executores dictae haereditatis Capelletti pro tempore existentes quolibet anno summam scutorum ducentorum, et quinquaginta deponere deberent erogandam pro quan- Quomodo disposita fuerit haereditas Muti Capelletti declaratur.

titate scutorum quatuorcenterum quolibet biennio in dotationem alterius puellae, dictae civitatis Urbevetanae beni nominis, et famae, et alicujus pauperis civis Urbevetani filiae per eosdem executores eligendae, quae quolibet biennio in aliquo ex monasteriis dictae civitatis religioni nomen dare exoptasset; pro residuali vero quantitate scutorum centum quolibet pariter biennio in utilitatem, ac fabricam ejusdem monasterii, quod ingressa foret dicta puella praerogandam; verum cum dicti executores ad construendam ecclesiam monasterio nominis Jesu dictae civitatis Urbevetanae ex fructibus dictae haereditatis partim ejusdem monasterii commedum diruere fecerint felicis recordationis Urbanus pp. VIII. praedecessor itidem Noster per suas in simili forma Brevis XXII maji MDCXXV. expeditas literas ad effectum perficiendi dictam ecclesiam, ac monasterium summam praedictam centum scutorum quolibet biennio, monasterio, quod puella esset ingressa, ut praefertur, assignanda eidem monasterio Nominis Jesu addixit, ac applicavit, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut ea dem expositio subjungebat, monasterium praedictum praeter dotationem Capelletti scutorum quatuorcentum pro puella, ut praefertur, electa, quae illud quolibet biennio ingreditur, quod privilegium per Nostras in simili forma Brevis die III julii MDCCLXXV. expeditas literas confirmavimus, semper etiam receperit pro ejusdem monasterii, et adnexae ecclesiae fabrica alia scuta centum quolibet biennio, ut praefertur, solvenda, ecclesia vero ac monasterium hujusmodi, ut asseritur jamdiu perfecta, et absoluta sint; ac insuper a felicis recordationis Clemente pp. XIV. itidem praedecessore Nostro praeter bona omnia ad collegium extinctae societatis Jesu in hac civitate Nostra Urbevetana prius vigens; et in ejus tantum territorio existentia, quomodolibet spectantia, et pertinentia, praestolatio quoque scutorum centum quinquaginta pro publicis humanarum literarum scholis collegio posito prius a communitate, et hominibus dictae civitatis assignata, eidem tuo seminario fuerit unita, ac incorporata, immo magistratui ejusdem civitatis, quamvis antea actis temporibus communitas, et homines hujusmodi ea dumtaxat de causa dictam quantitatem scutorum tercentum quinquaginta tunc vigenti, nunc autem extinctae societati Jesu persolverit, ut nempe publicum in eodem collegio haberetur gymnasium, nihileminus jus nominandi quatuor adolescentes, seu alumnos in seminario admittendos, ejusque sumptu alendos, fuit reservatum, seu potius concessum, prout in ejusdem Clementis in simili forma Brevis XV. januarii MDCCLXXIV. expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

Status litis subortae inter nobiles, et artifices Urbevetanos, coram s. congregatione Concilii.

§. 3. Unde postmodum, exeunte nempe anno MDCCLXXVIII. in congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacrosancti Tridentini concilii interpretum gravis contestata est lis inter eumdem magistratum ex una, et artifices Urbevetanos ex altera parte de, et super qualitate nominandorum alumnorum, scilicet de solo nobilium ac civium, vel etiam de artificum coetu esset alumni eligendi, ac assumendi, quae adhuc in eadem congregatione indecisa pendet, ad divini tamen cultus augmentum, et ad ecclesiasticae disciplinae progressum, summopere pertineret, quatenus nedum dicta scuta centum quolibet biennio dicto monasterio Nominis Jesu pro ejusdem monasterii, eique adnexae ecclesiae fabrica ab administratoribus haereditatis Capelletti ad formam literarum dicti Pauli, et Urbani praedecessorum usque in praesens soluta, in posterum, cum ob transactionem inter deputatos ejusdem seminarii ex una, et dictae haereditatis administratores ex altera parte auctoritate Nostra per literas in simili forma Brevis die XXIII sept. MDCCLXXXII. expeditas confirmatam fuerit haereditatis Capelletti administratio, sub certis tunc expressis conditionibus in deputatos seminarii transfusa; hac solutione tunc seminarium exoneraretur, sed etiam adempto magistratui praedicto quolibet jure nominandi quatuor alumnos praedictos seminarium ab onere eos alendi levaretur, prout a dictis oneribus respective liberari vehementer desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur ex injuncto Nobis supremi pastoratus officio paternis illorum curis, ac sollicitudinibus, qui in Nostros cooperatores in

vinea Sabaoth sunt delecti, quantum cum Domino possumus, adesso cupientes, tuisque votis annuere volentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ac memoratas Pauli V. et Urbani VIII. ac Clementis pp. XIV. praedecessorum Nostrorum literas, nec non praedictas Nostras in simili forma diei III julii MDCCLXXV. expeditas literas praesentibus pro plene ac sufficienter expressas, ac de verbo ad verbum insertas habentes circumspectioni tuae de cujus fide, integritate, doctrina, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus per praesentes committimus, ac mandamus, ut in primis tuum seminarium ab onero solvendi quolibet biennio praeter scuta quatuorcentum dicto monasterio Nominis Jesu in dotationem puellae ab iis, qui alias essent haereditatis Capelletti administratores eligendae, quae regularem habitum in dicto monasterio erit susceptura, alia scuta centum in causa fabricae, seu aliarum suarum necessitatum levamen auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, et exemptum, ac liberum esse decernas, atque declares.

Declaratio specialis super admissione alumnorum in seminarium.

§. 5. Insuper sperantes te, tuosque pro tempore existentes episcopos Urbevetanos successores omni remota personarum acceptione, eos dumtaxat in episcopali seminario fore admissuros, quorum indoles, et voluntas spem efferat, eos ecclesiasticis ministeriis nedum perpetue inservituros, sed etiam conversatione, sermone, ac scientia homines, qui in mundo sunt illuminaturos, litem, et quaestionem praedictam de et super qualitate alumnorum nominandorum a magistratu Urbevetano inter eumdem magistratum ex una, et artifices dictae civitatis ex altera parte in congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium s. concilii Tridentini interpretum, ut praefertur, pendentem, cujus statum, et merita, ac jurium, actionum, exceptionum, et praetensionum tenores pro plene, ac sufficienter expressis haberi volumus, ad Nos avocantes, extinguentes, et cassantes, tollentes, et abolentes, tibi injungimus, ut quodcumque jus magistratui Urbevetano nominandi, et eligendi quatuor alumnos in tuum episcopale seminarium admittendos per praedictas Clementinas literas die xxv. jan. MDCCLXXIV. expeditas concessum auctoritate praedicta revocatum, cassatum, ademptum, abrogatum, irritum, ac annullatum, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuum esse mandes ac statuas, prout illud tenore praesentium revocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, irritamus, ac annullamus, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuamus, ac propterea seminarium praedictum ab omni onere dictos alumnos admittendi, excipiendi, et alendi penitus eximas, ac liberes, prout illud tenore praesentium eximimus, ac liberemus. Caeterum per praesentes revocare non intendimus caetera omnia in dictis Clementis literis disposita, quae hisce praesentibus contrariari, aut adversari non noscuntur, quae salva, et illaesa, ac firma remanere volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit, memorati Mutii Capelletti dispositionibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac dictis Pauli, Urbani, Clementis praedecessorum Nostrorum, nec non Nostris literis, et jure quaesito non tollendo, deque unionibus perpetuis committendis ad partes, vocatis, quorum interest, ac Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, aliisque apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, ac magistratus praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore

permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXXXVIII.

Dat. Romae die 15 maji 1783. Anno IX.

Beatificatio venerabilis ancillae Dei Mariae Annae a Jesu tertii ordinis discalceatorum Beatae Mariae Virginis redemptionis captivorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium. §. 1. Angelicae sanctitatis exemplar, angelos ambulantes in terra, hominesque angelorum agentes vitam dictos a patribus castitatis cultores, eosque hoc nomine habitos a majoribus Nostris omni aevo fuisse summis honoribus, ac justa veneratione dignissimos, plane neminem in sacris Ecclesiae factis parumper versatum latere posse arbitramur. Quamvis autem plures, quorum viae tenebrae, et lubricum ex impuro Jovinianistarum grege nostra etiam hac aetate surrexerint; qui non capientes verbum illud continentiae laudibus ore impudico, scriptisque nefariis detrahere conati sunt. Nos tamen non carnis, et sanguinis, sed patris caelestis vocibus excitati virginitatem connubio tantum praestare cum Joanne Chrysostomo profitemur, quantum coelum terrae, hominibus Angeli antecellunt.

Laudes ancillae Dei. §. 2. Eamque ob rem non potuimus certe, quin plurimum admiraremur Dei ancillam Mariam Annam a Jesu tertii ordinis discalceatorum, quos vocant, beatae Mariae virginis redemptionis captivorum monialem professam, quae aetate ineunte mundi illecebris, carnisque oblectamentis nuntium remittens integritatem vitae, morum candorem, castitatemque sic coluit, ut virgo a Deo electa in assiduo ejusdem Dei famulatu, et animo, et virtute praecellens ad obitum usque virgo permanserit. Æquum autem cum primis est, et tam fortis, ac religiosae mulieris gloriam enarrent populi, et laudem ejus nuntiet Ecclesia; quae cum splendenti virtutum lampade, oleoque praeclare gestorum ad castissimas caelestis sponsi nuptias accedens, sponsi ejusdem conviviis accumbere, atque illius aeternis frui deliciis potuit.

§. 3. Cum itaque mature diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de apostolicae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eadem Dei ancilla Maria Anna a Jesu plurimum claruisse, nec non miraculis, quae ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quandocumque Nobis videretur, praedictam Dei famulam beatam declarare cum consuetis indultis. — Judicium editum a sacrorum rituum congregatione de virtutibus illius.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, enixisque charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici, et quamplurium venerabilium fratrum archiepiscoporum, episcoporum, nec non capitulorum, Matritensis, aliarumque civitatum senatuum, atque insuper totius ordinis beatae Mariae Virginis redemptionis captivorum supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis benigne inclinati de supradictae congregationis consilio, et assensu, auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus, ut eadem Dei ancilla Maria Anna a Jesu in posterum beatae nomine nuncupetur; ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium (non tamen in processionibus circumferendae) exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, ac de ea quotannis die felicissimi ejusdem obitus, vel, si haec fuerit impedita, alia die ab episcopo designanda recitetur officium, et missa de communi Virginis non martyris cum oratione propria juxta rubricas missalis, et breviarii Romani. — Beatificatio, et concessio officii, et missae propriae.

§. 5. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine tam excalceatorum, quam non excalceatorum beatae Mariae Virginis de Mercede, in civitate Matritensi, in qua ortum duxit, atque ultimum Dei famula obiit diem, totaque dioecesi Toletana ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam saecu- — Reservationes speciales.

laribus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea primo dumtaxat anno a datis hisce literis, et quoad Indias a die, quo eaedem literae illuc pervenerint inchoando, in praedictis ecclesiis solemnia beatificationis ipsius Dei famulae cum officio, et missa sub ritu duplicis majoris die ab ordinario respective constituta, postquam in Nostra basilica sancti Petri in Vaticano de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu secretarii dictae congregationis subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus habeatur, quae praesentibus ipsis haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIII maji MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 13. maji 1783 anno nono.

CDXXXIX.

Confirmatio donationis cappellae, seu ecclesiae fratribus ordinis Praedicatorum civitatis Portugallensis a regina fidelissima factae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium.

§. 1. Ad pastoralis dignitatis fastigium nullo licet meritorum Nostrorum suffragio per ineffabilem divinae sapientiae bonitatem evecti, ea, quae ad religionis, et divini cultus, piorumque operum incrementum, et animarum salutem, proinde facta esse dignoscuntur, ut firmo, perennique robore subsistant, libenter, cum id a Nobis petitur, apostolici muniminis Nostri praesidio constabilimus, praesertim vero, quoties sublimiorum principum vota ad id accedant.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et fratres ordinis Praedicatorum conventus sancti Dominici civitatis Portugallensis, quod cum die XXIV aprilis anno MDCCLXXVIII. fortuito incendio ecclesia dicti conventus consumpta fuerit, carissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliae, et Algarbiorum regina fidelissima infortunio hujusmodi commiserans cappellam, jam in solo ejusdem conventus aedificatam, ac ad confraternitatem tertii ordinis sancti Dominici die quinta aprilis MDCCLV. a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. per suas literas apostolicas, ut asseritur, suppressam alias spectantem una cum sacrario, aliisque adnexis, ac necessariis supellectilibus eisdem fratribus assignavit, et concessit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti, ut concessio, seu assignatio cappellae, adnexorum, ac supellectilium hujusmodi firmius subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac etiam ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae votis hisce Nobis desuper exhibitis annuere cupientes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, donationem, concessionem, seu assignationem cappellae, una cum sacrario, aliisque annexis, ac necessariis supellectilibus a memorata Maria Francisca regina fidelissima dictis fratribus ordinis Praedicatorum, ut praefertur, factam, una cum omnibus, et singulis in ea contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, et omnes, ac singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in om-

nibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima tertia maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 13. maji 1783. Anno IX.

CDXL.

Approbatur resolutio confraternitatis s. Mariae supra Mercatores nuncupatae civitatis Recanatensis super manutentione unius juvenis, qui in Urbe studiis vacet, et confraternitatis negotia gerat.

Venerabili fratri episcopo Recanatensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sanctae Mariae supra Mercatores nuncupatae civitatis Recanatensis, quod ipsi ab anno usque MDCCXXXV. habito conventu pluribus suffragantibus statuerunt, ut quidquid, detractis expensis, ex annuis redditibus dictae confraternitatis superesset in tot locis montium non vacabilium coemendis impenderetur, quorum fructus erogarentur in manutentione in Urbe unius personae, quae res, et negotia ejusdem confraternitatis, et communitatis Recanatensis procuraret, atque in electione dictae personae confrater aliquis, vel eo deficiente, aliquis cum confratre consanguinitate, vel affinitate conjunctus alias nobilis ex eadem civitate praeeligeretur. Hujusmodi vero confraternitatis statutum accurate servatum est ad annum usque MDCCLX, quo cum confraternitatis ecclesiam ruinam minitantem, ejusque oratorium reaedificandi urgeret necessitas, superextantes redditus hujusmodi impendere cessatum est, statutumque, ut in posterum tam locorum montium, quam censuum iisdem superextantibus redditibus emptorum fructus cederent in subsidium unius juvenis, qui in Urbe operam navaret studiis, ac negotiis tam confraternitatis quam communitatis curam impenderet. Cum autem postmodum tu, frater episcope, unius curae ruri in loco Balnioli erectionem duxeris necessariam, et annuum redditum scutorum septuaginta monetae Romanae in subsidium curati, fabricae ecclesiae, et domus ejusdem curati, assignari ab eadem confraternitate postulaveris, ipsa confraternitas non solum dicta annua septuaginta scuta ab ejus redditibus jugiter desumenda consensit, sed insuper in eisdem fabricis octingenta, et amplius scuta similis monetae impendit; ac quoniam ex eisdem superextantibus redditibus, cumulata pecunia non satis erat supplendis dictis expensis, eadem confraternitas, infrascripta cardinalium congregatione annuente, censum tercentorum scutorum paris monetae super sua bona imposuit. Quia vero ipsa confraternitas modo dictum censum extinxit, et suupras fabricas absolvit, cum denuo ad eum statum devenerit, ut superextantes redditus reponere valeat, et certos fundos acquirere, quorum fructus cedere possint in unius juvenis subsidium, qui in Urbe studiis operam navet, et confraternitatis simul, et communitatis Recanatensis negotiis insistat ipsi exponere, quo capta ab ipsa confraternitate de hujusmodi juvene, ut supra, in Urbe manutenendo resolutio firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Itaque hujusmodi precibus ab infrascripta cardinalium congregatione, ad quam eas remisimus, ad te pro informatione, et voto transmissis, informatio tua desuper udita una cum dictis precibus dilecto filio nostro Hiacyntho Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Gerdil nuncupato tradita fuit, ut suum super praemissis ederet votum, quod fuit tenoris sequentis videlicet.

§. 2. Quoniam Eminentiae Vestrae sententiam qualemcumque meam exquisierunt, principio illud statuo, in quocumque negocio aliud esse substantiam rei, aliud vero modum. Con- Tenor voti emissi a cardinali Gerdil

silium sane eratorum quo ad substantiam utile, ac laudabile est, cum in bonum reipublicae, religionisque ex aequo conspirot recta, ac christiana juventutis educatio In quam causam fructus sodalitii, omnibus deductis oneribus impendere, charitas est. Concinit etiam episcopi votum, *ut supra vidimus*, nec dissentire videtor *Monacello qui in supplemento* tom. I. *form. legal. practic. pag.* 27. *edit. Romae anno* 1714. *num.* 255. postquam num. *praecedenti* statuit solemnitatem pro alienatione bonorum necessariam requiri etiam, ut confratres possint contractu perpetuo sodalitium onerare annua solutione certae pecuniae, ait, episcopum non debere impedire » Si confratres » solvere velint, cum sit opus pium, nisi in » casu, quo alia opera pietatis proprii institu» ti desererent, prout respondit sacra congre» gatio episcoporum in Ferentina constitutio» nis xxiv. novembris MDC. in qua confra» ternitates voluntarie concurrebant pro solu» tione salarii magistri scholae » Igitur ex Monacello operis alicujus pii exercitium ex superextantibus redditibus permitti poterit sodalitiis; ac per consequens apostolicum in eam rem concedi beneplacitum. Hinc quaerendum est de modo; ex quo, si bene disponatur, profectus, et utilitas maxima sperari; sin autem male, damna non levia provenire possunt. De aetate nempe, de moribus, deque aliis ad negocium opportunis solliciti esse debemus.

De iis exquisivi sensum episcopi, qui confraternitatis in unum collectae, votum accepit, *quod in folio signat. lit. D. clare, ac perspicue continetur* summa condictionum adjiciendarum; quae convenientissimum statuunt modum hocc est: sane confraternitas primo intendit in hoc juvene jurisperitum habere, qui publici privatique boni auctor sit, et promotor., optimum ideo erit si aetas dicti eligendi juvenis sit *annorum* xx. et ipso legitime doceat, philosophiae curriculum complevisse: ast nisi studia cum virtutum laude conjungantur, nihil prodest scientiarum acquisitio, imo vero plurimum obest — *Etsi . . . . noverim . . . . omnem scientiam . . . . charitatem autem non habuero, nihil sum* — pro lege itaque stet oportet, ut antequam juvenis eligatur bonum testimonium de vita, et moribus a proprio parocho habeat; electione autem sequuta, moram in Urbe faciat omnino, vel in religiosa domo, vel in collegio Piceno (quod oratores, ut omnibus aliis anteponatur, humillime petunt) ne autem unus tantum omni vitae suae tempore subsidio gaudeat, exclusis caeteris, qui tali medio proficere possent doctrinae laude, et praeclare gestis, *octo annorum* spatium pro fruitione subsidii unicuique praefiniatur ulterius non protrahendum; ita tamen ut habita prudentiori methodo notitia de profectu alumni in studiis, deque moribus christiano viro dignis quoque biennio confirmationem (ipsomet petente) obtineat, quatenus illa dignus inveniatur; et ea non obtenta menstruum stipendium illico cesset alteri assignandum. Haec, aliaque in eorum conventibus praemeditata a sodalibus, rei, de qua agitur, accomodatissima, et adeo religiose servanda mihi visa sunt, ut censeam, juvenes, qui praescriptis qualitatibus destituuntur, neque ad concursum esse admittendos. At vero ad majorem elucidationem addendum puto, quod favor erga sodales ita protendi debeat, ut in concilio diei xviii. septembris MDCCLXXXII. extendi debere confratres decreverunt.

Duo nihilominus menti meae obversantur, quae difficultatem aliquam pariunt, et quaestionem 1.° Cupiunt oratores, quod alumnus nedum sodalitii, verum et *communitatis Recineti* negocia agat. Id quamvis non videatur e diametro repugnare qualitati subsidii praestandi ex bonis sodalitii, quod pro laicali habendum esse suadent rationes ab iisdem oratoribus adductae; nihilominus alumni ipsius utilitati detrahere potest. Si enim iste graviori negociorum mole, et multiplici rerum agendarum anfractu prematur, in diversa nimium distracta mente ad studia ineptior erit, quae quidem studia praecipuum hujus operis momentum constituunt; neque aliunde dicta communitas aliquid impendit pro juvenis alimonia, operisque mercede. Praeterea vero, quum praefiniri debeat aetas annorum viginti haec aetas ipsa minus apta videtur negociis gerendis.

Secundo quoties deficiant primo contemplati, vocatur in subsidium, media tamen electione, unus privative *ex nobilium coetu* ut supra exposui. Sed non video, cur nobiles tantummodo in casu praeeligi debeant; ac perpetuo excludi juvenes de ignobili stirpe progeniti, quamvis fortasse optimae expectationis, et nonnunquam adhuc praenobilibus. Concedendum potius ut in pari meritorum causa nobilis

praeeligatur, nec assumi possit, nisi qui *Recinetensis* sit, praetermissis alienigenis, quoniam *Recanatense* est sodalitium.

Quae dum dixerim EE. VV. sapientiori judicio submitto, et earam manus humillime deosculor.

EE. VV.

Datum Romae ex collegio s. Caroli ad catinarios hac die 14. martii 1783.

Tenor decreti editi a s. congregatione concilii. §. 3. Die xv. martii MDCCLXXXIII. sacra congregatio eminentissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum, attenta relatione episcopi Recanatensis, perpensoque voto eminentissimi domini cardinalis Gerdil ad hujusmodi negocium examinandum ab eadem sacra congregatione deputati, censuit, si Sanctissimo Domino Nostro placuerit per suas literas apostolicas in forma Brevis eidem episcopo committi posse, ut veris existentibus narratis, supradictam resolutionem juxta superius descriptum votum ipsius eminentissimi relatoris, pro suo arbitrio, et conscientia gratis approbet, atque confirmet.

L. cardinalis Pallavicinus.

Loco ✠ Signi

Tenor concessionis. §. 4. Nos igitur ipsos exponentes gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, et votum supradicti Hiacynthi cardinalis ad hujusmodi negotium examinandum ab eisdem cardinalibus deputati perpenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, supradictam resolutionem juxta superius descriptum votum ipsius Hiacynthi cardinalis auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis approbes, atque confirmes.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima tertia maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLI.

Dat. Romae die 16. maji 1783. Anno nono.

Commissio super instructione promovendorum ad archiepiscopatus Indianos ec.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quae requirantur ad promotionem episcoporum enumerantur. §. 1. Quanta cura, et qua sollicitudine cum sacrum Tridentinum concilium, tum etiam Nostri praedecessores, et praesertim felicis recordationis Gregorius pp. XIV, praedecessor itidem Noster in sua constitutione, quae incipit — Onus apostolicae servitutis — sub datum die 15 maji MDXCI. praecavendum esse censuerint, ut manus cito nemini imponerentur, ne scilicet ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinae sacerdotalis honor tribueretur, neve indignis, et longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium, et ecclesiarum gubernatio crederetur, plures ordinationes, et leges, quae circa promovendorum ipsis angelicis humeris formidandum, episcopatus ministerium, fidem, vitam, mores, doctrinam, et prudentiam tulerint, quam maxime comprobent; siquidem inter caetera memoratus Gregorius praedecessor providentiae concilii Tridentini disponendis, ut in provincialibus synodis per metropolitanos habendis praescriberetur, quibusque locis, et provinciis propriae examinis, seu inquisitionis, sit instructionis faciendae forma Romani pontificis arbitrio approbanda, quae magis eisdem locis utilia, et opportuna esse videretur, cui tunc temporis, nisi a paucissimis obtemperatum fuerat, supplere desiderans, ne interim lupi rapaces, potius ad dispergendum, quam boni pastores ad pascendum Dominicum gregem se se intruderent, unde ad episcopalis dignitatis collegium sublimando indignum alienis peccatis communicarent, de fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia promovendorum instructionem, examen, et inquisitionem, dum extra curiam esset facienda, ad ejusdem Tridentini concilii mentem apostolicae Sedis lega-

tis, seu nunciis provinciarum, aut ejus, de quo sit inquisitio, ordinario; eoque deficiente, ordinariis viciunioribus, juxta modum, ac formam in eadem constitutione expressam commisit.

Exceptiones adhibitae pro episcopis in Indiis promovendis.

§. 2. Verum sicut Nobis nuper exponi fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quamvis usque in praesens religiosissime in Hispaniis, dum de promovendorum hujusmodi inquisitione, ac examine suscipiendo agitur, insinuata methodus sit observata, et adhuc observetur; attamen, quoties res est de praeficiendis episcopis cathedralibus ecclesiis in Indiis existentibus, sive sint promovendi nati, et commorantes in Indiis, sive nati Indi, et commorantes in Hispaniis, sive nati Hispani, et commorantes in Indiis, deficiente legato, aut nuncio apostolico, aut alio legati apostolici vicesgerente in regnis Hispaniarum praedictis, cum ob ecclesiarum metropolitanarum, et cathedralium in iis dissitis regionibus summum inter se intervallum, tum etiam ob dubium, num ab ordinario loci, aut domicilii sit assumendum praescriptum examen Gregorianae constitutionis methodus aliqua secum ferat incommoda, ut nempe ecclesiae hujusmodi saepe saepius, non sine gravi animarum Christifidelium detrimento diu suis pastoribus sint viduatae, aliaeque exoriantur disputationes, quibus memoratus Karolus rex catholicus pro ea pietate, ac religionis zelo, qua in iis omnibus impense nititur, quae nedum temporale, sed etiam spirituale suorum subditorum bonum respiciunt, obviam ire summopere desiderans; Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Remittuntur conditiones volitae a constitutione Gregoriana pro episcopis ante dictis.

§. 3. Nos igitur, qui aeque ac praedecessores Nostri probe novimus, quanti intersit, idoneos pastores ecclesiis praeficere, cum integritas praesidentium salus sit subditorum; et quanti Christifidelium bono referat ecclesiae viduatae luctus, quod citius per novam sui episcopi electionem abstergere, quoniam ex experientia ipsa inferre licet, Gregorianam constitutionem praedictam ad ecclesias in Indiis, ut praefertur, consistentes, nisi incommode extendi, a dicta dispositione concilii Tridentini, ut nempe cum non uniformis ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate ad sumendam de qualitate promovendorum debitam instructionem, et examen, ratio possit adhiberi, in provinciali synodo praescribitur, quibusque locis faciendae inquisitionis, et instructionis forma non recedentes, nec non dicti Karoli regis catholici votis annuere volentes, memoratam Gregorianam constitutionem praesentibus pro plene, ac sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam habentes, et deinceps perpetuis futuris temporibus, si eligendi, ac praeficiendi erunt episcopi ecclesiis metropolitanis, aut cathedralibus in Indiis eidem Karolo regi catholico subjectis consistentibus, de promovendorum fide, vita, moribus, doctrina, et prudentia examen, instructio, seu inquisitio, quatenus in regnis Hispaniarum nullus apostolicus legatus, aut nuncius, aut alius legati vicesgerens adsit, ab archiepiscopo Toletano, eoque deficiente ab inquisitore generali haereticae pravitatis in Hispania existenti, quo pariter deficiente, a patriarcha Indiarum respective pro tempore existentibus erit facienda, servata in reliquis ejusdem Gregorianae constitutionis forma, nisi justis de causis Nobis, aut pro tempore existenti Romano pontifici per speciale mandatum alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit, auctoritate apostolica decernimus, constituimus, ac mandamus.

Declarationes speciales.

§. 4. Quod si forte aliquis praedictorum consanguinitate, aut affinitate usque ad tertium gradum inclusive promovendum contigerit, ut omnis suspicio carnalis affectus a tam sancto negotio repellatur, ille quidem eo casu censeatur exclusus, atque eum, qui proximo sequitur, si legatus, aut nuncius, aut quivis alius legati vicesgerens excludendus erit, ad archiepiscopum Toletanum, si archiepiscopus Toletanus, ad inquisitorem generalem si inquisitor generalis, ad patriarcham Indiarum inquisitionis officium deferri, auctoritate, et tenore praedictis volumus, ac declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac sanctae

Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus memorati Gregorii praedecessoris, aliisque apostolicis, ac in concilio Tridentino, et in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLII.

Dat. Romae 16. maji 1783 An. IX.

Supprimitur monasterium monialium in loco di Cerreto Spoletanae dioecesis existens, et applicantur ejus bona conservatorio puellarum ibi erigendo.

Venerabili fratri
Francisco Mariae episcopo Spoletano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Prooemium. §. 1. Romanum decet pontificem tamquam fidelem servum, ac prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam non modo spiritualium providentiam Catholicae Ecclesiae, quantum divina bonitas largitur, jugi vigilantia exhibere, sed et temporalium circumspectionem suorum, et apostolicae Romanae Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis indesinenter consulere, eaque de causa ea omnia sollicitis studiis curare, quae communis utilitatis rationi, et reipublicae saluti consentaneum esse in Domino arbitratur. Hoc sane consilio cum nil magis et religioni, et reipublicae proficuum sit, quam homines a primis annis, et dum adhuc passiones in eorum animis non invaluere, recte instituere in variis ditionis ecclesiasticae civitatibus, oppidis, ac locis, brephotrophia, conservatoria, seminaria, ac etiam ubi opus fuit, reclusoria tum ut juventus ad pietatem, et religionem informaretur, cum etiam, sic exigente necessitate, ut effraenis aberrantium vita cohiberetur, vel ampliori censu auximus, vel etiam de novo ereximus.

Ratio concessionis. §. 2. Cum itaque pro ea pastorali sollicitudine, ac charitate, qua Dominicum gregem tuae curae, ac vigilantiae commissum prosequeris, eoque studio, quo pro iis omnibus, quae ad illius bonum, ac etiam temporale commodum spectare intelligis, enixe conaris aliquod reclusorium in hac tua satis ampla dioecesi, in quo puellae ab undique instantibus periculis tueantur, et muliebribus artibus perficiendi, scilicet nendi, et trahendi cannabim, et lanam, easque etiam texendi imbuantur, erigere summopere desideres. Nobis hinc nuper exponi fecisti, quod in loco di Cerreto tuae Spoletanae dioecesis monasterium sancti Jacobi sanctimonialium ordinis sancti Benedicti erectum existit, in quo tres dumtaxat moniales chorales, et tres conversae, quae omnes, vel ob aetatem, vel ob alia incommoda sunt valetudinariae, vitam degunt, easque propter impares omnino sunt vitae regularis disciplinam retinere, nullaque subsit spes, ut aliquando novae admitti possint postulantes ob dissentiones, et discordias, quae antea actis temporibus illam communitatem dilacerarunt; propter quas duae etiam moniales a dicto monasterio ad alia monasteria confugerunt, ad reipublicae bonum, et dicti loci utilitatem pertineret, quatenus praevia ejusdem monasterii suppressione, abolitione, et extinctione, ac sanctimonialium in dicto monasterio nunc commorantium ad alia monasteria ejusdem ordinis translatione sua bona, jura, et actiones etiam ad haere-

ditatem bo. mem. Armodii Maccioni quomodulibet spectantia, et pertinentia novo in loco di Cerreto erigendo, ac instituendo conservatorio ad excipiendas puellas, undique instantibus periculis expositas, unirentur, ac incorporarentur, prout uniri, et incorporari summopere desideras.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur tuis votis, quantum cum Domino possumus benigne annuere volentes supplicationibus bujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut monasterium praedictum sancti Jacobi in loco di Cerreto tuae Spoletanae dioecesis, auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extingnas, ac suppressum, et extinctum esse decernas, atque declares, prout auctoritate praedicta perpetuo supprimimus, ac extinguimus. Sanctimoniales porro in dicto monasterio, ut praefertur, suppresso, et extincto ad alia monasteria ejusdem ordinis sancti Benedicti, praevio tamen consensu monialium dictorum monasteriorum, ac assignata eisdem sanctimonialibus congrua annua quantitate fructuum bonorum, ad primodictum monasterium quomodolibet spectantium auctoritate praedicta transferas; bona vero, jura, et actiones ad monasterium bujusmodi etiam juribus haereditatis memorati Armodii Maccioni, cujus dispositioni, quam praesentibus pro plene, ac sufficienter expressam, ac de verbo ad verbum insertam haberi volumus, derogare intendimus, quomodulibet spectantia conservatorio, ut praefertur, in dicto loco di Cerrato erigendo eadem auctoritate applices, et concedas. Tibi insuper injungimus, ut ex redditibus, provantibusque dictorum bonorum uoa, ant duabus mulieribus magistris piis nuncupatis ad dictum locum pro recta puellarum educatione, ac religioni, et artibus institutione arcessitis congruam annuam quantitatem assignes; utque postquam dictum conservatorium erit erectum ex iisdem bonis annuum dotale subsidium pro summa scutorum viginti illi puellae inter caeteras attribuendum, quae ob morum integritatem, suam in Deum pietatem, ac paupertatem dignior repotabitur esse datrabendum eadem auctoritate edicas, et mandes.

Declarationes speciales.

§. 4. Quoniam autem decet Nostrae providentiae intuitum ad eas puellas convertere, quae cum essent de descendentia, ac sanguine dicti Armodii Maccioni, ejusque genitoris, erant ex illius dispositione in dictum monasterium, ut praefertur, sic suppressum gratis admittendae, ac alendae, ut in erigendo conservatorio, quoties illud institutum erit omnes puellas, quae coram ordinario se esse de descendentia, et sanguine dicti testatoris, probaverint, admitti volumus, ac mandamus. Hortamur tandem fraternitatem tuam, ut onera missarum, aliaque legata pia, quibus dictum monasterium gravatum forsan existit adimpleri cures, illorumque satisfactioni in futuris perpetuis temporibus pro tuo arbitrio, et conscientia consulas.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, memorati Armodii Maccioni, aliorumque piorum testatorum dispositionibus, etiam testamentariis, codicillis, quod quoad praemissa sufficienter, ac expresse commutamus; de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodulibet concessis, appro-

batis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 16. maji 1783. Anno IX.

CDXLIII.

Facultas confraternitatis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum Lucanae civitatis erogandi portionem eleemosynarum pro redemptione captivorum perceptarum, in expositionem sanctissimi Sacramenti.

Venerabili fratri Martino archiepiscopo Lucano.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et confratres confraternitatis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum in ecclesia sancti Hieronymi hujus civitatis Lucanae erectae, quod Nos alias illorum precibus Nobis humiliter porrectis per Nostras literas die XVII. novembris MDCCLXXV. in simili forma Brevis expeditas eidem confraternitati, ut sui confratres, ac consorores in diebus quadragesimae, ac aliis vigiliis anni ovis, ac lacticiniis vesci libere, ac licite possent, sub certis tamen conditionibus, ac forma concessimus, et indulsimus, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur; quodque subinde hoc indultum ad omnes personas in hac tua dioecesi existentes, ea tamen lege, ac conditione, ut unaquaeque eam eleemosynam in redemptionem captivorum nationalium erogandam, quae a te, tuisque successoribus pro tempore existentibus praefinita esset, per gratiosum Nostrum rescriptum ordinarii arbitrio exequendum extendimus, ac propagavimus.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, eadem confraternitas praeter fructifera capitalis, grandem etiam quantitatem numeratae pecuniae ab eleemosynis praedictis perceptam, quae etiam quotidie augetur ob numerum illorum, qui indulto praedicto uti desiderant; ita ut annua scuta tercenta, et ultra percipiantur, possideat, ad divini cultus augumentum pertineret, si in ecclesia dictae confraternitatis juxta laudabilem hujus civitatis Lucanae consuetudinem, ut quotidie in aliqua ex suis ecclesiis per turnum fiat expositio sanctissimi Eucharistiae sacramenti, dum contingat ob paupertatem aliquarum ecclesiarum nisi ex emendicatis pecuniis fieri possit in certo anni tempore sanctissimum Eucharistiae sacramentum exponeretur; ut vero necessariis impensis facere satis valeat, aliqua portione ex pecuniis, ut praefertur, ab fidelium eleemosynis perceptis erogari posse summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cujus fide, prudentia, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut eisdem exponentibus de pecuniis, ut praefertur, perceptis annuam summam scutorum triginta pro expositione sanctissimi Eucharistiae sacramenti, ac etiam summam arbitrio tuo praefiniendam pro comparandis necessariis supellectilibus sacris erogandi, et impendendi plenam, et amplam facultatem auctoritate Nostra apostolica impertiaris.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; et ab eis respective inviolabiliter observari; sic-

que in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, memoratis literis, et rescripto Nostris, nec non confraternitatis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLIV.

Dat. Romae 20. maji 1783 An. IX.

Provincia Lusitana congregationis Clericorum regularium ministrantium infirmis sejungitur a congregatione praedicta, et erigitur in novam congregationem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Apostolicae Sedis auctoritas, quae universi catholici orbis consulit felicitati religiosorum, ordinum commodo, et tranquillitati, sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sancitis legibus decreverit, quae ad illorum regimen, atque incolumitatem conferre in Domino videretur. Pastoralis quippe Romanorum pontificum cura in eo tota est, ut quidquid ad vineam Domini colendam, ad catholicae religionis administros sublevandos, et ad pacem servandam pertinet enixis viribus studeat providere.

Expositio precum porrectarum a regina fidelissima.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae expositum fuit, urgentibus justissimis de causis, necessariam esse separationem Lusitanae provinciae clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis a praeposito generali extero, idque regularis disciplinae ejusdem congregationis, et provinciae conservationi magis, magisque conferre posse, esse sperandum.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur rite, ac mature omnibus perpensis rationum momentis, quae separationem hujusmodi suadere poterant, audito prius praeposito generali dictae congregationis, deque ejus consilio, ac votis ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, clericosque praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratam Lusitanam provinciam clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis, omnes scilicet domos ejusdem congregationis in regnis eidem Mariae Franciscae subjectis consistentes, ac personas omnes a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione exteri praepositi generalis dictae congregationis perpetuo eximimus, et liberamus, eamdemque provinciam, seu dictas domos, sic exemptas, et separatas in novam congregationem Lusitanam clericorum regularium congregationis ministrantium infirmis nuncupandam auctoritate, et tenore praedictis erigimus, et instituimus.

Privilegia tributa novae congregationi.

§. 4. Praeterea clericis novae hujusmodi congregationis Lusitanae, sic a Nobis per praesentes erectae facultatem juxta regulares suae congregationis constitutiones apostolica auctoritate confirmatas sibi eligendi vicarium generalem modo, ac forma, quo in capitulo provinciali illi eliguntur, qui suffragium ferre debent in capitulo generali, pari auctoritate, ac

tenore concedimus. Insuper cum haec quoque nova congregatio ab uno vicario generali, quatuor consultoribus, ac uno arbitrio secretario regi, et gubernari debeat, qui omnes iisdem facultatibus, auctoritate, honoribus, praerogativis, privilegiis, et exemptionibus polleant, quibus praepositus generalis totius congregationis praedictae, ac consulta generalis respective pollent; suisque officiis eodem prorsus modo, ac forma, quae a literis apostolicis, decretis, ac rescriptis itidem apostolicis, et constitutionibus congregationis praedictae sunt praescripta, fungi debeant; volumus propterea, ut electo vicario generali, ut praefertur, quemadmodum in capitulo generali fit electio consultorum generalium, ita ab eo eligantur quatuor consultores, quibus electis una cum vicario generali praefecti locales, et vice praefectus domus sancti Camilli civitatis Lisbonensis, in qua munus praefecti vicarius generalis pro tempore existens geret, ab iis designentur, utque officia vicarii generalis, suorumque consultorum ad sex annos, praefectorum vero ad biennium dumtaxat durent; vicario vero generali, ac consultoribus praedictis exactis eorum officiis, ut omnibus privilegiis, exemptionibus, et praerogativis, quibus ex-generales, et ex-consultores generales totius congregationis praedictae utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, una cum jure suffragii in capitulo ad eligendum vicarium generalem coacto, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, ita tamen, ut nullo modo exempti a regulis instituti, quoad debita nosocomiorum servitia censeantur auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Tandem eidem congregationi sic noviter erectae, illiusque ecclesiis, ac clericis regularibus nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, suffragiis, aliisque gratiis spiritualibus, et temporalibus, quibus eadem congregatio, illiusque ecclesiae, ac clerici ante dismembrationem, separationem, et exemptionem praedictam, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, et indulta hujusmodi ipsi congregationi post suam separationem, et exemptionem praedictam, illiusque ecclesiis, et clericis specialiter concessa reperirentur; ita tamen, ut defunctis suffragia praestent a capitulis generalibus ordinata, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur; ipsique, ut omnes literae apostolicae, Brevia, decreta, rescripta, aliaque clericis regularibus ministrantium Infirmis concessa, quae hisce praesentibus Nostris literis non adversentur, ejus favore suum plenum sortiantur effectum auctoritate, et tenore praedictis elargimur.

Deputatio primi vicarii generalis, aliorumque officialium.

§. 5. Quoniam vero hac prima vice aliquae dissentiones, et animorum studia exoriri forsan poterunt in electione superiorum ejusdem congregationis, hinc motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine in vicarium generalem dilectum filium Joachim das Neves Libeiro, in consultores dilectos filios Emmanuelem Josephum Tituao, Emmanuelem Rodrigues de Carvalho, Jacobum Galitia, et Isidorum Cardozo de Menezes, in arbitrum vero, et secretarium dilectum filium Gondisalvum Monteiro cum omnibus, et singulis auctoritate, jurisdictione, privilegiis, indultis, et praeeminentiis, quibus vicarius generalis, consultores, et arbiter, ac secretarius uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, facimus, ac deputamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit quibusvis dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et con-

suetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLV.

Dat. Romae die 22. maji 1783. Anno nono.

Beatificatio servi Dei Laurentii a Brundusio sacerdotis professi ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Illustrium pietate, atque excellenti catholicae religionis studio insignium heroum cultus, ac veneratio dum maxima excitat fidelium animos, eosque inflammat, ut honorabilem Deum in sanctis suis magna, ac mirabilia facientem adorent spiritu, et veritate; tum illos invitat, allicitque, ut praeclara eorum gesta, qui strenue viam divinorum mandatorum cucurrerint, exequantur. Hujusmodi enim est spectatae virtutis ratio, ut quos solemni veneratione prosequimur, etiam simili conversatione sequamur, quos beatissimos praedicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus, quorum dilectamur praeconiis, sublevemur eorum patrociniis. Ecquis autem mendicus erit, qui sociis, amicis, contubernalibus suis omni deliciarum genere extructam a rege locupletissimo mensam inspiciens, vel tantae liberalitatis magnificentiam non admiretur, vel ante januam adhuc jacentem sese sustentari saltem de micis, quae cadunt de mensa regis non postulat, immo non etiam confidat tanta ciborum ubertate plenissime se saturatum iri? Pauperes Nos quidem certe facti sumus. Dominus autem virtutum ipse est rex gloriae, qui fidelibus suis divinas avide esurientibus epulas non modo cibaria mittit abundantiae, sed e difficili via revocatos in patriam deliciis omnibus, bonisque sic replet, ut egestati etiam Nostrae facile ipsi possint opportunam opem implorare. Quamobrem omnium ecclesiarum gerentes sollicitudinem nunquam majori gaudio abundamus, quam cum beatis viris, qui coronam justitiae jam sint assequuti maturum Nobis sit altarium honores decernere; divina enim nixi clementia certo confidimus, eosdem hos ipsos, qui terris degentes praeclarissima exempla vindicandae religionis, imitandaeque virtutis posteris reliquerunt, atque plurimum caeteris praestiterunt charitate, in potentias Domini ingressos, et Nobis Petri navim assidua tempestate jactatam sollicite gubernantibus, et Ecclesiae universae adfuturos.

§. 2. Altos inter egregiae virtutis cultores apparuit diebus istis Dei famulus Laurentius a Brundusio, qui inclyti ordinis minorum sancti Francisci, quos Cappuccinos vocant, disciplinam amplexus assiduae orationi, praedicationi evangelii, proximorum saluti, vitae austeritati sic incumbuit; ita charitate, spe, fide, omnique virtutum genere fulsit, ut non amplius ipse sibi, sed uni Christo, atque Christus in ipso continenter viveret. Laudes servi Dei Laurentii a Brundusio.

§. 3. Cum itaque matura, diligenterque discussis, et perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de hujus sanctae Sedis apostolicae licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus servum Dei Laurentium a Brundusio sacerdotem professum ordinis fratrum minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum multipliciter claruisse, et super miraculis, quae ad ejus intercessionem ad manifestandam hominibus ejus sanctitatem a Deo edita, et patrata fuisse dicebatur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quandocumque Nobis videretur, praedictum Dei servum donec ad actum solemnis illius canonizationis deveniatur, publice beatum declarari cum solitis indultis. Decretum congregationis Rituum super virtutibus ipsius servi Dei.

Tenor beatificationis, et concessio officii, et missae de communi confessorum non pontificum.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis nonnullorum venerabilium fratrum antistitum, universitatum, ac totius memorati ordinis fratrum minorum sancti Francisci Cappuccinorum, ac nuncupatim dilecti filii Bernardini a Prato ejusdem ordinis sacerdotis professi hujus, aliarumque causarum servorum Dei dicti ordinis postulatoris supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de eorumdem cardinalium consilio, auctoritate apostolica, tenore praesentium facultatem concedimus, atque impertimur: ut idem Dei servus Laurentius a Brundusio beati nomine nuncupatus, ejusque corpus, et reliquias venerationi fidelium non tamen in processionibus circumferendas, exponi, immagines quoque radiis, et splendoribus exornari, officiumque, et missam de eo in singulis annis die septimo mensis julii de communi confessorum non pontificum cum oratione propria a Nobis approbata, juxta ritum missalis, et breviarii Romani recitari libere, ac licite possit, ac valeat. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine minorum sancti Francisci Cappuccinorum utriusque sexus in oppido Villae Franchae del Vierzo, ubi venerabilis ejus corpus requiescit; in civitate Ulyssipponensi, in qua ad suprema gaudia evolavit, ac denique in civitate Brondusii, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam saecularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur, et quantum ad missas attinet etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur confluentibus; praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas emanatas, et quoad Indias a die, quo eaedem literae illuc pervenerint, incohando, in ecclesiis ordinis, et praefatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem servi Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori die ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua ro diem primam junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu secretarii praefatae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLVI.

Dat. Romae die 24 maji 1783. anno nono.

Supprimitur monasterium, seu praepositura de Indersdorff canonicorum regularium in Bavaria existens, et applicantur ejus bona mensae capitulari ecclesiae collegiatae s. Mariae Monachii.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quamvis inter varias, et multiplices sollicitudines, quas in hisce praesertim difficillimis temporibus pro communi Christianae reipublicae utilitate humilitati Nostrae divina providentia concreditae, dies, noctesque suscipimus, apostolicae auctoritatis Nostrae partes in utilitatem, et incrementum ordinum regularium, qui in Ecclesia Dei, ac illius ornamentum, et praesidium tam scite, ac prudenter a praedecessoribus Nostris fuerunt instituti, paternam coram interponere, ac conferre semper exoptaverimus, attamen si aliquando ex inconstanti mundanarum rerum, ac temporum conditione, unde etiam meliora interdum in pejus delabuntur, aliquod monasterium, aut conventus, vel a pristino regularis disciplinae candore miserrime deflexerit, vel adeo aere alieno sit oppressum ut modis omnibus ad suam puritatem restitui, ut nomina debitorum expediri non possit, ac matura prius, et debita considerationis trutina pensatis rerum circumstantiis salubriter in Domino fore illorum bona, ac redditus alteri pio operi perpetuo addicere conspeximus, luculentissimis praedecessorum Nostrorum exemplis inhaerentes ea supprimimus, ac extinguimus, bonaque sua in alios usus convertimus, prout in Domino expedire arbitramur.

Expositio precum porrectarum a duce Bavariae, super necessitate suppressionis monasterii.

§. 2. Sane pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Karoli Theodori comitis palatini S. R. J. principis electoris, et Bavariae ducis expositum fuit, quod monasterium, seu praepositura canonicorum regularium d' Indersdorff in ducatu suo Bavariae existens adeo est aere alieno gravatum, ut annui nummorum foenoris, aliorumque onerum, quibus addictum est, satisfactio major sit censu; quocirca licet sciers rei domesticae administratio moderni praepositi imminenti ejusdem praepositurae, seu monasterii praedicti jacturae occurrere pro viribus studuerit, cum tamen suae sollicitudines omnes in irritum cesserint, supplices preces eidem Karolo Theodoro duci obtulit, in quibus expositis hisce dicti monasterii, seu praepositurae ingendis circumstantiis, in primis separatum obtulit abdicare dictam praepositaram pro creditorum indemnitate, dein, ut monasterium, ac bona illius in alium pium usum convertantur, consulit.

Exponuntur providentiae captae ab eodem duce Bavariae.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Karolus Theodorus dux, quo divinus cultus augeatur, et congruae ministrorum Ecclesiae Dei sustentationi prospiciatur, cappellam residentiae suae electoralis Monacensis ecclesiae collegiatae sanctae Mariae pariter Monacensi unire, et incorporare intendat, ita ut deinceps unum dumtaxat exinde constituatur corpus, capitulum, ut canonici pro tempore existentes, sint cappellani eidem cappellae inservientes, secum propterea reputans annuos tum praebendarum canonicalium, tum beneficiorum dictae suae cappellae reddidus satis tenues esse, eosque augeri, et creditorum dicti monasterii, seu praepositurae d' Indersdorff indemnitati occurri posse, quatenus praevia illius suppressione, bona, fructus, redditus, jura, et actiones ad illud quomodolibet spectantia mensae capitulari collegiatae ecclesiae praedictae unirentur, et incorporarentur, prout uniri, et incorporari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur piis ejusdem Karoli Theodori votis, quantum cum Domino possumus, annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine memoratum monasterium, seu praepositaram canonicorum regularium d' Indersdorff in Bavaria existens harum serie perpetuo supprimimus, et extinguimus, ac perpetuo suppressum, et extinctum esse decernimus, et declaramus. Monasterium vero una cum adnexa ecclesia, una cum omnibus bonis mobilibus, et immobilibus, praediis, curiis, villis, et singulis juribus, titulis, attinentiis, et pertinentiis quomodolibet ad illud ex antiqua, vel recenti dotatione, et accessu spectantibus, aut competentibus mensae capitulari collegiatae ecclesiae sanctae Mariae Monacensis unimus, adnectimus, et incorporamus; ita tamen, ut capitulum, seu mensae capitularis administratores pro tempore existentes, missarum, aliorumque onera, quibus bona, ac loca gravata existunt satisfacere, nec non eam annuam pensionem, quae ab harum praesentium executoribus congrua videbitur, omnibus canonicis regularibus tum professis, tum laicis, ac cuilibet eorum pro sua sustentatione pendere, ac tandem aes alienum, quo dictum monasterium premitur, paulatim dissolvere teneantur; quocirca venerabili fratri Ferdinando Christophoro episcopo Chiemensi, et moderno praelato de Scheiren, de quorum prudentia, fide, religione, ac in negotiis gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praedictum monasterium, seu praepositaram suppressam, ac extinctam esse declarent, illudque una cum adnexa ecclesia, suisque bonis, redditibus, proventibus, juribus, et actionibus quibuscumque mensae capitulari ecclesiae collegiatae sanctae Mariae Monachii, sub tamen supra expressis conditionibus, et legibus perpetuo unita, et applicata esse decernant; insuper eam quantitatem pensionis canonicis tum professis, tum laicis dicti monasterii sic suppressi quotannis a mensa capitulari praedicta pensitandam, quae congrua in Domino videbitur, statuant. Nos enim illis, ac cuilibet illorum quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad dicti monasterii, seu praepositurae suppressionem,

ac bonorum respective unionem, et applicationem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, unam, seu plures personas cum iisdem facultibus subdelegandi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro praesentium executione componere, et constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexerint, plenam, et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis, fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii, seu praepositurae etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta maji millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDXLVII.

Dat. Romae die 1. junii 1783, anno nono.

Beatificatio anciliae Dei Joannae Mariae Bonomi monialis professae ordinis sancti Benedicti.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Benedictus Deus misericordiarum pater, qui in omni afflictione nostra consolatur nos miseratione magna sua: rei enim christianae publicae universae, quam divina clementia Nostrae commisit infirmitati, ferentes sollicitudinem quantum capimus moeroris, et luctus ex depravatis eorum moribus, qui nolunt intelligere, ut bene agant; tanto majori afficimur gaudio, atque incredibili laetitia perfundimur, quum a Deo inspicimus nova instaurari virtutum exempla, quae plures habere facile possint non admiratores solum, sed etiam imitatores. Vivit Deus in aeternum: ecce nunc tertium satis brevi dierum intervallo integrum Nobis fit, altarium honores iis decernere hominibus, qui omnium virtutum genere praestantes, fide servata, absolutoque divinorum mandatorum cursu, ut ipsi coronam justitiae sunt consecuti, et alios exemplo edoceant suo, quam turpiter sibi mentiatur iniquitas, dum excusationem peccati requirens laborem in praeceptis fingere non veretur.

Laudes ancillae Dei Joannae Mariae Bonomi.

§. 2. Quid enim magis est arduum, quid homini difficilius, quod Dei ancilla Joanna Maria Bonomi monialis professa ordinis sancti Benedicti muliebri quidem natura ipsa debilis, sed animi virtute firmissima, non esse sibi pro Deo praestandum duxerit? In primo suae aetatis flore, quae aliis sunt lucra, haec eadem sibi detrimenta esse Dei famula intelligens, voluptatum illecebras, et perniciosa rerum flu-

xarum blandimenta non modo est plurimum aspernata, sed ab his etiam prorsus abhorruit; quam ob rem monialium ordinis sancti Benedicti institutum professa uni Deo, cui tantum servire regnare est, sic fuit addicta, uti pareret illam esse, quae ipsius Dei gratia rebus mundanis omnibus nuntium sponte remiserat. Ex hoc tam incenso in Deum amore egregia nimirum illa oriebatur voluntas jejuniis, carnisque afflictionibus corpus in servitutem spiritus redigendi, ac frequentissime vacandi orationi; quo nempe fieri sibi facilius posse sperabat, ut sponso suo mundi servatori Christo arctius in dies conjungeretur. Nec certa illam optima frustrata spes est; sic enim divinis freta auxiliis omnem vitae suae rationem instituit, ut morti proxima paratum cor suum ad fruendum in coelis Deo asseruerit.

Decretum editum a s. congregatione Rituum.

§. 3. Quum itaque mature diligenterque discussis, atque perpensis per congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum processibus de apostolicae Sedis licentia confectis super vitae sanctitate, et virtutibus tam theologicis, quam moralibus in gradu heroico, quibus eadem Dei ancilla Joanna Maria Bonomi multipliciter claruisse, necnon miraculis, quae ad ejus intercessionem, et ad manifestandam hominibus ipsius sanctitatem a Deo patrata fuisse asserebantur; eadem congregatio coram Nobis constituta, auditis etiam consultorum suffragiis, uno spiritu, unaque voce censuerit, posse quandocumque Nobis videretur, praedictam Dei ancillam beatam declarari, cum solitis indultis.

Declaratio beatificationis ipsius ancillae Dei.

§. 4. Hinc est, quod Nos piis, atque enixis dilectorum Nobis filiorum nobilium virorum ducis, et reipublicae Venetorum, necnon quamplurium ex venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, et dilectis filiis capitulis, et canonicis metropolitanarum, et cathedralium ecclesiarum, tum etiam generalium praesidum ordinum regularium, aliorumque ecclesiasticorum, et secularium coetuum, potissimum vero ordinis universi sancti Benedicti supplicationibus Sedi apostolicae, et Nobis humiliter porrectis inclinati, de memoratae congregationis cardinalium consilio, et assensu auctoritate apostolica tenore praesentium ad majorem Dei gloriam, et Ecclesiae quidem universae, praesertim monastici ordinis decus, et ornamentum indulgemus, ut eadem Dei serva Joanna Maria Bonomi in posterum beatae nomine nuncupetur, ejusque corpus, et reliquiae venerationi fidelium, non tamen in processionibus circumferendae, exponantur; imagines quoque radiis, seu splendoribus exornentur, et de ea quotannis die ab ordinariis, ordinumque regularium praesulibus, ad quos spectat, designanda recitetur officium, et missa de communi virginum non martyrum cum orationibus a Nobis approbatis juxta rubricas breviarii, et missalis Romani.

Concessio officii, et missae propriae ipsius beatae.

§. 5. Porro recitationem officii, et missae celebrationem hujusmodi fieri concedimus dumtaxat in universo ordine sancti Benedicti utriusque sexus, in civitate Bassani, omnique dioecesi Vicentina, in qua Dei famula diu vixit, obiit, et venerabile ejus corpus requiescit, atque in oppido Asiagi, ac Patavina dioecesi, in qua ortum habuit, ab omnibus utriusque sexus Christifidelibus tam secularibus, quam regularibus, qui ad horas canonicas tenentur; et quantum ad missas attinet, etiam ab omnibus sacerdotibus ad ecclesias, in quibus festum peragetur, confluentibus. Praeterea hoc anno dumtaxat, videlicet post praesentes literas emanatas, et quoad Indias a die, qua eaedem literae illuc pervenerint, inchoando in ecclesiis ordinis, et praefatarum civitatum solemnia beatificationis ejusdem servae Dei cum officio, et missa sub ritu duplici majori ab ordinariis respective constituta, postquam tamen in basilica principis apostolorum de urbe celebrata fuerint eadem solemnia, pro qua re diem nonam junii assignamus, pariter celebrandi facimus potestatem.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum praesentium literarum transumptis, sive exemplis etiam impressis, manu secretarii praefatae congregationis cardinalium subscriptis, et sigillo praefecti ejusdem congregationis munitis eadem prorsus fides ab omnibus, et ubique tam in judicio, quam extra illud habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda junii MDCCLXXXIII, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 21 junii 1783 anno nono.

CDXLVIII.

Congregationi presbyterorum saecularium oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Maceratensis conceduntur, seu communicantur privilegia alias concessa congregationi Bononiensi ejusdem oratorii sancti Philippi Nerii.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Militantis Ecclesiae regimini, meritis licet imparibus per ineffabilem Dominicae sapientiae, atque bonitatis abundantiam praesidentes, presbyterorum saecularium congregationes in Ecclesia Dei pie, sancteque institutas, uberesque bonorum operum fructus assidue proferre satagentes privilegiis, et gratiis libenter decoramus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem cognoscimus in Domino expedire.

Expositio precum porrectarum a presbyteris congregationis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii presbyteri saeculares congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Maceratae, quod dudum eadem congregatio a felicis recordationis Innocentio pp. XI. praedecessore Nostro confirmata, et nonnullis gratiis, privilegiis, et indultis decorata fuit, ipsiusque congregationis oratorii ejusdem sancti Philippi Nerii Bononiensis in ecclesia beatae Mariae Virginis de Galliera nuncupat. erectae servant, hactenus vixerunt, et adhuc vivunt de praesenti. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, regulae, et instituta dictae congregationis Bononiensis a rec. mem. Gregorio XIII. et Gregorio XV. Romanis pontificibus praedecessoribus pariter Nostris specialiter approbata, ipsique congregationi Bononiensi, ac illius ecclesiae presbyteris, et personis ab iisdem, et forsan aliis Romanis pontificibus etiam praedecessoribus Nostris, et praecipue a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessore itidem Nostro multa privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae, et indulta concessa fuerint, prout ipsorum praedecessorum literis apostolicis desuper respective uberius, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, dicitur contineri. Ipsi vero exponentes regulas, et instituta hujusmodi receperint, seu recipere, et illa pro viribus observare parati sint, ac proinde eisdem quoque privilegiis, et gratiis frui, et gaudere posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, et praedictarum literarum apostolicarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati praedictae congregationi oratorii sancti Philippi Nerii Maceratensis, illiusque ecclesiae, et presbyteris saecularibus, et personis nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, excepto tamen indulto altaris privilegiali, aliisque favoribus, gratiis, et indulgentiis, ac exemptionibus, regulis, et indultis memoratae congregationi Bononiensi, ejusque ecclesiae presbyteris, et personis per praedictos Romanos pontifices praedecessores Nostros quomodolibet concessis, etiam specifica, et individua mentione, et expressione dignis, et quibus eadem congregatio Bononiensis, ejusque ecclesia, presbyteri, et personae ex memoratorum pontificum praedecessorum Nostrorum concessione de praesenti utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, pari modo, uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, regulae, et indulta hujusmodi ipsi congregationi Maceratensi, ejusque ecclesiae presbyteris, et personis specialiter concessa reperirentur, sine praejudicio tamen gratiarum, indultorum, et privilegiorum eidem congregationi Maceratensi a supradicto Innocentio praedecessore, sicut praemittitur, concessorum, et dummodo ipsius congregationis Maceratensis presbyteri, et personae nunc, et pro tempore existentes regulas, et instituta pro dicta congregatione Bononiensi, ut praemittitur, approbata observent, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque ordinationibus, et constitutionibus apostolicis, ac quatenus opus sit dictae congregationis Maceratensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. die 12. julii 1783. anno nono.

CDII.

Confirmantur constitutiones canonicorum regularium ordinis sancti Augustini congregationis Colimbricensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoris aeterni vices licet immeriti gerentes in terris, ea, quae pro felici religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae instituto mancipatorum regimine, et in via mandatorum Domini directione provide, salubriterque constituta esse noscuntur, ut firma semper, ac illibata persistant, apostolici muniminis, cum id a Nobis petitur, praesidio libenter constabilimus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores, et canonici congregationis canonicorum regularium sanctae Crucis Colimbricensis ordinis sancti Augustini, quod cum venerabilis frater Joseph Antonius episcopus Visensis per Nostras in simili forma Brevis die xv. septembris anni MDCCLXXXI. in apostolicum visitatorem, et reformatorem ejusdem congregationis deputatus, exacta eadem visitatione, efformaverit novas leges, ac constitutiones tenoris, qui sequitur.

PARS PRIMA

De iis, quae ad institutum, receptionem, professionem, mores, vitam, disciplinam, et observantias religiosas pertinent.

Caput I.

De instituto, et congregatione canonicorum regularium.

De instituto, et congregatione canonicorum regularium.

§. 3. 1. Cum regulares canonici ad formam apostolorum fuerint instituti, a magno patre Augustino stabiliti, ab aliisque sanctis per diversa terrarum loca propagati, ut saeculo renuntiantes, et sine proprio in communi viventes, Deo tantum se voverent, orationi vacarent, psalmodiam in choro canerent, aut recitarent, sacris altaribus inservirent, episcopos adjuvarent, proximorumque saluti praedicando, docendo, sacramenta ministrando incumberent; cumque iidem canonici per Lusitaniam primo cathedralium capitulis, deinde singularibus monasteriis absque ullo congregationis vinculo habitantes in unum corpus fuerint coadunati, congregationemque sub titulo sanctae Crucis Colimbricensis, Joanne III. Lusitanorum rege curante, et apostolica Sede approbante, efformaverint, ut praefatum institutum melius custodirent. Volumus, atque praecipimus, ut in eadem congregatione idem institutum semper observetur, et ab omnibus firmiter custodiatur.

De subjectis ex quibus congregatio constat

§. 4. 2. Haec autem congregatio constat, constareque debet praeposito generali, prioribus, seu praelatis monasteriorum, quae per universa Lusitaniae dominia sunt, vel pro tempore fuerint in spiritualibus unita, consiliariis, magistris, officialibus, caeterisque canonicis, qui praefatum institutum jam solemniter sunt professi, vel ad professionem parantur. Plures tamen ad hanc non recipientur congregationem, quam redditus pro congrua illorum sustentatione patiantur: hac de causa capitulum generale singulis trienniis numerum assignabit eorum, qui singulis congregationis domibus recipi debent, et ultra consignatum numerum, nulli recipientur, nisi unus pro quolibet e vita functo.

Caput II.

De receptione, et professione canonicorum.

De receptione et professione canonicorum

§. 5. 1. Quicumque saeculo renuntiare, et in hac congregatione voluerit cooptari, prius debent personaliter comparere in monasterio, ubi recipi ad canonicum habitum postulaverint, si hoc fieri possit absque magno incommodo supplicantium, ut videri, ac tractari possint ab illis, qui eos recepturi sunt. Deinde stricto examinabuntur de peritia linguae latinae a duobus examinatoribus per priorem, et consiliarios ad id nominatis. Postea de mandato ejusdem prioris, et consiliariorum fient inquisitiones secundum juris formam de illorum vita, genere, et moribus.

De inquisitionibus faciendis.

§. 6. 2. Has proinde inquisitiones a priore, et consiliariis jam approbatas, et subscriptas, idem prior transmittet patri generali, cui per literas quoque manifestabit qualitates, et vocationem hujusmodi recipiendorum. Pater vero generalis simul cum collegis suis easdem inquisitiones leget, consignabit, et approbabit, nisi aliquod ex infra dicendis impedimentis ibi reperiatur, ipsasque vel approbatas, vel reprobatas intra spatium triginta dierum memorato remittet priori. Nullus vero in novitiatum recipi poterit absque approbatione patris generalis, ipsoque inconsulto.

De anno probationis indicendo.

§. 7. 3. Quibus peractis, statim eosdem postulantes proponet prior in capitulo conventui, modo capitulares non sint extra monasterium tempore, quod *Brevia* nuncupatur, ut ab ipsis capitularibus simul cum priore admittantur, vel rejiciantur ad probationis annum per secreta suffragia, quorum scrutatores erunt prior cum immediato consiliario, et scriba conventus; cum tamen paria sint hinc inde suffragia, selectio erit penes priorem.

De non recipiendis in conventu.

§. 8. 4. Conventus autem neminem recipiat, nec prior generalis admitti consentiat, qui sequentibus innodatus fuerit impedimentis; nempe si matrimonii vinculo, aut servitutis fuerit ligatus: si parentes ejus, aut avi ob haeresim, aut apostasiam a religione catholica, vel ob crimen laesae majestatis fuerint puniti, vel judicati: si alterius religionis habitum suscepit, et in ea professus est: si aere alieno praesertim regio, aut aliqua civili obligatione sit obstrictus: si habituali, vel contagioso morbo laboret, ignominiave, aut infamia sit notatus, aut magnam corporis habuerit laesionem, vel supra modum deformis existat: si legitimam aetatem quindecim annorum nondum habeat, vel quadragesimum excedat, nisi aliis eximiis virtutibus, ac donis religioni valde utilibus hic defectus compensetur: si pertinaci, elato, aut superbo animo sit, vel parum mentis compos, aut fatuus, et inconstans esse videatur.

De humanis respectibus non commendandis.

§. 9. 5. Si recipi voluerit aliquo humano respectu, non divini amoris, et animae salutis studio ductus ad religionem se conferat, si ex aliquo monasteriorum hujus congregationis jam fuerit rejectus, vel non admissus ad habitum ob impedimentum, quod decursu temporis tolli, vel emendari nequeat: si linguam latinam sufficientissime non intelligant: si ex legitimo non fuerint geniti matrimonio; aut ex parentibus nobilibus oriundi, exceptis aliquibus tantum, qui ad organa pulsanda fuerint necessarii, vel qui cantores extiterint valde insignes, vel utiles, ut plane canant in choro; vel qui magnam literarum scientiam, sive ad literas extraordinarium habuerint ingenium, et acumen; hi enim admitti poterunt, quamvis nobiles non sint, qui non fuerint ex infima plebe. Quapropter de his omnibus supradictae inquisitiones fieri debent.

De instructione facienda admissis, ante quam habitum recipiant.

§. 10. 6. Postquam postulantes sic admissi fuerint, dum habitus, et vestes parantur, magister novitiorum, aut alius canonicus de prioris mandato eos diligenter per dies aliquot circa religionem instruet, institutum, ac disciplinam congregationis docebit, quid in monasterio praestandum, aut exercendum sit, et

praesertim quid tollerandum, nihil asperiorum reticens, ipsis exponet: quo illorum animus, si satis habeat roboris in sententia firmetur, vel si fluctuat, ab incepto viribus majoribus, prudenter desistat.

De tyrocinio concedendo.

§. 11. 7. Quod si perstiterint in sententia, dixerintque se paratos esse ad omnia religionis onera sustinenda, et habitum instanter petierint, statim ad annum tyrocinii recipiantur a priore, qui eos tunica, cingulo, habitu, sive superpelliceo, et almurtia, quae ut a professis distinguantur, erit absque cucullo, induet in choro, caeterasque ibi peraget caeremonias, quae in congregationis ordinario continentur. Quilibet vero in novitiatum novus ingressus, postquam infra mensem exercitiis spiritualibus se munierit, generaliter peccata sua confitebitur alicui ex confessariis communitatis a religione, et ab ordinario approbato.

De corona eis radenda.

§. 12. 8. Sic autem recepti tradentur magistro novitiorum, qui protinus coronam illis radere faciat ad eum modum, quo ipsam deferre solent clerici in minoribus ordinibus constituti, eosque jam positos in tyrocinio de instituto, legibus, moribus, regula, ac disciplina religionis instrui diligenter curabit, sicut infra dicetur.

De propositionibus faciendis, super ipsis in capitulo conventuali.

§. 13. 9. Ipsi deinde novitii singulis quatuor mensibus anni probationis proponentur capitulo conventuali; ut omnes canonici capitulares simul cum priore, audita prius de uniuscujusque novitiorum dotibus, progressu, moribus, et similibus informatione, quam in capitulo dare tenetur magister novitiorum, et alii quoque dare poterunt, usitata calculorum ratione circa unumquemque propositum, secreta suffragia ferant; et qui hoc modo a majori parte fuerit approbatus ad prosequendum tyrocinium, vel eo finito, ad profitendum admittetur; qui fuerit reprobatus, habitu exuto, dimittetur in pace: aequalibus autem suffragiis existentibus electio erit prioris.

De cauthela adhibenda in alicujus exclusione.

§. 14. 10. Si quis tamen dimittendus fuerit, id magna cautione adhibita prudenter fiet, ut neque dimissi animae, aut famae, neque congregationis existimationi detrimento sit. Causae autem, ob quas dimitti debent, hae sunt potissimum: Si quis ingenio, aut natura sit ad aliquod votorum servandum perdifficilis; si moribus iis sit, quibus congregationis concordia, et tranquillitas turbari, aut infirmiores ad peccandum impelli facile possint: si denique hujus congregationis instituto non congruere videatur.

De professione emittenda.

§. 15. 11. Elapso jam probationis termino, anno videlicet, ac die, conditoque testamento, seu bonorum renuntiatione, juxta formam a concilio Tridentino praescriptam, si renuntiare libuerit, qui modo supradicto fuerint approbati, solemnem statim professionem emittent in hunc modum. Cum dies professionis a priore fuerit assignata cantato a choro hymno *Veni Creator Spiritus* tempore offertorii missae conventualis profitentes amicti pallio talari, quo solent uti canonici cathedralium per adventum, et quadragesimam ingredientur ecclesiam, et genuflexi ante altare majus, factis precibus consuetis, sicut in ordinario describuntur, publice coram caeteris canonicis votum suum, quod charta professionis dicitur, legent alta voce, ut ab omnibus possint intelligi.

De formula exhibenda super votis emittendis.

§. 16. 12. Ejus autem voti, seu chartae, in qua semper tria vota exprimi debent, haec erit formula — Ego frater N. offerens trado me ipsum Deo, et congregationi sanctae crucis, et promitto obedientiam reverendissimo patri domino N. ejusdem congregationis generali, et successoribus suis canonice electis: castitatem item, ac paupertatem secundum canonicam regulam sancti Augustini episcopi patris nostri.

De peragendis post emissam professionem.

§. 17. 13. Finita professione, surgent e medio ipsi professi, adibuntque sacerdotem missam conventualem celebrantem; et in cornu epistolae sedentem, ad cujus pedes genuflectentes juramentum de servanda clausura praestabunt in manu illius, ac tantum verba dicentes « Ego N. juro me perpetuam servaturum esse clausuram in hac sacra congregatione ad praescriptum constitutionum ejus ». Notandum tamen est, juramentum hoc sub culpa gravi obligare, casibus solummodo exceptis, qui per praesentes constitutiones a clausurae praecepto, et juramento declarantur immunes. His dictis, statim sacerdos missam celebrans brevem illis ad servanda vota, regulam, constitutiones, ac juramentum, exhortationem faciet; et cum pervenerit ad illa verba « Idcirco damus ei communem societatem » ablato pallio talari, eisdem imponet ephistridem, seu almurtiam, quemadmodum caeteri deferunt canonici jam professi.

De amplexu ab electis recipiendo.

§. 18. 14. Exhortatione peracta, surgent omnes iidem professi pacem, et concordiam ab

omnibus accipiant, humiliter singulos complectendo a celebrante usque ad ultimum canonicum professum. Postquam vero haec omnia fuerint peracta, celebrans missam prosequetur, et noviter professi inter canonicos antiquiores manebunt in choro, ut post communionem celebrantis sacram de manu illius sumant Eucharistiam.

De nominis mutatione.

§. 19. 15. Si qui praeterea baptismale nomen ad aliud mutare voluerint, id efficere poterunt, cum profitentur; nomini tamen proprio debent omnes cognomen addere, vel a mysteriis Christi, vel a festis beatae Virginis, addita deinde cognationis suae numenclatura, si ea opus sit, ut cognomina, quae infallibiliter a dictis mysteriis; et festivitatibus desumentur, ab aliis similibus distinguantur.

De inscriptione nominis electi in albo professorum.

§. 20. 16. Cathalogum tandem, quo scripta sint nomina, et cognomina omnium canonicorum professorum totius congregationis secundum antiquitatem uniuscujusque illorum, habebunt singula monasteria in chartophilaceo, ubi reponantur quoque, et servabuntur supradictae professionum chartae ab ipsis professis subscriptae, ut omnibus semper constare possit locus, et tempus; quo sunt professi. Postquam vero sic fuerint professi, nequaquam poterunt in aliam transire religionem absque speciali Sedis apostolicae concessione.

Caput III.

De observantia votorum.

De observantia votorum.

§. 21. 1. Canonici votorum vinculo jam ligati adamussim tenentur ea complere, alioquin melius foret non vovere, quam vovere, et non reddere, quod voverunt. Omnes itaque praelato reverentiam in dictis, et factis exhibeant superiori debitam: eidem tamquam patri semper obediant in his, quae juxta leges praeceperit, ab illo ad alium non recurrant superiorem ob aliquam gratiam obtinendam, quin declarent causam cur ipsis primo denegata fuerat, poenas a lege praescriptas, et ab eodem injunctas propter aliquam ipsarum legum transgressionem factam humiliter accipiant, et fideliter exequantur: et cum habitatores alicujus monasterii aliquandiu mansorint in alio, istius praelato obtemperent in omnibus, exceptis iis tantum, quae proprius praelatus sibi reservavit priusquam egrederentur.

De paupertate.

§. 22. 2. Omnes quoque paupertatem observabunt nihil proprium se possidere scient: nullis contractibus, aut negotiationibus implicentur; pecuniae depositum, etiam in eleemosynas distribuendum, ab exteris non accipiant, nisi de speciali facultate praelati: pecuniam a se ipsis quocumque titulo adeptam, vel acquisitam cum domi fuerint, secum non retineant, nisi ad summum per tres, aut quatuor dies, sub poena proprietariis a canonibus inflicta, sed apud communitatis depositarium reponent, et singulatim ab eo, quod, et quando opus fuerit superioris permissu insumendum recipiant; in vestibus, calceamentis, cellae ornatu, et cuncta supellectili nihil indecorum, vel pretiosum, vel superfluum admittant, sed ea tantum habeant utensilia, quae nec impolita nimis, nec nimis delicata sint; quaeque decentiae canonicorum, ac paupertati congruere videantur. Quod omne a communitate praeparabitur, nec differentia ulla tam inter praelatos, quam subditos cujuscumque qualitatis, et conditionis sint, admittenda erit, vel tolleranda.

De castitate.

§. 23. 3. Omnes demum castitatem apprime custodiant: oculorum modestiam ubique teneant, ne consulto videant, quod appetere nunquam licet: ab eis, quae in luxuriam ferre solent, sedulo abstineant: mulierum familiaritatem, et contubernium diligenter fugiant, ut vel ipsam speciem mali vitare queant; particularem amicitiam non habeant cum personis, quae periculum, aut scandalum ferre possint, utque donum continentiae obtinere valeant, id beatissimae Virginis intercessione humiliter a Deo flagitent. Et si quis graviter in castitatem opere deliquisse, aut mulieres intra monasterium, vel monasterii septa pravo animo intulisse fuerit convictus, severe puniatur, sicut infra dicetur.

Caput IV.

De choro, et officii divini recitatione.

De choro, et officii divini recitatione.

§. 24. 1. Inter praecipua munera canonicorum recitatio divini officii merito computatur, idcirco debent omnes monasteriorum ecclesiae chorum habere sufficientem, a quocumque in-

quinamento mundum, ab omni strepitu immunem, aptis libris refertum, semperque paratum; ut in eo decenter possint canonici die, ac nocte psalmos, et hymnos recitando, aut canendo sacrificium laudis offerre Deo.

De loco, quo officium recitari debeat.

§. 25. 2. Statuimus proinde, ut in omnibus, et singulis monasteriis hujus congregationis, pro universis Ecclesiae catholicae statibus, cunctisque fidelibus christianis officium divinum dicatur in choro integre, attente, ac devote juxta sacrorum canonum statuta, dispositionemque breviarii Romani per concilium Tridentinum, et felicis recordationis papam Pium V. approbati, atque jussu Clementis VIII. reformati. Neminique licebit canonicorum abesse a choro, dum ibi divina persolvuntur officia, quin imo prompte, et alacriter ad id muneris, dato signo, statim convenient, nisi alicujus officii ministerii, privilegii, vel infirmitatis causa deobligentur.

De iis, qui sero veniunt ad chorum.

§. 26. 3. Quod si aliqui ad chorum tardius venerint, ii, flexis genibus, ante altare paululum orabunt, deinde, si fuerint capitulares, inclinato capite superiori, vel ei, qui loco illius praeest, factaque altera inclinatione capitis erga chorum, in sua loca discedent: si vero adhuc versentur in schola novitiorum, postquam oraverint ante altare, flexis iterum genibus ante superiorem, tandiu ita manebunt, quousque ab eo surgere, ac secedere jubeantur.

De distributione horarum canonicarum.

§. 27. 4. Statuimus quoque ut in choro singulae recitentur horae canonicae temporibus in capite de horarum distributione constitutis. Hujusmodi autem horae in monasteriis, quae plusquam viginti habuerint canonicos, diebus festis Circumcisionis, Epiphaniae, sanctorum martyrum Marrochiensium, sancti p. Theotonii, sancti Joseph, Annuntiationis, Dominicae Resurrectionis, Inventionis sanctae Crucis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimae Trinitatis, corporis Christi, sancti Antonii, sancti Joannis Baptistae, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, Assumptionis, patriarchae sancti Augustini, nativitatis beatissimae Virginis, omnium sanctorum, Conceptionis, Nativitatis Domini, ac titularis ecclesiae decantabuntur ad primas vesperas, completorium, matutinum, laudes, tertiam, sextam, nonam, et secundas vesperas.

De matutino et laudibus.

§. 28. 5. Decantabitur etiam matutinum cum laudibus in triduo parasceves, et prima in solemnitatibus Paschae, Natalis Domini, illiusque vigilia: reliquis vero diebus, quid, quando, et quibus monasteriis cantari debeat, capitulum generale singulis trienniis assignabit. Si tamen contigerit aliquando, ut praeter dicta canere officium divinum, vel solemnitatem aliquam ob rationes supervenientes facere oporteat, id a priore, et consiliariis pro qualibet vice decernendum erit. Cum autem divinum officium, vel pars illius non canitur, semper alta voce recitando persolvi debet. Singulis quoque sabbathis statim post completorium litania sanctissimae Virginis decantabitur.

De ordine sedendi in choro.

§. 29. 6. Caeterum in choro sedebunt canonici capitulares juxta singulorum antiquitatem, vel dignitatem superioribus stallis, caput vel birreto coopertum, vel discoopertum tenentes, dummodo inter omnes uniformitas servetur, quando lectiones, aut psalmi recitantur, aut canuntur; sed si sanctissimum Eucharistiae sacramentum ibidem populo sit expositum, tunc nec sedebunt, neque cooperientur. Qui vero ad tyrocinium pertinuerint, sedilibus inferioribus stabunt, vel sedebunt, prout eis fuerit injunctum, aut permissum a superiore juxta dierum, et horarum diversitatem. Extra chorum autem quicumque ipsi non adfuerint, officium divinum recitabunt integre, attente, ac devote, licet sacros ordines nondum habeant.

Caput V.

De missis, processionibus, et anniversariis.

De missis, processionibus, et anniversariis.

§. 30. 1. Sacrosanctum altaris sacrificium presbyterales ordines curent quotidie celebrare: idcirco praecipimus, ut in singulis hujus congregationis monasteriis duae missae quibusque diebus dicantur; altera conventualis de festo, vel feria occurrente pro ejusdem congregationis fratribus, parochianis, et benefactoribus, et altera de defunctis pro fratribus, et benefactoribus ab hac vita sublatis: illa semper decantabitur, neque aliqua votiva, vel defunctorum tunc temporis celebrabitur, sed ad aliam horam erit transferenda, illis dumtaxat exceptis diebus, in quibus secundum caeremoniale congregationis antiquissimam consuetudinem in ipsa servatam, mos est contrarium fieri; ista vero solum in feriis secundis non

impeditis aliquo festo duplici, idque in fine primae; reliquis namque diebus privatim sine cantu dicetur.

De quadragesimae vigiliis, et festis.

§. 31. 5. Sed in quatuor temporibus in quadragesima, et vigiliis missam habentibus, si tunc festum duplex, vel semiduplex inciderit, tres dicendae sunt missae, prima scilicet de festo illius diei, secunda de defunctis, tertia de quatuor temporibus, feria, aut vigilia. Si tamen sabbatho quatuor temporum, alicujus sancti vigilia occurrerit, missa ipsius vigiliae per commemorationem in missa quatuor temporum praeteribit. Et cum prae festorum solemnitate, aut aliis rationibus contigerit, praedictas missas, ut est statutum, non posse celebrari; de hac re disponent priores, prout justum fuerit, dummodo rubricis missalis Romani novissima reformati non repugnetur.

De forma servanda in missis cantu celebratis.

§. 32. 3. Porro in omnibus missis, quae cantu celebrantur, semper diaconus, subdiaconus, et acolyti ministrabunt. In praecipuis vero anni festivitatibus, aut quandocumque opus fuerit, missam, et officium divinum cum assistentibus, insignibus, et ornamentis pontificalibus more episcoporum cuncti priores celebrabunt quemadmodum fieri solet in monasteriis sanctae crucis, et Mafrae juxta consuetudines, et privilegia canonicis regularibus hujus, et aliarum congregationum concessa.

De processionibus.

§. 33. 4. Statuimus praeterea, ut per claustrum, vel ecclesiam fiant consuetae processiones in festo purificationis, in dominica Palmarum, in feria quinta, et sexta hebdomadae sanctae, in diebus rogationum, in festo Corporis Christi, et illius octava, et aliis diebus, quibus pro temporum congruentia visum fuerit priori, et conventui, aut ex ordinario constiterit.

De triplici anniversario in quovis monasterio celebrando.

§. 34. 5. Ordinamus etiam, ut in omnibus monasteriis triplex anniversarium generale pro animabus religiosorum fratrum, et benefactorum congregationis, ac pro omnibus fidelibus defunctis quotannis celebretur. Primum, ac praecipuum in crastino festivitatis omnium sanctorum, cujus matutinum cum laudibus decantabitur media nocte. Secundum prima die semiduplici non impedita post octavam Epiphaniae. Tertium prima die semiduplici post octavam Pentecostes. Et in his tribus anniversariis cuncti canonici sacerdotes pro animabus fratrum benefactorum, et omnium fidelium defunctorum sacrum facient, iis exceptis, qui pro legatis, et aliis obligationibus monasteriorum in illis diebus perfixe occurrentibus celebrare teneantur.

De testamentis fidelium observandis, et exequendis.

§. 35. 6. Cappellis demum, anniversariis, et missis, quae in monasteriis hujus congregationis sunt a fidelibus quibusque stabilitae, plene satisfiat prout in eorum testamentis, conventionibus, legatis, vel missarum reductionibus continetur. Ea propter in fine cujuslibet anni prior, et consiliarii diligenter examinabunt, an illis fuerit satisfactum, hujusmodique examen et missarum satisfactionem scribere facient in libro ad id consignato, cui subscribent omnes, ut postea visitatoribus ostendatur, ejusdemque satisfactionem fidelem a sacrista, et scriba conventus factam, et juramento firmatam, priores ad capitulum deferant generale.

Caput VI.

De oratione mentali, lectione spirituali, silentio, et celebratione missarum.

De oratione mentali.

§. 36. 1. Vigilare, et orare, ne intrent in tentationem praecipit cunctis Salvator mundi. Quamobrem statuimus, ut quotidie in omnibus congregationis monasteriis conventualiter fiat oratio mentalis in choro per semihoram mane, et per alteram semihoram vespere, ad quam tenebuntur omnes religiosi convenire tempore in distributione horarum assignato, nisi aliqua rationabili causa impediantur. Exercitia quoque spiritualia decem dierum singulis trienniis consulant praelati suis subditis capitularibus licet uniuscujusque pietas ad illa peragenda quolibet anno suadere deberet, illos tamen ad ea conficienda lege, aut praecepto non adstringant, nisi forte in poenam alicujus criminis.

De lectione spirituali.

§. 37. 2. Omnes itidem, praeter lectionem, quam in refectorio audiunt tempore mensae, lectioni vacabunt spirituali diebus illis quibus mane hora decima in chorum tertiam recitatum iverint; quando vero quacumque de causa ante horam decimam ad chorum perrexerint, lectio spiritualis omittenda erit, sicut etiam quando in eadem die concio aliqua habenda sit. Hanc autem lectionem singulatim habebunt per medietatem horae legentes, ac meditantes in Biblia sacra, vel in operibus sanctorum patrum, vel in libris, qui pietatem inspirant, et virtutem suadent.

De silentio servando.

§. 38. 3. Silentium praeterea servabunt

canonici capitulares locale, et temporale. Silentium locale observabundum erit in choro, dormitorio, sacristia tempore, quo missae celebrantur, sacello, ubi eucharisticum fuerit sacrarium, refectorio, bibliotheca, latrinis, tonstrina tempore rasurae, et ubicumque conventualiter congregantur. Temporale vero quandiu fit oratio conventualis, lectioque spiritualis, et tempore, quo celebratur capitulum generale in monasterio, ubi celebratur, et a vesperis feriae quartae usque ad missam sabbatbi hebdomadae sanctae, et ab hora prima cum dimidio usque ad tertiam post meridiem tempore aestivo, et ab initio noctis cujuslibet usque ad signum, quod cymbalo fit post recitatam primam sequenti die.

De licentia praelati exquirenda super collocutionibus.

§. 39. 4. In his autem locis, ac temporibus loqui non poterunt, vel secum invicem, vel cum extraneis absque speciali facultate praelati. Sed si loquendi necessitas urgeat, intentionemque suam nutibus declarare nequeant, submissa voce utentur. Priores tamen ob frequentes ad eos subditorum recursus habent facultatem in dictis locis, ac temporibus loquendi, et cum aliis, ut loquantur, dispensandi: eamdem facultatem loquendi habebunt officiales in officinis suis de rebus ad officia sua spectantibus. Qui autem ad tyrocinium pertinent semper silentium servabunt, sicut in capite de novitiorum schola praescribitur.

De cellulis non ingrediendis.

§. 40. 5. Ut silentium vero melius observetur, et firmius custodiatur, nulli religiosorum hujus congregationis, exceptis praelatis, poterunt in aliorum cubicula ingredi, nisi confessariorum, ut eisdem confiteantur peccata sua, vel infirmorum, ut eos visitent, eisque serviant, vel magistrorum ut super quaestionem aliquam eos consulant, vel hospitum, primis tribus diebus hospitalitatis suae, vel quando praelatus jusserit, aut concesserit: dummodo nec in istis casibus ingressus in aliorum cubicula fiant cum manifesta legis silentii fraude, et qui secus fecerint, mediocri poena mulctentur.

De celebratione missae a sacerdotibus.

§. 41. 6. Sacerdotes denique magna cum devotione, ac reverentia quotidie missam celebrabunt, nisi sint legitime impediti, in cujus celebratione mediam insument horam paulo plus, minusve, et horae quadrantem in gratiarum actione. Qui autem sacerdotes non fuerint, quotidie missam audient praeter illam, cui conventualiter in choro adsunt.

Caput VII.

De jejunio, abstinentia, ac flagellatione conventuali.

De jejunio.

§. 42. 1. Jejuniis, abstinentiis, et flagellationibus oportet carnem domare, ne in spiritum rebellis sit, aut supra ipsum extollatur. Omnes igitur dictae congregationis religiosi praeter dies, quos Ecclesia praecipit jejunandos, quibus tenebuntur etiam illi, qui vigesimum primum aetatis annum adhuc non attigerunt, jejunabunt toto adventus tempore, exceptis dominicis, et in duobus primis diebus post quinquagesimam, et in omnibus vigiliis festivitatum beatae Mariae Virginis, quae quatuor cantoribus celebrantur, et in vigiliis sanctorum patrum Augustini, et Theotonii, et in quacumque totius anni feria sexta, exceptis iis, quae a die Natalis usque ad octavam Epiphaniae, et a die paschatis usque ad Ascensionem venerint.

De transferendo jejunio si feria sexta sit impedita.

§. 43. 2. Sed cum in feria sexta quodlibet solemne festum inciderit, jejunium in sabbathum transfertur; et cum in eadem hebdomada alius dies jejunandus venerit, eo jejunium compensabitur feriae sextae. Ex jejuniis tamen praefatis illa tantum, quae fiunt in adventu, feriis sextis, et vigiliis sanctorum patrum Augustini, et Theotonii sub praecepto gravi adstringunt conscientiam.

De abstinentia ab operibus servilibus.

§. 44. 3. Jejunabunt etiam, et ab opere servili vacabunt illis diebus, quibus jejunare, aut vacare solet populus in dioecesi, ubi sita sunt monasteria. Et in feria sexta hebdomadae sanctae pane tantum, et aqua reficientur, nisi debiles sint, aut infirmi, aut aliqua necessitate, seu magno labore gravati: his enim praelatus providere debet.

De abstinentia ab esu carnium.

§. 45. 4. Abstinebunt quoque ab esu carnium feria quarta cujuscumque hebdomadae nisi fuerit infra octavam nativitatis Domini, aut Paschae, aut festa solemnia sanctorum patrum Augustini, et Theotonii in aliqua earum occurrant. Eadem abstinentia servabitur in diebus rogationum, et in Nativitate Domini, si incidat in feriam sextam, quantumcumque his diebus non jejunetur. Qui vero cum debita licentia extra monasterium fuerint, non tenebuntur ad hanc abstinentiam a carnibus, neque ad praedicta jejunia, nisi cum etiam sub praecepto Ecclesiae cadant.

De flagellatione carnis facienda.

§. 46. 5. Flagellatio praeterea conventualis ad satisfaciendam poenam pro peccatis debitam fiet in fine matutini feriae quintae, sextae, et sabbathi hebdomadae majoris, et in omnibus quartis, et sextis feriis adventus, et quadragesimae, nisi aliqua solemnis occurrat festivitas; ea enim occurrente, flagellatio, vel anteponenda, vel postponenda erit, taliter quod dupliciter in qualibet hebdomada adventus, et quadragesimae semper sumatur. Haec autem flagellatio durabit spatio unius quadrantis plus minusve, dum alta voce recitatur psalmus — *Miserere mei Deus* — statim post orationem mentalem vespertinam, vel immediate ante matutinum. Praeter has tamen flagellationes poterit quisque ad arbitrium suum, vel confessarii alias sumere, nisi a praelato prohibeatur.

Caput VIII.

De confessione, et confessariis.

De confessione.

§. 47. 1. Cum sacramentum poenitentiae medium sit, quo in Ecclesia militante peccatorum veniam consequi valeant homines: instituimus, ut omnes praefatae congregationis religiosi semel saltem qualibet hebdomada confessario ad confessiones audiendas approbato confiteantur peccata sua: et in capitulo sabbathi ante culparum manifestationem unusquisque alta voce palam dicat, cui confessus est ad formam antiquarum constitutionum a fel. rec. Paulo pp. V. ut asseritur confirmatarum, sed cum extra monasterium fuerint, ubi plus quam unus ex canonicis confessariis non reperitur, confiteri poterunt cuilibet confessario regulari, vel saeculari, dummodo sit ab ordinario approbatus.

De confessariis.

§. 48. 2. Porro in confessarios canonicorum capitularium nominamus, ac deputamus omnes canonicos ejusdem congregationis, qui ad audiendas saecularium confessiones fuerint approbati, quamvis habitatores non sint illius domus, in qua forte morantur. In confessarios autem illorum, qui ad tyrocinii pertinent scholam, prior, et consiliarii nominabunt sex, vel octo ex capitularibus approbatis, ut inter eos liber possit unusquisque seligere, quem maluerit. Et omnes confessarii tam capitularium, quam fratrum ad tyrocinium spectantium poterunt a criminibus reservatis absolvere absque alia facultate a vigilia Natalis usque ad diem Circumcisionis, a dominica Palmarum usque ad dominicam Paschae, a vigilia Pentecostes usque ad dominicam sanctissimae Trinitatis, et a vigilia solemnitatis sancti patris Augustini usque ad illius octavam.

De cursu theologiae absolvendo a confessariis.

§. 49. 3. Ut autem dictae congregationis canonici saecularium confessiones audire queant, prius debeant theologiae cursum absolvere, vel saltem in aliquo monasteriorum per tres annos theologiam moralem discere: postea ab examinatoribus ordinis strictim examinari, et approbari; deinde a capitulo generali, vel definitorio, vel patre generali, et collegis facultatem in scriptis assequi: tandemque licentiam ab ordinario loci juxta formam concilii Tridentini obtinere. Si quis autem canonicorum non curaverit haec peragere, vel ad saecularium confessiones audiendas se expedire, a superioribus compellatur, nisi aliqua rationabili causa excusetur.

De methodo a confessariis servanda.

§. 50. 4. Hac obtenta facultate, prompte adsint confessionale temporibus consuetis muneri suo satisfacturi, quoties ibi fuerint poenitentes id postulantes, dummodo in choro adsint sufficientes canonici ad officia divina rite celebranda. Caveant tamen confessarii a gubernandis poenitentium domibus, vel temporalibus eorum negotiis tractandis; haec enim pluries animarum detrimento esse consuescunt. Et quamvis habeant facultatem audiendi confessiones personarum utriusque sexus, in ecclesia tamen monasterii mulierum confessiones non audient, quin a priore, et consiliariis ad id nominentur. Quod si ab aliquibus moribundis, vel graviter infirmis ejusdem loci, quo sita fuerint monasteria, vel valde prope illa quilibet confessarius fuerit vocatus, ut illorum confessiones extra monasterium audiat, statim praelatus vocatum mittet, eique socium designabit canonicum gravem, ambo tamen simul ibunt, et redibunt, quin divertant ad aliam domum.

De examine a confessariis subeundo.

§. 51. 5. Confessarii tandem, qui praelati, aut in sacra theologia magistri non fuerint, nec audiendi confessiones exercitium adhuc habuerint, spatio viginti annorum singulis trienniis examinabuntur de re morali a duobus examinatoribus, quos generale capitulum, vel definitorium, vel pater generalis cum collegis suis ad hunc effectum nominabit; et quisquis hoc examen non subierit intra idem triennium, eo finito, manebit ipso facto suspensus a confes-

sionibus audiendis, donec examinetur, et approbetur, nisi a visitatoribus fuerit ob aliquam magni ponderis rationem dispensatus, de quibus eorum conscientiam oneramus.

Caput IX.

De sacra communione.

De sacra communione

§. 52. 1. Sanctissimum Eucharistiae sacramentum fideles cuncti debent accipere, ut in Christo maneant, et Christus in illis: ac ideo religiosi dictae congregationis, qui vel ex defectu ordinum, vel alio impedimento sacrum non faciunt, sacramentaliter communicabunt in omnibus dominicis, et diebus festis de praecepto, et in quacumque festivitate beatae Mariae Virginis, et in solemnitatibus s. p. Augustini, sancti Theotonii, sanctorum martyrum Marrochiensium, et in feria quinta cujuslibet hebdomadae, cum in eadem hebdomada aliquis non fuerit dies festus ex memoratis.

De communione recipienda.

§. 53. 2. Sed feria quinta in coena Domini, praelato dumtaxat sacrum faciente, omnes alii etiam presbyteri ab ejus manu sacram recipient communionem. Meminerint tamen sacerdotes, ut quando communicant, sive sani, sive infirmi, semper deferant stolam super utroque humero extensam, cum hoc jure communi expresse caveatur.

De vasibus sacris servandis.

§. 54. 3. Idem quoque sacramentum Eucharistiae, saecularibus, qui hoc postulaverint, ministrabitur tempore, loco, et modo consuetis, juxta formam in rituali Romano assignatam. Curabitque sacrista, ut mappae, vasa, et caetera, quae ad id fuerint necessaria, semper sint parata.

Caput X.

De concionibus, et concionatoribus.

De concionibus, et concionatoribus.

§. 55. 1. Canonicos regulares, cum sint clericorum ecclesiae primaevae successores, quam maximae decet verbi divini praedicatio: quare decernimus, ut in omnibus monasteriis, si commode fieri possit, fiant conciones ad populum super evangelium dierum dominicarum septuagesimae, sexagesimae, quinquagesimae, quadragesimae (excepta dominica Palmarum, vel alia, in qua processio vulgo *dos Passos* in loco fiat) paschatis, pentecostes, et adventus: festivitatum Circumcisionis, s. p. Theotonii, sancti Josephi, Annuntiationis, Inventionis sanctae Crucis, sancti Antonii, sancti Joannis Baptistae, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, assumptionis beatae Mariae Virginis, sancti patris Augustini, nativitatis beatae Mariae Virginis, omnium sanctorum, Conceptionis immaculatae Virginis, et titularium ecclesiae.

De tempore in quo conciones fieri debent.

§. 56. 2. Fient quoque ad populum conciones in triduo ante diem Cinerum, quando Eucharistiae sacramentum populo fuerit expositum; et in die Cinerum, et in dominicis quadragesimae post vesperas, ut moris est, et in feria sexta parasceves, mane, ac vespere; et in diebus festivitatum particularium cujuslibet monasterii, quibus solet praedicari. Canonici tamen sciant, quod si aliquando alias fieri conciones oporteat, eas prior, et consiliarii pro qualibet vice determinabunt.

De requisitis necessariis ad concionandum.

§. 57. 3. Canonici vero, ut concionatores esse possint, primo solitum philosophiae, ac theologiae curriculum absolvent, vel saltem ab examinatoribus ordinis stricte de re theologica examinabuntur: postea facultatem praedicandi verbum Dei a capitulo generali, vel a definitorio, vel a patre generali, et collegis obtinebunt: deinde frequenter praedicabunt solummodo in monasteriis, et eorum ecclesiis per tres annos, quibus transactis capitulum generale, vel definitorium patentes literas ipsis concedet, nisi ad concienandum fuerint minus apti, ut extra monasteria, et eorum ecclesias, obtenta prius licentia ab ordinario loci, munus concionandi exerceant in illis solummodo civitatibus, et oppidis, in quibus monasteria sunt sita, vel quibus sunt ita vicina, ut eadem die a monasterio exire, ad illudque redire possiet; minime vero in majori distantia, ut jam stabilitum erat in constitutionibus antecedentibus a Paulo V. approbatis, propter juramentum, et vinculum clausurae, de qua jam superius dictum est in capite II., et infra dicendum in cap. XVI.

De concionatoribus in tabula vulgo Pauta.

§. 58. 4. Illi autem, qui monasterii conciones in tabula vulgo *Pauta* consignatas praedicaverint, octo dierum spatio antequam praedicent ab ecclesiastico penso intra chorum persolvendo, et caeteris communitatis actibus, excepto capitulo sabbathi, et oratione mentali vespertina, immunes erunt; missamque illius diei, qua praedicaverint, pro intentione, quam maluerint, libere poterunt applicare. Illis ve-

ro, qui extra monasterium concionantur, ad arbitrium superioris relinquitur facultas concedendi praedictam immunitatem dierum per id temporis, quod sibi justum videbitur.

De exemptionibus concedendis eximiis concionatoribus.

§. 59. 5. Illos tandem, qui valde insignes fuerint in ministerio verbi, seu magno cum audientium plausu, ac religionis honore intra, vel extra monasterium, praesertim Colimbriae, Mafrae, Ulyssipponae, et similibus locis frequenter praedicare consueverint, capitulum generale immunes faciet a recitandis in choro matutino laudibus, prima, et completorio diebus non festivis, primae, aut secundae classis, neque destinatis solemni officio defunctorum. Et postquam sic perseveraverint concionando per quindecim annos, idem capitulum generale praefatam immunitatem perpetuo ipsis concedere poterit: si tamen postea conciones monasterii sibi a priore distributas, absque legitima causa renuerint praedicare, supradicta immunitate privabuntur a visitatoribus ordinis, et chorum semper adire compellentur.

Caput XI.

De literarum studio.

De studio literarum.

§. 60. 1. Qui ratione instituti, verbum Dei praedicare, confessiones audire, et ecclesiasticas caeremonias exercere tenentur, debent semper literis vacare, ut muneri suo faciant satis. Quamobrem statuimus, ut omnes hujus congregationis canonici literarum studio diligenter incumbant temporibus in capite de horarum distributione assignatis; qui autem defuerint huic studio, nisi officio, infirmitate, aut alia valde rationabili causa impediantur, eadem poena, qua stricti silentii transgressores, mulctentur.

De concionibus in re morali habendis.

§. 61. 2. Ordinamus item, ut in omnibus monasteriis, fiant collationes de re morali de quindecim in quindecim dies spatio unius horae post vesperas alicujus diei non impeditae concionum, solemnitatum, recreationum, feriarum, et similium rationum causa. Ad hujusmodi collationes, signo facto, convenient omnes canonici capitulares, qui legitima ratione infirmitatis, officii, aut alterius similis actualiter non impediuntur, nec sunt lectores actuales, ut intra se conferant, ac discutiant quaestiones, quas praesidens proposuerat discutiendas. Eisdem collationibus praesidebit canonicus ille, qui a capitulo generali, vel definitorio fuerit deputatus, vel etiam a patre generali.

De consultationibus moralibus instituendis.

§. 62. 3. Item canonicus sic deputatus, sive moralis theologiae magister sic institutus, respondere tenebitur consultationibus moralibus, quae ipsis fuerint ab extraneis propositae: tenebitur etiam diebus non solemnibus, aut feriatis spatio unius horae post vesperas moralem theologiam, sive conscientiae casus docere simul eos canonicos, qui theologiae curriculum forte non sunt ingressi, vel non absolverunt, et omnes saeculares, qui ad theologiam moralem audiendam ibi convenerint. Hi vero magistri, quandiu ita docuerint, iisdem gaudebunt immunitatibus, quas habent philosophiae, vel theologiae professores, dummodo in omnibus solemnitatibus, quae quatuor cantoribus celebrantur, chorum adeant: et postquam quatuordecim annorum spatio legerint, conclusionesque vicibus quatuor saltem publice defenderint, eadem obtinebunt privilegia, quae lectoribus emeritis conceduntur.

De studio rethoricae instituendo.

§. 63. 4. Praecipimus quoque, ut in monasteriis, quae scholam habuerint novitiorum, aliquis a capitulo generali, vel definitorio, vel patre generali deputetur canonicus, qui rethoricam doceat novos professos, nisi Mafrae publicum adeant gymnasium. Hanc enim artem discent omnes canonici unius anni spatio, antequam philosophiae cursum ingrediantur, ab hora octava matutina usque ad nonam, et ab hora tertia vespertina usque ad quartam hyberno tempore, vel a quarta usque ad quintam vere, cunctis diebus non impeditis, aut feriatis.

De officiis quibus interesse omnes concionatores tenentur.

§. 64. 5. Omnes tamen chorum adibunt dominicis diebus, festivitatibus quatuor assistentium, et officiis defunctorum: reliquis vero diebus a matutinis in choro recitandis liberi erunt: aliamque non habebunt immunitatem praeter dies octo recreationis intra septa monasterii post Pascha. Magister vero, qui eos docuerit, easdem habebit immunitates, quas habent lectores supradicti moralem theologiam in monasteriis docentes. Sed si postquam rhetoricam docuerint per sex annos, philosophiam, aut theologiam aliis sex annis docere peragant, noviesque conclusiones publice defenderint, eisdem privilegiis decorabuntur, quibus gaudent professores emeriti.

Caput XII.

De horarum distributione.

De distributione horarum.

§. 65. 1. Quo stabilis ordo in cunctis actionibus semper appareat, singulas dierum horas distribuamus oportet in hunc modum. Singulis diebus temporis hyberni, seu a vigesima dia septembris usque ad ultimam aprilis expergi fient hujus congregationis religiosi mane hora sexta, et intra horae dimidium se decenter induent, Deo per manus beatissimae Virginis offerent opera illius diei, seque laudabunt, et accingent, et in chorum pergent.

De recitatione horae primae.

§. 66. 2. Hora sexta cum dimidia primam in choro recitabunt, qua finita, usque ad septimam cum quadrante mentaliter orabunt, nisi aliqua missa tunc temporis canenda sit, vel omnes horae minores immediate sint dicendae, vel dies sit solemnis, primae, aut secundae classis, vel eodem die cantandum sit officium defunctorum, vel dominica fuerit adventus, aut quadragesimae, vel sabbatbi capitulum habeatur; tunc enim mentalis oratio his optime compensatur. Oratione autem, vel missa, vel capitulo, val similibus absolutis, in claustrum ibunt, responsorium pro animabus fratrum, propinquorum, et benefactorum recitaturi, ut moris est.

De celebratione missae.

§. 67. 3. Deinde usque ad horam nonam, cum dimidia sacerdotes missam devote celebrabunt, reliqui vero missam audient, et quod supererit temporis literis, aut caeremoniis, aut cantui plano addiscendis, aut rebus dabunt similibus: semper tamen aliqui remanebunt sacerdotes, qui postea diebus praecipue dominicis, festisque de praecepto coram populis ad templum monasterii missae audiendae confluentibus missam celebrent. Ab hora nona cum dimidia usque ad decimam lectioni spirituali vacabunt modo, ac diebus in capite VI. praescriptis.

De recitatione horae tertiae.

§. 68. 4. Hora decima chorum adibunt, ut transacto quadrante, tertiam, atque missam conventualem cum cantu dicant, sextam, et nonam recitent, aut etiam cum dies fuerint solemnes, canant, quae quidem omnia protrahentur usque ad horam undecimam cum dimidia paulo plus minusve. Sed si dies fuerint solemnitatis, aut concionis, aut capituli conventualis negotiorum, ant vesperas ante prandium canendi, aut aliqnid simile faciendi, tanto citius ante horam decimam, inchoabitur tertia, et missa, quantum opus fuerit, ut cuncta exacte persolvantur.

De examine conscientiae.

§. 69. 5. Horis canonicis jam persolutis, examini conscientiae per dimidium horae quadrantem conventualiter in choro vacabunt, et postea signum dabitur ad prandium in refectorio, ubi servari debent, quae in capite de refectione dicuntur, et hora prima pomeridiana usque ad secundam silentium servabitur, ne dormientes perturbentur.

De vespere, et completorio.

§. 70. 6. Hora secunda post meridiem, excitator, caeteros expergi faciat, ut illico ad chorum vesperas, aut completorium, si ante prandium vesperae fuerint jam dictae, cum cantu post primum quadrantem dicturi accedant. A fine vesperarum usque ad horam quintam erit tempus liberum, ut postquam morali conferentiae adfuerint, reliquum rusticationi, honestae confabulationi, ludibus vulgo *do Taco, do Xadres, das Tabulas, Bola, e Damas*, minime vero aliis quibuscumque ludibus, aut caeteris id genus decentibus rebus, prout voluerint, impendant. Hora quinta in choro recitabitur completorium, quo finito, statim oratio mentalis, cui nemo deerit absque urgentissima necessitate, conventualiter fiet per semihoram, nisi officium, aut nocturnum defunctorum sit recitandum, vel preces matutinae cum laudibus eadem nocte sint canendae, vel aliud quidpiam simile pei agendum.

De tempore vacandi studiis literarum.

§. 71. 7. A primo quadrante post horam sextam, usque ad primum quadrantem post horam octavam literarum studio vacabunt, cui nemo deerit, nisi officii, vel infirmitatis, vel necessitatis causa. Hora octava cum dimidio matutinum cum laudibus in choro inchoabitur, quod semper cum debita pausa recitabunt, priusquam eant in refectorium. Si tamen matutinum fuerit canendum, tanto citius inchoabitur ante horam octavam cum dimidia, quantum opus fuerit, ut rite compleatur. Matutino, laudibusque functis, in refectorium ibunt cenatum, sicut in capite de refectione dicitur. Matutinum tamen Nativitatis Domini inchoabitur hora decima, vel quantum sat fuerit, ut, eo finito, missa ejusdem festivitatis media nocte incipiatur; matutinum cum laudibus in triduo parasceves vespere decantabitur, ut fieri solet.

De tempore ad dormiendum praefixo.

§. 72. 8. Deinde quadrante secundo ante mediam noctem sonante, signum dabitur ad

dormiendum. Unusquisque tamen antequam se somno dedat, iterum propriam privatim examinabit conscientiam de peccatis in eo die commissis.

Declarationes speciales.

§. 73. 9. Tempore autem verno, seu ab ultima die aprilis usque ad vigesimam septembris eadem, ac eodem modo agentur, sicut de hyberno tempore dictum fuit, aliqua tamen diversis fient horis.

Hae siquidem a somno excitabuntur hora quinta. Transacta deinde media hora in choro primam recitabunt, orationemque mentalem conventualiter habebunt. His, aut missa, aut capitulo, aut aliis hujusmodi finitis, sacerdotes missam celebrabunt, et caeteri audient, et alia, quae opportuna fuerint peragent usque ad octavam.

De novo tempore literarum studiis tribuendo.

§. 74. 10. Ab bora octava usque ad nonam cum dimidia literarum studio vacabunt. Ab eo tempore usque ad horam decimam locumbent lectioni spirituali. Hora decima, nisi propter causas supradictas antecedenter eundum sit, ad chorum pergent, tertiam, et missam conventualem cantaturi, sextam, et nonam dicturi usque ad horam undecimam paulo plus minusve. Quibus peractis examini conscientiae conventualiter in choro per dimidium horae quadrantem vacabunt: et postea signum dabitur ad prandium in refectorio, ubi peragentur ea, quae dicta sunt.

De tempore quo invicem confabulari possit.

§. 75. 11. Finita refectione, et gratiarum actione, invicem poterunt conventualiter confabulari in aliquo loco ad id destinato usque ad horam primam post meridiem. Ab hac hora usque ad tertiam unusquisque in cellam suam se recipiet dormiturus, strictumque silentium observaturus. Hora tertia in chorum redibunt, ut vesperas de more canant. Post vesperas usque ad horam sextam erit tempus liberum in praedictis recreationibus licitis, et honesta confabulatione consumendum, nisi quod collationibus moralibus adesse debeant, cum illarum dies fuerint. Hora sexta in chorum pergent completorium recitaturi, mentalemque orationem per semihoram facturi.

Declarationes speciales super distributione horarum.

§. 76. 12. Si dies tamen fuerit rusticationis, seu deambulationis, completorium statim post vesperas dicetur, et oratio mentalis ante matutinum immediate fiet, nisi fuerit matutinum cantandum; tunc enim oratio mentalis omittenda erit. A primo quadrante post horam septimam usque ad primum quadrantem post horam octavam literarum studio se applicabunt. Hora octava cum dimidia chorum ingredientur ad matutinum cum laudibus recitandum, nisi matutinum cantari debeat; tunc enim citius ad chorum ibunt. Matutino cum laudibus rite persolutis, ad refectorium signum dabitur pro nocturna refectione. De hinc caetera fient sicut hyberno tempore.

§. 77. 13. Si autem contigerit aliquando, ut propter diversitatem climatis ubi sita sunt monasteria, vel propter aeris intemperiem, vel propter aliam similem rationem, ordo temporis hic assignatus, seu praedicta horarum distributio aliquantulum immutari debeat, id pro qualibet vice a priore fiet, cum consiliariis; dummodo omnia, quae stabilita manent, satisfiant. Aliae limitationes ad eumdem finem.

Caput XIII.

De vestibus, et habitu.

§. 78. 1. Clerici omnes, qui regulam profitentur, habitu, et vestibus uti debent, quae uniformitatem servantes, illorum statui, ministerio, et consuetudini congruant pariter, et necessitati. Vestes igitur canonicorum dictae congregationis sunt sequentes: Superpelliceum ex lino patriae: almurtia, et birretum, quo utuntur soli capitulares, ex panno nigro tonso, qui vulgo dicitur *lemiste:* tunica ex panno albo: cingulum ex lino: infra tunicam vestis humerale, et subligaria linea, aut lanea: Indusium, et braccae ex lino vulgari: tibialia acu ex lineis, aut lanis filis confecta: et calcei ex corio nigro. De vestibus, et habitu.

§. 79. 2. Habeant praeterea quasdam chlamides, vulgo *tranachas* laneas talares a fronte apertas, et pallia nigra, quibus aliquando intra, vel extra domum cooperiantur, et galerum itidem nigrum, quo extra domum caput tegant. Ex memoratis tamen vestibus solum superpelliceum est canonicorum habitus, quem semper deferre tenentur, et cum dormiunt capiti supponere, vel supra lectum conjicere debent. Cum autem exierint a monasterio, ut intra civitates, et oppida quamlibet personam visitent, vel per domos particulares ut quodlibet negotium, et similia pertractent, pallia nigra subtiliora, sive capastalares ex panno nigro, delicatiori inter superpelliceum, et almurtiam a collo pendentes deferre poterunt. De chlamide, pallio, et galero.

De superpelliceo, et tunica.

§. 80. 3. Verum superpellicea ejus erunt longitudinis, ut, extensis deorsum brachiis, extremitatem digitorum manui attingant. Tunicarum pannus erit ex lana, aut ex lino, et lana juxta differentes stationes aestatis, et hyemis permixtis, aut ex alia re simili, dummodo albus sit, et non nimis depuratus: ipsarum longitudo ab humeris ad talos usque perveniat: illarumque manicae nec nimis latae, nec nimis strictae erunt: birretum erit juxta formam, qua uti solet clerus Romanus in hoc regno. Ephestrides, sive almurtiae nunquam esse poterunt bombicinae, nec alterius coloris, quam nigri; duplicium non habebunt, nec erunt globulis clausae, sed simplices, et a fronte apertae, uti moris est. Novitiorum vero almurtiae ad distinctionem cucullum a tergis non habebunt, quem capitulares habent. In omnibus hisce tamen, ut uniformitas religiosa servetur pater generalis in tota congregatione, et visitatores in monasterio sanctae Crucis obligationem habebunt in conscientia diligenter, sedulo que inquirendi tempore visitationum an relaxatio introducatur, quam si invenerint, illico extirpabunt, et extirpare facient, delinquentes graviter puniendo. Si vero in hoc negligenter se gesserint, poena pro gravioribus in sequenti capitulo generali mulctentur.

De chlamidarum colore.

§. 81. 4. Chlamidum aliae, quas intra superpelliceum, et tunicam ubique gestare possunt, erunt albae sine pendentibus manicis, aliae tamen, vulgo *Chumarras* erunt ex panno tonso nigri coloris eo modo factae, quo illas deferre solent clerici regulares, et saeculares, dummodo ab anteriori parte non sint occlusae: has autem super habitum portabunt cum deambulatum iverint, aut iter egerint, aut etiam domi fuerint in illis locis, et actionibus, quibus sine almurtia esse possunt: quando enim conventualiter congregantur, aut pro re adsunt solemni non chlamidem nigram aut pallium, sed almurtiam tantum portare debent. Calcei demum fibulis ferreis, et rudibus constringentur; et quando iter egerint ocreis vulgaribus uti valebunt; quorum observantiam item patris generalis, et visitatorum curae, ut dictum remanet, committimus.

De distributione indumentorum, et calceamentorum.

§. 82. 5. Indumenta vero, et calceamenta supra memorata singulis ita distribuentur, ut semper unusquisque secum habeat in usum suum superpellicea septem, almurtias duas, birreta duo, tunicas quatuor, cingula tria, vestes quatuor, humeralia tria, subligaria quatuor, indusia septem, femoralia quinque, tibialia decem bina, calceos tres binarios, chlamides duas, albam unam, et nigram alteram, pallium unum, galerum unum, syndones sex, pulvinaria quatuor, iodices duas, linteum triplex, linteola, quibus nares emungant, octo; si tamen aliqui pluribus adhuc indumentis, vel calceamentis indigeant; praelatus iis dare praecipiet, prout cuique opus fuerit. Nunquam vero indumentorum, aut calceamentorum loco pecunia dabitur: et priores, aut camerarii, qui contrarium fecerint, graviter puniantur.

Caput XIV.

De refectione, ac dormitione.

De refectione.

§. 83. 1. Sicut nimia corporis sollicitudo religiosis plerumque nocet, ita quoque moderata valetudinis, ac virium cura prodesse valet, adhiberique debet ne sustinendis religionis oneribus inutiles reddantur, caeterisque laborantibus ipsi ab opere cessent. Omnes igitur in commune refectorium ibunt pransuri, vel coenaturi temporibus in capite de horarum distributione constitutis. Nulius tamen prandium, vel coenam, cum domi fuerit, extra commune refectorium sumet, nisi forte ratione infirmitatis, hospitalitatis, aut facultatis sibi a praelato concessae ob magni momenti causam.

De cymbalo pulsando.

§. 84. 2. Prinsquam vero refectorium adeant, a refectorario duo signa dabuntur cymbalo: ad primum omnes prope refectorium congregabuntur orationes consuetas pro vivis, et defunctis benefactoribus recitaturi: ad secundum refectorium ingredientur, ibi suum quisque occupabit locum, sedebuntque facta mensae benedictione solita. Deinde lector aliquis inchoabit scripturae sacrae, vel cujusibet libri spiritualis lectionem, qua semper debet mensa condiri, ut dum corpus edendo reficitur, sua quoque refectio animae praebeatur. Post lectionem inchoatam praesidens signum faciet tintinnabulo, ut omnes, explicato mantili, seu projectis almurtiae angulis supra humeros, edere incipiant.

De temperantia servanda inter sumendum cibum.

§. 85. 3. Inter sumendum cibum semper temperantiam, modestiam, ac decentiam interius, et exterius per omnia servabunt. Et qui jure, vel vino effuso se ipsum foedaverit, aut

aliquid aliud indecens commiserit, surgat, et inclinato capite versus imaginem trina pectoris tunsione culpam agnoscet, rursusque sedebit. Servitores tamen, si quid peccaverint inter serviendum, flexis genibus, veniam deprecabuntur: quod itidem facient, qui tardius ad communem refectionem venerint, si adhuc in schola versentur; nam capitulares, capite praesidi inclinato, in sua adibunt loca. Refectorarius autem, et servitores summopere vigilabunt, ut nemini quidquam desit; quod si defuerit, non ille petat, cui deest, sed aliquis ex illis, qui juxta sedent, nutu, vel submissa voce refectorarium, aut quemlibet ex servitoribus admonebit.

De actione gratiarum facienda, finita refectione.

§. 86. 4. Finita refectione, ac lectione, gratias agent Deo, quas tamen prandiis in refectorio inceptas in ecclesia, vel capitulo, vel sacello propinquiori finire debent, psalmum inter eumdem de more recitantes. Interim vero refecturarius cymbalo signum faciet, ut qui ex juxta causa de superioris licentia primae mensae non interfuerunt, conveniant ad secundam, quae quidem incohoanda est etiam cum benedictione solita, et finienda cum gratiarum actionibus in eodem refectorio terminandis. Et in hac secunda mensa lectio spiritualis quoque habeatur, si commode fieri possit.

De dormitione.

§. 87. 5. Confert etiam non parum ad conservandam sanitatem somnus moderatus: curabunt propterea superiores, ut subditis quantum temporis satis sit ad dormiendum tribuatur, omnesque, signo dato, in cellas se recipiant dormituri tempore in capite de horarum distributione assignato. Lectorum tamen, quibus dormire consueverint, sindones, et pulvinaria erunt ex lino facta, caetera vero lecti stragula, sicut etiam peripetasmata erunt lanea, vel linea juxta diversas stationes aestatis, vel hyemis dummodo de toto in communi provideantur, et inter omnes servetur religiosa uniformitas.

De vestibus habendis in dormitione.

§. 88. 6. Nemo autem nudus dormiat, sed cum indusio saltem, et braccis propter munditiem, et honestatem, quae sicut in vigilia, ita in somno servari debet. Nullus etiam ita sui instituti immemor existat, ut antequam se somno dedat, aliquod spatium iterum conscientiae privatim examinandae, ejusque actis diei in memoria reducendis non impendat, ut eorum, quae deliquit, veniam ab omnium Domino deprecetur. Toto denique dormitationis tempore summa quies, ac silentium in dormitorio servabitur. Nullum opus fiet, quo fragor, aut stridor excitetur, nulla instrumenta musica pulsabuntur: nulli cantus audientur, et qui per dormitorium transierint placide incedent, ne aliorum quietem spiritualem, aut corporalem aliquo strepitu obturbent.

Caput XV.

De distinctionibus, privilegiis, et recreationibus.

§. 89. 1. Cum ecclesiasticorum gradus oporteat esse distinctus, et unicuique juxta aequitatis regulas privilegia concedi, atque immunitates, quae eis levamini sint; debent hujus congregationis canonici distingui, ac praecedere inter se, vel dignitatibus, vel antiquitatis, vel ordinum ratione. Hinc pater generalis omnes, qui vestibus pontificalibus non sint induti, et in omni congregatione, tempore sui generalatus praecedet: deinde superiores, sive praelati, in omnibus locis, et communitatis actibus in respectivis monasteriis, quibus praesunt, caeteros praecedent, exceptis visitatoribus tempore visitationis dumtaxat, deinde vicarii, postea ex generales. Capitulares quoque praecedent eos, qui adhuc in schola versantur novitiorum, et inter se utrique, primo secundum ordinem, videlicet presbyteri diaconos, diaconi subdiaconos, et subdiaconi in minoribus constitutos; secundo juxta suam in religione antiquitatem, quae quidem antiquitas praecise computari debet ab ingressu novitiatus, taliter quod nec illi, qui qualitate pupillorum, in habitu induto, intra monasterium edocantur, et ad novitiatum disponuntur, praecedent eos, qui ipsis pupillis romanentibus, illico novitiatum ingressi sunt, nec illi, qui quamvis in novitiatu novieres, in professione tamen ob aliquam rationem antiquiores sunt, praecedent eos, qui novitiatum, prius ingressi sunt. Illi vero, qui per apostasiam religionem reliquerint, si tempore apostasiae habitum non deserant, cum redierint ad monasterium poenitentes, antiquitatem, quam habebant, retinebunt; si autem habitum dimiserint, antiquitas eorum numerabitur a secunda receptione habitus post regressum.

De distinctionibus concedendis.

De promovendis ad ordines sacros.

§. 90. 2. Sed quando aliqui extra monasterium ad aliquod negotium missi fuerint, praecedet ille, cui tale negotium demandatum

fuerit, licet antiquior non sit. Prohibemus vero, ne ulli canonici promoveantur ad ordinem subdiaconatus antequam inchoent tertium religionis annum, neque ad ordinem diaconatus antequam inchoent quintum, neque ad ordinem presbyteratus antequam septimum compleant, neque ad ullum ex praefatis ordinibus, quin prius ab examinatoribus approbentur, et a priore, et consiliariis mittantur.

De privilegiis superiorum ordinis.

§. 91. 3. Priores autem, ex-generales, lectores emeriti, omnes magistri cujuscumque scientiae, vel artis, tum actuales, cum substituti, aut a religione, aut a rege nominati, dummodo legere non renuant, quando valent, nec ob culpam suam docere desinant, Vicarii, et magistri scholae monasteriorum Colliubriensis, et Mafrensis, cantor major cujuslibet monasterii, quod viginti habuerit canonicos, Procuratores generales Ulyssipponensis, et Portugallensis, ordinisque chronographus liberam habebunt potestatem, missas quascumque dixerint, applicandi pro intentione, quam maluerint, dummodo obligationes, et legata monasteriorum ab aliis integre satisfiant; aliter enim nullus ex supradictis poterit ad libitum applicare plusquam tres missas in qualibet hebdomada; nullo modo etenim, ut cujuscumque utilitati, et commodo consulatur, monasteria onerari debent. Praeterea omnes quoque supradicti missas, quae in his constitutionibus applicantur, celebrare tenentur.

De applicatione missarum a canonicis facienda.

§. 92. 4. Alii vero canonici libere tantum applicare poterunt, quas dixerint a die nativitatis Domini usque ad octavam Epiphaniae, a dominica Paschatis usque ad dominicam Boni Pastoris, et in diebus, quibus conciones monasterii praedicaverint, et tempora, quo habuerint recreationem, seu ut vulgo dicitur de *Brevia*, et primis octo diebus ad aliquod monasterium, sive ut habitatores, sive ut hospites venerint, et duobus ultimis diebus cujuslibet septimanae, cum antecedenter dixerint quinque in eadem hebdomada pro intentione monasterii, caeteras namque sub praecepto sanctae obedientiae applicare tenebuntur pro obligatione cathalogi sacristiae, quod vulgariter dicitur *Pauta*.

De privilegio prioris, et consiliariorum super applicatione missae.

§. 93. 5. Prior tamen cum consiliariis poterunt hanc liberam missas omnes applicandi facultatem concedere iis, quibus necessariae fuerint, ut earum eleemosynis subveniant parentibus suis, aut fratribus egentibus.

De aliis exemptionibus indulgendis.

§. 94. 6. Vicarii, ex-generales, seniores, qui vulgo dicuntur antiani, lectores emeriti, et actuales cujuslibet facultatis, et officiales, qui officii ratione fuerint impediti, ad exequenda officia hebdomadalia non adstringentur, nisi ad pulsanda organa, qui ad hunc finem ingressi sunt religionem. Priores, visitatores, ex-generales, magistri cujuslibet scientiae, vel artis, vicarii, antiani, magistri novitiorum sanctae Crucis, et Mafrae, procuratores generales, praedicatores emeriti, et alii, quibus a capitulo generali concessum fuerit, uti poterunt pileolo nigro, quod vulgariter appellatur *Solideo*.

De privilegiis ex-generalis.

§. 95. 7. Ex-generales praeterea immunes erunt a recitandis in choro matutinis, laudibus, et prima diebus non festivis primae, et secundae classis, neque destinatis solemni officio defunctorum. Antiani vero, qui quidem ita nuncupantur, postquam religionis quadraginta compleverint annos, immunes erunt tantum a prima in choro recitanda in diebus non festivis; matutino enim, et laudibus interertunt, dummodo ab infirmitate, debilitate, vel alia quacumque de causa justa, et rationabili non impediantur, aut ex licentia praelati ad id non teneantur. Procuratoribus tamen generalibus, chartophilacibus, camerariis, et similibus officialibus fas erit choro non adesse quandocumque opus fuerit, ut officiis suis satisfaciant, dummodo id praelato referant: lectores vero, et praedicatores eas habebunt immunitates, quae in capitibus de choro, de concinnatoribus, et de lectoribus praescribuntur.

De deambulatione certis diebus facienda.

§. 96. 8. Omnes proinde capitulares canonici singulis diebus dominicis, tertiis, et quintis feriis, diebus sanctorum de praecepto, ac beatissimae Virginis Mariae post vesperas, si non recitentur ante prandium, intra septa monasterii deambulare poterunt recreationis causa, et in his diebus, et aliis, quos praelatus concesserit ad rusticandum, si tempus fuerit vernum, statim post vesperas completorium recitabitur, et oratio mentalis fiet ante matutinum immediate. Omnes item capitulares non solum quolibet mense impedito per integrum diem, ut fieri solet, recreari poterunt; sed etiam in aliqua monasteriorum villa, seu praedio per viginti dierum spatium accessus, et recessus tempore non computato, singulis annis majorem habebunt recreationem, sive rusticationem, quae dicitur *Brevia*.

De recreationibus extra monasterium capessendis.

§. 97. 9. Huic tamen recreationi extra monasterium capessendae aliquis a priore, et consiliariis nominabitur praeses, cui caeteri obediant, tamquam superiori. Et quamvis temperantiam, modestiamque religiosam ubique servare debeant, hujus tamen recreationis tempore ad nulla exercitia spiritualia praeter officium divinum, et missam, orationemque mentalem mane dimidiae horae spatio in communi tenebuntur, ut corporeis viribus refecti, ad obeunda munera officii, et instituti sui, alacriores, et robustiores in monasterium revertantur. Eos tamen monitos volumus, ne lectionem spiritualem, et examen conscientiae oblivioni omnino tradant.

Caput XVI.

De clausura servanda.

De clausura servanda.

§. 98. 1. Quamvis regularium sit canonicorum e claustro egredi quando instituti sui munera id postulant, nullus tamen debet extra claustrum vagari, vel mundialibus commisceri, ne saecularium periculis expositus occasionum laqueis irretiatur. Ordinamus itaque, ut omnes hujus congregationis canonici regularem servent clausuram, et a monasterio non exeant, nisi tantum in casibus sequentibus.

De licentia ad exeundum necessaria.

§. 99. 2. Primus est, quum exire praeceperit, aut exeundi licentiam dederit superior, nimirum summus pontifex, vel capitulum generale, vel definitorium, vel etiam pater generalis cum collegis suis. Secundus est cum iverint reformatum, aut visitatum quamlibet congregationis domum, aut ecclesias ad visitationem cujuslibet monasterii pertinentes. Tertius est cum a convento, vel a priore, et consiliariis pro aliqua ejusdem, aut alterius monasterii necessitate, vel utilitate mittuntur.

Exceptiones et declarationes speciales ad eumdem finem.

§. 100. 3. Quartus est si mittantur, aut vocentur a rege, regina, principe, infantibus, legato, cardinalibus, episcopo dioecesano, aut similibus. Quintus est si oporteat invisere episcopos, praesules, rectorem universitatis Collimbriensis, praelatos religionum, duces, marchiones, comites, vice comites, provinciarum gubernatores, et alias personas valde insignes, ac notabiles ad eum locum pervenientes, ubi sita sunt monasteria. Quod si propterea dubium aliquando irrepserit, an personae pervenientes ad memoratum locum invisendae sint, nec ne; priores cum consiliariis id resolvent. Haec tamen urbanitatis obsequia non omnes indiscriminatim peragent, sed praelati, aut insigniores canonici, aut qui peculiarem ad id praestandum habuerint rationem.

§. 101. 4. Sextus quando a capitulo generali, vel definitorio, in alterius monasterii habitatores transferuntur. Septimus est quando ab alio conventu fuerint electi ad aliqua officia ibi gerenda, quae si recusaverint acceptare, pater generalis eos ad id compellere poterit; quibus officiis peractis, poterunt redire in domum, ubi antequam eligerentur, habitabant, aut in ea manere etiam sine officio, si eis placuerit, nec aliter habebuntur pro habitatoribus, vel gaudebunt voce activa in electionibus, aliisque actibus capitularibus ejusdem domus. Octavus est, quando a patre generali, vel a visitatoribus sanctae Crucis tempore, quo visitant, transferuntur ad aliud monasterium in poenam culparum, quas perpetrarunt, vel ad evitandum aliquod magnum scandalum; quae quidem declaranda sunt priori illius domus, ad quem mittuntur, ut sciat quomodo tractari debent. Sed quando a visitatoribus transferuntur, patris generalis est cum suis collegis designare monasterium, in quod transferendus sit, qui a visitatoribus transferri jubetur. Idem ut supra.

§. 102. 5. Nonus est quando a saecularibus graviter infirmis accientur, ut illorum confessiones extra monasterium audiant, sicut in capite de confessariis praescribitur: decimus est quando convocatur ad concionandum, dummodo sit in proprio loco, ubi sita sunt monasteria, vel in aliis ipsi tam conjunctis, ut in eadem die ire ad concionandum, et redire ad monasterium possibile sit, minime vero in majoribus distantiis, ut jam supra dictum fuit. Undecimus est quando celebrantur festivitates ss. patriarcharum cujuslibet religionis, aut congregationis eo loco, ubi sita sunt monasteria, vel solemnites assumptionis beatissimae Virginis in cathedrali Sede Collimbriensi, vel festum sancti Petri martyris ab inquisitoribus Conimbricensibus; tunc enim duo ex canonicis gravioribus mittendi sunt a priore, ut his solemnitatibus obsequenter adsint; sicut etiam quando alia celebrata fuerit solemnitas extraordinaria, cui propter aliquam magni ponderis rationem adesse oporteat. Idem ut supra.

§. 103. 6. Duodecimus est quando parentes, et avos graviter infirmos invisere, consolari, Idem ut supra.

curamque ipsis impendere concupierint, modo non tam procul habitent, ut opus sit extra monasterium plus una nocte dormire. Si tamen ejusmodi canonici fuerint ex novioribus, qui ad scholam novitiorum pertinent, extra monasterium pernoctare non valebunt. Decimus tertius est, cum ob infirmitatem de consilio medici opus fuerit thermas, aut balnea sumere, aut in aliquo salubriori loco aliquandiu commorari, ut ab infirmitatibus convalescant.

Idem ut supra.

§. 104. 7. Decimus quartus est, cum recreationis causa mittuntur in villas, seu praedia monasteriorum, qui non versantur in schola novitiorum, vel etiam si versentur, dummodo sint infirmi, aut scholares philosophi, vel theologi. Quicumque vero ad recreationem iverint, quae vulgo dicitur *Brevia*, aut cum debita licentia ad quemlibet locum iter egerint; deflectere poterunt ab itinere, ut parentes, avos, fratres, avunculos, patruos, nepotes, patrueles ex fratre, vel sorore in via habitantes, aut tam prope, ut non divertant plus una, aut duabus leucis plus, minusve visitare eant, dummodo prius facultatem a praelato obtineant, qui quidem tempus, quod his visitationibus insumendum erit, praefiniet. Monitos tamen praelatos habere volumus, ne licentiam hanc, nisi per modicissimum tempus concedant, nec illis, qui jam alia simili abusi sunt, eam permittant, neque etiam illis, qui loca, vel domos parum decentes adire voluerint, nec ut in eis civitatibus, et oppidis, ubi situm fuerit aliquod congregationis monasterium extra illud pernoctare queant. Ad monialium tamen coenobia nunquam divertent, nisi forte visitent matrem, vel sorores, si hoc eis concesserit pater generalis cum collegis suis; quod quidem non concedet, nisi pro una vice tantum annuatim, nunquamque ad in ipsorum coenobiorum hospitalitatis domibus pernoctandum. Qui vero absque debita facultate ad praedicta coenobia accedat; in eoque comprehensus, juxta formam decreti sacrae congregationis Regularium puniatur. Ad meliorem autem hujus praecepti observationem prohibemus sub eisdem poenis, ne quis alicujus monialis, matre excepta, vel sororibus literas accipere, vel ad eam scribere praesumat.

Idem ut supra.

§. 105. 8. Decimus quintus est quoties cancellarius, vel pro-cancellarius, et doctores universitatem Collimbriensem adire debuerint, aut voluerint, aut accademicis actionibus, processionibus, et actibus literariis intersint etiam, tempore capituli generalis, vel cathedras moderentur. Similiter etiam examinatores synodales, et aliud quodcumque ministerium, vel officium ab ecclesia, vel statu commendatum extra monasterium habentes, ut illud rite exercere valeant. Eodem quoque modo procuratores, ut villas monasteriorum inspiciant, vel bonis temporalibus provideant; et chartophilaces, ut renovent emphyteuses, aut laudemia conquirant; et qui in beneficium aliquod parochiale fuerint electi, vel praesentati, ut muneribus suis satisfaciant. Si quis praeterea ob aliquod magni ponderis negotium sibi proprium, aut peculiare exeundi necessitatem habuerit, prior, et consiliarii, causa cognita, hanc supplicanti facultatem concedere poterunt ad septem dies, cum eis negotii gravitas certo constiterit.

De socio adhibendo in deserendo claustro.

§. 106. 9. Quotiescumque vero a claustro exierint, secum deferent socium, quem prior designaverit, et tam in egressu, quam in reditu, oratione prius facta coram sanctissimo Eucharistiae sacramento, priorem adibunt, benedictionem illius, flexis genibus, accepturi, quam quidem benedictionem recipient quoque subditi a praelato foras eunte, aut redeunte. Dum autem extra monasterium fuerint; praecipue meminisse debent regulae dicentis — In incessu, statu, habitu, et in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendant aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.

Caput XVII.

De fugitivis, et apostatis.

De fugitivis et apostatis.

§. 107. 1. Si qui primae suae vocationis, ac promissionis Deo factae obliti obedientiae se subtraxerint, a monasterioque aufugerint, nisi intra septem dies, habitu non dimisso, redeant, tamquam sancti instituti desertores ipso facto sunt excommunicati excommunicatione majori, a qua nisi a Sede apostolica, vel a superiore congregationis, vel a praelato locali, seu ab illis, quibus ipsi superiores concesserint facultatem, absolvi possunt.

De receptione fugitivorum.

§. 108. 2. Si autem vel perquisiti, et comprehensi, perquiri siquidem, ac reduci debent a superioribus, vel sua sponte redierint, ita recipiantur. Delati ad capitulum, et ab excommunicatione absoluti acriter, et severe reprehensi, pedes omnium deosculabuntur a singu-

lis fugae, datique scandali veniam postulantes. Deinde carcere conclusi per quantum temporia generali, et collegis visum fuerit juxta criminis gravitatem, biduum singulis hebdomadis in pane, et aqua jejunabunt, atque semel saltem quolibet mense in capitulo sabbathi virgis flagellabuntur; haec tamen solum fient postquam pater generalis, et collegae, ipsis fugitivis auditis, sententiam tulerint.

De exclusione eorum qui egressi sunt de carcere.

§. 109. 3. Egressi vero de carcere ad infimum locum religiosorum ordinis abjiciantur, omni praecisa spe restitutionis in pristinum locum; ac simul jure suffragii, et concionandi, confessionesque audiendi munere, atque omnibus ordinis officiis perpetuo careant, nisi transacto quinquennio, cum illis fuerit a capitulo generali misericorditer dispensatum. Poenas tamen positivas pater generalis, et collegae pro ratione circumstantiarum, et personae, augere vel minuere poterunt, quippe cum iis, qui sponte reversi sunt, veraque signa doloris, exhibent, mitius erit agendum: ii vero, qui solummodo coacti redierunt, aut alia crimina apostasiae tempore perpetrarunt, acrius sunt puniendi.

De tractatione apostatarum poenitentium

§. 110. 4. Siquis ergo post apostasiam poenitentia ductus, et ad congregationem reverti cupiens, ad aliquod ejus monasterium se contulerit, prior ejusdem monasterii, dum per literas consulit patrem generalem, apostatam loco separato ab omni aliorum commercio, et sermone segregatum contineat: sed si animo ad congregationem non redeundi, ad aliquod ejus monasterium forsitan veniat, vel prope illud versetur, comprehensus detineatur in carcere, quousque pater generalis, et collegae sententiam proferant.

De iis, qui redierint ante septem dies.

§. 111. 5. Siquis autem habitu retento, ante septem dies redierit, quamquam excommunicatus censendus non sit, jejuniis tamen, et verberibus post pedum deosculationem plectatur, et cum voce activa, et passiva, tum ipso loco, et ordine, quem obtinebat, aliquandiu privetur, et in carcere aliquo tempore detineatur prioris, et consiliariorum arbitrio.

De iis, qui ad modicam distantiam discesserint sine licentia.

§. 112. 6. Siquis denique absque praelati licentia extra clausuram, et monasterii septa ad modicam distantiam, et breve temporis spatium exierit, non habebitur pro fugitivo, et apostata; ad ejusdem tamen prioris, et consiliariorum arbitrium levitatis, ac temeritatis poenas luet.

Caput XVIII.

De capitulo culparum.

De capitulo culparum.

§. 113. 1. Quoniam frequenter delinquunt homines, frequenter etiam debent corripi, ut emendentur: ideo singulis sabbathis, ac dominicis in omnibus hujus congregationis monasteriis, capitulum fiet culparum, hoc modo. Sabbatho, finita prima congregabuntur omnes in capituli domo, ubi sedentibus praelato ante altare in scabello, et canonicis capitularibus in scamno utrinque posito, scholaribus vero, et conversis post lectam distributionem officiorum sequentis hebdomadae, in medio hinc inde stantibus, primum eos, qui ad scholam pertinent interrogabit praelatus cuinam confessi sunt, statimque respondebunt singuli nominantes confessarium, qui excepit illorum confessiones ad formam antiquarum constitutionum alias, ut asseritur a fel. rec. Paulo pp. V. confirmatarum, deinde genuflectentes, et caput superpelliceo cooperientes humiliter defectus suos palam dicent: eosdemque scholares de culpis, ac defectibus, quos aliunde sciverit praelatus, arguet, corriget, puniet, ac tandem exhortatione generali, vel singulari facta, jubebit inde recedere conversos ad officia sua, caeteros autem in claustrum, donec idem capitulum finiatur.

De confessione defectuum.

§. 114. 2. Postquam vero schola novitiorum e capitulo fuerit egressa, canonici capitulares in capitulo remanentes similiter nominabunt confessarium cui confessi sunt peccata sua, similiter genuflexi dicent defectus suos, et a praelato similiter arguentur, increpabuntur, et punientur. His peractis et scholaribus in capitulum reversis, praelatus inchoabit psalmum: *Laudate Dominum omnes gentes;* quem per choros recitabunt cum *Gloria Patri*, versibus, *Ostende nobis*, — *Domine exaudi*, — et Oratione — *Actiones nostras*. Deinde processionaliter ibunt in claustrum recitantes defunctorum responsorium, et orationem pro cunctis fidelibus defunctis; qua finita kalendarii lector ante conventum positus dicet alta voce — *Benedicta*, cui omnes respondebunt, *Dominus etc.*, ac inde discedent.

Exceptiones peculiares.

§. 115. 3. Sciendum tamen est primo, in hujusmodi capitulis manifestationes culparum non fieri, cum sabbathum fuerit dies solemnis,

aut alia simili causa impeditum. Secundo easdem manifestationes, praesente lo monasterio priore, non fieri ante vicarium, nisi fuerit ei a priore commendatum. Tertio canonicos capitulares non reprehendendos, nec puniendos esse, coram iis, qui versantur in schola novitiorum, nisi propter crimina graviora, jam publica, publicitate juris, vel facti. Quarto neminem in capitulo debere loqui ad praelatum, nisi petita, et obtenta prius loquendi facultate. Quinto alienam culpam in capitulo ob quamlibet causam, vel consanguinitatem a nemine defendi posse. Sexto maximo cavendum esse, ne umquam extraneis, vel iis, qui extra monasterium fuerint, quidpiam reseratur, de culpis, et correctionibus, quae in capitulo fuerunt tractatae. Septimo in eodem capitulo non nisi de culpis corripiendis, et emendandis agendum esse, quippe quae ad rerum temporalium, et similium, administrationem spectant, in aliis capitulis et temporibus tractari debent. Octavo peccata gravia, et quae ignominiam afferunt delinquentibus non esse manifestanda punienda ve in capitulo veniarum, nisi post sententiam judicialem, aut cum aliquod magnum scandalum fuerit publicum, et notorium.

Declarationes ut supra. §. 116. 4. Diebus autem dominicis capitulum sic fiet: postquam finita prima, et oratione mentali ingressi fuerint capituli domum, sedebunt prior ante altare, capitulares utrinque, et scholares humi in storia: statimque antecedentis hebdomadae hebdomadarii, et eorum ministri, velantes caput superpelliceo, sese prosternent ante pedes praelati, a quo interrogati — *Quid dicitis?* — respondebunt in primis missae principalis *hebdomadarius — hebdomada praeterita mihi fuit commendata missa conventualis; de culpis, et negligentiis, quas in ea feci, et dixi, Dico meam culpam Deo, et tibi*, eodem modo dicet missae defunctorum hebdomadarius, postea diaconi, et ultimo loco subdiaconi, unusquisque de officio sibi commendato idem proferens; qui a priore psalmum — *Miserere mei Deus* in poenitentiam accipientes surgent, et in sua loca revertentur.

De formula publicae confessionis. §. 117. 5. Deinde caeteri omnes secundum ordinem suum idem agent, respondentes ad eamdem interrogationem — *De culpis, et negligentiis, quas facio, et dico in religione confiteor meam culpam Deo, et tibi* — quibus itidem prior supradictam imponet poenitentiam, sed cum duo, vel plures generalem veniam simul faciunt de una, et eodem culpa sufficit, ut primus illam declaret, et alii brevius dicant — *De eodem dico meam culpam Deo, et tibi* — His peractis, surgent omnes, et prior incboabit psalmum — *Laudate Dominum omnes gentes:* caeterasque fiant quemadmodum dictum est in capitulo sabbathi.

§. 118. 6. Caeterum in vigilia Nativitatis Domini, et in feria quinta hebdomadae sanctae, finita prima, omnes adibunt capitulum veniarum, ubi fiet absolutio generalis ab omnibus regulae transgressionibus, poenitentiis neglectis, et censuris, sicut in ordinario rituali hujus congregationis continetur. De absolutione generali.

Caput XIX.

De culparum, et poenarum varietate.

§. 119. 1. Cum varia sint culparum genera, quas perpetrare valeant religiosi, variae quoque debent esse illarum poenae, ut a perpetrandis caveant, de patratisque doleant. Culparum igitur aliae sunt leves, aliae mediae, seu mediocres, aliae graves, et aliae graviores, ac gravissimae. In his tamen distinguendis superiorum erit, acri judicio rem expendere, ut leves culpas, aut mediocres a gravibus prudenter discernant; fit enim saepe, ut peccata, quae suo genere levia sunt, propter insignem contemptum legis, aut praecepti, proterviam, quae peccantis ad gravium peccatorum ordinem pertineant. Quare non tam quid factum sit inspiciendum est, ut culpa quaelibet ponderibus justis examinata, quae poena debeat peccantibus inferri, possit rite constitui. De culparum varietate.

§. 120. 2. Poenarum quoque diversae sunt classes; juberi namque delinquentibus potest, atque fieri; ut in poenam suorum delictorum aliquandiu mentaliter orent, vel preces aliquot recitent, vel humi jaceant, vel maneant alicubi genuflexi, aut stantes, vel comedant humi, vel pedes aliorum in capitulo deosculentur, vel jejunent, vel flagellentur, vel in carcerem detrudantur, vel ad scholam novitiorum reducantur, vel in aliquem locum relegentur, vel a congregatione expellantur, prout meruerint culpae ipsorum. De varietate poenarum.

§. 121. 3. Poenitentes vero, qui post sententiam carcere vinculati, aut sine vinculis fuerint, semper mensae pauperum edent, quemadmodum illi humi comedunt, neminique lo- De poena poenitentium post sententiam.

queatur absque superioris licentia speciali, nisi carceris custodibus, vel ipsorum procuratoribus. Qui humi jacuerint supra latus dexterum ad limen capituli se prosternent, donec transeant omnes capitulum ingredientes.

De iis, qui humi comedere tenentur.

§. 122. 4. Qui comederint humi ad prandium solummodo primae mensae ibunt ante gradum mensae principalis, ibique ponentes quoddam scabellum ad id deputatum, permanebunt genuflexi quoad eis fiat a priore signum speciale, quo facto, eidem sese inclinabunt, sedebuntque in dicto gradu, ut edant panem secundarium, et ea tantum, quae ipsis praelatus, vel magister novitiorum, si poenitentes fuerint de ipsius schola, jusserit apponi: prandio tamen finito, ad primum campanulae signum iterum genuflectentes, ut in principio mensae sic manebunt quousque decantetur in fine refectionis — *Deo gratias* — et ipsi poenitentes in sua loca discedant.

De flagellandis in capitulo, aliisque ad exilium damnandis.

§. 123. 5. Qui flagellandi fuerint in capitulo tantum a superiore super humerum dexterum ab ipsis poenitentibus denudatum quibusdam virgis flagellabuntur, interea dum capitulares utrinque sedentes recitant psalmum, quem superior inchoaverit. Qui ad scholam novitiorum deducentur in nomine et in omnibus aliis sequentur professos ad eamdem scholam pertinentes. Qui ad exilium, et expulsionem damnandi sunt, secundum formam juris prius audientur, et judicabuntur.

De prudentia adhibenda in gratiosinis poenis infligendis.

§. 124. 6. Oneramus autem prioris, et consiliariorum conscientias, ut praedictis poenitentiis infligendis prudenter se gerant, deponentes amorem, odium, timorem, ac favorem, habentes semper Deum ante oculos, semperque inclinantes ad misericordiam erga contritos.

Caput XX.

De culpis levibus.

De culpis levibus.

§. 125. 1. Nomine culpae levis intelligitur peccatum illud, quod non mala mente, aut improbo animo, sed per ignorantiam, aut incuriam, aut oblivionem, aut negligentiam, aut judicium minus rectum, aut linguae lapsum aut alia hujusmodi committitur, ut exempli gratia; si quis in choro non fuerit, finito ultimo signo, ad horas: si quis in choro circa res ad chorum pertinentes leviter delinquens non statim genua flexerit, pectusque percusserit: si quis non fuerit attentus ad officium divinum, aut levitatem ostenderit, existens male compositus, vel oculis vagis aspiciens, vel gestum aliquem faciens minus religiosum: si quis syncopam fecerit, aut non juxta puncta distinxerit, cum divinum recitaverit officium, aut in eo dormitaverit: si quis non praeviderit lectionem, aut officium sibi injunctum tempore convenienti.

De iis, qui negligenter tractaverint libros, et ornamenta ecclesiae.

§. 126. 2. Si quis libros, aut ornamenta altaris, vel ecclesiae negligenter tractaverit; si quis libros, quibus legendum est, aliave, quae ad suam acceperat necessitatem tempore congruo non reddiderit; si quis incesserit oculis vagis, vel otiosus tempus in multiloquio perdens; si quis in dormitorio aut alio quocumque loco turbationem aliquam excitaverit; si quis alios ad risum dissolute moverit, aut verba otiosa loquutus fuerit, aut res fecerit rediculas, aut ludricas; si quis reprehensionem humiliter non receperit, vel emendationem, cum fuerit correctus, non promiserit; si quis cum foras vadit, vel foris venit prioris non acceperit benedictionem, vel id ipsum non fecerit, cum prior recesserit, vel accesserit.

De iis, qui vestes minus mundas gestaverint.

§. 127. 3. Si quis vestes dissutas gestaverit, minusve mundas, et aptas, quam regularibus canonicis, altarisque ministris conveniat; si quis vas aliquod fregerit, aut vinum; vel cibum per mensam effuderit; si quis in officiis sibi commendatis negligens fuerit, vel aliquem communitatis actum vocatus praesto non venerit; si quis absque legitima causa praesens non fuerit in capitulo, aut processione, aut primae mensae refectione; si quis absquo necessitate cum juramento aliquid firmaverit, vel negaverit; si quis pro cibo, aut vestitu murmuraverit; si quis de fratribus conquestus fuerit, quod aliquid minimum contra se dixerint; si qui absque necessitate, in aliorum officia se se intromiserint.

De poenis indicendis pro levibus culpis.

§. 128. 4. Pro hujusmodi culpis, et similibus, orationum recitatio, vel pedum osculatio, vel genuflectio aliquandiu perseverans, vel ciborum minutio in refectione, vel aliquid simile ad poenitentiam imponendum erit,

Caput XXI.

De culpis mediis.

De culpis mediis.

§. 129. 1. Vocantur culpae mediae, sive mediocres illae, quae licet veniales sint, majo-

rem tamen deformitatem habent, quam praecedentes; ut exempli gratia; siquis consueverit culpam aliquam levem committere, aut legem aliquam ad peccatum non obligantem violare; siquis silentium speciale fregerit, aut consueverit esse otiosus; siquis capitularis cum aliquo canonico ad scholam spectante; aut vicissim, absque licentia speciali fuerit locutus; si quis aliquid cum aliis canonicis sine licentia commutaverit; siquis ordinis secreta non gravia revelaverit; siquis officialis officium suum diligenter complere non curaverit.

Enumeratio culparum mediarum.

§. 130. 2. Siquis moralibus collationibus, sine legitima causa praesens non fuerit, aut tempore studii literis operam non dederit, aut vespertinae orationi mentali non interfuerit; siquis id quod major capituli pars decreverit, aut subscripserit, subscribere noluerit; siquis non curaverit discere, aut scire, quae sibi discenda fuerint commendata cum ponderis sint non parvi; siquis alieni votum, quod in capitulo dedit, exprobaverit, aut alicui poenitentiam, quam sibi, dum prior esset, imposuerat, objecerit; siquis ordinis jejunia, quae non obligant sub lethali, fregerit; siquis aliquo missus ultra assignatum tempus sine rationabili causa tardaverit.

Sequitur ut supra.

§. 131. 3. Siquis suam vel alienam culpam contumaciter defenderit; siquis cum aliqua quacumque persona, sive religiosa, sive saeculari verbis contenderit incompositis; siquis deprehensus fuerit scienter fuisse mentitus, nisi fuerit mendacium jocosum, aut officiosum; si quis alieni praeteritam culpam objecerit, pro qua jam satisfecerit; siquis aliquod malum de suo priore, aut de fratribus dixerit, quod probare non possit; siquis alterius cella ingressus fuerit sine licentia, nisi forte, ut aliquam personam extraneam comitetur; siquis cum altero de futura prioris electione tractaverit; aut in ipso electionis actu silentium fregerit; siquis providendi officium habens fratribus non providerit, quando opus fuerit; siquis intra, vel extra monasterium, reverentiam praelato non exhibuerit, aut cum eo tamquam cum aequali verbis contendere ausus fuerit.

De poenis expiandae culpae mediae.

§. 132. 4. Pro unaquaque istarum, et similium delinquentes, semel in capitulo flagellentur, et comedant humi: quod si in eisdem perpetrandis continuaverint, eadem poena duplicetur, et pro ratione continuationis, et consuetudinis poena in duplum semper augeatur. Si tamen culpa, aut poena ex similitudine judicanda fuerit, prior id faciet cum consiliariis.

Caput XXII.

De culpis gravibus.

De culpis gravibus.

§. 133. 1. Culpae gravis appellatione, veniunt non solum ea, quae liquido peccanti animum graviter laedunt, sed etiam quae regulari observantiae per magnum vulnus infligunt, ut exempli gratia: siquis per spatium unius diei praelato suo fuerit formaliter inobediens: inobedientia tamen formalis non censebitur, nisi res gravitatis capax in virtute Spiritus Sancti, vel in virtute sanctae obedientiae fuerit praecepta. Siquis adversus congregationis libertates, jura, privilegia, et ordinationes insurrexerit, vel auxilium ab aliquo in id ipsum postulaverit; siquis opem dederit, ut e carcere, aut etiam a monasterio quispiam fugeret; siquis epistolas ad libidinem sollicitantes scripserit, et alicui personae miserit, aut aliquid simile contra castitatem sine magno scandalo operatus fuerit.

De auctore libelli famosi.

§. 134. 2. Siquis aliquem libellum famosum fecerit adversus aliquam personam particularem, aut quempiam de crimine gravi falso accusaverit; siquis alium graviter percusserit, aut alicui magnam injuriam fecerit; siquis aliquam istius congregationis personam apud extraneos infamaverit, aut ejusdem defectus graves illis manifestaverit; siquis duodecim aureorum summam ex bonis communibus furatus fuerit; siquis de alio quocumque testimonium dixerit falsum in materia gravi, aut etiam vera crimina, sed occulta publicaverit; siquis absque ulla rationabili causa, vel privilegio per quatuor menses choro non interfuerit.

De subornatoribus suffragantium in electionibus.

§. 135. 3. Siquis alium pro eligendo quolibet praelato, vel collega, vel definitore subornaverit; siquis ex malo consilio, et perversa concordia cum aliis facta aperte in re gravi contra praelatum suum insurrexerit, aut conspiraverit; siquis procuraverit priores non eligi, aut ipsorum electiones temporibus stabilitis non fieri, aut capitulum generale tempore in his constitutionibus determinato, non celebrari, aut praelatos ultra triennium protendi: siquis Ecclesiae jejunia, vel etiam ordinis sub praecepto gravi injuncta, cum possit, non servaverit, aut praecepto audiendi missam non

satisfecerit; siquis aliquod peccatum mortale, veluti perjurium, ebrietatem, et similia sine magno scandalo, et gravioribus circumstantiis aperte commiserit.

De poenis praeteriminibus ut supra.

§. 136. 4. Quisquis aliquam istarum, vel similium culparum patraverit in carcere occludetur per quatuor menses, et per decem dies exercitia faciat spiritualia, quae communiter dicuntur sancti Ignatii.

De forma servanda in irrogatione poenarum gravissimarum.

§. 137. 5. Has tamen poenas non irrogabit prior sine consiliariis, neque sine ipsis in carcerem mittere, brevi licet tempore, quempiam valebit, nisi fuerit imminens fugae periculum; sed causa cognita, et probata, illas imponet prior simul, et consiliarii, qui quidem poterunt etiam easdem minuere, vel augere prout viderint expedire, aut circumstantiae postulaverint. Ratio quippe ostendit, mitius agendum esse cum iis, qui sponte confitentur, quam cum iis, qui plane convincuntur; sicut etiam durius tractandos esse, qui jam convicti adhuc negant, quam qui emendationem promittunt, veniam petunt, et contritionem manifestant.

Caput XXIII.

De culpis gravioribus.

De culpis gravioribus.

§. 138. 1. Culpae graviores dicuntur illa crimina, quae non solum sunt lethalia, sed quandam horribiliorem secum habent enormitatem; qualia sunt, homicidium voluntarium; furtum per magnae multitudinis aureorum, vel rerum sacrarum, ebrietas consueta, et publica, lapsus carnis cum secunda persona, opere consummatus, vel scandalosa luxuries; ingens damnum congregationi, vel communitati illatum, magna bonorum communitatis dilapidatio, formalis inobedientia per integrum annum perseverans, diffamatio congregationis, aut alicujus monasterii quocumque praetextu apud extraneos facta, consuetudo notoria perpetrandi quamlibet ex culpis gravibus, et alia id genus, quae delinquentes infamant.

De poenis incurrendis ab eis qui culpis gravioribus sese conquinaverint.

§. 139. 2. Quicumque igitur aliquam ex culpis gravioribus commiserit, voce activa, et passiva, ac etiam concionandi, confessionesque excipiendi muneribus perpetuo careat, nisi post transactos quinque annos fuerit cum eo misericorditer a capitulo generali dispensatum, sicut de apostatis, et fugitivis dictum fuit: in carcerem quoque detrudantur saltem per duos annos, usque ad decem, prout circumstantiae delictorum, et delinquentium postulaverint: semel qualibet septimana jejunent in pane, et aqua, semel saltem quolibet mense in capitulo sabbathi virgis flagellentur; et a ministerio, seu exercitio ordinum postquam egressi fuerint e carcere, per unum saltem annum suspendantur.

De monitionibus faciendis ad poenitentes.

§. 140. 3. Ne tamen hujusmodi poenitentes in desperationem veniant, prior fratrem aliquem, aut fratres prudentes, qui eos moneant ad satisfactionem, et poenitentiam humiliter agendam, ad ipsos mittat; si ejusmodi fratres, aut alii vera humilitatis, et contritionis signa in eis viderint, priorem rogent, ut illorum misereatur, et prior libenter suscipiat preces istas, ac poenitentiam moderetur cum consiliariis, prout viderint expedire, quantum ad poenas positivas dumtaxat, non quoad privativas. Sed si eos forte repererint in contumacia, et cordis duritia persistentes, addantur eis plures dies supradictarum poenitentiarum, ut saltem formidine poenae in peccato nolint perseverare.

De reis culpae capitalis.

§. 141. 4. Quicumque vero crimen aliquod vel culpam commiserit, pro qua in foro saeculari mortem subiret corporalem, praeter caeteras omnes culpae gravioris poenas ab ipso toto vitae suae spatio sustinendas, per decem annos in carcere strictiori vinctus detineatur, aut si ratione alicujus scandali, vel infamiae vitandae capitulo generali visum fuerit habitu exuto, in Asiam, vel Africam relegetur, adepto primum regis consensu.

De pervicacibus, et obstinatis in crimine.

§. 142. 5. Siquis proinde adeo pervicax suae salutis fuerit contemptor, ut post aliqua ex gravioribus perpetrata scelera, in eadem, aliave pluries adhuc relabatur, gravissime peccare censendus erit. Hic autem si ter monitus per sententiam, punitusque fuit pro gravioribus, et noluerit resipiscere, licet impositas poenitentias sustinuerit, ut incorrigibilis debet judicari, caeterique religiosi ab eo caveant, et discedant, quemadmodum apostolus de homine haeretico fieri jubet. Ac ideo quisquis talia commiserit, incorrigibilisque fuerit judicatus, ejiciatur foras, seu in perpetuum a congregatione et habitu expellatur, aut si propter majoris mali timorem capitulo generali expellendum non esse visum fuerit, ab eodem capitulo perpetuis carceribus includatur.

De modo quo constare debeat de incorrigibilitate alicujus.

§. 143. 6. Ut tamen constare de alicujus incorrigibilitate, in eumque sic animadverti queat, juxta formam juris, in unaquaque sco-

tentia delinquens admonebitur, et monitio in acta referetur; ibique apertis verbis explicabitur adversus ipsum, nisi deinceps resipiscat, secundum jus, et has constitutiones procedendum fore; et illius responsio scriptis mandabitur, quam ipse subscribet, cum superiore, ac patribus, qui eidem monitioni interfuerint. Hoc autem facto, in prima, et secunda vice, qua per sententiam correctus, punitusque fuit, si tertio fuerit lapsus, ut incorrigibilis habebitur, aut judicabitur.

Declarationes speciales. §. 144. 7. Caeterum circa praedicta culparum genera, illud erit observandum, ut qui culpam gravem frequenter committunt, poenam graviorem sustineant, qui culpa graviori solent immodari, poenam gravissimam luant. Quo tamen judicialis ordo rite servetur, culpas leves, et mediocres judicabit, ac punient prior, et consiliarii: culpas graviores primo judicabit prior cum consiliariis, deinde sententiam, et acta transmittent ad patrem generalem, et collegas, a quibus prioris, et consiliariorum sententia confirmabitur, aut infirmabitur; et a quibus etiam remittentur eadem acta ad capitulum generale, ut ab eo generalis, et collegarum sententia confirmetur, aut infirmetur, augeatur, aut minuatur, idemque respectu culparum fiet gravissimarum. Semper autem substantialis ordo judiciorum observabitur, nisi culpae sint leves, aut mediocres.

Caput XXIV.

De novitiorum schola.

De schola novitiorum. §. 145. 1. Quum virtutibus acquirendis, probandisque vocationibus tyrocinia religionum fuerint instituta, reique tantae obtinendae sufficiens locus, magister, et tempus requirantur; decernimus, ut in monasteriis tantum Collimbriensi, Mafrensi, et aliis, ubi plusquam vigintiquinque canonici capitulares fuerint accolae fiant tyrocinia, unusque in unoquoque sit scholae magister, qui doceat, dirigat, et corrigat singulos ad novitiorum scholam pertinentes; pertinebunt autem omnes canonici, a die recepti habitus, quousque septem compleant religionis annos.

De vita gerenda ab iis qui in schola versantur. §. 146. 2. Omnes igitur, qui in hac versantur schola, mundi commercium penitus vitabunt; vanitatem, socordiam, ingluviem, delinquendique pericula caute fugient: communem inter se charitatem habebunt, quin alius cum alio amicitiam contrahat particularem: humilitatem, patientiam, ac modestiam oris, et operis semper tenebunt, et cunctis ubique manifestabunt; obedientiam, paupertatem, et castitatem apprime custodient; omnique virtutum genere continuo exercebuntur, ut saecularia desideria fugientes, et semetipsos abnegantes, vocationem, ac electionem suam certam faciant.

§. 147. 3. Semper ad chorum processionaliter ibunt cum scholae magistro, et ejus socio, poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta locis, et temporibus in capite de confessariis, et communione praescriptis semper accipient. Mane postquam exirent a choro, aut a capitulo sabbathi, quotie missam audient in tyrocinii sacello; ubi communicabunt quoque, si dies fuerit communionis: coronam beatissimae Virginis quotidie recitabunt singulatim: sanctam n. p. Augustini regulam memoriae tradent. Doctrinam christianam, caeremonias ecclesiasticas; generales breviarii rubricas, cantum planum, et status religiosi munera apprime discent. Lectiones, quae ab ipsis in choro sunt recitandae, aut canendae prius legent, et tempus, quod a choro, caeterisque muneribus exequendis superfuerit in rhetorica, et linguis addiscendis, si intra novitiatum magistri adsint, vel etiam sacrarum reliquiarum thecis, et similibus conficiendis impendent, ne umquam sint otiosi. Idem ut supra.

§. 148. 4. Praeter exercitia pietatis, quae omnibus canonicis sunt communia, haec agent: quotidie post vesperas diebus non impeditis, lectioni spirituali per semihoram vacabunt: quotidie in tyrocinii sacello statim post coenam cum scholae magistro adunati litaniam beatissimae Virginis recitabunt; et conscientias suas per unius saltem horae quadrantem examinabunt; quo examine peracto, et magistri benedictione accepta, in cellas discedere poterunt: quolibet mense per unius diei spatium a quacumque re temporali abstracti, solis rebus spiritualibus operam dabunt: singulis trienniis per decem dies ab omnibus curis temporalibus, et hominum colloquio semoti, exercitiis tantum spiritualibus applicabuntur; haec enim facientes plenariam indulgentiam peccatorum consequentur: et cum magistro visum fuerit semel saltem quolibet mense collationes habebunt spirituales; et antiquorum patrum sa- De exercitiis pietatis peculiaribus, praeter communia.

quentes vestigia, in vita spirituali profundius radicentur.

De silentio ab iisdem servando.

§. 149. 5. Silentium intra monasterium perpetuo servabunt, nec loquentur umquam, vel secum invicem, vel cum capitularibus, vel cum domesticis, vel cum extraneis, nisi praesente praelato, aut scholae magistro, vel de illorum facultate speciali. Poterunt tamen loqui ad invicem de rebus sanctis, ac devotis, vel saltem de indifferentibus, cum recreationis causa in monasterii villam iverint deambulatum; ibunt enim post vesperas duobus tantum diebus in qualibet septimana, si pluries hanc recreationem iis non concesserit praelatus. Sed cum ita deambulatum iverint, non divisim, sed conjunctim deambulabunt, semperque a magistro suo, vel ejus ducentur coadjutore. Cum autem locuti fuerint praelato, aut scholae magistro, semper genuflectent, atque sic permanebunt, quousque surgere jubeantur.

De contentionibus, et jurgiis ab eis vitandis.

§. 150. 6. A contentionibus, jurgiis, et factionibus omnino cavebunt. Reprehensiones, poenitentias, et mortificationes sibi a praelato, aut a magistro injunctas, quamvis se innocentes judicent, patienter sustinebunt. Unaquaque sexta feria, exceptis iis, quae a vigilia Nativitatis usque ad octavam Epiphaniae, et a Paschate, usque ad Pentecostem venerint, flagellationem in tyrocinii dormitorio conventualiter sument paulo antequam ad matutinum eant, nisi dies fuerit solemnis.

De munditie ab ipsis procuranda in dormitorio.

§. 151. 7. Juxta distributionem a magistro, vel ejus coadjutore faciendam, dormitoria, et sacella singulis sabbatbis verrent, et ubi commode fieri potest, dormitorii candelabra singulis diebus abstergent, et accendent. Chorum singulis hebdomadis mundabunt, et praeparabunt. Singulis diebus mane ad primam, et post meridiem ad vesperas, caeteros canonicos a somno excitabunt. Singulis mensibus super terram jacebunt ad ingressum capituli veniarum, dum caeteri canonici transeunt ad idem sabbathi capitulum; eodemque die humi comedent in refectorio.

De publica defectuum confessione ab ipsis facienda.

§. 152. 8. Singuli quoque defectus suos palam dicent, poenitentiamque accipient in capitulo, quod eis semel saltem qualibet hebdomada fiet a magistro in hunc modum: statim post vesperas, quando vesperae non recitantur ante prandium, omnes ad scholam pertinentes processionaliter ibunt a choro ad aliquam tyrocinii domum, capitulo destinatam ubi stantibus omnibus magister dicet — *Salvos fac servos tuos* — respondebunt caeteri — *Deus meus sperantes in te* — ℣. *Mitte eis Domine auxilium de sancto* — ℟. *Et de Sion tuere eos* — ℣. *Domine exaudi orationem meam* — ℟. *Et clamor meus ad te veniat* — ℣. *Dominus vobiscum* — ℟. *Et cum spiritu tuo* — *Oremus* — *Deus qui renuntiantibus saeculo thesaurum non deficientem reddis in Coelo, hanc congregationem tuam Spiritus Sancti rore foecunda; et gratiam, qua omnes in te perseverent, fraternique ferveant amore infunde. Per Christum Dominum nostrum* — ℟. Amen.

De oratione ab eis recitanda.

§. 153. 9. Hac oratione recitata magister sedebit in scabello, alii vero humi in storia, et reliqua peragentur, sicut in capite de culparum capitulo praescribitur. Quibus peractis omnes simul cum magistro genua flectentes dicet antiphonam — *Christus factus est pro nobis obediens* etc. Statimque magister subjunget orationem — *Respice quaesumus* etc. cui omnes respondebunt — *Amen* — atque inde discedent.

De eorum tyrocinio.

§. 154. 10. Omnes denique vitam agent in tyrocinii domo, atque dormitorio a capitularibus segregato, et supra se clauso, cujus claves erunt sub potestate magistri; nec ullus sine licentia ipsius poterit inde exire. Postquam vero septem annos in tyrocinio compleverint, eos statim prior eximet a schola, ipsis conferens birretum coram consiliariis in exemptionis signum, deincepsque mutato *fratris* praenomine in *domnum* inter canonicos capitulares numerabuntur, et in capitulo conventuali voce activa gaudebunt, ac passiva, et capitulares vocabuntur. Si tamen aliquot habuerint crimina, propterea que in tyrocinio adhuc detineri mereantur, id, causa cognita, ipsisque auditis, prior, et consiliarii judicabunt.

Caput XXV.

De fratribus conversis.

De fratribus conversis.

§. 155. 1. Ut canonici divinis laudibus in choro celebrandis, literarum studiis conficiendis, clericalique instituto adimplendo liberius, et quietius insistant; recipi valebunt aliquot laici, sive conversi, qui opera, ac ministeria servilia obire, resque temporales, sicut eis fuerit injunctum, curare debeant. Hujusmodi tamen pro qualibet congregationis domo recipiendorum numerus a capitulo generali singu-

lis triennii praefinietur, nec plures recipiantur, quam ad serviendum opus sit.

De excludendis ob impedimentum matrimonii, haeresis, et similium.

§. 156. 2. Admittentur autem a priore, consiliariis, et conventu instar canonicorum. Nulli tamen poterunt recipi, qui matrimonii vinculo, aut servitutis fuerint ligati, vel a parentibus, aut avis ob haeresim, et apostasiam a religione catholica, vel ob crimen laesae majestatis puniti, aut judicatis progeniti; vel aere alieno, praesertim regio, aut aliqua civili obligatione fuerint obstricti, vel habituali, aut contagioso morbo laboraverint; vel infamiam, aut magnam corporis laesionem habuerint, vel parum mentis compotes, sive fatui esse videantur; vel vigesimum aetatis annum nondum attigerint, aut quadragesimum excesserint: de hisque omnibus inquirendum erit, quando illorum fiunt inquisitiones de genere, vita, et moribus secundum juris formam.

De literis a conversis scire licitis.

§. 157. 3. Literae vero in conversis nullae requiruntur, cum totum eorum officium in operibus, et ministeriis temporalibus, et abjectis versetur; neque ad ordines promoveri etiam a capitulo generali possint umquam quemadmodum neque a suo statu ad canonicorum statum mutari. Unde plus literarum quam sciebant, quando ingressi sunt addiscere numquam permittentur; hocque illis ante ingressum, sicut etiam ad serviendum tantum recipi declarandum erit.

De vestitione conversorum.

§. 158. 4. Postquam admissi fuerint a priore, et conventu tyrocinium ingredientur, in cujus sacello, congregatis iis, qui ad scholam pertinent, scholae magister brevi quadam exhortatione facta, hujusmodi conversos induet tunica, cingulo, scapulari lineo, et palliolo rotundo, sive almurtia sine cucullo, intereaque temporis aliquot preces recitabuntur. Sic recepti manebunt in tyrocinio per integrum annum, quo exacto, proponentur a priore in capitulo conventui, ut per secreta suffragia approbentur, aut reprobentur ad instar canonicorum. Qui approbati fuerint prosequentur in congregatione intra, vel extra monasterium obeuntes ea, quae sibi fuerint demandata; statimque juramentum in manu magistri novitiorum praestabunt, quo se ad castitatem, obedientiam; et fidelitatem circa res omnes sibi commissas particulariter obligent. Non tamen profitebuntur, nisi biennio in religione transacto, quo finito, iterum a priore proponentur in capitulo conventui, ut approbentur, aut reprobentur eodem modo, ac in fine primi religionis anni.

De professione ab iis emittenda.

§. 159. 5. Qui autem in fine dicti biennii approbati fuerint, statim professionem emittent in hunc modum: congregato conventu, non in ecclesia, sed in capitulo, aut aliquo particulari sacello, sacerdoteque sacrum sine cantu celebrante, conversus, qui professurus est tempore offertorii coram omnibus alta voce leget chartam professionis, a se subscriptam, lingua vernacula dicens: *Eu fr. N. me offereco a Deus, e a congregacos de santa Cruz, et prometo obediencia as reverendissimo padre general P. N. e a os seus successores canonicamente electos; etambem prometo pobreza, e castidade, segundo a regra de santo Agostinho nuestro padre* — Quibus dictis, ipsemet sacerdos celebrans eidem imponet super humeros palliolum rotundum cum capitio, sive almurtiam, et ante finem missae sacram ei praebebit Eucharistiam.

De gubernio, et correctione novitiorum.

§. 160. 6. Omnes tamen conversi toto vitae suae tempore sub gubernio, et correctione magistri novitiorum in schola permanebunt; Votum in capitulo numquam habebunt; semper mensae primae et secundae in refectorio servient: munia domus inferiora semper obibunt: opera servilia, quae ipsis fuerint injuncta, diligenter exequentur, persuasi quod congregationem sic juvando quo melius illa rebus ad majus Dei obsequium vacare pertinentibus possit, eidem omnium Domino serviunt, quandoquidem propter divinam ipsius amorem id faciunt.

De eorum exclusione a mensa communi.

§. 161. 7. In prima mensa nullatenus edent, nisi forte ob poenitentiam humi comedant, ad communitatis actus nequaquam admittentur, nisi tantum ad capitulum veniarum, et orationem mentalem, corona semper carebunt: almurtiam cum capitio, sive cucullo non habebunt, nisi postquam fuerint professi; superpellicium numquam portabunt, nisi cum ad sacram accesserint communionem, aut capitulo veniarum interfuerint, aut alicujus missae fuerint acolythi; neque in processionibus umquam incedere permittentur.

De vestibus conversorum.

§. 162. 8. Vestes conversorum erunt sequentes; scapulare parvum ex lino semipalmaris latitudinis; et longitudinis ad cingulum pertingentis: tunica talaris ex panno subnigro; laneum cingulum ejusdem coloris; palliolum rotundum ex eodem tunicae panno, et ejus longitudinis, ut tres digitos, vel quatuor de-

scendat infra cubitos brachiorum, cujus forma similis erit almurtiae sine duplicio, et a fronte apertae: pallium talare ex eodem panno; caeteras autem vestes, exceptis chlamidibus, et birreto, habebunt sicut canonici habent, quae quidem ipsis tribuentur, prout cuique opus fuerit. Ex iis tamen omnibus solum scapulare lineum est illorum, quem semper deferre tenentur, habitus.

De recitatione horarum conversorum.

§. 163. 9. Conversi quoque horarum canonicarum pensum per quandam orationis Dominicae, et salutationis angelicae numero definitam, repetitionem persolvent. Ac pro precibus quidem matutinis, dicent vices *Pater Noster*, totidemque *Ave Mariae*: pro vesperis decies; pro unaquaque aliarum quinquies. Sed diebus dominicis, et festis, quibus ab opere cessatur, totum pensum duplicabunt.

De aliis actibus pietatis, et religionis.

§. 164. 10. Et qui in monasteriis degunt, eadem confessionis, communionis, orationis, et lectionis spiritualis lege, qua canonici, non sacrum celebrantes, tenebuntur. Qui vero in villis, aut praediis commorantur, semel saltem singulis mensibus confitebuntur peccata sua, et communicabunt; afferentque postea de hac re ad superiorem confessarii testimonium. Si quod tandem pharmacopolium fuerit in aliquo monasterio, pharmacopolae officium conversi quoque exercere valebunt.

Caput XXVI.

De cura pro aegrotantibus, moribundis, et mortuis.

De cura aegrotantium.

§. 165. 1. Quoniam tempore infirmitatis maxime apparere debet quam bona, jucunda, laudabilisque sit habitatio fratrum in unum: cunctis praecipimus superioribus, ut magnam infirmorum debilium, et invalidorum curam habeant, erga ipsos praecipue fraternam exerceant charitatem, et eos frequenter visitent, foveant, consolentur. Decernimusque, ut cum aliquis in morbum inciderit, de infirmitate sua certum faciat infirmarium, qui statim praelato id referet; medicum, vel chirurgum advocabit; pharmaca, et caetera omnia ad infirmitatem depellendam necessaria parari diligenter curabit. Alii vero religiosi non solum ipsum invisent, ac verbis consolabuntur, sed etiam opere in iis, quibus opus fuerit, adjuvabunt.

De monitionibus cum aegrotantibus adhibendis.

§. 166. 2. Sed ante omnia superior ipse, vel infirmarius, aegrotum admonebit, ut propter varios casus, qui interdum infirmis solent accidere, sacramentis Ecclesiae, poenitentiae praesertim, et Eucharistiae se muniant. Quo rite facto, medicis deinde se curandum tradet, interimque humilitatem, et patientiam praeseferens, non minorem aedificationem quum morbo laboret, quam dum corpore valebat, omnibus praestare satagat.

De sacramentis eisdem suppeditandis.

§. 167. 3. Si tamen infirmitas adeo ingravescat, ut extrema, vel periculosa esse videatur, interea dum suae mentis compos existit, sacrum viaticum, et extrema unctio ipsis ministrabuntur, et aliqui fratres assignabuntur, qui diu, ac noctu apud ipsum excubent cum cruce, et aqua benedicta.

De assistentia praebenda morti proximis.

§. 168. 4. Ubi vero perspectum fuerit animam corpus deserere, duo signa conventui dabuntur quibusdam ferreis crepitaculis in triduo parasceves usitatis, quibus auditis, omnes, posthabita quacumque occupatione, diligenter accurrent, ut fratri jam jam morienti adsint, officium agoniae recitent, et apostolicum symbolum canent.

De litaniis pro eis recitandis.

§. 169. 5. Quod si contigerit hoc tempore conventum divino officio interesse, aut alia detineri occupatione, quae commode praetermitti non possit; ii tantum ibunt, qui a superiore missi fuerint, recitabuntque litanias cum caeteris, quae in commendatione animae continentur. Tempore tamen agoniae per aliquod temporis spatium pulsabitur cymbalum sacrum ad id jam destinatum. Si autem peracta commendatione nondum obierit, recedet conventus, iis tantum permanentibus, quos superior manere jusserit, ut abeunti assistant.

De exequiis peragendis supra mortuos.

§. 170. 6. Postquam ex hac vita decesserit, extemplo cymbalis solita signa edentur, eademque, vel sequenti die, totum officium defunctorum, missaque pro ejusdem anima solemniter celebrabitur, et corpus sepulturae tradetur, observatis de more caeremoniis, et aliis ad funus, et exequias pertinentibus, sicut in ordinario congregationis describuntur. Octavo autem die sacrum defunctorum cum suo nocturno, et in fine missae, unum responsorium ad ejusdem tumulum a conventu decantabitur. Quod idem fiet in fine mensis, et anni.

Idem ut supra.

§. 171. 7. Haec omnia fient in domo, ubi quempiam mori contigerit, et si non sit ex illius habitatoribus. In ea vero in qua mortuus

habitabat, praeter dicta, a die quo sepultus est, vel qua mors ejus est scita, usque ad diem trigesimum primum sequentem, quotidie pro ipsius anima unum sacrum recitabitur cum responsorio in fine super illius sepulchro, quod nigro panno coopertum erit per totum id tempus; et in refectorio ponetur defuncti portio mantili cruce nigra signato cooperta, quae alicui pauperi pro ejus anima in fine refectionis dabitur.

Idem ut supra.

§. 172. 8. Sed in unoquoque e reliquis monasteriis unum sacrum funebre cum suo nocturno; et responsorio in fine cantabitur pro singulis canonicis e vita decedentibus, et quilibet sacerdos ejusdem congregationis tenebitur quantocius pro anima canonici defuncti septies sacrum facere. Qui vero sacerdotes non fuerint, intra dies triginta officium defunctorum sexies recitabunt.

Speciales declarationes pro funere patris generalis.

§. 173. 9. Pro patre tamen generali, si mori contigerit dum generalis fuerit, in omnibus monasteriis officium novem lectionum dicetur. Et in singulis monasteriis erit quidam liber, in quo uniuscujusque fratrum e vita decedentium nomen, et cognomen, atque mortis dies, mensis, et annus a scriba conventus adnotandus erit, qui liber obitus appellabitur. Praelatus vero, in cujus domo aliquis obierit, tenebitur intra mensem alios congregationis praelatos certos facere de illius obitu.

De suffragiis a conversis faciendis.

§. 174. 10. Conversi autem recitare tenebuntur, pro quocumque religioso, quando obierit, sex rosaria. Et pro ipsis conversis in monasterio, unde e vita migraverint, officium integrum defunctorum cantabitur; modusque funeris, et exequiarum, erit idem, qui servari solet in obitu canonicorum, in quorum etiam habitu sepelientur: sed in reliquis monasteriis, unum tantum pro illis sacrum funebre decantabitur, et singuli sacerdotes bis sacrum facient: reliqui vero religiosi semel officium defunctorum recitabunt; et eorum nomina in obitus libro describentur.

De exequiis novitiorum.

§. 175. 11. Si tamen contigerit aliquem novitium mori, ante professionis suae diem, exequiae illius, et officium tumulationis integrum celebrabitur, quemadmodum pro professis celebrari solet; et quilibet presbyterorum semel sacrum faciet pro eodem; idque in ea domo tantum, in qua ille commorabatur.

De suffragiis faciendis pro parentibus canonicorum

§. 176. 12. Quando praeterea decubuerit pater, aut mater alicujus canonici pro illorum anima in ecclesia monasterii, in quo idem canonicus habitat, unum sacrum funebre cum nocturno, et responsorio in fine missae conventualiter decantabitur, ut mos est.

De suffragiis confratrum.

§. 177. 13. Quoties denique confratrem aliquem hujus congregationis obiisse notum fuerit, si canonicorum e vita decedentium suffragiis satis fecisse constiterit, eadem officia, ac sacrificia pro ipsis recitabuntur, quae pro canonicis recitantur, in tota congregatione, si confrater fuerit totius congregationis, aut in aliquo particulari monasterio, si tantum illius fuerit confrater.

PARS II.

De electionibus, electorumque officiis, ac potestate.

Caput I.

De electionibus ordinariis.

De electionibus ordinariis.

§. 178. 1. Postquam sacrum Tridentinum concilium, experientia docente, et Spiritu Sancto inspirante declaravit electiones praelatorum regularium, debere fieri singulis quibusque trienniis, jam nullus est ambigendi locus id semper adservandum esse in hac sanctae Crucis Colimbriensis congregatione. Quamobrem statuimus, ut finito quolibet priorum triennio, statim loco illorum, alii in eisdem monasteriis, per secreta suffragia, et observata forma sacri concilii Tridentini sess. 25. cap. 6. de regularibus eligantur. Ad has electiones ordinarias convenient undique canonici, qui eisdem interesse debent, sive tamquam vocales, sive tamquam scrutatores; ac visitatores dumtaxat.

De visitatione electionibus praemittenda.

§. 179. 2. Sed electiones hujusmodi, semper praecedet visitatio, seu inquisitio in hunc modum: altero a vocatione prioris die observantia non impedito, universus conventus sono campanae ad capitulum convocabitur, et post oblatum Spiritui Sancto solemne sacrificium, quo cuncti obnixe Deum precentur, ut in futura actione suam illis gratiam impertiri, ac de bono pastore providere dignetur, continuo ab uno visitatorum brevis admonitio, seu exhortatio, de observantia religionis fiet. Qua finita, in domum ad id constitutam visitatores

recepti, muuus suae visitationis, et inquisitionis incipient; et postquam illam peregerint, eamdem secreto habentes prioris electionem aggrediuntur hoc modo.

De signo campanae praemittendo in electionibus. §. 180. 3. Ante omnia juxta consuetudinem campanae signum dari jubeatur; ut electores congregentur, quibuscum universus conventus in claustrum (ubi tamquam in loco publico celebranda est electio) conveniant, statimque unus ex visitatoribus, sive alius, cui commendatum fuerit, quamdam exhortationem faciet, qua de electione agat, atque etiam de ratione, quam in illa servare debent, electores erudiat; praesertim ut ea, quae jure postulantur, nempe aetatis maturitatem, morum gravitatem, prudentiam, literarum scientiam, animi submissionem, castitatem, misericordiam diligenter in aligendis considerent.

De orationibus praemittendis. §. 181. 4. Absoluta exhortatione, cantor inchoabit hymnum — *Veni creator Spiritus*, quo per alternantes choros dicto, electores ad electionem procedent visitatoribus, qui eamdem scrutari, et confirmare solent suffragiorum, seu votorum receptioni praesentibus, qui mensae assideant in loco, ubi ab omnibus electoribus videantur, et audiantur a nemine.

De distributione schedularum pro suffragiis. §. 182. 5. Deinde a scrutatoribus orctenus adscribendo in schedulis suffragia ex ipsis electoribus, scribae, sive notarii designabuntur: quorum singulos praeses scrutinii in mensa supra missale, etiam juramento coram omnibus constringat, ut nomina, quae electores ab ipsis postulaverint, secreto contineant, et neque suum ulli proprium neque ipsius scribae; nec pauciora, quam duo, nec plura quam quatuor praebeant, quin omnia sub diversis nominibus, ac sua, non autem electorum manu subscripta sint.

De absolutione a censuris super electoribus facienda. §. 183. 6. Post scribarum nominationem idem praeses ad effectum earum electionum tantummodo electores absolvet ab omnibus censuris in hanc formam — Auctoritate qua fungor, absolvo omnes canonicos, qui in hac electione vocem habent activam, vel passivam ab omni sententia excommunicationis, suspensionis, interdicti, vel irregularitatis, siquam incurrerunt, ad effectum praesentem dumtaxat.

Declaratio ut supra. §. 184. 7. Quae absolutio in omnibus, et singulis electionibus per scrutinium faciendis impendetur: et finita absolutione, in primis scribae sua ferent suffragia, deinde scrutatores si in ipsa electione vocem habuerint activam, deinde caeteri vocales unus post alium ordine, quo sedent conjicient in capsulam suffragium suum, quin alii cum aliis interloquantur.

Caput II.

De suffragiorum forma.

§. 185. 1. Modus votorum, sive forma suffragiorum erit hujusmodi — Eligo in priorem hujus monasterii D. N. primum, aut secundum etc. suffragium — quod totum ad longum, et nequaquam per compendium exprimetur. De forma suffragiorum

§. 186. 2. Omnes autem schedulae, in quibus suffragia scribuntur, erunt ejusmodi magnitudinis, formae, et coloris, quarum unam, in qua nomen canonici eligendi fuerit scriptum, elector accipiet; in longumque complicatam in urnam sive capsulam, ad id constitutam conjiciet; alteram vero, seu alias scindet, et in scrutatorum praesentia in alteram capsulam dimittet, parique modo ita omnes complicabuntur, ut inter se nihil differre videantur. De forma, et magnitudine schedularum

§. 187. 3. Postquam ab electoribus omnes schedulae in capsulam fuerint conjectae, scrutatores eamdem capsulam aperient, omnia suffragia recensebunt, et explorabunt, numerumque cum numero conferent. Si autem pars major electorum in unius merito, ac dignitate cohaereant, ipse rite, et canonice juxta sacrorum canonum dispositionem est electus, extemploque apud eosdem electores ipsum cum caeteris, qui in hac electione adepti sunt suffragia divulgabunt. De scrutatoribus schedularum.

§. 188. 4. Quod si prima vice electio non absolvatur, quot cuique fuerint suffragia scrutatores aperient his verbis, N. tot vota; N. tot obtinuit; et coram omnibus illa conscindent, et in capsula reponent. Idem quoque faciendum erit, quotiescumque electio non constiterit, et hoc pacto per diem totum electionem prosequentur, donec major pars suffragiorum in unum consentiant. De apertione schedularum.

§. 189. 5. Si tamen evenerit, ut primo die non consentiant, secundo congregentur: sin minus suffragantes adhuc eo die usque ad meridiem in unum non conveniant, scrutatores tres plura habentes suffragia promulgabunt, quibus electores sua vota conferre, et non alteri tenebuntur. Et quoties vota dederint, scru- De renovatione scrutinii.

tatores numerum votorum, quae singuli sunt adepti, declarabunt.

De electione coactiva.

§. 190. 6. Si vero nec per totum eum diem convenerint, postero die eisdem sua vota reddant. Quod si major pars suffragantium, nec prima vice consentiat, duos plura habentes suffragia publicent, et electores unum eorum eligere teneantur. Sed si die tertio non convenerint, nec unum ex duobus, qui plura adepti sunt vota, elegerint, in posterum quoad finiatur electio in refectorio solum eis dabitur panis, vinum, et aqua. Si autem scrutatores, inter tres, duosve plurium votorum participes publicandos aliquos paribus inter se votis aequales invenerint, anteferant eos, qui fuerint antiquiores.

Declarationes circa electiones coactivas.

§. 191. 7. Attamen praefatus eligendi modus solum in electionibus priorum servabitur, nam in aliis, sive a capitulo generali, sive a definitorio, sive a conventibus fiant, non convenientibus prima, et secunda vice, seu in primo, ac secundo jactu, electoribus nominandi sunt a scrutatoribus tres plura ferentes vota, quibus tertia vice tantum suffragari debeant.

De iis, qui pro electis haberi debeant.

§. 192. 8. Quod si adhuc non concordaverint, duo tantum nominandi sunt plura obtinentes suffragia, quibus quarta vice suffragentur. In quarto autem scrutinio, si vota fuerint paria, antiquior in religione censebitur electus. Illi tamen duo, circa quos suffragia feruntur quarta vice ab eis ferendis abstinebunt, quamvis uterque, vel alter praesens sit, et reliquis vicibus suffragia tulissent.

Declarationes speciales.

§. 193. 9. Quod si dubium excitetur in aliquo jactu, propter quod suffragia rursus ferre necesse sit, nihilominus jactu sequenti scrutiniorum numerus crescet, ita ut si jactus, in quo dubium ortum est, erat tertius, qui sequitur, erit quartus; si erat quartus, hic sit quintus, quamvis reapse sit quartus legitimus, cum aliquando non plura suffragia ferri possint legitime, quam quatuor, ut constat ex modo dictis.

Idem ut supra.

§. 194. 10. Si quis autem impediendae electionis causam, aut alio fine schedulam albam, in qua videlicet nihil sit scriptum in urnam conjiciat, ejus nulla ratio habeatur, sed alia suffragia enumerentur, et cum iis electio stabiliatur. Qui vero id efficere ausus est, eo ipso excommunicationem incurrat, ac inhabilitatem ad officium, vel officia, quorum tunc electio celebratur.

Caput III.

De officialibus per scrutinium eligendis.

De officialibus eligendis.

§. 195. 1. Officiales qui per scrutinium eligi debent, sunt priores, rector, ac regens collegii Sapientiae, consiliarii monasteriorum, procuratores ad generale capitulum, substituti priorum, aut procuratorum, qui morte, vel alio modo inter celebrandum capitulum generale vacaverint, substituti procuratorum, qui ad idem capitulum generale non venerint, aut in eo fuerint reprobati, quinque generalis capituli, et sex ordinis definitores.

De electione prioris s. Crucis Collimbriensis.

§. 196. 2. Prior monasterii sanctae Crucis Collimbriensis cum sit etiam totius congregationis praepositus generalis, eligendus erit ab omnibus patribus capituli generalis, et simul ab omnibus monasterii sanctae Crucis habitatoribus, qui vocem habent in capitulo conventuali, capitularesque vocantur. Rector, et regens collegii Sapientiae eligendi erunt sicut in tertia parte dicetur, priores, et consiliarii monasteriorum, et procuratores eorumdem ad capitulum generale eligentur a capitularibus cujuslibet monasterii, qui vocem habent in capitulo conventuali, definitores tum capituli generalis, cum ordinis, et procurator generalis Ulyssipponensis, si electiones fuerint ordinariae, substitutique procuratorum supradicti eligentur a capitulo generali, ut in quarta parte dicetur.

De exclusione impeditorum.

§. 197. 3. Ad haec tamen officia, numquam eligentur, qui aliquo juris, vel istarum constitutionum impedimento laboraverint. Inter caetera vero impedimenta, quae utroque privant suffragio, numerari debet bonae existimationis, ac famae judicis declaratione amissio, mentisque infirmitas, aut inopia.

De exclusione eorum, qui alio officio funguntur.

§. 198. 4. Atque illud in primis observandum est, ut nemo quamdiu uno fungitur officio, in aliud ejusdem, vel inferioris generis eligatur. Praeterea ut non reeligatur in idem vel ejusdem generis cum eo, quo functus est. Quod quidem pro consiliariis intelligendum in eadem domo; pro prioribus vero etiam in diversis; neque enim illi proximo triennio ad prioratus reassumi poterunt; eademque erit ratio de visitatoribus. Pater autem generalis sequenti sexennio a generalatu, et primo triennio ab omni vacabit officio.

De electione praepositi generalis.

§. 199. 5. Unde in praepositum generalem eligi non poterit, qui ex legitimo matrimonio non fuerit natus, et quadraginta aetatis annos adhuc non habuerit, et adhuc non fuerit, vel prior alicujus domus, vel magister emeritus, vel saltem vicarius praesidens, annorum spatio duorum, et sexennium post quam generalis fuit, nondum finierit, dummodo omnes qualitates habeant probitatis, prudentiae, et scientiae a jure requisitas.

De electione prioris.

§. 200. 6. In priorem cujuscumque monasterii eligi non poterit, qui non fuerit sacerdos capitularis, confessarius, et concionator; et sexdecim annos religionis nondum habuerit; et vicarii, aut visitatoris, aut procuratoris generalis Ulyssipponensis, sive Portugallensis, aut magistri novitiarum Collimbriensis, vel Mafrensis, aut magistri theologiae munera per duo saltem annos adhuc non exercuerit, aut triginta religionis annos nondum compleverit.

De electione visitatorum.

§. 201. 7. In visitatores denique, aut in procuratores generales Ulyssipponenses, aut in vicarios cujuslibet monasterii, aut in magistros novitiorum sanctae Crucis, aut Mafrae, eligi non poterunt, nisi canonici capitulares sacerdotes, concionatores, et confessarii, qui jam duodecim annos religionis habeant.

De electione substituti patris generalis.

§. 202. 8. Substitutus vero, et collegae patris generalis, ordinisque definitores in nulla earum electionum, quae fiunt post capitulum generale, quarum fuerint scrutatores, habent vocem passivam. Scrutatores quoque electionis praepositi generalis, quando generalatus depositione vacaverit, in hac electione suffragium passivum non habebunt. Caeteris tamen scrutatoribus, quarumcumque electionum, sive in capitulo generali, sive alibi fiant ex ipso officio, ac munere scrutandi vocem passivam in eisdem habere non repugnat.

De confessione eorum qui activa, et passiva voce privati sunt.

§. 203. 9. Sed si quis voce activa, et passiva privatus fuerit, ipso facto remanebit suspensus ab officio, in quod per scrutinium erat electus, poenitentiae durante tempore dumtaxat; nisi ea privato ultra quadraginta dies extendatur; alioquin cum utraque voce simul amittet officium, aliusque loco illius eligatur.

De intelligentia activae vocis.

§. 204. 10. Vox autem activa intelligitur non solum in electionibus, quae per scrutinium celebrantur, sed in omnibus etiam congregationibus, ubi res agitur per suffragia. Vox tamen passiva intelligitur solummodo in electionibus, quae fiunt per scrutinium.

Caput IV.

De electorum confirmatione.

De confirmatione electorum.

§. 205. 1. Ubi primum electio celebrata fuerit, visitatores electo, si adsit ibi, praecipient, ut in cellam se recipiat. Deinde coram omnibus assignabunt spatium duarum horarum, vel quod conveniens visum fuerit, ut electi merita, et captum discutiant. Et intra hoc tempus siqui fuerint, qui electioni obsistere, et reclamare voluerint, eos plane audient, ac simpliciter sine strepitu, et figura judicii.

De aliis servandis in electionibus.

§. 206. 2. Quibus auditis, si judicaverint electum ad id muneris non esse aptum, et idoneum, aut aliquam invenerint commisisse culpam, ex contentis in capite de culpis gravioribus, vel crimen aliud propter quod voce activa, et passiva privari mereatur, electionem infirment, procedantque ad alteram. Et toties id agant quoad electionem canonicam, juxta formam constitutionum istarum conficiant, de personaque digniori provideant. Si tamen electio fuerit patris generalis, infirmari non poterit nisi a capitulo generali causa prius fuerit cognita, et judicata.

De iis, quae electionem sub sequuntur.

§. 207. 3. Transacto jam praedicto termino, si electionem canonicam, electumque ad officium idoneum esse constiterit, statim patres capituli generalis cum conventu, si electio fuerit praepositi generalis apud monasterium sanctae Crucis celebrata, aut visitatores cum conventu, si electio fuerit prioris alterius monasterii in dormitorio congregabuntur, et ad sonitum majoris campanae processionaliter cantantes hymnum — *Te Deum laudamus* — electum deducent ex sua cella in chorum, ubi in sede priorum, flexis genibus, positum, absoluto hymno — *Te Deum laudamus* — et facta professione, seu protestatione fidei juxta formam concilii Tridentini, visitatores ipsum confirmabunt, eo, qui praeest, sic dicente:

De formula adhibenda in confirmatione electorum

§. 208. 4. *Auxiliante Domino Salvatore Nostro Jesu Christo examinavimus processum electionis, et qualitates personae tuae, et quia secundum fragilitatem humanam invenimus te dignum, recte, et canonice electum; ideo auctoritate, qua fungimur, te ab omni sententia excommunicationis, vel irregularitatis, si quam incurristi ad effectum praesentium dumtaxat absolventes, concedimus tibi munus confirmationis, et confirmamus*

te in priorem hujus conventus N. et praecipimus tibi in virtute sanctae obedientiae, ut suscipias hujus onus officii, et impleas ministerium tuum, potens est enim Deus, ut augeat in te gratiam suam.

Idem ut supra. §. 209. 5. Quod si confirmandus fuerit generalis, ubi dicitur — *priorem hujus conventus* » additur » *et generalem totius nostrae congregationis* — Quo peracto universi eum in suum priorem, pastoremque habeant, et manum ei deosculentur. Et hujus confirmationis fidem scriba conventus memoriarum libro mandabit, in quo nomen confirmati, diesque ipsius confirmationis explicetur; quam fidem visitatores, qui electum confirmarunt, subscribent.

De electionibus non fraudandis. §. 210. 6. Postquam vero praepositi generalis, aut priorum confirmatio sancita fuerit, nemo electioni eorum, vel confirmationi reniti, aut contradicere poterit, neque in re tali audietur. Si autem electus tali impedimento implicetur, ut ante quadragesimum diem suo munere fungi non possit, factam electionem abrogent, et alteram, ut dictum est, conficiant, nisi hocce impedimentum sit absentiae tantummodo; tunc enim si transacto termino supradicto, dignus, et idoneus judicetur; monasterii fores de more aperientur, jussusque accersiri praedicto modo confirmabitur; sed interea temporis vicarius eligetur; et postquam fuerit per juramentum confirmatus, domum gubernabit, quousque prior electus confirmetur.

De publicatione electionis prioris in alio monasterio degentis. §. 211. 7. Si tamen electus in priorem alicujus monasterii habitaverit in alia domo, quae adhuc visitata non fuerit, scrutatores electionis antequam publicent electum, mandabunt per epistolam suam sub poena excommunicationis praelato illius monasterii, in quo habitat electus, ut intra terminum, quem assignaverint, ipse cum duobus primis consiliariis, quorum ultimus erit secretarius, inquirant de vita, et moribus electi, quem si repererint innodatum culpis, quae secundum jus electionem infirmant, domi relinquent, culparumque inquisitionem a se subscriptam, clausam, et sigillatam ad scrutatores remittant; sin autem ab hujusmodi criminibus liberum invenerint, electum ipsum statim ad locum electionis amittent, illiusque socio tradent supradictam inquisitionem, ut eam tradat scrutatoribus.

De confirmatione substitutorum. §. 212. 8. Substitutus vero patris generalis, collegae, definitores, et consiliarii, confirmantur absque ulla formula per solum juramentum, quod praestant de officiis suis rite exercendis; sed si forte evenerit, ut aliquis ex omnibus memoratis, canonice electus confirmationem suae electionis absque justa causa nolit acceptare, et officio, ad quod electus est, valde necessarius sit, eum confirmatores opportunis mediis compellent, nisi tales ad id faciendum rationes reddat, ut scrutatores, vel confirmatores sibi persuadeant non esse compellendum, aut majus inde oriri posse damnum, si compellatur.

Caput V.

De vacationibus, et electionibus extraordinariis.

§. 213. 1. Quoniam praedicta officia, vel morte, vel renuntiatione, vel dispositione officialium, vel similibus modis vacare possunt, quid tunc fieri debet, hic explicemus oportet. Si ergo vacaverit generalatus quocumque ex praedictis modis ultra septem menses ante capitulum generale, substitutus ejusdem patris generalis, tenebitur in virtute sanctae obedientiae statim prima, vel secunda vacationis die certos facere priores congregationis, aliosque canonicos, qui ex privilegio capitulo generali interesse possunt, ut sine procuratoribus monasteriorum intra quindecim dies a vacatione in monasterio sanctae Crucis congregentur, iidemque priores sub eodem praecepto intra praefixum diem tenebuntur advenire, nec poterunt non venire, nec adventum retardare. De vacationibus, et electionibus extraordinariis.

§. 214. 2. Postquam fuerint hi omnes congregati, praesidente priore regalis monasterii Mafrensis, constitutisque tribus visitatoribus, qui de iis tantummodo criminibus, ob quae jus suffragii amittitur, inquirant, et cognoscant, eligetur, et confirmabitur praepositus generalis totius congregationis, eadem ratione, ac forma, quam in electionibus, et vacationibus ordinariis, eligi, confirmarique solet. Sic autem electus, et confirmatus, verus erit prior monasterii sanctae Crucis, cancellarius universitatis, et totius congregationis generalis, eamdem habebit jurisdictionem, ac potestatem, eisdem gaudebit honoribus, et privilegiis, eademque sexennii, et alia quaecumque substinebit onera, ac si ordinarie in principio triennii fuerit electus. De inquisitione criminum.

§. 215. 3. Si tamen ea vacatio contingat intra septem menses ante capitulum generale, De gubernio monasterii tempore vacationis.

toto eo tempore usque ad novam electionem a capitulo generali faciendam, vicarius monasterii sanctae Crucis domum gubernabit, eritque vicarius praesidens, cancellarius universitatis, et vice praelatus in territorio exempto ejusdem monasterii.

Idem ut supra.

§. 216. 4. Congregationem vero urgent, ac gubernabunt usque ad dominicam secundam post pascham, substitutus, et collegae patris generalis, illius quippe locum tenebit substitutus, qui quidem exinde appellabitur substitutus generalis; nullam tamen habebit, aut dignitatem, aut jurisdictionem, aut potestatem in monasterio sanctae Crucis, vel ipsius exempto; sed tantummodo jurisdictionem habebit simul cum collegis respectu congregationis, ut eidem provideant, si forte providere opus fuerit in aliquo eventu, qui contingere possit, usque ad capitulum generale tempore consueto celebrandum, in quo etiam non substitutus, sed prior domus antiquioris praesidere debet.

Aliae similes declarationes.

§. 217. 5. Si quoque vacaverit prioratus alicujus monasterii, ultra septem menses ante capitulum generale, statim pater generalis, et collegae in virtute sanctae obedientiae tenebuntur intra quindecim dies a vacatione praesentes esse in monasterio vacante, ut per electionem a conventualibus ejusdem monasterii faciendam supradicto modo alius prior substituatur.

Idem ut supra.

§. 218. 6. Si tamen accidat haec vacatio, intra septem menses ante capitulum generale, vicarius monasterii toto eo tempore domum gubernabit, venietque ad capitulum generale, et sedebit loco sui prioris: quamquam in capitulo generali praesidere non debeat, cum praesidentia ad priorem domus antiquioris devolvatur.

Idem ut supra.

§. 219. 7. Eunte autem vicario ad capitulum generale ob vacationem prioratus, magister novitiorum interim monasterii curam geret, proptereaque in capituli procuratorem eligi non poterit. Idem quoque fiet respectu rectoris collegii Sapientiae, sicut de prioribus extraordinarie vacantibus dictum est.

Idem ut supra.

§. 220. 8. Verum qui substituuntur, loco vacantis prioris, si per duos integros annos officia possideant, triennio sequenti eisdem legibus tenebuntur, quoad carentiam vocis passivae in nonnullis electionibus, quibus tenentur alii priores, qui toto triennio gubernarunt. Si tamen praelaturam minus biennio exercuerint, ad quemcumque prioratum, et ad quaevis alia officia assumi poterunt. Eademque ratio erit de illo, qui in locum vacantis rectoris sufficitur.

Idem ut supra.

§. 221. 9. Si autem vacaverit aliquis consiliarius in aliquo monasterio, novi constitutio, seu electio pertinet ad capitulares ejusdem monasterii accolas praesidentibus receptioni votorum in monasterio sanctae Crucis patre generali, et collegis; in aliis vero monasteriis priore, ac duobus immediatis consiliariis: nisi forte ibi adsint pater generalis, et collegae, tunc enim ipsi erunt scrutatores hujus electionis. Eodem modo si vacaverit procurator generalis Ulyssipponensis, vel Portugalliensis, loco illius pater generalis cum substituto, et collegis alium constituent absque scrutiniis.

Idem ut supra.

§. 222. 10. Si patris generalis substitutus, aut aliquis ex collegis, vel ex definitoribus ordinis similiter vacaverit, novi electio pertinebit ad capitulares habitatores monasterii, in quo degebunt vacantes praesidentibus receptioni suffragiorum, in monasterio sanctae Crucis, patre generali, et utroque collega, vel substituto; in reliquis vero monasteriis, priore, ac duobus visitatoribus sanctae Crucis, si vero isti absint, duobus immediatis consiliariis.

Idem ut supra.

§. 223. 11. Denique idem faciendum erit, si praefati officiales non vacent omnino, sed instante tempore alicujus visitationis ita sint impediti, ut eam obire nequeant, et alium eligere oporteat, quamquam, sublato impedimento, officia rursus sua exercere possint, ac debeant. Hujusmodi vero electi approbatio, seu confirmatio ad ejusdem electionis scrutatores pertinebit.

De exclusione ab officiis.

§. 224. 12. Qui autem loco visitatorum vacantium, vel impeditorum sufficiuntur, si re ipsa visitationem aliquam exequantur, in eadem officia sequenti triennio reelegi non poterunt, ut neque ipsi visitatores. Illud etiam ignorandum non est eum, qui loco primi collegae substituitur, re ipsa manere secundum, cum, alius jam sit electione prior: substitutus tamen quamvis extraordinarie eligatur, semper collegas praecedere.

De vocandis ad electiones extraordinarias.

§. 225. 13. Secundum est proinde, quoad electiones priorum extraordinarias vocari debent absentes, si fuerint in loco, ex quo extra quindecim dies accersiri, ac venire possint. Ad electionem vero prioris, quae extraordinarie non fit, vel ad aliquod aliud, quod agi debeat,

non vocabuntur. Quod si vocati non venerint praefatum quindecim dierum spatium, electio absque ipsis celebrabitur.

Caput VI.

De officio ac potestate praepositi generalis.

De officio, ac potestate praepositi generalis.

§. 226. 1. Consentaneum est rationi, omniumque ordinum consuetudini, ut unus sit in qualibet congregatione superior, qui caeteros dirigendi, cogendique jurisdictione polleat. Ideo statuimus, ut in hac sanctae Crucis congregatione unus sit praepositus generalis, qui simul cum collegis suis supra omnes congregationis alumnos, spiritualem, temporalemque jurisdictionem habeat.

De electione praepositi.

§. 227. 2. Hic autem erit prior monasterii sanctae Crucis, quem capitulum generale simul cum canonicis in eodem monasterio habitantibus, et in capitolo conventuali voce gaudentibus elegerint, tempore, modo, et forma supradictis; quippe cum sanctae Crucis monasterium sit in medio regni situm, aptius videtur, ut in eo conveniant priores capitula generalia celebraturi, caeterique religiosi quamcumque necessitatem habentes, ad illud recurrant.

De diversis ejus officiis.

§. 228. 3. Idem praepositus generalis generalatum, prioratumque geret, ac exercebit per triennium ferme a die confirmationis suae, et vacabit semper ab utroque officio in dominica secunda post pascha, in qua cantatur evangelium « *Ego sum pastor bonus* » in ipso scilicet puncto mediae noctis, quo praedicta dominica terminatur; statimque feria secunda sequenti, nisi dies fuerit impedita, capitulum generale inchoabitur.

De ejus vicario nominando.

§. 229. 4. Si autem contigerit aliquando, ut quacumque de causa celebratio capituli generalis eo tempore impediatur, semper idem praepositus generalis vacabit ab utroque officio in praedicta dominica, sed ne congregatio in eo eventu absque superiore, et monasterium sanctae Crucis absque gobernatore remaneat, deinceps usque ad capituli generalis celebrationem, vicarius ejusdem monasterii domum, substitutus vero generalis cum collegis, congregationem gubernabunt, sicut quando generalatus vacat intra septem menses ante capitulum generale, ut praecedenti capite dictum est.

De cura, et gubernio monasterii ab eodem habenda.

§. 230. 5. Postquam vero idem generalis fuerit electus, et confirmatus, totius congregationis curam, regimenque suscipiet, atque ipsius visitator, morumque reformatur evadet. Hanc tamen potestatem, et jurisdictionem, qua pollet, ut totius congregationis caput, tantummodo habebit cum collegis suis; nec illam valebit alteri committere, ac delegare, nisi substituto, excepto casu, quo aliquem apostatam, sive fugitivum absentem, a censuris absolvere opus sit.

De visitatione monasteriis ab eo facienda.

§. 231. 6. Ad patrem generalem simul cum collegis suis spectat caetera monasteria modo, ac tempore infra dicendis visitare, priorum, et consiliariorum electiones ordinarias scrutari, electosque confirmare idoneos; hanc tamen confirmationem nunquam poterit, nisi aliquo juris, vel harum constitutionum impedimento electi fuerint innodati, denegare.

De electionibus officialium extraordinariis.

§. 232. 7. Electiones quoque extraordinarias officialium, qui per scrutinium eligentur, scrutabitur, si forte aliquando fuerit in domo, ubi aliquod ex iis officiis vacare contigerit, dummodo eligendus non sit visitator monasterii sanctae Crucis. Si quoque alicujus consiliarii, eo absente, electio fuerit celebrata, ipsam examinare, et approbare, electumque, si alterius domus incola fuerit, accersire, vel transferre ad eumdem pertinet.

De jurisdictione praepositi generalis.

§. 233. 8. Ad ipsum praeterea cum collegis suis spectat judicare, ac decernere de quocumque gravamine, aut crimine, aut necessitate aliorum congregationis monasteriorum, etiam a nullo ipsorum conventuum, aut particulari persona requisitus, dummodo rei gravitas id poscat.

De consensu capituli generalis in impetrationes Brevium apostolicorum.

§. 234. 9. Nullum tamen Breve, quod commune totius congregationis gubernium concernat, etiam a Sede apostolica impetrare valebit absque capituli generalis consensu, sicut in Brevi ab Alexandro VII. eidem congregationi concesso, praescribitur.

De aliis privilegiis capituli generalis.

§. 235. 10. Nec etiam poterit de iis rebus decernere, aut dispensare, quae in his constitutionibus generali capitulo commissae sunt, nec quidquam in definitionibus, ordinationibus, et constitutionibus immutare, aut dispensare, neque aliquas de novo concedere, quae ad communem statum congregationis pertineant. Poterit tamen praeceptum aliquod, vel mandatum commune in totam congregationem ferre, si causa gravis id postulet; vigilabitque

supra praelatos monasteriorum adhuc extra visitationem, ne negligentia eorum constitutiones, et regula non observentur.

Idem ut supra. §. 236. 11. Cum vero in aliqua definitione, aut decreto generalis capituli dubitatio inciderit, eam quidem, non ex se tantum, sed adhibito quinque canonicorum consilio, qui proxime praeterito adfuere capitulo, explicabit quos, si absentes fuerint, per literas consulet, illorumque sequetur consilium, alioquin nihil ejus valebit explicatio.

Idem ut supra. §. 237. 12. Nec etiam iis se rebus immiscere, etiam dum visitat, poterit, quas suis in conventibus quoad temporalia suorum monasteriorum commoda priores constituunt: neque de hac re, etiam absente priore, habere capitulum, neque suffragia accipere; neque domum quoad supplicarum expeditionem gubernare: neque quidquam procuratori, aliisve officialibus praecipere: neque aliud quidpiam efficere, quod ad domum illam regendam, vel administrandam pertineat. Si quid autem necessarium, aut conveniens fuerit rerum etiam temporalium respectu, id priori faciendum praecipient, scriptuque mandabunt, vim nullam alioquin habiturum.

Exceptiones, et declarationes super eadem materia. §. 238. 13. Nullam quoque potestatem habebit corrigendi, visitandi, vel puniendi substitutum, aut collegas, aut definitores. Hi enim si deliquerint circa officia sua, corrigendi sunt tantummodo a capitulo generali; si vero delicta fuerint personalia, substitutus, et collegae corripientur a vicario, et consiliariis monasterii sanctae Crucis: definitores autem a priore, et consiliariis illius monasterii, in quo habitaverint.

Monitum ad patrem generalem. §. 239. 14. Quin etiam patrem generalem monitum volumus, ne concessa sibi potestate abutendo, modum excedat, sed magno cum zelo religionis, leges, constitutiones, regulam, et vota observare faciat; cunctis observantiae clausurae, ac regularitatis in exemplum sit, choro, et caeteris communitatis actibus, quantum potest, intersit; residentiamque in monasterio sanctae Crucis apprime servet, ad eam quippe tenentur non solum, quia prior est illius monasterii, territorique exempti praelatus, sed etiam, quia totius congregationis praepositus est generalis, ut ibidem residens facilius providere possit, cunctis ad eum recurrentibus. Si autem ab hujusmodi loco residentiae sine urgentissima causa abfuerit, visitatores in eum severe animadvertant tanquam priorem.

§. 240. 15. Caeterum quoad sanctae Crucis monasterium, cujus est prior, se geret, illudque sicut alii priores monasteriorum ejusdem congregationis administrabit. Et quoad prioratus officium ad eum modum, quo praedicti priores, visitabitur, emendabitur, punietur, deponique poterit ab ufficio, sicut infra dicetur. Aliud ut supra.

§. 241. 16. Ad eum denique spectat literas sodalitatis de communicatione fructuum spiritualium quibuscumque sibi placuerit erogare. Idem ut supra.

§. 242. 17. Quod si pater generalis justa aliqua de causa officium dimittere, sive renuntiare voluerit, id efficere non poterit absque definitorii, et conventus sanctae Crucis consensu. Idem ut supra.

Caput VII.

De officio, et potestate substituti, collegarum ac definitorum.

§. 543. 1. Cum generalis ad exequenda generalatus officia possit aliquando infirmitate, aut alio quocumque modo impediri; statuimus ut a capitulo generali per secreta suffragia eligatur aliquis ex tota congregatione canonicus, in ejusdem patris generalis substitutum. Hic autem substitutus, vel ordinarie, vel extraordinarie sit electus, primum semper habebit locum post generalem ante collegas, ac definitores ubicumque fuerint congregati. De officio substituti.

§. 244. 2. Ad eumdem substitutum pertinet interesse definitorio, sicut caeteri conjudices: eidem praesidere cum abest pater generalis: vices agere, et locum tenere, patris generalis, quavis de causa impediti, vel ad electiones scrutandas, vel ad visitationes conficiendas, vel quamlibet rem aliam, necessitate urgente, aut tempore instante persgendam; tandemque loco ejusdem patris generalis congregationem regere quoties generalatus vacaverit, intra septem menses ante capitulum generale, vel capituli generalis celebratio impediri contigerit, sicut praecedenti capitulo fuit statutum. De potestate substituti.

§. 245. 3. Collegae sunt canonici duo per scrutinium a capitulo generali ex tota congregatione electi, ut simul cum praeposito generali quoddam tribunal constituant, congregationemque regant. Hi parem generali potestatem habebunt in omnibus, quae ad officium spectant generalatus, eisque pater generalis tenetur proponere quidquid ab eo tamquam ge- De officio collegarum.

nerali agendum fuerit, atque illorum suffragia sequi, si ambo consenserint, si vero dissenserint, illa pars vincet, cui accesserit generalis suffragium.

De potestate collegarum.

§. 246. 4. Ad eosdem collegas pertinet simul cum generali supradictas electiones priorum, et consiliariorum scrutari; electos approbare, et confirmare; visitationes quascumque monasteriorum conficere; de quocumque gravamine per appellationem, vel recursum ad ipsos delato decernere; definitorio interesse; et circa omnia, quae ipsis a generali fuerint proposita, definitivam sententiam ferre. Horum tamen alterutrum pater generalis prima vice, qua fuerint congregati seliget in secretarium, ut ea scribat, quae ab ipso cum eisdem collegis fuerint ordinata. Iidem vero praecedent semper definitores, a quibus numquam visitabuntur, sicut etiam substitutus.

De numero, et officio definitorum.

§. 247. 5. Definitores quoque sunt tres canonici a capitulo generali per scrutinium ex tota congregatione electi ut monasterium sanctae Crucis in medio triennii visitent; usque in fine triennii visitatio ad capitulum pertinebit generale, et ad illos visitatores alios, qui in eo eliguntur.

De monasterio ab eis eligendo.

§. 248. 6. Licet autem hi definitores ex tota congregatione sumi possint, tamen postquam ad hujusmodi munus electi sunt, in monasterio sanctae Crucis, nec omnes tres, immo nec duo simul habitabunt; sed in suae habitationis locum omnes tres simul alterum eligent monasterium.

De eorum potestate.

§. 249. 7. Habent ergo potestatem culpas puniendi, et eorum quoque est ea, quae reformatione indigent in monasterio sanctae Crucis reformandi. Eam tamen potestatem aliis demandare non possunt. Si dubium aliquod circa literas, seu instrumenta visitationis oriatur, durante officii sui tempore, ab iisdem declarari, mutari, ac temperari potest, si id expedire judicaverint.

Declarationes circa eorum potestatem.

§. 250. 8. Nullatenus tamen se ingerent, neque visitatores sanctae Crucis, neque aliorum monasteriorum in negotiis, ac rebus temporalibus, de quibus conventus in capitulo aliquid decreverint, nisi ea decreta juri, constitutionibus, vel definitionibus capituli generalis sint contraria. Cavebunt praeterea diligenter ne se ad audiendas confessiones eorum, qui in domibus, quas visitant commorantur, intromittant.

De visitationibus prohibitis.

§. 251. 9. Visitatores praeterquam quod tenentur sub maximo secreto sursum visitationum negotia servare, debent etiam propriam ipsarum inquisitionem, et processum custodire. Quapropter antiquior ex visitatoribus monasterii sanctae Crucis adfert secum ultima suffragia, seu schedulas electionum, quas publicarunt, quarumque scrutatores extiterunt; servabuntur autem hae schedulae, et quaecumque aliae scripturae ad eamdem rem attinentes in quadam arca tribus clavibus reserata, quarum quamlibet habebunt tres visitatores usque ad capitulum generale, ad quod eadem acta deferant, et in ejus scrinio reponentur, ut aliquo postulante, seu requirente, aperiantur. Quod si nullus aperiri postulaverit, capitulum generale, ea ita clausa, et sigillata, comburi jubebit. Neque aliquis sub excommunicationis poena illa aperire praesumat. Neque etiam visitatores deinceps poterunt ab ullo accusari ob culpas, quas in praedictis visitationibus, vel electionibus admiserunt.

Idem ut supra.

§. 252. 10. Idem definitores durante officii sui tempore, se invicem non visitant, nisi priorem sanctae Crucis in medio triennii.

Idem ut supra.

§. 253. 11. Ipse tamen visitatores alios non visitabit. Quod siquae culpae ipsorum visitatorum fuerint, aliis visitatoribus, dum visitant, denuntiatae, earum punitiones ad priorem, et consiliarios ejusdem domus remittent; qui antequam visitatores recedant, de iis decernent.

Declaratio.

§. 254. 12. Caeterum hoc intelligendum est, nisi eae culpae sint a visitatoribus in suorum munerum administratione commissae; nam hae ad capitulum generale remittendae sunt.

Alia ut supra.

§. 255. 13. Si denique substitutus vel aliquis ex collegis, et definitoribus officio voluerint renuntiare, ad capitulum monasterii, in quo degit, pertinebit renuntiationem acceptare. Priusquam tamen id conventui proponatur, patris generalis simul cum collegis erit causas renuntiationis examinare, discutere, et approbare, aut reprobare, si renuntians sit substitutus, vel patris generalis simul cum substituto, et altero collega, si renuntians sit collega: si vero renuntians sit aliquis ex definitoribus, ad priorem domus in qua degit, simul cum duobus aliis definitoribus pertinebit easdem renuntiationis causas perpendere, et approbare, aut reprobare.

Caput VIII.

De officio, ac potestate monasteriorum priorum.

De officio, et potestate priorum monasteriorum.

§. 256. 1. Unicuique praefatae congregationis monasterio unus erit praelatus localis, sive prior electus, et confirmatus modo, ac forma supradictis; qui quidem prioratum accipiet, tenebitque per triennium ferme a die confirmationis usque ad mediam noctem illius diei, quo pater generalis, et collegae ad unumquodque monasterium visitationem, ac novam electionem celebraturi accesserint.

De eorum jurisdictione.

§. 257. 2. Priores autem sic electi, et confirmati ordinariam habebunt in omnes subditos ubicumque fuerint, jurisdictionem, ac potestatem; eos, cum opus fuerit, prudenter, ac juste admonebunt, punient, increpabunt, ut leges, constitutiones, et vota observent: ipsos in qualibet tribulatione, aut infirmitate positos consolabuntur, et confovebunt: eisdem semper de cunctis ad victum, et vestitum necessariis providebunt; monasteriaque sibi credita, in spiritualibus, et temporalibus secundum juris, et prudentiae regulas gubernabunt.

De eorum munere.

§. 258. 3. Curabunt praecipue, ut choro, missis, anniversariis, atque caeteris obligationibus monasterii plene satisfiat; officialesque subalterni munera sua diligenter compleant. Ecclesiis monasterio annexis sufficienter juxta morem, de ornamentis, vasisque sacris providebunt, et hujus rei curam habebunt specialem. Quotannis simul cum camerario singulas religiosorum cellas scrutabuntur, ut quae desint suppleantur, et quae non decent, auferantur. Omnibus communitatis actibus, quantum fieri potest semper aderunt, ut subditis in exemplum sint regularitatis. Residentiam in claustro stricte servabunt, nec illis extra monasterium pernoctare licebit, nisi tantum in casibus 1. parte cap. de clausura assignatis.

De distributione concionum.

§. 259. 4. Conciones, quae in ecclesia monasterii fieri solent, unoquoque anno per concionatores distribuent. Praecipuas ecclesiae solemnitates ipsi ad altare celebrabunt capitulo veniarum, sive numquam deerunt nisi legitime impediatur. Consiliarios frequenter in consilium rerum gerendarum accersent. Capitulum conventuale circa bonorum, reddituum, et negotiorum administrationem, quoties opus fuerit, et quoties a majore parte communitatis fuerint requisiti, convocabunt, ibique proponent cuncta ad hujusmodi administrationem pertinentia.

De visitatione officinarum.

§. 260. 5. Officinas cunctorum officialium, saepe visitabunt, ac introspicient. Famulos, qui ecclesiae, sacristiae, ascellis, conventuique ministrent, sicut etiam servitores, qui culinae, inferioribusque serviant ministeriis, mercede conducent, et cum opus fuerit, foras ejicient. Cavebunt tamen a conducendis in hujusmodi famulitio, qui eb defectum, vel aetatis, vel morum, vel indolis, vel similium ad id muneris non fuerint apti, alioquin priori in culpam dabitur.

De administratione ab ipsis agenda.

§. 261. 6. Tenebuntur quoque omnia onera, ac debita ordinaria monasterii annuatim solvere, tempore suorum prioratuum non expendere plures redditus, quam habent monasteria: ex bonis monasterii etiam in eleemosynas quotidie non erogare praeter unum aureum absque facultate capituli conventualis, exceptis tantum eleemosynis consuetis; et nihil in emphyteusim dare, vel de bonis emphyteuticis disponere, vel quocumque alio modo alienare, sine praedicta capituli facultate, caeterisque juris solemnitatibus.

De litibus ab ipsis cognoscendis.

§. 262. 7. Non valebunt praeterea litem ullam circa materiam, quae valorem septuaginta aureorum excedat, movere, neque opus quodcumque praefatam aureorum quantitatem superans conficere, neque similem pecuniae summam ex bonis communibus mutuo dare, vel accipere, neque bona, fructus, census, decimas, et alia praedicti valoris locare, quin prius id in capitulo proponant conventui, majoremque votorum numerum sequantur. Cum autem valor cujuslibet ex dictis, summam viginti aureorum superaverit, quousque ad septuaginta perveniat aureos, sequi tenebuntur consiliariorum suffragia. Qui secus fecerint, acriter puniantur.

De renunciatione ab ipsis emittenda.

§. 263. 8. Si denique prior aliquis voluerit efficio cedere, ac renuntiare, id numquam faciet, absque praepositi generalis, et collegarum licentia, atque consensu conventûs illius, cujus est prior.

Caput IX.

De officio, ac potestate consiliariorum.

De officio consiliariorum.

§. 264. 1. Quoniam priores, licet probi, ac diligentes sint, viris doctis, ac prudentibus indigent, qui eos adjuvent, ipsis consilium

praebeant, eorumque vices, cum opus fuerit, agant: decernimus, ut in quolibet monasterio statim post prioris confirmationem quatuor sacerdotes insignes prudentia, qui ejusdem prioris sint consiliarii, a majori capitularium parte per secreta suffragia eligantur, visitatoribus ipsis, qui priorem confirmarunt, electioni assistentibus.

De eorum distributione.

§. 265. 2. Horum primus erit vicarius, secundus magister scholae novitiorum, tertius ostiarius major, quartus procurator monasterii. Ab his autem prima vice, qua in consilium sunt congregati, exiget prior juramentum servandi secretum de illis, quae in consilio fuerint tractata, modo talia sint, quae id postulent, vel praelatus imperet. Quod quidem juramentum praestabunt etiam cujuslibet ex consiliariis substituti.

De eorum tribunali.

§. 266. 3. Porro consiliarii, jam electi, et approbati, atque juramento explendi munera sua confirmati, quoddam simul cum priore constituunt tribunal, quod consilium, sive *consiliatura* vocatur. In hoc autem consilio votum habebunt definitivum prior, et consiliarii circa omnia, quae ibidem fuerint proposita, discussa, et judicata: prioresque tenebuntur exequi omnia, quae a majori parte consilii fuerint ordinata.

De eorum jurisdictione.

§. 267. 4. Proponentur vero, ibique judicabuntur, ac decernentur novitiorum examina et inquisitiones; sed attamen ante receptionem novitiorum ipsa examina, et inquisitiones generali remittantur, et absque ejus approbatione nullus recipiatur, ut dictum remanet p. 1. cap. 2. §. 2. Proponentur quoque, ibique judicabuntur religiosorum ob crimina jam memorata, correctiones, et punitiones: officialium subalternorum electiones: administratorum villarum nominationes: emphyteutarum ad hypothecam in bonis emphyteuticis constituendam supplicationes: ecclesiarum, seu beneficiorum praesentationes, nisi longa consuetudine ad solum priorem, vel ad totum conventus, sive monasterii capitulum spectent, pecuniarum, et rerum in qualibet monasterii officina acceptarum, et expensarum rationes. Et caetera hujusmodi, quae in his constitutionibus priori cum iisdem consiliariis committuntur; et omnia, quae in consilio discussa fuerint, ac decreta scribentur ab ostiario majori in quodam libro ad id destinato, et apud ipsum custoditu.

De eorum praesentia adhibenda in singulis actis.

§. 268. 5. Consiliarii quoque, absente priore, loco illius praeerunt in quibuslibet communitatis actibus, primum vicarius, deinde caeteri ordine supradicto; omnibus vero absentibus, praeerit hebdomadarius, etiam cum domi fuerit prior; si enim a monasterio sit absens, servabitur, quod in capite de officio vicarii dicetur.

De eorum suspensione.

§. 269. 6. Nullus autem consiliariorum prioris tantum auctoritate deponi, suspendive ab officio poterit, neque ipse illo se abdicare, priusquam ab omnibus capitularibus coram priore in capitulo causa expendatur; tunc enim si majoris partis sententia consiliariorum quempiam, aut omnes simul deponendos, vel suspendendos esse ab officio, vel renuntiationem admittendam esse decreverint, ita fiet, eoque in posterum non fungentur. Quo in casu alius, aut alii modo supradicto a conventu eligentur; cui electioni praeerit pater generalis, si praesens fuerit; eo vero absente, servabitur, quod jam dictum manet.

De nominatione ab ipsis facienda ad munera subeunda in monasteriis.

§. 270. 7. Quoties vero prior a monasterio discesserit, aut quempiam ex consiliariis ab eodem abesse, aut ita impediri contigerit, ut per dies aliquot munus suum obire non valeat, prior cum aliis consiliariis, alium, vel alios non privatos activa, et passiva voce nominabit, qui absentium vices substituant; ita ut consiliarii semper quatuor existant. Qui vero in hunc modum fuerint nominati, vices absentium in omnibus substituent: non tamen praeerunt in actibus communitatis. Consiliarii demum in officio permanebunt, quousque novus eligatur, et confirmetur prior per electionem ordinariam.

CAPUT X.

De officio vicarii.

De officio vicarii.

§. 271. In vicarium cujuslibet monasterii eligetur tantummodo canonicus ille, qui non solum prudentiam, et qualitates supra requisitas habuerit, sed etiam majorem communitatum partem sequi valeat. Hic enim primum semper habet locum post priorem in quacumque communitatis actu, et prioris absentis vices gerit in omnibus, ut de re quacumque necessaria provideat, prout idem prior efficeret, si praesens esset.

De ejus jurisdictione.

§. 272. 2. Unde si priorem monasterio abesse contigerit, universam illius domus potesta-

tem tam in spiritualibus, quam in temporalibus exercebit perinde, ac ipse proprius prior, si adesset, exceptis tantum aliquibus casibus a priore, justa de causa, sibi ipsis reservatis, antequam e monasterio egrediatur. Omnem itidem jorisdictionem canonicam, et legitimam, quam prior ipse suis habebat in ecclesiis, atque parochiis quoad forum internum, et externum obtinebit.

De vetita dormitione extra monasterium.

§. 273. 3. Dum autem prior ita est absens, non potest vicarius a monasterio extra illud dormiturus discedere nisi de licentia conventus, quam iste solummodo ad paucos dies, et ob negotium aliquod grave concedet. Et cum prior a monasterio eadem die reversurus abscesserit, interea temporis, qui loco illius praeest, non mutabit, nec dispensabit quidquam a priore in rebus constitutis; nec rem aliquam de bonis temporalibus conventui proponet, nisi urgens cogat necessitas.

De ejus potestate super inquisitione culparum.

§. 274. 4. Nec etiam fas erit vicario de culpis inquirere admissis antequam domo discessisset prior; qui cum redierit, vicarium, si quid se absente personaliter deliquisse compererit, reprehendet, puniet.

De distributione officiorum ab eo facienda.

§. 275. 5. Ad vicarium tamen pertinet quamvis in monasterio prior adsit, hebdomadae officia distribuere, ac scribere in tabula, quae *Pauta* solet nuncupari, ut in capitulo sabbathi legatur. Quin etiam priore infirmitate, aut aliter impedito, vicarius efficere, ac ordinare valebit ea, quae ab eo sibi fuerint commissa.

De distributione mensae ab eo facienda.

§. 276. 6. Ejusdem quoque est non solum curare, ut officia divina suo ordine, et absque syncopis dicantur; sed etiam assignare, quae ad mensam in refectorio legenda sunt, nempe regulam m. p. Augustini feria secunda, cujuslibet septimanae, homilias super evangelium diebus dominicis, constitutiones ordinis duabus saltem vicibus quolibet anno, scripturam sacram, vitam Christi, aut sanctorum, et alia hujusmodi.

Declaratio specialis.

§. 277. 7. Caeterum absente priore, ac vicario, vices ejus tenet consiliarius secundus, et inde usque ad ultimum successive; omnibus vero absentibus, praeerit hebdomadarius.

Caput XI.

De officio magistri scholae novitiorum.

De officio magistri scholae novitiorum.

§. 278. 1. In magistrum novitiorum his oligetur canonicus, in quo cum vitae sanctitate docendi peritia, et cum auctoritate, et gravitate comitas, et mansuetudo reperiantur, ut tanto muneri recte gerendo par esse possit.

De officio magistri.

§. 279. 2. Et quoniam magister semper, quoad fieri potest, comitari debet novitios, ad hoc munus assumi non poterunt canonici, qui choro, et caeteris communitatis actibus interesse ordinarie nequeant. Et ob eamdem causam magister novitiorum sanctae Crucis, vel Mafrae, vel similium confessionibus saecularium audiendis frequenter non implicabitur, neque in substitutum patris generalis, aut collegam, aut ordinis definitorem eligi poterit.

Idem ut supra.

§. 280. 3. Ei autem praecipue incumbit novitios diligenter instruere de iis, quae ad institutum, mores, et ordinis caeremonias pertinent, eosque ad omne genus virtutum recte instituere, ac erudire. Illos propterea observare faciet omnia, quae in capite *de novitiorum schola* praescripta sunt: studebitque intimos eorum sensus, et effectus internoscere, quod quidem ad eos recte instituendos ei magno erit praesidio.

Idem ut supra.

§. 281. 4. Cavebit maxime nequamquam sint otiosi, et liberam colloquendi inter se consuetudinem, aut solutam quamdam familiaritatem praesertim cum professio minime permittet, quin potius magnam decentiam, urbanitatem, et honestatem secum invicem observare compellet.

Idem ut supra.

§. 282. 5. Curabit praeterea, ut regulam memoriae mandent, illisque explicabit quaenam in illa sint substantialia, quaenam accidentalia, quae cum violantur reatum culpae mortalis, quae venialis, vel etiam nullum inducunt. Et cum erraverint, sive deliquerint, eos placide, ac leniter increpabit, aliquando tamen eis poenitentias imponet, etiam nulla praecedente culpa, probationis causa.

De juramento praebendo super revelationibus faciendis.

§. 283. 6. Capitulum veniarum unaquaque saltem hebdomada ipsis faciet: ab eisque in primo capitulo, cui adfuerint, post habitus receptionem, juramentum exiget, quo se obligent ad nullo unquam tempore; et si uno profiteantur res honorem totius religionis, vel alicujus religiosi particularis spectantes aliis personis extra congregationem existentibus revelandas. Quod quidem juramentum libro ad id destinato scribetur, et ab eodem jurante subsignabitur.

De visitatione cellularum ab eo facienda.

§. 284. 7. Operam quoque dabit, ne ipsis aliquid ex necessariis desit: eorum cubicula

frequenter invisat, eisdem semper invigilabit: ac ideo cellam habebit in eodem noviliorum dormitorio, quod noctu semper claudetur.

De modo agendi cum novitiis.

§. 285. 8. Verum idem magister non ita circa novitios occupabitur, ut professos, qui in eadem versantur schola, ad partem sollicitudinis suae pertinere non meminerit. Quin immo circa istos praecipue debet invigilare, tum quia non minus laudabile est quaesita diligenter tueri, quam quaerare; tum etiam quia quaelibet labes in novis professis periculosior, ac perniciosior est, quam in novitiis.

Idem ut supra

§. 286. 9. Quapropter maximam debet curam adhibere, ut novi professi non solum doctrinam, disciplinamque anno probationis hanstam firmiter conservent, sed etiam in religione, ac virtute in dies proficere studeant; et hujus rei gratia eos, cum opus fuerit, intra, et extra capitulum admonebit, corripiet, puniet, et omnia, quae in praedicto capite de novitiorum schola ordinata sunt, adamussim observare faciat.

Caput XII.

De officio ostiarii majoris.

De officio ostiarii majoris.

§. 287. 1. Ad ostiarium majorem praeter consiliarii munus pertinet claves habere januarum ecclesiae, et omnium illarum, quibus ad monasterium ingredi, vel a monasterio egredi quicumque solent (excepta ejus, qua ingrediuntur currus, hanc enim habebit procurator) easdemque aperire, et claudere temporibus suis, et ipsas noctu priori tradere, vel cui prior mandaverit.

De custodia clavium ab ipso habenda

§. 288. 2. Ejusdem est claves primo mane repetere, et ubi ad primam pulsatum fuerit, cum fratre, aut famulo sibi a consiliariis assignato aperire fores ecclesiae, deinde claves ecclesiae relinquet majori sacristae, ut ecclesiam aperiat, claudatque interdiu temporibus consuetis: et in initio noctis post clausam ecclesiam, eas iterum ad priorem deferat.

De earum consignatione in cellula prioris.

§. 289. 3. Claves autem januae, per quam ingrediuntur currus relinquentur converso, aut famulo ad id muneris per consiliarios destinato: qui quidem semper ibi debet permanere, ut eam custodiat, aperiatque quoties opus fuerit, sed illico in noctis principio eam claudet; et statim ac hora undecima sonuerit (usque tunc enim claves in propria manu detinere poterit) eas in prioris cella reponet, inde auferendas de ipsius prioris licentia quacumque noctis hora, si necessitas aperiendae januae urgeat. Ipse vero notitiam quaerentium ad quaesitos quacumque diei, vel noctis hora deferre debet.

De tempore quo ad januas monasterii sese recipiet.

§. 290. 4. Ad praecipuam vero monasterii januam ostiarius major statim post orationem matutinam, vel capitulum sabbathi se recipiet, ibidemque muneri suo satisfacturus permanebit; personarum ad monasterium cujuslibet negotii causa confluentium rationes expediet; supplicationes, epistolas, mandata, et caetera hujusmodi, quae illuc pervenerint, ad priorem, et alios, quibus fuerint transmissa, deferet, illorumque responsa quaerentibus reddet.

De iis comitandis, qui monasterium ingrediuntur

§. 291. 5. Personas conspicuas, aut nobiles loquendi gratia cum priore, vel quolibet alio religioso in monasterio venientes urbane comitabitur usque ad locum, ubi quaesitis loquantur. Plebejos vero, caeterosque homines inferioris conditionis minime sinet in dormitoria ingredi; sed quaesitos vocabit, ut in loco apto iisdem quaerentibus loqui valeant. Erga omnes tamen se urbanum, affabilem, et religiosum maxime exhibebit. Quod itidem minores ostiarii sedulo observabunt.

De tractatione religiosorum peregrinorum.

§. 292. 6. Religiosos peregrinos, qui ad monasterium venerint, quiquo videantur cum debita licentia peregre ambulare ad refectorium ducere valebit prima vice dumtaxat; si enim deinceps inibi comedere, aut in monasterio permanere debuerint, id nonnisi de licentia prioris fiet.

De eleemosyna pauperibus facienda.

§. 293. 7. Idemmet ostiarius major eleemosynas pauperibus juxta consuetudinem distribuendas non solum a priore, sed etiam a camerario, ac refectorario postulabit, accipiet, et administrabit. Dormitorii portas dormitionis tempore claudi, et cum a somno excitati fuerint religiosi aperiri curabit. Jannam vero principalem silentii tempore claudet, caeterisque temporibus reserabit.

De sociis ostiarii.

§. 294. 8. Eidem quoque ostiario dabunt prior, et consiliarii socium, vel socios, et famulos quotquot fuerint necessarii, ut eum adjuvent, locum ipsius aliquando suppleant, et cum opus fuerit, quaelibet mandata deferent opportuna.

CAPUT XIII.

De officio procuratoris.

De officio procuratoris

§. 295. 1. Ad procuratorem monasterii praeter consiliarii munus pertinet ex mandato, vel facultate prioris negotia temporalia, quae ad victum spectant, procurare. Sacristiae de thure, cera, oleo, nec non pane, ac vino ad usum altaris providere: panem, vinum, carnem, pisces, legumina, oleum, et quaecumque ad victum fuerint necessaria non solum conventui, sed etiam hospitibus, et famulis, et servitoribus suppeditare.

Idem ut supra.

§. 296. 2. Ad eumdem spectat oleum sufficiens ad quaecumque monasterii, et ecclesiae candelabra conferre, atque servitores culinae, et quoscumque inferioris ordinis famulos regere; caeteros enim altioris ordinis famulos regent caeteri officiales, ut ostiarius, sacristae, infirmarius, unusquisque scilicet eos, qui ad suam pertinent officinam.

De iis, quae sine licentia facere non potest.

§. 297. 3. Sed neque procurator, neque officialium quilibet sine prioris consensu famulum, aut servitorem quemquam admittere, vel dimittere valebit. Omnes tamen respective curabunt, ut singulis mensibus anni cuncti domus familiares poenitentiae sacramentum, et Eucharistiae sumant, christianam doctrinam probe sciant, nullique diebus festis e monasterio egrediantur, quin prius missam audiant.

De aliis a procuratore faciendis.

§. 298. 4. Ejusdem procuratoris est non solum quotidie post primam officinas sibi demandatas adire, illisque de re quacumque necessaria providere, sed etiam monasterii villas, caeteraque hujusmodi praedia aliquoties invisere, quid ibi fiat, vel fieri necesse sit examinare; quomodo villarum administratores, ac servitores se gerant introspicere, et omnia, quae suam facultatem superaverint, praelato narrare, ut cunctis juste provideat.

Idem ut supra.

§. 299. 5. Idem procurator singulis mensibus pretia rerum, et fructuum quos vendiderit, in rei communis theca nummaria reponet: et ex eadem pecunia nihil expendet, antequam in laudato scrutinio reponatur, neque ex rebus, aut fructibus, qui domui sunt necessarii, vel apti, quidquam sine prioris jussu venumdabit.

Idem ut supra.

§. 300. 6. Eidem tamen procuratoris singulis mensibus ad impensas victualium pecuniam dabunt rei communis, seu thecae nummariae clavicularii; sed ipse receptae pecuniae ex tabulis accepti, et expensi, quas confecerit, sicut etiam fructuum ex administratoribus villarum acceptorum, rationem in fine cujuslibet mensis priori, consiliariisque reddet; hujusmodi vero rationum procuratoris a priore, et consiliariis jam approbatarum summam camerarius, et scriba conventus colligent, transcribentque in librum accepti et expensi totius domus, ut in fine cujuslibet anni totius rei communis rationes praelato, et consiliariis plene reddantur.

CAPUT XIV.

De officialibus qui a priore, et consiliariis vocaliter eliguntur.

§. 301. 1. Praeter supradictos officiales, sunt etiam alii, qui singulis monasteriis a priore, et consiliariis ad diversa ministeria voce tantum nominabuntur: nimirum, sacrista, magister caeremoniarum, cantores, magister cappellae, camerarius, scriba conventus, depositarius, chartophilax, bibliothecarius, cellerarius, dispensator, et villarum, ac praediorum administratores.

De officialibus vocaliter electis.

§. 302. 2. Circa hujusmodi officiales, antequam de singulis dicatur, sunt nonnulla generatim observanda. Primum est priorem, et consiliarios eniti debere, ut seligant canonicos ad ea munera, quae illis commendant idoneos, non enim omnes omnibus sunt apti ministeriis.

Animadversiones generales, circa eos.

§. 303. 3. Unde in sacrista praecipue spectanda est pietas, ac devotio, in magistro caeremoniarum, cantoribus, et magistro cappellae praeter peritiam ejus rei, quam profitentur, lenitas, ac patientia in docendo, aliosque dirigendo efflagitatur: in hospitario, et infirmario, charitas praesertim exigitur: in camerario, depositario, chartophilace, scriba conventus, et aliis praeter fidelitatem, industria, ac diligentia requiruntur.

De pietate, lenitate, et aliis virtutibus ab ipsis colendis.

§. 304. 4. Secundum est, eos, officiales, et si a prioribus, et consiliariis simul creentur, a solo tamen priore in capitulo publicari, ubi ministeria, ad quae sunt electi, eisdem commendat, ab eisque juramentum exigit de fidelitate servanda, rebusque sibi creditis diligenter custodiendis.

De eorum publicatione.

§. 305. 5. Tertium est, tempus, quod dicti officiales durare debent, pendere ex arbitrio prioris, et consiliariorum, usu tamen, et con-

De eorum duratione in officio.

suetudine nonnullos eorum tota triennio in officio perseverare, et sacrista, camerarius, et chartophilax, et alios interdum per quatuor menses, interdum per octo, et aliquando etiam per annum, aut annos officia retinere.

De monasteriis in quibus eligendi sunt. §. 306. 6. Quartum est, praedictos officiales, non omnes in omnibus monasteriis necessarios esse, aut eligi solere, sed in majoribus tantum. Immo et in his aliquando uni, eidemque canonico duo, vel plura ex dictis officiis demandari possunt; cum, scilicet, unum aliorum exercitia non impedit.

De libris custodiendis. §. 307. 7. Ultimum est in singulis officinis habendum esse librum, in quo scriptae sint res omnes cujuscumque generis, ac materiae ad earum usum, ac servitium pertinentes. Et hunc librum a priore, praeteritoque officiali tradendum esse illius successori, praesente scriba conventus, qui diligenter inspiciat an aliquid a primo officiali deperditum, vel consumptum, vel etiam additum fuerit; ejusque rei fidem faciet in eodem libro, cui ipse cum vetere, ac novo officiali simul subscribet, eamdemque statim deferet ad praelatum, ut pro ratione diligentiae, vel negligentiae adhibitae in tractanda supellectili suae officinae ipsum laude afficiat, vel poena.

Caput XV.

De sacrista majori.

De sacrista majori. §. 308. 1. Ad sacristam in primis spectat, quam diligentissime custodire sanctorum reliquias, aurum, argentum, ornamenta, vasa sacra, omnemque supellectilem usui ecclesiae destinatam, ut omnia secundum tempora, consuetudinem, priorisque mandatum ad Dei cultum in custodia, puritate, venerationeque debita semper habeantur. Non poterunt tamen sub poena culpae gravis quidpiam foris commodare, etsi iis, quae ad servitium ecclesiae pertinent, absque praelati licentia speciali.

De ipsius muneribus. §. 309. 2. Illius est per singulas hebdomadas, et quoties opus fuerit, sanctissimam Eucharistiam renovare, eam poenitentibus ministrare, sacrarium, in quo eadem sanctissima Eucharistia asservatur, quam mundissimum semper habere; claves ecclesiae, et sacristiae interdiu apud se tenere, atque illarum fores claudere, et aperire temporibus consuetis, donec, noctis initio adveniente, easdem claves majori tradat ostiario in cella prioris reponendas.

§. 310. 3. Ipsius est quoque non solum efficere, ut omnia, quae ad celebrandas missas sunt necessaria quotidie summo parentur mane; altaria sint semper decenti modo ornata, et ecclesia frequenter a quibuslibet faecibus, ac sordibus abstergatur, in solemnitatibusque solemniter adornetur; sed etiam particularibus monasterii sacellis de re quacumque necessaria providere. Idem ut supra.

§. 311. 4. Ad eumdem spectat etiam curare, ut omnibus cappellis, anniversariis, et missis, ad quas tenetur monasterium, plena satisfiat. Propereaque librum quemdam habebit, in quo scriptae sint cunctae hujusmodi cappellae, anniversaria, et missae tam cantandae, quam submissa voce dicendae, in eodemque libro annuatim praestitae satisfactionis fidem faciet a se subscriptam ac juramento firmatam, ut horum omnium singulis annis priori, et consiliariis rationem reddat, omnique tempore constare possit. Idem ut supra.

§. 312. 5. Ut autem sacrista majores omnes ecclesias quam mundissimas semper teneat, assignabitur ei socius, sive sacrista minor, qui eum adjuvet: habebitque sub regimine suo famulos decentes, ac bonis moribus instructos quotquot fuerint necessarii, ut acolythi sint missarum, ecclesiam verrant, lampadibus oleum infundant, vasa ecclesiae abluant, et caetera hujusmodi peragant, quae sibi fuerint injuncta. Idem ut supra.

§. 313. 6. Praeterea ad sacristam quoque pertinet missarum, quae in monasterio dici petuntur, eleemosynas accipere, quarum nihil ipse dispensabit, neque expendet; quin potius in arcam, sive capsulam obseratam, et habentem rimulam morem vasculi, quod Lusitana *mialheiro*, Italice *dindarolo* vocatur, ea omnia mittere tenebitur, nihilque hujus pecuniae sub reatu poenae mediocris foris relinquet; atque sub eadem poena ad domum facultatis, sive rei communis eamdem arculam tertio quoque mense deferre tenebitur, ubi ab eis aperietur, qui rei ipsi communi praesunt, qui et claves ipsius capsulae in arca communitatis asservabunt, et pecunia, quae inventa fuerit, numerabitur, et in libro feretur accepti, atque in opera sacristiae ex prioris, et conventus ordine dispensabitur. Prior autem, qui hoc ob- Idem ut supra.

servare non fecerit, poenam culpae gravis incurret.

CAPUT XVI.

De magistro caeremoniarum, cantoribus, et magistro cappellae.

De magistro caeremoniarum. §. 314. 1. Magister caeremoniarum maximo zelo, ac studio ecclesiasticas caeremonias abservabit, observareque faciet, eas praesertim, quae pertinent ad cultum divinum, processiones, missaeque sacrificium cum publice celebratur; huic enim semper aderit, vel ipse, vel substitutus illius; ut celebrantes, ac ministrantes dirigat.

De ejus munere. §. 315. 2. Idem praeterea docere, ac instruere tenebitur eos, qui noviter in altari epistolas, vel evangelia decantare, vel primum sacrum facere debent. Nullusque canonicorum aliquid ex praedictis exercere poterit, nisi a magistro caeremoniarum prius fuerit examinatus, et approbatus.

De ejus jurisdictione. §. 316. 3. Eidem quoque prior, et consiliarii dabunt aliquot substitutos in eisdem caeremoniis peritos, qui eum adjuvant, ac substituant, quibus etiam sicut magistro, omnes sub poena culpae mediae in regimine caeremoniarum obtemperabunt.

De cantoribus. §. 317. 4. Cantores in quolibet monasterio tres, vel quatuor ex peritioribus nominabuntur, horum primus dicetur major, chorumque reget, ac gubernabit, eo tamen absente, reget secundus, deinde tertius, deinde quartus. Eum vero, qui chorum rexerit, sequentur caeteri canonici, seu alte, seu prolixe, seu accelerate praeeuntem.

De eorum officio. §. 318. 5. Sed ne perturbatio contingat in cantu, seu dissonantia, operam dabunt cantores praefati, ut officium divinum semper distincte, et juxta punctorum distinctionem, seu pausas dicatur; utque omnes simul incipiant, ac terminent. Et tamen ea, quae recitantur, quam quae canuntur, eo tono dicantur, qui non sit canentibus, recitantibusve nimium difficilis, aut molestus.

Idem ut supra. §. 319. 6. Cantor itidem major curam habebit librorum, qui ad plana canendum sunt ordinati; caeterarumque rerum ad chorum spectantium: lectiones in matutinis canendas inter canonicos distribuet. Subcantores ad quascumque solemnitates nominabit, ac diriget: eidemque solus prior, et vicarius, vel in eorum absentia, consiliarius chori praeses praecipere valebit, ut chorum altiori, vel submissiori, vel tardiori, vel celeriori tono ducat.

§. 320. 7. Praeter memoratos cantores erit etiam in quodam monasterio quidam magister cappellae, qui canonicos a praelato designatos docebit cantum figuratum, plenum quippe docebunt supradicti cantores; praeeritque, ac reget canentes ubicumque cantu figurato usi fuerint. De magistro cappellae.

CAPUT XVII.

De camerario.

§. 321. 1. In camerarium seligetur canonicus ille, qui non solum fidelis, sed etiam valde providus sit, ac industrius; hoc enim officium maximi est momenti. Camerarius siquidem habebit secundam clavem communis arcae nummariae, quae in singulis monasteriis esse debet: cunctos monasterii redditus coram scriba conventuali recipiet; et cuncta monasterii debita, omniumque famulorum stipendia solvet. De camerario.

§. 322. 2. Omnia, quae ad ecclesiae, cujuslibetque sacelli ornamenta, religiosorum, ac famulorum vestitum, et reliquum monasterii usum sunt necessaria coemere faciet, ex priorisque ordine dispensabit. Conventui de vestibus, calceis, omnique supellectili consueta diligentissime providebit juxta modum in capite XIII. parte 1. praescriptum, ita ut nemini quidquam desit, alioquin a praelato severe corripiatur. De ejus muneribus.

§. 323. 3. Religiosorum vestes, quae lavari solent singulis feriis secundis abluendas congeri faciet; sabbathis vero, aut quantocius fieri possit, cubiculatim distribui, ob idque operam dabit, ut omnes hujusmodi vestes, aut panni signo aliquo notentur, unde suus cuique reddi sine errore valeat. Vestes quoque novitiorum saeculares asservabit, ut illas, qui professionem ipsi emiserint, ex prioris mandato in pauperes distribuat; si vero non emiserint, eisdem reddat. Ea propter canonicum alium nominabunt prior, et consiliarii, qui camerarium in praedictis adjuvet, illius sit substitutus, vestiariusque dicatur. Idem ut supra.

§. 324. 4. Camerarius propterea quemdam habebit librum a priore subscriptum, et consignatum, in quo non solum scribat quidquid receperit, et expenderit ipse, sed etiam colligat Idem ut supra.

summam expensarum cujuslibet alterius officinae. Et in fine cujusque anni simul cum scriba conventus priori, consiliariisque rationem reddant totius rei communis acceptae, et expensae, nec non etiam debiti cujuslibet activi, et passivi; in eodemque libro scriba conventus fidem faciet approbationis, aut reprobationis a praelato, consiliariisque factae, quam fidem subscribent omnes.

Idem ut supra. §. 325. 5. Ne autem quindenniorum solutio nimium sit onerosa, tenebitur camerarius singulis annis reponere in quodam scrinio intra communitatis arcam clauso, decimam quintam partem redditum ad quindennia spectantium suo tempore solvenda. Pater vero generalis, et collegae hanc summam quindenniorum in singulis monasteriis liquidam faciet, ubi facta non fuerit, aliter enim jam facta dirigatur. Visitatores de hujusce rei observatione inquirent.

Idem ut supra. §. 326. 6. Ad camerarium quoque spectat, cum aliquis canonicus, aut conversus obierit, intra decem dies post obitum simul cum scriba conventus inventarium facere omnium rerum, quae ad illius usum pertinebant, ipsumque deferre ad praelatum, qui aurum, argentum, pecuniam, vestes, lectique mobilia, in commune vestiarium tradet camerario. Libros communi bibliothecae applicabit; et caetera illius utensilia distribuet canonicis, ut missas pro anima defuncti celebrent juxta stipendium dioecesis consuetum.

Caput XVIII.

De scriba conventus, ac depositorio.

De scriba conventus. §. 327. 1. Scriba conventus tertiam habebit arcae communitatis clavem: et cujuslibet pecuniae, quae ibi reponatur, vel inde extrahatur, fidem portabit in libro quodam ibidem clauso. Cunctos redditus monasterii conscribet in libro alio a priore subscripto, qui liber praebendae appellari consuevit, ut eidem libro rationes expensarum annuatim conformentur. Et easdem rationes simul cum camerario, penes quem liber ipse existet, singulis annis conficiet, ac reddet.

De officio scribae. §. 328. 2. Scriba quoque habebit librum authenticum, in quo tenebitur ex officio scribere omnia, quae in capitulis conventualibus fuerint tractata, et decreta, et in capitulo proxime sequenti eadem conventui recitare: quae quidem a priore, et immediate consiliario deinde subsignabuntur. Alium itidem habebit librum, in quem fideliter transcribet, non solum capituli generalis, ac definitorii determinationes, sed etiam quascumque epistolas, vel ordinationes, sive regias, sive pontificias, et similes ad monasterium venientes, aut spectantes.

§. 329. 3. Idem praeterea schedulas solutionum cujuslibet pecuniae monasterio debitae scribet, et a priore, camerarioque subscriptas solventibus tradet. Mandata cujuscumque procurationis, vel ad lites movendas, vel ad pecunias mutuo suscipiendas, vel ad quaecumque negotia, quae communitatem spectaverint, gerenda, exarabit. Et postquam a priore fuerint subsignata, sigillo muniet conventuali. Nominationes demum, seu, ut vulgo dicitur, praesentationes ecclesiarum, et beneficiorum ad jus patronatus monasterii spectantium conscribet, et a priore subscriptas sigillabit. Idem ut supra.

§. 330. 4. Depositarius dato fidelitatis juramento, servabit in quodam scrinio a se clauso, cunctam pecuniam singulorum monasterii religiosorum particularium, quae ad ipsorum usus particulares destinatur: huic enim depositario singuli custodiendas tradent quascumque pecunias, vel ex missarum, et concionum eleemosynis, vel ex annuis saecularibus, aut ecclesiasticis pensionibus, vel ex cathedrarum minervalibus, vel ex officiorum stipendiis, vel doctoratus emolumentis, vel ex alicujus libri a se compositi lucris provenientes, vel quocumque alio modo peculiariter acquisitas. De depositario.

§. 331. 5. Idem vero depositarius quemdam habebit librum, in quo sigillatim, ac nominatim scribet quidquid pecuniae in depositum ab unoquoque acceperit, et quidquid unicuique inde reddiderit. Nihil tamen ex hoc deposito depositarius, aut quilibet alius extrahere poterit sine consensu illius, ad cujus pertinet usum; ut autem quis pecuniam extrahat, quam ibi deposuerat, prius licentiam praelati obtinere debet. De munere depositarii.

Caput XIX.

De cartophilace, ac bibliothecario.

§. 332. 1. Chartophilax curam geret chartophilacii, in quo scripturas, et omnium do- De chartophilace.

ostiuuum monumenta, quae monasteriò facta sunt, videlicet censuum vitalitiorum, quos *Prazos* vocant; emphyteusium; emptionum, et venditionum contractus a monasterio legitime celebratos; nec non ecclesiarum ad monasterium pertinentium qualibet documenta, ut jus ipsarum semper innotescat; et omnium rerum titulum, vel titulos, ac sententias ad monasterium spectantium maxime asservabit.

De officio chartophilacis.

§. 333. 2. Habebit item in chartophilacio librum aliquam, sive libros, qui Bullarum omnium, Motuum propriorum, Breviumque apostolicorum ad hujus congregationis, aut alicujus monasterii commune bonum pertinentium, nec non rescriptorum, ac literarum regum, aut eorum vices agentium authentica exemplaria contineant. Sed non minorem sollicitudinem adhibebit in scripturis, chartis, ac titulis antiquis servandis, et conservandis, quam in novis congerendis, et authentice describi faciendis; ut jus monasteriis firmum semper consistat.

Idem ut supra.

§. 334. 3. Idem praeterea tenebitur, quoties aliquod vacaverit beneficium, sive ecclesia ad jus patronatus monasterii spectans, priorem statim, vel conventum monere, ut opportuno tempore ad ipsam ministri habiles nominentur, seu praesententur, ad idque muneris ex eadem congregatione canonici in primis seligantur. Et postquam sic praesentati fuerint ab ordinario confirmati, hujusmodi confirmationum chartas, et sententias perquirat in chartophilacio reponet, servabitque, ut jus patronatus in monasterio firmiter perseveret.

Idem ut supra.

§. 335. 4. Tenebitur etiam lites quascumque ad monasterium spectantes instruere, illarum documenta parare, hujusmodique instructiones procuratoribus, et consultoribus promere. Nullam tamen poterit litem movere absque prioris; et conventus facultate, neque librum, aut scripturam, aut titulum chartophilacii extraneis conspiciendum, vel transcribendum praebere, nisi jure compulsus, aut ex ordine superioris. Nemo autem praeter chartophilacem, aut praelatum sub excommunicationis poena librum, vel scripturam, vel titulum quempiam ex chartophilacio extrahere valebit.

Idem ut supra.

§. 336. 5. Chartophilax demum ex superioris, et consiliariorum mandato, aut consensu a monasterio egredietur, cum opus fuerit, ut laudemia conquirat, census, vel emphyteuses temporaneas, seu vitalitias renovet, et quaelibet negotia ad chartophilacium spectantia conspiciat, gerat, procuret.

De bibliothecario.

§. 337. 6. Bibliotecarius curam geret communis bibliothecae: eam frequenter mundare faciet: libros illius dinumeratos habebit: damnatos, sive prohibitos quadam clave occludet: nullatenusque sinet ex hac bibliotheca librum quemlibet extrahi absque legitima facultate, aut extractum ultra permissum tempus retineri. Solus autem superior ut extrahantur licentiam concedere poterit canonicis concionatoribus, aut lectoribus, in plures dies, vel etiam menses; caeteris vero ad octo tantum dies: id tamen constare semper debet bibliothecario, qui quidem ad tres solummodo dies eamdem quoque licentiam dare valebit.

De libris in bibliotheca habendis.

§. 338. 7. In communi vero bibliotheca erunt saltem (ad idque sub gravi poena priores constringentur a visitatoribus) libri sequentes: Biblia sacra cum concordantiis: opera omnium sanctorum patrum, et aliquot alii sacrae scripturae expositores: textus utriusque juris, et aliqui ejusdem interpretes: ordinationes regiae: conciliorum generalium collectio aliqua; Bullarium magnum, et synodales constitutiones; summa divi Thomae; plures theologiae dogmaticae, ac moralis auctores: nonnullae concionum, aut concionatorum collectiones: aliique scriptores, qui a capitulo generali fuerint assignati.

De licentia habenda a canonicis pro lectione librorum.

§. 339. 8. Unusquisque tamen canonicorum, licentia praelati praecedente, poterit sibi alios quoscumque voluerit, ac potuerit libros emere, eos secum retinere, illisque uti, dummodo ex pecunia, quam in deposito destinatam habuerit ad usum suum, illos emat, aut alio quocumque modo licito acquirat, dummodoque non teneatur monasterium, cum in aliud canonici transmigraverint, expensis reddituum, seu bonorum communium hujusmodi libros transportare praeter duplicem illorum sarcinam, si cujuslibet fuerint canonici, et quadruplicem, si alicujus fuerint magistri, aut lectores.

Caput XX.

De infirmario, et refectorario.

De infirmario, et ejus munere.

§. 340. 1. Infirmarius tribus praecipue in rebus circa aegrotos, et infirmos diligens, ac sollicitus esse debet. In primis, ut initio aegri-

ludinis sacramentum confessionis; Eucharistiae vero, et unctionis suo tempore eis conferatur. Deinde, ut quam maximo nitore, munditia, diligentiaque de cibo, potu, medicamentis, et aliis, quae medico expedire videantur provideat.

Idem ut supra. §. 341. 2. Tertio denique, ut operam, et studium ipsis prudenter consolandis adhibeat, non solum verbis, ac exemplis eos ad patientiam exhortans, sed etiam a praelato flagitans quaecumque illis prodesse valent. Ut autem praesto sit omnibus infirmis, et valetudinariis, in eo commorabitur loco, ubi facile queat reperiri; eidemque plures, vel pauciores pro numero aegrotantium adjutores dabuntur.

De refectorario, et ejus munere. §. 342. 3. Refectorarius debet refectorium semper mundum habere, omniaque sibi ad mensarum usum, et ministerium credita providere; panem, vinum, et caetera consueta, eaque suis temporibus distribuere. Debet etiam si ministri, vel mensae servitores in tabula assignati, tempore refectionis non adsint, servitium aliis commendare, et eos, qui serviendi ordinem in mensis non servant, in ordinem redigere.

Idem ut supra. §. 343. 4. Ejusdem etiam frusta panis, et communis condimenti carnis, ac piscium, quae supersunt ex mensa in pauperum eleemosynas distribuenda colligere; caeteraque peragere, quae in capite de refectione fuerunt dicta. Concedimus autem refectorario facultatem, ne intersit horis diurnis, si eo tempore aliquid in refectorio habuerit faciendum exceptis capitulo, processione, missa, atque vesperis, et oratione.

CAPUT XXI.

De hospitario, et coronario.

De hospitario et ejus officio. §. 344. 1. In monasteriis hujus congregationis tam religiosis approbatae religionis, cum debita licentia iter facientibus, quam saecularibus, quos prior admiserit, honestum praeberi hospitium constituimus. Hoc tamen per quatriduum solummodo fiet, diebus accessus, et recessus non computatis, quo tempore elapso sine consiliariorum consensu in monasterio diutius immorari non poterunt.

Idem ut supra. §. 345. 2. Hospitarii vero est custodire omnia, quae ad hujusmodi hospitium pertinent, mundum, et tersum habere domicilium, omnemque supellectilem hospitum receptioni destinatam; ipsisque, et eorum famulis, et equis de rebus necessariis providere, quam ad rem procurator non solum ea, quae ab hospitario postulantur, sed etiam famulos plures, pauciores ve pro hospitum meritis, ac numero dare tenebitur.

§. 346. 3. Sed si hospites fuerint religiosi hujus ordinis, vel alterius, qui intra dormitorium recipiendi sint; hospitium ipsis praebebit camerarius; curabitque diligenter, ut illis cellae, lectus, et alia necessaria praeparentur. Quicumque vero hospites ipsius congregationis, cum ad aliquod monasterium recipiuntur, vel de superioris licentia ex uno ad aliud transeunt, ab ejusdem monasterii habitatoribus prima nocte visitari poterunt; et octo etiam diebus sequentibus; extra tempus tamen silentii, quibus transactis, nullus jam in eorum cellas sub poena culpae mediae ingredi poterit. Quin potius ipsi hospites quoad silentii observationem, chori frequentationem, missae celebrationem, et alia hujusmodi se eodem modo gerere debent, atque alii ejusdem monasterii accolae. Declarationes circa hospites.

§. 347. 4. Coronarius ille dicitur, cui rasura, seu tonsura religiosorum committitur, quae quidem vicibus duabus in qualibet septimana fiet. Ad coronarium itaque pertinet aquam, mappas, et caetera, quae ad id fuerint necessaria parare, ubi primum tonsores venerint per se, aut per socium sibi assignatum, religiosos ad rasuram vocare, utque tonsoribus sibi ministrentur, curare. De coronario, et ejus officio.

§. 348. 5. Curabit etiam, ut interim dum canonici tondentur, seu raduntur, silentium observetur: et cum coronae fiant, non secundum consuetudinem monasticam, sed juxta ordines, quos unusquisque habuerit, ad eum modum, quo utuntur clerici regulares, et saeculares secundum constitutiones illius dioecesis, ubi sita sunt monasteria. Capilli tamen capitis ita erunt tonsi, ut non descendant infra medium caputii almutiae. Idem ut supra.

CAPUT XXII.

De cellerario, ac dispensatore.

§. 349. 1. Cellerarius habebit sub potestate sua frumentum, vinum, oleum, aliaque hujusmodi: haec autem omnia tempore opportuno diligenter colliget, et collecta servabit, ne De cellerario, ejusque officio.

perennt, et ex iis in sacristiam, refectorium, et alias officinas, quae necessaria fuerint, ex consuetudine, aut praelati dispositione statutis horis transmittet, curabitque, ut panis sufficiens, postquam fuerit coctus, dispensatori, refectorio, caeterisque de more tradatur.

De dispensatore, ejusque officio.

§. 350. 2. **Dispensator est, qui cellariae**, et culinae praeficitur. Ad eum vero pertinet curare, ut vasa, et instrumenta omnia culinaria tersa, et munda habeantur; cibi ad tempus debitum praeparentur; et omnia, quae sibi a priore, vel procuratore demandata fuerint, opportune compleantur.

§. 351. 3. Quamvis autem in cellerarium semper nominari debeat aliquis ex canonicis capitularibus, dispensatoris tamen munere fungi potest quilibet ex professis, immo ex conversis. Sunt vero hi duo officiales, veluti socii, et administri procuratoris, solumque in monasteriis valde magnis illi dari solent.

Caput XXIII.

De villarum administratoribus.

Declarationes sperialis.

§. 352. 1. In villarum, et praediorum administratores nominabunt quotannis prior, et consiliarii eos canonicos, aut conversos, qui satis virium, et religionis, fidelitatis, et solertiae ad id muneris rite gerendum habuerint. Ipsosque tamen poterunt ab eo munere amovere, vel diutius conservare, prout iisdem priori, et consiliariis visum fuerit expedire: eosdemque prior per se, aut per alium visitabit, de illorum moribus inquiret, corripiet, emendabit.

De administratoribus villarum.

§. 353. 2. Hujusmodi vero administratores postquam in manu prioris juramentum fidelitatis praestiterint, curam sument, exercebuntque villarum, et praediorum sibi commissorum tanta aequitate, ut nec extraneorum bona eripiantur, nec monasterii redditus perdantur. Agros, vineas, pomaria opportune colent: fructus tamen majores, seu praecipuos, nempe frumentum, vinum, oleum, et si quid aliud in monasterio fuerit insumendum, nullatenus vendent, aut dispendent sine prioris, vel procuratoris facultate; sicut etiam arbores quascumque, vel fructiferas, vel infructiferas secare, aut eradicare, et opus quodlibet conficere non poterunt, absque prioris, et consiliariorum mandato, vel auctoritate.

§. 354. 3. Tenebuntur quoque monasterium adire, non solum ut praecipuis adsint festivitatibus, spiritualibusque exercitiis aliquandiu vacent; sed etiam quoties a praelato quacumque ratione fuerint vocati. Caeterum in fine cujuslibet anni omnium rerum acceptarum, et expensarum, totiusque administrationis suae coram scriba conventus rationem reddent priori, et consiliariis. Respectu vero aliorum religiosorum, qui cum debita licentia illuc appulerint, vel ibi permanserint, exequentur omnia, quae sibi a priore fuerint injuncta, et ordinata. — De eorum officio.

Caput XXIV.

De procuratoribus generalibus.

§. 355. 1. In procuratores generales poterunt eligi a capitulo generali, singulis trienniis duo canonici, ut alter Ulyssippone, alter Portugali, communia totius congregationis negotia gerant, atque procurent. — Idem ut supra.

§. 356. 2. Hi autem in litibus sequendis, aut aliis gerendis negotiis, quae totam congregationem spectaverint, eam habebunt potestatem, quam ipsis capitulum generale in literis patentibus ab ejusdem capituli praeside, duobusque immediatis vocalibus subsignatis concesserit. — De procuratoribus generalibus.

§. 357. 3. Circa lites vero, et alia quaecumque negotia, quae ad singula monasteria pertinuerint, eam solummodo habebunt potestatem, quam ipsis conventus uniuscujusque domus in charta procurationis contulerit. Poteruntque iidem conventus hanc procurationem dictis procuratoribus non concedere, vel concessam revocare, quoties id expedire judicaverint. — De eorum officio.

§. 358. 4. Quod si litem aliquam inter monasteria ipsa, vel inter priorem, et conventum, vel inter patrem generalem, et quamlibet congregationis domum, aut illius praelatum moveri contigerit, procuratores generales nullius partis sument patrocinium. — Idem ut supra.

§. 359. 5. Expensas tamen, quas fecerint, vel in solvendis causidicorum, et scribarum stipendiis, vel in alendis famulis, curribus, aut equis sibi deservientibus, vel in similibus ad gerenda negotia sibi necessariis, solvent omnia congregationis monasteria pro ratione redditnum suorum juxta distributionem a patre generali, et collegis annuatim faciendam. — Idem ut supra.

Idem ut supra.

§. 360. 6. Sed hujusmodi expensarum rationes singulis annis iidem procuratores reddent patri generali, atque collegis, qui quidem ipsas ad capitulum generale deferent, ac praestabunt, alioquin vocem in eodem capitulo non habebunt.

PARS III.

De statutis pro collegio Sapientiae Collimbriensi.

Caput I.

De collegii habitatoribus, et rectoris, regentis, consiliariorumque muneribus.

De collegii Collimbriensis habitatoribus.

§. 361. 1. Cum ad erudiendos, uti par est, hujus congregationis canonicos in quibuslibet artibus, et disciplinis, maxime ecclesiasticis, fuerit institutum Collimbriense collegium *Sapientiae* dictum; ejusque rei gratia sufficientibus canonicis, ac redditibus constare debeat: statuimus, ut in praefato collegio sint accolae tantummodo rector, et regens, et professores theologiae quatuor, et alius philosophiae, et alius linguarum graecae, et hebraicae: quinque magistri substituti, aut *Passántes*, duodecim scholares theologi, et alii duodecim philosophi, procurator collegii, lectores illi emeriti, professoresque universitatis, qui voluerint, ac potuerint in eodem habitare.

De ejus rectore, et officio ejus.

§. 362. 2. Rector eamdem habebit dignitatem, jurisdictionem, potestatem, praerogativas, et privilegia, collegiumque gubernabit eodem modo, eodemque tempore ac monasteriorum priores, a quibus utique solo nomine differt, circa illa, quae non opponuntur hisce statutis. Ad hoc autem munus eligetur a capitulo generali singulis trienniis aliquis ejusdem congregationis canonicus, qui non solum habeat qualitates in prioribus requisitas, sed etiam sit magister, vel saltem polleat magna, et notoria literarum fama: dum tamen fuerit rector nullam cathedram moderabitur: et quamvis lector sit emeritus, aut alio quocumque privilegio fultus, aderit semper divinis officiis in choro recitandis, et omnibus communitatis actibus, magnaque sollicitudine observare faciet cunctas leges, quae non solum ad regularitatem, sed etiam ad literarum pertinent studium, ut tam in virtutibus, quam in literis collegium semper florescat.

De regente, et officio ejus.

§. 363. 3. Regens erit semper aliquis ex lectoribus, aut magistris electus a capitulo generali, quemadmodum rector; postquam vero fuerit confirmatus, erit non solum vicerector aequalis per omnia vicariis aliarum domuum, sed etiam studiorum praefectus, ideoque scholas frequenter inviset; scholarium cellas studii tempore visitabit, et si quos obligationi suae non satisfacientes invenerit, rectorem admonebit provisurum. Tam magistros, quam discipulos ad literarum progressum excitare curabit. Dissertationes, quas fecerint scholares examinabit, corriget, atque inde, vel vituperio afficiet. Nunquam poterit in quibuslibet actibus literariis, sive publicis, sive privatis quempiam ex professoribus, aut magistris sibi praesidentem reprehendere, aut emendare.

Declarationes circa officium rectoris, et regentis.

§. 364. 4. Rectoris autem, et regentis officia, ut priorum, et vicariorum integro durant triennio, vacantque cum pater generalis ad collegium cum collegis illud visitaturus, novumque rectorem confirmaturus accedit. Quod si horum aliquis, vel ambo se officiis abdicare voluerint, ejus rei causas ab eisdem assignatas expendere, abdicationemque ipsam admittere, vel rejicere, habito prius consensu omnium collegii capitularium, qui scholares non fuerint, ad patrem generalem spectat, substitutum, et collegas. Cum vero rectoris, regentisve officia morte, depositione, renuntiatione vel dimissione vacaverint, pater generalis, substitutus, et collegae simul cum praelato, et omnibus collegii lectoribus, atque magistris novum rectorem, et regentem in eodem collegio per scrutinium eligent, nisi vacatio hujusmodi contingat intra septem menses ante capituli generalis celebrationem; tunc enim locum rectoris in omnibus tenebit regens, sicut respectu priorum dictum fuit in capite de vacationibus, et lectionibus extraordinariis; locum vero regentis substituet actualis professor theologiae antiquior in religione.

De consiliariis, eorumque munere.

§. 365. 5. Consiliariorum munus habebunt in collegio regens, ac tres ex quatuor theologiae lectoribus juxta uniuscujusque in religione antiquitatem: eademque jurisdictione gaudebunt, qua monasteriorum consiliarii. Si tamen regens aliquam moderetur cathedram; omnes quatuor theologiae professores a consiliis erunt. Deficientis vero, aut impediti cujuslibet consiliarii, vel etiam rectoris, sive regentis locum substituet primum reliquus theologiae lector;

(si ex quatuor non fuerint supradictis) deinde philosophiae lector, deinde lectores emeriti secundum ipsorum in religione antiquitatem; deinde magistri substituti; deinde professor idiomatis graeci, si forte ipse non sit quoque theologiae, aut philosophiae professor, aut magister, deinde passantes, deinde caeteri capitulares collegii habitatores juxta uniuscujusque antiquitatem.

Caput II.

De collegii procuratore, scholas magistro, caeterisque officialibus.

De procuratore aliisque officialibus. §. 366. 1. Quoniam ad collegium rite administrandum alii quoque officiales sunt necessarii, rector, et consiliarii unum ex tota congregatione canonicorum eligent vocaliter, qui procurator simul, et camerarius, et ostiarius major sit collegii: eumdemque pater generalis, et collegae tenebuntur confirmare, et e quavis domo ad collegium accersire, nisi ob magni ponderis rationes ab officio excludatur, aut ob crimina gravia inhabilis judicetur. Sic autem electus, et approbatus, licet consiliarius esse numquam debeat, munera tamen procuratoris, camerarii, et ostiarii majoris adimplebit, quemadmodum similes aliarum domuum officiales, ut in secunda parte fuit jam dictum, ad eaque rite implenda eidem subjicietur, et assignabitur conversus aliquis in dispensatorem, et alius conversus vel famulus in janitorem.

De officio eorum. §. 367. 2. Ad eos, qui adhuc in schola versantur novitiorum erudiendos, ac instituendos in via salutis, ne regularitatem in tyrocinio haustam occasione studiorum perdant, nominabitur a rectore, consiliariisque aliquis ex canonicis ejusdem collegii habitatoribus in scholae magistrum. Hic vero postquam implere munus suum jurejurando promiserit, maxime curabit, ut neviores canonici ad tyrocinium adhuc pertinentes non tantum literariis exercitiis, sed etiam spiritualibus, caeterisque praefixis muneribus vacent: deficientes, et errantes corriget, ac puniet: eosdem in choro, et quovis alio communitatis actu semper comitabitur, atque caetera peraget, quae de magistro novitiorum in secunda parte dicta sunt, dummodo hisce statutis contraria non sint.

De nominatione eorum. §. 368. 3. Nominabuntur etiam a rectore, consiliariisque in scribam conventus, chartophilacem, depositarium, bibliothecarium, caeremoniarium, sacristam, magistrum, coronarium, ac primum refectorarium hi canonici collegii accolae, qui ad hujusmodi officia aptiores fuerint judicati: in dispensatorem vero, infirmarium, janitorem, secundum refectorarium, et villarum, ac praediorum administratores nominari poterunt aliquot conversi, qui ad haec munera exercenda majorem habuerint capacitatem. Et omnes hi officiales observabunt ea, quae respectu similium in secunda parte fuerunt stabilita.

Caput III.

De professorum muneribus.

§. 369. 1. Professores supradicti, ut quamlibet in collegio moderentur cathedram, primum eligendi, seu nominandi sunt a capitulo generali, vel definitorio, vel istorum defectu a patre generali, substituto, collegis, rectore, et consiliariis ejusdem collegii juxta uniuscujusque oppositorum capacitatem et merita, sicut infra dicetur. De muneribus professorum.

§. 370. 2. Postquam fuerint nominati, et cathedram temporibus consuetis lecturi ascenderint, auditores non tantum literarum studiis imbuent, sed verbis, ac exemplis aedificabunt: in omni facultate semper magis probatam doctrinam sequentur: a convitiis tam erga extraneos, quam se invicem, et maxime erga auctores catholicos abstinebunt: sive propugnantes, sive impugnantes in qualibet quaestione sint, semper modeste, ac religiose id faciant. Idem ut supra.

§. 371. 3. Ut autem melius, ac facilius discipulos instruant, lectionesque illis assignent, aliquo utentur libro in compendium redacto, quam ipsi professores, approbante rectore, ac regente, selegerint: auditoribus memoriae commendandas lectiones quotidie assignabunt, commendatasque tempore opportuno ab ipsis audiant. Idem supra.

§. 372. 4. Quaestiones, ac dubitationes, quas discipuli circa doctrinam a praeceptore traditam sibi proposuerint, non solum in gymnasio, sed etiam in cella sua, rectoris, vel ejus, qui suas egerit vices licentia habita, quotiescumque opportuerit, ipsis explicabunt. Errantes, vel deficientes respectu rei literariae increpabunt, et cum opus fuerit aliqua poena rector admonebitur provisurus. Idem supra.

Idem ut supra.

§. 373. 5. Lector proinde scripturas sacrae in primo cujuslibet curriculi anno exponet libros, quos selegerit ex Testamento veteri: in secundo autem, et tertio quos selegerit ex novo Testamento. Lector theologiae dogmaticae, leget in primo anno materiam de locis theologicis, et attributis Dei, in secundo de Trinitate, et Incarnatione: in tertio de Ecclesia Christi, et gratia. Lector theologiae moralis explicabit in primo anno praecipuas quaestiones de sacramentis in genere, et specie: in secundo praecepta decalogi: in tertio tractatus praecipuos de justitia, et jure: et in omnibus circa morum doctrinam maxime cavebit, ne probabilioribus sententiis minus probabiles anteponat. Lector historiae ecclesiasticae eam dividens per saecula diversa, docebit principaliora facta uniuscujusque saeculi quousque potuerit. Praedicto autem modo cathedras suas semper moderabuntur omnes theologiae professores, horum siquidem alius scripturam sacram, alius theologiam dogmaticam, alius theologiam moralem, et alius historiam ecclesiasticam explanabit.

Idem ut supra.

§. 374. 6. Lector philosophiae in primo anno docebit logicam, criticam, hermeneuticam, et metaphisicam: in secundo elementa geometriae, et arithmeticae, atque phisicam generalem: in tertio phisicam particularem, et ethicam. Professor linguae graecae eam explicabit auditoribus philosophiae in primo, et secundo curriculi anno: in tertio autem linguam hebraicam.

Caput IV.

De substitutorum, et scholarium obligatione.

De substitutorum obligatione.

§. 375. 1. Magistri, qui adhuc jure proprio legere non inceperunt, lectorum vices agere, cathedrasque substituere tenebuntur, quoties illarum professores, infirmitate, aut alia simili causa fuerint impediti, aut rector id praeceperit, cunctis literarum actibus, et exercitiis aderunt semper, ut ibidem arguant, vel praesideant juxta uniuscujusque ordinem, et antiquitatem. Scholaribus quaestiones, ac dubitationes quaslibet privatim explicabunt, si professores impedimento aliquo laboraverint, aut a rectore id fuerit mandatum. Cum vero cathedras non substituerint, studio incumbent toto etiam tempore quo scholares fuerint mane in gymnasiis. Deficientibus tamen hujusmodi magistris aut ipsis impeditis substituent, caeteraque peragent theologi, qui ad magisterium parantur, *passantesque* dicuntur.

De scholarium obligatione.

§. 376. 2. Scholares cuncti philosophiae tribus annis operam dabunt (nisi antequam religionem ingrederentur huic disciplinae jam incubuissent, et illius examen in religione subierint) et aliis tribus sacrae theologiae juxta distributionem suprafactam. Semper in collegii choro sicut etiam magistri substituti, et passantes, recitabunt officia divina, quae quidem nunquam decantabuntur, nisi tantum matutinum, missa, et laudes in nocte natalis Domini, atque primae vesperae, tertia, missa, sexta, et nona, in festo conversionis m. p. Augustini.

Idem ut supra.

§. 377. 3. Nunquam ad monasterium sanctaeCrucis ibunt absque specialifacultate rectoris; lectores, et magistros magna ubique veneratione prosequentur; coram illis, et etiam iis, qui passantes vocantur, in nullo communitatis actu praesidebunt, quamvis sint hebdomadarii. Et omnes, qui ad scholam novitiorum adhuc pertinuerint, erga scholae magistrum tam in capitulo veniarum, quam extra illud, observabunt omnia, quae in aliis monasteriis observant illi, qui ad tyrocinium spectant.

Caput V.

De horarum distributione.

De distributione horarum.

§. 378. 1. Hiberno tempore, sive a prima die octobris, usque ad ultimam aprilis mane hora sexta expergi fient a somno: et hora sexta cum dimidia chorum ingredientur primam, tertiam, sextam, et nonam recitaturi: quibus persolutis, inde recedant sacerdotes, ut altaris sacrificia offerant Deo, caeteri vero remanebunt ibidem, ut missam ab hebdomadario in altari majore recitandam audiant, eodemque tempore, orationem habeant mentalem, in cujus fine responsorium pro defunctis recitabitur consuetum, nisi habendum sit capitulum veniarum; tunc enim eo finito, recitabitur praefatum responsorium, et unusquisque in cellam suam recedet.

De hora octava, et nona.

§. 379. 2. Hora octava in gymnasium processionaliter ibunt scholares theologi cum pro-

fessore theologiae dogmaticae, qui usque ad horam nonam leget hanc disciplinam: et ab hora nona usque ad decimam lector theologiae moralis eisdem leget facultatem suam. Scholares autem philosophi in gymnasium similiter ibunt cum philosophiae professore, qui usque ad horam nonam cum dimidia hanc docebit artem: at ab eo tempora usque ad horam decimam professor linguae graecae eamdem ipsis explicabit. Iis vero finitis omnes item processionaliter cum professoribus suis in dormitorium redibunt.

De hora decima.

§. 380. 3. Hora decima cum dimidia studio vacabunt usque ad horam undecimam cum dimidia; tunc enim ad prandium ibunt in refectorium, ubi lectione spirituali condietur mensa prima dumtaxat, qua finita in ecclesiam pergent grates acturi: dein usque ad horam secundam pomeridianam tempus erit liberum, quod tamen non dissipabitur, sed silentio servato, in exercitiis, quae religiosos decent, occupabitur. Tempora tamen quadragesimae cum vesperae dicuntur ante prandium semihora post undecimam vesp ras in choro recitabunt priusquam ad refectorium eant.

De hora secunda post meridiem.

§. 381. 4. Hora secunda post meridiem in choro vesperae recitabuntur et completorium. Hora secunda cum dimidia scholares theologi processionaliter adibunt gymnasium cum sacrae scripturae lectore, qui usque ad horam tertiam cum dimidia Bibliam sacram ipsis exponet juxta sensum communem sanctorum patrum, ac interpretum catholicorum. Et a tertia cum dimidia usque ad horam quartam cum dimidia professor historiae ecclesiasticae, ipsam discipulis tradet ex veracioribus historiographis selectam. Scholares vero philosophi similiter pergent in gymnasium cum professore suo, qui usque ad horam quartam leget, atque inde professor idiomatis graeci per semihoram docebit eosdem.

De hora quarta usque ad sextam.

§. 382. 5. Ab hora quarta cum dimidia usque ad sextam tempus erit liberum, quod quidem in confabulatione, sive recreatione honesta ad arbitrium rectoris impendent. Si tamen officium aliquod vel nocturnum defunctorum recitandum sit, intra hoc temporis spatium recitabitur. Ab hora sexta usque ad octavam studio vacabunt omnes; at exinde per semihoram lectionem habebunt spiritualem, nisi habenda sit flagellatio conventualis: haec enim fiat a primo quadrante ad secundum post horam octavam. Hora octava cum dimidia chorum adibunt orationi mentali vacaturi usque ad horam nonam intra quod temporis spatium per dimidium horae quadrantem examini conscientiae communiter vacabunt, hisceque nemo sine urgentissima causa deesse poterit.

De oratione mentali.

§. 383. 6. Oratione mentali peracta, ibidem statim matutinum cum laudibus sequentis diei recitabitur, quibus finitis ad refectorium pergent coenaturi, deinde in ecclesiam gratias de more acturi: at hora undecima cum dimidia signo dato, unusquisque in cubiculum suum se recipiat, ut post examen conscientiae iterum factum se somno dedat.

De tempore verno.

§. 384. 7. Tempore verno, sive a die ultima aprilis usque ad ultimam septembris mane hora quinta surgent a lecto, et secundo quadranta post horam quintam chorum ingredientur, ut primam, tertiam, sextam, et nonam recitent, missam audiant, vel celebrent, orationique vacent mentali, sicut in hyeme.

De hora septima.

§. 385. 8. Hora septima pergent in gymnasia, ubi lector theologiae dogmaticae usque ad horam octavam leget, et ab hora octava usque ad nonam lector theologiae moralis explicabit. Professor autem philosophiae docebit usque ad horam octavam cum dimidia: atque inde usque ad horam nonam professor idiomatis graeci. Hora nona cum dimidia usque ad decimam lectionem habebunt spiritualem, hinc studio incumbent usque ad undecimam cum dimidia, qua in refectorium vadent pransuri, aliaque deinceps, sicut jam dictum est, facturi.

De hora tertia post meridiem.

§. 386. 9. Hora tertia post meridiem in choro vesperas, et completorium recitabunt; ab hora tertia cum dimidia usque ad quartam cum dimidia theologi sacrae scripturae lectorem audiant, ex inde usque ad quintam cum dimidia lectorem historiae ecclesiasticae. Philosophi vero professorem suum ab hora tertia cum dimidia usque ad quintam, atque inde professorem linguae graecae usque ad quintam cum dimidia.

De residuo tempore.

§. 387. 10. Dehinc tempus erit liberum modo supradicto impendendum usque ad horam septimam: ab hora septima usque ad octavam cum dimidia studio incumbent: hora octava cum dimidia pergent in chorum, ut postquam orationi mentali, et examini conscientiae per semihoram vacaverint; matutinum cum laudibus recitent: caetera omnia sicut hyberno tempore fiant.

Caput VI.

De exercitiis literariis, privatisque disputationibus.

De exercitiis literariis.

§. 388. 1. Cunctis diebus feriatis, exceptis festivitatibus solemnioribus, et a nativitate Domini usque ad Epiphaniam, a dominica Palmarum, usque ad dominicam in Albis, et a prima die usque ad ultimam octobris, ab hora octava matutina, usque ad nonam cum dimidia, tam philosophiae, quam theologiae disputationes fient in hunc modum: consedentibus omnibus in aula ad id ordinata, scholaris defendens primum exponet, ac probabit quaestiones in disputationem adductas: finita expositione, argumentabitur aliquis ex defendentibus condiscipulis a professore suo designatus; deinde passantes idem prosequentur argumentum, postea instabunt professores, aut magistri, tandemque defendens, et praesidens ad argumenta opposita respondebunt.

De disputationibus habendis.

§. 389. 2. In his autem disputationibus tres, aut quatuor ventilabuntur quaestiones ab unoquoque professorum consignatae, et alicui publico loco ante dies aliquot jam affixae: disputationibus theologicis professores theologiae destinatis diebus se invicem alternantes praesidebunt, uisi fuerint legitime impediti; tunc enim praeerit aliquis ex magistris substitutis a regente designatus. Philosophicis vero praeerunt magistri substituti, aut passantes a regente nominati, nisi philosophiae lector libere velit praesidere.

De iis, qui ad disputationes venire debeant.

§. 390. 3. Eisdem quoque disputationibus aderunt, vel rector, vel regens, omnesque lectores, magistri, et passantes. Cum tamen et theologiae, et philosophiae disputationes fiant eodem tempore, ut ambabus fiat satis, regens alternatim designabit eos magistros, et passantes, qui utrisque interesse debeant.

De disputationibus hebdomadalibus.

§. 391. 4. Cunctis etiam hebdomadibus fient aliae disputationes hebdomaticae vulgo appellatae, in quibus novem erunt quaestiones disceptandae: praesidebunt alternatim sibi invicem succedentes ipsarum professores, qui non solum quaestiones deputandas, sed etiam discipulos propugnaturos, aut impugnaturos seligent: aderunt rector, vel regens, omnes lectores non impediti; magistri substituti, et passantes; caeteraque peragentur omnia sicut in disputationibus dierum feriatarum. Hae tamen disputationes, si fuerint theologiae, fient in sabbathis non feriatis, aut impeditis, durabuntque per tempus unicuique gymnasio destinatum; si vero fuerint philosophiae, peragentur in feria quarta tempore ad scholam vespertinam stabilito. Sed si aliquis professorum tunc temporis fuerit infirmus, aut legitime impeditus, aliquem ex magistris substitutis nominabit regens, ut bis praesit conclusionibus.

De dissertationibus a theologis habendis.

§. 392. 5. Cunctis denique mensibus non feriatis scholares theologi quatuor dissertationes latine conficient, philosophi vere unam. Ad easdem conficiendas singuli professores in principio statim cujuslibet mensis a prima die novembris, usque ad ultimam junii, quaestionem aliquam discipulis assignabunt; et postquam fuerint factae, quarta die ante finem mensis unamquamque discipuli tradent professori suo, qui singulas examinabit, emendabit, posteaque ab illarum auctoribus ipsas coram omnibs legi faciet in gymnasio, ubi quemque increpabit, laudabitque juxta uniuscujusque meritum, aut demeritum, omnesque docebit, quommodo sit rite disserendum. Deinde unusquisque suam tradet regenti, ut ab eo singulae rursus introspiciantur, privatimque laudentur, vel reprehendantur.

Caput VII.

De thesibus publice propugnandis.

De thesibus publice propugnandis.

§. 393. 1. Omnes tam theologiae, quam philosophiae professores semel in anno theses, quas per annum auditoribus explicuerunt, publice propugnabunt, nisi aegritudine, aut alia rationabili causa, a rectore, ac regente approbata excusentur. Hac de causa praelo edentur, et postquam fuerint sic seditae, in singula Colimbriensis accademiae collegia tertio die, ante illarum defensionem distribuentur.

Idem ut supra.

§. 394. 2. Has vero theses priusquam typis mandentur, aut facultas easdem imprimendi, a quocumque tribunali de jure petatur, illarum auctores rectori tradent, ut a tribus magistris, quos ipse rector secreto destinaverit, examinentur ac probentur, posteaque ipsi magistro propugnaturo dentur, ut imprimantur.

Idem ut supra.

§. 395. 3. Sed si aliquis ex censoribus destinatis circa theses quidquam dubitaverit, vel non approbaverit, rector magistrum thesium auctorem de dubiis certum faciat, quin censo-

rem dubitantem palam reddat, habitoque ipsius auctoris responso, alium magistrum, qui sibi visus fuerit, consulet; nec imprimendi facultatem praebebit, nisi tres magistri simul convenerint, ac deciderint. Et cum aliquid e thesibus delendum, mutandumve a tribus censoribus fuerit judicatum, magister illarum auctor delebit, aut mutabit, aut omittet, nec aliter propugnare valebit.

Idem ut supra.

§. 396. 4. In his proinde thesibus propugnandis duae insumentur horae: extranei arguentes, et assistentes humane, ac religiose a scholaribus, quos rector designaverit, suscipientur: expensae pro illarum editione ad eam pertinebunt domum, ubi fuerint propugnandae: discipulus ipsarum defensor tempore opportuno a professore suo nominabitur. Nemo autem sine studio, exercitatione, ac rectoris, consiliariorumque approbatione theses publicas propugnare audeat, alioquin juste puniatur.

Caput VIII.

De ordinariis sholarium examinibus.

De ordinariis scholarium examinibus.

§. 397. 1. Quicumque philosophiae curriculum fuerint ingressuri, antequam illud aggrediantur, de peritia linguae latinae, atque rhetorices examinabuntur a duobus examinatoribus, quos designaverint, prior, et consiliarii illius domus, ubi examinandi habitaverint, neque ad collegium admittentur priusquam rectori ex fida examinatorum scripta certum faciant se examinatos fuisse, et approbatos.

De examine subeundo.

§. 398. 2. Postquam vero philosophiae, vel theologiae scholares fuerint singulis annis octobre ineunte usque ad diem decimam de tractatibus, aut philosophicis, aut theologicis, quos audierunt anno proxime praeterito examinabuntur, praeside tamen uniuscujusque professore. Sed in examinatores rector nominabit tres lectores, aut magistros, aut in horum defectu passantes, quos sibi visum fuerit; caeteri tamen lectores, et magistri simul cum rectore, ac regente intererunt.

De quaestionum numero

§. 399. 3. Pro philosophiae examine subeundo quilibet scholaris philosophus duodecim proponet quaestiones ex singulis materiis, quas eo anno didicit, easque tertia die antequam examinentur, tradet examinatoribus. Deinde unusquisque examinator ab antiquiore incipiens jubebit a scholari fundamenta quaestionis exponi, quibus expositis, brevi arguet. Lectore tamen praeside scholaris ingenium, ac scientiam laudante, aut solidiori argumento dignum attestante, aut ipso scholari ad id se offerente; examinatores fortius argumentabuntur, et extra duodecim quaestiones supradictas ad alias a scholari tamen propositas excurrere inter arguendum tenebuntur.

De examine in sacris materiis.

§. 400. 4. Pro examine de scriptura sacra, theologia dogmatica, morali, et historia ecclesiastica eadem servabuntur respectu uniuscujusque materiae, quae circa philosophorum examina praescripta sunt. Examina vero de idiomate graeco, et hebraico fient, sicut fieri solent de latino.

De scrutinio faciendo.

§. 401. 5. Postquam scholares fuerint examinati, rector, aut qui ejus loco praeest, cum examinatoribus, ac aliis praesentibus magistris ad eos approbandos, vel reprobandos, aut laudandos de sufficientia, ingenio, ac studio per secreta suffragia, in quibus aut litera *A.*, aut *L.*, aut *R.* scripta sit, convenient, ante oculosque habebunt congregationis utilitatem, ac Dei timorem, ne dignos reprobent, aut indignos approbent.

De approbatis, vel laudatis.

§. 402. 6. Qui majorem suffragiorum favorabilium numerum acceperit, probatus, aut etiam laudatus, qui minorem, reprobatus censebitur. Cum vero suffragia aequalia numero inter se fuerint opposita penes rectorem, aut qui ejus vices agit, approbatio erit, aut reprobatio.

De regestro examinatorum.

§. 403. 7. Approbationes, ingenium, habilitas, studium, ac laudes, quas unusquisque meruit, in libro destinato cum ipsius examinati nomine a recentiori magistro scribentur, et a rectore, ac regente subscribuntur.

De premiis examinatorum.

§. 404. 8. His peractis, rector coram examinatoribus, ac caeteris magistris unumquemque examinatum advocabit, corriget, aut laudabit juxta uniuscujusque meritum. Qui fuerit reprobatus, statim patri generali, et collegis in alia congregationis monasteria transferatur, ubi pro sui talenti ratione melius possit inservire, nisi primo philosophiae anno reprobatus sit, et adhuc spes habeatur, quod ad studia admissus possit proficere.

De exemptionibus eisdem competentibus.

§. 405. 9. Scholares tamen, qui theses publicas defenderint, immunes erunt ab examine subeundo pro materiis, quas publice substinuere, et ipsarum mentio thesium cum defendentis nomine in praefato approbationum libro

scribentur; qui quidem liber sub clavi semper a regente servabitur. Examina vero scholarium theologorum in tertio curriculi anno fient a die decima quinta junii usque ad finem ejusdem mensis.

Caput IX.

De examine ad magisterii gradum.

De examine ad gradum magisterii.

§. 406. 1. Emenso theologiae curriculo, factoque examine supradicto, statim scholares theologi a definitorio, vel a patre generali, substituto, et collegis in alia transferentur monasteria, relictis in collegio tantum eis, qui a rectore, et consiliariis ejusdem collegii designati fuerint tamquam habiles, ut examen ad magisterii gradum subeant, fiantque passantes; hi enim a die duodecima quinta sequentis octobris hujusmodi subibunt examen in hunc modum.

De materiis seligendis.

§. 407. 2. Unusquisque examinandorum sexdecim materias seliget, quatuor philosophicas, tres theologico-dogmaticas, tres morales, tres ad sacram scripturam spectantes, et tres ad historiam ecclesiasticam pertinentes. Pro singulis materiis tres quaestiones eliget ex gravioribus, quas in scriptis octavo die ante examen tradet rectori, ut tribus examinatoribus ab eodem rectore, regente, antiquiorique lectore destinatis secreto dentur.

De examinatoribus.

§. 408. 3. Assignato die, atque loco a rectore, pater generalis (si non fuerit impeditus, et interesse voluerit) rector, regens, omnesque in theologia sacra, aut philosophia magistri tam actuales, quam emeriti, et qui nullam adhuc cathedram moderati sunt, licet in monasterio sanctae Crucis commorentur, examini aderunt. Singuli examinatores spatio unius horae fortiter, ac nervose arguent; sive cum examinandis circa propositas quaestiones disceptabunt: examinandi vero easdem sine praeside sustinebunt.

De electionibus faciendis.

§. 409. 4. Examinibus peractis, tam examinatores, quam caeteri omnes praesentes obstricti jurejurando, et ante oculos habentes non solum candidatorum scientiam, ut ingenium, sed etiam probitatem, ut caetera, quae ad magisterium, religionisque utilitatem requiruntur per secreta suffragia consueta calculorum ratione circa unumquemque examinatum sententias ferent.

De electis.

§. 410. 5. Qui ex omnibus suffragiis in tres partes distributis duas acceperint, approbati ad magisterium, electique in passantes ipso facto censebuntur: ut approbatio, ingenium, ac laudes, quas unusquisque meruit in libro examinum a magistro recentiori scribentur, quibus rector, regens, examinatoresque subscribent; qui autem fuerint reprobati, statim ad alia monasteria, sicut supra dictum fuit, transferentur.

De approbatione capituli generalis obtinenda.

§. 411. 6. Capitulum deinde generale tenebitur hujusmodi approbationes, ac electiones confirmare; approbatisque literas patentes conferre, postquam vero passantes munus suum exercuerint per tres annos, capitulum generale eosdem per alias patentes literas nominabit in magistros, si ex testimonio rectoris, atque regentis constiterit, ipsos muneri suo satisfecisse.

Caput X.

De exornandis laurea doctorali.

De exornandis laurea doctorali.

§. 412. 1. Ex magistris, substitutis, aut ex iis, qui passantes dicuntur, capitulum generale singulis trienniis ad doctoris lauream theologicam, vel philosophicam in Collimbriensi universitatem emendam designare poterit, quos non solum scientia, et literarum studiis, sed etiam pietate, regularique observantia digniores judicaverit.

De testimoniis adhibendis super idoneitate.

§. 413. 2. Ut autem capitulo generali constare possit quinam sint hujus laureae digniores, tenebitur non solum rector collegii de uniuscujusque inaugurandi actibus literariis ex omnibus studiis, meritis, et moribus capitulum generale certum facere, sed etiam unusquisque lectorum tam actualium, quam emeritorum in eodem collegio commorantium (si inauguraadi fuerint ejusdem collegii habitatores) de singulorum scientia, et capacitate, testimonium in scriptis suo nomine signatum, et occlusum proferre; atque sub juramenti fide quid sibi in Domino visum fuerit capitulo generali patefacere.

De publicatione documentorum.

§. 414. 3. Haec omnia documenta in capitulo generali ab ejusdem secretario propalabuntur antequam peragatur electio designandorum pro laurea consequeda. Deinde tractatus fiet ibidem inter capituli generalis vocales super uniuscujusque merita: tandemque per se-

creta suffragia ab eisdem vocalibus eligentur, qui laurea doctorali sunt inaugurandi, et in paritate votorum selectio erit penes capituli praesidentem.

De expensis erogandis.

§. 415. 4. Expensas vero pro doctoribus efformandis ad baccalauratum usque suppeditabit collegium: inde usque licentiatum inclusive monasterium sanctae Crucis: ad doctoratum vero reliqua monasteria juxta uniuscujusque redditus ex distributione a patre generali, et collegis facienda praestabunt.

Idem ut supra.

§. 416. 5. Si quis tamen a parentibus, aut ab aliquo extraneo pecuniam ad expensas acceperit, modo ipse qualitatibus debitis exornatus sit, in doctorem a capitulo generali, praecedentibus eisdem, quae ad electionem aliorum dicta fuerunt designare poterit. Nec ut laurea decorandus quilibet designetur; opus est omne studiorum tempus post religionis ingressum incboaverit; quin imo ad hunc finem tempus, quod ante religionis ingressum ad discendae philosophiae, aut theologiae, aut juri canonico dederunt, ipsis computabitur.

De privilegiis doctorum.

§. 417. 6. Doctores denique universitatem adire poterunt non solum, ut cujuslibet facultatis ostentationibus, aut oppositionibus, universitatis festivitatibus, aut processionibus, et actibus literariis theologiae, aut philosophiae intersint; sed etiam quamcumque cathedram, vel theologiae, vel philosophiae tam proprietatis, quam substitutionis via moderentur. Quodcumque vero emolumentum inde acceperint, communitati acquirent, quod quidem in usus suos peculiares, atque benestos de licentia praelati poterunt applicare. Nullus tamen umquam saecularium sectas, aut collegiorum partes sequeutur.

Caput XI.

De provisionibus cathedrarum.

De provisionibus cathedrarum.

§. 418. 1. Quoties aliqua theologiae, aut philosophiae cathedra vacaverit, circa illam fient oppositiones in hunc modum: triginta diebus antequam provideatur, rector id omnibus magistris, et theologis, qui passantes vocantur, notum faciet: regens vero duodecim schedulis aequalibus, eademque forma duplicatis duodecim quaestiones ex principalioribus illius materiae, quae ad cathedram vacantem spectaverit, secreto scribet.

De scrutinio adhibendo.

§. 419. 2. Praefixo deinde a rectore die, hujusmodi schedulae in quodam vaso, seu capsula includentur, atque inde a singulis competitoribus, sive oppositoribus per successivos dies singulae coram rectore, regente, et consiliariis extrahentur. Et unusquisque ibidem leget quaestionem, quae sibi sorte contigit; statimque in suam se recipiet cellam, ubi spatio viginti quatuor horarum solus ita remanebit, ut nemini loquatur; ibi tamen libri, quos postulaverit, et omnia, quae ad victum fuerint necessaria, eisdem ministrabuntur.

De dissertatione facienda.

§. 420. 3. Eo tempore indagandae quaestioni operam dabit, et super illam quamdam lectionem, seu dissertationem conficiet. In fine vero temporis praefati, congregatis in aula praecipua collegii patre generali (si non fuerit impeditus, et interesse voluerit) rectore, regente, omnibus lectoribus, ac magistris, qui tunc non fuerint competitores, et in eodem collegio, vel sanctae Crucis monasterio habitaverint, idem competitor defendens cathedram ascendet, ibique suam dissertationem, sive lectionem recitabit per semihoram: qua finita respondebit argumentis in quaestionem positis ab altero competitore, quem pater generalis cum rectore, vel rector cum regente ante praedictas viginti quatuor horas ad id nominaverint.

De oppositionibus, et testimoniis scriptis praebendo ab examinatoribus.

§. 421. 4. Hac oppositione peracta, reliquae sigillatim fient sequentibus diebus eodem modo: omnibus vero absolutis, rector, regens, singulique professores emeriti, et actuales, qui oppositionibus adfuerunt, testimonium in scriptis de scientia, capacitate, et meritis uniuscujusque competitoris occulte perhibebunt eis, qui juxta superius dicta providere debent. Hi autem postquam testimonia praedicta legerint, ac expenderint attendentes caeteris paribus ad antiquiores proprietatem cathedrae vacantis conferent digniori. Qui tamen fuerit provisus antequam docere incipiat, fidei professionem emittet, juramentumque rite obeundi munus suum in manibus rectoris praestabit: horumque omnium a consiliario recentiore in libro examinum fiet memoria.

De eligendis ad cathedram rhetorices.

§. 422. 5. Cum vero aliqua idiomatis graeci, aut rhetorices cathedra vacare contigerit, pater generalis id conferens cum collegis, rectore, atque regente collegii ad examen convocabit eos canonicos, qui ob scientiam, et probitatem aptiores fuerint judicati. Consigna-

in die coram patre generali, rectore, regente, lectoribus emeritis, et actualibus collegii, atque sanctae Crucis examinabuntur a duobus, vel tribus examinatoribus omnes qui fuerant vocati, et quilibet hoc examen subire voluerint.

De electionibus publicandi. §. 423. 6. Absolutis examinibus, omnes, qui adfuerunt ipsis secreto conferentes inter se circa uniuscujusque examinati capacitatem, vocaliter eligent eum, vel eos, qui ad hoc munus sibi digniores visi fuerint. Et pater generalis cum collegia tenebuntur cathedram vacantem conferre illi, qui a majori parte hujusmodi vocalium fuerit electus; tandemque provisio patentes literas praebebunt, quarum memoria in quodam libro apud collegam secretarium remanebit ab ipso conscripta, et subsignata. Notandum tamen est professores rhetoricae theses quoque publicas propugnare posse, et respectu illarum, proportione servata, observari debere, quae circa philosophicas, et theologicas jam fuerunt stabilita.

Caput XII.

De privilegiis, et exemptionibus.

De privilegiis, et exemptionibus. §. 424. 1. Æquum est, qui plus caeteris in congregationis utilitatem, ac decorem laborant specialibus privilegiis, ac exemptionibus decorari. Omnes propterea cujuscumque artis, aut scientiae professores tam emeriti, quam actuales magistri, substituti, et passantes missas quascumque dixerint, libere poterunt pro quibus voluerint, applicare; dummodo ad satisfaciendas obligationes monasterii, aut collegii non sint necessarii: tunc enim tres solummodo missas in qualibet hebdomada ad libitum poterunt applicare; dummodoque in constitutionibus jam applicatae non reperiantur, ut in parte prima harum constitutionum dictum fuit.

De privilegiis lectorum. §. 425. 2. Cuncti lectores emeriti, et actuales ab officiis hebdomadae, quae in capitulo sabbathi distribuuntur, ubicumque fuerint, immunes erunt. Lectores quoque actuales immunes erunt ab officio divino in collegii choro persolvendo, exceptis matutino, missa, et laudibus in nocte Natalis Domini: primis vesperis, tertia, missa, sexta, et nona, in festo conversionis m. p. Augustini, et officio defunctorum de corpore praesenti.

De privilegiis professorum. §. 426. 3. Cum vero extra collegium habitaverint, professores quidem actuales chorum adibunt solummodo in solemnitatibus Natalis Domini, Epiphaniae, sancti Theotonii, feriae quintae, sextae, et sabbathi hebdomadae sanctae, Resurrectionis Dominicae, pentecostes, corporis Christi, Assumptionis beatissimae Virginis, ac s. p. Augustini ad primas vesperas, matutinum, laudes, tertiam, atque missam; et in festivitatibus Circumcisionis, sancti Joseph, Annuntiationis, Ascensionis, sancti Antonii, sanctorum Petri, et Pauli, omnium sanctorum, Conceptionis, et titularis ecclesiae, ad tertiam, et missam conventualem.

Similia ut supra. §. 427. 4. Lectores autem emeriti, magistri, substituti, et passantes non solum primis vesperis, matutino, laudibus, tertiae omnium praedictarum festivitatum, sed etiam officiis defunctorum de corpore praesenti, et trium anniversariorum solemnium, atque tertiae, ac missae conventuali caeterorum anni dierum adesse tenebuntur, nisi substituti cathedram actualiter substituant; tunc enim easdem habebunt immunitates ac professores actuales. Omnes vero supradicti tam lectores actuales, et emeriti, quam substituti, et passantes orationi mentali, lectioni spirituali, et examini conscientiae nunquam deerunt.

De privilegiis lectorum emeritorum. §. 428. 5. Emeriti proinde lectores vocem activam, et passivam habebunt in capitulo generali: et non solum in priores licet vicarii non fuissent, sed etiam in praepositum generalem, quamvis prioris nunquam extitissent, eligi poterunt. Ut lectores tamen sint emeriti, necesse est, ut philosophiam, et theologiam edoceant spatio novem annorum, noviesque publicis thesibus sine congregationis decore praesideant. Quod si philosophiam non docuerint, theologiam per duodecim annos legant, duodecimque conclusiones publice defendant opus erit; in philosophia quippe docenda labor duplicatur.

Caput XIII.

De temporibus feriatis.

De temporibus feriatis. §. 429. 1. Tempore literario, sive a prima die octobris usque ad ultimam junii erunt feriati, seu scholarum lectiones cessabunt cunctis diebus dominicis, et festis de praecepto, et a vigilia Nativitatis Domini usque ad Epiphaniam, et a dominica Palmarum usque ad dominicam in Albis, et qualibet feria quinta, si alius dies in eadem hebdomada non sit feriatus, quo cum feria quinta compensetur.

Idem ut supra.

§. 430. 2. Quibusdam tamen feriatis mane collationi literariae operam dabunt, sicut supra fuit stabilitum: vespere autem erit tempus liberum, poteruntque recreationis causa intra septa monasterii sanctae Crucis deambulare a fine completorii usque ad noctis initium, dummodo caetera omnia fiant juxta horarum distributionem supra stabilitam.

Idem ut supra.

§. 431. 3. Tempore feriarum, sive a prima die julii usque ad ultimam septembris scholares tam philosophi, quam theologi, et passantes a rectore in duas partes divisi ad sancti Georgii villam, quam monasterium sanctae Crucis ad id liberam dare tenebitur, minime vero in aliam partem mittentur; ut ibi spatio triginta dierum utilium unaquaeque pars illam sumat recreationem, quae solet *Brevia* nuncupari. Reliquo tamen feriarum tempore intra collegium habitantes, licet a lectionibus, exercitiisque literariis sint liberi, semper lectioni spirituali, orationi mentali, atque studio matutino, et nocturno juxta distributionem temporis verni supra stabilitam vacabunt.

Idem ut supra.

§. 432. 4. Lectores emeriti, et actuales, atque magistri, sive lectores sint; sive non sint (privilegia quippe illis non conceduntur, quia doctoratus laurea decorati sunt; sed quia in congregationis utilitatem laboribus incumbunt literariis) ad collegii villas, aut monasteriorum, vel ad eadem monasteria, prout ipsi elegerint, ire poterunt, ut ibi a quocumque labore immunes per totum feriarum tempus recreationem habeant, quae vulgo dicuntur *Brevia*; dummodo id rectori, atque priori illius domus, quam elegerint, prius notum faciant, si ad monasteria, vel eorum villas ire selegerint.

Idem ut supra.

§. 433. 5. Hac autem ipsa facultate, sicut etiam praedictis feriarum tempore, ac loco uti poterunt caeteri canonici lectores, et magistri, qui fuerint in aliis domibus, seu monasteriis commorati, ut ibi quamcumque scientiam, vel artem regulares, aut saeculares etiam edoceant.

Caput XIV.

De redituum contributione, ac administratione, aliisque peculiaribus ordinationibus ad collegium spectantibus.

De redditibus collegii.

§. 433. 1. Cum Sapientiae collegium in commune totius congregationis bonum sit institutum, sufficientesque redditus, quibus subsistere possit, non habeat: statuimus, ut eidem collegio caetera monasteria pro singulis scholaribus collegii habitatoribus totidem centum sexaginta quinque aureos annuatim contribuant quousque proprios stabiles, sufficientesque redditus possideat, vel ex aliorum monasteriorum bonis a capitulo generali perpetuo stabiliantur; pater vero generalis, et collega sub praecepto obedientiae tenebuntur hanc summam per singula monasteria juxta uniuscujusque redditus distribuere: illorumque priores eodem praecepto, et aliis poenis constringent, ut singuli partem sibi distributam ad collegium mittant temporibus consignatis.

De administratione redditaum

§. 435. 2. Idem collegium circa bonorum, ac reddituum administrationem, et caetera omnia, quae his statutis non fuerint contraria, sicut alia monasteria, juxta constitutiones gubernabitur. Et quemadmodum caetera monasteria procuratorem eliget, mittetque ad capitulum generale; quamvis ad praefatum capitulum ex eodem collegio plures deveniant lectores emeriti.

Declaratio quoad monasterium sanctae Crucis.

§. 436. 3. Nullus eorum, qui praefati collegii fuerint habitatores, tenebitur umquam sanctae Crucis monasterium adire, ut officiis divinis in choro intersit, aut in ecclesia concionetur, aut alicui adsit solemnitati.

De cursu theologiae in collegio instituendo.

§. 437. 4. Theologiae cursus in collegio semper instituetur: quod si philosophiae curriculum extra collegium aliquando instituatur (in monasterio scilicet, in quo chorus non recitetur, sed vel cantetur quotidie, vel altiori sonu recitetur) ibidem haec statuta, quoad fieri possit, observabuntur: scholaresque chorum adibunt in iis festivitatibus, quibus magistri substituti, et passantes adstringuntur.

De libris, et tractatibus typis mittendis.

§. 438. 5. Quoties lector, aut magister, aut alicujus quicumque hujus congregationis canonicus aliquem librum, vel tractatum, qui typis tradendus sit, elucubraverit priusquam praelo edatur, facultatesque de jure postulentur, hujusmodi opera ad patrem generalem, et collegas deferenda sunt, ut respectu illorum fiant, quae circa theses publicas supra jam fuerunt statuta.

De accolis collegii.

§. 439. 6. Magistri, passantes, et scholares collegii accolae, qui habitualiter fuerint ita infirmi, ut ex testimonio medicorum studiis operam dare nequeant, a patre generali, et collegis in alia transferentur monasteria, ubi convalescant, ad studiaque iterum capessenda ha-

biles reddantur. Qui autem crimina gravia patraverint, vel studiis incumbere contumaciter noluerint, si ter admoniti, et correpti non resipiscant, e collegio expellantur, atque voce activa, et passiva per decem annos privabuntur, processu prius in forma juris instaurato, et sententia juxta ordinem, et formam in his constitutionibus praescriptam definitiva prolata.

De removendis a cathedris.

§. 440. 7. Si quis proinde lector, aut magister fuerit graviter scandalosus et ineptus, vel sine justa causa, et ratione docere cum possit, sive cathedram sibi legitimo collatam moderari noluerit, perpetuo cunctis magisterii privilegiis privabitur, spatioque trium annorum voce activa, et passiva carebit, nisi tempus docendi supra stabilitum jam adimpleverit, sententiaque in forma juris prius prolata.

De infirmis sublevandis.

§. 441. 8. Caeterum quando infirmitatis, aut alicujus culpae causa canonici e collegio in alia monasteria transferuntur, expensae fieri debent ex collegii redditibus: quando emenso jam theologiae cursu transmittuntur, expensae fient ex redditibus monasterii, quo transferuntur; quando lectores, et magistri feriarum tempore ad monasteria exierint, expensae itineris fient a collegio; et quando redierint ad collegium expensae fient a monasterio, unde venerint.

PARS IV.

De capitulo generali, visitatoribus, capitulo privato, seu definitorio, capitulo conventuali, et harum constitutionum obligatione.

CAPUT I.

De capitulo generali, ac personis, quae ad illud convenire debent, vel possunt.

De capitulo generali.

§. 442. 1. Capitulum generale nihil est aliud quam coetus primariorum patrum totam congregationem repraesentans, cujus utique duo sunt fines praecipui; electio nimirum praepositi generalis, de qua dictum est in secunda parte, et visitatio, ac reformatio generalis, de qua nunc superest agendum.

De vocalibus capituli.

§. 443. 2. Capituli vocales erunt prior generalis (qui vocem activam habere, ac praesidens ordinarius capituli una cum duobus consiliariis tam in monasterio sanctae Crucis, quam in caeteris omnibus) nec non priores, et procuratores conventuum, quos illi per suffragia secreta decima quinta die ante capitulum generale eligent, vel qui illorum locum erunt legitime suffecti: nulli alii in capitulo sit locus, nisi quis a legitima potestate extraordinarius praesidens fuerit constitutus.

De procuratore ad capitulum mittendo.

§. 444. 3. Licet autem singula monasteria unum tantum mittere debeant procuratorem ad capitulum, monasterium tamen sanctae Crucis duos eliget, atque mittet, quoniam illius prior, quatenus prior in capitulo vocem non habet: monasterium itidem Mafrae duos etiam eliget, atque mittet procuratores, quia non solum numerum valde magnum incolarum habet, sed etiam plura monasteria, quae suos procuratores ad capitulum mittere solebant, eidem in perpetuum reperiuntur unita.

De forma procurationis.

§. 445. 4. Et unusquisque conventus certam fidem capitulo generali faciet de electione, institutione, ac potestate suorum procuratorum, idque literis suis per conventus scribam exaratis, atque sigillo conventuali munitis. Forma vero ejusmodi procurationis, ac potestatis esse poterit hoc modo.

Idem ut supra.

§. 446. 5. *In Dei Nomine Amen. Noverint omnes praesentes literas inspecturi, quod in monasterio N. dioecesis N. canonicorum regularium sanctae Crucis Colimbriensis omnes, et singuli canonici capitulares ejusdem monasterii instituimus, et ordinamus in procuratorem nostrum certum, et specialem donnum N. ejusdem monasterii canonicum, ut in capitulo, ac reformatione generali in monasterio sanctae Crucis hoc praesenti anno celebrando omnia, quae per nos, aut majorem nostrum partem subscripta ostenderit, in nostro nomine proponat: si qua vero alia proposuerit suo ipsius nomine, aut eorum, quorum subscriptionem ostenderit, proposita habeantur. Insuper concedimus ei plenam in omnibus, et singulis ad praepositi generalis electionem, et confirmationem attinentibus faciendi, tractandi, consentiendi, affirmandi, contradicendi, revocandique potestatem. Quam potestatem etiam illi concedimus in omnibus, et ad omnia, quae in praefato capitulo visitationis, ac reformationis generalis fuerint ad examinandum, ac definiendum proposita, dicta, et tractata, quae quomodolibet attineant, aut attinere possint ad statum, ac utilitatem congregationis nostrae, dummodo secundum jus, et constitutiones Nostras fiant. Quod si de*

jure ad effectum hujus procurationis fuerint aliae clausulae magis speciales necessariae, nos eas habemus pro in eadem expressis. In quorum omnium fidem has procurationis nostras literas fieri fecimus a nobis subscriptas et sigillo nostro conventuali signatas et ego domnus N. scriba conventus easdem scripsi die . . . mensis N. . . anni millesimi . . . N. . .

De officio procuratorum.

§. 447. 6. At ubi dicti procuratores electi, et publicati fuerint quousque proficiscantur in tempore, ac loco a silentio liberis, poterunt a religiosis de literis, ac supplicationibus, quas ad capitulum generale mittunt, instrui, praesertim vero si quid habuerint, de quo apud visitatores capituli de patre generali, ejusve substituto, aut collegis conqueri possint, quod nimirum injuriam sibi in visitatione fecerint, vel in suis officiis deliquerint.

Idem ut supra.

§. 448. 7. Procuratores vero has religiosorum supplicationes, ac literas quidquid contineant, et alias quascumque scripturas sibi traditas in virtute sanctae obedientiae tenebuntur acceptare, et iis, ad quos mittuntur fideliter reddere.

Idem ut supra.

§. 449. 8. Verum hi procuratores ita per conventum electi, ac publicati non possunt ab eodem revocari, nisi examinata prius causa ab omnibus capitularibus in praesentia prioris, qui hujusmodi causae judex erit. Si tamen iidem procuratores antequam a monasterio suo egrediantur, infirmitate, aut alio quocumque modo legitime fuerint impediti, conventus eligent, ac instituent alios procuratores juxta formam supradictam.

De procuratoribus reprobatis.

§. 450. 9. Si autem in capitulo generali jam constituti fuerint reprobati, alii eorum loco ab eodem capitulo eligentur ex domo ipsa, in qua capitulum generale celebratur: sicut etiam fiet, cum prior aliquis morte, aut alia ratione in capitulo vacaverit, nisi sit rector collegii. Qui tamen hoc modo fuerit substitutus, vel subrogatus, licet incola sit ejusdem domus, unicum tantum feret suffragium in electione praepositi generalis. Sed si procurator reprobatus ex domo fuerit, in qua capitulum fit, aut ex collegio Sapientiae, repetita electione, alius ejus loco subrogabitur a primis constitutionibus.

De iis, quae a priore, et procuratoribus facienda sunt in capitulo.

§. 451. 10. Priores, quoque, ac procuratores ad capitulum euntes generale, simul ibunt, nec in itinere separabuntur, nec monasterium, in quo praefatum capitulum celebrandum est, usque ad sabbathum dictae dominicae secundae post Pascha ingredientur.

§. 452. 11. Quod si aliquis prior, morbo, aut alia ratione legitima, ne ad capitulum eat, fuerit impeditus, ad illud mittet literas suas, assignatasque in eis rationes, ob quas ire nequeat, facietque suum procuratorem, ac substitutum ex ipsa domo, in qua sit prior ut in capitulo ipsius locum teneat. Idem ut supra.

§. 453. 12. Si nec prior venire ad capitulum, nec conventus possit mittere procuratorem, literis datis, statum monasterii sui, temporalem, et spiritualem capitulo exponet. Si vero prior aliquis, sine legitima ratione recusaverit, aut neglexerit ire ad capitulum generale, et conventus suum mittere procuratorem, voce carebunt ea vice in capitulo, nec eam poterunt aliis committere, ad arbitriumque ipsius capituli punientur. Idem ut supra.

§. 454. 13. Priores insuper ad capitulum secum ferent rationes omnium, quae in singulis monasteriis tempore administrationis suae accepta, et expensa fuerunt; itemque debitorum, et creditorum datorum, et emptorum causas adscriptas, explicatas, et a camerario ac scriba conventus primum confectas, atque juratas, deinde a consiliariis monasterii subscriptas, nec non etiam instrumentum a majore sacrista, et scriba conventus conscriptum, ac juramento firmatum, quo certum fiet cunctis missarum, et legatorum obligationibus fuisse satisfactum. Idem ut supra.

§. 455. 3. Has vero redditunm, et missarum rationes praesentabunt, tradentque statim in secunda capituli sessione, ut de quantitate bonorum, ac proventuum monasterii, de totoque statu rei familiaris capitulo constare possit; alioquin ab eodem capitulo expellentur, vocem in eo activam, et passivam non habebunt, acriter corripiantur, et alii eorum loco, sicut fuit jam dictum substituentur. Idem ut supra.

§. 456. 15. Praeter priores, et procuratores generali capitulo interesse tenebuntur vicarius monasterii sanctae Crucis, et sex proxime elapsi trienni definitores; eidemque interesse poterunt lectores emeriti, et ex generales, quibus omnibus, priores simul secum euntibus necessaria ad iter suppeditabunt. Idem ut supra.

§. 457. 16. Caeterum in capitulo generali nunquam admittantur, nec vocem habebunt activam duo consanguinei fratres, nisi sint priores, aut lectores emeriti: habebit autem Idem ut supra.

vocem in capitulo generali activam magister novitiorum sanctae Crucis, ut moris est.

Caput II.

De loco, tempore, ac modo celebrandi capituli generalis.

De loco quo capitulum generale celebrandum erit.

§. 458. 1. Quo institutum, et reformatio hujus congregationis diutius perseveret incorrupta; statuimus, ut priores, et procuratores omnium monasteriorum, et alii canonici, qui tenentur, vel possunt interesse capitulo generali ad illud celebrandum singulis trienniis in monasterium sanctae Crucis conveniant.

De tempore celebrandi capitulum.

§. 459. 2. Convenient autem sabbatho ante dominicam secundam post Pascha; in qua recitabitur evangelium — *Ego sum pastor bonus* — et statim feria secunda proxima, finita prima, in singulis monasteriis congregationis pro felici successu capituli generalis missa de Spiritu Sancto decantabitur conventualiter, ac solemniter: eidemque in monasterio sanctae Crucis intererunt omnes dicti patres, praeceritque, sicut etiam in omnibus actibus capituli generalis, usque ad electionem novi praepositi generalis ille, qui proxime generalatu functus est, non tamen sub titulo generalis, sed praesidentis dumtaxat.

De modo celebrandi capitulum.

§ 460. 3. Antequam vero sacrum peragatur, fiet signum campanae ad capitulum generale inchoandum, ad quod omnibus in loco ad capitulum destinato congregatis, fiet ab aliquo canonico gravi, ac docto, cui a patre generali fuerit injunctum, brevis sermo super causam praesentis congregationis. Eoque finito, manentibus solis dictis prioribus, et procuratoribus, caeterisque vocalibus, prosequentur in nomine Domini capitulum, visitationem, et reformationem generalem.

De ordine sedendi in eo.

§. 461. 4. Sedebunt autem in prima capituli sede ipsius praeses, ad dexteram praesidis prior monasterii Mafrensis utpote regii patronatus; ad sinistram secretarius capituli; deinde in latere dextero priores, eorumque substituti juxta ordinem antiquitatis monasteriorum; et immediate infra priores, illorumque substitutos, lectores emeriti juxta ordinem *jubilationis*, ut vocant: e regione vero, sive in latere sinistro primum ex-generales, deinde sex ordinis definitores, qui proximo triennio functi sunt officiis sui, substitutus nempe, collegae, ac definitores; deinde vicarius monasterii sanctae Crucis, ejusdemque magister novitiorum, deinde procuratores monasteriorum, secundum antiquitatem uniuscujusque domus.

De instrumentis exhibendis.

§. 462. 5. Cunctis jam in capitulo sedentibus, in primis monasteriorum procuratores praesentabunt chartas, sive instrumenta procurationum suarum; quibus examinatis, ac probatis, omnes statim per secreta suffragia a praeside capituli cum duobus immediatis prioribus excipienda (secundus enim prior ad sinistram praesidis sedebit, et omnia scribet quousque secretarius capituli eligatur) in secretarium designabunt unum ex corpore ipsius capituli virum gravem, et ad excipienda quaeque acta capituli tum ingenio, tum manu promptum, ac idoneum, qui decreta omnia, et acta ab initio usque ad exitum capituli distincte, ac ordinate scribat, accepto prius a praeside juramento, quo se obliget ad servandam fidelitatem, veritatem, ac secretum in omnibus, quae ad munus suum pertinuerint.

De suffragiis ferendis.

§. 463. 6. Deinde ex se ipsis per secreta suffragia tres eligent in visitatores monasterii sanctae Crucis, qui quidem erunt non ex eodem monasterio, sed ex aliis domibus, et omnes similiter in manibus praesidis juramento promittent, se munus suum recte, ac fideliter gesturos. Hasque electiones, sicut et omnes alias, quae deinceps in capitulo celebrantur, scrutabitur praeses ipse cum immediato praelato, ac secretario.

De electione visitatorum.

§. 464. 7. Post visitatores, electos eodem modo eligentur quinque definitores, qui quoniam cum ipso capitulo expirant; definitores capituli dicuntur, ut distinguantur a definitoribus ordinis, quorum officium toto triennio durat, et postea eligi debent, ut postea dicetur. Sumentur autem in definitores ex diversis monasteriis ad ampliorem rerum congregationis notitiam; et ex gravioribus, et magis spectatae virtutis, ac sapientiae patribus, ad quos quinque accedent praeses ipse capituli, atque secretarius.

De examinatoribus rationum.

§. 465. 8. Nominabuntur quoque voce tenus non solum quatuor ex ipsius capituli gremio, qui rationes redditum, ac bonorum cujuslibet monasterii attente examinent, ac introspiciant; sed etiam alii, quibus negotium aliquod speciale, si opus fuerit indagandum, atque expendendum committatur; ut postea in capitulo referant, ac exponant, quod ipsis fuit commissum.

Declaratio specialis.

§. 466. 9. Si tandem contigerit ex magno impedimento bellorum, pestis, aut ex alia causa valde gravi capitulum generale in monasterium sanctae Crucis celebrari non posse; pater generalis simul cum sex ordinis definitoribus id in aliam domum, quae magis expedire eis videbitur, transmutabunt. Et in hoc casu conventus sanctae Crucis sex mittet procuratores, in quibus compromittet; ut ipsius nomine, simul cum capitulo generali priorem dicti monasterii, praepositumque generalem totius congregationis eligant; qui quidem in ipso generali capitulo eligi, et confirmari debet.

De absolutione capituli.

§. 467. 10. Finito autem capitulo, statim pater generalis electus; et confirmatus proficiscetur in monasterium sanctae Crucis, ubi deducetur ad chorum a canonicis cantantibus — *Te Deum laudamus* — caeteraeque fient caeremoniae consuetae praeter confirmationem. Cum eo quoque ibunt visitatores, qui eumdem confirmarunt, ad visitandum monasterium sanctae Crucis, consiliariosque de more solito eligendos.

Caput III.

De iis, quae in capitulo generali sunt facienda.

De iis, quae in capitulo generali sunt facienda.

§. 468. 1. Visitatoribus capituli generalis, ac definitoribus constitutis, statim visitatores praecipient campanam pulsari, ut congregetur totus conventus monasterii sanctae Crucis. Deinde faciet eorum primus, seu electione antiquior admonitionem aliquam, sive exhortationem de religionis observantia: jubebuntque, si opportuerit, coram omnibus legi caput de visitationibus, et ea, quae ibi continentur exequutioni dabunt; ac protinus ad suae visitationis munus complendum se conferent; quemadmodum de visitationibus ordinariis infra dicetur.

Idem ut supra.

§. 469. 2. Hi autem visitatores quoad crimina, quae jure suffragii privant, auctoritatem habeant cognoscendi, et inquirendi non solum de habitatoribus monasterii sanctae Crucis; sed etiam de aliis omnibus, qui ad capitulum generale in eodem conveniunt.

Idem ut supra.

§. 470. 3. Et si quem vel subornasse, vel aliquod ex memoratis criminibus admisisse, juris ordine servato, constiterit, eum visitatores, si fuerit ex incolis dicti monasterii, per se solos; si vero fuerit ex vocalibus capituli generalis, accitis in consilium, ac judicium definitoribus ejusdem capituli, vel absolute, seu quoad omnes actiones celebrandas, vel quoad aliquam illarum pro ratione suscepti criminis voce activa, et passiva privabunt, a capituloque, si videbitur, excludent, et culpam cum probatione remittent ad visitatores domus, in qua reus inhabitat, ut reliquis juris, vel harum constitutionum poenis suo afficiatur tempore.

Idem ut supra.

§. 371. 4. Quod si culpatus fuerit aliquis ex definitoribus praedictis, illo absente, res a reliquis decidetur; si vero fuerit praeses ipse capituli, ejus loco praeerit visitatorum primus in eo actu dumtaxat; nam capituli praeside quacumque ratione ab eo excluso, aut alias impedito, praesidentia ad domus Mafrensis priorem devolvitur.

Idem ut supra.

§. 472. 5. Si qua proinde crimina a patre generali, vel substituto, vel collegis, vel definitoribus proxime elapsi triennii respectu officiorum suorum commissa ad capitulum delata fuerint, aut ab aliquo denuntiata, praefati visitatores simul cum definitoribus ejusdem capituli denuntiationes hujusmodi, denuntiatis inde recedentibus, cognoscent, expendent, ac judicabunt, justisque poenis afficient delinquentes. Sententiam tamen contra quemcumque ex omnibus supradictis latam visitatores in capitulo publicabunt.

Idem ut supra.

§. 473. 6. Interim vero dum visitatores muneri suo incumbunt, praeses ipsius capituli cum secretario, atque definitoribus quascumque supplicationes capitulo factas examinabunt, facultates, sive licentias postulantibus concedendas, vel denegandas perpendent; constitutiones, ordinationes, definitiones, decreta, et mandata communia, sive ad totam congregationem, sive ad aliquod illius monasterium pertinentia efformabunt; et negotia quaelibet, vel commune, vel particulare congregationis spectantia inter se conferent.

Idem ut supra.

§. 474. 7. Postquam vero fuerint omnia sic examinata, discussa, et formata unamquamque definitionem, vel ordinationem jam efformatam, et alia cuncta non acervatim, sed singulatim capitulo generali referent, explanabunt, ac proponent. Cuncti deinde vocales ejusdem capituli de unaquaque definitione, vel determinatione, aliisque singulis suffragia, sive sententias ferent: et illud, quod a majori parte capituli sic fuerit approbatum, vel jussum, vel decisum robur, ac vim habebit, et a secretario capituli conscribetur.

Idem ut supra. §. 475. 8. Ibidem praeterea, eodemque modo per suffragia cunctorum vocalium nominabuntur saecularium confessarii, et concionatores designabuntur; qui laurea doctorali decorandi sunt intituentur lectores, magistri, passantes, ac scholares philosophiae, vel theologiae: eligentur procuratores generales Ulyssipponensis, et Portugallensis; rationes redditûum cujuslibet monasterii approbabuntur, aut reprobabuntur, caeteraque similia peragentur.

Idem ut supra. §. 476. 9. Ea tamen, quae majoris fuerint momenti, pridie quam tractentur, palam in capitulo proponi debeat; cum autem negotium aliquod grave, sive ad totam congregationem, sive ad aliquod ejus monasterium, sive ad personam privatam, domesticam, vel extraneam pertinens tractandum, ac decidendum fuerit; suffragiis secretis, et usitata calculorum ratione sententiae dicatur.

Idem ut supra. §. 477. 10. Eritque perpetuum in capitulo generali, et etiam in aliis particularibus, et conventualibus, ut valeat, ac vincat sententia majoris partis; quae major pars intelligenda est comparatione totius coetus, non autem minorum partium: Quod si paribus suffragiis res suspensa fuerit, iterum ferantur suffragia; si adhuc paria sint ferantur tertio, et praeses capituli, altero calculo addito, rem discutiet.

Idem ut supra. §. 478. 11. Absolutis itaque, et expeditis omnibus generalibus, et particularibus negotiis, redigentur in scriptis omnes expeditiones, nominationes, constitutiones, definitiones, ordinationes, ac decreta, et legentur publice coram omnibus vocalibus capituli per ipsius secretarium, ab omnibusque subscribentur.

Idem ut supra. §. 479. 12. Postea rector, ac regens collegii Sapientiae, atque sex ordinis definitores; substitutus nempe, et collegae patris generalis, ac tres visitatores monasterii sanctae Crucis per secreta suffragia, sicut fieri consuevit, ab omnibus ejusdem capituli vocalibus, eligentur.

Idem ut supra. §. 380. 13. Mox ad electionem, et confirmationem prioris sanctae Crucis, totius congregationis praepositi generalis, modo, ac forma in secunda harum constitutionum parte praescriptis, devenient. Solet tamen ante electionem generalis praemitti brevis sermo ad ipsam pertinens, cui omnes tam a capitulo generali, quam a conventu sanctae Crucis interesunt; praesidebuntque in hoc actu visitatores, et inter eos, qui fuerit primus, seu creatione antiquior.

§. 481. 14. Electo autem, et confirmato patre generali, nulla in capitulo (in quo ipse jam deinceps praesidebit) electio fiet, nisi aliquis ex praeelectis officialibus ad generalatum fuerit assumptus, cujus proinde loco alium subrogari oporteat; nulla nova constitutio condetur; nihil, quod in capitulo tractatum jam sit, rursus tractari, ne dum retractari, immutarive poterit; nihil denique de novo proponetur, nisi aliquid recurrat, quod personas ipsius generalis assistentiam requirat; vel aliquid de generali, substituto, aut aliquo ex reliquis visitatoribus superioris triennii, sit in visitatione denuntiatum, quod in officiis suis illi deliquerint, subindeque a visitatoribus in capitulo referri debet, ac proponi. Idem ut supra.

Caput IV.

De potestate, ac exitu capituli generalis.

§. 482. 1. Capitulum generale plenam potestatem, ac jurisdictionem circa spiritualia in tota congregatione habebit; volumusque, ut quibuscumque negotiis tam generalibus, quam particularibus omnium, et cujuscumque ipsius congregationis monasteriorum omnia, et singula, quae per omnes, aut per eorum majorem partem, qui in eodem capitulo vocem habuerint, statuta, ordinata, et definita fuerint, firmiter observentur quamdiu per aliud capitulum generale non fuerint revocata. De potestate capituli.

§. 483. 2. Haec autem potestas, et jurisdictio capituli generalis circa res, intelligitur, quae in utilitatem, aut damnum alicujus boni spiritualis, aut observantiae regularis, visitationis, aut reformationis totius congregationis, aut alicujus domus cedunt. Nam rei, et bonorum temporalium administratio, et gubernium generaliter, ac ordinaria pertinet ad priores cum suis consiliariis, et conventibus, quamquam in casibus extraordinariis, qui commune bonum ejusdem congregationis tangant, fas erit capitulo generali de bonis illius temporalibus disponere, auditis tamen primum singulis monasteriis: si vero haec absque justa causa cunnerint, penes ipsum capitulum generale coactionis jurisdictio in tali casu residet. Idem ut supra.

§. 484. 3. Sed si capitulum generale voluerit de novo facere, et constituere aliquam, vel aliquas constitutiones, quae sint futurae perpetuae, aut in jam factis constitutionibus aliquid addere, minuere, mutare, aut corrigere; De novis constitutionibus faciendis.

id, quod sit de novo, fecerit, et constituerit, addiderit, minuerit, aut correxerit in uno capitulo generali, non habebit robur, aut vim constitutionis, nisi conveniant, et consentiant in eo saltem duae ex tribus partibus eorum; qui in eo vocem habuerint, et hoc modo per duo capitula immediate sequentia fuerit approbatum.

De legibus novis condendis.

§. 485. 4. Utque praeterea lex aliqua condita in uno capitulo, et approbata in duobus immediate sequentibus, habeat vim constitutionis, opus est, ut a primo capitulo usque ad secundum recipiatur sub titulo constitutionis inchoantis, a secundo usque a tertium dicatur *constitutio currens*, a tertio vero, si in eo probata fuerit, habebit vim *constitutionis* confirmatae.

De observantia novarum legum, et constitutionum.

§. 486. 5. Verum constitutiones, seu leges, quas de novo fecerint, constituerint, atque addiderint interea temporis observabuntur: ea tamen, quae jam factis constitutionibus minuerint, mutaverint, aut correxerint, non observabuntur quousque per tria dicta capitula generalia continua, sive non interrupta fuerint approbata: postea vero cuncta, quae dicto modo constituerint, addiderint, minuerint, mutaverint, aut correxerint, perpetuo servabuntur, habebuntque vim constitutionum confirmatarum. Sed animadvertere debet capitulum generale hanc potestatem addendi, mutandi, minuendi, aut corrigendi constitutiones jam factas minime ei concedi circa vota substantialia religionis, nec circa obligationem clausurae, sive ipsius juramentum: circa haec enim dispositio istarum constitutionum erit perpetuo constans, et immutabilis, ut in se est absque ulla declaratione, aut interpretatione, quam omnino, et sub obedientiae poena prohibemus omnibus, et singulis congregationis individuis tam in communi, quam in particulari: si tamen aliquid ob justam, vel justas causas addendum, mutandum, minuendum, corrigendumve necesse sit circa dicta tria vota substantialia religionis, vel circa clausuram, ejusque juramentum hoc apostolica auctoritate tantummodo fiet, literis apostolicis ad id supplicatis, et impetratis de communi totius congregationis consensu, minime vero aliter, nec alio modo sub poena infallibilis nullitatis, quae nequaquam subsanari poterit.

De casibus reservatis.

§. 487. 6. Poterit quoque idem capitulum generale casus aliquot pro tota congregatione reservare; in hac tamen reservatione caute procedet, ne jugum alioquin suave nimis durum constituat; amarat enim quandoque nimietas, quod poterat condire mensura. Quamobrem nonnisi pauca, graviora, et rariora crimina reservabit, quae scilicet ternarium numerum non excedant.

Declaratio specialis.

§. 488. 7. Non habebit tamen capitulum generale, aut aliud quodcumque hujus congregationis membrum potestatem ullam consentiendi, ut institutum ejusdem congregationis mutetur, aut praepositus generalis, vel priores quovis modo ultra triennium durare possint: quinimo pro religionis, et harum constitutionum indubitatis adversariis habebuntur quicumque id fieri postulaverint, vel consenserint.

Aliud monitum peculiare.

§. 489. 8. Notandum est etiam, quod praeses capituli non habet majorem potestatem, quam quilibet aliorum ipsius capituli, praeterquam in foro conscientiae; potest nihilominus negotia proponere, et illorum rationes explanare. Quod si rogatus noluerit quodlibet negotium proponere, id efficiet quilibet alius de corpore capituli, caeterique tenebuntur de rebus sic propositis sententias dicere.

De tempore quo protendi poterit capitulum generale.

§. 490. 9. Non poterit autem capitulum generale protendi ultra quindecim dies, nisi ex gravi aliqua necessitate, si duobus ex tribus partibus ejusdem capituli ulterius procedendum esse videatur, neque ipso durante ulli eorum, qui in eo vocem habent, ire licebit extra monasterium, in quo capitulum celebratur, nisi ex aliqua necessitate, et facultate ipsius capituli; exceptis tantum cancellario, et doctoribus, si universitatem adire opus fuerit.

De processu visitatorum.

§. 491. 10. Cum ergo visitatores processui suae visitationis finem imposuerint; poenitentiasque culparum decreverint, atque illarum cathalogum, suaeque visitationis instrumentum confecerint, et omnia supradicta ad exitum fuerint jam producta, cuncti vocales in capitulo adunati, et in terram se prosternantes, dicent — *Confiteor Deo etc.* Praepositus vero generalis confert absolutionem juxta facultatem sibi competentem, sicut fieri solet in vigilia Nativitatis Domini, dabitque omnibus benedictionem, qua capitulum generale finitum, et completum habetur.

Idem ut supra.

§. 492. 11. Statim dicti visitatores ad acceptandas electiones consiliariorum monasterii sanctae Crucis; approbandosque electos procedent

absque mora. Deinde totum conventum ad capitulum veuisrum convocabunt, visitationem suam eidem publicabunt, eamque exequentur juxta formam infra praescribendam. Quibus peractis, tam visitatores ipsi, quam reliqui omnes vocales capituli generalis ad monasteria sua cum pace remeabunt.

Caput V.

De visitationibus ordinariis.

De visitationibus ordinariis. §. 493. 1. Singula hujus congregationis monasteria bis unoquoque priorum triennio visitabuntur. Harum visitationum prima fiet in medio ejusdem triennii, secunda in fine, ad quas visitationes dictis temporibus faciendas, visitatores sub praecepto obedientiae obligamus, nulla alia vocatione, aut requisitione spectata.

Idem ut supra. §. 494. 2. In medio igitur cujuslibet triennii, videlicet prima die octobris anni secundi pater generalis, et collegae tenebuntur a monasterio sanctae Crucis proficisci ad visitationes in caeteris monasteriis successive conficiendas: quibus finitis, illico definitores ordinis, seu visitatores sanctae Crucis hoc adibunt monasterium, ut illud visitent; in eoque definitorium celebrent.

Idem ut supra. §. 495. 3. In fine vero triennii visitatores capituli generalis monasterium sanctae Crucis visitabunt, sicut fuit jam dictum: et peracto, ac dimisso capitulo generali, collegioque Sapientiae visitato, atque illius rectore confirmato, pater generalis, et collegae intra quindecim dies a dimissione capituli, vel intra octo a visitatione collegii proficisci tenebuntur in alia monasteria visitationes, ac electiones facturi.

Idem ut supra. §. 496. 4. Quod si pater generalis infirmitate, aut alio quocumque modo impediatur, nec ideo tamen praefatae visitationes, vel capitulum privatum ad aliud tempus deferri poterunt: sed ex tempio substitutus loco patris generalis assumet ex officio, ac substituet dum idem generalis fuerit impeditus. Si vero caeteri visitatores quovis modo impediantur, eorum loco eligentur alii, sicut fuit in secunda parte stabilitum. Si tandem aliquis ex visitatoribus inter visitandum moriatur, reliqui duo tertium ex gravioribus ipsius monasterii canonicis voce tenus eligent, qui simul secum visitationem compleant ejusdem domus.

Idem ut supra. §. 497. 5. Porro in visitationibus triennii dimidiati visitatores inquirent, corrigent, punient, ac emendabunt generaliter, tum priores, tum caeteros congregationis religiosos ad eum, qui sequitur modum.

Idem ut supra. §. 498. 6. Postridie statim quam ad visitandum quodlibet monasterium accesserunt, nisi fuerit dies festus, mandabunt ad capitulum signum dari, ad quod omnes religiosi ejusdem monasterii convenient. Postea visitator primus ad conventum breviter sermocinabitur de ratione adventus, ac visitationis suae, exhortans interim religiosos ad religionis observantiam, prout ipsi Deus inspiraverit.

Idem ut supra. §. 499. 7. Deinde praecipiant in virtute sanctae obedientiae omni conventui, ut unusquisque posthabito amore, odio, timore, ac favore, doctrinam observans evangelicam, pura, ac vera dicat, de quibus recte fuerit interrogatus, tam circa priorem, quam alios religiosos, monasterii statum, et aliam quamcumque rem emendatione dignam.

Idem ut supra. §. 500. 8. Praecipient etiam cunctis religiosis, ne conventicula faciant, neque de visitationis negotio tractent, aut loquantur, se se invicem ad aliquod falsum in visitatione dicendum, aut veritatem celebrandam inducentes.

Idem ut supra. §. 501. 9. Quoniam vero subditi frequenter a prioribus suis in capitulo veniarum corripiuntur, et emendantur, praecipimus visitatoribus, ne in perquirendis, ac puniendis eorum culpis levibus se se detineant, sed si quae hujusmodi ad eos deferantur, illarum correctionem remittant ad priores, ad quos utique visitandos, et corrigendos; visitatores praecipue destinantur.

Idem ut supra. §. 502. 10. Non admittant quoque denunciationes culparum, quas subsecutae sunt aliae visitationes: solum quippe denuntiari poterunt in prima visitatione postquam commissae sunt, vel in secunda, si de illis in prima non constiterat; nisi forte de aliquo gravi crimina determinate quod sciverint propalare jubeantur.

Idem ut supra. §. 503. 11. Non admittent etiam ad ordinariam inquisitionem eos, qui adhuc versantur in schola novitiorum, sed tantum canonicos capitulares, nisi relati sint, de aliis testibus, aut forte culpa gravis aliqua probanda sit, solisque testimoniis capitularium probari nequeat; tunc enim testimonia non solum eorum, qui ad tyrocinium pertinent, sed etiam saecu-

larium, si opportuna fuerint, recipi debent, et valebunt.

Idem ut supra. §. 504. 12. Caveant tamen visitatores, ne leviter omni spiritui credant, nec quemquam ex sola suspicione, aut praesumptione contemnent: idcirco a denuntiantibus diligenter quaerant, quomodo in notitiam devenerint culparum, omnesque circumstantias temporis, loci, et caeteras, quibus culpae minui, vel augeri possunt.

Idem ut supra. §. 505. 13. Non poterunt etiam visitationes hujusmodi protendi, neque visitatores manere in eodem monasterio ultra quindecim dies, si visitandum sit monasterium sanctae Crucis, aut Mafrae, et ultra decem dies in caeteris monasteriis.

Idem ut supra. §. 506. 14. Caeterum in fine triennii visitationes fient eodem prorsus modo, ac in medio triennii, nisi quod ratione electionis futuri prioris antequam visitatores suam incipiant inquisitionem, cantatur solemniter missa de Spiritu Sancto.

Idem ut supra. §. 507. 15. Deinde incipit capitulum generale, si visitatio fiat in monasterio sanctae Crucis; visitatoresque in ipso electi faciunt culparum inquisitionem; et in fine capituli generalis procedunt ad ejus exequutionem, et consiliariorum electionem modo supradicto.

Idem ut supra. §. 508. 16. In aliis vero monasteriis statim, finita missa de Spiritu Sancto, se recipiunt visitatores in domum aliquam destinatam inquisitioni faciendae, quam sub secreto usque ad absolutam futuri prioris, consiliariorumque electionem, et confirmationem habebunt, nisi privandus sit aliquis jure suffragii, secundum ea, quae supra dicta sunt.

Idem ut supra. §. 509. 17. Electo autem, et confirmato priore, ad eamdem inquisitionem tractandam, finemque visitationi imponendum redibunt, atque praeteritarum visitationum instrumenta rumpent.

Caput VI.

De inquisitione a visitatoribus facienda.

De inquisitione a visitatoribus facienda. §. 510. 1. Postquam visitatores in cubiculum visitationi paratum se receperint, et unum ex se ipsis in secretarium destinarint, qui denuntiationes, aut testificationes a primo quidem visitatore, ipsisque testibus subsignandas scribat; atque incolarum domus visitandae catalogum prae manibus habuerint, singulos capitulares successsive ad se vocare facient, a singulisque, priusquam ad interrogationes respondeant, de veritate dicenda recipient juramentum.

§. 511. 2. Deinde unumquemque interrogabunt primo de conventiculis, coeuntionibus, suasionibus, ac promissionibus, quas tum priores, tum alii religiosi visitationem timentes interdum facere possunt, ut eidem contradicant visitationi, et an praeteritae visitationis instrumentum bene fuerit observatum. De interrogationibus faciendis.

§. 512. 3. Inquirat secundo de statu, ac pace domus: an scilicet priores cum subditis, et subditi cum prioribus pacem et concordiam habeant, an officiales rite obeant, vel compleant officia sua, an officium chori semper integre, juste, ac decenter compleatur? An monasterii redditus indebite, et cum damno ipsius locentur, aut ejusdem bona contra jus alienentur? An quindennia solvantur, vel pecunia quotannis ad ea solvenda in aerario reponatur, vel inde quidquam auferatur? An domus sit, et qua ratione, debitis gravata? De aliis inquisitionibus faciendis.

§. 513. 4. Inquirat tertio de priore, num videlicet regulam, et constitutiones ordinis, definitiones, et mandata capituli generalis, instrumentaque visitationum custodiat, et custodire faciat? Num capitula veniarum frequenter agat? et culpas sine personarum acceptione castiget? Num subditis bonum exemplum praebeat, eisque de necessario victu; et vestitu provideat? Num intra clausuram semper residest, aut a monasterio egrediatur, praeterquam in casibus capite de clausura consignatis, nisi ut aliquod regibus, aut principibus obsequium praestet? Num sit prudens, ac diligens in monasterio, tam circa spiritualia, quam temporalia regendo? Num legatorum, et cappellarum obligationes, missas, et anniversaria compleri fecerit? et in fine cujuslibet anni rationem illarum a sacrista exegerit? Num subditis exeundi a clausura praeterquam in casibus constitutionum facultatem dederit? Num aliquem novitium receperit sine iis conditionibus, quae in capite de illorum receptione sunt praescriptae? Num absque mandato capituli redditus communes locaverit, aut aliquod aedificium, vel opus construxerit? Num aliquid aliud emendatione dignum patraverit? Idem ut supra.

§. 514. 5. Inquirat quarto quomodo, in religione servanda, se habeant singuli religio- Idem ut supra.

sic utrum nempe castitatem, obedientiam, paupertatem, silentium, abstinentias, clausuram, modestiamque observent? Utrum choro semper intersint? Orationi mentali nunquam desint? Missas frequenter celebrent? reprehensiones humiliter suscipiant? Literarum studio diligenter incumbant? Erga superiores, et se invicem quoque reverenter se gerant? Debitamque in sermonibus, vestibus, et actionibus honestatem servent? Utrum denique ex culpis gravioribus, vel etiam gravibus aliquam fortasse commiserint?

De responsionibus scribendis.

§. 515. 6. Quaecumque vero testes ipsi, vel denuntiantes ad praefatas interrogationes responderint, seu denuntiaverint, secretarius scribet, primusque visitator cum denuntiante, vel teste subsignabit.

Monitum speciale.

§. 516. 7. Illud autem notandum, quod si quis aliquid emendatione, denuntiationeve dignum sciverit, tam de priore, quam de caeteris religiosis, tenetur etiam non interrogatus id dicere si tale fuerit, ut probari possit, aut sit publica fama divulgatum.

Aliud monitum ut supra.

§. 517. 8. Notandum est etiam, interrogationes ita debent fieri, ut non personae, sed vitia dumtaxat nominentur, nisi forte crimen aliquod sit jam ab aliquibus testibus denuntiatum, vel fama publicum; quapropter visitatores ita caute se gerent, ut nulla nascatur infamia, vel dedecus, quibus antea non erat, aut si erat, ne augeatur juxta illud, quod in regula scriptum est *« Ne forte possit secretius correptus non innotescere caeteris »*, ac ideo quidquid in visitatione fuerat dictum, semper in secreto continebunt.

Caput VII.

De iis, quae a visitatoribus, finita inquisitione, fieri debent.

De iis, quae finita inquisitione fieri debent.

§. 518. 1. Inquisitione peracta, si visitatores invenerint aliquid emendatione dignum de priore, vel quocumque religioso a duobus, vel tribus testibus fuisse dictum, culpatos vocabunt, sacerdotesque audient sedentes, reliquos autem stantes.

Idem ut supra.

§. 519. 2. Si qui vero confiteantur quod de illis fuit denuntiatum, aut ipsis negantibus fuerit probatum; id scribant in suo memoriali, ut finita sua inquisitione, coram omnibus in capitulo reprehendantur, et juxta culpae qualitatem puniantur.

§. 520. 3. Qui tamen fuerint accusati, seu denuntiati de culpa aliqua secreta, tantum in secreto corripiantur, aut etiam coram iis tantum, qui delicti fuerint conscii, dummodo iisdem assistentibus in virtute sanctae obedientiae praecipiant visitatores, ut in secreto id contineant.

Idem ut supra.

§. 521. 4. Si illorum excusationes non satisfecerint, nec tamen in capitulo coram omnibus castigari debeant, eos rursus accersitos reprehendant, ipsisque justam poenitentiam secreto imponent, quam quidem illi genibus flexis accipient, ac adimplebunt.

Idem ut supra.

§. 522. 5. Deinde visitationis suae component instrumentum, in quo scribent ea, quae secundum Deum, et has constitutiones viderint emendatione digna. Maxime tamen cavebunt, ne in hujusmodi instrumento scribant culpas personam nominantes, nisi culpae sint manifesta crimina eorum, quos incorregibiles esse deprehenderint, vel qui alicujus magni scandali, aut perturbationis publicae fuerunt auctores.

Idem ut supra.

§. 523. 6. Quod si necessarium judicaverint, poterunt in alio instrumento secreto scribere culpas graviores, quas invenerint ab aliquibus fuisse commissas, notatis in eo nominatim earum auctoribus, et poenitentiis, quas illis injunxerint, quo futuri visitatores possint facile agnoscere, num eas impleverint, et se emendaverint. Hoc tamen instrumentum relinquent clausum, ac sigillo munitum in quodam scrinio intra communitatis arcam ad id deputato, scribentes foris in eodem instrumento, ne quis aperire audeat, nisi visitatores ipsorum successores, quibus dandum est ab iis, qui custodiunt illud, et ab ipsis postquam lectum fuerit, comburatur.

Idem ut supra.

§. 524. 7. Mox composito quoque memoriali poenitentiarum, quas delinquentibus decernunt in capitulo totius conventus, primum expedient, ac dimittent eos, qui ad tyrocinium pertinent, quibus dimissis primus visitator clamabit de delinquentibus. In primis priorem corripient, si corripiendus sit, eique suam infligent poenitentiam, in eum praecipue advertentes quem circa subditorum culpas in capitulis veniarum declamandas, ac puniendas, remissum invenerint, ac negligentem.

Idem ut supra.

§. 525. 8. Semper tamen respectum habebunt, attenteque ad officii laborem, ac dignitatem: idcirco priori, qui perstiterit in officio

Idem ut supra.

aliam non imponent poenam praeter jejunia, orationes, et flagellationes, quae ab ipsis visitatoribus infligantur; itemque, ut solo pane, et aqua reficiantur, nisi culpae sint graviores; tunc enim deponi, suspendive poterunt, sicut infra dicetur.

Idem ut supra. §. 526. 9. Dein caeteris canonicis capitularibus poenitentias pro ratione culparum imponent jam taxatas; harum tamen poenitentiarum exequutio vel statim fiet per ipsos visitatores, vel si temporis angustiae non permiserint, postea fiet per priorem, et hujusmodi poenitentias taxabunt, constituentque secundum ea, quae de culpis in prima parte fuerunt praescripta.

Idem ut supra. §. 527. 10. Praecipue vero corripient eos, qui frequenter a prioribus suis correpti nullum ostendunt emendationis fructum, sed in eisdem culpis contumaciter perseverant. Si quos autem invenerint pacis, et concordiae perturbatores, vel adversum priorem, ejusve mandata rebelles; vel qui occultant ea, quae sciunt, veritatem tacentes interrogati, vel qui de prioribus suis, caeterisve religiosis male denuntiant: eos graviter punient, corrigent, ac emendabunt.

Idem ut supra. §. 528. 11. Maxime tamen curabunt visitatores, ut observata ordinis disciplina domum visitatam in pace dimittant, neque relinquant capitulo generali quaestiones determinandas, quas ipsi judicio suo potuerint determinare.

Idem ut supra. §. 529. 12. Tandem vero legant publice in eodem capitulo instrumentum visitationis, quod relinquunt, cujus forma poterit esse ad eum, qui sequitur modum.

Idem ut supra. §. 530. 13. In Nomine Domini Amen. Domnus N. et domnus N. visitatores monasterii N. visitavimus dictum monasterium tam in capite, quam in membris, idque emendavimus, ac reformavimus quantum commode potuimus, et humana fragilitas patitur; specialiter autem reprehendimus haec, et haec......, et ordinamus, ac praecipimus illa, et illa...... Instrumentum hoc publicatum fuit omni conventui in capitulo datum anno Domini etc. » subscribantque illud, ac tradant scribae conventus, praecipientes, ut in prima futura visitatione ipsum tradat visitatoribus.

Idem ut supra. §. 531. 14. Deinde priori, caeterisque omnibus praecipient in virtute sanctae obedientiae, ut nemo illorum quempiam directe, vel indirecte inquietare praesumat, quia sciverit, vel suspicatus fuerit aliquid contra se in visitatione dixisse, nec ei unquam hac de causa verbo, vel opere gravis existat, quibus peractis, finem capitulo visitationis imponent, statimque abeant in pace.

§. 532. 15. Sed antequam visitatores a domo exeant visitata, ejusdem visitationis acta communia, et ordinaria apprime claudent, sigilloque muniant conventuali, et in quodam scrinio trium clavium ad id deputato inclusa apud se conservabunt usque ad capitulum generale, in cujus fine omnia sic sigillata, et occlusa cremabuntur, et haec omnia facere tenebuntur ipsi visitatores in virtute sanctae obedientiae. Idem ut supra.

Caput VIII.

De criminibus, ob quae deponendi sunt praelati.

§. 533. 1. Si visitatores in visitationibus suis invenerint aliquem priorem incurrisse in crimen aliquod ex illis, quae continentur in capite de culpis gravioribus, aut in simoniam manifestam, aut in crimen laesae majestatis divinae, vel humanae, vel in falsificatione literarum apostolicarum, vel principum, aut in pravam cum aliquibus concordiam ad transmutandum hujus congregationis institutum, vel praecipuas illius constitutiones abrogandas, vel impediendum, ne capitula generalia, praelatorumque electione statutis temporibus celebrentur: id separatim juxta formam juris conscribent; auditoque summatim priore reo, sententiam depositionis ferent, et in capitulo publicabunt, dicentes eidem coram omnibus « *Sedeatis in loco vestro* » statimque ad alterius prioris electionem procedent. De criminibus ob quae deponendi sunt praelati.

§. 534. 2. Vicarius autem illius domus habebit ejusdem regimen in spiritualibus et temporalibus quoad futurus prior eligatur. Quo electo, et confirmato, visitatores conventui publicabunt visitationem, quam fecerant, capitulumque terminabunt quemadmodum supra fuit jam dictum. Idem ut supra.

§. 535. 3. Quod si visitatores monasterii sanctae Crucis repererint priorem illius domus aliquod ex supradictis criminibus, propter quae caeteri priores sunt deponendi cum his: non tamen eum visitatores ipsi soli deponent, nec ab officio suspendant, sed convocabunt in Idem ut supra.

capitulum privatum alios ordinis visitatores in ipso sanctae Crucis habitantes, ubi praesidente substituto, si omnes sex, vel saltem duae ex tribus partibus ipsius capituli, memoratum priorem amovendum esse ab officio judicaverint, tunc eum deponent, a generalatuque vacabit ipso facto, vicario interim, dum novus prior eligitur, domus curam suscipiente juxta modum, et formam de aliis prioribus supradictam.

Idem ut supra.

§. 536. 4. Visitatores deinde per literas dicti generalis vacationem caeteris prioribus indicabunt: qui quidem priores in virtute sanctae obedientiae tenebuntur intra quindecim dies personaliter adesse in monasterio sanctae Crucis, ut eidem de priore, congregationique de praeposito generali provideant: et poterunt etiam cum prioribus venire canonici, qui ex privilegio interesse possunt capitulo generali quamquam monasteria neque eligere, neque mittere debeant procuratores.

Idem ut supra.

§. 537. 5. Porro visitatores, qui priorem sanctae Crucis totius congregationis generalem deposuerint; electionem futuri generali scrutabuntur, et electum confirmabunt; in ea tamen electione vocem passivam non habebunt.

Idem ut supra.

§. 538. 6. Iidem visitatores si a prioribus, vel quocumque vocali fuerint requisiti, tenebuntur coram omnibus ejusdem capituli vocalibus rationem reddere, cur priorem totius congregationis generalis deposuerunt, dummodo ea requisitio intra duos dies ab electione, et confirmatione fiat; sin minus ipsi visitatores adibunt.

Idem ut supra.

§. 539. 7. Caeterum, quia minus requiritur ad non confirmandum electum quam ad removendum ab officio jam confirmatum: si quis in priorem, vel consiliarium alicujus domus eligatur, de quo in visitatione constet culpam aliquam admisisse, ob quam voce activa, et passiva privari debeat, quamvis non sit ex numeratis hoc capite, eum tamen visitatores non confirmabunt, sed haec omnia conventui exponent, ut alterum eligant.

CAPUT IX.

De visitatione extraordinaria.

De visitatione extraordinaria.

§. 540. 1. Quamvis a correctione paterna debito modo facta, nemo appellare debeat, quia tamen justa defensio nulli deneganda est quoties hujus congregationis conventus, vel religiosus aliquis se a praelatis suis injuste gravamine oppressum senserit, recurrere ad ipsorum superiores valebit modo, ac forma sequenti.

Idem ut supra.

§. 541. 2. Si conventus, vel religiosus aliquis, aut religiosi monasterii sanctae Crucis a priore ipso generali, et solo, vel cum suis consiliariis, aut conventu injuste graventur: ille, vel illi, qui ita graventur humiliter rogent eum, ut ab illato gravamine desistat. Quod si desistere noluerit, intellexerintque necessarium esse ad visitatores recurrere, atque visitationem petere integrum factum, ejusdemque facti rationes scripto exponent visitatoribus.

De querelis excipiendis.

§. 542. 3. Visitatores autem postquam literas ejusmodi querelae, seu facti notitiam acceperint, statim super eo consilium inter se per literas quoque habebunt, factumque ipsum, et facti rationes sedulo perpendent. Quibus rite perpensis, ac examinatis, si judicaverint casum, sive materiam non esse visitationis, id rescribant ad recurrentes, ut humiliter, ac patienter sustineant. Si vero intellexerint materiam esse visitationis, extemplo scribent ad ipsum priorem generalem, ut statim a gravamine desistat sub determinatis poenarum comminationibus.

De correctione prioris.

§. 543. 4. Quod si memoratus prior adhuc noluerit a gravamine desistere, transactis decem diebus a tempore, quo visitatores scripserunt, illico tenebuntur in virtute sanctae obedientiae visitatores ipsi ad monasterium sanctae Crucis proficisci; ubi de praefato gravamine inquisitionem, ac visitationem conficient, utriusque partis rationes audient, causam definitive judicabunt, culpatosque acriter punient; vel recurrentes si non fuerant injuste gravati, vel praelatum, si fecerat injustum gravamen.

De aliis superioribus corripiendis.

§. 544. 5. In aliis autem monasteriis siquis gravamen aliquod a superiore vel solo, vel cum consiliariis, aut conventu patiatur, ad patrem generalem, et collegas recurrat, et in hoc recursu, tam a recurrentibus, quam a patre generali, et collegis, sub eisdem poenis, et praecepto servabuntur omnia quae, respectu monasterii sanctae Crucis, et visitatorum illius supra praescripta sunt.

De poenis contra impedientes recursus.

§. 545. 6. Ordinamus proinde sub poena culpae gravis, ut nemo etiam si sit praepositus generalis, hujusmodi visitationes, et recursus impedire, vel propterea religiosos, qui visita-

tionem petierint inquietare, aut molestia qualibet afficere praesumat.

Declaratio specialis. §. 546. 7. Caeterum pater generalis ex officio poterit cum collegis inquirere, ac decernere de quocumque gravamine, aut necessitate aliorum monasteriorum congregationis, etiam a nullo ipsorum conventuum, aut a persona aliqua particulari requisitus: quod itidem, eodemque prorsus modo respectu monasterii sanctae Crucis poterunt illius visitatores.

Caput X.

De capitulo privato, seu definitorio.

De definitorio. §. 547. 1. Capitulum privatum, seu definitorium a patre generali, substituto, collegis, tribusque ordinis definitoribus, sanctae Crucis visitatoribus, his fiet singulis trienniis in monasterio sanctae Crucis: primum quidem post generale capitulum, confectis jam electionibus, cunctisque monasteriis visitatis, secundum vero in medio triennii statim postquam visitatio monasterii sanctae Crucis fuerit facta.

De praeside definitorii. §. 548. 2. His autem capitulis pater generalis, aut eo quarumque ratione impedito, substitutus praeerit: qui quidem praesidens cuncta ibi tractanda, vel decernenda proponat, majoremque suffragiorum partem sequi semper tenebitur. Si vero praesidens quidquam proponere detrectaverit, unusquisque aliorum id proponere valebit, caeterique omnes suffragia ferre adstringuntur, quemadmodum ai a praeside ipso proponeretur.

De materiis in eo pertractandis. §. 549. 3. In his capitulis de communi totius congregationis, privatoque monasteriorum statu agetur, singulis in medium proferentibus quid noverit opus esse, ut omnia congregationis membra in charitate, pace, justitia, regularique observantia firmiter perseverent. Ideoque singulis monasteriis de habitatoribus, qui ad chori monasterium ad concionandum, ad confessiones excipiendas, ad theologiam moralem explicandam, et similia fuerint necessarii providebitur.

Idem ut supra. §. 550. 4. Religiosorum quoque libelli ex uno in aliud monasterium transferri supplicantium ibidem expedientur. Nam in capitulo generali ob lectiones, visitationesque futuras ordinarie non fient hujusmodi translationes, neque ante praedictas electiones executioni mandabuntur, licet concedantur, cum aequum non sit, ut quispiam a domo, in qua inhabitat, prius quam visitetur, transmigret in aliam, et crimina, quae ibi fortasse commisit, impunita remaneant.

De translatione canonicorum. §. 551. 5. Non poterunt tamen canonici a definitorio transferri, sive mutari ex una in aliam domum, nisi propter ipsorum supplicationes, justam mutationis causam assignantium, vel ad infirmitatem aliquam sublevandam, vel ob crimina punienda, aut scandala vitanda, vel propter necessarium alicujus domus servitium, seu ministerium.

Declaratio specialis. §. 552. 6. Verum haec necessitas monasteriorum non ad placitum definitorii solummodo computari debet, sed prius exponenda erit ab illorum prioribus definitorio; deinde audiendus est etiam prior illius domus, unde canonicus, aut canonici ab ipso jam designati definitorio transferendi sunt, forsitan quippe domus ipsa, in qua degunt, eamdem habebit necessitatem, et aequum non est altare unum denudari ad vestiendum aliud: tandem vero definitorium, vel consentientibus praelatis utriusque domus, vel comprobata majori alterutrius necessitate, canonicum, sive canonicos transferet, aut relinquet, prout magis expediri in Domino judicaverint.

De potestate definitorii. §. 553. 7. In eodem quoque definitorio nulla constitutio, vel definitio ad totius congregationis statum pertinens denuo condi poterit neque mutari, vel aboleri, quae per generale capitulum definita, ac decreta fuerint: neque illis se intromittere, quae per has constitutiones eidem capitulo generali commissa sunt, privatis dumtaxat casibus exceptis, de quibus in capitulo generali non fuit cogitatum, si periculum fuerit in mora, aut boni communis, alicujusve privatae domus congregationis damnum timeatur.

Idem ut supra. §. 554. 8. Sciendum tamen est, quod quando capitulum generale non providet, neque disponet de rebus, quae ad ipsum pertinent, necessarioque fieri debent, eo ipso censentur commissae definitorio: qualis est nominatio rectorum, procuratorum generalium, scholarium philosophiae, aut theologiae, et alia hujusmodi.

Idem ut supra. §. 555. 9. Sciendum est etiam praeter haec duo capitula ordinaria praeposito generali fas esse, extraordinarium quoque definitorium, et interdum etiam aliquem, vel aliquos ex prio-

ribus convocare, cum per temporis decursum aliquod negotium, vel negotia ardua occurre rint, quae ad capitulum generale deferri nequeant.

Idem ut supra. §. 556. 10. Nullum denique ex praedictis capitulis ultra duodecim dies protendi poterit; neque ulla fiat translatio canonicorum post terminatum medii triennii definitorium usque ad capitulum generale, nisi aegritudinis, criminumve, aut alia urgentissima necessitate, seu causa.

Caput XI.

De expensis, quae fiunt tempore capituli generalis, definitorii, ac visitationum.

De expensis necessariis ad capitulum. §. 557. 1. Ea, quae durante capitulo generali tum ad victum priorum, procuratorum, aliorumque vocalium, et eorumdem servitorum, tum ad alimentum equorum fuerint necessaria, expensis monasterii, in quo generale capitulum celebratur, comparabuntur; caetera vero, quibus dicti vocales ad iter opus habuerint, iidem a suis monasteriis, in quibus habitant, accipient.

Idem ut supra. §. 558. 2. Eodem modo sumptus, qui fiunt a visitatoribus ratione suarum visitationum, dumque veniunt ad capitulum privatum, exceptis itinerum, fient expensis domus, quae visitatur, aut in qua definitorium habetur.

Idem ut supra. §. 559. 3. Cum generale capitulum, vel definitorium, aut pater ipse generalis cum collegis suis (quando his transferre conceditur) religiosum aliquem ex una domo in aliam transtulerint, domus in qua degebat illi necessaria ad iter praebebit. Cum vero domus aliqua in priorem, aut in consiliarium elegerit quempiam, vel ad negotium, aut ministerium quodlibet sibi peculiare vocaverit, siva postulaverit aliquem, ab ipsa domo eligente, aut vocante, fient expensae.

Idem ut supra. §. 560. 4. Si pater generalis quemquam accerserit negotium aliquod, vel sibi, vel suae residentiae domui conficiendi causa, monasterium sanctae Crucis, illi expensas itineris, tam in adventu, quam in reditu suppeditabit. Si vero negotium ad commune totius congregationis bonum pertineat, omnia monasteria pro rata impensas suppeditabunt: dummodo et negotium, et expensae certo constent singulis monasteriis.

Idem ut supra. §. 561. 5. Infirmis demum, qui convalescendi, aut recreationis causa ad aliquod congregationis mittuntur monasterium, prior ipse domus, quam incolunt, omnia, quibus opus habuerint, praebere tenebitur.

Caput XII.

De capitulo conventuali, communique theca nummaria.

De capitulo conventuali. §. 562. 1. Capitulum conventuale nihil est aliud quam coetus canonicorum capitularium in aliqua domo cujuslibet monasterii cum superiore suo adunatorum. Hujus autem capituli est bonorum, ac redditum monasterii dominium, administrationemque habere.

De iis, quae in eo pertractantur. §. 563. 2. Hinc terrarum, bonorum, redituumque monasterii locationes, emptiones, venditiones, permutationes, acquisitiones, donationes, alienationes, dispositiones, et quicumque contractus celebrandi, servatis semper conditionibus a jure requisitis, ad capitulum pertinent conventuale.

Idem ut supra. §. 564. 3. Ad ipsum quoque spectat aedificia, vel quaecumque opera facienda determinare; lites movendas, aut sustinendas, et negotia quaelibet intra, vel extra congregationem gerenda in commune definire: monasterii praelatos, et consiliarios eligere, atque novitios ad tyrocinium, professionemque admittere, et approbare, vel reprobare, quemadmodum in capite de novitiorum receptione fuit stabilitum.

Idem ut supra. §. 565. 4. Superiores itaque omnia haec, et similia priusquam fiant, capitulo conventuali proponere, majoremque suffragiorum sequi partem, si adstringuntur, ut non solum quidquid aliter factum fuerit, irritum sit, ac inane, sed etiam, qui secus fecerit, poena culpae gravis, et suspensione ab officio pro mensura delicti sint puniendi, ut in paritate votorum selectio erit praesidentis.

Idem ut supra. §. 566. 5. Siquis insuper de corpore capituli ea, quae in eodem capitulo proponuntur, differri postulet in alteram diem, ut quae in uno capitulo fuerint proposita, decidantur in altero: id fiet licet unus tantum sit capitularium, qui hoc requirat, nisi sint lectiones priorum, et consiliariorum, aut tantum periculi sit in mora, ut in rem statim decernere opus sit. Et cum aliquod magni momenti ne-

gotium ibi fuerit propositum, si ab aliquibus, ut supra requiratur, decidendum erit per secreta suffragia: horumque scrutatores erunt praeses ipse capituli cum immediato consiliario, et scriba conventus, sicut fieri solet in receptione novitiorum.

Idem ut supra. §. 567. 6. Cum praeterea dubitaverit superior, an aliquod negotium occurrens capitulo proponi debeat nec ne: dubitationem tenebitur simul cum consiliariis intra biduum resolvere, ac determinare. Si quis igitur capitularium quodlibet negotium in capitulo proponi debere censuerit, id priori, consiliariisque supplicabit, ut ab ipsis determinetur.

Idem ut supra. §. 568. 7. In iis demum capitulis omnes canonici capitulares ipsius domus accolae sacros ordines habentes definitivo gaudebunt suffragio: unusquisque palam, ac libere in iis dicat supra rem praepositam quidquid justum esse judicaverit: nec propterea superiores quemquam ibi punire valebunt; si quis enim verbis, aut factis ibi, sicut et alibi deliquerit, postmodum in capitulo veniarum a superiore corripietur, et emendabitur.

Idem ut supra. §. 569. 8. Si tamen res aliqua, vel negotium in capitulo conventuali decernendum alicujus ex vocalibus ejusdem capituli fuerit, aut ipsius consanguineorum usque ad quartum consanguinitatis gradum; hic ab eodem capitulo egrediatur, interea dum res ipsa proponitur, ac determinatur, quod item in capitulo generali, definitorio, similibusque coetibus, aut tribunalibus observabitur semper.

Idem ut supra. §. 570. 9. Ut autem redditus, et bona communia melius, ac tutius administrentur, erit in quadam uniuscujusque monasterii secura domo ad id ordinata quaedam arca, seu theca nummaria tribus diversis clavibus semper occlusa, quarum primam habebit prior, secundam camerarius, tertiam scriba conventus, nullusque duas simul habere poterit.

De arca pecuniarum. §. 571. 10. In hac vero arca omnis pecunia ex redditibus, fructibus, et bonis communibus proveniens reponatur, atque inde camerario, procuratori, aliisque officialibus ad expensas communes a praefatis claviculariis necessaria pecunia dabitur; nihil tamen inde extrahi poterit, quia prius id a scriba conventus scribatur, sive referatur in librum quemdam in eadem arca inclusum, ad idque destinatum, et ab iisdem tribus claviculariis, officialique pecuniam recipientes subscribatur.

Caput XIII.

De obligatione, interpretatione, et lectione istarum constitutionum.

§. 572. 1. Illud tandem in calce istarum constitutionum sciendum est, neminem scilicet, qui contra eas aliquid commiserit, ad ullam poenam illarum, quae hic constituuntur, obligari, nisi cum illius superior poenam ipsam, et nominatim ob culpam admissam indixerit: excepto tamen si in constitutione scriptum sit ejus culpae reum ad poenam in constititutione taxatam teneri ipso facto. De poenis in peccantes contra constitutiones.

§. 573. 2. Sed ne ad peccatum quidem mortale, aut veniale harum constitutionum violatione quisquam obligatur, nisi violando juramentum clausurae; vel quando aliquod reperitur in eis praeceptum in virtute sanctae obedientiae, vel sub excommunicationis poena; aut propter contemptum, aut aliunde, sive si alio ex capite obligetur. Idem ut supra.

§. 574. 3. Siquid autem in his constitutionibus, aut in aliis secundum istarum praescriptum condendis ambiguum, seu obscurum repertum fuerit, ejus interpretatio, vel declaratio ad capitulum generale pertinebit, ut ex sententiis majoris partis vocalium, consulto etiam apostolico Portugalliae nuntio, lex dubia declaretur, ac definiatur. Idem ut supra.

§. 575. 4. Quod si necessitas postulaverit, ut ante capitulum generale praedicta obscuritas explanetur; si dubitatio praesertim versetur circa definitionem aliquam, vel decretum capituli generalis: pater generalis cum substituto, collegis, ac definitoribus, consultis etiam per literas quatuor, vel quinque ex patribus, qui generali capitulo proxime praeterito interfuerunt, legem dubiam interpretabuntur, ita tamen ut postmodum res tota ad capitulum generale approbanda, vel reprobanda deferatur. Idem ut supra.

§. 576. 5. Et quoniam per magni interest unumquemque leges, quibus parere debet, optime perceptas, et comprehensas in promptu habere; dabunt operam singuli hujus congregationis religiosi, ut constitutiones, quae quidem ad se pertinent, diligenter addiscent, memoriaeque mandent, curabuntque superiores, ut in id studium, tam universi, quam singuli incumbant in quocumque monasterio. Ac ideo sive in capitulo, sive in refectorio coram con- Idem ut supra.

ventu bis saltem singulis annis tempore adventus, et quadragesimae, aut quo commodius visum fuerit, clara voce legantur.

Declaratio specialis.

§. 577. 6. Postremo sciendum est per constitutionum istarum confirmationem, et promulgationem caeteras omnes leges, vel privilegia, vel constitutiones, vel definitiones, vel concessiones, vel consuetudines, quae hactenus, aut a Sede apostolica, aut a capitulis generalibus, aut reformatoribus, aut a quoquam alio fuissent conditae, seu confirmatae, vel etiam juramento roboratae omnino abrogari, ita ut canonici regulares praefatae congregationis ad has tantum praesentes constitutiones deinceps teneantur, et per eas congregatio ipsa tantummodo gubernetur.

Preces porrectae pro confirmatione constitutionum, et tenor illius.

§. 578. Quas Nobis nuper exhibitas, ut ipsae firmius subsistant, et serventur exactius apostolica auctoritate communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur prius praeinsertis constitutionibus debite expensis, iisque sacri concilii Tridentini, aliisque canonicis sanctionibus, ac etiam ordinis praedicti regulis nedum non adversari, sed apprime convenire adinventis, ac in praedictorum canonicorum in Nos, et sanctam Sedem apostolicae fidei, et devotionis merita paterne dirigentes considerationis intuitum, eorumque precibus etiam in hac re, quantum in Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas constitutiones auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus pariter, et approbamus, eisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 579. Decernentes has praesentes literas, et constitutiones praeinsertas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 580. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, quibusvis etiam dicti ordinis juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decimaoctava junii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDL.

Dat. Romae die 23. junii 1783. Anno IX.

Confirmatio privilegiorum concessorum ecclesiae sancti Nicolai civitatis Tolantini, illiusque erectio in basilicam minorem.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Supremus ille, et diligens pater familias, qui ab origine mundi plantavit vineam suam, universalem scilicet Ecclesiam, in eam quotidie non destitit mittere operarios, quorum assiduitate culturae, illa vepribus expurgata fructum afferret vel centesimum, vel sexagesimum, vel trigesimum: hinc ante Incarnationem misit in eam patriarchas, et prophetas, virosque sanctissimos, qui portaverunt pondus diei, et aestus; postquam autem venit plenitudo temporis, ac Dei sapientia per assumptam humanitatem genus humanum de tenebris, et umbra mortis, in qua sedebat, eduxit, illudque a diabolicae potestatis jugo, sub quo tenebatur, liberavit; in primis sanctos constituit apostolos, qui vineam hanc, et fidei fervore, et praedicationis verbo per universum propagarunt orbem, iisque adjunxit splendidos martyres qui fidei lorica induti adversus potestatum tenebrarum conatus, veluti fortes Dei athletae, inter ingentes corporis cruciatus profuso sanguine illam irrigarunt; progressi sunt, et doctores, qui suis doctrinis, et exemplo illam a falsis, et iniquis agricolis, et pastoribus defensarunt; et tandem secuti sunt confessores, qui omnia mundi blandimenta fugientes, jejuniis, ac corporis macerationibus repugnantem carnis legem in servitutem redigentes, illam per eorum sanctitatis exempla undique coruscare, ac suavissimum odorem afflare fecerunt, inter quos splendidum locum tenere videtur beatus Nicolaus da Tolentino.

Numerantur concessiones factae a summis pontificibus in favorem ecclesiae civitatis Tolentini conditae ad honorem sancti Nicolai.

§. 2. Ille enim vivens, divina in omnibus juvante gratia, corpus suum jejuniis, ac vigiliis castigando, orationibusque insistendo difficilem, et arctam vitae viam est ingressus, unde jam pridem post irrefragabile catholicae ecclesiae judicium, quo a fel. rec. Eugenio pp. IV. in sanctorum cathalogo fuit adscriptus, per suas literas kalendas febr. MCCCCXLVI. expeditas, inter amicos Dei cum ipso in coelis regnantes ubique terrarum honoratur, et colitur. Illius autem corpus, quod cum vitiis, et concupiscentiis crucifixit, singularibus signis, atque prodigiis de coelo illustratum, atque astantibus omnium ordinum studiis, ita populorum, et principum devotione clarificatum fuit, ut ecclesia in civitate Nostra Tolentini in suum honorem confecta, in qua suae mortales exuviae reconditae sunt, undique celebris, ac famosa sit; quamobrem quamplurimi Romani pontifices, inter quos praesertim fel. rec. Bonifacius IX, Sixtus V., et Clemens X. omnes praedecessores Nostri, cum tot, tantisque signis servum suum omnipotens Deus in brachio extento clarificasset, et per universum terrarum orbem mirabilium praeconia diffunderentur, ad magis magisque Christifidelium in ipsum excitandam devotionem pluribus privilegiis, ac gratiis spiritualibus memoratam ecclesiam cumularunt; Nosque etiam per Nostras in simili forma Brevis anno MDCCLXXIX. expeditas literas, secundum altare privilegiatum perpetuum eidem ecclesiae concessimus.

Confirmatio praedictarum concessionum, et erectio ecclesiae in basilicam minorem.

§. 3. Venerabilium itaque praedecessorum Nostrorum exemplis Nobis propositis, eorumque vestigiis insistens ad ejusdem ecclesiae splendorem, ac decus augendum, cumulandumque, libenter adducti sumus, precibus etiam Nobis a dilecto filio Romano Augustino Roberti ordinis sancti Augustini congregationis observantiae Lombardiae procuratore generali, nomine, etiam totius congregationis praedictae hisce desuper porrectis annuentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine omnia, et singula privilegia spiritualia a memoratis praedecessoribus Nostris dictae ecclesiae concessa, dummodo non sint actu revocata, seu sub aliqua generali revocatione comprehensa, sed in viridi sint observantia, Nos etiam apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, et innovamus; eamdem ecclesiam sancti Nicolai in basilicam minorem cum omnibus, et singulis privilegiis, gratiis, praeeminentiis, exemptionibus, et indultis, quibus aliae ecclesiae basilicae minores quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere consueverunt, auctoritate, et tenore praesentis erigimus, ac talem ex nunc in futurum perpetuo esse, et fore decernimus, eamque ecclesiam basilicam nuncupari, et haberi volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sic-

que in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisque omnibus, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII junii MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 16. julii 1783 Anno IX.

CDLI.

Convictricibus monasterii, seu congregationis sancti Philippi Nerii vulgo le Filippine de urbe indulgetur, ut obtinere valeant subsidia dotalia, quae per confraternitates urbis distribuuntur.

Dilecto filio Nostro in alma urbe vicario in spiritualibus generali.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae moniales, seu convictrices monasterii, seu congregationis sancti Philippi Nerii, vulgo le Filippine nuncupatae de urbe Nobis nuper exponi fecerunt, quod ipsae in congregatione praefata, non aliud, quam perseverantiae votum emittant, nihilominus puellas tam de praesenti eidem congregationi adscriptas, quam in posterum adscribendas ad dotes, sive subsidia dotalia, quae per archiconfraternitates, confraternitates, aliaque loca pia, et personas dictae urbis ad effectum monachatus dispensari solent consequenda, ac obtinenda habilitari, atque capaces reddi plurimum desiderant, quemadmodum puellae, quae in monasterila, seu congregationibus beatae Mariae Septem Dolorum, oblatarum turris Speculorum, sanctissimi infantis Jesu, sanctae Rufinae, et oblatarum Camaldulensium nuncupatarum de eadem urbe recipiuntur, quacque licet pariter nullum inibi religionis votum emittant, ad dotes tamen, sive subsidia dotalia hujusmodi admitti consueverunt; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, ac quorumcumque testamentorum, aliarumque etiam ultimarum voluntatum, ac dispositionum tenores, et alia quaecumque etiam specificam, et individuam mentionem, ac expressionem requirentia pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; circumspectioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, quatenus monialibus, ac convictricibus praedictis, ut ipsae dotes, et subsidia dotalia pro monachandis destinata a quibuscumque archiconfraternitatibus, confraternitatibus, aliisque locis piis urbis praedictae, ac personis quibusvis, ad quas dotium, et subsidiorum dotalium hujusmodi dispensatio, sive distributio nunc spectat, et pro tempore spectabit, consequi, et obtinere libere, licite, et valide possint, et valeant; ita tamen, quod eadem congregatio in forma juris valida, se obliget de restituendo dictas dotes a locis piis ipsis exponentibus collatas, in casu non perseverantiae auctoritate apostolica pro tuo arbitrio, et prudentia concedas, et indulgeas, dictasque moniales, et convictrices ad praemissa habilites, ac habiles, et capaces declares.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus quorumvis testatorum, ac piorum largitorum etiam ultimis voluntatibus, et dispositionibus, quas propter praemissa sufficienter, et expresse commuta-

mus, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non archiconfraternitatum, confraternitatum, aliorumque locorum piorum praedictorum, et aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum non intendimus per praesentes supradictam congregationem in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta julii millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLII.

Dat. Romae die 9 aug. 1783. Anno IX.

Concessio diversarum indulgentiarum assequendarum in ecclesiis clericorum regularium Theatinorum juxta speciem operum piarum ibidem praestandarum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad ea, per quae animarum Christifidelium salus procuratur, libenter intendimus, et eorumdem Christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, coelestium munerum elargitione libenter fovemus, et incitamus.

Tenor concessionis.

§. 2. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, et singulis clericis regularibus Theatinis nuncupatis, ac aliis utriusque sexus Christifidelibus confratribus, et consororibus quorumlibet oratoriorum, congregationum, societatum, et confraternitatum, tam hactenus in eorumdem clericorum regularium ecclesiis erectorum, quam in posterum erigendorum, qui per quadrantem horae orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos septem annos de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; iis vero, qui devotioni hujusmodi per duos quadrantes continuatos, vel saltem per quadrantem horae singulis diebus dabunt operam, et interdum vere poenitentes, et confessi sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae, ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint misericorditer in Domino concedimus. Insuper quod dicti clerici regulares pro oratione mentali, ad quam ratione eorum regulae, et constitutionum in duabus vicibus quolibet die tenentur, praedictas omnes indulgentias, et peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari, et consequi possint, et valeant etiam in Domino misericorditer indulgemus.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 3. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, quodque praesentium transumptis, etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die IX aug. MDCCLXXXIII, pontificatus Nostri anno nono.

CDLIII.

Dat. Romae die 19 aug. 1783. Anno IX.

Suppressio, et extinctio archiconfraternitatis ss. Catharinae, et Ursulae de urbe, ut concessio ejus ecclesiae, et mansionum congregationi presbyterorum saecularium de ecclesiastico Subsidio nuncupatae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad uberes, ac suaves fructus, quos dilecti filii presbyteri saeculares congregationis de Subsidio ecclesiastico nuncupatae in alma urbe Nostra sub invocatione Beatae Mariae Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli alias erectae, et a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessore Nostro per suas apostolicas literas die prima martii MDCCXLIX. sub plumbo datas confirmatae in dies in eadem alma urbe afferunt, quippe quia pauperes adolescentes Romanos, qui in sortem Domini sunt vocati, ne dum ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia efformari, bonisque moribus imbui student, verum etiam temporalibus subsidiis, eorum indigentiis jugiter occurrere non desistant, mentis Nostrae aciem convertentes quidquid laudabili hujusmodi instituti, felici directioni, ac progressui conferre posse conspicimus, diligenter providere, ac desuper officii Nostri partes propensis studiis interponere gestimus, prout in Domino expedire arbitramur.

Memoratur suppressio decreta archiconfraternitatis ss. Catharinae, et Ursulae urbis.

§. 2. Sane cum Nos alias multis rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus in visitatorem apostolicum archiconfraternitatis sub invocatione, et titulo sanctarum Catharinae, et Ursulae in eadem alma urbe erectae dilectum filium Nostrum Franciscum Xaverium Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem de Zelada nuncupatum deputaverimus, ac mature omnibus perpensis de ejusdem Francisci Xaverii cardinalis consilio dictam archiconfraternitatem supprimi, ac prorsus extingui decreverimus, dilecti filii presbyteri deputati congregationis praedictae Nobis humiliter exponi fecerunt, quod cum eadem congregatio neque ecclesiam, neque oratorium obtinet, in quo aliquae sacrae functiones juxta suum institutum exercere possit, sed dumtaxat cappella in parochiali ecclesia sub invocatione sancti Stephani in Piscinula pariter de urbe, ibique superiori cubiculo, in quo deputati praedicti certis statutis temporibus, ad ea agenda, quae eorum sunt instituti conveniunt, utatur ac fruatur, proficuum satis foret quoties ecclesia, et mansiones ad dictam archiconfraternitatem spectantes, ipsis concederemus.

Bona praedictae archiconfraternitatis conceduntur congregationi presbyterorum saecularium de ecclesiastico subsidio nuncupatae.

§. 3. Nos precibus humiliter Nobis porrectis libenter annuimus; ast dum de horum remotione agebatur, dilecti filii canonici, et capitulum collegiatae ecclesiae sancti Marci de urbe, ob quoddam instrumentum die xxx. decembris MDCLXII. stipulatum, tamquam domini directi ejusdem ecclesiae ob dictae archiconfraternitatis suppressionem regressum ad eamdem ecclesiam persecuti sunt, eaque propter memorati exponentes quaedam pacta dominium directum ejusdem ecclesiae significantia cum canonicis, et capitulo praedictis inierunt, hisce tamen sic conventis dilectae filiae moniales oblatae Turris Speculorum de urbe ob instrumentum die decima julii MDCXCIII. inter ipsas ex una, ac capitulum sancti Marci praedictum stipulatum postularunt, ut cessio dictae ecclesiae esset de eorum manibus acceptanda, utque quaevis conventio cum dicto capitulo facta sine suo consensu nulla esset; novos itaque tractatus exponentes praedicti suscipere debuerunt cum dictis monialibus oblatis, unde postmodum convocatis etiam deputatis dicti capituli sancti Marci fuerunt initae conventiones tenoris, qui sequitur.

Tenor conventionum initarum inter capitulum sancti Marci, moniales oblatae turris Speculorum, et dictam congregationem presbyterorum.

§. 4. I. Che siccome era solita l'arciconfraternita di presentare ogni anno al capitolo la vigilia di s. Marco libbre quattro di cera in ricognizione del diretto dominio, così questa stessa oblazione debba farsi in avvenire da un sacerdote della congregazione del Sussidio vestito di abito talare con un chierico presentando la stessa quantità di cera al canonico celebrante parato per i primi vesperi.

II. Che il giorno 6. dicembre festa di s. Niccola di Bari possa il capitolo a suo beneplacito andare in corpo a cantare la messa nella chiesa delle ss. Catarina, ed Orsola, il che s'intenda solamente finchè continuerà la congregazione del Sussidio nel possesso della suddetta chiesa. In tale occasione dovrà il capitolo portare del proprio tutto ciò, che sarà necessario, alla riserva delle candele per l'altare, e per gli accoliti, e delle torce per l'elevazione, che saranno somministrate dai deputati della congregazione del Sussidio, quali faranno ancora servire la messa cantata dai loro chierici.

III. Che non meno di sei chierici della congregazione del Sussidio vestiti di cotta da somministrargli dal capitolo debbano assistere alli primi, e secondi vesperi, e messa cantata

per la solennità di s. Marco. Come ancora debbano intervenire alla solenne processione, che si fa dal capitolo il mercoledì fra l'ottava del Corpus Domini, ed alle comunioni generali, che si fanno fra l'anno agl'infermi della parrocchia. I suddetti chierici vestiti di cotta, e con torcia in mano da somministrarglisi parimenti dal capitolo avranno il luogo in tutte le funzioni immediatamente dopo li canonici, con precedenza a tutti li cappellani del capitolo.

IV. Che rimanga sempre fermo il titolo della chiesa con l'Invocazione dalle ss. Catarina, ed Orsola, come ancora rimanga fermo in detta chiesa l'altare dedicato a santa Francesca Romana, di cui dovrà solennizzarsi la festa il dì 9. marzo, e cantarsi la messa dalla congregazione del Sussidio a sue spese.

V. Che rimangano sempre fermi i patti, e le convenzioni stabilite nei sopradetti istromenti dei 30. dicembre 1662, e 10. luglio 1693. alle quali non s'intenda fatta veruna innovazione, anzi s'intendano espressamente riservate al capitolo di s. Marco, ed alla venerabile casa di Tor de' Specchi tutte le ragioni, prerogative, e diritti, che in vigore di detti istromenti gli competono.

Confirmatio suppressionis confraternitatis concessionis bonorum et transactionis initae.

§. 5. Nos igitur memoratam congregationem, ac exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacomque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praevia dictae archiconfraternitatis sub invocatione, ac titulo sanctarum Catharinae, et Ursulae de urbe suppressione, et extinctione, prout auctoritate apostolica harum serie eam supprimimus, ac extinguimus ecclesiam una cum adnexis mansionibus alias ad archiconfraternitatem, ut praefertur, suppressam, et extinctam spectanctes memoratae congregationi presbyterorum saecularium de Subsidio ecclesiastico nuncupatae sub invocatione beatae Mariae Virginis, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli una cum omnibus honoribus, et oneribus auctoritate, et tenore praedictis concedimus, attribuimus, et donamus. Ut porro omnes praeinsertae conventiones firmius subsistant, et serventur exactius, auctoritate, et tenore paribus eas perpetuo confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper intervenerint, omnino supplemus, et sanamus. Insuper ut instrumentum super praemissis conventionibus, et pactis stipuletur, volumus, ac mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia planissime suffragari, et ab eis respective, inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum dispositionibus, testamentis, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, et applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis, quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non archiconfraternitatis hujusmodi etiam juramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum in-

sortia habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 16. septembris 1783. Anno nono.

CDLIV.

Facultas utendi velo nigri coloris pro sororibus conservatorii sanctae Marthae civitatis Elborensis ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo nuncupatae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae superiorissa, et reliquae sorores professsa congregatae in conservatorio sanctae Marthae civitatis, et dioecesis Elborensis ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo regularis observantiae, quod, cum ipsae jamdiu clausurae legi sese ultro subjecerint, ac statuta regulae ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo amplexae sint, vitam communem observent, horas canonicas, et officia divina in choro recitent, aliaque officia, et exercitia regularia non sine populi aedificatione adimpleant, velo nigri coloris, ad instar aliarum monialium, uti posse, a Nobis concedi plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut ipsae exponentes, et futurae dicti conservatorii sorores professae velo nigri coloris ad instar aliarum monialium tam publice, quam privatim uti, illudque gestare libere, ac licite possint, ac valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conservatorii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 19. septembris 1783. Anno nono.

CDLV.

Statuitur alternativa quoad officia inter fratres ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum provinciae utriusque Castellae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis officii, quod, auctore Deo, gerimus, cura animum Nostrum sollicitat ad ea peculiari paternae charitatis studio statuen-

da, per quae Christifidelium divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatorum quieti, et felici regimini opportuna rationibus consulatur.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum Nobis nuper fuit, quod cum in provincia fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum duarum Castellarum, ex quo provincialatus, aliaque officia ejusdem provinciae inter nationales Castellae Novae reservata quodammodo viderentur, plures dissentiones, ac animorum studia inter ejusdem provinciae alumnos exorta sint, nullum aliud remedium hisce malis, ac pro pace, et tranquillitate in eadem provincia firmiter stabilienda afferri posse arbitretur, quam instituendo alternativam, seu turnum inter fratres utriusque Castellae, tum pro provincialatu, cum etiam pro aliis ejusdem provinciae muneribus, ut hinc servato, quantum fieri potest, inter duas ejusdem provinciae partes equilibrio, et aequitate omnis controversiarum occasio tollatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsius Karoli regis catholici votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, ac fratrum, ordinis, et provinciae praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, at poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, at absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut in posterum alternis vicibus de trienoio in triennium frater nationalis regnorum Castellae, et Leonis, et suorum aggregatorum comprehensis portubus in illa ora existentibus, et frater nationalis regni Toletani, et suorum aggregatorum comprehensis portubus ex altera regione itidem existentibus in provincialem eligatur; ita ut uno triennio ex fratribus Castellae, et Leonis provincialis deputetur, altero vero subsequenti triennio ex fratribus regni Toletani, ut praefertur, provincialis pariter eligatur, auctoritate apostolica statuimus, et ordinamus.

Declarationes speciales.

§. 4. Quoties vero provincialis ex fratribus regni Castellae, at Leonis erit electus, tunc, ut unus dumtaxat collega ejusdem nationis nominetur; caeteri vero duo e nationalibus regni Toletani constituantur, et sic e converso pariter mandamus, sex porro definitores erunt ita inter utriusque nationis alumnos distribuendae, ut quaelibet tres obtineat; provincialis, nisi transactis tribus trienniis, et collegae, et definitores nisi transactis duobus trienniis ad munera hujusmodi reeligi non poterunt. Quod si provincialis durante suo munere moriatur, sigilla erunt consignanda collegae suae nationis usque ad praefixum terminum, in quo ad conficiendum triennium erit alter ejusdem nationis in provincialem eligendus; commissarius deputandus, ut capitulis generalibus adsit, erit ab ea natione sumendus, de qua non est provincialis; ita ut dictis capitulis unus frater pro qualibet natione adsistat; si autem provincialis extra regnum, ut celebrationi capituli generalis adstet, esse contingat, in vicarium provincialem unus sibi nationalis erit eligendus, sicuti pariter erit deputandus vicarius nationis provincialis, qui in eventum, quod ipse ad capitulum generale non accedat, ut capitulo hujusmodi adsit; tandem, ut omnibus occurratur futuris incommodis volumus, ut in posterum correctoratui Matritensi, et cathedrae philosophiae alternis pariter vicibus ex utriusque nationis alumnis eligantur; ita tamen, ut nominatio praedicatorum conventualium in arbitrio provincialis dumtaxat non sit posita, sed munera hujusmodi non erunt amovibilia ad nutum, ac provincialis una cum collegiis per suffragia secreta praedicatores conventuales nominabunt, iis tamen semper prohibitis, qui cathedris theologiae concorsi erunt, quique aliis necessariis requisitis ad hanc viam sectandam usque ad jubilationis de justitia consecutionem polleantur, nisi aliter urgens causa suadeat. Praedicatores vero hujusmodi prius quam munere suo fungantur examen subire tenebuntur, cui praeter provincialis collegas, et definitores duo etiam jubilati ex cathedra, quorum unus sit nationis Castellae, et Leonis, alter regni Toletani adsistant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari;

sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit provinciae, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 18. septembris 1783. anno nono.

CDLVI.

Licentia monialibus monasterii sancti Simeonis della Martorana nuncupati civitatis Panormitanae egrediendi quatuor vicibus singulis annis e clausura dicti monasterii.

Venerabili fratri archiepiscopo Panormitano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor precum porrectarum a monialibus pro assequenda licentia.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii sancti Simeonis nuncupati della Martorana ordinis sancti Benedicti civitatis Panormitanae, quod cum ipsius civitatis aer gravis per se ipsum sit, et humanis corporibus insalubris, praesertim quibus non est liberum motu, et ambulatione se se exercere, dictum vero monasterium in ea civitatis parte situm sit, quod prae reliquis est magis sanitati noxium, unde ipsae exponentes adversa identidem utuntur valetudine; ipsae ad avertenda hujusmodi incommoda, ac ut benevolentes divinis obsequiis impensius vacare possint, aliquoties infra annum ab ipsius monasterii clausura egredi posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut, veris existentibus narratis, eisdem, et pro tempore existentibus dicti monasterii monialibus pro gratia, nempe quatuor vicibus singulis annis tempore veris pro duabus diebus, et aliis duabus tempore autumni, praevia tamen tua singulis vicibus licentia auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas; ita tamen, ut accessu, et recessu in curru incedant, sine comitatu, quam personarum monasterii servitio monasterii addictarum, et vicarii in spiritualibus generalis, vel alterius probi, et prudentis sacerdotis a te destinandi, et praeter ecclesiarum visitationem, et moram in allocutoriis aliorum monasteriorum non divertant, nec accedant ad alias particulares domos etiam nobilium ipsarum monialium consanguineorum, a virorum frequentia se abstineant, publicis spectaculis non intersint, sed eam servent modestiam, quae Deo sacratas virgines decet, et cum aliis cautholis per te juxta opportunitatem praescribendis, et ante solis occasum ad proprium monasterium revertantur, sub poenis contra violantes clausuram impositis in casu contraventionis omnino incurrendis.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii,

et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLVII.

Dat. Romae 3 octobris 1783 An. IX.

Plenipotentia domino cardinali Pallavicino ad concludendum quemdam tractatum super controversiis exortis inter rempublicam Venetorum, et sanctam Sedem.

Dilecto filio Nostro Lazaro Opitio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Pallavicini nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor mandati collati ad controversias componendas.

§. 1. Pro paterna illa, qua dilectos filios nobiles viros ducem, et rempublicam Venetorum semper complexi fuimus, et adhuc complectimur charitate, quamcumque patrem inter, et filios exortam dissentionem componi, seu potius, quamvis illius imaginem, sive umbram tolli penitus, ac dissipari cupientes motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, te, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, ad amicabilem tractatum proponendum, ac debito fine concludendum cum dilecto filio Andrea Memo dictorum nobilium virorum ducis, et reipublicae Venetorum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratore omnes controversias de, et super derivatione, et cursu tum aquarum loci della Presa, seu districtus Tessaroli Veneti padum pontificium Ferrariensem versus, seu *Poazzo pontificio Ferrarese*, tum etiam aquarum alterius loci in vocabulo *della Veneta valle Grecona* territorium versus Ferrariense distencta exortas in Nostrum, et dictae Sedis plenipotentiarium tenore praesentium nominamus, constituimus, et deputamus, tibique, ut Nostro, et dictae Sedis nomine una cum memorato Andrea super controversiis hujusmodi agere, tractare, et concludere, ac conditiones, et pacta subinde conventa subscribere, et firmare libere, et licite possis, et valeas plenam et amplam facultatem harum serie tribuimus, et impertimur. Decernentes validum, et efficax fore quidquid earumdem vigore praesentium tu egeris, tractaveris, et conclusaris, id omne, quantum in Nobis est, acceptum, gratum, firmumque, ac ratum habere, nec non observare, complere, et exequi in verbo Romani pontificis promittentes.

Derogatio contrariorum.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLVIII.

Dat. Romae 21 novembris 1783, anno nono.

Monialibus sanctae Catharinae Viterbii conceditur indultum admittendi sarcinatricem intra claustra monasterii.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a monialibus monasterii.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales monasterii sanctae Catharinae Viterbii ordinis sancti Dominici, quod cum interdum tum pro vestitu puellarum inibi in educatione degentium, tum etiam pro aliqua necessitate earumdem monialium occurrat, sarcinatricem ad monasterium praedictum accersire, quae cum intra claustra monasterii admitti nequeat, in vestibulo, seu porta ejusdem monasterii non sine aliqua indecentia, quae ad artem suam spectant, exercere tenetur; hinc cum vestibulo, seu portae clausurae antiquum existat internum cubiculum, ut decori, et commoditati inserviatur, ad cubiculum praedictum sarcinatricem introduci posse a priorissa dicti monasterii pro tempore existenti summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis juxta preces. §. 2. Nos igitur dictarum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, priorissae dicti monasterii sanctae Catharinae pro tempore existenti, ut ipsa quoties, tum pro vestitu puellarum inibi in educatione commorantium, tum pro aliis monialium dicti monasterii sarcinatricem ad dictum monasterium accersire occurrat illam dumtaxat, et in casibus hujusmodi tantum ad cubiculum intra claustra ejusdem monasterii existens contiguum portae clausurae introducere, et admittere libere, ac licite possit, et valeat auctoritate, et tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus praemissis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CCLIX.

Dat. Romae 21. novembris 1783. anno nono.

Monialibus monasterii sancti Dominici Viterbii indulgetur, ut admitti valeant intra claustra monasterii sacerdotem ad missae sacrificium celebrandum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponuntur preces porrectae a monialibus. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales monasterii sancti Dominici Viterbii, quod cum intra claustrum dicti monasterii reperiatur altare cum pia, ac devota immagine Salvatorem Nostrum Jesum Christum crucifixum cum sancti Joanne, et Maria Magdalena repraesentante, ipsae exponentes pro peculiari sua erga hujusmodi immaginem Salvatoris, quam monialibus visitantibus nuper gratias, et indulgentias spirituales, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes concessimus, devotione sacrosanctum missae sacrificium ad altare praedictum per suum priorem magistrum conventus fratrum ordinis Praedicatorum Viterbii, aut confessarium ordinarium ejusdem monasterii pro tempore existentes, semel in anno celebrari posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur dictarum exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus benigne annuere cupientes, illasque speciali favore gratiae prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praedictis exponentibus, ut ipsae in die festo Assumptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, aut magistrum priorem supradictum, aut confessarium ejusdem monasterii, una cum ministro, qui celebranti assistat, de licentia ordinarii ad sacrosanctum missae sacrificium in supradicto altari die festo ejusmodi dumtaxat celebrandum intra clausuram ipsius monasterii servatis circa praemissa cauthelis de jure praescriptis, et quae ab ordinario juxta datam sibi a Domino prudentiam erunt praescribendae introducere, et admittere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praesentium concedimus, et indulgemus. *Tenor concessionis.*

§. 3. Non obstantibus praemissis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii praedicti, illiusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima no- *Derogatio contrariorum.*

vembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 29. novembris 1783. anno nono.

CDLX.

Unio conventus Alexandrini ordinis fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum, alias provinciae Mediolanensi addicti, provinciae Taurinensi ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Ex injuncto Nobis pastoralis muneris debito religiosorum hominum, qui contemptis illecebris hujus saeculi divinis se se obsequiis mancipantur, quieti, et tranquillitati praecipua quadam, et singulari sollicitudine providere tenemur, ut iis omnibus sublatis, quae illorum in via Domini progressum retardare possent, majori alacritate divinis laudibus persolvendis, et Christifidelium saluti promovendae incumbant.

Expositio precum exhibitarum a provinciali ordinis. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit moderuus provincialis ordinis fratrum sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum provinciae Taurinensis, quod cum in nuperrimo capitulo provinciali ejusdem provinciae conventui Alexandrino ejusdem ordinis utilis futurum foret, quoties ille provinciae Taurinensi praedictae uniretur, et incorporaretur, deprehensum sit, quodque sic per Nos uniri, et incorporari summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ejusdem provincialis votis ad regularem disciplinam tuendam, ac ad ordinis praedicti felicem in via Domini tendentibus progressum, quantum cum Domino possumus benigne annuere, dictumque ordinem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et ejusdem provincialis, singularesque dicti conventus personas, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quavis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum conventum Alexandrinum, praevia illius dismembratione, ac segregatione a provincia ordinis praedicti, cui in praesentiarum addictus existit, cum provincia Taurinensi dicti ordinis auctoritate apostolica harum serie unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus; ac unitum, conjunctum, adnexum perpetuis futuris temporibus futurum fore decernimus, et declaramus. Ita ut omnibus, et singulis juribus, exemptionibus, indultis, gratiis, et privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii conventus ordinis, et provinciae praedictorum utuntur, fruuntur, et gaudent, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possit, auctoritate praedicta concedimus, et indulgemus.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae sublatae, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava novembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono. Derogatio contrariorum.

Dat. Romae 3. decembris 1783. Anno nono.

CDLXI.

Subjectio seminarii episcopalis Salamantini parochialitati ecclesiae cathedralis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Cum nil tam pie, et tam fideliter episcopi in ministerio eis concredito, constituere possint, quam si nedum antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, sed etiam concilii Tridentini dispositis suffragando, seminaria ad adolescentes, qui in sortem Domini sint vocati, recte instituendos, et ad pietatem, et religionem informandos erigant, decet propterea, ut apostolica Nostra auctoritate, quoties id a Nobis petitur, ea omnia concedamus, quae pro illorum felici progressu, opportuna fore arbitramur.

Expositio precum portectarum ab episcopo Salamantino. §. 2. Siquidem exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Philippus episcopus Salamantinus, quod cum ipse nuper in civitate Salamantina, seminarium ad formam concilii Tridentini instituerit, illudque cathedrali ecclesiae subjecerit, ut tamen sartum, tectumque servaret jus aliorum parochorum dictae civitatis, omnibus parochis hujusmodi, ut sua jura adversus disposita praedicta proferre possent, concessit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, duo dumtaxat parochi, nempe sancti Benedicti, et sanctorum Isidori, et Pelagii apud curiam episcopalem in judicium se sistiterint, eorumque jura omnibus prius mature perpensis a vicario generali nullius ponderis comperta fuerint, eaque propter a dicto vicario generali emanata fuerit sententia favore ecclesiae cathedralis; hinc ut firmius subsistat, ac servetur exactius a memorato episcopo dispositum, quoad subjectionem seminarii praedicti parochialitati ecclesiae cathedralis apostolica Nostra auctoritate muniri summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur memoratum Philippum episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia, ut praefertur, disposita quoad subjectionem dicti seminarii parochiae ecclesiae cathedralis apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dictae ecclesiae Salamantinae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia decembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 9. decembris 1783. Anno IX.

CDLXII.

Ad inducendam pacem, et tranquillitatem inter fratres sex conventuum ordinis sancti Francisci reformationis sancti Bonaventurae, statuitur alternativa in electione guardiani conventus sancti Bonaventurae de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Pro paterna charitate, qua omnes Christifideles, praesertim vero eos, qui detrectatis hujus saeculi illecebris, relictisque omnibus domus, aut fratrum, aut sororum, aut patris, aut matris, aliisque carnis affectibus sub suavi religionis jugo abnegantes semetipsos, et bajulantes crucem suam Jesum Christum redemptorem Nostrum secuti sunt, prosequimur, ea omnia, quae ad pacem, et tranquillitatem inter eos inducendam, fovendamque pertinere arbitramur, quoties id a Nobis petatur, facile concedimus, sperantes fore ut hi in regularis vitae serenitate tranquillam vitam ducentes, et securi quasi in litore stantes, vel etiam aeternam patriam, ad quam omni animi contentione tendunt, secuti, Nobis ob concreditum humilitati Nostrae pastoralis ministerii officium inter hujus mundi fluctus, qui hisce praesertim difficillimis temporibus Nos undique quasi obruunt, navigantibus, suarum orationum manum porrigant, at conantes Nos ad terram viventium pergere, quantis possunt precibus adjuvent.

Tenor precum porrectarum a ministro generali ordinis. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Paschalis a Varesio modernus minister generalis fratrum ordinis sancti Francisci minorum observantium nuncupatorum, quod licet Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die quinta decem. anni MDCCLXXVIII. expeditas literas, ut aequalitati, et quieti religiosorum sex conventuum, seu recessuum sancti Bonaventurae ordinis minorum sancti Francisci reformatorum nuncupatorum hujus almae urbis consultum esset, ut in posterum, et futuris perpetuis temporibus in eligendis, deputandisque quatuor discretis, qui una cum guardiano discretorium conventus, seu recessus sancti Bonaventurae nuncupati hujus almae urbis componunt, distinctio quatuor nationum Romanorum scilicet, Sabinensium provinciae Campaniae, et exterorum haberetur, ita ut pro illorum varietate semper discreti eligerentur, et quaelibet natio suum haberet discretum in dicto discretorio conventus, seu recessus sancti Bonaventurae, non obstantibus felicis record. Clementis pp. XIII. praedecessoris Nostri die x. januarii anni MDCCLXVII. in simili forma Brevis expeditis literis, quibus in electione, ac deputatione superiorum, discretorum, aliorumque fratrum de familia dictorum sex conventuum, seu recessuum omnis prohibeatur dictarum nationum distinctio, auctoritate apostolica indulserimus, prout in Nostris literis hujusmodi, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur, nihilominus providentia hujusmodi sat non fuit, ut omnia removerentur animorum, et partium studia, ac pristinus fraternae charitatis candor restitueretur, quae omnibus Christifidelibus, praesertim vero Christiano dominio proprius in religione mancipatis omnino conveniens, et accommodata est; quod tamen fore consecuturum sperat, quoties in electione, et deputatione guardiani dicti conventus, seu recessus sancti Bonaventurae, qui etiam est director aliorum conventuum, ratio habeatur nationibus, et inter eas perfecta alternativa constituatur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, qui omnia dissidia, et contentiones hujusmodi a religione arcere ex animo desideramus, ac quantum in Domino possumus studemus, memoratum Paschalem ministrum generalem, ac fratres dictorum sex conventuum, seu recessuum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratas Clementis praedecessoris literas de verbo ad verbum, quatenus opus sit, expressas habentes, ut in posterum perpetuis futuris temporibus in eligendo, deputandoque guardiano conventus, seu recessus sancti Bonaventurae habeatur ratio dictarum nationum Romanorum sci- Tenor concessionis.

licet, Sabinensium, provinciae Campaniae, ac exterorum, ita ut alternatim guardianus praedictus eligatur, seu deputetur; alternativa vero hujusmodi ab ea natione sit incipienda, de cujus alumnis diutius est, quin fuerint electi dicti guardiani, auctoritate apostolica tenore praesentium constituimus, et mandamus. Volumus insuper, ut nemini umquam quavis dignitate, honore, ac praeeminentia fungatur hujusmodi alternativae derogare, et tempus guardianatus ultra biennium protendere liceat.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praedictis Clementis praedecessoris literis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, dicti ordinis, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona decembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 9. decembris 1783. anno nono.

CDXXIII.

Ampliatio privilegiorum concessorum militiae, et equitibus regis christianissimi positis sub protectione beatae Mariae Virginis Immaculatae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Prooemium.

§. 1. Nihil est in hoc honore, ad quem impares meritis divina providentia vocati fuimus, quod Nobis gratius, aut magis jucundum accidere possit, quam esse quandoque apud Nos praemia fortibus, et bonis, et praestantibus viris constituta; fit autem hoc jucundissimum cum clarissimorum principum preces ad liberalitatem ita invitant, ut ad praemium spectatae virtuti, et speratae peculiare erga ipsos paternae Nostrae charitatis testimonium accedat.

§. 2. Cum itaque, carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus nuper exponi fecit, alias felicis recordationis Clemens pp. XIV. praedecessor Noster per suas sub die XXI februarii anni MDCCLXXII. expeditas literas sub plumbo datas, praevia confirmatione militiae, seu societatis equitum ejusdem Karoli III. regis nomine decoratae, ac patrocinio sanctae, et Immaculatae Deiparae Virginis commendatae, ad augenda in Hispania nobilitate virtutum studia ab ipso institutae, militibus in eamdem societatem adscriptis inter caetera multa spiritualium gratiarum dona impertitus sit, ac ut magis magisque praemii spe suorum subditorum virtus intendatur, memoratus Karolus catholicus eidem militiae, seu societati aliquos equites supranumerarios addere, eosque spiritualibus gratiis equitibus numerariis, ut praefertur, concessis, per Nos adjungi summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Exponitur Clementem XIV. plurima privilegia militibus, et equitibus concessisse.

§. 3. Nos igitur, qui eumdem Karolum regem catholicum speciali dilectionis affectu prosequimur, ac quantum cum Domino possumus suis votis annuere exoptamus, supplicationibus hujusmodi inclinati, equitibus, qui ultra praefixum numerum eidem societati, seu militiae per eumdem Karolum regem tamquam magnum magistrum, ejusque in Hispaniae regno successores sunt adscripti, vel erunt in posterum adscribendi, ut omnibus, et singulis privilegiis, et gratiis spiritualibus dumtaxat, quae equitibus numerariis alias per memoratas Clementis praedecessoris Nostri literas fuerunt concessae pariformiter uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Privilegia extenduntur etiam favore equitum supranumerariorum.

§. 7. Non obstantibus apostolicis, nec non in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus

Derogatio contrariorum.

constitutionibus, et ordinationibus, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatinoe apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die IX decembris MDCCLXXXIII. pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 19. decemb. 1783. Anno IX.

CDLXIV.

Imminutio festorum in dioecesi Lucana

Venerabili fratri
Archiepiscopo Lucano

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Prooemium. §. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt rstione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. Ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quod integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

§. 2. Cum itaque sicut dilecti filii nobiles Salus, et tenor concessionis. viri antiani, et vexillifer reipublicae Lucensis studiosissime efflagitaverint, ut subditorum suorum calamitatibus sublevandis, qui in sudore vultus sui panem comedunt, sanctorumque dierum cultui, et religioni amplificandae eorumdem festorum dierum numerum imminuere dignaremur. A fraternitate porro tua supplices in idem argumentum preces accipimus, quibus plurima incommoda ex dierum festorum frequentia in tuam civitatem, ac dioecesim invehi lamentaris, ac de iis imminuendis precabaris. Id propterea eorumdem antianorum, et vexilliferi praedictorum acquiescere voluntati, nec non piis tuis votis hac in re quantum cum Domino possumus obsecuti, festorum dierum grandiorem numerum ad modum revocandum existimavimus. Fraternitati itaque tuae per praesentes committimus, ac mandamus, ut in tua civitate, ac dioecesi hanc de festis diebus legem auctoritate Nostra apostolica edicas, nempe paschatis resurrectionis, et pentecostes, aliisque per annum Dominicis, nec non Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, ac Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, et omnium Sanctorum festivis diebus, ac festo die cujusvis praecipui civitatis, et locorum dioecesis praefatae patroni pro veteri Ecclesiae Catholicae instituto sacris non tantum adstare Christifideles civitatis, ac dioecesis praedictarum teneantur, sed etiam a servilibus operibus se abstinere debeant.

§. 3. In reliquis vero festis, sive per hanc In festis imminutis servantur praeceptum de audiendo sacro. sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Christifideles dictarum civitatis, et dioecesis, eorumque majores facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate apostolica per te commutari volumus praescriptis, audita tamen missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo conscientiae scrupulo vacare possint.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in uni- Derogatio contrariorum. versalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus con-

stitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, aliorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et confirmatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXV.

Dat. Romae die 2. januarii 1784. Anno IX.

Declaratur quod literae apostolicae constitutionum canonicorum regularium s. Crucis Collimbriensis ad nullius personae supplicationem fuerunt concessae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio et tenor declarationis.

§. 1. Cum in constitutionibus canonicorum regularium congregationis sanctae Crucis Collimbriensis, quae incipiunt « *Pastoris aeterni vices* » a Nobis die decima octava julii mox transacti anni MDCCLXXXIII. in forma specifica approbatis, et confirmatis haec leguntur verba: Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superiores, ac canonici congregationis regularium sanctae Crucis Collimbriensis ordinis sancti Augustini, quod « *ut infra* » quas Nobis nuper exhibitas, ut ipsae firmius subsistant, et serventur exactius apostolica auctoritate communiri summopere desiderant: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur « eorumque precibus etiam in hac re quantum cum Domino possumus annuere volentes: » ne ullum subreptionis, aut obreptionis dubium inde oriatur in praemissis providere, atque omnem ambiguitatis occasionem auferre cupientes, nec non praedictae congregationis superiores, et canonicos a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, praedictas literas confirmationis praedictarum constitutionum, non obstantibus praeinsertis verbis, aut quibusvis aliis similibus, perinde valere, atque plenum robur habere, ac si ad illius personae supplicationem forent concessae, aut expeditae auctoritate apostolica tenore praesentium volumus, atque declaramus; et quatenus opus sit praedictas constitutiones canonicorum regularium congregationis sanctae Crucis Collimbriensis motu proprio ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine denuo confirmamus, et approbamus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 2. Decernentes ipsas praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis aut obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, argui, vel impugnari nullatenus posse, et firmas semper, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum die secunda januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXVI.

Dat. die 2. jan. 1784. Anno IX.

Instante confraternitate domus Misericordiae civitatis Lisbonensis declaratur commuta-

tio centum quadraginta duarum cappellaniarum alias ab eadem sua Sanctitate facta, quae nunc attribuuntur brephotrophio per eamdem confraternitatem administrato.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Ea est infirmitatis nostrae humanae misera conditio, ut raro contingat, quae hujus saeculi sunt tam scito, tam prudenter constitui, quin brevi ex usu rerum magistro declarari, aut reformari, vel etiam in totum aliquando immutari debeant; quod profecto circa ea, quae per Nostras in simili forma Brevis die XIX. junii MDCCLXXV. expeditas literas pro dilectis filiis provisoribus, et confratribus confraternitatis domus Misericordiae nuncupatae civitatis Lisbonensis fuerant disposita evenisse constat.

Exponuntur providentiae susceptae in aliis praecedentibus literis apostolicis.

§. 2. Siquidem cum provisores, ac confratres praedicti Nobis humiliter exponi fecerint, quod cum ob plures causas, praesertim vero ob satis memorandum terraemotum anni MDCCLV. quo universa pene civitas Lisbonensis, suique circuitus subversi fuerunt, annui redditus, ac proventus dictae domus, qui in varia pia opera non sine maxima infirmorum, orphanorum, aliorumque pauperum utilitate continentur erogabantur, quam maximo imminuti essent, omnia injuncta onera, prout in antecessum in futurum adimpleri haud potuissent; eaque propter dicti exponentes, ut eorum conscientiae securitati, et publicae utilitati consultum esset, aliqua ex iis oneribus in alia magis urgentia per Nos commutari summopere desiderabant; Nos eorumdem provisorum, ac confratrum preces, quantum in Domino poteramus, benigne prosequi volentes, habita prius de omnibus dictis piis operibus intima, ac matura cognitione, cum inter caetera dicta domus premeretur etiam gravi onere centum quadraginta duarum cappellaniarum pro celebrandis missis juxta diversas fundationes praescriptis, praeter duos clericorum choros, unum in nosocomio, alterum in ecclesia primarii ex hospitalibus curae, et administrationi dictorum exponentium commendatis constitutas, ex causis Nobis tunc adductis animum Nostrum moventibus arbitrati sumus minus publicae utilitati alienum inter angustias, quibus eadem domus urgebatur, futurum fore, si in civitate Lisbonensi, ubi praeter patriarchalem ecclesiam, et magnam basilicam sanctae Mariae, in qua plurimis aliis collegiatis, parochialibus, et ordinum regularium ecclesiis missae quotidie celebrantur, et in psalmis Deo assidue preces offeruntur, onera tum dictarum cappellaniarum, cum utriusque chori, piorum testatorum voluntates, ac dispositiones interpretantes cum sumptibus pro exhibitione quatuor hospitalium aegrotantium, scilicet expositorum, mulierum inhabilium, ac virorum incurabilium, nec non conservatorii puellarum orphanarum pro dotibus distribuendis, pro liberandis in carcere detentis, illisque subsidiis suppeditandis, ac si quid residuum esset pro visitatione, et subventione honestarum viduarum necessariis commutavissemus, et reipsa commutavimus, ita tamen, ut pro celebrandis missis in valetudinario, pro comitandis cadaveribus defunctorum, aliisque juxta piae domus praedictae usum, et institutum peragendis viginti clerici, seu presbyteri, absque ullo chori onere, retinerentur, prout in iisdem Nostris literis uberius continetur.

Preces porrectae pro commutatione, et declaratione praedictarum literarum apostolicarum.

§. 3. Cum autem sicut dicti provisores, et confratres iterum Nobis exponi fecerunt; dum res fuit de dictarum Nostrarum literarum executione, alia atque alia dubia irrepserint, quae per Nos declarari, immo cum interim bona, et redditus nosocomii ab aliis bonis, ac redditus ad dictam domum spectantibus, et pertinentibus disjuncta, ac separata fuerint, quae fuerunt per Nostras literas praedictas disposita in aliqua parte immutari, aliaque etiam de novo eis concedi summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Algarbiorum reginae fidelissimae votis hisce desuper Nobis porrectis humiliter annuere cupientes, supplicationibus hujusmodi in-

clioati, memoratas Nostras literas, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac inserto habentes, eas ita moderamur, ut nempe licet commutatio fundationum, erectionum, et institutionum tum dictarum cappellaniarum, cum etiam utriusque chori pro sustentandis expensis omnium piorum operum, quibus dicta pia domus gravabatur fuerit, ut praefertur, facta, nihilominus, ut in posterum unius dumtaxat brephotrophii utilitati commutatio hujusmodi cedat, volumus, ac edicimus, ita tamen ut deinceps stet numerus viginti duarum cappellaniarum, quarum cappellani pro tempore existentes tum choro interesse, tum sacrosancta eorum missarum sacrificia in suffragium animarum piorum institutorum omnium cappellaniarum, quarum administratio ad dictam domum spectabat, applicare teneantur, praeter alias duas cappellanias pro clericis, seu presbyteris in dicta domo defunctos comitantibus, et cum ex iisdem Nostris literis non satis perspicue constet, num sub dispositione, seu commutatione hujusmodi eae cadant etiam cappellaniae, quarum cappellani ad illarum titulum fuerunt ad sacros ordines promoti, vel fuerunt ab ipsis fundatoribus vocati, aut nominati, vel demum aliquem quomodolibet legitimum titulum ad eas habent, hinc non eas comprehendi, sed sartas tectas esse servandas auctoritate, et tenore praedictis declaramus: et quoniam inter caetera onera iisdem exponentibus incumbentia tenentur quasdam dotes, seu subsidia dotalia juxta plurum testatorum dispositiones distribuere, easque eidem brephotrophio perpetuo assignari, et attribui plurimum desiderent.

Declarationes circa distributione dotium.

§. 5. Nos propterea dispositiones hujusmodi praesentibus pro plene expressis, praedictas dotes eidem brephotrophio apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo assignamus, ac attribuimus; ita tamen, ut eadem domus, seu exponentes praedicti eas dotes, quae fuerunt certis personis, aut puellis designatorum locorum, aut parochialium relictae, nihilominus distribuere teneantur; has quippe dotes, seu subsidia dotalia sub commutatione, et assignatione praedicta nullatenus cadere auctoritate, et tenore praedictis decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus omnium, et quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresso commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, atque confraternitatis, et domus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, vel innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse commutamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXVII.

Dat. Romae die 24. januarii 1784. anno nono.

Committitur episcopo de Arequipa in Indiis, ut concedat monialibus de velo albo nuncupatis monasterii sanctae Theresiae a Jesu ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo dictae civitatis facultatem sumendi velum nigrum earum tamen accedente consensu.

Venerabili fratri
episcopo de Areqnipa in Indiis

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a monialibus. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales monasterii sanctae Theresiae a Jesu ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo nuncupatae civitatis de Arequipa in Indiis, quod in fundatione, seu erectione ejusdem monasterii statutum fuit, ut in numerum viginti unius monialium tunc praescriptum admittendae tantummodo essent moniales professae cum velo nigro, quodque aliae tres, aut plures moniales cum velo albo vulgo legasibide nuncupatu minorem dotem afferentes a choro, aliisque officiis onerosis monasterii praedicti exemptae, ac immunes esse debeant, ac alias prout in lege fundationis, seu erectionis monasterii hujusmodi uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, hujusmodi tres, vel plures moniales, quae velum album deferunt, et a choro, aliisque officiis praedictis exemptae sunt, inutiles evadant dicto monasterio, a quo ipsis alimenta suppeditantur.

Ratio concessionis. §. 2. Hinc exponentes praefatae, ut praesertim in choro, et in casu infirmitatis aliarum, quo fieri potest, major sit monialium numerus ibidem interessentium, non solum a tribus monialibus, quae cum velo albo, ut praefertur, in dicto monasterio nunc reperiuntur, sed etiam ab aliis, quae in earum locum idem monasterium ingressurae sunt, nigrum velum assumi debere summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas fortu incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et dummodo moniales de velo albo, quae nunc in dicto monasterio reperiuntur, suum praestent consensum, eis petitam facultatem sumendi velum nigrum pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas, simulque, quatenus dictae moniales consensum praedictum praestent, vel etiam si illum non praestent, facultatem in posterum praevia reductione, non admittendi moniales nisi ad velum nigrum cum honoribus, et oneribus eisdem competentibus concedas.

Clausulae sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum ordinis, et monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, fundationis, et erectionis legibus, ac consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXVIII.

Dat. Romae die 27. januarii 1784. anno nono.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Palentina.

Venerabili fratri episcopo Palentino.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Palentina adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissimo cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste subsistendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Palentinae existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nec non Natalis Domini nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, paschatis Resurrectionis, et sequenti, pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum, praeterea quinque dicatis beatae Mariae virgini immaculatae scilicet, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad

verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXIX.

Dat. Romae die 27 januarii 1784 anno nono.

Imminutio festorum in civitatibus, et dioecesibus Auximana, et Cingulana invicem perpetuo unitis.

Venerabili fratri ecclesiarum Auximanae, et Cingulanae invicem perpetuo unitarum episcopo.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo Magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitatibus, et dioecesibus Auximana, et Cingulana perpetuo invicem unitis adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur, (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste subsistendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatum, et dioecesum Auximanae, et Cingulanae invicem perpetuo unitarum existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non natalis domini Nostri Jesu Christi, et duobus sequentibus sancti Stephani, ac sancti Joannis apostoli, et evangelistae, Circumcisionis, Epiphaniae, paschalis Resurrectionis, et duobus sequentibus, et pentecostes, et duobus pariter sequentibus, ac Corporis Christi, et Ascensionis, Inventionis sanctae Crucis, nativitatis sancti Joannis Baptistae, sancti Josephi, sancti Laurentii, sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, commemorationis omnium sanctorum, et translationis domus Lauretanae; praeterea quinque dicatis Beatae Mariae Virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatum, et dioecesum invicem perpetuo unitarum constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos fa-

cti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatum, et dioecesum praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus; et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 27. januarii 1784. Anno nono.

CDLXX.

Sororibus conservatorii sanctae Marthae civitatis Elborensis ordinis B. M. de monte Carmelo regularis observantiae communicantur privilegia omnia spiritualia dumtaxat, quae ordini nuncupato B. M. V. de Monte Carmelo reperiuntur concessa.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Creditae Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub laudabili vitae monasticae instituto mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentium curam gerentes felicioribus eorum in via Domini progressibus, quantum Nobis ex alto conceditur, providere studeamus.

Expositio precum a monialibus porrectarum.

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae superiorissa, et reliquae sorores professae congregatae in conservatorio sanctae Marthae ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo regularis observantiae civitatis, et dioecesis Elborensis, quod ipsae institutum ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo jugiter retineant, et clausuram habeant, aliasque monasticas regulas observent, privilegia spiritualia, quae fratres ordinis Beatae Mariae Virginis de monte Carmelo ab hac sancta Sede concessa sunt, communicari plurimum desiderent.

Tenor concessionis, vi cujus privilegia communicata aliam ampliantur.

§. 3. Nos igitur earumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, conservatorio et ordini praedictis, ejusque superiorissae, et reliquis sororibus professis congregatis praedictis, ut omnibus privilegiis spiritualibus dumtaxat, quae dicto ordini nuncupato beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo reperiuntur concessa, pariformiter uti, frui, et gaudere libere ac licite possint, ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, et ut easdem exponentes amplioribus gratiis prosequamur, ut suus confessarius ab ordinario approbatus eis omnes indulgentias, ac peccatorum remissiones non solum dicti ordinis, sed etiam quarumcumque confraternitatum concessas tam in vita, quam in articulo mortis constitutis tribuere possit, et valeat, utque Christifideles utriusque sexus ad illarum ecclesiam accedentibus, qui vere poenitentes, et confessi, ac sancta communione refecti, et pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, indulgentias omnes, ac remissiones peccatorum, quae dicto or-

dlni sunt concessae lucrari possint auctoritate, et tenore praedictis volumus pariter, ac declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes non intendimus praedictum institutum in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae die 27. januarii 1784. anno nono.

CDLXXI.

Declarantur, et reformantur constitutiones nonnullae latae ad constituendam methodum pro electione deputatorum congregationis secretae ecclesiae s. Joannis Baptistae nationis Florentinorum in urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur constitutiones editae a Benedicto XIII, et Clemente XII.

§. 1. Ea est infirmitatis nostrae humanae misera conditio, ut raro contingat, quae hujus saeculi sunt, tam scite, tamque prudenter constitui, ut diu stare possint, quin immo brevi ex eorum usu declarari, aut reformari, vel etiam in totum immutari debeant; quod profecto circa ea, quae tum a fel. rec. Benedicto pp. XIII. praedecessore Nostro per suum motum proprium sub die xv. decembris anni MDCCXXIX. signatum, et a fel. rec. Clemente pp. XII. praedecessore itidem Nostro per suas in simili forma Brevis die xx. martii anni MDCCXXXIV. expeditas literas ad constituendam methodum pro electione deputatorum, seu officialium congregationis, quam secretam appellant, ecclesiae s. Joannis Baptistae nationis Florentinorum de alma urbe Nostra fuerunt praescripta, evenisse constat.

Exponitur quae sit methodus in electionibus servanda juxta praedictas constitutiones.

§. 2. Siquidem dilecti filii officiales, quos vocant majores congregationis praedictae Nobis nuper humiliter exponi fecerunt, quod inter caetera in Benedectino motu proprio, ac praesertim Clementinis literis praefatis praescribitur, ut in electione, ac deputatione quatuordecim officialium, ac deputatorum congregationis secretae praedictae, nempe gubernatoris confraternitatis, seu societatis, praesidentis nosocomii, proveditoris, officialis a secretis, duorum deputatorum ecclesiae, totidemque ad lites, quatuor deputatorum ad nosocomium, duorumque operariorum, (de aliis quippe illam componentibus hic non habeatur ratio), haec servetur methodus, quod scilicet a quatuor officialibus majoribus, a praelato nempe, a consule nationis, a gubernatore confraternitatis, seu societatis, ac a praesidente nosocomii nonnulli confratres juxta praescriptum in eisdem Clementinis literis pro unoquoque officio nominentur; atque nominatio hujusmodi toti congregationi secretae proponatur, ad hoc ut ex nominatis binos pro unoquoque officio, per suffragia secreta selectos, designet offerendos congregationi generali, cui jus sit, per suffragia pariter secreta, ex illorum pluralitate, ex sibi designatis eum eligere, ac confirmare, qui pro unoquoque munere in novum officialem, seu deputatum congregationis secretae sit assumendus, prout in Benedectino motu proprio, et Clementinis literis praedictis, quarum respective tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, uberius continetur.

Declarantur incommoda quae ab eadem methodo promanant.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet haec methodus fuerit usque in praesens religiosissime observata, illud tamen secum ferat incommodi, quod videlicet interdum digniores impune excludantur, ac ii, qui caeteroquin dignitate, vel nobilitate conspicui, aliisve personalibus meritis commendabiles, ecclesiae, societatis, et hospitalis dictae nationis essent studiosissimi, tam incertis, tamque arbitrariis suffragiis sese subjicere refugiant, immo vel semel adita munera congregationis

secretae dimittant, vel oblata respuant, prout non raro contigere compertum est: id autem processu temporis ad ecclesiae, societatis, et hospitalis praedictorum administrationis jacturam evidenter, ac aperte lapsurum fore memorati exponentes intelligentes, pro ea, qua pollent, sagacitate huic malo per Nos occurri summopere desiderant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Moderatur Pontifex praecedentes literas apostolicas, et ampliantur facultates congregationis secretae.

§. 5. Nos igitur dictos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratum Benedictinum motum proprium, ac Clementinas literas praedictas, ac ea quoad confirmationem, et electionem quatuordecim dictorum dumtaxat officialium, seu deputatorum componentium, ut praefertur, congregationem, quam appellant secretam, (firmis remanentibus in reliquis per eumdem Benedictinum motum proprium, ac Clementinas literas praedictas dispositis, quibus per praesentes detrahere, aut in aliquo, exceptis infra exprimendis, derogare non intendimus) ita moderamur, ut scilicet omni adempto confirmationis, et electionis quatuordecim dictorum officialium, gubernatoris nimirum societatis, praesidentis nosocomio, proveditoris, officialis a secretis, duorum deputatorum ecclesiae, duorum deputatorum ad lites, quatuor deputatorum ad nosocomium, et duorum operariorum jure congregationi generali in posterum omne jus confirmationis, et electionis officialium hujusmodi apud unam congregationem secretam, ut ajunt, consolidetur, servata tamen quoad eorumdem officialium nominationem forma a memorato Clemente praedecessore in suis praefatis literis praescripta; itaut deinceps praevia nominatione candidatorum a quatuor majoribus officialibus, ut praefertur, facienda, jus privativum sit congregationis secretae, quem mavit, in novum, aut novos officiales eligere, vel officialem, seu officiales munere suo abeuntem, vel respective abeuntes confirmare, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, ac mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, plenissime suffragari, ac ab omnibus inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus Benedictino motu proprio, ac Clementinis literis praefatis, constitutionibusque, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae sancti Joannis Baptistae, societatis, et hospitalis praefatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. januarii MDCCLXXXIV. pontificatus Nostri anno nono.

CDLXXII.

Dat. Romae die 29. januarii 1784. anno nono.

Suppressio ecclesiae episcopalis Neostadiensis cum illius dioecesis perpetua unione metro-

politanae ecclesiae Viennensi in Austria, nec non erectionis alterius episcopatus sancti Hippolythi in oppido ejusdem nominis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Inter plurimas apostolici ministerii curas quibus undique premimur, illa quidem excellentior esse censemus, per quam novos tamquam fidei tentoria episcopatus erigimus, novosque in Ecclesia Dei pastores animarum, ita exposcentibus regalium principum votis, eorumque in hoc eximia comitante pietate, satagimus instituere, per quod orthodoxa religio propagatur, augetur, Christifidelibus spiritualia vere obveniunt auxilia, e medio si quae sint tolluntur incommoda, et Ecclesia hujusmodi novum in dies splendorem suscipit atque ornamentum.

Exponuntur rationes suadentes novas erectiones. §. 2. Cum itaque sicut ex parte ven. fr. Nostri moderni episcopi Neostadiensis Nobis nuper expositum fuit, charissimus in Christo filius Noster Josephus II. Romanorum, Bohemiae, et Hungariae rex apostolicus in imperatorem electus pluries inspecto, quod limites dioecesis Passaviensis tam ampli existunt, ut unus praesul utcumque zelo praeditus illius regimini, et gubernio, prout exigit pastorale munus invigilare nequeat, plurimum cupiat, ut dioecesis praefata in duas alias dioeceses divisa existente mediante in eis apostolica auctoritate facienda episcopatuum institutione, multiplicatis in ipsa Ecclesia Dei pastoribus, per sedulam eorum industriam ab ovile Christi efficacius ac vigilantius nedum errores arceantur, sed et divinus cultus, pietasque fidelium per amplius excitetur; simulque illorum, qui animarum regimini, et gubernio hujusmodi praepositi sunt, fervor accensus nova in dies capiat incrementa. Et sicut Nobis subjunctum ad hujusmodi fuit opus tam utile rite disponendum, perficiendumque operae pretium sit, ut in civitate Neostadiensi cathedra, dignitas, ac sedes episcopalis, illiusque dioecesis, nec non cathedralis ecclesia Neostadiensis, per Nos, ut infra, perpetuo supprimantur, et extinguantur, aliaque circa ea per Nos pariter, ut infra fiant. Ac deinde illis praemissis oppidum sancti Hippolythi nuncupatum in Austria existens, ubi prima fidei catholicae, ut communis fert opinio, jacta sunt fundamenta, in civitatem episcopalem, et in en sitam parochialem ecclesiam sancti Hippolythi, quae omnibus in Austria hujusmodi existentibus ecclesiis antiquior esse dicitur, in cathedralem ecclesiam sancti Hippolythi etiam nuncupandam, et in ea dignitas, et sedes episcopalis cum suis capitulo, et canonicis, ac alias, ut infra, per modum subrogationis, seu transactionis itidem per Nos perpetuo erigantur, et instituantur. Et novae dioecesi sancti Hippolythi, ut infra constituendae infrascripta dioecesis Passaviensis, seu illius districtus, vel territorii pars cum omnibus, et singulis in ea comprehensis decanatibus, seu parochialibus ecclesiis infrascriptis, praevia illius, et illorum ab ecclesia, et dioecesi Passaviensi dismembratione, de venerabilis etiam fratris Nostri moderni episcopi, ac dilectorum filiorum modernorum capituli et canonicorum ecclesiae Passaviensis consensu per Nos etiam, ut infra facienda assignentur ex quo profecto iis spiritualibus incommodis, quae ex deficientia pastorum hujusmodi evenire soleat opportune, ut accepimus obviaretur.

§. 3. Nos itaque quibus caeterum ex processu a dilecto similiter filio Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in civitate Viennensi Austriae praedictae commorante vigore decreti Nostri sub die secunda mensis augusti proximo praeteriti editi super hujusmodi petita erectione confecto de praemissorum necessitate simul ac etiam utilitate satis constitit, tam laudabilia praefati Josephi regis, et imperatoris vota obsecundare, ac desuper porrectis ejusdem episcopi Neostadiensis supplicationibus annuere volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine in dicta civitate Neostadiensi sedem, et cathedram episcopalem, nec non cathedralem ecclesiam, et in ea dignitatem, ac mensam episcopales cum universa dioecesi Neostadiensi, nec non titulum, et denominationem episcopi Neostadiensis apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, dictamque civitatem Neostadiensem, illiusque dioecesim praedictam ut praefertur, sic suppressas, et extinctas, et in eis respective contentos utriusque sexus habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, ac religiosos quoscumque (non tamen exemptos) praevia

Suppressio sedis Neostadiensis, illiusque unio ad ecclesiam Viennensem.

illorum omnium, et singulorum a praedicti moderni episcopi Neostadiensis ordinaria jurisdictione, potestate, et superioritate, perpetua sejunctione, et exemptione metropolitanae ecclesiae, et dioecesi Viennensi in Austria hujusmodi illiusque clero, et populo dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo incorporamus, atque adjungimus, ordinariaeque venerabilis etiam fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Viennensis in dicta Austria jurisdictioni, potestati, ac auctoritati respective etiam perpetuo supponimus, atque subjicimus.

Ecclesia s. Hippolythi in cathedralem erigitur.

§. 4. Hujusmodi autem suppressione, et incorporatione, nec non exemptione, et subjectione praemissis dictam parochialem ecclesiam sancti Hippolythi in eodem oppido, ut praefertur existentem, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, ac de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, seu de illa quovis modo disponi amplius nequeat, et si illam deinceps ullo umquam tempore conferri, seu impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo supprimimus, et extinguimus. Illaque sic suppressa, et extincta dictum oppidum sancti Hippolythi, ut praefertur, nuncupatum in civitatem episcopalem ejusdem sancti Hippolythi etiam deinceps nuncupandam, cum omnibus juribus, honoribus, praeeminentiis, et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Nova ecclesia declaratur suffraganea archiepiscopi Viennensis.

§. 5. Praefatam vero parochialem ecclesiam sancti Hippolythi, ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedralem ecclesiam eidem archiepiscopo Viennensi in Austria praedicta suffraganeam, eique metropolitico juri subjectam sub invocatione ipsius sancti Hippolythi extituram, et in ea sedem, ac dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo sancti Hippolythi, illiusque civitati praedictae, ac dioecesi etiam sancti Hippolythi ut infra constituendae praesit, abbates, inferiores praelatos, et alios, et synodum convocet, ac omnia, et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat cum suis capitulo infrascripto, sigillo, et arca, mensa episcopali, caeterisque pontificalibus signis, et insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae nationis Germanicae episcopales ecclesiae, earumque praesules quomodolibet (non tamen titulo oneroso) seu ex privilegio particulari similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum.

Declarantur dignitates capituli.

§. 6. In ipsa vero cathedrali ecclesia sancti Hippolythi unum vicariatum generalem nuncupandum, quae post pontificalem hujusmodi major cum uno canonicatu, et una praebenda pro uno canonico vicario generali nuncupando, qui caput capituli dictae cathedralis ecclesiae sancti Hippolythi existat, iisque gaudeat praeeminentiis, quae de jure sibi competere possunt, et debent, nec non unam praepositurам, quae secunda cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda pro alio canonico praeposito, ac unum decanatum, qui tertia cum alio similiter canonicatu, et alia praebenda pro alio canonico decano, ac unam custodiam, quae quarta respective dignitates in dicta cathedrali ecclesia sancti Hippolythi existant cum alio itidem canonicatu, et alia praebenda aisdem dignitatibus respective invicem perpetuo unitis extituris pro alio canonico custode, etiam respective nuncupandis, ac reliquos tres canonicatus, totidemque praebendas dictae cathedralis ecclesiae Neostadiensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, pro tribus aliis futuris more canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae sancti Hippolythi, qui illius capitulum constituant, et apud eam personaliter residere, et in ea singulis diebus horas canonicas, tam diurnas, quam nocturnas, aliaque divina officia devote, ac cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, divinisque officiis, tam diurnis, quam nocturnis hujusmodi, ac alios eidem cathedrali ecclesiae sancti Hippolythi laudabiliter deservire teneantur.

Similiter cum chore, stallo, area, et sigillo communibos, aliisque signis, et insigniis cathedralibus, quique omoibus, et singulis privilegiis, et praerogativis gaodere possint, et valeant, quibus praedictae Neostadiensis, ut praefertur, suppressae, et extinctae, et aliarum cathedralium ecclesiarum respective capitula, et canonici (oon tamen titulo ooeroso) gaudebant, et gaudere solent, ac possunt per modum tamen subrogationis, seu translationis eorumdem septem canonicorum, qui ut similiter accepimus dictae cathedrali ecclesiae Neostadiensi per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae inserviebant, illiusque capitulum efformabaot ad Dei omnipotentis laudem, et gloriam, dictique sancti Hippolythi honorem, et fidei catholicae praefatae exaltationem apostolica auctoritate praedicta, itidem perpetuo respective erigimus, et instituimus. Volentes tamen, et eadem apostolica auctoritate statuentes, quod futurus episcopus sancti Hippolythi, in eadem ecclesia theologalem praebendam erigere teneatur, conscientia desuper onerata remanente.

Constituuntur dioecesis novae ecclesiae

§. 7. Ac insuper, ut praedictae episcopali ecclesiae sancti Hippolythi per Nos, ut praefertur erectae dioecesis, vel districtus, seu territoril Austriae inferioris, partemque ab oriente scilicet sylva Viennensi, et Monte Manhardi, ac a septemptrione Bohemia, ac Maravia; ab occidente vero fluvio Onaso nuncupato, et e meridie demum Styria, et Austria superiori circumscribitur, vel sub iis comprehenditur, et in qua omnes, et singuli decanatus, et parochiales ecclesiae infrascriptae reperiuntur videlicet — decanatus Ybbsensis nuncupatus, et sub eo comprehensae parochiales ecclesiae Infrascriptae videlicet — Una Ferschnitz, ac alia Frankelfels, ac alia Gresten, ac alia Gamming, ac alia Lunz, ac alia Neumarkt, ac alia Oberndorff, ac alia Buchenstuben, ac alia Petzenkirchen, ac alia Purgstall, ac alia Randegg, ac alia Ruprechtshofen, ac alis Reinsperg, ac alia s. Anton in det — Jesnitz, ac alia s. Martin prope Ybbas, ac alia s. Leonardamdorst, ac alia s. Georgen in det Leys, ac alia Scheibbs, ac alia Seissenstein, ac alia Staina Kirken, ac alia s. Gotthard, ac alla Schwarzenbach, ac alia Texing, ac alia Wiselburg, ac reliquae parochiales ecclesiae Ybbs respective nuncupatae — Ac alius decanatus Loordorffensis nuncupatus, et sub eo etiam comprehensae parochiales ecclesiae infrascriptae, scilicet una Aggsphach, ac alia Annsbrg, ac alia Arnstoeff, ac alia Bischossteten, ac alia Eschenau, ac alia Erlaus, ac alia Grannsbach, ac alia Gerolding, ac alia Grunau, ac alia Grafendorff, ac alia Grospochlam, ac alia Hasnerbach, ac alia Haindorff, ac alia Hannaldstain, ac alia Hainfeld, ac alia Hochenberg, ac alia Hürm, ac alia Kleinzell, ac alia Kaumberg, ac alia Kilbac, ac alia Kirnberg, ac alia Kirchberg an det Bielac, ac alia Klein Pöchlätu, ac alia Laich, ac alia Langegg, ac alia Lilienfled, ac alia Loosdorff, ac alia Mank, ac alis Margarethen en det Sirning, ac alia Matzlstorf, ac alia Markerstorff, ac alia Möek, ac alia Manet, ac alia Syra, ac alia Rabenstein, ac alia Ramsan, ac alia Rohthbach, ac alia s. Aegldy, ac alia s. Veith, ac alia Scombichl, ac alia s. Josepsberg, ac alia Tirnitz, ac alia Weinburg, ac alia Withelmsburg, ac reliquae parochiales ecclesiae Zelking respective etiam nuocupatae — Ac alius decanatus Ollerbacensis nuncupatus, et sub eo pariter existentes parochiales ecclesiae infrascriptae, videlicet una Anzbach, ac alia Abbstetten, ac alia Alten Legbach, ac alia Asperhofen, ac alia Chorrherrn, ac alia Ireundorff, ac alia Gudenau, ac alia Konigstetten, ac alia Kolg, ac alia Langenlebam, ac alia Langeotobt, ac alia Michelausen, ac alia Mastetten, ac alia Nevenlenghach, ac alia Ollern, ac alia Rappoltenkirken, ac alia Sigharstskirken, ac alia s. Andre in Hagenthal, ac alia Tozenbach, ac alia Tulln, ac alia Tulbing, ac alia Würmbla, ac reliquae parochiales ecclesiae Zeiselmavet respective nuncupatae — Ac alius decanatus Pottembrunensis nuncupatus, et sub eo existentes parochiales ecclesiae infrascriptae, videlicet una Boheim Kirken, ac alia Christophori, ac alia Furth, ac alia Gottweig, ac alia Gerrerstorff, ac alia Getzerstorff, ac alia Gutenbronm, ac alia Heiligenaich, ac alia Herzogenburg, ac alia Hestenburg, ac alia Heyn, ac alia Inzerstorff, ac alia Karlstetten, ac alia Kasten, ac alia Kappellien, ac alia Mauten, ac alia Mählbach, ac alia Nusdorff, ac alia Obriozberg, ac alia Oberwalbling, ac alia Pottembrum, ac alia Podensee, ac alia Prand, ac alia Rossatz, ac alia Rust, ac alia Reidling, ac alia s. Andre in det Trasen, ac alia s. Polten, ac alia Sthollofen, ac alia saneti Georgen, ac alia Hosseog, ac alia Stainaveeg, ac alia Trasenmaret, ac alia Waissen Kirchen, ac alia Zwentendorff respective nuncupatae — Ac alius

decanatus Laureacensis, etiam nuncupatus, et sub eo similiter comprehensae parochiales ecclesiae infrascriptae, scilicet, praepositura Ardagget nuncupata, nec non una etiam Ardagget, ac alia Amstetten, ac alia Albartsberg, ac alia Aspach, ac alia Biberbach, ac alia Conradsheim, ac alia Erlaklostet, ac alia Enratsfelden, ac alia Gressling, ac alia Haag, ac alia Haidershofen, ac alia Kimberg, ac alia Kollmüpzberg, ac alia Maria Tafert, ac alia Heuhofen, ac alia Oed, ac alia Oeling, ac alia Opponitz, ac alia Eottstorff, ac alia Kottes, ac alia Kirchschlag, ac alia Laimburch, ac alia Lucham Jarl, ac alia Munichneith, ac alia Marbach, ac alia Neukirchen, ac alia Kiedervanna, ac alia Nöchling, ac alia Ottenschlag, ac alia Poggstall, ac alia Pishing, ac alia Pobring, ac alia Persenberg, ac alia Raxendroff, ac alia Reinprechts, ac alia s. Oswald, ac alia Spitz, ac alia s. Joann, ac alia s. Martinsberg, ac alia Sollingberg, ac alia Unteranna, ac alia s. Veitten, ac alia Waldhausem, ac alia Vosendorff, ac reliquae parochiales ecclesiae Weissen Kirchen respective nuncupatae — ac alius decanatus Waydhofensis, et sub eo itidem contentae parochiales ecclesiae infrascriptae, scilicet una Aigen, ac alia Altensterg, ac alia Buch, ac alia Dobersberg, ac alia Dietmanns, ac alia Eysgarn, ac alia Eggern, ac alia Gexenbach, ac alia Gmundt, ac alia Gastern, ac alia Heidenreichstein, ac alia Haselbach, ac alia Kauzen, ac alia Langegg, ac alia Litschau, ac alia Münichreith, ac alia Obergrienbak, ac alia Puchbak, ac alia Sfaffenschlag, ac alia Reibers, ac alia Reingers, ac alia Rottensedachen, ac alia Setnems, ac alia Speissendorff, ac alia Scheidldorff, ac alia Seyfritz, ac alia Schwarza, ac alia Obaya, ac alia Vibis, ac alia Windigoteing, ac alia Waldkirchen, ac alia Wadhofen, ac reliquae parochiales ecclesiae Zuggers respective nuncupatae — Ac alius decanatus Rappsensis itidem nuncupatus, et sub eo similiter comprehensae parochiales ecclesiae infrascriptae, nempe una Altenburg, ac alia Altenpolla, ac alia Dietmannstorff, ac alia Drey Aichen, ac alia Dollersheim, ac alia Edlbach, ac alia Fridersbach, ac alia Franzen, ac alia Epossau, ac alia Gros Poppen, ac alia Horn, ac alia Idolzperg, ac alia Kramau, ac alia Modring, ac alia Neukirchen, ac alia Neupolla, ac alia Niedergrinbach, ac alia Hiedernondorff, ac alia Obernondorff, ac alia Prand, ac alia Rastenfeld, ac alia Röhrenbach, ac alia Rapps, ac alia Streggen, ac alia s. Marein; ac alia s. Bernard, ac alia Sigbaris, ac reliquae parochiales ecclesiae Wildberg respective nuncupatae — Ac alius decanatus Obermarkerstorffensis nuncupatus, et sub eo similiter extantes parochiales ecclesiae infrascriptae, videlicet una Blumau, ac alia Drosendorff, ac alia Eibenstein, ac alia Eganburg, ac alia Felling, ac alia Gerss, ac alia Gottfritz, ac alia Hardegg, ac alia Hort, ac alia Jappons, ac alia Kirchberg Ander Wild, ac alia Koltau, ac alia Langau, ac alia Nichasberg, ac alia Nondorff, ac alia Oberhoflein, ac alia Pernegg, ac alia Pleissig, ac alia Radingerslorff, ac alia Roggendorff, ac alia Salla Palka, ac alia Tkeras, ac alia Weikartschlag, ac alia Walkenstain, ac alia Weittersfled, ac reliquae parochiales ecclesiae Zierzerstorff respective nuncupatae — Ac alius decanatus Cremsensis nuncupatus, et sub eo comprehensae parochiales ecclesiae infrascriptae videlicet una Bruun Im Feld, ac alia Erems, ac alia Eglsee, ac alia Gobelspurg, ac alia Gfoll, ac alia Imbach, ac alia Langenlois, ac alia Liechteneu, ac alia Loiwein, ac alia Lengenfeld, ac alia Loiben, ac alia Mittelberg, ac alia Meisling, ac alia Rohrendorff, ac alia Rastbach, ac alia Schonberg, ac alia Stratzing, ac alia Senftenberg, ac alia Stein, ac alia Stiltern, ac alia Thürnstein, ac alia Theiss, ac reliquae parochiales ecclesiae Zobing respective nuncupatae — Nec non reliquus decanatus Schongrabernensis nuncupatus, et sub eo pariter existentes parochiales ecclesiae infrascriptae, videlicet una Burgschleinitz, ac alia Freischling, ac alia Gars, ac alia Kunnering, ac alia Maigensis, ac alia Reinprechtspolla, ac alia Stokern, ac alia s. Leonhardin Homet Wald, ac reliquae parochiales ecclesiae Unterplank respective nuncupatae apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque dismembramus, dividimus, et separamus.

§. 8. Ac in supradicta ejusdem dioecesis, seu districtus, aut territorii Passaviensis parte, eisdemque decanatibus, et parochialibus ecclesiis, sic dismembrata, divisa, ac separata, ac dismembratis, divisis, et separatis respectiva contentas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, at religiosos quoscumque (non tamen exemptos) cujuscumque sexus, gradus, ordinis, et conditionis existant ab *Jurisdictio novi episcopi statuitur.*

ordinaria modernorum praefatorum, quorum ad id expressus accedit assensus, et pro tempore existentium episcopi, ac capituli, et canonicorum Passaviensium jurisdictione, potestate, superioritate, et auctoritate dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo disjungimus, et eximimus, nec non praedictum oppidum sancti Hippolythi in civitatem episcopalem per Nos, ut praefertur, erectum, eamdemque ipsius dioecesis, seu districtus, aut territorii Passaviensis partem, et in eo respective comprehensos decanatus, et parochiales ecclesias, tam supra dictam sylvam Viennensem, quam supra eumdem montem Manhardi respective sitos, et sitas, ac, ut praefertur, sic dismembrata, dismembratos, ac dismembratas, nec non sub eis respective contentas, utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque (non tamen exemptos) ut supra expressos praefatos, ac similiter, ut praefertur, disjunctos, et exemptos novae ecclesiae episcopali sancti Hippolythi, illiusque futuro praesuli pro sua civitate, territorio, ac dioecesi, nec non clero, et populo apostolica auctoritate praedicta, etiam perpetuo concedimus, et assignamus, et respective ordinariae ejusdem pro tempore futuri episcopi sancti Hippolythi jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati, ita quod liceat personae eidem ecclesiae sancti Hippolythi, tam nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum praeficiendae per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in dicto oppido in civitatem episcopalem, ut praefertur erecto, totaque dioecesi sancti Hippolythi, ut praefertur concessa, et assignata propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Viennensis Austriae praedictae, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita dicta apostolica auctoritate, itidem perpetuo supponimus, atque subjicimus.

Assignatio mensae episcopalis. §. 9. Et insuper mensae episcopali ipsius ecclesiae sancti Hippolythi per Nos, ut praefertur erectae, et institutae pro illius dotatione, et ad hoc ut idem pro tempore futurus episcopus sancti Hippolythi statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeat annuam summam quindecim millium florenorum monetae illarum partium, videlicet septem mille florenos pares ex redditibus episcopalis mensae Neostadiensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae provenientes, et respective percipiendos. Reliquos vero octo mille florenos similes per eumdem Josephum regem, et imperatorem in ipsius novae mensae episcopalis sancti Hippolythi supplementum annuatim, ut accepimus, persolvendos, seu qui jam persolvuntur praeter fructus ex dynastia Gutenbrunn nuncupata provenientes, et ab eodem Josepho rege, et imperatore ex mera sui liberalitate donatos simili apostolica auctoritate pariter perpetuo attribuimus, et incorporamus, ipsique pro tempore futuro episcopo sancti Hippolythi pro sui habitatione aedes prope dictam cathedralem ecclesiam per Nos, ut praefertur, erectam, et institutam existentes, et ab ipso Josepho rege, et imperatore jam, ut etiam accepimus, designatas, atque ad praemissum episcopalis habitationis effectum aptantur eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque addicimus, et concedimus.

Proventus canonicorum, et cathedralis ecclesiae declarantur. §. 10. Ac praeterea, ut dignitates ac canonicatus, et praebendae ejusdem cathedralis ecclesiae sancti Hippolyti per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae, et per modum subrogationis, seu translationis hujusmodi respective erecti, et instituti de congrua respective etiam dotatione provideantur, illasque, et illos pro tempore respective obtinentes, onera eis pro tempore respective incumbentia supportare valeant, dicto vicariatu generali, eique annexo praedicto, videlicet unam triummillium, ac eidem praepositurae, eique pariter annexo aliam mille, et ducentorum, ac dicto decanatui, eique similiter annexo aliam aliorum mille, et ducentorum, ac praedictae custodiae, eique itidem annexo canonicatibus aliam aliorum mille, et ducentorum; cuilibet vero reliquorum trium ex septem canonicatibus, ut supra, per modum subrogationis, seu translationis hujusmodi per Nos, ut praefertur, erectis, et institutis reliquam respective annuas summas mille circiter florenorum dictae monetae pro illarum, et illorum respectiva praebenda eadem apostolica auctoritate, similiter perpetuo applicamus, et assignamus, eisdemque fu-

toris, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectas, et erectos hujusmodi, tam pariter hac prima vice a primaeva illorum, et illarum erectione, et institutione per Nos, ut praefertur, factis vacantes, quam etiam deinceps quoties illos, et illas ex personis eas, et eos pro tempore respective obtinentibus pari apostolica auctoritate reservamus.

Contra executionem literarum, omne juris remedium submovetur.

§. 11. Decernentes praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis, Nostrae, seu quepiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetodine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, aut alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quaudocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae, ac successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Sicque et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§. 3. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra dividi, ac distingui prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore

concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione aiias de illis, eorumque totis tenoribus specislis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia oxpressio habenda, aut aliqua alia etiaoi exquisita forma ad boc servauda foret, teoores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forms in iiiis tradita observata inserti forent, praesentibus pro pleue, ot sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo roboro permansuris latissime, et plenissimo ad praemissorum validissimum affectum specialiter, et oxpresse, nec nou opportuno, ac valida hac vice dumtaxat motu, scieutia, et potestatis plonitudine hujusmodi barum serie derogamus, caetarisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de referendo reddito ecclesiae in libris camerae apostolicae.

§. 14. Volumus autom quod dicta ecclesia sancti Hippolythi per Nos, ut praefertur, erecta, et instituta juxta redditus praedictos illius episcopali mensae, otiam, ut praefertur, applicatos, ot assignatos (firma tameo remanente taxa praedictae ecclesiae Passaviensis) de more ad 500. florenos auri, at hujusmodi taxa in libris cameraa apostolicao describi debeat.

Electio executoris apostolici.

§. 15. Per praesentes autem nuncium praodictum in dicta civitato Vieonensi Austriae hujusmodi, nt praefertur, commorantem in executorem earumdem praesentium quoad illarum executionem tantum apostolica auctoritate praedicta deputamus, nec non praedicto nuncio facultatem, ut ipse qusmcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in executione praedicta subdelegare libere, et licite valeat: eidemqne pariter uuncio, seu personae praedictae ab eo, ut praefertar, subdelegandae facultatem quoque, nt ipse, seu ipsa integram praemissorum observantiam, sub quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis praecipere, ac etiam super quscumque oppositione advarsus eadem praemissa oritura, servatis tamen quae fuerint de jure servanda, definitive pronunciaro libere, at licite possit dicta apostolica auctoritate concedimus, at impartimur.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, prioris sejunctionis, exemptionis, dismembrationis, divisionis, separationis, incorporationis, et adjunctionis, nec non posterioris suppressionis, et extinctionis, ac erectionis, institutionis, voluntatis, et statuti, nec non posterioris otiam dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, ac attributionis, incorporationis, adjectionis, concessionis, applicationis, facultatis impartitionis, reservationis, ac decreti derogationis, ac alterius voluntatis, et deputationis, nec non posterioris quoquo facultatis impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, quinto kalendas februarii pontificatus Nostri anno nono.

CDLXXIII.

Dat. Romae die 28. januarii 1784. anno nono.

Erectio sedis episcopalis in ecclesia Linciensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanus Pontifex, quem decet tamquam patrem familias super universos Christifideles suam exercere dilectionem, praesertim tamen erga illos, qui legali potestate praediti, et ipsi praecipua vigilantia animarum, populorum salutem scrutantur studium omne, ac sollicitudinem suam adhibere consuevit, ut ea, quae ortodoxae fidei propagationem, divinique cultus decorem, et incrementum probe statuerunt ox apostolica benignitate valeant commendationem simul, et firmitatem promereri.

Imperator erectionem flagitavit.

§. 2. Cum itaque alias dilectus filius Noster Franciscus tituli sanctorum Nerei, et Achillei Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Herzan de Harras nuncupatus charissimi in Christo filii Nostri Josephi II. Romanorum Bohemiae, et Hungariae regis apostolici in imperatorem electi apud Nos, ot Sedem apostolicam administer plenipotentiarius Nobis exposuerit, quod dictus Josephus rex, et imperator pro catholici principis debi-

te ad excitandum orthodoxae religionis incrementum, suorumque subditorum operandam animarum salutem, meliori mediante spirituali regimine, et gubernio suis in ditionibus inducendo plurimum desiderio ferebatur, ut in oppido civitate nuncupato Linciensi, praevia illius in civitatem episcopalem erectione una sedes episcopalis institueretur, et infrascripta inibi existens parochialis ecclesia (illius titulo collativo perpetuo, ut infra suppresso et extincto) in cathedralem ecclesiam, etiam perpetuo erigeretur, et caetera alia infrascripta per Nos fierent.

Nuntius apostolicus refert de utilitate erectionis.

§. 3. Cumque Nos tam pia studia dicti Josephi regis, et imperatoris tunc obsecundare intendentes dilecto etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in civitate Viennensi Austriae commoranti successive vigore decreti a Nobis sub die secunda mensis augusti proxime praeteriti approbati, ut ipse nuncius causis dictae erectionis, illiusque necessitate rite perpensis de illis juxta instructionem in ipso decreto contentam inde referret apostolica auctoritate commiserimus. Novissime vero ex processu desuper confecto, et a nuncio praedicto ad urbem transmisso acceperimus, quod hujusmodi erectionis necessitate reipsa existente, si in dicto oppido unus episcopatus, modo tamen et forma inferius exprimendis institueretur, maxima quidem ipsius oppidi, aliorumque infrascriptorum districtuum respective habitatoribus in spiritualibus eveniret utilitas.

Accedit consensus episcopi Passaviensis.

§. 4. Quodque ad opus tam grande rite perficiendum accedens quoque venerabilis frater Noster modernus episcopus Passaviensis, ut a sua Passaviensi dioecesi districtus ipsi infrascripti, et in eis respective contenta decanatus parochiales ecclesiae; ac vicariatus monasteria canonicae, nec non archidiaconatus, et alia beneficia ecclesiastica infrascripta ad praemissum erectionis effectum perpetuo, ut infra, dismembrarentur consensit.

Extinguitur titulus collativus ecclesiae parochialis Mariae in Coelum Assumptae.

§. 5. Nos propterea tam laudabilibus praedicti Josephi regis, et imperatoris inclyta majorum suorum pietatis exempla aemulantis votis haerere, nec non precibus ipsius Francisci cardinalis ejusdem Josephi regis, et imperatoris nomine hac in parte Nobis super porrectis annuere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine parochialem ecclesiam beatae Mariae virginis in Coelum Assumptae in dicto oppido existentem, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, seu de illa quovis modo disponi amplius nequeat, et si illa deinceps ullo unquam tempore conferri, seu impetrari, vel alias de illa disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuantur, apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus.

Erectio oppidi in civitatem.

§. 6. Illaque sic suppressa, et extincta dictum oppidum civitatem, ut praefertur, nuncupatam Linciensem in civitatem episcopalem Linciensem, ut antea nuncupandam, cum omnibus juribus, honoribus, praeeminentiis, et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali sede insignitae utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Erectio ecclesiae in cathedralem.

§. 7. Praefatam vero parochialem ecclesiam, ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedralem ecclesiam archiepiscopo Viennensi in Austria praedicta suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam sub invocatione ejusdem beatae Mariae virginis in Coelum Assumptae, quae etiam, ut antea, parochialis existat, et in ea sedem, ac dignitatem episcopalem pro uno deinceps episcopo Linciensi nuncupando, qui eidem ecclesiae Linciensi, illiusque civitati praedictae, ac dioecesi etiam Linciensi, ut infra constituendae, et assignandae praesit, abbates, inferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia, et singula jura, officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo infrascripto, sigillo, arca, mensa episcopali, caeterisque pontificalibus signis, insigniis, nec non juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae nationis Germanicae episcopales ecclesiae, earumque praesules, non tamen titulo oneroso (seu ex privilegio particulari) similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, poti-

ri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum.

Declarantur dignitates capituli.

§. 8. In ipsa vero cathedrali ecclesia Linciensi unum vicariatum generalem noncupatum, qui post pontificalem hujusmodi major, cum uno canonicatu, et una praebenda pro uno canonico vicario generali nuncupando, qui caput capituli dictae cathedralis ecclesiae Linciensis existat, iisque gaudeat praeeminentiis, quae de jure sibi competere possunt, ut debent, nec non unam praeposituram, quae secunda cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda pro alio canonico praeposito, ac unum decanatum, qui tertia, cum alio similiter canonicatu, et alia praebenda pro alio canonico decano, ac unam custodiam, quae quarta respective dignitates in dicta cathedrali ecclesia Linciensi existant cum alio itidem canonicatu, et alia praebenda eisdem dignitatibus respective invicem perpetuo unitis extituris pro alio canonico custode, etiam respective nuncupando. Ac aliquos tres canonicatus, totidemque praebendas pro tribus aliis futuris mere canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae Linciensis, qui illius capitulum constituant, et apud eam personaliter residere, ac in ea his diebus horas canonicas, tam diurnas, quam nocturnas, aliaque divina officia devote, ac cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, divinisque officiis, tam diurnis, quam nocturnis hujusmodi interesse, ac alias eidem cathedrali ecclesiae Linciensi, laudabiliter deservire teneantur. Similiter cum choro, stallo, arca, et sigillo communibus, aliisque signis, ac insigniis cathedralibus; quique omnibus, et singulis privilegiis, et praerogativis gaudere possint, et valeant, quibus capitula, et canonici aliarum cathedralium ecclesiarum in archidiaconatu Austriae praedictae consistentium (non tamen titulo oneroso acquisitis) gaudere solent, ac possunt ad Dei Omnipotentis laudem, et gloriam, ejusdemque Virginis Mariae honorem, fideique catholicae exaltationem apostolica auctoritate praedicta perpetuo erigimus, et instituimus.

Praecipitur erectio praebendae theologalis, et poenitentiariae.

§. 9. Volentes tamen, et eadem apostolica auctoritate statuentes, quod futurus episcopus Linciensis in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut praefertur erecta, et instituta unam theologalem, et alteram poenitentiariam praebendas ad praescriptum concilii Tridentini erigere debeat conscientia ejusdem futuri episcopi Linciensis desuper onerata remanente, quodque insuper in dicta cathedrali per Nos, ut praefertur, erecta, et instituta; quae etiam, ut antea parochialis existat, ut praefertur pro animarum dilectorum filiorum illius parochianorum curae exercitio unus parochus, nec non quatuor vicarii curati nuncupandi in exercitio curae animarum hujusmodi, eidem parocho pro tempore extituro coadjuvantes per ipsum pro tempore futurum episcopum Linciensem respective examinandus, ut examinandi, et ad curam animarum hujusmodi exercendam respective approbandus, et approbandi, aliique insuper quinque vicarii chorales itidem nuncupandi, eidem cathedrali ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae; illiusque choro praedicto in divinis inservientes adesse, et respective institui debeant.

Constitutio novae dioecesis.

§. 10. Ac praeterea, ut praedictae episcopalis ecclesiae Linciensis per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae dioecesis constitui possit ab ecclesia Passaviensi, illiusque dioecesi totam Austriam superiorem trans Onasum sitam Germanice vero *Oesterreich ob der Enns* nuncupatam, nec non partem illam Bavariae Austriacae ditioni subjectam vulgo *das Inviertel* nuncupatam, quarum utraque sub eadem Passaviensi dioecesi tantum comprehenditur, et in quibus districtus, seu decanatus, nec non collegiatae, et parochiales ecclesiae, ac vicariatus, et monasteria canonicae, et archidiaconatus, caeteraque beneficia ecclesiastica, saecularia, et regularia infrascripta sita reperiuntur videlicet — Decanatus Linciensis, et sub eo comprehensae paroeciae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, una scilicet de Lintz, ac alia sancti Marcin, ac alia Hartkirchen, ac alia Haybac, ac alia Waizenkirchen, ac alia Natternbach, ac alia Waldkirchen prope Wesch, ac alia Michelbach, ac alia Pevorbach, ac alia Waidocokirchen, ac alia Puckin, ac alia Leonstein, ac alia Efferding, ac alia Schleishaim, ac alia Grienborg, ac alia Horsching, ac alia Hoizhausen, ac alia Wolfern, ac reliquae paroeciae saeculares Sirning respective nuncupatae locorum — Regulares vero paroeciae una scilicet Ansfelden, ac alia Sippachzell, ac alia Kommatten, ac alia Weissen Kirchen, ac alia Kirchberg, ac alia Steyer, ac alia Neustift, ac alia Molln, ac alia Stainbach, ac alia Hofkirchen, ac alia sanctae

Mariae Kierchen, ac alia Ebelsperg, ac alia Dietach, ac alia Schönering, ac alia Allkfen, ac alia Stain, ac alia Waltern, ac reliquae parocciae regulares hujusmodi Harghsperg respectiva etiam nuncupatorum locorum; nec non monasterium Cremifanense cum parochiali ecclesia claustrali, ac canonia sancti Floriani similiter cum parochiali ecclesia claustrali, ac aliud monasterium Garstense nuncupatum, itidem cum parochiali ecclesia claustrali, ac aliud monasterium Glunicense pariter nuncupatum cum parochiali quoque ecclesia claustrali, ac reliquum monasterium sancti Benedicti, seu alterius respective ordinis Cellae angelorum etiam nuncupatum similiter cum parochiali ecclesia claustrali — ac unus Neukirchen ad Ypfrin, et alter respective vicariatus Leonding respective nuncupati locorum; nec non beneficia ecclesiastica infrascripta, unum scilicet hospitalis Licensis, ac aliud Furstembergianum dictum ibidem, ac aliud Peisorianum nominatum Lincii, ac aliud loci Aschach, ac aliud loci Peverbach, ac aliud loci Traun, ac aliud hospitalis Efferdingensis, ac aliud loci Efferding, ac aliud ibidem, ac aliud Schaumburg, ac aliud sanctissimae Trinitatis loci Steyr, ac aliud ad S. Annam ibidem, ac aliud Truendianum dictum ibidem, ac aliud ad sanctum Nicolaum ibidem, ac aliud ad sanctum Ægydium, ac aliud loci Marchtrenck, ac reliquum beneficia ecclesiastica hujusmodi loci Ottstorff nuncupati — Ac alius decanatus Laureacensis, etiam nuncupatus, et sub eo contentae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Enns, ac alia Oppaniz, ac alia Behamberg, ac alia Cinstätten, ac alia Neuhofen, ac alia Hollnstain, ac alia Gossling, ac alia Waidhofen ad Ypsim, ac alia s. Peter in Augea, ac alia Strenberg, ac alia Sindlburg, ac alia Haag, ac alia s. Valentin, ac alia Wincklarn, ac alia s. Pantaleon, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae seculares hujusmodi Erlakloster respective nuncupatae, nec non saecularis collegiata ecclesia Ardagger cum ei perpetuo canonice unita, seu annexa parochiali ecclesia — Parochiae vero, seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae, scilicet una Aspach, ac alia Allhartsberg, ac alia Ybsiz, ac alia Windhaag, ac alia Wolfsbach, ac alia Neustadt, ac alia Haidershofen, ac alia Sontagberg, ac alia Piberbach, ac alia s. Georgen prope Klaus, ac alia s. Michael, ac alia Gaflenz, ac alia Losenstein, ac alia Raming, ac alia Ternberg, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares hujusmodi Veyer respective nuncupatae — Nec non monasterium Seitenstettense etiam nuncupatum ejusdem sancti Benedicti, seu alterius ordinis cum parochiali ecclesia claustrali, ac infrascripti vicariatus, unus videlicet Weistrach, ac alius Kunberg, ac alius Vichadorf, ac alius Ulmerfelden, ac alius Euratsfelden, ac alius Ernstofenl, ac alius s. Georgen prope Ybbsfeld, ac alius Kronstorff, ac aliud Kollmizberg, ac alius s. Stephan prope Hardt, ac reliquus vicariatus hujusmodi s. Leonhardt respective nuncupati — Nec non beneficium ecclesiasticum loci Waidhofen ad Ybbsim — ac alius decanatus Treystadiensis nuncupatus, et sub eo pariter comprehensae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Treystadt, ac alia Gnettan, ac alia s. Leonhardt, ac alia Wartberg, ac alia Waitersfelden, ac alia Kreiizing, ac alia Greing, ac alia Naarn, ac alia Hellmonnsoedt, ac alia Gallneu Kirchen, ac alia Reichentall, ac alia Zell prope Zellhof, ac alia Tragein, ac alia Schonan, ac alia Reichenau, ac alia Pierbach, ac alia Raimbach, ac alia Leopoldschlag, ac alia Weissenbach, ac alia Pabneukirchen, ac alia Schwerdtberg, ac alia Steyregg, ac alia s. Georgen ad Gusam, ac alia Kemermarkt, ac alia Perg, ac alia Sandal, ac alia Reeberg, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares hujusmodi Lictenau respective nuncupatae — Parochiae vero, seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae, scilicet, una Grienbach, ac alia Lassberg, ac alia Ried, ac alia Matthausen, ac alia Konigswiesen, ac alia s. Georgen, ac alia Saxen, ac alia Mitter Kirchen, ac alia s. Thoma, ac alia Arbing, ac alia Sergkirchen, ac alia s. Nicola penes Struden, ac alia Hofkirchen, ac alia Altenburg, ac alia Munzbach, ac alia Monnichsdorf, ac alia Dimbach, ac alia Windhaag, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares hujusmodi Oswald respective nuncupatae — Nec non monasterium Baumargentembergense ejusdem sancti Benedicti, seu alterius ordinis cum parochiali ecclesia claustrali, ac unus Neumarckt, ac alius Hirschbach, ac reliquus respective vicariatus Schenken felden respective nuncupati — Nec non beneficium ecclesiasticum confraternitatis sanctissimi corporis Chri-

sti loci Freystadt, ac alius decanatus Gaspolts-koviensis nuncupatus, et sub eo similiter comprehensae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Atzbach, ac alia Kallham, seu Taufkirchen, ac alia Pichl, ac alia Hofkirchen ad Trattriam, ac alia Histershaim, ac alia Meggenhofen, ac alia Rottenbach, ac alia Gaspoltsofen, ac alia Schwannestadt, ac alia Gunskirchen, ac alia Gallspach, ac alia Wells, ac alia Schonau, ac alia Riedau, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares hujusmodi s. Georgen prope Tolleth respectivo nuncupatae — parochiae vero seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae una scilicet Aichkirchen, ac alia Neukirchen, ac alia Grieskirchen, ac alia Wimspach, ac alia Roltham, ac alia Vocklabruck, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares hujusmodi Puechkirchen respective itidem nuncupatae, nec non monasterium Lambacense nuncupatum ejusdem sancti Benedicti, seu alterius respective ordinis similiter cum parochiali ecclesia claustrali, ac etiam vicariatus infrascripti nempe unus Ampflwang, ac alius Ungenach, ac alius Wendling, ac alius Folling, ac alius Offenhausen, ac alius Haag prope Stahrnberg, ac alius Thalham, ac alius Polling, ac alius Pramkirchen, ac alius Dorf, ac reliquus vicariatus hujusmodi Geboltskirchen respective nuncupati — nec non pariter beneficia ecclesiastica infrascripta, unum scilicet loci Wolfregg, ac aliud hospitalis Welsensis, ac aliud loci Vocklabruck, ac aliud loci Schwannenstadt, ac aliud Hochenfeldianum dictum loci Wels, ac aliud loci Pramkirchen, ac aliud loci Kallham, ac aliud loci Neumarkt prope Kallam, ac aliud loci Zell prope Petted-furt, ac aliud loci Stainakirchen, ac aliud loci Giesperg, ac aliud loci Haag prope Stahrnberg, ac aliud Baronianum nuncupatum loci Wels, ac aliud loci Koppach, ac aliud loci Azbach, ac reliquum beneficia ecclesiastica hujusmodi Prechenstainerianum nuncupatum loci Nofkirchen ad Trattnam respective etiam nuncupata — Ac alius decanatus Altenfeldensis nuncupatus, et sub eo existentes parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Sfarrkirchen, ac alia Sarloinshac, ac alia Altenfelden, ac alia Kirchberg ad sylvam, ac alia s. Johann penes Winberg, ac alia s. Veith, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares hujusmodi Helfenberg respectivo nuncupatae — Parochiae vero, seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae, scilicet una Haslach, ac alia Oswald, ac alia Rohrbach, ac alia Niederwaldkirchen, ac alia s. Peter penes Wimberg, ac alia s. Martin, ac alia Waldingh, ac alia Feldkirchen, ac alia Gramastetten, ac alia Weisserbach, ac alia Kurzenzwettl, ac alia Habernou Kirchen, ac alia Leonfelden, ac alia Aigen, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares hujusmodi Wrichsberg respective nuncupatae, nec non canonia Plagensis similiter cum parochiali ecclesia claustrali. Ac vicariatus pariter infrascripti, videlicet unus Hoskirchen, ac alius Hiedernkappel, ac alius Peillstein, ac alius Lembach, ac alius Puzleinstorf, ac reliquus vicariatus praedicti Neufelden respective nuncupati. Beneficia vero ecclesiastica etiam infrascripta nempe unum penes Perg, ac aliud loci Langhalsen, ac aliud loci s. Leonhardt, ac reliquum beneficia hujusmodi loci Wanenberg respective nuncupatae — ac alius decanatus Gmundensis itidem nuncupatus, et sub eo existentes quoque infrascriptae parochiae, seu parochiales ecclesiae videlicet una s. Georgen in Attergey, ac alia Gmunden, ac alia Schorflingen, ac alia Plasting, seu Vochlamarkt, ac alia Frankenmarkt, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares hujusmodi Vindischgarsten respectiva nuncupatae; nec non canonia Hospitalensis ad Pyrrham cum ei perpetuo canonice annexa parochiali ecclesia — Parochiae vero, seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae una scilicet Stainbach, ac alia Thaloim, ac alia Stainakirchen, ac alia Gottenbach, ac alia Tischllam, ac alia Vorchdorf, ac alia Wiectwang, ac alia Wartberg, ac alia Kirchdorf, ac alia Abstorf, ac alia Oberwang, ac reliquae parochiales ecclesiae regulares hujusmodi Grieneau respective nuncupatae. Ac monasterium Seliorbacense nuncupatum, cum parochiali ecclesia claustrali, ac aliud monasterium praedicti sancti Benedicti, seu alterius ordinis Lunaelacense etiam nuncupatum cum simili parochiali ecclesia claustrali — Nec non infrascripti pariter vicariatus, unus nempe Woyeregg, ac alius Untrach, ac alius Laarkirchen, ac alius Frankerburg, ac alius Gumpern, ac reliquus vicariatus hujusmodi Neukirchen respective nuncupati; nec non una parochia, seu parochialis ecclesia regularis See-

walcken etiam nuncupata — Beneficia vero ecclesiastica infrascripta unum scilicet loci s. Agatha, ac aliud loci Ausee, ac reliquum beneficia hujusmodi loci Orth — Ac alius decanatus Andorfensis pariter nuncupatus, et sub eo etiam comprehensae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Andorf, ac alia Estenberg, ac alia Kopfing, ac alia Munzkischen, ac alia Wehrnstain, ac alia Obernberg, ac alia Scharding, ac alia Schaftenberg, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares praedictae s. Maria Kirchen respective nuncupatae — Parochiae vero, seu parochiales ecclesiae regulares infrascriptae, scilicet una Andessenhofen, ac alia Orth, ac alia Raab, ac alia Tauskirchen, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares praedictae Zell respective etiam nuncupatae; nec non canonia Reicherspergensis cum parochiali ecclesia claustrali — Ac pariter infrascripta beneficia ecclesiastica, videlicet unum loci Scharding, ac aliud Eisenthallerianum nuncupatum ibidem, ac aliud ibidem, ac aliud Peswirthiniarum, etiam nuncupatum ibidem, ac aliud Geldigerianum pariter nuncupatum ibidem, ac aliud civicum nuncupatum similiter ibidem, ac aliud Asingarianum etiam ibidem, ac aliud loci Sigharding, ac aliud loci Brunenthall, ac aliud loci Kirchdorf prope Obernberg, ac reliquum beneficia hujusmodi hospitalis Obernbergensis respective etiam nuncupata — Ac alius decanatus Aschpacensis itidem nuncupatus, et sub eo pariter confentae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, scilicet una Aschpach; ac alia Geinberg, ac alia Mavernberg, ac alia Moverkirchen, ac alia Mosbach, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares praedictae Rosbach respective nuncupatae — Nec non unus Manning, ac alius s. Peter, ac reliquus vicariatus Hennhardt respective quoque nuncupati — Beneficia vero ecclesiastica infrascripta, unum nempe loci Maverkirchen, ac aliud loci Althaim, ac aliud loci Mambling, ac reliquum beneficia hujusmodi loci Aschpach — Ac alius decanatus Aurolzmonasteriensis etiam nuncupatus, et sub eo pariter consistentes parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, videlicet una Aurolzmunster, ac alia Peterskirchen, ac alia Oberswang, ac alia Gurten, ac alia Hochenzell, ac alia Riedt, ac alia Taiskirchen, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares hujusmodi Waldzell respective nuncupatae — Nec non etiam infrascripti vicariatus, nempe unus Meahrnbach, ac alius Tumeltsham, ac alius Uhenzennich, ac reliquus vicariatus praedicti Weilbach respective nuncupati — Beneficia vero ecclesiastica infrascripta, scilicet unum loci s. Martene, ac aliud loci Eberswang, ac aliud loci Ried, ac aliud Sudlerianum nuncupatum ibidem, ac aliud loci Andrichsfurt, ac reliquum beneficia praedicta loci Rigerding respective nuncupata — Ac reliquus decanatus Astellensis quoque nuncupatus, et sub eo etiam existentes parochiae, seu parochiales ecclesiae saeculares infrascriptae, scilicet una Egglsperg, ac alia Tridburg, seu Lengau, ac alia Feging, seu Munderfing, ac alia Astett, seu Lohen, ac alia Pischelsdorf, ac alia Palting, ac alia Sigertshaft., seu Kirchberg, ac reliquae parochiae, seu parochiales ecclesiae praedictae Feldkircken respective nuncupatae; nec non saecularis, et collegiata ecclesia Mattighoviensis cum parochiali ecclesia Seallen; ac una parochialis ecclesia regularis Strasswalchen — nec non unus Averbach, et alter respective vicariatus Uttendorf, etiam respective nuncupatus — Beneficia vero ecclesiastica infrascripta, scilicet unum loci Heiligenstadt, ac aliud hospitalis loci Mattighofen, ac reliquum benefica hujusmodi loci Hard respective nuncupata — Pari modo archidiaconatus Ranshoviensis nuncupatus, et sub eo itidem comprehensae parochiales ecclesiae, una videlicet Braunau, et alterae parochiae seu parochiales ecclesiae saeculares Geroldsperg similiter nuncupatae — Nec non una Neukirchen, et altera parochiae, seu parochiales ecclesiae regulares Handtenberg respective quoque nuncupatae, prout etiam canonia Ranshoviensis cum parochiali ecclesia claustrali — Ac similiter beneficia ecclesiastica infrascripta, scilicet unum hospitalis Brunoviennensis, ac aliud Dorfling, et Zangbergianum nuncupatum loci Brannou, ac aliud Loderpogehoverianum, etiam nuncupatum ibidem, ac reliquum beneficia ecclesiastica praedicta Holzlianum quoque nuncupatum ibidem respective existentia, pari apostolica auctoritate, similiter perpetuo dismembramus, dividimus, et separamus, ac respective in dicta Austria superiore, et in praedicta Bavariae parte, eisdemque districtibus, seu decanatibus, ac

collegiatis, et parochialibus ecclesiis, nec non vicariatibus, ac monasteriis, canoniis, et archidiaconatu hujusmodi, sic, ut praefertur, dismembratis, divisis, et separatis respective contentos, utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, canonicos, beneficiatos, ac religiosos quoscumque (non tamen exemptos) cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria moderni praedicti, nec non dilectorum etiam filiorum modernorum ejus capituli, et canonicorum, cujus, et quorum ad id expressus accedit assensus, et pro tempore existentis episcopi Passaviensis jurisdictione, potestate, superioritate, et auctoritate dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque disjungimus, et eximimus, ac praedictum oppidum Linciense in civitatem episcopalem, ut praefertur, erectum, eamdemque Austriam superiorem, et Bavariae partem praedictam, nec non districtus, seu decanatus, ac collegiatas, et parochiales ecclesias, nec non vicariatus, ut monasteria, canonias, et archidiaconatum; aliaque beneficia ecclesiastica, ut praefertur respective dismembratas, ac dismembratos, et dismembrata, et in eis omnes, et singulas respective, ut praefertur, comprehensas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, canonicos, beneficiatos, et religiosos pariter quoscumque (non tamen exemptos) ut supra, ut praefertur, disjunctos, et exemptos novae ecclesiae episcopali Linciensi, ejusque futuro praesuli pro suis civitate, et dioecesi (in quibus semper residere debebit) ac clero, et populo eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et assignamus.

Constituitur episcopi jurisdictio.

§. 11. Ac ordinariae ejusdem pro tempore futuri episcopi Linciensis jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati: ita quod liceat eidem ecclesiae Linciensi, tam nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum praeficiendo per se, vel alium seu alios ejus nomine, veram realem, corporalem, et actualem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis; et omnimodi juris dioecesani in dicto oppido Linciensi in civitatem episcopalem, ut praefertur, erecto, nec non in tota dioecesi Linciensi praedicta, etiam, ut praefertur, concessa, et assignata, propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Viennensis in Austria praedicta, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita simili apostolica auctoritate, etiam perpetuo supponimus atque subjicimus.

Mensae episcopalis constitutio.

§. 12. Nec non mensae episcopali Linciensi praedictae per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae pro illius dotatione, et ad hoc ut idem pro tempore futurus episcopus Linciensis statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeat annuam summam duodecim millium florenorum monetae illarum partium a dicto Josepho rege, et imperatore, ut pariter accepimus perpetuo constitutam, eamque ab omni, et quocumque onere nunc imposito, et pro tempore quomodolibet imponendo, ac alias in omnibus, et per omnia, et omnino quoad omnia prorsus liberam, immunem, et exemptam, ita ut praedictus Josephus rex, et imperator expensis consistorii nuncupatis, illiusque expeditionibus pro tempore faciendis, ut similiter accepimus, aliunde prospexerit dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo attribuimus, et incorporamus.

Dos cathedralis ecclesiae.

§. 13. Ipsique pro tempore futuro episcopo Linciensi, et cathedrali ecclesiae in civitatem episcopalem, ut praefertur, erectam, et ab eodem Josepho rege, et imperatore, ut itidem accepimus, designatam, quae valde decora existit, nullaque indiget reparatione, simili apostolica auctoritate perpetuo quoque addicimus, et concedimus; ac praeterea, ut dignitates, ac canonicatus, et praebendae ipsius cathedralis ecclesiae, ut praefertur, erectae, et institutae, ac erecti et instituti de congrua etiam respectiva dotatione provideantur, illasque, et illos pro tempore respective obtinentes onera, et obligationes eis respective incumbentes supportare valeant: vicariatui generali praedicto, eique annexo, videlicet unam trium millium, ac eidem praepositurae, eique pariter annexo aliam mille, et ducentorum, ac dicto decanatui, eique similiter annexo aliam aliorum mille et ducentorum; ac praedictae custodiae, eique itidem annexo, aliam aliorum mille et ducentorum; cuilibet vero reliquorum trium, et septem canonicatibus, ut supra erectis reliquam respective annuam summam mille florenorum dictae monetae pro illarum, et illorum

respective praebenda similiter in partibus jam ut quoque accepimus, constitutas, et per unumquemque ex dignitates ac canonicatus, et praebendas praedictos, ut praefertur erectas, et erectos futuris pro tempore respective obtinentibus annuatim percipiendas, exigendas, et levandas, ac in eorum respectivos usus, et utilitatem convertendas eadem apostolica auctoritate perpetuo etiam applicamus, et assignamus. Eisdemque pro tempore futuris capitulo et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Linciensis, ut praefertur, erectae, et institutae, ut ipsi pro ipsius sic erectae cathedralis ecclesiae, illiusque chori, ac capituli, illorumque rerum ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero felicique regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis respective incumbentium supportatione, ac divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, ac suffragiorum celebratione, et distributionum quotidianarum, ac emolumentorum quorumcumque praesentium, et futurorum exactione, perceptione, et divisione, nec non poenarum per absentes, et divinis officiis suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, ac singulorum praesentiis, et absentiis notandis, nec non caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia, ut praefertur, erecta, et instituta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedicti minime adversantia, et per ipsum pro tempore futurum episcopum Linciensem prius examinanda, et approbanda edendi, et edita declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, et reformandi; seu alia de novo ex integro condendi eisdem tamen sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedicti minime adversari, et, ut praefertur, per ipsum pro tempore futurum episcopum Linciensem prius etiam examinanda, et approbanda, et per eos ad quos spectat, et pertinet, ac pro tempore spectabit, et pertinebit observanda sub poenis in contrafacientes statuendis plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impartimur.

§. 14. Ac alterius eidem Josepho regi, et imperatori ejusque in archiducatu Austriae successoribus pro tempore existentibus jus nominandi, seu praesentandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure praefixum ad episcopalem ecclesiam Linciensem hujusmodi, ut praefertur, erectam, et institutam, tum hac prima vice a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps, quoties eam pro tempore quomodolibet etiam pastoris solatio destitui contigerit personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi eidem episcopali ecclesiae Linciensi in episcopum praeficiendam eodem prorsus modo, quo episcopi aliarum ecclesiarum in praedicto Austriae archiducatu ad nominationem, seu praesentationem ab eadem Sede apostolica praedicta praefici consueverunt, eodemque, ac simili modo aliud jus nominandi, seu praesentandi personas itidem idoneas ad dignitates, nec non canonicatus, et praebendas ipsius cathedralis ecclesiae Linciensis, ut praefertur, erectas, ut erectos hujusmodi, tam pariter hac prima vice a primaeva illarum, et illorum erectione, et institutione per Nos, ut praefertur, factis vacantes, quam etiam deinceps quoties illas, et illos ex personis eos, et eas pro tempore respective obtinentibus, quovis modo vacare contigerit pari apostolica auctoritate, itidem perpetuo respective reservamus.

Ius nominandi canonicos, et episcopum imperatori conceditur.

§. 15. Decernentes praesentes semper, et perpetuo valituras, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo, quod causae propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et

Clausulae salutares, quibus omne juris remedium contra praesentes literas submovetur.

expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, aut alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas, quandocumque etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam si in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat edita, et in imposterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore et esse.

Decretum irritans.

§. 16. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernentes.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae praedicta regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra dividi, ac distingui prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum, derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia, etiam exquisita forma, ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, ac valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine hujusmodi harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum de referenda mensae statu in libris camerae apostolicae.

§. 18. Volumus autem quod dicta ecclesia Linciensis per Nos, ut praefertur, erecta, et instituta juxta redditus praedictos illius episcopali mensae, etiam, ut praefertur, applicatos, et assignatos de more ad 148 florenos auri taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat. Nos autem per praesentes praedictum nuncium in dicta civi-

tate Vicuncosi Austriae hujusmodi, ut praefertur, commorantem in exequutorem earumdem praesentium, quoad illarum exequutionem tantum apostolica auctoritate praedicta deputamus, nec non praedicto nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in exequutione praedicta subdelegare libere, et licite valeat; eidemque pariter nuncio, seu personae ab eo, ut praefertur subdelegandae facultatem quoque, ut ipse, seu ipsa integram praemissorum observantiam sub quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis praecipere, ac etiam super quacumque suppositione adversus eadem praemissa quomodolibet oritura, servatis, tamen, quae fuerint de jure servanda definitive pronunciare similiter libere, et licite possit dicta apostolica auctoritate concedimus, et impartimur.

Sanctio poenalis.

§. 19. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, voluntatis, statuti, dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, attributionis, incorporationis, addictionis, concessionis, applicationis, facultatum impartitionis, reservationis, deputationis, decreti, derogationis alterius facultatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, quinto kalendas februarii, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 8. feb. 1784. Anno IX.

CDLXXIV.

Congregatio Lusitana monachorum excalceatorum sancti Pauli primi eremitae erigitur in veram religionem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divina dispositione praesidemus, congregationes Christifidelium, qui abnegatis hujus saeculi blanditiis propius Deo famulari, cui servire regnare est, susceperunt, paterno charitatis affectu prosequimur, feliciquae illarum statui, ac personae, quae tam laudabile, ac pium, vereque christianum vitae institutum ingressae sunt, in ea vocatione, in qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, et favoribus providere studemus, sicut omnibus mature expensis, ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem expedire in Deo arbitramur.

Expositio precum porrectorum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi excalceati sancti Pauli primi eremitae congregationis Lusitanae, Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die 15. novembris anni 1781. expeditas literas eorum constitutiones, ac statuta confirmasse, ac subinde etiam, ut tria vota paupertatis nempe, castitatis, et obedientiae solemniter emittere possent, concessisse.

Ratio concessionis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut magis magisque congregatio hujusmodi ad majorem Dei cultum, et animarum Christifidelium salutem in dies augeatur, uberioresque fructus in Ecclesia Dei ferat, in veram, ac formalem religionem, ita ut in posterum dictae congregationi religionis, et ordinis, ipsis vero monachis religiosi, et veri regularis nomen respective conveniat, tam quoad domum, seu conventum nunc in civitate Ulyssipponensi erectam, quam quoad alias omnes domos, seu conventus intra ditionem, ac dominia carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae, ejusque successorum cum iisdem constitutionibus per Nos, ut praefertur, confirmatis erigendos per Nos declarari, et erigi, ipsisque gratias, et privilegia ordinum mendicantium a Nobis pariter communicari, et concedi summopere desiderent.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos exponentes praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Roma-

nae Ecclesiae cardinalium negotiis, ac consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui relationem venerabilis fratris Vincentii archiepiscopi Tyrensis apud memoratam Mariam Franciscam reginam fidelissimam Nostri, et Sedis apostolicae nuntii ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, consilio, praefatam congregationem Lusitanam monachorum excalceatorum sancti Pauli primi eremitae vere regularem, ac modernos, et pro tempore existentes ipsius congregationis professores, juxta illius constitutiones, et apostolicas concessiones vota, et professionem emittentes, vere religiosos, ac in statu regulari aeque ac alios religiosos, et regulares esse, tam quoad domum, seu conventum, ut praefertur, nunc erectum quam quoad domos, seu conventus intra ditionem, et dominia praedicta erigendos auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus, ac respective perpetuo erigimus, et instituimus.

Communicatio privilegiorum.

§. 5. Utque congregationem, et pium illius institutum confoveamus, et promoveamus, eidem congregationi omnia, et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates, et exemptiones, et praesertim ab omnibus juribus parochialibus, decimis frugum, olerum, leguminum, pullorum gallinaceorum, quae in hortulo cuilibet domui, seu conventui adnexo instruentur, libertates, caeterasque gratias, praeeminentias, et indulta cujuscumque generis existentia, spiritualia, et temporalia qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, et apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, vel memoratis regularibus ejusdem congregationis monachorum institutis non adversentur, ordinibus mendicantium, eorumque domibus, conventibus, et aliis locis regularibus, ac ordinum hujusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus, praelatis, visitatoribus, et capitulis etiam generalibus, provincialibus, seu intermediis, eorumque definitoribus, rectoribus, seu vicerectoribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorum regularibus personis, tam in urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, aut alios auctoritatem habentes concessa sunt, et conceduntur, ac quibus de jure, usu, vel consuetudine, privilegio, sive concessione apostolica in genere, vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, ad praefatam congregationem, et singulas ejus domos, et conventus, et alia loca regularia intra ditionem, et dominia praefata existentia, illorumque superiores, praelatos, et quascumque regulares personas auctoritate, et tenore praedictis perpetuo extendimus, illaque eis communicamus, et de novo concedimus, ac suffragari volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane; si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, aliisque locorum ordinariis quibuscumque, nec non dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus, et mandamus, quatenus quilibet eorum per se, vel per alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, ac quoties pro parte visitatorum, et monachorum dictae congregationis sancti Pauli primi eremitae fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra easdem plenum earum effectum sortiri, et obtinere, illosque omnes, quos concernunt, pacifice frui, et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenores sub quovis praetextu, et causa etiam defectu intentionis Nostrae per quoscumque quomodolibet indebite molestari, quin imo quidquid in contrarium attentari, vel fieri contingat omnino semper in pristinum reponi, contradictores quoslibet, et rebelles

etiam per quascumque, de quibus eis videbitur, censuras, et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus praemissis, ac felicis recordationis Bonifacii pp. VIII. etiam praedecessoris Nostri de una, et in concilio generali edita de duabus dietis, dummodo ultra tres dietas aliquis vigore praesentium in judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinum mendicantium etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis quomodolibet etiam plories concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquid communiter, aut divisim ab eadem Sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit per literas apostolicas non facientes plenam et expressam mentionem, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur; quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die tertia februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

CDLXXV.

Dat. Romae 6 feb 1784. Anno nono.

Deputatio antistitis Graeci ritus in regno Siciliae ultra Pharum, qui sine licentia ordinariorum promovere valeat ad sacros ordines Italos Graecos incolas ejusdem regni in ecclesia sancti Demetrii loci della Piana dioecesis Panormitanae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Commissa Nobis divinitus ecclesiarum omnium sollicitudo postulat, utque a praedecessoribus Nostris vel instituta, vel incoepta sunt ad orthodoxae religionis uberiorem progressum, praesidium, et decus, libenter confirmare, servareque conemur, et quantum in Domino possumus, ad optatum exitum, perfectionemque deducamus.

Memoratur erectio collegii Corsini facta a Clemente XII. in dioecesi Bisinianensi pro instructione adolescentulorum Italo Graecorum.

§. 2. Cum itaque sicut ex indubiis monumentis accepimus venerabiles fratres Nostri Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales negotiis propagandae fidei praepositi usque ab anno MDCCXVIII. instantibus alumnis collegii Graecorum de urbe, aliisque piis viris, ac religiosis, in animum habuerint consulare spiritualibus indigentiis Italo-Graecorum, seu Albanensium, quorum maxima copia est in regnis utriusque Siciliae, et in Calabria praesertim, titularem ibi archiepiscopum, seu episcopum iis in locis constituere, qui nonnullis abusibus in Graecum ritum invectis salutaria compararet remedia, omniaque ad pristinum nitorem constitueret, eosdemque Italo Graecos, seu Albanenses Graecarum literarum, sacrarumque caeremoniarum proprii ritus omnino expertes instrueret, at ad sacros ordines promoveret. Cum proinde fel. rec. Clemens pp. XII. praedecessor Noster in Bisinianensi dioecesi seminarium, seu collegium ecclesiasticum Corsinum nuncupatum pro certo puerorum Italo Graecorum in illo instruendorum, et alendorum numero perpetuo erexerit, dotaveritque.

Rectori hujus seminarii facultas concessa fuit ordinandi alumnos et alios quoscumque Italo Graecos ad sacros ordines.

§. 3. Deinde vero ejusdem collegii regimen, et administrationem perpetuo commiserit antistiti Graeci ritus in partibus infidelium, quibusdam ei attributis facultatibus, illaque inter caeteras, ut antistes praedicti collegii praeses pro tempore existens in ejusdem colle-

gii ecclesia omnia, et singula pontificalia exercere posset, et ad sacros ordines promovere non tam dicti collegii alumnos, quam alios quoscumque Italo-Graecos utriusque regni Siciliae, citra, et ultra Pharum incolas, prout in decretis praedictarum venerabilium fratrum Nostrorum die xxiii. decembris, et iv. februarii MDCCXXXV. ab eodem Clemente praedecessore Nostro confirmatis duabus apostolicis literis in forma Brevis, alteris sub datum iv. idus junii MDCCXXXV. incipientibus — *Superna dispositione* — alteris sub datum pridie kalendas aprilis MDCCXXXVI. incipientibus — *Provida pastoralis officii* — latius, uberiusque continentur.

Exponitur ratio constitutionis Clementinae, a qua educitur necessitas novae deputationis antistitis pro provincia ultra Pharum.

§. 4. Cum autem praecipua ratio, quae laudatos viros venerabiles fratres Nostros, eumdemque fel. rec. pontificem Clementem praedecessorem Nostrum impulit, ut antistiti Graeci ritus in praesidem memorati collegii in eadem Bisinianensi dioecesi sic electo, et constituto mox expressam tribueret facultatem pro cunctis Italo Graecis in utraque Sicilia degentibus, in hoc versetur, ne juvenes Italo Graecae gentis hujusmodi pro dictis sacris ordinibus accipiendis incommoda, et expensas amplius subire tenerentur, accedendi ad urbem Nostram, ibique ab episcopo Graeci ritus ad id muneris explendum per sanctam Sedem constituto eosdem ordines suscipere juxta praxim ad illud usque tempus servatam, et ad formam constitutionis fel. rec. pp. Urbani VIII. praedecessoris itidem Nostri desuper editae, cui quoad hoc Clemens praefatus XII. expresse, et specialiter derogavit, reliquum erat, ut quemadmodum hujusmodi Graeci antistitis in Bisinianensi dioecesi perpetuo residentis deputatione consultum fuerat Graecorum in Calabria degentium commodo, et emolumento, ita quoque deputatione alterius antistitis titularis ejusdem Graeci ritus, qui in Sicilia ultra Pharum residens Italo Graecis eam insulam incolentibus sacros ordines conferre valeret cum literis dimissorialibus, ordinariorum respective suorum, eorumdem in eodem Siciliae regno, atque insula commorantes, aegreque ferentes pro sacris ordinibus suscipiendis longum, aerumnosumque aggredi iter accedendi, vel ad hanc Nostram Urbem, vel ad Bisinianensem dioecesim, ubi unicus degit antistes Graeci ritus jamdiu vehementer optabant, id nuperrime sunt consecuti pietate, ac munificentia charissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi utriusque Siciliae regis, qui ut facilius a Nobis obtineret deputationem alterius antistitis titularis Graeci ritus in Sicilia ultra Pharum perpetuo permansuri, ibi sacros ordines collaturi hominibus ejusdem ritus eam insulam incolentibus cum literis dimissorialibus respectivorum ordinariorum rogavit, ut eidem antistiti pro tempore existenti pro ejus congrua juxta pontificalis dignitatis exigentiam, sustentationem, abbatiam s. Mariae de Gala sui regii patronatus perpetuo addiceremus, quam nunc obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta in commendam ad sui vitam ex regia nominatione, nec non ex concessione, et dispensatione apostolicis praedicto antistiti Graeci ritus, ut praefertur deputando, donec eadem abbatia vacare contigerit administrationem, et redditus vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus interea a Nobis assignari posse consentit.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur, qui et piissimae praedicti regis voluntati obsecundare, et quamplurimis incommodis, atque expensis hactenus importatis per defectum antistitis Graecii ritus in Sicilia ultra Pharum residentis dilectis filiis Italo Graecis in eodem regno commorantibus sacris ordinibus initiandis parcere vehementer cupimus, motu proprio, auditoque etiam consilio venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium praefatae congregationi de Propaganda fide per dilectum filium Stephanum Borgia ejusdem congregationis secretarium exhibito antistitem Graeci ritus in partibus infidelium, qui apud ecclesiam sibi commissam impia eorumdem infidelium sic cogente tyrannide, personaliter residere non valens, in regno Siciliae ultra Pharum resideat, ibique Italo Graecis ejusdem regni incolis dimissoriales suorum respective ordinariorum literas sibi exhibentibus sacros ordines in ecclesia sancti Demetrii loci vulgo della Piana Panormitanae dioecesis absque ulla ordinarii ejusdem loci archiepiscopi, nempe Panormitani licentia, in aliis vero ecclesiis tum Panormitanae, tum aliarum dioecesum de ordinariorum licentia conferre, atque alias ecclesiasticas functiones Graeci ritus peragere valeat, tenore praesentium perpetuo constituimus, et deputamus, eidemque antistiti pro tempore existenti, et ab *eodem charissimo in Christo filio Nostro Ferdinando utriusque Siciliae rege, ejusque suc-*

cessoribus nominando vigore sui regii patronatus supradictam abbatiam sanctae Mariae de Gala in dioecesi Messanensi, quam in praesens in commendam obtinet dilectus filius Petrus Petrasancta cum vacare contigerit, nunc pro tunc perpetuo addicentes, interinamqne administrationem, perceptionemque fructuum vacantis beneficii sancti Pancratii Latini ritus, regiique patronatus, queis donec praedicta abbatia vacare contigerit, se alere valeat, propriamque dignitatem tueri regio accedente consensu, indulgentes, et condonantes eas omnes facultates concedimus, et impertimur quoad sacras ordinationes Italo Graecorum regni Siciliae ultra Pharum, quas fel. rec. Clemens pp. XII. concessit antistiti Graeci ritus in seminario Corsino a se in Calabria erecto degenti in suis super laudatis apostolicis literis in forma Brevis, quibus quoad ordinationes dumtaxat Italo Graecorum regni Siciliae ultra Pharum hac Nostra perpetuo valitura constitutione expresse, ac specialiter derogatum volumus; iisdem apostolicis literis quoad reliqua in suo robore permanentis.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque, quae in praefatis Clementinis literis non obstare fuit decretum. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VI. februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono.

Dat. Romae 6. feb. 1784. Anno IX.

CDLXXVI.

Imminutio festorum in civitate et dioecesi Senogailiensi.

Venerabili fratri episcopo Senogailiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Prooemium. §. 1. Dum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum: ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Senogalliensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime coguntur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honesto subsistendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovismodo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Senogalliensis existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Chri-

sti, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, sancti Joseph, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum, praeterea quinque dicatis beatae Mariae Virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno nono. — Derogatio contrariorum.

ANNO DECIMO

CDLXXVII.

Dat. Romae die 27. februarii 1784. Anno X.

Monasteria sanctorum Vincentii, et Anastasii ad aquas Salvias urbis, sancti Bartholomaei Ferrariae, et s. Mariae Faventiae, uniuntur provinciae Romanae ordinis Cisterciensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostrae, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, per ineffabilem divinae sapientiae providentiam commissum postulat, ut inter multiplices apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio complectamur, per quam personae sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Ratio congressionis.

§. 2. Siquidem, cum sicut accepimus, tria monasteria monachorum ordinis Cisterciensis, nempe sanctorum Vincentii, et Anastasii ad aquas Salvias urbis, sancti Bartholomaei Ferrariae, sanctae Mariae Faventiae ex maximis hisce Ecclesiae temporibus nulli provinciae ordinis praefati sint nunc unita; ad utilitatem vero, ac bonum eorumdem monasteriorum, regularemque observantiam potius spectaret, ut illa provinciae Romanae uniremus, ac incorporaremus, quam sic separata, ac divisa in novam provinciam quodammodo eregissemus.

Tenor decreti super unione.

§. 3. Nos hinc ad procurandam felicem dictorum monasteriorum in via Domini progressum, suamque regularem disciplinam, quantum cum Domino possumus tuendam, omnique studio fovendam, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negotiis praepositorum consilio praefata monasteria sanctorum Vincentii, et Anastasii ad aquas Salvias urbis, sancti Bartholomaei Ferrariae, et sanctae Mariae Faventiae cum omnibus suis individuis, seu alumnis, bonis, domibus, juribus, et actionibus quibuscumque provinciae Romanae ordinis Cisterciensis praefati auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus, ac unita, conjuncta, adnexa, et incorporata esse, et fore edicimus, et mandamus, ita ut deinceps cum aliis ejusdem provinciae Romanae monasteriis una dumtaxat provincia Romana constituatur absque nationum distinctione, et omnes monachi dictorum monasteriorum tamquam professi in dicta provincia censeantur, servata promiscue cum aliis ejusdem provinciae monachis cujuslibet antianitate, et dignitate, utque legibus, et superioribus ejusdem provinciae, qui disciplinae, et dictorum monasteriorum oeconomiae, nec non monachorum collocationi, guberniorum, et officiorum distributioni consulent, parere omnino debeant, auctoritate pariter, et tenore praedictis volumus, et decernimus.

Ordinationes circa celebrationem capituli generalis.

§. 4. Ut insuper unio, et incorporatio hujusmodi cum omni possibili eorumdem monachorum in via Domini progressu, ac commodo perficiatur, statuimus, ut capitulum provinciae Romanae, licet nondum elapso quinquennio per statuta, et constitutiones dictae provinciae auctoritate apostolica confirmatas praescripto, hoc anno post Pascha Resurrectio-

nis consuetis, ac praescriptis diebus celebretur, in quo etiam vocales dictorum trium monasteriorum suffragium, seu vocem activam, et passivam ad instar caeterorum vocalium provinciae Romanae habeant; et ne ex hac ante tempus capituli convocatione invertatur methodus dictae provinciae servari solita, quod nec convocetur novum capitulum post primum ut supra celebrandum, nisi post sexennium, quodque deinceps, ut moris est, de quinquennio in quinquennium celebretur, ordinamus.

Electio procuratoris generalis.

§. 5. Tandem cum Nobis undique cognita, et comperta sit prudentia, fides, religionis zelus, ac in gerendis rebus dexteritas dilecti filii Amadei Piermontini monachi dicti ordinis Cisterciensis expresse professi, ac moderni abbatis procuratoris generalis ejusdem provinciae, eum in procuratorem generalem dictae provinciae ad sexennium usque, nempe ad secundo dictum capitulum post sexennium a primo convocandum, auctoritate, et tenore praefatis confirmamus, et quatenus opus sit, in procuratorem generalem ejusdem provinciae eligimus, et deputamus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. Quocirca dilecto filio Nostro Andreae Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Negroni nuncupato, de cujus prudentia, fide, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut dicta tria monasteria provinciae Romanae unita, adnexa, atque incorporata esse declaret, caeteraque superius disposita exequi studeat. Nos enim illi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad dictam unionem pertinent faciendi, gerendi, dicendi, et exequi, seu exequi mandandi ea omnia, quae pro praesentium executione constituere, declarare, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexerit, plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae, et monasteriorum praefatorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus. Privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

CDLXXVIII.

Dat. Romae die 9 martii 1784. Anno X.

Confirmatio applicationis nonnullorum bonorum ecclesiae parochiali in Szwelice Plocensis diocesis ab episcopo ejusdem dioecesis factae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Declaratur quam utiliter fuerit, et recta peracta applicatio bonorum.

§. 1. Quae ad parochialium ecclesiarum, earumque rectorum commodum, et utilitatem facta esse noscuntur, ea Nos decet apostolicae confirmationis robore, cum occasio postulet, communire. Exposuit siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Casimirus Ignatius Szczepkowski presbyter, et rector parochialis ecclesiae in Szwelice Plocensis dioecesis, quod alias bonae memoriae Josephus, dum viveret, episcopus Plocensis paupertati dictae parochialis ecclesiae consulere cupiens, juri suo quoad advocatiam quatuor mansorum nuncupatorum in villa Szwelicensi sub clavi Czarnostoviensi bonorum ad episcopalem mensam Plocensem spectantium die VII. aprilis anni MDCCLVI. favore dictae parochialis, et pro ea, tunc existentis illius rectoris ad sui vitam libere cessit: subinde autem venerabilis frater Michael episcopus ecclesiae Plocensis praedictae provide con-

siderans redditus parochialis hujusmodi vero tenues existere, in eorum augmentum, subsidiumque pro tempore existentis ejus rectoris, accedente capituli, et canonicorum majoris ecclesiae Plocensis consensu, pariter cessit juri suo super dictam advocatiam, illamque, unacum mansis praedictis, suisque adjacentiis quoquomodo nuncupatis, prout in suis metis, et granitiebus existit, omnibusque agris, campis, hortis, piscinis, cubetis, aedificiis, subditis, fructibus, et emolumentis generaliter, singulisque pertinentiis, prout antecessores rectores hujusmodi vigore supradictae cessionis a memorato Josepho episcopo ad sui vitam, ut praefertur, factae, tenebant, habebant, possidebant, ac fruebantur, perpetuo univit, et incorporavit; voluit tamen, quod onera reipublicae nuncupata dictae advocatiae incumbentia, per eumdem Casimirum Ignatium, ejusque successores rectores supportentur; (episcopalibus juribus tam quoad canonem, quam quoad obsequia advocatos concernentia, et hucusque ab eadem advocatia habitis, penitus sublatis) quodque obligationes intuitu hujusmodi cessionis, adnexionis, et incorporationis rectoribus pro tempore existentibus dictae parochialis ecclesiae imponendae, arbitrio ejusdem Michaelis episcopi remaneant. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Casimirus Ignatius concessionem, adnexionem, et incorporationem advocatiae hujusmodi, ut praefertur, sequutam, quo firmius subsistat, et servetur exactius per Nos adprobari, et confirmari summopere cupiat.

Confirmationis tenor.

§. 2. Nos, auditis venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositis, qui referente dilecto filio ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Salviato nuncupato, et attenta relatione praedicti Michaelis episcopi, et nuntii apostolica auctoritate deputati die XIII. mensis februarii mox elapsi censuerunt rescribendum, prout rescripserunt — *Consulendum esse nobis pro enunciati contractus adprobatione* — dictum Casimirum Ignatium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, contractum praedictum, concessionem nempe, annexionem, et incorporationem praedictae advocatiae favore dictae parochialis ecclesiae in Szwelice, ut praefertur, factam auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, et adprobamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti, etiam substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictoque Casimiro Ignatio, ac successoribus suis praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, majoris ecclesiae Plocensis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 19 martii 1784. Anno X.

CDLXXIX.

Nonnulla monasteria ordinis Carthusiensis Hispaniarum dismembrantur et eriguntur in novam congregationem.

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Sebastensi Nostro, et Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Prooemium. §. 1. Apostolicae Sedis auctoritas, qua universi catholici orbis consulit felicitati, religiosorum ordinum commodo, et tranquillitati sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sanctitis legibus decreverit, quae ad illorum regimen, atque incolumitatem conferre in Domino videatur; pastoralis quippe Romanorum pontificum cura in eo tota est, ut quidquid ad vineam Domini colendam, ad catholicae religionis profectum, ac ad pacem, tranquillitatemque inter personas praesertim Deo in religione dicatas servandam, fovendamque pertinet, enixis viribus studeat providere.

Tenor precum porrectarum a rege catholico. §. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod ex urgentissimis, Nobisque expositis de causis, ac bonum esse monasteriorum monachorum ordinis Carthusiensis in suis regnis existentium respicientibus, necessaria sit omnimoda separatio dictorum monasteriorum a gubernio, regimine, et subjectione prioris generalis ejusdem ordinis, et capituli monasterii Gratianopolitani.

Ratio, et tenor concessionis. §. 3. Nos igitur rite, ac matore omnibus perpensis rationum momentis, quibus de separatione hujusmodi urgebamur, ac votis ejusdem Karoli regis catholici, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, monachos praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, omnia praefata monasteria monachorum ordinis Carthusiensis in regnis praedictis consistentia, ac personas omnes a subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione prioris generalis, et capituli monasterii Gratianopolitani dicti ordinis auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo eximimus, et liberamus, eademque monasteria sic exempta, et separata in novam congregationem Hispanam monachorum ordinis Carthusiensis nuncupatorum auctoritate, et tenore praedictis erigimus, et instituimus.

Facultas eligendi vicarium generalem. §. 4. Praeterea monachis novae hujusmodi congregationis Hispanae, sic a Nobis per praesentes erectae vicarium generalem Hispanum a priore, et capitulo praedictis, qui omnino exemptus, ac independens sit juxta regulares dicti ordinis constitutiones, et statuta auctoritate apostolica confirmata, sibi eligendi plenam et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis concedimus.

Liberatio a jurisdictione capituli, et prioris. §. 5. Quocirca fraternitati tuae, de cujus prudentia, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut monasteria praedicta a quavis prioris, et capituli praefatorum subjectione, jurisdictione, correctione, obedientia, et visitatione exempta, et prorsus libera esse, auctoritate Nostra apostolica decernas, eaque in novam congregationem Hispanam esse erecta declares; et quoniam post haec capitulum generale monachorum hujus novae congregationis erit convocandum, te in illius praesidentem cum auctoritate, aliisque facultatibus, jurisdictione, honoribus, et oneribus similibus praesidentibus competentibus solitis, et consuetis, auctoritate, et tenore praefatis constituimus, et deputamus.

Facultas immutandi statuta congregationis. §. 6. Tibique insuper in dicto capitulo generali una cum suffragio vocalium in eo existentium, omnia statuta, stabilimenta, et consuetudines dictorum monasteriorum, quae ejusdem ordinis constitutionibus auctoritate apostolica confirmatis, sacris canonibus, nec non concilii Tridentini decretis repugnantia esse cognoveris abolendi, et cassandi plenam, et amplam facultatem tribuimus, et impertimur. Teque in Domino hortamur, et monemus, ut in capitulo generali hujusmodi ea omnia, quae ad prosperum novae sic erectae congregationis ordinis praefati regimen, et gubernium perti-

nebunt, decerni, statui, et ordinari cures, et studeas.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

CDLXXX.

Dat. Romae die 11 martii 1784. Anno X.

Commissio ad dirimendas controversias ortas inter subditos sanctae Sedis civitatis Avenionensis ex una ac subditos regis christianissimi ex altera partibus.

Dilecto filio magistro Jacobo Filomarino in utraque signatura referendario, et in civitate Avenionensi, et in comitatu Nostro Venaissino Nostro, et Sedis apostolicae vice legato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum, sicut accepimus, quaedam controversiae inter dilectos filios cives Avenionenses Nostros, et sanctae Sedis ex una, et dilectos itidem filios incolas provinciae Occitaniae carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi subditos ex altera partibus ob aliquas reparationes, seu munimenta a civibus Avenionensibus spondis, seu oris fluminis Rhodani ortae sint, et vigeant. Nos controversias hujusmodi per Nos, et Sedis apostolicae, atque ipsius Ludovici regis commissarios dirimi cupientes, ac de tua fide, prudentia, integritate, et in rebus agendis solertia plurimum in Domino fiduciam habentes, controversias praedictas, earumque dependentias universas una cum persona, seu personis a dicto Ludovico deputata, seu deputatis, vel deputanda, seu deputandis cognoscendi, easque per viam sive judicati formalis, aut arbitrarii, sive amicabilis inter partes praedictas compositionis, quae vim judicati obtineat, terminandi, tollendi, ac dirimendi, nec non dilectos itidem filios modernos, vel pro tempore existentes auditorem generalem, et advocatum fiscalem istius legationis Avenionensis, eisque, vel altero eorum impeditis, vel impedito, auditorem tuum domesticum, ac ejusdem advocati fiscalis substitutum ad praemissa, seu aliqua eorum cum simili, vel limitata potestate quoties opus fuerit, aut opportunum censueris subdelegandi, et substituendi auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus.

Reservatur jus ratihabendi concordiam eamdem.

§. 2. Nobis tamen, et Sedi praedictae expresse reservantes approbationem, et ratihabitionem eorum, quae per te, seu subdelegatum tuum, cum persona, seu personis a dicto Ludovico rege deputata, vel deputatis, aut deputanda, vel deputandis quomodolibet in praemissis, et circa ea acta, gesta, ac definita, seu stabilita fuerint. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 18 martii 1784 Anno X.

CDLXXXI.

Commissio archiepiscopo Sebastensi nuncio Hispaniarum, ut nonnulla agat pro reformatione ordinis fratrum beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo Hispaniarum.

Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Sebastensi Nostro, et sanctae Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem

Tenor facultatum impertitarum apostolico commissario.

§. 1. Cum Nos hodie per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas literas, attenta tua sollicitudine, ac cura ad pacem, et christianam charitatem inter fratres ordinis beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum in regnis Hispaniarum existentium inducendam, inductamque confovendam, regularemque disciplinam ad suum pristinum candorem, ubi illa collapsa est, restituendam, ac vigentem conservandam, ac omnia, quae piis carissimi in Christo filii Nostri Karoli regis catholici votis contraria sunt, evellenda, te in praesidentem capituli generalis eorumdem fratrum propediem celebrandi, cum aliquibus specialibus facultatibus deputaverimus, prout in eisdem literis uberius continetur, ut inceptum consilium ad prosperum exitum perducatur, fraternitati tuae, de cujus fide, pietate, doctrina prudentia, religionis zelo, ac in rebus gerendis summa dexteritate plurimum confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut dimisso capitulo generali praedicto, congregationem particularem ex fratribus dicti ordinis tibi benevisis, qui que pietate, prudentia, ac religionis zelo commendabiles sint, convoces, et cogas, ut per eam in omnes conventus, domus, aliaque loca quaecumque ad ordinem praedictum spectantia, et pertinentia, et intra ditionem regis catholici existentia, etiam exempta, nec non illarum priores, superiores, fratres, et personas quascumque cujusvis status, gradus, qualitatis, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis existentes, tam in capite, quam in membris inquiratur, ac fratrum hujusmodi status, vita, mores, ritus, disciplina, aliaque vivendi ratio, tam conjunctim, quam divisim reformetur, tibique injungimus, ut deinde quidquid emendatione, renovatione, correctione in congregatione praedicta indigere, ac circa conventuum, suorumque fratrum statum opportunius futura fore in eadem congregatione statutum fuerit, ad Nos quamprimum diligenter transmittas, nobisque referas, et patefacias; Nobisque modum, ac rationem quibus dicta congregatio regularem disciplinam revocari, abusus tolli, ac pacem induci posse arbitrata fuerit, suggeras; ex re enim, et tempore consilium capiemus, ut dirigente patre luminum, quod inde statuendum sit, matura deliberatione decernamus. Nos enim tibi praemissa, et quaecumque alia circa supra expressa necessaria, et quomodolibet opportuna faciendi, gerendi, et exequendi auctoritate apostolica plenam, et amplam facultatem, et auctoritatem concedimus, et impertimur.

Contra inobedientes excommunicationis poena indicitur ipso facto incurrenda, et uni pontifici reservata.

§. 2. Mandantes propterea omnibus et singulis superioribus, fratribus, aliisque personis conventuum, aliorumque locorum ordinis praedicti in dictis regnis existentibus sub excommunicationis latae sententiae Nobis, et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservatae, praeterquam in mortis articulo, ac suspensionibus a divinis, et privationis suorum officiorum, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis ipso facto incurrendis, ut tibi, et congregationi praedictae, ut praefertur, deputandae in praemissis omnibus, et singulis prompte pareant, et obediant, tuaque, et illius salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam inde tu una cum dicta congregatione tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque,

et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die decima tertia martii, millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 16 martii 1784. Anno X.

CDLXXXII.

Facultas perpetua superiori, et presbyteris parochialis ecclesiae sancti Sulpitii civitatis Parisiensis dandi fidelibus in articulo mortis constitutis apostolicam benedictionem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium.

§. 1. Erga omnes Christifideles in maximo instantis mortis discrimine, et in durissima tantae necessitatis hora institutos, tanto abundantius Romanus pontifex coelestes thesauros erogare, traditamque sibi divinitus opitulandi potestatem debet exercere, quanto tunc major premit illos anxia, aegritudo, ac pene conficit acerba tristitia, furentibus undique teterrimis, at callidissimis hostibus, qui leonis instar rugientes, adstant ut devorent, et quorum effrenata rabies nisi eorum sanguine, idest aeterna animarum ruina expleri non potest. Hinc Nos, quibus licet immeritis omnes oves suas Christus in Petro pascendas dedit, ne illis umquam in extremo vitae mortalis agone aliquid detrimenti culpa Nostra contingere possit, omnia, quibus possumus subsidia concedere decrevimus, unde facilis morientibus ad assequendam aeternitatem aditus aperiatur, et horribilis hostium impetus, et conatus comprimantur, et repellantur.

Expositio precum.

§. 2. Cum itaque dilecti filii superiores, directores, et presbyteri parochialis ecclesiae sancti Sulpitii civitatis Parisiensis Nobis nuper humiliter exponi fecerint, quod ipsi apostolicam benedictionem cum indulgentia plenaria in articulo mortis impertiendam aegrotis intra limites supradictae paroeciae degentibus concedere posse plurimum desiderent.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos animarum Christifidelium saluti paterna charitate consulere cupientes, exponentibus praedictis, suisque pro tempore existentibus successoribus, ut quoadusque ipsi parochiali ecclesiae praedictae addicti erunt, illique inservient, et quoties intra limites dictae paroeciae aliquem utriusque sexus Christifidelem in mortis articulum constitutum esse contigerit, si vere poenitens, et confessus, ac s. communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, saltem contritus nomen Jesu ore si potuerit, sin minus corde devote invocaverit, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti, atque alacri animo susceperit, toties apostolicam benedictionem Nostro, et Romani pontificis pro tempore existentis nomine cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia, et remissione impertiri libere, ac licite valeant, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium, servata tamen in omnibus quarumdam felicis recordationis Benedicti pp. XIV, praedecessoris Nostri sub plumbo nonis aprilis 1747 incipientium *Pia mater Catholica Ecclesia* expeditarum literarum forma, et dispositione, concedimus, tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 16 martii 1784. Anno X.

CDLXXXIII.

Declaratio, ac immutatio circa aliquam partem constitutionum monachorum sancti Pauli primi eremitae congregationis Lisbonensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur necessitas peragendae

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii monachi ordinis sancti Pauli primi eremi-

immutationis constitutionum etiam apostolica auctoritate confirmatarum.

tae extraiceati nuncupati congregationis Lusitaniae, quod Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die XVI. novembris MDCCLXXXI. expeditas literas earum constitutiones apostolica Nostra auctoritate confirmavimus, prout in eisdem literis uberius dicitur contineri. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat constitutiones hujusmodi, quae tunc temporis ad domos dumtaxat dicti ordinis intra patriarchatus Ulyssipponensis dioecesim existentes, et erectas referebantur; nunc ad alias etiam dioeceses intra quas aliquae domus, seu monasteria monachorum hujusmodi erunt pro tempore erigenda, extendendae, ac ampliandae sint; ac insuper aliqua mutatio in paragrapho primo partis secundae capitis secundi, et in capite vigesimoquinto partis pariter secundae, et in paragrapho quarto partis tertiae capitis septimi earumdem constitutionum sit facienda; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Deputatur commissarius apostolicus ad peragendas reformationem constitutionum praedictarum.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum et regularium negotiis praepositorum consilio, ut patriarcha Ulyssipponensis pro tempore existens visitator apostolicus congregationis praedictae ad eos solummodo fines et effectus, de quibus in constitutionibus praedictis disponitur in posterum appelletur; qui vero visitator in eisdem constitutionibus dicitur, ut titulum praepositi generalis assumat, itaut ubicumque occurrat nomen visitatoris, semper pro praeposito generali intelligatur, et corrigatur auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, et mandamus.

Declaratur immutatio facienda in capite ubi agitur de congregationis visitatore.

§. 3. Insuper volumus, ac declaramus, ut deinceps pro paragrapho primo partis secundae capitis secundi — De congregationis visitatore, ac ejus muniis legatur ut infra — De congregationis praeposito generali, ac ejus muniis — Cum experientia nos doceat pessimo saecularibus exemplo esse faeda quamplurima, quae a familiarum regularium superioribus proficiscuntur, dum vel ipsi impotenter agunt, vel subditi gravate eorum impotentiam ferunt: statuimus, ut in universa congregatione nostra domorum, quae intra patriarchatus fines continentur, et in aliis locis regnorum, ac dominiorum Lusitanae ditionis erectae fuerint, superior constituatur titulo — praepositi generalis — qui, assumptus etiam de alio, in Ulyssipponensi conventu Bonae Mortis nuncupato tamquam in capite totius congregationis resideat, et per triennium jus exerceat, tam spirituale, quam temporale, quo suo melius muneri possit satisfacere, ac foeda hujusmodi exempla, siqua inimici opera in domos nostras irrepserint, repellere possit; qui et majori utetur sigillo cum congregationis inscriptione, rectores vero, ac vice rectores minori tantum cum inscriptione propria uniuscujusque domus, seu conventus: facta insuper eidem praeposito generali facultate transferendi, si ita in Domino judicaverit, in explenda una, aut altera ex tribus visitationibus quemlibet monachum de uno ad alium conventum, nec non subdelegandi commissarios pro unaquaque provincia, sive dioecesi, et electiones superiorum localium omnes confirmandi per se, suosque delegatos praedictos.

§. 4. In capite vigesimo quinto partis secundae — De methodo in professione novitiorum servanda etc. sequentes legantur mutationes. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen. Ego N. in hac venerabili sancti patris nostri Pauli primi eremitae congregatione sub approbatis constitutionibus ipsius congregationis vivere, et mori cupiens, meam facio professionem, et promitto Deo omnipotenti, immaculatae semper Virgini Mariae, et beato patri nostro Paulo observare tria consueta vota, scilicet, obedientiam, paupertatem, et castitatem, prout constitutiones nostrae determinant, et etiam obedientiam dogmatibus Sanctae Ecclesiae Catholicae matris nostrae, eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali patriarchae nostro visitatori apostolico, charissimo reverendissimo patri praeposito generali (ejusque commissario) ac tibi hujus sanctae communitatis rectori, et successoribus tuis usque ad mortem.

Indigitatur alia immutatio decernenda circa methodum servandam in professione novitiorum.

§. 5. Et tandem pro paragrapho quarto capitis septimi partis tertiae legatur ut infra —

Alia similis declaratio pro emenda-

tione §. 4. cap. 7. par. 3. Advertendum est modo, quod siqua alia patriarchatus intra fines, aut ultra domus erigatur, regia, ac eminentissimi patriarchae, vel ordinarii respectivi facultatibus ante obtentis, has ipsas ejus congregati leges admittent. Illa tamen hac ab domo, quae modo erecta est Ulyssippone, nihil omnino pendebit; qui tamen hujus praepositus generalis erit, idem muneria erga alias omnes domos exercebit, si eosdem intra fines, vel etiam alibi sitae sint. Numquam tamen independens congregatio, sive familia existimabitur, donec ex congregatis duodecim non componatur; hujusmodi vero expleto numero nihil ab hac omnino pendebit. Sed dum numerum non habet, Ulyssipponensi congregationi, seu capitulo parebit; non tamen qui superioris vices agat, qui vicerectoris titulo per id temporis vocabitur, et capitulo Ulyssipponensi tantum subjacebit in illis, quae ad illius spectant electionem. Prout tamen jam diximus has omnes amplecti debent constitutiones.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus memoratis Nostris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque, quae in dictis Nostris literis non obstare decrevimus. Volumus autem, ut quatenus constitutiones praedictas imprimi contingat, eae imprimantur cum omnibus praedictis mutationibus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimasexta martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 24 martii 1784. Anno X.

CDLXXXV.

Indulgentia assequenda ab eis, qui occasione capituli generalis visitaverint ecclesias ordinis Cisterciensis congregationis reformatae sancti Bernardi,

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis. §. 1. Cum, sicut accepimus, capitulum generale monachorum ordinis Cisterciensis congregationis reformatae sancti Bernardi in ecclesia, seu domo monasterii sancti Gaudentii congregationis hujusmodi civitatis Ariminensis prope diem, benedicente Domino, celebrandum sit; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis domorum monachorum congregationis hujusmodi ubicumque existen., die quo inchoabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones servandae, et fides habenda transumptis. §. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullas sint, utque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesimaquarta martii millesimo septingentesimo octogesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 30 martii 1784. Anno X.

CDLXXXVI.

Facultas vendendi annuos census, eosque erogandi in fabricam cathedralis ecclesiae Urbevetanae,

Dilecto filio Nostro Paulo Francisco Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Antamoro nuncupato ex concessione, et dispensatione apostolica episcopo Urbevetano.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis. §. 1. Cum Nobis alias tui nomine expositum fuerit, hanc tuam ecclesiam cathedralem, tum

in interiori, cum in exteriori sui parte sumptuosis adeo indigeret reparationibus, ut annui redditus fabricae ipsius cathedralis, firmis remanentibus caeteris oneribus, quibus eadem fabrica gravata existit, operi multae impensae hujusmodi facere satis omnino impar essent, eaque propter tuis precibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis annuendo, ac splendorem, et nitorem ejusdem cathedralis ecclesiae prae oculis habendo per Nostras in simili forma Brevis die xv apr. transacti anni MDCCLXXXIII. expeditas literas tibi commisimus, et mandavimus, ut auditis architectis, caeterisque artium peritis super iis, quae opportuna, ac necessaria forent pro externa, et interna ejusdem cathedralis ecclesiae restauratione, ac constructione fornicis in tota sua interiori parte eorum propositiones Nobis referres, ac simul rationes, quae necessarios sumptus suppeditarent, suggereres, prout in eisdem literis uberius continetur. Impiger tibi demandato munere functus es, Nostrisque oculis nedum peritorum propositiones, sed etiam varias, diversasque rationes, e quibus necessariae impensae percipi possent, subjecisti. Nobisque propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, ac ut ecclesiae cathedrali hujusmodi reparatione aliquo modo consulere dignaremur.

Licentia de imponendis censibus super bonis fabricae.

§. 2. Nos igitur omnibus prius peritorum relationibus, tuisque consiliis, ac rerum, et temporum vicibus mature perpensis, tuis votis quantum Nobis ex alto conceditur annuere volentes, ac supplicationibus tuis Nobis hisce desuper humiliter porrectis inclinati tibi, vel per te ipsum, vel per personam, seu personas a te subdelegandam, seu subdelegandas unum, vel plures census super bonis fabricae dictae cathedralis ecclesiae ad formam Pianae constitutionis usque ad summam scutorum triginta millium monetae Romanae sub eo tamen minori interusurio, quo fieri poterit absque ullius censurae, aut poenae ecclesiasticae incursu in dictas reparationes erogandam vendendi, ac constituendi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Indigitatur modus solvendi annuos fructus.

§. 3. Ut porro conventa legalis interusoria persolvi, ac venditi annui census hujusmodi intra certum tempus redimi possint, quin redditus, ac proventus fabricae aliquo modo imminuantur, hinc facultatem imponendi aliquam praestationem, seu taxam super omnibus fructibus, redditibus, et proventibus quarumcumque ecclesiarum, abbatiarum, capitularium, et conventualium, prioratuum quoque, praepositurarum, praeceptoriarum, canonicatuum, praebendarum, dignitatum, etiam majorum, et principalium personatuum, administrationum, et officiorum quorumcumque, beneficiorum ecclesiasticorum simplicium, et residentialium cum cura, et sine cura saecularium, ac monasteriorum ordinis sancti Benedicti, sancti Augustini, Cistarciensis, Cluniacensis, Praemonstratensis, Carthusiensis, Camaldulensis, montis Oliveti, vallis Umbrosae, et quorumcumque aliorum ordinum utriusque sexus etiam Mendicantium, et Cassinensis, sancti Salvatoris Lateranensis, aliarumque congregationum, tam virorum, quam mulierum, et societatum, conventuum, et locorum piorum, ac confraternitatum licet quovis modo exemptarum in ista tua dioecesi Urbevetana existentium, auditis tamen eorumdem monasteriorum, conventuum, et locorum piorum deputatis auctoritate, et tenore praedictis concedimus, atque tribuimus.

Facultas cogendi loca pia ad exhibitionem librorum, super statu propriorum redditusum.

§. 4. Quoniam vero praestatio hujusmodi ita statuenda erit, ut conveniat quantitati redituum locorum piorum, monasteriorum, conventuum, confraternitatum, ac beneficiorum dioecesis hujusmodi, hinc facultatem quoque impertimur sub poenis arbitrio tuo imponendis, ac etiam per censuras ecclesiasticas cogendi superiores monasteriorum regulares quomodolibet, ut praefertur, exemptorum, et administratores locorum piorum, monasteriorum, et confraternitatum hujusmodi, ac beneficiatos quoscumque ad exhibitionem librorum, et status redituum, ac respective onerum cujuslibet ex dictis locis piis, monasteriis, conventibus, confraternitatibus, et beneficiis, ad hoc ut introitus cum exitu juxta proportiona habita comparari possit, indeque praestatio in ea quantitate, quae viribus cujuslibet ex ais conveniat, dummodo tamen pro beneficiis curam animarum adnexam habentibus congrua conciliaris illaesa remaneat, statuatur, et praescribatur.

Methodus servanda pro extinctione censuum imponendorum

§. 5. Non solum autem praestationem hanc per te imponi posse volumus ad constituendum annuum redditum ad solvenda annua interusuria dictorum censuum, et ad restituendam sortem principalem, seu redimendos intra cer-

lum tempus annuos census hujusmodi necessarium, sed etiam, ut citius, quo fieri poterit, praedicti census redimantur, ac praestatio hujusmodi finiatur, tibi facultatem tribuimus, qua omnes omnino fructus, ac redditus ad confraternitates, seu societates dictae tuae dioecesis quomodolibet spectantes, quos ex librorum exhibitione praedicta eis superextare cognoveris in dictam causam applicare valeas. Tandem cum ad aliquam etiam annuam praestationem super bonis, fructibus, redditibus, et proventibus mensae tuae episcopalis te offeras, hinc facultatem, et potestatem imponendi super bonis hujusmodi annuam taxam scuterum quinquaginta auctoritate, et tenere praedictis attribuimus, et concedimus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro imponendis poenis monasteriorum, conventuum, domorum utriusque sexus regularium, ac confraternitatum, sodalitiorum, caeterorumque locorum piorum superioribus, prioribus deputatis, recteribus, officialibus, et ministris cujuscumque status, gradus, et ordinis, et qualitatis existentibus, et speciali mentione dignis, nec non beneficiatis cum cura, et sine cura, ut tibi non solum omnia instrumenta, librosque, in quibus bona quaecumque, redditus, jura, et onera quaecumque ad monasteria, conventus, et domos, confraternitates, loca, et opera pia quaecumque spectantia, et pertinentia adnotata reperiuntur, absque ulla mora, ratione, et praetextu exhibeant, sed etiam te de omnibus, et singulis, de quibus eos requisiveris, docere, ac certiorem facere omnino debeant, alioquin sententiam, seu poenam, quam rite tuleris in rebelles, ac tuis mandatis parere recusantes statueris ratam habebimus, et faciamus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasteriorum, conventuum, domorum, confraternitatum, locorum, et operum piorum hujusmodi, nec non beneficiorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque teneribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum teneres praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

CDLXXXVII.

Dat. Romae die 30 martii 1784. Anno X.

Instante rege catholico conceditur indultum clero seculari, et regulari recitandi officium sancti Josephi sub ritu semiduplici.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum ad rem editum a s. congregatione Rituum

§. 1. Nuper ad preces venerabilis fratris episcopi sancti Jacobi Chilensis in Indiis occidentalibus emanavit a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet — Sancti Jacobi Chilensis in Indiis occidentalibus — Ad satisfaciendum peculiari devotioni, quae in civitate, et dioecesi sancti Jacobi Chilensis in Indiis occidentalibus summopere viget erga patriarcham sanctum Josephum Beatae Mariae Virginis sponsum, dominus episcopus dictae civitatis pro indulto recitandi officium, et missam ejusdem sancti Josephi semel in mense die 19 cujuslibet mensis non impedita sanctissimo domino Nostro Pio pp. VI. humillime supplicavit; et Sanctitas Sua ad me infrascripti secretarii relationem, petitum officium cum

missa a clero tam saeculari, quam regulari supradictae civitatis, et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die 19 recitari, ac respective celebrari posse benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatnor temporum, vigiliarum, sivo cum jejunio, sive absque jejunio, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium de festo duplici, vel semiduplici translato. Diedecima tertia martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto.

Loco ✠ signi

I. Card. Archintus praefectus
C. Airoldi S. R. C. secretarius

Tenor apostolicae confirmationis. §. 2. Cum autem, sicut dictus episcopus Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmius subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi exponenti gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus; illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Clausulae sanatoriae, et irritantes. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus in perpetuum sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit iu omnibus, et per omnia plenissima suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii, millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

CDLXXXVIII.

Dat. Romae die 30 martii 1784. Anno X.

Instante rege catholico indulgetur, ut clerum tam saeculare quam regulare recitare possit officium et missam sancti Paschalis Baylon.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Refertur tenor decreti editi a Rituum congregatione. §. 1. Nuper ad preces carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici emanavit a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet — Urbis et Orbis — Ad enixas, piasque preces per equitem Josephum Nicolaum de Ozara nomine serenissimi regis Hispaniarum sanctissimo Domino nostro Pio pp. VI. porrectas pro extensione ad ecclesiam universalem officii, et missae de com. conf. non pont. cum oratione, et lectionibus secundi nocturni propriis sancti Paschalis Baylon, jam adprobatis; Sanctitas Sua ad mei infrascripti secretarii relationem petitis benigne annuens, supradictum officium cum missa in memoriam praedicti sancti Paschalis a clero tam saeculari, quam regulari utriusque sexus ecclesiae militantis, qui ad horas canonicas tenentur, quotannis die 17 maji sub ritu duplicis minoris, servatis breviarii, ac missalis Romani rubricis, recitari, ac respective celebrari praecepit. Die decima tertia martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto.

Loco ✠ Signi

I. card. Archintus praefectus
C. Airoldi S. R. C. secretarius

Preces porrectae pro confirmatione rescripti, quod ita ipse confirmatur. §. 2. Cum autem sicut dictus Carolus rex Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi quo firmius subsistat apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desideret. Nos specialem ipsi Carolo regi gratiam facere volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis in-

clinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus: salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 6 aprilis 1784. Anno X.

CDLXXXIX.

Ampliatio facultatum alias R. P. D. Josepho Vinci concessorum ad promovendum commercium in civitate Fabrianensi et ad erigendum inibi xenodochium, aliaque peragenda.

Dilecto filio magistro Josepho Vinci in utraque signatura Nostro referendario, et camerae apostolicae praesidenti.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Salutem, et apostolicam benedictionem.

Memoratur concessio facta in praecedentibus literis apostolicis.

§. 1. Quamvis Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die xv. mox praeteriti februarii expeditas literas te in Nostrum, et Sedis apostolicae commissarium, et visitatorem in civitate Fabrianensi, ejusque districtu deputaverimus, ad hoc ut illuc contenderes, omniaque tua studia, laboresque omnes, tum ad restaurandum collapsum commercium, tum ad sopitas artes, praecipue vero lanificii adjuvandas, tum ad veterem civium industriam augendam, cum etiam ad ea omnia curanda, quae eorumdem civium commodo, et utilitati opportuna, ac aptiora forent, impenderes; hocque consilio de tua sincera fide, probata prudentia, ac in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confisi, amplissimas concesserimus facultates ad ea omnia facienda, gerenda, ac exequenda, seu exequi mandanda, quae ad dictam commissionem quodamodo pertinere in Domino arbitratus esses, prout in eisdem literis uberius continetur; attamen cum alia plura sint praeter super exposita, quae ad intentum Nostrum maxima sunt conducibilia, quaeque peculiari indigent providentia, Nos quemadmodum alias, tam arduum, ac difficile apostolicae Sedis memoratum negocium tuae fidei committere haud haesitavimus, ita in caeteris pariter, quae ad Nostri consilii complementum spectant, tua opera uti constituimus, ut hinc homines, ac cives praedicti quanta eos paterna charitate complectamur, re experiantur.

Confirmantur praecedentes facultates in praedictis literis impertitae.

§. 2. Itaque redintegrantes, ac renovantes, et, quatenus opus sit, de novo concedentes, omnes, et singulas facultates tibi in memoratis literis, ut praefertur, concessas, tibi auctoritate apostolica tenore praesentium committimus, et mandamus, ut xenodochium civitatis Fabrianensis opportunioribus modis juxta facultates praedictas, nedum fabrica, ac necessariis commodis, sed etiam novis redditibus augeas. Ut insuper brephotrophium novis legibus, ac statutis instaures, ac etiam illud amplioribus proventibus dones, quo circa illud ab omni jurisdictione, et gubernio auctoritate, et tenore praedictis eximimus, et liberamus, tibique uni subjicimus.

Providentiae captae ad effectum erigendi scholas pro pauperibus puellis.

§. 3. Volumus itidem, ut mulieres, quas vocant *Maestre Pie* inducas, ac scholas pro pauperum puellarum educatione eis erigas, illarumque congruae exhibitioni consulas. Tandem nisi puellarum orphanarum educationi, ac illarum ad religionem, et ad artes institutioni provideatur, bono publico satis consultum non esse videretur, hinc tibi injungimus, ut totis viribus, omnique studio novum conservatorium ad puellas hujusmodi recipiendas institui, ac erigi cures. Quoniam autem huic fini aptum, ac idoneum esset, sicut accepimus,

monasterium sancti Thomae monialium ordinis sancti Benedicti dictae civitatis Fabrianensis omnes facultates necessarias, et opportunas monasterium praedictum supprimendi, ac extinguendi, moniales vero illuc commorantes ad alia monasteria ejusdem ordinis transferendi, illiusque redditus conservatorio, ut praefertur erigendo concedas, et assignes, congrua tamen stabilita quantitate pro illarum alimentis, et sustentatione monasteriis, ad quae translatae fuerint, solvenda, caeterisque servatis, quae in primodictis Nostris literis inter facultates tibi tunc impertitas, deque novo concessas in suppressionibus hujusmodi servari volumus. Nos enim tibi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad haec omnia faciendi, gerendi, et exequendi, et exequi mandandi facultatem tribuimus, et impertimur, omnesque facultates in memoratis Nostris literis ad ea exequenda, quae tunc fuerunt disposita, concessas, ad haec etiam perficienda, et absolvenda auctoritate, et tenore praedictis pariter concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque, quae in Nostris memoratis literis non obstare voluimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 29 aprilis 1784. Anno X.

CDXC.

Concessio juris privativi utendi machinis ad fabricationem pulveris Nicosianae favore marchionis Cioja, Caroli Sartori, et fratrum Rossetti.

Carlo per la divina misericordia vescovo di Porto, e s. Rufina cardinal di s. Marco della S. R. C. camerlengo.

Expenitur concessio facta per chirographum executioni mittendum a cardinali camerali.

§. 1. La Santità di nostro signore pp. Pio VI. felicemente regnante si è degnata di accordare al marchese Fortunato Cioja, Carlo Sartori, e fratelli, e figlio Rossetti, come cessionarj di Francesco Galera non solamente la proroga per anni dodici della privativa dell'uso delle macchine atte alla fabbricazione dei tabacchi in bastone, che era già stata conceduta per anni cinque al fu Pietro Giovanni Wendler al detto Francesco Galera in virtù di special chirografo segnato li 21. gennajo 1779, e rispettivo istromento dei 26. dello stesso mese stipolato per gli atti ora del Nardi segretario di camera; ma eziandio la concessione privativa della lavorazione dei suddetti tabacchi in bastone ad uso di Olanda, s. Omer, ossia fazione Dunkerken, ossia s. Vincenzo, Strasburgo, e Parigi, come dal chirografo della Santità sua segnato li 31. luglio dell'anno prossimo passato 1783., e registrato negli atti dell'infrascritto segretario di camera, ed a noi per l'esecuzione diretto del tenore seguente cioè.

Tenor chirographi.

§. 2. Reverendissimo cardinal Rezzonico camerlengo di Santa Chiesa. » Rendendosi degne del favore, e della protezione suprema » quello manifatture, e lavorazioni, che, coll'introdursi per la prima volta ne' stati promovono l'industria de' sudditi, aprono la strada all'occupazione, ed impiego di molti » oziosi, e tendono a scemare il commercio » passivo, Noi seguendo somiglianti massime, » non possiamo dispensarci dal prendere sotto » il Nostro special patrocinio la fabbrica dei » tabacchi ad uso di Olanda, di Parigi, ed altre sorti introdotte già da alcuni anni in questa Nostra dominante da Pietro Giovanni » Wendler, e continuata presentemente da » Francesco Galera. Le perizie più diligenti, » ed accurate, che abbiamo ordinate sopra i » tabacchi lavorati in detta fabbrica, ci hanno » con Nostra soddisfazione assicurati, che essi » riescono di buona qualità, e ad uso mercantile, e che attendendosi a perfezionare la » lavorazione, ed a propagarne la coltivazione » nel Nostro stato si può sperare di ridurli » sempre migliori, e più perfetti, e di scemarne in conseguenza col tempo il commercio » passivo del medesimo stato.

Expositio precum porrectarum ad effectum consequendi jus privativum.

§. 3. In vista di che non permettono le Nostre paterne cure, sempre dirette a tutto ciò, che è di vantaggio, e comodo de' Nostri amatissimi sudditi di non concorrere colla pienezza della Nostra autorità a quei mezzi, che possono contribuire alla sussistenza, e perfezione della suddetta fabbrica di tabacchi; onde è, che avendoci umiliata supplica tanto il detto Galera, quanto il marchese Fortunato Cioja, e Carlo Sartori, come egualmente interessati in detta fabbrica, affinchè ci fossimo degnati non solamente di prorogare a di loro favore la privativa dell' uso delle macchine atte alla fabbricazione de' tabacchi in bastone, che in virtù di special chirografo segnato li 21. gennajo 1779. ed istromento stipolato li 26. dello stesso mese per gli atti allora del Venti uno de' segretarj della Nostra camera, concedemmo per anni cinque al menzionato Giovanni Wendler, ma ancora di conceder loro la privativa lavorazione de' sudetti tabacchi in bastone ad uso d'Olanda, s. Omer, ossia fazione Dunkerken, ossia s. Vincenzo, Strasburgo, e Parigi, ed inoltre di assicurarli dell' esito d' una determinata quantità di tabacchi, almeno per i primi anni, e per sino a tanto, che la suddetta fabbrica possa avere acquistato credito, ed assicurato uno spaccio corrispondente alla lavorazione necessaria, affinchè la fabbrica medesima non solamente sussista, ma anche si perfezioni. Noi siamo venuti nella determinazione di aderire alla di loro supplica nel modo, e colle condizioni, che accenneremo in appresso.

Tenor concessionis.

§. 4. Pertanto col presente chirografo, in cui abbiamo per espresso il tenore dell' altro Nostro precitato chirografo dei 21 gennajo 1779. dell' istromento in seguela del medesimo come sopra stipolato, ed ogn' altra cosa quantosivoglia necessaria d' esprimersi, di Nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della Nostra suprema potestà, confermando, e prorogando per il corso di anni dodici dalla data del presente a favore dei suddetti Francesco Galera, marchese Fortunato Cioja, e Carlo Sartorj la facoltà privativa di servirsi delle macchine, e torchi ad uso di fabbricar tabacchi in bastone, o da Noi come sopra concedota al detto Pietro Giovanni Wendler con gli obblighi in detto Nostro chirografo ingiunti, ordiniamo a voi, che in nome Nostro, e della Nostra camera diate, e concediate, conforme Noi diamo, e concediamo ancora ai medesimi Galera, marchese Cioja, e Sartorj, la facoltà di fabbricare privativamente per il medesimo corso di anni dodici da oggi prossimi futuri tanto in Roma, che in tutto il Nostro stato li tabacchi in bastone ad uso di Olanda, s. Omer, fazione Dunkerken, s. Vincenzo, Straburgo, e Parigi, con le altre seguenti facoltà proibizioni, tasse, e condizioni cioè.

Conditiones alligatae concessioni.

§. 5. Primo. Che in coerenza di tale concessione, durante il suddetto duodennio, non sia lecito a veruno nè in Roma, nè in tutto il Nostro stato fabbricare, per vendersi, alcuna sorta de' suddetti tabacchi in bastone sotto quelle pene, che voi stimerete bene di prescrivere. Secondo. Che in tutto il suddetto tempo di dodici anni, dopo che dai sunnominati soci concessionarj si sarà assortita la fabbrica suddetta di una quantità di tabacchi a vostro giudizio sufficiente debbano ripartirsi ogni anno ai negozianti committenti di tali generi, o alli spacciatori de' medesimi a minuto, ed in tre distribuzioni, cioè di quattro in quattro mesi, e come voi stimerete ragionevole, ed espediente una porzione fino alla quantità di libre centomila di tabacchi, che si saranno lavorati in bastoni e compresi nella presente privativa concessione, cioè di quelli lavorati in bastoni ad uso di Olanda segnato lett. S. gli altri similmente lavorati in bastoni, detti volgarmente di fazione ad uso Donkerken, ed altrettanta quantità di libre centomila di tabacchi in polvere, purchè però siano questi di foglie raccolte ne' luoghi del Nostro stato ecclesiastico, e purchè si gli uni, che gli altri siano stagionati, giunti alla loro maturità, e dai periti, che a tale uopo deputarete, giudicati di qualità mercantile, e vendibile secondo la rispettiva loro specie, e non altrimenti. Terzo. Che rapporto al tabacco lavorato in bastoni ad uso di Olanda detto lettera S. e l' altro detto di fazione ad uso Dunkerken, che verrà ripartito, come sopra, debba pagarsene il prezzo in ragione di bajocchi tredici la libbra, e rispetto agli altri similmente in bastoni lavorati ad uso di s. Omer, s. Vincenzo, Strasburgo, e di Parigi, come anche rispetto a quello in pol-

» vere lavorato con foglie del Nostro stato, » debba pagarsene il prezzo a quella ragione, » che di volta in volta, che ne seguirà, come » sopra il riparto, o distribuzione verrà concordata fra li suddetti soci, ed i negozianti » committenti, o spacciatori predetti, o che » in caso di discrepanza, verrà stabilita, e giudicata da' periti da eleggersi parimente da » voi. Quarto. Che seguendo la predetta distribuzione, e riparto, li suddetti soci, ossia » la loro fabrica suddetta sia tenuta accordare » agli anzidetti committenti o spacciatori, e » ad ognuno di loro la dilazione, e respiro di » quattro mesi per il pagamento del prezzo » dei tabacchi toccatigli in ciascun riparto da » numerarsi dal giorno dell'effettiva consegna » dei medesimi. Quinto. Che nel distribuirsi » li suddetti tabacchi debba la fabbrica somministrare ai mercanti, o si spacciatori predetti quella specie, che piacerà ai medesimi, » purchè però non sia stata data da essi un » anno prima la commissione per la sua lavorazione alla suddetta fabbrica, e ciò venga » altresì concludentemente provato; ed in questa forma stipolarete a favore dei prenominati tre soci l'istromento di detta concessione, publicherete editti anche penali a vostro arbitrio, interporrete decreti in qualunque tempo del suddetto duennio, darete » ordini opportuni in ogni contingenza per » indennità non meno dei suddetti soci, e dei » mercanti, e rivenditori suddetti, che del publico, e di chiunque avrà ragione, o parte, » benchè minima, in detta fabbrica, e nei tabacchi suddetti, e farete tutt'altro, che crederete spediente, equo, o ragionevole, dandovi perciò Noi, oltre alle vostre ordinarie, » tutte, e singole altre facoltà necessarie, ed » opportune.

Clausulae salutares et irritantes, ac derogatio contrariorum.

§. 6. Volendo, che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, e registrato » in camera, vaglia tuttavia, ed abbia il suo » effetto, esecuzione, a vigore colla Nostra » semplice sottoscrizione, e che non gli si possa mai opporre di surrezzione, orrezzione, » nè d'altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, ancorchè non vi siano » stati chiamati, citati, nè sentiti monsignor » commissario della Nostra camera, li suddetti negozianti, committenti, e spacciatori a » minuto de' tabacchi, e qualsisiano altri, che » vi avessero, o pretendessero d'avervi interesse, non ostante il moto proprio di Pio IV. » Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancelleria *de jure quaesito* » *non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni, » ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, » usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, » che facesse, o potesse fare in contrario; alle » quali tutte, e singole avendone il tenore qui » per espresso, e di parola in parola inserto » per questa volta solamente, ed all'effetto » premesso ampiamente deroghiamo. Dato dal » Nostro palazzo apostolico Quirinale questo » dì 31. luglio 1783.

PIUS PP. VI.

Executio chirographi.

§. 7. Noi pertanto volendo, che quanto nel suddetto pontificio chirografo viene ordinato, ed espresso abbia a sortire il totale, e pieno suo effetto; in esecuzione del medesimo, e del successivo istromento tanto di proroga, che della nuova privativa concessione rogato negli atti dell' infrascritto segretario di camera il dì 9. agosto 1783. e stipolato avanti di noi a favore dei menzionati consoci o per l' autorità del nostro officio di camerlengato, ordiniamo, e comandiamo a tutte, e singole persone di qualsivoglia stato, grado, e condizione tanto laiche, quanto ecclesiastiche secolari, o regolari, ancorchè per comprenderle nel presente editto facesse d' uopo di specifica, ed individua menzione tanto in Roma, che per tutto lo stato, che intieramente si uniformino a quanto viene prescritto nel suddetto chirografo con la puntuale obbidienza ai sovrani comandi, nè ardischino sotto qualsivoglia pretesto, capo, causa, o ricercato colore, di erigere, e servirsi, durante la presente privativa concessione delle macchine, e ordegni posti in opera dai suddetti concessionarj, nè di fabbricare, e lavorare i tabacchi in bastone ad uso di Olanda, s. Omer, ossia fazione Dunkerken, ossia s. Vincenzo, Strasburgo e Parigi, nè molestare in veruno modo e maniera, nè direttamente, nè indirettamente i medesimi concessionarj, o impedire quanto viene loro accordato, relativamente in tutto, e per tutto al suddettto pontificio chirografo, ed a quanto in esso viene ordinato, ed espresso, sotto pena di scudi 100. d'oro da incorrer *ipso facto* da ciascun contraventore, oltre la perdita della robba, e stigli

caduti *in commissum* secondo le qualità de' casi, e della circostanze.

Sanctio poenalis. §. 8. Avverta dunque ognuno onninamente d'ubbidire ai sovrani voleri della Santità di nostro signore, altrimenti in caso di fraude, e renitenza si procederà alle pene convenienti a nostro arbitrio *manu regio*, *more camerali*, ed in ogni altra maniera più spedita. Quali pene per una terza parte saranno applicate alla reverenda camera apostolica, e per le restanti due parti, una alli suddetti concessionarj, e l'altra all'accusatore, che sarà tenuto segreto. Volendo noi che il presente nostro editto pubblicato, ed affisso ne' soliti luoghi, obblighi ognuno alla piena osservanza, come se personalmente gli fosse stato intimato. Dato in Roma nella camera apostolica questo dì 28. aprile 1784.

Dat. Romae die 6 aprilis 1784. Anno X.

CDXCII.

Impositio vectigalis solvendi in confectione testamentorum, seu codicillorum, et super quodam cado vini, seu musti in dioecesi Viterbiensi, Tuscanensi, Sutrina, alibique favore nosocomii Expositorum Viterbii.

Pius PP. VI.

Motu proprio.

Proemio. Li sommi pontefici Nostri predecessori sempre animati da quello spirito di carità, che è il fondamento della religione, e la base di ogni ben regolato governo, compassionando lo stato infelice di quelle povere creature, che nate da incogniti genitori senza appartenere ad alcuna determinata famiglia, restavano in molti luoghi, e provincie miseramente esposte ad una incerta esistenza, rivolsero a quest' oggetto di apostolica attenzione, e di sovrana providenza i pietosi loro sguardi, ed i vigilanti loro pensieri. Ad esempio pertanto, ed a norma dell' insigne archiospedale di Santo Spirito eretto in questa Nostra città di Roma, che fin dalla sua fondazione impiegò lodevolmente il fervoroso suo zelo al ricovero, al nutrimento, ed all' educazione dell' esposte creature, alle quali facilita inoltre, e presta onorata sussistenza, ed onesto collocamento, istradando a quest' effetto fanciulli, e fanciulle alle utili industrie, e somministrando a tutti competenti, e proporzionati sussidj, diressero altresì le loro provide cure nell' istituire in alcuna città de' pontificj dominj altri ospedali destinati egualmente ad occuparsi di un' opera, che la ragione, e l'esperienza hanno riconosciuta sì necessaria, sì proficua, e sì conducente alla pubblica felicità.

Si narra la fondazione, e stato dello spedale di Viterbo. Tra questi pii stabilimenti, quello fondato sotto il titolo, ed invocazione di santa Francesca Romana nella Nostra città di Viterbo, da cui somma Nostra consolazione si sono ritratti, e tuttavia si ritraggono rilevantissimi vantaggi, ebbe l'infelicità di essere stabilito sopra assegnamenti non sufficienti, nè adeguati a' suoi pesi. Malgrado questa sproporzione, ha continuato egli sempre ad esercitare col più vivo impegno gli atti caritatevoli del suo pio istituto a beneficio de' luoghi tutti delle quattro diocesi di Viterbo, e Toscanella, di Montefiascone, e Corneto, di Civita Castellana, ed Orte, di Sutri, e Nepi, e ben' anche di alcuni luoghi dipendenti dalle due diocesi di Bagnorea, e di Acquapendente, perchè tutti profittar debbano, e godere degli effetti di sua pietà.

Luoghi che trasmettono gli esposti allo spedale suddetto.

Applicazione dell' esercizio degli allievi, ed allieve. Per ovviare però a quello sbilancio, che deve onninamente produrre la ristrettezza dell' entrate a fronte delle gravosissime spese, non ignoriamo essersi in ogni tempo praticata la più ben' intesa amministrazione, la più esatta economia, e la più diligente industria con impiegare le mani, ed i talenti degli allievi dell' ospedale in lavori, e manifatture in esso introdotte espressamente, affinchè il lucro delle medesime cedesse a profitto del luogo pio: ma sappiamo pur anche con Nostro rammarico, e cordoglio, che tutte queste, ed altra savie premure, delle quali si è fatto pur troppo uso, non hanno apportato che leggerissimi sollievi, e sono anzi riuscite del tutto insufficienti a costituire l' equiponderanza del suo stato attivo con il passivo, giacchè l' esito superando ogn' anno esorbitantemente l' introito, si trova l' ospedale obbligato a gravarsi continuamente di debiti ascendenti a grosse somme, che rendono vie più misera la di lui condizione, e che lo inoltrano a gran passi alla sua totale decadenza.

Relazione del reverendissimo cardinale visitatore al santo Padre sulle strettezze dello spedale, e richiesta al magg- Resi intanto Noi consapevoli di tutto ciò per mezzo di dettagliate informazioni fatteci dal reverendissimo cardinal Conti attuale visitatore apostolico del divisato ospedale, a ben persuasi della stretta necessità di que' temperamenti, che assicurino la stabile sussisten-

strato di suggerirne il rimedio.

za di detto luogo pio condiscesi siamo a ricercara i suggerimenti dal magistrato della nominata Nostra città di Viterbo, incaricandolo di proporre i mezzi più adattati, e men gravosi a poter fissare con proporzionate providenze la stabilità di sì importante pia istituzione. Secondando dunque esso magistrato le Nostre mire ci ha proposto di stabilire almen per ora due tasse in tutti que' luoghi soggetti alle sopra menzionate diocesi, giacchè a loro favore, e profitto può dirsi stabilita la pia opera. Si è proposto dunque per la prima di dette tasse d'imporre sopra tutti i testamenti, e codicilli, perchè di tutti a titolo di pio legato in qualche piccola quota profitti il luogo pio, come già trovasi lodevolmente ordinato in altri luoghi, dove esistono tali pio istituzioni. Per la seconda poi si vorrebbe fissare sopra il raccolto delle uve, ragguagliandone la valuta sul quantitativo delle some di mosto, o vino, calcolandone in tutti i luoghi delle sopradette diocesi, l'introduzione non solo per uso proprio, ma anche per commercio, o per qualunque altra ragione, con proporzionata distinzione de' luoghi a misura della diversa qualità delle some, e con espressa dichiarazione che al pagamento di tal tassa debbano soggettarsi, e sottoporsi tutte, e singole persone di qualunque grado, stato, e condizione ancorchè privilegiate, ed ecclesiastiche tanto regolari, che secolari. Ci insinuò finalmente lo stesso magistrato, che siccome in alcuni de' succennati luoghi s' incontra facilmente il commodo di consumare, e vendere i vini, ed il mosto senza farne l' introduzione in alcuna terra, o città, il che facilita molto la fraude all'imposizione della tassa, onde per accorrere con più opportuno espediente a tal frode si vorrebbe obbligare ciascuno a dare, ed esibire dentro un certo determinato tempo nelle respettive cancellarie la nota girata del raccolto, su cui deve esiggersi la corrispondente tassa. Ed avendoci perciò riferito, e rappresentato il menzionato revendissimo cardinal Conti il divisato progetto del ridetto magistrato di Viterbo, cui molto deve premere, che colla Nostra suprema autorità si prescriva l'occorrente per l'imposizione della accennate due tasse: quindi con matura, e seria riflessione avendo Noi considerato, ed insieme conosciuto, e ritrovato l'enunciato progetto il più utile, e men gravoso a poter presevare dalla minacciata ruina il luogo pio, con dare al medesimo qual sollievo, con cui almen per ora possa egli continuare nel rilevante impegno di assicurare la vita, l'educazione, ed il sostentamento di tante povere creature abbandonate; ed essendo appunto questo un'oggetto, che fra le innumerabili cure del Nostro apostolato ci è stato sempre particolarmente a cuore sin dal momento, in cui piacquo alla divina providenza d'innalzarci alla pontificia dignità, siamo venuti nella determinazione di prestarci benignamente a sì lodevoli suggerimenti. Pertanto colla presente Nostra cedola, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola registrato, ed inserito l'intiero tenore di qualsivoglia privilegio, di esenzione, che giammai avessero, o pretendessero avere i luoghi pii, e le persone anche ecclesiastiche secolari, e regolari, e di ogni altra, e qualunque cosa quantosivoglia necessaria d'esprimersi, benchè degna d'individua, speciale, e specialissima menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della suprema Nostra pontificia potestà, ed autorità risolviamo ordinare, come in fatti ordiniamo le progettate due tasse nel mudo, che si dirà in appresso, e perciò incarichiamo il detto reverendissimo cardinal Conti dell'esecuzione di questa Nostra sovrana ordinazione, dando, e concedendo a lui tutte le opportune, e necessarie facoltà di poter procedere non solamente in qualità di visitatore apostolico, qual'egli è, ma ancora come specialissimamente a quest' effetto da Noi prescelto, e deputato. In tutti dunque i luoghi soggetti alle quattro diocesi di Viterbo e Toscanella, Montefiascone e Corneto, Civitacastellana ed Orte, Sutri e Nepi, ed in alcuni altri luoghi delle due diocesi di Bagnorea, ed Acquapendente, dalle quali si trasmettono le indicate creature all'ospedale suddetto di Viterbo, intendiamo d'imporre, conforme imponiamo la tassa di scudo uno per ogni testamento, o codicillo, ben inteso però, che debbasi contare in ciascun caso uno solo di questi atti fatti da un' istesso testatore che vogliamo sottoposto, e gravato di tale imposizione, e questa tassa d'avere il suo principio, effetto, ed esecuzione dopo la segnatura della presente cedola, applichiamo una volta per sempre all'ospedale di santa Francesca Romana di Viterbo: altra tassa poi similmente ordiniamo, ed intendiamo imporre, conforme imponiamo, ed applichiamo egualmente ora, e per sempre a detto ospeda-

Progetto del magistrato per riparare alla imminente ruina dello stato economico dello spedale

Determina il santo padre di abbracciare il progetto del magistrato riferitogli dal reverendissimo cardinal Conti visitatore.

Ordina l'imposizione di due tasse perpetue progettate dal magistrato di Viterbo.

Incarica il reverendissimo cardinal visitatore per l'esecuzione di tale imposizione, e gli comunica le opportune facoltà.

Tassa sopra tutti li testamenti, o codicilli da farsi nelli sudd. divisati luoghi, e l'applica allo spedale.

Altra tassa per ogni soma di mosto, e vino da introdursi nelle terre, e

città delle suddette diocesi, e l'applica come sopra.

le, quale fissiamo sul raccolto delle uve, calcolandone la valuta a bajocco uno per ciascheduna soma di mosto, o vino, che s'introdurrà nelle rispettive città, o luoghi delle suddette diocesi da qualunque persona, e sotto qualunque titolo, o di uso proprio, o di commercio, o per qualsivoglia altra ragione, e causa colla sola proporzionata distinzione, che può riferirsi alla diversità delle misure nelle qualità delle some: e perchè in alcuni luoghi di dette diocesi, e compresi nella Nostra sovrana disposizione, si possono consumare, e vendere i propri vini, senza farne l'introduzione in alcuna terra, o città, cosicchè con tale riflesso si potrebbe fraudolentemente esimere dal pagamento della tassa; per evitare dunque tale frode, dichiariamo compreso, e sottoposto come sopra, anche detto vino non introdotto, e consumato, o venduto; ed ordiniamo perciò espressamente allo stesso reverendissimo cardinal Conti di obbligare con assoluta autorità, tutte e singole persone suddette, niuna eccettuata, a dare, ed esibire dentro il termine di giorni quindici dal dì della raccolta nelle rispettive cancellarie la nota giurata del raccolto, su di cui dovrà sempre, ed in ogni anno avvenire calcolarsi, e sodisfarsi al pagamento della corrispondente stabilita, ed imposta tassa. Per gli effetti suddetti poi, e per la plenaria esecuzione della presente Nostra ordinazione, diamo, e concediamo come sopra al ridetto reverendissimo cardinal Conti visitatore apostolico, e specialmente a tale effetto da Noi prescelto l'autorità, e facoltà di fare, e pubblicare qualsisia opportuno decreto, e necessario editto, e notificazione; deputare sopraintendenti, ministri, ed esattori, dare commissione, ed ordini ai notari, archivisti e cancellieri, ed obbligarli a denunciare all'ospedale suddetto ogni, e qualunque testamento, o codicillo da farsi come sopra; ed a qualsisiano altre persone, che facesse di bisogno procedere, a far procedere per l'esigenza dell'enunciate, e fissate tasse alla spedizione, ed esecuzione della mano regia; multare con quelle pene, che egli crederà, tutte quelle persone, che usassero artifizj, doli, e frodi per sottrarsi in tutto, o in parte dall'esibizione, e consegna delle divisate note, o dal pagamento delle suddette tasse; e prendere finalmente qualsisia provvedimento, e fare tutt'altro, che lo stesso reverendissimo cardinal visitatore pel vantaggio del detto ospedale, e per il plenario adempimento del presente Nostro moto proprio crederà espediente sì al presente, che al futuro, secondo le circostanze che gli si presenteranno, senza, che da persona veruna ecclesiastica o secolare, quanto si voglia privilegiata, e privilegiatissima possa giammai in qualunque modo, e tempo, e sotto qualunque titolo o pretesto fargli si contradizione; nè opposizione alcuna, al che non dovrà arrestarsi per qualunque ricorso, inibizione, o atto che fosse presentato, che dovrà egli onninamente sprezzare, fuorchè se fosse munito della pontificia Nostra soscrizione, il che intendiamo conceduto anche agli altri visitatori apostolici pro tempore di detto ospedale, dichiarando Noi; che sotto la disposizione del presente Nostro moto proprio debbano restar comprese tutte le persone dei luoghi delle suddette diocesi anche ecclesiastiche secolari, e regolari di qualsivoglia ordine, ed istituto, vescovi, e reverendissimi cardinali, cavalieri di Malta, e di ogni altro ordine militare, monasteri anche delle ondici congregazioni, baroni, ospedali, vedove, pupilli, e qualsivogliano altri, che per comprenderli fosse necessario fare di essi, e de' loro privilegi espressa, e specifica, ed individua menzione. Volendo, e decretando, che la presente Nostra cedola di moto proprio, benchè non ammessa nè registrata in camera, o ne' suoi libri, vaglia nondimeno, ed abbia sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, nè gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè di altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione; che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse definirsi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale, benchè collegiale, e composto di reverendissimi cardinali, ed eziandio da legati a latere togliendo loro, ed a ciascheduno di essi la facoltà di definire, decidere, ed interpretare diversamente; dichiarando fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò che scientemente, o ignorantemente si facesse, e tentasse di fare in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, nè sentiti li vescovi delle dette diocesi, nè li procuratori fiscali delle loro curie, li luoghi pii, gli altri magistrati, officiali, gli arcipreti, gli uomini, ed abitanti di tutti li sopraddetti luoghi, nè altri qualsisiano, che per qualunque titolo, o ragione, anche di particolari, e specialissime

Sottopone alla stessa imposizione anche i vini, che si vendono, e consumano abbenchè non s'introduchino nel paese.

Ordina, e prescrive il metodo per ovviare le frandi al pagamento dell'anzidetta tassa.

Concede facoltà al reverendissimo cardinal Conti visitatore di pubblicare decreti, editti, e notificazioni, e deputare esattori, e ministri.

Soggetta al pagamento delle imposte tasse tutte, e singole persone anche ecclesiastiche regolari, e secolari, privilegiate e privilegiatissime.

Decreta, che la presente cedola di moto proprio abbia il suo pieno effetto abbenchè non citati, nè sentiti li vescovi, e procuratori fiscali, ed altri magistrati delli luoghi compresi e sottoposti a dette tasse.

esenzioni del pagamento di tasse, vi fosse stato bisogno di sentire, chiamare, e citare; nonostante il moto proprio di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche, Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, eziandio canoniche, statuti riforme, ancorchè con apostolica autorità fatte, approvate, confermate, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; delle quali tutte, e singole, avendone il loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra suprema potestà, ed apostolica autorità a qualunque vizio, o difetto quantunque sostanziale, e formale che nelle cose premesse potesse intervenire, per questa volta solamente, ed agli effetti premessi amplamente, ed espressamente deroghiamo.

Deroga finalmente alle costituzioni, ed ordinazioni de' pontefici predecessori ostative al presente moto proprio, ed a qualsisia cosa in contrario.

Dato dal Nostro palazzo apostolico Vaticano questo dì 6. aprile 1784.

CDXCIII.

Dat. Romae die 7 martii 1784. Anno X

Confirmatio decreti congregationis Sacrorum Rituum, quo officium et missa in memoriam beatae Mariae Annae pro universo ordine Excalceatorum beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis captivorum alias adprobatum ad utrumque clerum regnorum regi catholico subjectorum extenditur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Universae ecclesiae cura, et administratio Nobis, licet immerentibus divina miseratione commissa exigit, ut pia sublimorum principum orthodoxae fidei tuendae, et propagandae zelo, aliisque in eamdem Ecclesiam meritis insignium pia vota, quibus beatorum coelestis Hierusalem civium veneratio in terris promoveatur, paterno favore prosequamur. Cum itaque a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum emanaverit tenoris sequentis videlicet — Hispaniarum —

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 2. Ad magis promovendum cultum erga beatam Mariam Annam a Jesu monialem ordinis excalceatorum beatae Mariae Virginis de Mercede Redemptionis captivorum, eques Josephus Nicolaus de Azara nomine serenissimi regis Hispaniarum sanctissimo Domino Nostro Pio pp. VI. enixe supplicavit, pro extensione officii, et missae de com. Virginum cum orationibus, lectionibus secundi nocturni, secreta, et post communione propriis in memoriam ejusdem beatae, jam a Sanctitate Sua die 10. maji 1783. et 17. januarii 1784. pro dicto universo ordine adprobat ad utrumque clerum tam saecularem, quam regularem omnium regnorum, et dominiorum eidem serenissimo regi subjectorum; et Sanctitas Sua propter specialem devotionem, qua idem serenissimus rex fertur in praedictam beatam, ad mei infrascripti secretarii relationem, ejusmodi supplicationi juxta petita sub ritu duplicis minoris, servatis tamen breviarii, ac missalis Romani rubricis, benigne annuit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Die 3 aprilis 1784.

Locu ✠ Signi

I. Card. Archintus praefectus.

C. Airoldi S. R. C. secretarius.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 3. Idem Karolus rex, quo decretum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderat. Nos igitur piis ejusdem regis catholici votis quantum cum Domino possumus annuere volentes, ac clerum praedictum, ejusque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum decretum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, eique apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausulae probata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus in perpetuum sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suf-

fragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Fides habenda transumptis, et derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima maji millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 7 maji 1794 Anno X.

CDXCIV.

Confirmatur, seu de novo conceduntur facultates pro constructione valetudinarii Imolensis.

Dilectis filiis Alexandro Alessandretti canonico, et vicario capitulari ecclesiae Imolensis, nec non Joanni Baptistae marchioni Zappi, et Julio Pappotti nosocomii Imolensis deputatis.

Pius PP. VI.

Dilecti filii

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudes cardinalis Bandi episcopi Imolensis.

§. 1. Post luctuosum, Nobisque summopere acerbum obitum dilecti filii Nostri Joannis Caroli, dum vixit Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Bandi concupati ex indulto, et dispositione apostolica episcopi Imolensis, qui tum suam Nobiscum cognationem, cum vel maxime ob suas praeclarissimas in Deum, et in proximum virtutes, quibus, et cardinalem optimum, et episcopum solertem se gessit, inter caeteros Nobis fuit praecipue carus, ad ea omnia providentiae Nostrae intuitum convertere tenemur, quae pro ejusdem ecclesiae Imolensis, cui praeerat, et Christifidelium suae pastorali vigilantiae commissorum utilitate, et commodo susceperat; ut si quae morte preventus consumare non potuit, Nostra tamen dispositione perficiantur, praesertim vero quoties Nostra etiam accedente auctoritate ea aggressus sit, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Providentiae susceptae pro erectione nosocomii in civitate Imolensi.

§. 2. Siquidem Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die decima aprilis anni MDCCLXXXI. expeditas literas memorato Joanni Karolo cardinali, ad hoc, ut in amplo, ac aprico loco novum nosocomium, seu valetudinarium ad utriusque sexus infirmos excipiendos in civitate Nostra Imolensi construere possit, quam plurimas facultates impertiti sumus, prout in eisdem literis uberius continetur; cum autem, sicut accepimus, morte praventus susceptum consilium consumare non potuerit, Nosque illud perfici summopere cupientes, ac vestras singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus Nobis hisce desuper porrectis inclinati, discretionibus vestris, de quorum prudentia, integritate, fide, religionis zelo, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum confidimus auctoritate apostolica per praesentes committimus, et mandamus, ut omni cura, et sollicitudine nosocomium, seu valetudinarium hujusmodi, prout memoratus Joannes Karolus cardinalis aggressus fuerat, omnino perfici studeatis.

Facultates tributae defuncto episcopo, conferuntur moderatoribus ipsius nosocomii.

§. 3. Nos enim vobis omnes, et singulas facultates, quas alias dicto Joanni Karolo cardinali in memoratis Nostris literis impertiti sumus, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et concedimus; vos quippe in ejus locum, quoad nosocomii, seu valetudinarii hujusmodi constructionem, caeteraque omnia ad illud spectantia, et respicientia auctoritate pariter, et tenore praedictis sufficimus, et subrogamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et

pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus iis omnibus, quae in dictis Nostris literis non obstare voluimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima maji millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 11 maji 1784. Anno X.

CDXCV.

Confirmatio permutationis duarum ecclesiarum parochialium in dioecesi Fesulana.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum porrectarum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt venerabiles fratres Antonius archiepiscopus Florentinus, et Ranerius episcopus Fesulanus, quod cum nuper ad sepeliendа cadavera Christifidelium in civitate Florentina defunctorum constructus fuerit peramplus ager sanctus vulgo *Campo Santo* intra limites paroeciae sanctae Luciae a Trespiano Fesulanae dioecesis, ac nimis irregulare videretur cadavera hujusmodi intra septa alterius dioecesis tumulari, ad tollendum hoc absurdum, omnesque antevertendas controversias, ac lites, quae exinde tempo ris successu exoriri possent, tum memoratus Antonius archiepiscopus episcopo Fesulano ecclesiam parochialem sancti Martini a Mentola, tum dictus Ranerius episcopus archiepiscopo Florentino dictam parochialem ecclesiam sanctae Luciae a Trespiano una cum eorum respectivе territoriis, populis, confraternitatibus, oratoriis, aliisque adnexis, et connexis, salvis tamen juribus patronorum ecclesiarum existentium intra septa dictarum parochiarum de consensu dilectorum filiorum capitulorum cathedralium ecclesiarum Florentinae, et Fesulanae sibi invicem concesserunt, reservato tamen Nostro, et Sedis apostolicae beneplacito. Nobisque propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti; aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Tridentini concilii interpretum consilio dictam permutationem, seu mutuam cessionem auctoritate apostolica approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, duarum dioecesum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis; et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad

verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, ex expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris die undecima maji MDCCLXXXIV, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 14 maji 1784. Anno X.

CDXCVI.

Facultas vescendi carnibus et lacticiniis diebus prohibitis pro pretoriana cohorte Ferdinandi regis Hispaniarum infantis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Ut securitati conscientiae, ut corporum incommodis eorum, qui in cohorti praetorianorum militum dilectissimi in Christo filii Nostri Ferdinandi regis Hispaniarum infantis militant, quantum cum Domino possumus, opportune consulamus, supplicationibus dicti Ferdinandi regis Hispaniarum infantis nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, universis, et singulis militibus exercituum praedictorum, ut quadragesimae, et aliis anni temporibus, ac diebus, quibus carnium, ovorum, et lacticinorum esus est prohibitus, ubicumque eos declinare contigerit, ovis, caseo, butyro, et aliis laticiniis, ac etiam carnibus (non tamen feria sexta, et sabbato, cujuscumque hebdomadae, ac tota majori hebdomada, quoad carnes,) vesci absque alio conscientiae scrupulo, aut censurarum ecclesiasticarum incursu libere, et licite valeant, apostolica auctoritate tenore praesentium licentiam, et facultatem concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta maji millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 21 maji 1784. Anno X.

CDXCVII.

Confirmantur regulae, seu constitutiones fratrum ordinis Poenitentiae nuncupatorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Injuncti Nobis divinitus pastoralis officii ratio exigit, ut paternam religiosorum virorum Altissimi obsequiis sub laudabili vitae religiosae instituto mancipatorum curam gerentes in salutari eorum vivendi norma, regularique observantia confovere, atque conservare satagamus, ac proinde ea, quae simili consilio, ac pro felici, prosperoque illorum regimine, et guberno provide, prudenterque facta, atque ordinata esse noscuntur, que firmiori stabilitate perseverent apostolici muniminis praesidio roboremus. Prooemium.

§. 2. Exponi Nobis siquidem nuper fecerunt dilecti filii fratres Poenitentiae nuncupatorum quod pro felici ipsorum exponentium, et ipsius religionis directione formatae, seu compilatae fuerunt nonnullae constitutiones tenoris, qui sequitur videlicet. Expositio precum.

Regulae, et constitutiones.

Caput I.

§. 3. Regula haec ducitur praescribenda sub beneplacito apostolico, humiliter implorando iis omnibus, qui peccatorum suorum poenitentia ducti, et Deo vocante, vanitatibus mundi renunciantes in hujus pii instituti observantia aeternae saluti suae consulere volunt, ac creatori suo securius famulari cupiunt: oportet enim ad consequendum id, sequi exemplum Jesu Christi Domini Nostri, qui natus, vixit, et mortuus est in paupertate, dolore, et contemptu; prout et ejus divina mater, ac apostoli, eo vel maxime, quia de propriis tenemur satisfacere peccatis; ac ideo haec religio vocanda est Poenitentiae sub regimine superiorum, qui guardiani, provinciales, ac generales nuncupabuntur. Tenor regularum seu constitutionum confirmandarum.

Caput II.

§. 4. Si quis, Deo vocante, habitum poenitentiae petierit, inquiretur ab eo diligenter, quo motivo, quaque voluntate hoc vitae genus elegerit; praeterea utrum sit caelebs, et liber ab omni debito: an habeat matrem viduam, aut sororem caelibem, quas sustentare debeat. De requisitis necessariis, ut aliquis recipiatur in ordine.

Si ex praedictis nullum existat impedimentum guardianus, vel per se, vel alium informationes inquirat, utrum ab antiquitus trahat originem christianam, an ipse contra s. inquisitionis tribunal deliquerit: an officium aliquod vile, ac pro diversitate regnorum infamiam sapiens exercuerit: aut aliquo canonico delineatur impedimento: tales siquidem recipi omnino prohibentur.

Sit praeterea saltem in grammatica sufficienter instructus, ac decimum octavum non minus suae aetatis annum completum habeat, si est pro clerico, vigesimum vero primum inchoatum si est pro laico: sitque dispositus modo, ac tempore a sancta synodo Tridentina Sess. 25. de Reform. cap. 15 praescriptis renunciare omnibus bonis temporalibus. His autem praeditus requisitis, antequam religionis habitum obtineat, eoque induatur, per decem, aut plures dies probentur ejus vires, et animus, deinde vestietur super vestem propriam tunica violacei coloris, et corda spartea, seu funiculo cingetur; qui sic vestitus omnibus exercitiis tam spiritualibus, quam domesticis communitatis interesse debebit. Pro prandio, et coena refectorium ingredietur, ubi tempore benedictionis in medio prostratus, postea dato signo surgens ultimo loco sedebit, etiam post laicos. Pro gratiarum actione itidem prosternetur, hocque modo praefatos decem, aut plures probationis dies transiget, quibus eumdem superior, vel alter ex ipsius commissione discrete, et suaviter exercitabit in actibus humilitatis, patientiae, et abnegationis sui ipsius ad capiendum experimentum ejus bonae voluntatis, atque perseverantiae.

Caput III.

De forma habituum.

De forma habituum adhibendorum. §. 5. Finitis decem dicti experimenti diebus, cognita praetendentis perseverantia, communitas tota cum superiore vota dabunt secreta cum fabis albis pro receptione, et nigris pro rejectione, habitisque favorabilibus saltem ultra medietatem suffragiis, habitu induetur. Binis solum vicibus vota dabunt, videlicet pro susceptione, et professione.

Recepti novitii literae patentes patris provincialis, fides baptismi cum informationibus in archivio reponantur; similiter autem dies vestitionis, hora, et superior, a quo receptus est, atque conventus, notetur. Novitiique vestes saeculares, aliasque quaecumque, quae in ingressu secum attulerit in loco proprio reponantur, et sedulo custodiantur, reddendae eidem, si forte in proposito non perseveraret, vel de novitiatu improfessus dimittendus esset.

Fratres Poenitentiae vestiuntur habitu ex panno crasso fusci coloris, qui sit pertingens usque ad talos: non habeant collare: manicae sint mediocriter strictae, ut solummodo strophium possit imponi, quae in extremitate sunt aperiendae uno circiter palmo, quo assuetur frustulum panni cum tribus nodis ex eodem panno factis, quatenus dum necesse fuerit possint aperiri pro lavando, vel alio labore. Utantur capucio rotundo absque cuspide, vel sub sutura, cui adnectenda est valona decem digitorum latitudinis in circuitu, quae ex humeris ad pectus dependeat divisa cum extremitatibus rotundis. Pro laicis vero id locum valonae assuetur capucio frustulum panni quinque digitorum latitudinis in circuitu. Habebunt quoque in sinistra pectoris parte frustulum panni assutum pro sacculo. Praecingentur cingulo caeruleo, quod ex rudi lana conficiatur, in cujus extremitatibus fiat floccus ex lana alba, pro laicis vero ex lana nigra. Crines numquam ultra quartam partem digiti nutriant, neque barbam. Sacerdotes, et clerici portent tonsuram ad instar cleri saecularis, et juxta canonum praescripta. Utantur femoralibus lineis, quorum tria paria quisque habeat; unum vero par usque ad genua pertingens ex panno pro hyeme a festo omnium Sanctorum usque ad Ascensionem Domini permittitur, et ab intermedio tempore earumdem solemnitatum gestare poterunt pallium, sive mantellum oblongum usque ad genua; duo itidem strophia de colore, et duo alba ex tela habere possunt. Duo quoque sudaria habere, et gestare pro tuenda salute permittuntur, et semper utentur sandaliis ad instar Cappuccinorum, nec umquam nudis pedibus incedent.

Hinc prohibetur nequis religiosorum hujus ordinis praeter constituta vestimenta aliis utatur; quare nec habitum subsuere, neque indusium portare audeant. Pro munditie vero quisque duas tunicas habeat, quas non licet simul gestare. Pro itinere conceditur pileus coloris habitus, nec non baculus, et pyxis laminea e loro, sive corrigia per humeros pen-

dens, in qua breviarium, et chartae conserventur.

CAPUT IV.

De professione.

De professione. §. 6. Quatenus fratres Poenitentiae ad studia, pulpita, confessionalia, et assistentiam moribundorum assidno, salubrique labore frequantands robusti vivant vita, conceditur omnibus etiam laicis, et novitiis, ut hyemis tempore, ob stomachi, aut pectoris debilitatem portent fasciam ex habitus panno factam septem digitis latam, et longam, ut ter super habitum circumvolvi possit. Novitii ejusdem formae, ac religiosi professi deferant habitum cum capucio, at valooa; at vero a professis distinguantur cinguli loco se praecingent cords crassa spartea.

Superiores tenesntur vestire, ac providere suos subditos omnibus necessariis juxta possibilitatem, ne cnipiam detur occasio transgrediendi regulam.

Non liceat superioribus quidquam a novitiis exigere pro susceptione, et vestitione, neque jubeantur quidquam ad coenobium adferre, praeter vestes ad professionem usque seorsim servandas. Breviaria tamen acceptare poterunt, si eisdem a sanguine conjunctis offerantur. Pro vestiendis novitiis ad domos novitiatus ex aliis conventibus debebunt mittere habitus usitatos.

De domibus pro novitiatu. §. 7. In qualibet provincia duae domus pro novitiatu designabuntur, et magister novitiorum constituetur, qui prae ceteris regularis observantiae, atque virtutum specimen de se exhibuerit; cujus singularis cura erit, ea, quae vitae religiosae perfectionem, regulaeque observantiam spectant novitios docere, summa diligentia invigilando, ut omnia adimpleantur, et observentur ab eisdem, quae in hac regula praescribuntur, praecipueque ea, ad quae se votis obligaturi sunt, videlicet paupertatem, castitatem, et obedientiam addiscant, et in praxim deducant. Si per anni decursum magister adverterit quempiam novitiorum discolum, ioquietum, praeceptis inobedientem, ad poenitentiae opera pigrum, moribusque dissolutum, eumdem paterne reprehendat, atque pro gravitate delicti puniat intra novitiatum, nisi delictum sit communitati notum; nam tunc coram tota communitate poenitentiam agat. Sit autem magister discretus, et charitativus in castigandis novitiis, non injungendo pro levibus graves poenitentias, sed tales, quae correctionem, non vero destructionem efficiant. Si vero novitius, neque poenitentiis, neque salutaribus monitis ad meliorem frugem reducatur, magister referat guardiano, qui talem tamquam religioni inutilem charitative dimittet. Ter in hebdomada habebitur capitulum in novitiatu videlicet fer. II. fer. IV. et fer. VI., in quibus culpas coram magistro dicent, pro quibus facta exhortatione culpis adaequatas recipient poenitentias. Haec eadem pater guardianus cum caeteris in juniorata constitutis, et fratribus laicis, qui ad conservandum spiritum humilitatis, et mortificationis ad quinquennium sub eadem disciplina detinebuntur, exercitabit in capitulo ad hoc designato. Novitii quolibet die dominico, et in festis solemnioribus, ac aliis peculiaribus instituti, confessionem peragent, ac sacra synaxi reficientur, ac idem servabitur ab omnibus professis, usquequo ii, qui clerici sunt, fuerint sacerdotio initiati.

De votis dandis pro admissione ad professionem. §. 8. Appropinquante tempore professionis alicujus novitii, magister certiorem faciet superiorem, quem coram communitate sincere informabit de omnibus qualitatibus novitii. Tunc superior implorato prius divino lumine cum communitate vota dabit pro admissione ad professionem, habitisque supra medietatem favorabilibus suffragiis, novitius coram communitate prostratus gratias aget, ac deinde confessionem peraget cum solita formula — Confiteor Deo omnipotenti ec. cui superior paratum tenebit habitum novum cum capucio, et cingulo. Facta deinde communione superior ad cornu epistolae sedens coram tota communitate novitium ante altare prostratum admonebit brevi sermone de obligatione, quam contrahit per professionem, ejusque determinationem ad vota emittenda inquirat, qui manifestata sua resolutione surgens a terra genuflectet coram superiore exhibento regulam istam, cui novitius utramque manum imponet; superior autem super manus ejus tenebit dextram suam, praedicetque formulam votorum, quam professans clara voce repetet coram tota communitate. Vota emittet sequentia: paupertatis evangelicae, castitatis, et obedientiae; juramentum quoque defendendi pro viribus mysterium Immaculatae conceptionis beatae Virginis Mariae.

De benedictione professantis.

§. 9. Emissis votis pulsabuntur campanae, et professus versus altare genuflexus suscipiet e manu superioris crucifixum inter brachia; interim superior benedicet professantem, atque cingulum per triplicem orationem I. Ad Dominum nostrum Jesum Christum II. Ad beatam Virginem Mariam III. Ad omnes sanctos praemissis ℣. et ℟. Deinde professantem superior cingulo praecinget, communitate *Te Deum laudamus ec.* cantante, in cujus fine dicitur alia oratio pro gratiarum actione; qua finita cantabitur: *Benedicamus Domino ec.* ac tandem recipiet a professante superior crucifixum, cui neo professsus osculabitur manus, caeteros vero fratres per ordinem amplexabitur. Professio signetur in libro ad hoc determinato cum subscriptione ipsius neoprofessi, superioris, atque duorum testimoniorum. E communitate nullus permutet nomen suum baptismale, neque cognomen.

Caput V.

De aetate recipiendorum.

De aetate recipiendorum

§. 10. Circa aetatem recipiendorum adolescentium superius cap. II. provisum fuit; quoad alios vero discernant superiores, ad quos susceptio pertinet; quatenus eos qui provectae sunt aetatis nisi necessitas, et utilitas personae aliud suadeat, non recipiant. Excipiuntur religiosi alterius ordinis, qui permissu suorum superiorum hoc institutum amplecti voluerint, et presbyteri saeculares, quos recipere licest quacumque aetate, nisi ob nimiam aetatem essent inhabiles.

Prohibentur suscipi, aut ad professionem admitti infirmitate habituali, sive continuo laborantes.

Caput VI.

De numero religiosorum in quolibet conventu.

De numero religiosorum in quolibet conventu.

§. 11. Unaquaeque provincia habeat solummodo duodecim conventus, quibus plures addi nequeant, extructis undecim conventibus eligetur novus provincialis; ante fundationem undecimi conventus, qui extant a provinciali viciniore gubernentur. Coenobium Salmaticense, si divina favente gratia fundabitur, eo quod in ea civitate nata sit hujus ordinis idea primariam obtineat locum, ejusque provincia a Jesu nuncupabitur, cujus effigies in omnium ecclesiarum majori ara jubetur collocari, similiter etiam super ecclesiarum januas, quae debet esse sculpta ax lapide cum cruce in humeris media tantum effigie prominens: caeterae provinciae nominandae sunt juxta mysteria vitae passionis, ac mortis Domini nostri Jesu Christi.

Quibus in locis conventus fundari debeant.

§. 12. Debent autem fratres Poenitentiae in magnis, ac populatis civitatibus conventus fundare. Si vero haec obtinere non potuerint, fundabunt in locis, in quibus jam spirituali proximorum utilitati deservire, quam etiam absque fidelium gravamine, et regulae transgressione eleemosynis sustentari valeant. Numquam tamen sint duo conventus in eodem loco, sed ad minus distet unum ab altero decem milliaribus Italicis.

De distributione religiosorum, in quolibet conventu.

§. 13. In singulis conventibus sint tantum tresdecim sacerdotes cum guardiano, nisi spiritualis proximorum utilitas plures exposcat; quibus addetur organista. Ubi vero sunt studia, sint insuper quatuor lectores, nempe philosophiae unus, unus theologiae scholasticae, alter controversiarum, et quartus sacrorum canonum, ac studiosi dictarum facultatum, et praeterea sit ibidem quintus theologiae moralis professor, qui confessarios, et praedicatores ad omne opus bonum instruere debeat. Numerum ergo praescriptum excedant lectores, novitii, choristae, studentes, qui semper tales reputabuntur, donec literis sufficienter eruditi ad sacerdotium promoveantur, atque alio transmigrare jubeantur, ubi quispiam e vita cessserit. Laici sint quatuor in omni conventu deputandi pro officiis domesticis, duo vero sint supra hunc numerum quaestuatores eleemosynarum. In domibus vero studiorum sint sex laici pro domesticis officiis, et pro mendicatione duo, nisi necessitas plures exigat. Caveat provincialis numerum religiosorum augere absque necessitate; quapropter completo praescripto numero, non exhibeat patentes pro receptione, nisi ipsi constet quempiam religiosum e vita cessisse, quod in patentibus literis exprimat. Ad studia literarum debent fratres juniores omni cum rigore applicari, quatenus habiles reddantur ad exercendum officium sacerdotis, ad quae si quispiam ineptus fuerit cognitus in novitiatu, ad professionem nullo modo admittatur.

Caput VII.

De forma conventuum.

De forma conventuum. §. 14. Fratres Poenitentiae humiliter postulabunt a fidelibus, ut sibi concedatur ab ipsis in eorum civitatibus, et locis erigere conventus, qui debent esse strictae paupertati correspondentes, absque fornicibus, caelaturis, et aliis ornamentis, sive picturis in muro sub poena, quod si secus fieret, indigni certe essemus nominati filii poenitentiae, ac imitatores Jesu Christi. Superiores igitur, qui in hoc puncto deprehenderentur culpabiles, a provinciali, seu generali cum sue definitorio superioratu priventur, ac inhabiles ad simile officium deinceps exercendum declarentur; errores vero ab iis contra hanc regulam commissi a successoribus pro posse corrigantur. Advertendum tamen hanc humilitatis pragmaticam servandam esse, dum conventus de novo eriguntur; nam si aliter extructi ordini nostro concederentur, tunc efficit eos ad possibilem simplicitatem, et formam a regula praescriptam pro posse reducere. Duas tantum habeant habitationes, inferiorem, et superiorem. In domibus, quae pro celebrandis capitulis assignandae erunt, atque studiorum, fiant cellulae quinquaginta, quibus si possibile fuerit adjungi permittitur camerula, sive museolum pro studio, in caeteris vero sufficiant quadraginta praeter domos novitiatuum, in quibus a caeterorum fratrum habitatione separata fiat clausura ad evitandum consortium professorum, quam praeter guardianum, magistrum, aut vicarium, nemo inferior absque expressa licentia guardiani, vel magistri ingrediatur. In unaquaque cella duae tantum permittuntur sedes ex rudi ligno, mensula, pluteus, atque arca ad conservanda scripta. Fenestrae possibiliori modo fiant remotae a visione saecularium prospicientes ad claustrum, habeantque valvas ligneas. Valetudinarium, et caeterae officinae fiant juxta morem caeterorum religiosorum. Hortum habeant, quantum fuerit possibile, spatiosum pro cultivatione, et recreatione religiosorum.

De forma ecclesiae, et sacra supellectili. §. 15. Ecclesiam poterunt habere satis amplam cum duplici choro majori, et minori, ne sit tamen nimis pomposa, et sumptuosa, neque habeat turrim, picturas, caelaturas, et similia ornamenta, praeterquam in altaribus, quae etiam deaurari poterunt, si fideles ita fieri curaverint. Similiter paramenta, et sacra supellectilia licitum erit habere ex serico, auro, et argento, in conspectu enim adeo excelsi sacrificii omne pretiosum modicum est, et exiguum. Habebunt quoque campanas in spadana collocatas; quarum una sit bene sonora, quatenus a fidelibus audiri possit. Quidquid igitur bis amplius est, quod paupertati repugnat, evitare, ac rejicere debent fratres Poenitentiae, quamvis benefactores aliter vellent fabricare, siquidem nihil magis diligere debent, quam paupertatem, et ea, quae sunt humilia, et despecta coram mundo.

Caput VIII.

De lecto, et refectorio.

§. 16. Unusquisque fratrum dormiat in cella sua, ubi habebit lectum de ligno rudi uno palmo a terra elevatum cum sacco, et cervicali ex tela crassa stramine impleto, ita duas lodices. Refectorium sit capax pro quadraginta personis, in conventibus tamen studiorum sit amplioris structurae, in quo mensae, et scamna sint ex rudi ligno, mappae, mappulae, atque manutergia ex tela linea, cum lavaterio ad servandam etiam in paupertate munditiem; disci, et scutellae sint fictiles coloris albi, et cyathi ex vitro simplici. De lecto, et refectorio.

Caput IX.

De paupertate.

§. 17. Fratres Poenitentiae ab omni temporalium rerum sollicitudine sint liberi, paupertatis evangelicae asseclae, in divina confisi providentia vivere, quae ipsis non sinet ad sustentationem necessaria deesse. Hinc erit ipsis illicitum sub gravi culpa tenere possessiones bonorum temporalium, proventus, negotiationes. Non habebunt horrea ad accumulandum frumentum, neque licebit tenere oves, boves, et quodcumque pecudum genus praeter unum alterumve asinum, vel mulum pro mendicatione, si necessitas exigat. Superior determinabit duos fratres laicos, qui ea, quae pro quotidiana fratrum sustentatione erunt necessaria mendicabunt. Non recipient pecuniam, quam sub gravi culpa prohibentur apud De paupertate colenda.

se tenere, vel gestare fratres Poenitentiae; sed siquis eam offerret, vel ad conventum mitteret, recipiat eam quispiam notus saecularis, et consignabit syndico.

De provisione superflua non facienda

§. 18. Non faciant provisionem victualium in futurum, quaerant autem de die in diem, quae pro altero die communitati sufficiant. Verum cum hoc sit nimis difficile, ut victui necessaria omni loco, et tempore sine benefactorum gravamine, atque molestia raperiantur: hinc ad removendum omne inconveniens, atque ad providendum fratrum necessitatibus, ne proprietarii, et partiales efficiantur sibimet occulte a saecularibus quidpiam ob defectum necessarii cibi, vel potius requirendo, poterunt in locis, quibus haec vel illa species quotidiana mendicatione reperiri nequit, facere rei illius tempore collectionis mendicando majorem provisionem, quanta sufficere possit communitati pro toto tempore, quo illam aliter non posse obtinere noverit superior. Ubi vero quotidiana mendicatione victui necessaria reperiri possunt, fiat tempore collectionis minor provisio, videlicet vini, olei, leguminum ec. Superioris obligatio erit fratribus vestitu, et aliis necessariis rebus subvenire; quapropter, si ea, quibus communitas indigebit, mendicatione haberi non poterunt, curet per syndicum emi pecunia eleemosynaria, sive missarum, quae si deficeret, illam a benefactoribus mendicabunt, non majorem quantitatem, quam indigeant, exponendo necessitatem rei, quae provideri debet. Potest autem contingere, quod benefactores ob defectum pecuniae aliam eleemosynam impertiri vellent, nempe frumentum, et similia, quae tali occasione acceptari, atque in pretium emendae, sive procurandae rei necessariae pro conventu converti a syndico poterit.

Numquam cum benefactoribus de danda eleemosyna pactum ineant, nec stabiliant certam quantitatem rei, sed dum necessitatem habuerint, quidquid libera voluntate benefactoris fuerit oblatum, illud recipient.

Habeant syndicum, si fuerit possibile presbyterum saecularem, pium, ac virtuosae vitae, qui missarum eleemosynas, aliamque oblatam teneat pecuniam expendendam pro ecclesiae, et conventus necessitatibus.

De pecunia non retinenda.

§. 19. Nulli fratrum Poenitentiae liceat habere vel apud se, vel apud alios pecuniam pro propria dispositione sub competenti culpa, et poena proprietariis infligenda; neque sub gravi poena liceat quidpiam procurare, vel acceptare a quoquam extero, sine scitu, et expressa superioris licentia, cujus conscientia oneratur ad invigilandum, ne fratres proprietatis transgressores efficiantur. Si quidpiam alicui fratrum cum vel sine licentia superioris oblatum fuerit, illud superiori fideliter praesentetur, qui de illa disponet quemadmodum viderit fratrem illum necessitatem habere: quidquid remanserit communitati cedet. Si quid comestibile fuerit, illud in refectorio communitati distribuatur. Praecipitur denique, ut nullus fratrum proprietatem alicujus rei habeat, sed tantum usum ex superioris licentia, cui obedire, atque in omnibus subjici debet, tamquam rationem reddituro pro animabus eorum.

De valetudinario, et cura infirmorum.

§. 20. Fiat valetudinarium in omnibus conventibus pro infirmis, culcitris, syndonibus, et indusiis provisum, cui adjungatur apotheca pro praeparandis, sive conservandis medicamentis idonea.

Charitas, et vigilantia erga infirmos recomendatur, unde curabit superior per syndicum emi omnia, quae eisdem necessaria fuerint, ne cum molestia deberent expectare ea, quae per mendicationem acquiruntur.

Caput X.

De syndico.

De syndico.

§. 21. Syndicus per vota communitatis eligatur, sive presbyter, sive dominus saecularis testimonium habens bonae vitae, atque honorabilis stirpis suae, gaudeatque omnibus fratrum privilegiis, cui concedet superior gestare parvum cingulum Poenitentiae subtus propria veste, sive hoc sit ex lana, sive serico juxta ipsius beneplacitum, pro quo in die obitus singuli illius conventus patres celebrabunt missam, et officium dicent, ipsumque sepelient, si in vita sic voluerit, cum habitu.

De eleemosynis missarum

§. 22. Omnium missarum eleemosynae sint apud syndicum depositae, sacerdotes autem tenebuntur semper applicare missam ad intentionem superioris, conceditur que ipsis una missa libera in hebdomada, cujus eleemosyna sit apud syndicum deposita pro aliqua illius sacerdotis necessitate cum superioris licentia expendenda,

Declarationes circa officium syndici.

§. 23. Syndicus tempore electionis moneatur, ne quidpiam subministret fratribus sine licentia expressa superioris, quodque fideliter describat introitum eleemosynarum in suis genere, et specie, prout eidem consignabuntur a benefactoribus. Pecuniam non acceptet neque sponte oblatam ultra summam, quae tempori, loco, necessitati, et circumstantiis sufficiens a superiore, et discretis prudenter judicabitur. Eleemosynas autem pro missis celebrandis syndico acceptare prohibeatur ultra eum numerum, cui intra tempus congruum in propria ecclesia commode satisfieri possit sub poenis a constitutionibus apostolicis in hac materia praescriptis. Pater guardianus non exigat rationes eleemosynarum a syndico absque discretorum praesentia; id tamen fiat bis, vel saltem semel in anno.

Caput IX.

De cibo.

De cibo.

§. 24. Cum fratres Poenitentiae, ex solis debeant vivere eleemosynis, rogantur, ne ciborum exquirant delectum, atque condimenta, quae pernicioso gulae oblectamento non vitae sustentandae sint accommodata; verum tamquam Christi pauperes pauperibus, et vilibus quaecumque appositae fuerint, sint contenti escis.

Non erit ipsis umquam licitum in cella, vel prandere, vel coenare, aut jejuniorum tempore colationem serotinam sumere, sed omnes hora consueta, et ad campanulae signum in refectorio conveniant, nisi urgeat aegritudinis ratio a superiore approbanda. Chocolatae usus non prohibetur quidem, absit tamen, ut id solius voluptatis gratia fiat; meminerint enim se esse ex voto pauperes, et poenitentiae sectatores.

Singuli fratres tenebuntur ministrare fratribus ad mensam alternando hebdomadas; superiores vero majores, vel in eorum absentia guardiani ministrabunt. Fer. VI. ubi superiores majores reperiuntur, scilicet generalis, vel provincialis, vel custos, aut quispiam ex definitoribus, lavabunt discos communitatis alternando hebdomadas cum guardiano. Cibi semper ab inferioribus incipient apponi. Lector mensae constituatur, quicumque superiori fuerit visus.

De jejunio.

§. 25. Cibis quadragesimalibus utantur fratres Poenitentiae non tantum diebus ab Ecclesia praescriptis, verum etiam feriis sextis totius anni, festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi excepto, quoties dicta die illud celebrare contigerit. In vigiliis quoque antecedentibus festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Dolorum, et Assumptionis Beatae Mariae Virginis; nec non ss. Michaelis, Dominici, Francisci, et Clarae, ac in solemnitatibus sanctae Crucis idem servabunt. Quadragesimae jejunium a fer. II. quinquagesimae ad diem paschatis; adventus vero usque ad Nativitatem Domini exclusive continuabunt servata qualitate, et quantitate in jejunio de praecepto ab Ecclesia praescripta, diebus Dominicis exceptis, in quibus quoad quantitatem, non vero qualitatem dispensatur. In pane vero, et aqua jejunabunt fer. VI. in parasceve, nisi iter vel alia gravis causa excuset. De jejunio.

De disciplina.

§. 26. Se flagellabunt disciplina ex funiculis facta (si quidem sanguinea prohibetur) singulis feriis sextis toto anno. Si occurrat eodem die festum de praecepto vel I. aut II. classis tunc dispensatur. Tempore disciplinae recitabit superior alternatim cum communitate stationem majorem cum psalmo *Miserere:* et oratione *Respice quaesumus etc.* Deinde dicet antiph., et orationem ex secundis vesperis festi Dolorum beatae Mariae virginis. De disciplina.

De officio divino.

§. 27. Omnes fratres a die professionis suae officium Romanum recitare tenentur juxta ritum, et ordinem in qualibet dioecesi, in qua situs est conventus, praescriptum, qui in s. cathedralibus hodie laudabiliter observatur. Laici orabunt *Pater noster ec.*, et *Gloria Patri ec.* ad matutinum triginta tria; ad vesperas autem quindecim; ad laudes vero duodecim, et ad alias horas, et completorium novem. Quatenus vero divina officia majori cum affectu, et devotione celebrentur, habeant in quolibet conventu, si commode fieri poterit, organum, et organistam, qui sit supra numerum constitutum. Si quidem omnes in dupli- De divino officio.

cibus I. et II. classis conventuales missae debent decantari; caeteris vero diebus missa conventualis nunquam omittatur, sufficit tamen, ut sit lecta. Mane hora quinta recitabitur prima, qua peracta obligantur omnes media hora facere orationem mentalem. Hora decima recitabunt tertiam, sextam, et nonam, exceptis diebus sacrarum functionum, quibus anticipabuntur. In duplicibus I. classis tertia cantabitur immediate ante missam conventualem, semperque anticipabitur dum conventualis missa cantanda est, qua finita caeterae horae recitabuntur. Finitis horis facient uno quadrante examen conscientiae. Vesperae dicendae sunt hora secunda post meridiem, in omnibus vero duplicibus cantabuntur, quibus immediate completorium adjungetur, semper recitandum. Matutinum dicetur hora undecima noctis, quod cantabitur cum laudibus in festo Nativitatis Domini, Epiphaniae, Tenebrarum, (hora congrua post completorium) Resurrectionis, (hora tertia post mediam noctem) corporis Christi, sancti Joannis Baptistae, Assumptionis, et Conceptionis beatae Mariae virginis.

Commendatur ergo, ut divina officia cum debita attentione, devotione, pausa, modesta corporis compositione, cantu gravi, voce concordi persolvantur.

De orationibus faciendis in refectorio.

§. 28. Hora undecima dato signo campanulae vocabuntur ad prandium, et extra refectorium congregati dicent Psalm. *De profundis ec.* cum oratione *Fidelium Deus ec.* deinde ingrediuntur refectorium, ubi facta benedictione superior dabit campanulae signum lectori, tam pro incipiendo, quam finiendo.

In refectorio observabitur perpetuum silentium continuando lectionem a principio usque ad finem. Haec regula omni trimestri debebit legi in refectorio. Legi quoque debent praeter s. Scripturam, vitam sanctorum ec. in refectorio, seu in capitulo semel, aut bis in anno constitutiones apostolicae de celebratione missarum, aliaeque regularibus praescriptae. Hora quinta post meridiem congregabuntur omnes ad signum campanae in choro, et facient orationem mentalem media hora. Guardianus invigilet, ut omnes orationi mentali intersint, nisi urgens aliqua necessitas quempiam excuset, qui tamen alia hora sibi opportune, tam matutinam, quam vespertinam meditationem facere tenebitur diebus sabbathi, dominicis, et festivis, nec non vigiliis beatae Mariae Virginis, et ejusdem festis omnes fratres in communitate recitabunt rosarium septem decadum beatae Mariae virginis ante, vel post meditationem horae quintae juxta temporis opportunitatem, adjungendo litanias cum oratione ex festo Dolorum beatae Mariae virginis. Diebus vero sabbati dicetur *Salve Regina ec.* vel alia antiphona de tempore; litaniae, et antiphona supradictis diebus sint cantatae: caeteris vero diebus omnes fratres obligantur ad recitandum supradictum rosarium in privato juxta cujusvis opportunitatem. Hora septima vesperi convocabuntur pro coena, in qua omnia, ut supra de prandio observanda. Hora octava pulsabitur campana pro statione majeri, quam in communitate recitabunt extensis in crucem brachiis cum antiph. *O sacrum convivium ec.* ℣. et orat. de ss. Sacramento; eaque finita prostrati dicent *Confiteor ec.* quos superior absolvet: (hoc tempore siquid in communi, vel particulari est reprehendendum superior in charitate, et patientia exhortabitur,) tandem superior quoque dicat *Confiteor* ec. quem vicarius absolvet, quo tempore sonabitur campana, ad finem vero quinque sonoris ictibus a pulsu cessandum. Potest autem accidere, ut praedictum horarium orationis, et exercitiorum communitatis propter studia, aut alias publicae utilitatis occupationes transferri in aliud opportunius tempus conveniret. Idcirco disponitur, ut in capitulo generali (si sic melius in Domino visum fuerit pro communi religiosorum utilitate;) horae exercitiorum communitatis stabiliantur juxta circumstantias temporum, locorum, et occupationum, dummodo praescripta exercitia non omittantur.

Caput XII.

De studio.

§. 29. Cum optimarum literarum scientiae capacem reddant hominem ad percipienda quodammodo divina mysteria, nec non ad communicandum etiam aliorum ingeniis, quod inde perceptum est; ea propter praecipitur, ut fratres poenitentiae omni cum rigore ad frequentanda studia applicentur, exceptis fratribus laicis. De studio.

§. 30. Strictissime inhibetur, ne fratres ob varietates doctrinarum partiales efficiantur, De varietate doctrinae spernenda.

aut eos, qui minus sciverint, superbe despiciant; sed eligant semper solidiora, ac magis secura, sequentes, rejectis cavillationibus, eam, quae secundum pietatem est, sanam doctrinam, devitantes prophanas novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae.

De recusatione cathedrarum. §. 31. Prohibentur fratres Poenitentiae in publicis universitatibus graduari: qui tamen scientia, morum probitate, ac pietate alios per examen antecellere videbuntur, pro lectoribus, seu professoribus ad alios religiosos instruendos a superioribus ordinis deputentur. Lectoribus numquam liceat cathedras in publicis universitatibus, nec sponte oblatas acceptare, et multo minus procurare.

De voce lectoribus danda. §. 32. Lectores post provinciales, et ex provinciales dignitate caeteros antecellant, atque in capitulis, tam localibus, quam provincialibus, ac generalibus obtineant vocem.

In lectores eligendi primo expletis studiis rigido probentur examine a professoribus gravioribus provinciae ad hoc specialiter in capitulo provinciali deputatis. Qui habiles ab examinatoribus reperti fuerint seorsim, et secreta informatione a se subscripta provinciali, ejusque definitorio deferantur, at ab eo patri generali, qui eisdem, si nihil obstabit, patentes literas, quibus ad lecturam exercendam declarentur idonei, expediet, quam tamen actu exercere non poterunt, nisi a provinciali specialiter deputentur pro hac, vel illa scientia edocenda in studiorum conventu, seu provinciae. Monentur autem fratres per viscera Jesu Christi, ut sint fraternae charitatis vinculo uniti, unanimes, impartiales, et simplices poenitentiae filii, ac in eligendis lectoribus non dominetur exitialis nationum, amicitiae, consanguinitatis ec. affectus; scientes grave esse peccatum doctrina insufficientes in lectores deputare. Eligantur tantum illi, qui virtute, charitate, pietate, et scientia, sanaque doctrina aliis praeminent. Scientia siquidem sola inflat, charitas autem aedificat; admonentur quoque electi in lectores ne a mundi vanitatibus egressi, dignitates, honores, et plausum ambientes in laqueum incidant diaboli, ruantque in interitum aeternum, quare rogamini fratres, qui lectores eligitis, ut recordemini grave esse peccatum insufficientes in lectores deputare, et vos jam electi, ne quis vestrum glorietur nisi in solo Deo, per cujus misericordiam factus est particeps sortis sanctorum in lumine ad tenenda firmiter vestigia Jesu Christi, ejusdemque matris virtutes sectandas, ac perinde dici meruerit filius sanctae poenitentiae.

De incapacibus dignitatum. §. 33. Qui tribus testimoniis fuerit comprobatus modo aliquo illicito dignitatem quampiam consequutum fuisse, ipso facto deponatur, atque tam ille, quam cooperatores sceleris sint perpetuo incapaces obtinendi quamcunque dignitatem.

De collegio studiorum. §. 34. Constituitur in singulis provinciis unum collegium studiorum cum suo directore, magistris, et lectoribus, in quo juventam erudiant in omnibus necessariis scientiis.

De concionatoribus. §. 35. Concionatores rigido probentur examine utrum idonei sint; et tunc munus suum exacte, et irreprehensibiliter obeant, praecipue in quadragesima, adventu, et singulis per annum festis de praecepto.

De domibus missionum. §. 36. Constituantur etiam in singulis provinciis domus missionum, ex qua apprime doctrina, et sanctitate prodibunt instructi ad munus hoc apostolicum peragendum post debitas licentias obtentas.

Caput XIII.

De abstractione a saecularibus.

De abstractione a saecularibus. §. 37. Fores conventuum a salutatione angelica vespertina usque ad horam septimam sequentis diei debent claudi; ecclesiarum vero januae hora quinta matutini aperiri, et vesperi ad salutationem angelicam obserari. Arceatur concursus saecularium ab ingressu intra clausuram nostrorum conventuum juxta modum nunc explicandum. Clausuram conventuum nostrorum triplicem esse declaramus: una ab ipso jure canonico sub excommunicationis poena pro mulieribus imposita, haecque ab interiori conventus janua determinatur, ultra quam sub dicta gravissima poena mulieres progredi nullimode possunt. Alia vero, sicut et tertia nobis ipsis pro facillori servando ordine, ac observantia ultronee imposita: secunda respicit viros saeculares laicos, quos admittere intra interirorem januam licet quidem, et ex rationabili causa etiam ad cellas, et hortum, tantum prohibito aditu ad refectorium, culinam, aliasque officinas: insuper pro commodiori saecularium ingressu erunt intra interiorem conventus januam aliquot cubicula ipsis ad colloquendum cum religiosis destina-

la; ubi etiam exerceri possit cum ipsis, et praecipue cum benefactoribus conventus, vel ordinis, aliqua hospitalitas, dormire tamen ibidem nemini concedatur. Ad tertiam tandem clausuram liber erit aditus medicis, chirurgis, famulis, portionistis, atque artificibus, bajulis, ac hortulanis conventui addictis, nec non syndico, conventusque patrono cum uno servo, atque omnibus ecclesiasticis, et religiosis cujuscumque instituti, iisque licitum erit nedum intrare, sed etiam comedere in refectorio, versarique cum religiosis in eorum cellis, salvo tamen semper silentio, et absque regularis observantiae impedimento. Prohibetur strictissime fratribus nostris sub poena a superioribus infligenda, ne quis eorum absque speciali licentia domum aliquam saecularem ingredi audeat. Superior tamen cum socio, vel ex ipsius commissione, aut licentia alter ob justam causam poterit ingredi; velut etiam quaestuatores, quibus liceat intrare domum usque ad interiorem portam domus pro postulanda eleemosyna. Prohibetur nihilominus ibidem comessationibus interesse, vel quidpiam cibi, et potus sumere, nisi conventus esset longe dissitus, et eo reverti ob aliquam causam impediretur.

De consolatione fidelibus danda.

§. 38. Pro consolatione tamen fidelium ad qualemcumque domum vocati fuerint licite intrabunt pro excipienda confessione aegroti, veluti etiam pro assistentia moribundorum, ubi non ultra detineri debebunt, quam necessitas exigat eorum praesentiam; quare quam primum aegrotus mortuus fuerit, ex domo illa discedendum est, in qua nunquam liceat quidquam sumere; sed fame, vel siti urgente, et conventus longe distet, adibunt vicinam domum, ad januam postulari quidpiam ob amorem Dei, quo reficiantur. Si infirmus se remissius habuerit, redibunt ad conventum, in quorum loco alii duo aegrotum adibunt.

De non ferendo testimonio in testamentis.

§. 39. Fratres Poenitentiae numquam testamentis assistant, aut testamentarii efficiantur, neque in alios praeter conscientiae casus se intromittant. Similiter siquis in testamento pro conventu relinqueret aliquam quantitatem eleemosynae, nullatenus recipiatur, nullumque sit ex parte nostra testamentum; verum siquid non ex testamento, sed tamquam mera eleemosyna exhiberetur, poterit acceptari a syndico. Si quis saecularium in habitu poenitentiae vellet sepeliri, conceditur ei nullo designato pretio, sed sponte oblatum syndicus recipiet.

Caput XIV.

De itinerando.

§. 40. In itinerando curabunt fratres nisi aliter valetudo, aut necessitas a superiore approbanda exegerit, pedites ire, non vehi curru, neque equitare; hospitium requirent apud religiosos si reperiantur, vel parochum, aut benefactorem, a quibus non recepti, ubicumque hospitio admittentur, ingredi liceat. Conentur esse abstricti a comessationibus, et conversationibus saecularium, quantum fuerit possibile exhibentes se modestos, atque exemplares in itinerando, vel tractando cum saecularibus. — De itinerando.

§. 41. In missionibus faciendis, quae numquam in eodem loco ultra quindecim dies sunt protrahendae, praecipitur, ne cohabitent cum saecularibus, sed in conventu religiosorum, quod si non extet, postulabunt sibi concedi aliquem locum abstractum ab omni saecularium: consortio victum sibi ostiatim mendicabunt, nisi sponte offeratur a benefactoribus. Summopere vobis fratres recomendo post sanctam paupertatem salutarem a saecularibus abstractionem; unde non spernendae culpae erit reus, qui hoc punctum regulae relaxaverit absque ulla justa causa saecularibus se immiscendo, eorumque familiaritati adhaerendo. — De mora facienda in missionibus.

Caput XV.

De capitulis generalibus, et provincialibus.

§. 42. In omni provincia constituatur domus, in qua capitula provincialia celebrentur omni triennio, incipiendo die 4. septembris, videlicet in festo sanctae Rosae Viterbiensis, ad quae congregabuntur facta a provinciali indictione omnes vocales illius provinciae, nempe, provincialis, custos, definitores, guardiani omnium conventuum, omnes lectores emeriti, sive qui cursum lecturae terminaverunt, aut actualiter eidem non incumbunt, ex-provinciales, et secretarius capituli, qui omnes vocem in capitulo habebunt. — De capitulis provincialibus.

§. 43. Capitula generalia celebrentur omni sexennio secunda dominica mensis maii in ci- — De capitulis generalibus.

vitate, et conventu a generale, et ejus definitorio cum permissu Sedis apostolicae determinando; cui, si fuerit possibile, praesidere postulabunt a sua Sanctitate eminentissimum cardinalem protectorem ordinis, quem ab apostolica Sede, nunc et pro tempore humiliter postulare, et obtinere curabit generale definitorium, vel alium ex eminentissimis cardinalibus; in cujus defectu, vel absentia praesidebit ipsemet generalis actualis. Ad capitulum generale convenient omnes hic recensendi, videlicet, generalis, quatuor custodes, et totidem definitores generales, procurator generalis, commissarius generalis, socius, et secretarius generalis, omnes provinciales cum custode provinciae, ex provinciales, lectores emeriti, duo chronologistae ordinis, qui omnes in capitulo generali habebunt vocem.

De officio generalis.

§. 44. Generalis numquam, expleto sexennio sui officii, est confirmandus ante interpolatos tres ad minus annos, nisi Sedes apostolica aliud determinaret. Similiter provinciales expleto triennio nequeant, nisi post alios tres annos, ad illam dignitatem eligi. Inter caeteras generalis, et provincialium qualitates ea quidem prima est, ut vitae sanctitate, atque virtutum decore alios suo exemplo ad sectandas sedulo virtutes alliciant; charitate namque, humilitate, patientia, mansuetudine, modestia, atque affabilitate dotati ministros se non dominos reputent. In generalem eligendus erit, qui per aliquot annos provincialis, vel ad minus lectoris munere laudabiliter, et irreprehensibiliter gesserit. Provincialis vero, lectoris, sive definitoris, aut custodis munere laudabiliter gesto, vel ad minus per plures annos guardiani perfunctus ministerio eligatur. Tam generalis, quam provinciales nequeant eligi ante completum quadragesimum aetatis annum; caeteri vero ad inferiora ministeria eligendi sint ad minus triginta trium annorum completorum. Omnium denique ad caetera quoque munia, et ministeria eligendorum eae sint qualitates, ut vitae integritate, scientia, atque virtutum splendore decorati muneris sui partes sane, et irreprehensibiliter exequi valeant.

De praeside capitulorum.

§. 45. Praeses capitulorum provincialium erit generalis ubi ipse adesse potuerit, in caeteris vero deputet unum per patentes literas capitulo exhibendas, qui vices suas peragat.

De forma servanda in electione superioris.

§. 46. Pridie igitur ante assignatum pro capitulo diem hora competenti date signo campanae omnes ad ecclesiam convenient, ubi fervide divinum implorabunt lumen ad eligendum eum, qui divina dispositione sit praeordinatus superior; postea accedant omnes vocales ad deputatum capituli locum, ubi capituli praeses singulos vocales nominetenus per capituli secretarium accersitos in medium procedere jubeat, qui suae vocationis literas publice legendas proferant, quae si authenticae sint admittantur, si secus, repellantur. Dispositis igitur omnibus juxta ordinem suae dignitatis publicetur decretum ex mandato praesidis de non recedendo a sessionibus antequam finiantur, et gratiarum actiones peragantur absque expressa praesidis licentia. Post haec autem praeses omnes vocales absolvat ab omnibus censuris, et dispenset super irregularitatibus ad hujus tantum electionis effectum, sermonemque faciat, quo eos exhortetur ad pacem, et concordiam habendam, et absque passione eligendum eum in superiorem, qui secundum Deum ipsis visus fuerit dignior et religioni utilior.

§. 47. Die assignata pro electione generalis vel provincialis mane hora competenti convenient omnes vocales, totaque communitas illius conventus ad ecclesiam, ubi cantabitur missa de Spiritu Sancto a praeside, in qua omnes, qui non celebrant s. communionem de manu praesidis recipient; qua finita processionaliter per ordinem dignitatis accedent ad locum capituli cantando *Veni Creator Spiritus*, ibique posita supra mensulam immagine Jesu Nazareni, duobus candelabris, ac totidem urceis, clausis per secretarium capituli foribus, praeses ad congregatos sermonem faciet, prout magis expedire judicaverit. Postmodum distributo singulis frustulo chartae per ordinem accedent ad mensulam atramento, et pennis praeparatam, in qua unus post alterum scribent nomen, cognomen, et patriam eligendi in superiorem, quas chartas complicatas in praesentia praesidis, custodum, et trium scrutatorum subsequenter urnae ad hoc dispositae imponent, easque, finita votatione, scrutatores bene permixtas singillatim extractas clara voce legent, quorum nomina secretarius scripto notabit; legentur quoque a definitoribus ad hoc destinatis tam chartulae votantium, quam adnotatio secretarii. Postmodum facta discussione votorum, qui ex duabus partibus majorem partem favorabilium habuerit, ille sit electus, quem

De electione generalis, et provincialis.

secretarius clara voce publicabit generalem, vel provincialem.

De possessione capienda a novo superiore.

§. 48. His peractis statim comburentur chartae, seu schedulae, et postea pulsentur campanae, et intonetur *Te Deum laudamus* novoque superiori regulae, atque sigilla ordinis consignentur a suo antecessore; et tunc praecedente cruce cum duobus acolytis ad ecclesiam omnes processionaliter pergant, ubi noviter electus superior genuflexus coram altari, positis super librum regulae ambabus manibus, faciet professionem fidei, atque juramentum de fidelitate, et obedientia Sedi apostolicae semper praestanda, nec non de tuendo, et promovendo progressu ordinis. Quibus finitis praeses orationem pro gratiarum actione dicet; deinde sedenti novo superiori ad cornu epistolae omnes fratres per ordinem accedentes obedientiam praestabunt per osculum manus, quos ad regularis vitae cultum, populorum aedificationem, atque exactam regulae, et constitutionum observantiam efficacibus verbis, et charitatis ardore cohortabitur, aeternam benedictionem iis impertiendo, qui sancte, et laudabiliter vixerint, fideliterque in sua vocatione perseveraverint. Hic modus, et forma capitulorum observetur tam in generalibus, quam in provincialibus capitulis.

Caput XVI.

De continuatione capituli.

De continuatione capituli.

§. 49. In capitulis generalibus peracta electione generalis, sequentibus diebus fiet electio procuratoris generalis, et sequenter aliorum ad generalia ministeria eligendorum, nempe quatuor custodum, ac totidem definitorum generalium, atque chronologistarum ordinis. Duo assistentes generalis, idest socius, et secretarius a generali, et definitoribus eligantur.

De praecipuis actibus capituli provincialis.

§. 50. In capitulis provincialibus eodem die simul suffragia dabunt pro electione provincialis, et custodis provinciae; sequenti vero die eligent quatuor definitores, ac demum per ordinem guardianos. Pro eligendis guardianis facta diligenti perquisitione inter capitulares de insignioribus fratribus, qui necessariis sint conditionibus praediti, praeses proponet duos pro quovis conventu, pro quibus suffragabuntur, et qui eorum majorem partem votorum habuerit, quae semper sit ultra medietatem suffragantium, ille sit electus. Omnes, et singuli superiores, ad quos regimen ordinis spectat, in capitulo antequam muneri suo cedant, et alii eligantur, petita humillime venia de suis negligentiis strictae rationi coram capituli praeside et definitoribus succumbant, exacte, et fideliter informando capitulum de iis, quae ipsorum curae, et directioni commissa sunt. Siquem negligentem fuisse in promovenda regulari disciplina, atque habenda sollicita cura de suis subditis, vel contra regulam, et constitutiones graviter deliquisse per testimonia comprobaverint, salutari poenitentia corrigatur.

§. 51. Capitula numquam ultra octo, vel decem dies prolongentur, eorum acta diligenter a secretario capituli notentur. Controversiae, vel causae, quae capituli provincialis spectant jurisdictionem, in eo decidantur, aliae generali, sive ejus definitorio deferantur decidendae. In capitulis tam generalibus, quam provincialibus corrigantur omnes abusus, qui contra regularem observantiam per incuriam superiorum irrepsissent, sive communes totius ordinis, sive particulares alicujus provinciae, vel conventus, aut personarum; constituanturque decreta, quae cultum et decorem regularis disciplinae promoveant. Omnes et singuli tam generalis, quam provinciales, custodes, definitores, procurator generalis, guardiani, et caeteri ad quodcumque regimen, et dignitatem electi in religione; lectores quoque totius ordinis facient professionem fidei, et juramentum de obedientia, et fidelitate summo pontifici, et suis legittimis superioribus praestanda. De duratione capituli.

Caput XVII.

De sigillis, atque auctoritate superiorum.

§. 52. Sigillum majus generale erit effigies sigillo insculpta Jesu Nazareni est nostrum refugium. Annus quoque quo hic ordo caepit, in eo exprimetur. Sigillum vero minus erit s. Rosa Viterbiensis. Haec sigilla semper penes generalem detinebuntur: sigillum cujuscumque provinciae erit mysterium, a quo intitulatur provincia cum inscriptione ejusdem provinciae. Sigillum guardianorum, sive commune erit crux quadrata, in cujus angulis opponantur hae litterae: J. N. N. R. quae significant Jesus Nazarenus nostrum refugium. De sigillis.

De auctoritate superiorum.

§. 53. Generalis habebit regimen, et inspectionem totius ordinis, cui obedient, et subiicientur omnes religiosi. Provinciales praeerunt suis provinciis, et guardiani suis conventibus. Quod concernit auctoritatem generalis, provincialium, custodum, atque definitorum, quantum se cujusvis extendat jurisdictio; quasve causas judicare, et resolvere valeant; in primo capitulo generali determinabitur per constitutiones, et decreta juxta normam aliorum regularium ordinum facienda; et ante eorumdem publicationem a Sede apostolica examinanda, et approbanda: idemque servabitur postquam a praefato generali capitulo declarata fuerint delicta cognitioni superiorum hujus instituti reservanda. Socius, atque secretarius generalis, quemadmodum habent vocem in capitulis, tam generalibus, quam provincialibus, in quibus reperiuntur, ita etiam in causis majoris momenti definiendis generalis utetur eorum consilio.

De duratione officiorum.

§. 54. Procurator generalis per sexennium sui officii residebit Romae acturus causam ordinis totius coram summo pontifice, et sacris congregationibus cardinalium, unde expediet omnia decreta, et sanctiones ad nostrum ordinem, sive morum directionem spectantes, ad generalem, omnesque provincias; et si durante munere procuratorem mori contingeret, vel remissus in suo munere, aut ad illud exercendum inhabilis probaretur, generalis consilio definitorum, atque duorum assistentium alium dicto muneri praeficiat.

De subrogando generali qui moriatur perdurante ministerio.

§. 55. Si generalem tempore sui ministerii mori contingeret, vicarius generalis eligatur a custodibus, et definitoribus generalibus, qui toto ordini regendo praesit pro tempore, quod superest ad complementum sexennii. Mortuo vero provinciali, generalis consilio definitorum, et assistentium substituat huic muneri idoneum, nomine vicarii provincialis, qui pro reliquo tempore incoepti triennii provinciam gubernet. Ad ministeria inferiora provinciae, in casu obitus alicujus, a provinciali, et ejus definitorio eligatur, quem cognoverint magis idoneum. Defuncto aliquo conventus guardiano vicarius domus regimen assumet, quousque alter guardianus in capitulo eligatur. Guardianus absque gravissimo motivo nequeat in officio confirmari ad aliud triennium, nisi integro anno ab hoc munere vacaverit. Constituantur a provinciali in singulis conventibus quatuor discreti, quorum consilio utetur guardianus in commissae sibi familiae regimine.

Caput XVIII.

De visitatione.

De visitatione.

§. 56. Generalis per se, vel per alios teneatur intra sexennium omnes provincias visitare, congregando omnes superiores illius provinciae, et eos, qui in capitulis vocem habent, quibus plenariam informationem capiat de statu illius provinciae de superiorum regimine, de regulari observantia, de domibus studiorum, et novitiatuum. Causas ad se delatas audiet, easque absque personarum acceptione, a se, et suis assistentibus examinatas decidet, nisi essent tales, de quibus consilium generalis definitorii requireretur; scilicet provincialium depositio; incorrigibilium expulsio; longa, vel perpetua carceratio etc. de quibus processus juridici formentur a generali definitorio matura discussione examinandi, atque decidendi. Caetera errata, defectus, atque negligentias superiorum, nec non subditorum discreto zelo, et paterna charitate corrigat, et emendet, decreta salutaria promulgando ad communem utilitatem, spiritualemque religiosorum profectum augendum necessaria.

De visitatoribus.

§. 57. Visitatores generales eligantur illi, qui jam provincialis munus gesserunt, visitaturi provincias sibi assignatas cum uno secretario, et socio. De omnibus, quae statum provinciarum attinent, diligenter generalem informent, causasque ad se delatas eidem deferant.

De statu conventuum peragendo.

§. 58. Provincialis intra triennium sui officii teneatur suam provinciam visitare cum secretario, et uno socio. Diligenter statum omnium conventuum, et religiosorum inquirat, (de quibus ab eo ratio reddenda est in capitulo, tam generali, quam provinciali) errata corrigat, collapsa instauret, atque ad exactam regularis vitae observantiam fratres exhortetur, statuendo, et decernendo ea, quae bono regimini, regularique disciplinae conservandae, et propagandae viderit expedire. Peracta visitatione provincialis, post tres menses custos visitabit provinciam examinando, et investigando utrum omnia a provinciali ordinata, statuta, et decreta sint in exacta observatione. Nullas causas assumat judicandas pro-

prio arbitrio, sed eas provinciali deferat; de omnibusque in visitatione recognitis, et examinatis provincialem informet.

De commoditatibus non adhibendis in visitatione.

§. 59. Generalis, provinciales, et caeteri visitatores in visitatione semper pedestres iter faciant, nisi aliter valetudo, aut necessitas exegerit juxta disposita in superiori cap. XIV. Non sint partiales in victu, et vestitu, neque pluribus commoditatibus utantur, quam caeteri fratres.

De orationibus recitandis in visitatione.

§. 60. Adveniens generalis, aut provincialis ad aliquem conventum pro visitatione ingrediatur per ecclesiam, ubi convocata communitate cantabitur *Te Deum laudamus ec.* et visitator dicta oratione *Respice quaesumus Domine ec.* omnibus genuflexis benedictionem impertietur, indeque ibit ad visitandos fratres infirmos.

Idem ut supra.

§. 61. In primo capitulo generali salva recitatione, seu cantatione officii divini, et oratione mentali, quae caeteris precibus praeferri debent, disponantur officia recitanda defunctorum, beatae Mariae virginis, psalmi Graduales, et Poenitentiales cum litaniis, et precibus juxta rubricas, tam in choro, quam extra, prout expedire videbitur, advertendo tamen, ne nimiis orationibus vocalibus graventur religiosi. In qualibet provincia deputetur unus idoneus, qui directoria componat ad ritum Sanctae Romanae Ecclesiae, ac dioecesum, in quibus situati erunt cujuscumque provinciae conventus. Insuper praeter haec in capitulo generali pro meliori regimine, et exactiori observantia promovenda fiant declarationes ampliores super quaedam regulae, et constitutionum puncta, quae vel subcinte, vel non ad omnium intelligentiam expressa disceptationes, et sinistram intelligentiam inter aliquos inducere possent.

Caput XIX.

De silentio

De silentio.

§. 62. Prohibetur ne duo fratres simul in eadem cella habitent, aut dormiant, neque famulis conventus liceat in cella alicujus religiosi dormire, sed quisque suam cellam habeat. Prohibeatur quoque ab hora octava vespertina, usque ad horam septimam matutinam, ne alter alterius ingrediatur cellam, excepta necessitate, et causa urgente, quo tempore rigorosum observetur silentium.

De remissione silentii ad recreationem.

§. 63. Praecipitur quoque, ut fratres Poenitentiae in conventu semper observent silentium non loquendo ad invicem, nisi necessitas urgeat, et tunc voce submissa ne silentium interrumpatur. Licitum tamen erit in cubiculo ad recreationem designato loqui finito prandio usque ad duodecimam, et post caenam usque ad horam octavam. Superior sollicite invigilet, ut silentium observetur, ex cujus transgressione magna laxitas, et multa originantur mala.

De foeminis non tractandis.

§. 64. Numquam liceat alicui sine superioris licentia, et socio determinato cum foeminis tractare, exceptis matre, et sororibus germanis; hinc si quispiam fuerit vocatus ad loquendum cum aliqua, obtineatur primo licentia, cui superior designabit socium, in cujus praesentia, extra interiorem conventus januam in loco patenti loquetur, quod necesse fuerit, paucisque foeminam expediet.

Caput XX.

De ludis.

De ludis vetitis.

§. 65. Prohibentur fratres Poenitentiae ludere chartis, legere, vel exercere comaedias, iisdem interesse; conspicere saltum utriusque sexus, vel inter se saltare, canere prophana; saecularibus spectaculis, sive taurorum agitationibus interesse. Possunt tamen hortum habere capacem, in quo feria quinta post vesperas liceat eisdem honesto aliquo lusu, vel oblectamento recreari. Quod si ob temporum incommoda ad hortum non possunt exire, determinetur locus in conventu pro recreatione.

Caput XXI.

De poena delinquentium.

De poena delinquentium.

§. 66. In primo capitulo generali determinentur poenae omnibus delictis, et regulae transgressionibus correspondentes, ita tamen, ut charitas praevaleat rigori. Constituantur in qualibet provincia duae domus, in quibus carceres habeantur ad corrigendos delinquentes, qui primo corrigantur, et si fuerint incorrigibiles poena carceris plectantur juxta gravitatem delicti, nunquam tamen talis poena ultra sex menses duret; carceres vero non erunt subterranei, nec humentes, nec nimis

angusti, nec in aliquo diversi ab aliis cellis praeterquam appositione clathrorum ad fenestras, et pessuli exterioris ad januas.

De poenis levioribus.

§. 67. Pro levioribus culpis, ac diversitate earum privabuntur delinquentes capucio, vel cingulo, in cujus locum fune praecingentur, vel induant super habitum tunicam violaceam praetendentiam, atque fune in locum cinguli praecingentur, vel etiam, dum finita mensa gratiarum actio recitatur, se prosternent in crucem. Praemissae tamen poenalitates quoad habitum exequi poterunt ad tempus, et horas, quibus delinquens non prodibit in publicum. Interdum etiam si videbitur expediens pro alicujus correctione, privabitur delinquens aliqua portione cibi, vel vino numquam toto prandio, vel coena; aliis quoque poenitentiis levioribus emendentur a superioribus defectus fratrum, praeterquam ne ad verbera quispiam condemnetur. Idcirco rogantur superiores, ut in corrigendis fratribus severitatem cum pietate, et mansuetudine unitam habeant, condonando leves defectus usque ad tertiam vicem, dum prostrati veniam postulant.

Caput XXII.

De Apostatis.

De apostatis

§. 68. Denuo praecipitur superiori pietas, et mansuetudo erga suos subditos, secus si quempiam mala voluntate prosequens a constitutionibus deflectendo insolenter castigaret; statim instituto formali judicio a superioribus provincialibus, eorumque definitoriis, et per appellationem a generali ab officio deponendus est. Vae illi superiori ob cujus causam frater apostataret.

De orationibus faciendis pro apostatis.

§. 69. Si quis instigante diabolo apostataret, quod absit, fervidas pro ipsius reductione preces ad Deum fundent dicendo post laudes commemorationem Jesu Nazzareni, atque dolorum beatae Virginis Mariae. Si audiverint eum cum sancto habitu, vel sine incedere, et malum exemplum dare populo; tunc si facile eum reperire poterint, evitato omni scandalo reducatur. Si autem reductus ad ovile in sua perversitate permanserit, procedatur cum eo juxta constitutiones canonicas, et servatis servandis tamquam incorrigibilem de ordine expellant.

Caput XXIII.

De receptione apostatarum.

De receptione apostatarum.

§. 70. Si quis apostata divina movente gratia revertatur, eumdem superior paternis excipiatur amplexibus, tamquam filium, qui perierat, et inventus est. Interim convocata communitate apostata humi prostrato rationem superior de eo dabit, quoniam misericors Deus fecit lucem splendescere in corde illius, dum revocare dignatus est oviculam errantem. Quare cantabit communitas in septimo tono psalm. 72. *Quam bonus Israel Deus* sub quo genuflectens apostata habitu vestietur a superiore, crucemque humeris ejus imponet. Finito psalmo dicent ℣. *Haec dies quam fecit Dominus* et orationem resurrectionis Domini; quibus finitis sublata cruce omnium pedes osculabitur, factaque a superiore brevi exhortatione cantabitur *Te Deum laudamus* postea amplexabitur omnes religiosos, et proxima comestionis hora ad latus sedebit superioris.

Caput XXIV.

De apostatis ad bonam frugem reversis.

De dispensationibus indulgendis reversis ad bonam frugem.

§. 71. Apostata reversus ad frugem bonam peragat confessionem, et curet se absolvi a censuris incursis, ac dispensari ab irregularitate ab habente ad id auctoritatem; qua absolutione, et dispensatione obtenta in verae poenitentiae signum per sex menses sacris non operetur, nec confessiones audiat. Si vero bonos poenitentiae fructus ad caeterorum aedificationem dederit, tunc vel in toto, vel in parte ab hac poenitentia dispensari potest superioris arbitrio, et prudentia.

De apostasia non objicienda.

§. 72. Severissime prohibetur nequis fratrum ei apostasiam obiiciat; et qui hoc facere praesumpserit, a duobus, vel tribus convictus testibus, facta in publico refectorio deprecatione per mensem suspendatur a divinis si fuerit sacerdos; si vero laicus, vel clericus alia poena superioris arbitrio, et prudentia puniatur. Qui alteri convitia verit, et defectus objecerit graves, cingulo privatus, deprecato offenso castigetur pro gravitate delicti.

Caput XXV.

De cura animarum non sumenda.

§. 73. Prohibentur fratres Poenitentiae se exponere curae animarum nomine parocho-

rum. Numquam aliquis a conventu, praeter qoaestuatores, solus exeat, neque tantum ab invicem elongetur, ut alter alterius effogiat oculos.

De indusio infirmitatis causa assumendo. §. 74. Si qois fratrum infirmatur, licitum ei erit habitum exuere, et indusium assumere.

De exequiis defunctorum. §. 75. Pro quolibet defuncto fratre ie tóta provincia sacerdotes officium defunctorum privatim recitent, ac in ejus suffragium unam celebrent missam; clerici vero, ac laici duo rosaria quindecim decadem. In conventu vero in quo assignatus erat defunctus praeter supradicta caetabitur missa, et fiet absolútio juxta praescriptum ritualis.

Praecipitur, ut fratres Poenitentiae singulis annis faciaot exercitia spiritualia per decem dies, quatenus magis spiritu excitentur ad currendam viam perfectionis. Mundities tam in conventu, quam maxime in ecclesia recoeiendatur: idcirco coestituantur singulis septimanis aliqui scopandae domus curam habituri.

De subjectione Sedi apostolicae adhibenda. §. 76. Ie omnibus, et siogulis, in toto, et particulari, quantum cootineot regulae, et constitutiones, subiicimus nos Sedi apostolicae, et sanctae Matri Ecclesiae, summopere Cbristi vicarie in terris capiti pontifici maximo, ad cujus beatissimos pedes expectamus, sperantes, quod regulam hanc, si sibi complacuerit confirmabit, et nos si ie errore versamur, revocabit. Quidem non alia est meos nostra, quam sequi vestigia Domini Nostri Jesu Christi, et securum certumque facere ie boc scopuloso fallaciarum mari fieem fidei nostrae, salutem animarum. Amee.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 77. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes constitutiones hujusmodi, quo firmius subsistaet, et serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singolares persoeas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurreriet, hujus taetum rei gratia absolventes, et absolútos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis bumiliter porrectis inclinati, de nonnullorum venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ad ipsas constitutioees examieandos a Nobis specialiter deputatorum consilio omnes, et singulas constitutiones praeiosertas auctoritate apostolica tenore praesentium coeﬁrmamus, et approbamus, illisque ieviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omoes, et siogulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet interveneriot, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 78. Decernentes easdem praesentes literas, ac constitutioees praeinsertas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fora, suosque pleearios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in oomibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectiva ieviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scieoter, vel igeoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 79. Noe obstaotibus constitutioeibus, et ordinationibus apostolicis, ac quateeus opus sit quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et coesuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et ieenovatis. Quibus omnibus, et siogulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permaesuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima maii millesimo septingeotesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

CDXCVIII.

Dat. Romae 21. maii 1784. Anno X.

Communicatio gratiarum, et privilegiorum alias coecessorum fratribus ordieis sancti Francisci facta favure fratrum Poenitentiae nuncupatorum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divina dispositione praesidemus, congregationes Christifidelium Christum Dominum in paupertate, ac jugi corporum suorum mortificatione, ac poenitentia propius sectari suscipientes paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illorum statui, ac ut personae, quae iam pium vitae institutum amplexae sunt, in ea vocatione, qua vocatae sunt, perseverent usque in finem opportunis rationibus, ac favoribus providere studemus, sicut omnibus mature consideratis ad omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

Expositio precum pro rectorum pro obtinenda erectione congregationis, et communicatione privilegiorum. §. 2. Siquidem cum Nos hodie per alias Nostras in simili forma Brevis expeditas litteras regulas, et constitutiones dilectorum filiorum fratrum Poenitentiae nuncupatorum approbaverimus, ac confirmaverimus, iidem fratres, Nobis insuper exponi fecerunt, quod cum ipsi in religiosa eorum congregatione singula, quae veros, et formales decent regulares tum respectu habitus, tum caeterorum operum, ad quae juxta praedictas constitutiones tenentur, adimpleant, eamdem congregationem in veram, et formalem religionem, in qua non vota simplicia, sed expressa, et solemnia, sicut in quatuor mendicantium ordinibus, caeterisque approbatis religionibus in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur, ita ut in posterum dictae congregationi religionis, et ordinis, ipsis vero fratribus illud religiosi, et regularis nomen respective conveniat, et religio hujusmodi quoad personas, et inservientes quoscumque a jurisdictione ordinarii sub praedictis constitutionibus, ut praefertur, auctoritate Nostra apostolica confirmatis exempta intelligatur, et esse debeat, per Nos erigi, et approbari, ac confirmari; gratias, et privilegia spiritualia, quae alias fratribus ordinis sancti Francisci per Romanos pontifices praedecessores Nostros fuerunt concessa, ipsis per Nos communicari summopere desiderent.

Tenor sententiae. §. 3. Nos eorumdem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, praedictam congregationem fratrum de Poenitentia nuncupatorum in veram religionem cum votis solemnibus ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota hujusmodi in eadem congregatione emiserunt, emittendis, ita tamen, ut nova vota emittentes prius de inefficacia praecedentium votorum ad constituendum eos veros religiosos certiorentur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus; gratias, et privilegia spiritualia alias, ut praefertur, per Romanos pontifices praedecessores Nostros fratribus ordinis sancti Francisci quomodolibet concessa, etiam specifica, et individua mentione digna, et quibus memoratus ordo sancti Francisci de praesenti utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, ad praedictam congregationem, seu ordinem fratrum de Poenitentia nuncupatorum, et singulas illorum conventus domos, loca regularia, illorumque superiores, guardianos, praelatos, ac quascumque regulares personas auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus, illaque eis communicamus, concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum plenissime suffragari, ac ab iis respective observari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, et in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus,

nec non congregationis, seu ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, at sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxvi. maii MDCCLXXXIV. pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 26. maji 1784. Anno X.

ID.

Facultas erigendi in Americae Septemtrionalis, et Meridionalis provinciis custodias fratrum ordinis sancti Francisci de Observantia.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur per alias expeditas literas erectas fuisse custodias in provinciis septemtrionalibus Americae, cum privilegiis collegiorum missionariorum.

§. 1. Dudum per Nostras literas in simili forma Brevis sub die xvi. novembris MDCCLXXIX. expeditas ad preces pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici Nobis porrectas concessimus, et indulsimus, ut in aliquibus Americae Septemtrionalis provinciis tot efformari, constitui, atque erigi possent missionariorum ordinis fratrum minorum sancti Francisci de Observantia nuncupatorum custodiae, quot ad fidei catholicae propagationem eidem Karolo regi Hispaniarum necessariae, atque opportunae visae fuissent; iisque custodiis, sic, ut praefertur, constitutis, omnes gratias, et privilegia missionariis collegiorum ad fidei propagationem institutorum hactenus concessa tribuimus atque impertiti sumus, demandavimusque dilecto filio Emmanueli de la Vega fratri in praedicto ordine expresse professo, et commissario generali Indiarum, ut formam regiminis dictarum custodiarum, ac statuta in eisdem custodiis per fratres, et missionarios in eis pro tempore existentes observanda conderet, atque ordinaret.

Narratur quomodo novae erectiones utiles reperiantur ad catholicae fidei incrementum, et propagationem.

§. 2. Volentes, quod sic erigendae custodiae, et hospitia in iis respective extruenda, quoad regimen nullius dicti ordinis regularis provinciae forent, sed superiori generali illarum partium, in quibus erectae fuissent, immediate subessent. Cum autem memorato Karolo regi catholico per dilectum itidem filium Franciscum Alvares de Villanueva ejusdem ordinis fratrem expresse professum, ac collegii sanctae Rosae de Ocopa dicti ordinis Limanae dioecesis missionariorum de Propaganda Fide alumnum, ac commissarium nuper in Hispaniam reversum expositum fuerit, haud mediocrem propagationi orthodoxae fidei profectum eventurum, si in regionibus de Chiloè, et Valdivia, quae in regno de Chile, et in America Meridionali sitae sunt, una erigeretur ex hujusmodi custodiis, juxta formam quatuor custodiarum, quae in America Septemtrionali vigore supradictarum literarum apostolicarum jam erectae reperiuntur, et per statuta, ut in eisdem literis praescribitur, jam condita regantur, et gubernantur, dictas regiones de Chiloè, et Valdivia a praedicto collegio sanctae Rosae de Ocopa, cujus spirituali curae commendatae sunt abstrahendo, et dismembrando, illasque ibi erigendae missionariorum custodiae in posterum adjudicando.

Et hac de causa facultas erigendi custodias extendenda censetur per dominia Americae Meridionalis, et Septemtrionalis.

§. 3. Cumque praeterea idem Franciscus praedicto Karolo regi catholico etiam exposuerit, perutile, ac valde opportunum fore, si facultas hujusmodi custodias erigendi in partibus Americae Septemtrionalis tunc indicatis a Nobis, ut praefertur, concessa, indiscriminatim extenderetur ad quaecumque ejusdem Karoli Regis catholici dominia, utriusque Americae Septemtrionalis scilicet, et Meridionalis, in quibus existunt Indi, vel nondum ad catholicam fidem conversi, ut recenter ad eam reducti, qui neophiti adhuc sunt, et plenius in ea confirmari debent; plura enim evitarentur incommoda, tum asperrimorum terrestrium itinerum, tum periculosarum navigationum, quae necessario a missionariis subeunda sunt, placuit serenissimo regi, pro egregia sua pie-

tate, fideique propagandae zelo utramque dicti Francisci instantiam benigne complecti, probareque, ut et custodia in regionibus de Chiloé, et Valdivia erigatur, et quotquot in posterum custodiarum erectiones in suis utriusque Americae Septemptrionalis scilicet, at Meridionalis provinciis opportunae fuerint visae, executioni mandentur: Nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis, cum suis declarationibus.

§. 4. Nos igitur, qui pro injuncti apostolatus officio, praestantem istam religiosissimi, ac vere catholici principis pietatem, et fidei zelum non modo complecti, sed omnibus etiam gratiis, et favoribus prosequi vehementer cupimus, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, praefatam custodiae erectionem in regionibus de Chiloé, et Valdivia cum omnibus privilegiis in superioribus literis enunciatis fieri concedimus, et indulgemus, regiones praedictas a praedicti collegii sanctae Rosae de Ocopa jurisdictione abstrahentes, et hujusmodi erigendae missionariorum custodiae in posterum adjudicantes; itemque facultatem alias concessam hujusmodi custodias in certis tunc designatis Americae Septemptrionalis provinciis erigendi, ad quascumque dictae, et aeque meridionalis Americae partes, ubi opportunae visae fuerint, apostolica auctoritate extendimus, et ampliamus; itidem declarantes, quod erectiones hujusmodi, et statuta in praefatis custodiis observanda vim suam interim obtineant, donec comitia generalis ordinis celebrentur, ubi examinari, et approbari debebunt, salva semper memoratae congregationis de propaganda fide auctoritate ea augendi, seu moderandi, quatenus opus fuerit, et magis in Domino expedire videbitur.

Tribuitur regi catholico jus deputandi executores apostolicos.

§. 5. Praeterea volumus, ut tam praedictae custodiae, quam hospitia in eis condenda, quoad regimen nullius provinciae sint, et superiori generali illarum partium, in quibus fuerint, immediate subsint. Praefato autem Karolo regi catholico, ejusque successoribus facultatem tribuimus deputandi personas ecclesiasticas idoneas sibi benevisas, quae apostolicas hasce Nostras literas executioni demandare faciant; decernentes, quod statim ac unaquaeque ex supradictis custodiis erecta, et instituta fuerit, per praedictum Karolum regem catholicum ministro generali dicti ordinis pro tempore existenti communicetur, hasque praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et confirmatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, et earumdem praesentium literarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesima quarta maji, millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

D.

Dat. Romae die 6 junii 1784. Anno X.

Confirmatio unionis septem confraternitatum in ecclesia extinctae societatis Jesu Lisbo-

nensis civitatis existentium, quoadusque nosocomium dictae civitatis aliunde provideatur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a confratribus domus Misericordiae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii provisor, et confratres domus Misericordiae Lisbonensis, quod alias anno scilicet MDCCLXXV. bona, quae ad confraternitates sub titulo, et invocatione Nostrae Dominae de Doctrina, Nostrae Dominae de Bona Morte, Nostrae Dominae de Pietate, Jesus Mariae, et Joseph, sanctae Quiteriae, sanctae Ritae, et sancti Francisci Xaverii tunc extinctas, et jam pridem in ecclesia sancti Rochi extinctae, et suppressae societatis Jesu civitatis Lisbonensis erectas spectabant; praedictae domui Misericordiae applicata, unita, ac donata fuere; quodque licet Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die xix. junii MDCCLXXV. expeditas literas multis rationabilibus de causis animum Nostrum moventibus, omnia cappellaniarum, aliaque onera hujusmodi, quibus eadem domus ex pluribus, et quidem diversis fundationibus gravabatur, sub certis conditionibus in alias tunc expressos aeque pios usus commutaverimus, prout in eisdem literis uberius continetur; attamen cum dictae confraternitates nedum nonnullis cappellaniis, quarum aliquae constitutae fuerunt in titulum illarum cappellanis, sed aliis piis legatis onerarentur, quae nisi exsolvantur, grave inde damnum, ac detrimentum jus habentibus obvenit, ipsi provisores dubitarunt, num cappellaniae, ac legata pia hujusmodi sub dispositione dictarum Nostrarum apostolicarum literarum essent comprehensa.

Decretum latum a regina fidelissima super unione bonorum spectantium ad nosocomium et piam domum Misericordiae.

§. 2. Quamobrem carissima in Christo filia Nostra Maria Francisca Portugalliae, et Algabiorum regina fidelissima iterum separatis bonis, ac redditibus ad nosocomium Lisbonense spectantibus ab aliis bonis, ac redditibus ejusdem piae domus Misericordiae, quibus alias fuerant incorporata, decrevit, ut bona, ac redditus earumdem confraternitatum dicto nosocomio unirentur, ac adnecterentur, ita tamen, ut omnia onera, quae jus tertii aliquo modo respiciebant religiose adimplerentur. Quocirca exponentes praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex unionem decretam confirmat.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac memoratae Mariae Franciscae reginae fidelissimae votis hisce desuper Nobis humiliter porrectis annuere cupientes supplicationibus hujusmodi inclinati, omnia bona, redditus, ac proventus ad dictas confraternitates quomodolibet spectantes, ac pertinentes dicto nosocomio, quoad usque aliunde aliis redditibus ad necessarios sumptus opportunis dietur, apostolica auctoritate tenore praesentium unimus, adnectimus, et incorporamus.

Declarat a quibus oneribus confratres sint exempti.

§. 4. Et quoniam apud eosdem exponentes satis compertum non est, num cappellaniae, dotes, aliaque onera pia, quibus dictae confraternitates gravabantur, sub dispositione, ac commutatione per memoratas Nostras literas concessis sint comprehensa, hinc Nos easdem literas, quarum tenorem praesentibus pro pleno, ac sufficienter expresso, et inserto habentes, auctoritate, et tenore praedictis confirmantes, memoratas cappellanias, dotes, aliaque onera pia praedicta tunc commutata fuisse auctoritate, et tenore praedictis declaramus, et quatenus opus sit, ea denuo eadem auctoritate, et tenore commutamus, ita tamen, ut sub commutatione, ac dispositione hujusmodi omnes cappellanias, quarum cappellani ad illarum titulum fuerunt ad sacros ordines promoti, vel fuerunt ab ipsis fundatoribus vocati, aut nominati, vel demum aliquem quomodolibet legitimum titulum ad eas habeant, sicut pariter eas dotes, quae fuerunt certis personis, aut puellis, vel illis designatorum locorum, aut paraeciarum legatas, vel etiam ea onera, quae pro conservatione aedificiorum, altarium, ac cappellarum, dictis confraternitatibus in memorata ecclesia sancti Rochi, in qua fuerunt erectae, et ubi adhuc aliquae ex dictis cappellaniis adimplentur, possessarum, fuerunt relicta, minime esse comprehensa auctoritate, et tenore praedictis statuimus, ac mandamus.

Clausulae

§. 5. Decernentes has praesentes literas

blata, et decretum irritans. semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus omnium, et quorumcumque testatorum etiam ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac confraternitatum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die sexta julii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DI.

Dat. Romae 25. junii 1784. Anno X.

Commissariis monasterii monialium ordinis beatae Mariae Virginis de monte Carmelo civitatis Capuanae conceditur indultum utendi privilegiis provincialium titularium Daciae, cum voto in capitulis generalibus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales ordinis beatae Mariae de monte Carmelo civitatis Capuanae, quod cum suo monasterio a pietate clarae memoriae defunctae reginae catholicae instituto, et in carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici clientelam adhuc existenti tum quoad spirituale, tum quoad temporale, prodesset quam maxime, si illarum frater commissarius pro tempore existens jus suffragii in capitulis generalibus ordinis praedicti haberet, unde eidem capitulo generali ea, quae pro recto illarum gubernio, ac administratione opportuna forent, referre ei facile esset; id autem consequi posset, si commissariis hujusmodi pro tempore existentibus privilegia provincialis titularis Daciae ordinis praedicti concedamus, prout alias in eodem ordine fuisse concessum asseritur, ac summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere, et de benignitate apostolica indulgere dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratos fratres commissarios monasterii praedicti in provinciales titulares Daciae ordinis praefati auctoritate apostolica tenore praesentium facimus, creamus, et nuncupamus, eisque ut deinceps, et futuris perpetuis temporibus, omnibus, et singulis privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, gratiis, et indultis, etiam cum voto in capitulo generali ordinis praedicti, quibus provinciales titulares praedicti tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet usi, potiti, et gavisi sunt, aut quomodolibet in futurum uti, potiri, et gaudere possunt, vel poterunt, uti pariter, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac reapse provinciales ordinis praedicti

provinciae Daciae fuissent, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; eisque, ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari: sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus, constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; nec non ordinis et monasterii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta junii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DII.

Dat. Romae die 21. julii 1784. Anno X. Confirmatio decreti super concessione signi clero saeculari Graeco-Rutheno a congregatione de Propaganda Fide lati,

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Cum certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia aeterni regni praemia reservari: Nobis tamen eis necesse est bonorum, et gratiarum beneficia tribuere, ut in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare, et quia venerabilis frater Jason archiepiscopus Kioviensis, et Halliciensis totius Russiae metropolitanus, universi etiam cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine exponi Nobis nuper fecit, quod ad excitandam, augendamque ipsius cleri saecularis pro catholica religione sollicitudinem, ac vigilantiam, illosque una jungendos compage summopere conferret, si iis, qui inter caeteros in vinea Sabaoth uberiores fructus proferre satagunt, aliquod signum ex speciali dono gratiae concederemus; Nos, cui ex debito apostolici ministerii humilitati Nostrae concrediti officio, maxime cordi est, christianam fidem, sic Domino largiente, quotidie in populis extendere, ac Christifidelium praecipue vero illorum, qui in sortem Domini fuerunt vocati, zelum multiplicare, ut votis etiam Nobis hisce desuper a carissimo in Christo filio Nostro Stanislao Augusto Poloniae regi illustri porrectis annuerimus, preces praedictas venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus congregationis de Propaganda Fide remisimus, qui ad relationem dilecti filii magistri Sthepani Borgia ejusdem congregationis secretarii decretum a Nobis approbatum tulerunt teooris, qui sequitur.

§. 2. Ab eo usque tempore, quo inclyta Ruthenorum natio sub ss. mem. Clemente pp. VIII. divino aspirante numine, rediit ad petram fidei, supra quam aedificata est ecclesia, et cum Romano pontifice beati Petri apostolorum principis successore Christianorum omnium patre, ac magistro, tamquam cum ecclesiasticae unitatis centro communi fidei, et charitatis vinculo conjuncta est, mirum quantum catholicae fidei laetiores ubique fructus in Ruthenorum regionibus reportaverit, et quantum pacis, atque unionis nexus ex hac vera, sinceraque membrorum cum suo capite compactione firmior, ac validior evaserit. Quamobrem cum nuper R. P. D. Jason Junozza Smogorzewski archiepiscopus Kiovensis, et Halliciensis, totius Russiae metropolitanus; universi cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine sanctissimo domino nostro Pio pp. VI, accedentibus etiam serenissimi Stanislai Poloniae regis officiis, ac commendationibus, humili obsecratione supplicaverint, ut sacerdotes ex saecula- Tenor decreti editi a sacra congregatione de Propaganda Fide.

ri clero, qui in vinea Domini ardentius collaborant, ac de unione catholica magis benemerentur, una quadam societatis compage colligare, et aliquo pontificiae benignitatis monumento insignire dignaretur, ad nos acrius etiam ad iam pium opus conjunctis insimul studiis promovendum incitandos, cumque Sanctitas sua hujusmodi preces ad sacram congregationem Propagandae Fidei rebus praepositam remiserit.

Concessio crucis aureae gestandae a triginta sacerdotibus.

§. 3. Eadem sacra congregatio, ad relationem super praemissis factam per R. P. D. Stephanum Borgia secretarium, secum animo perpendens id, quod sanctus Gregorius magnus Syagrio Augusthodnensi episcopo scribebat, eum scilicet, qui in praedicatione, et opere sollicitum, devotum, adjutoremque in omnibus Augustino ad Anglorum conversionem misso, fuisse cognoverat, dignum esse, cui exterioris quoque habitus honorem deferret, censuit apostolica auctoritate eidem Jasoni totius Russiae metropolitano, ejusque in eadem metropolia successoribus, concedendam esse facultatem ornandi cruce aurea triginta presbyteros ex clero saeculari Graeco-Rutheni ritus uniti, qui hujusmodi ornamentum semper, et quandocumque in omnibus, et quibuscumque actibus, congressibus, et congregationibus publicis, et privatis in ecclesiis, vel extra, et coram quibuscumque personis qualibet dignitate ecclesiastica, vel saeculari fulgentibus, ad collum appensam gestare possint, et valeant.

De forma crucis.

§. 4. Crucis autem forma erit octagona instar Melitensis encausto caerulei coloris oblita; in ejus anteriore orbiculo erit depicta, vel insculpta Sanctae Romanae Ecclesiae Imago, in posteriori vero sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, ut sic cunctis pateat hanc honoris accessionem ex illius Sedis benedictione, et gratia prodire, quae ab iis, qui illam gestabunt, ampliores in sancta catholica unione progressus sibi pollicetur. Supra Imaginem Ecclesiae erit insculptum stemma regium, quoniam jamdudum Poloniae reges, atque hodie tum serenissimus rex Stanislaus pro suo eximio pietatis, ac religionis studio sanctam unionem fovet, suoque patrocinio tuetur.

Declaratur cui competat jus concedendi crucem.

§. 5. Hoc autem crucis ornamentum, seu distinctorium ex delegata apostolica auctoritate, non ab alio, quam a metropolitano conferatur, ea tamen lege, ut in singulis episcoporum Ruthenorum dioecesibus tria semper distinctoria tribus ecclesiasticis viris utriusque dioecesis ab episcopo eidem metropolitano praesentandis conferantur ad hoc, ut hujusmodi honoris praemium, ac laboris incitamentum in singulis quibusque tribus dioecesibus tribus viris semper largiatur, unoque sublato, alter a dioecesano episcopo metropolitano praesentetur, qui in illum spectatae virtutis, ac meritorum praeconio commendatum compererit, eadem cruce, seu distinctorio ornare non recuset. Reliquas vero cruces, ac distinctoria idem metropolitanus dignioribus presbyteris metropolitanae dioecesis ad sui arbitrium indulgere poterit.

De requisitis exhibendis pro assequenda cruce.

§. 6. Merita vero, ac requisita, quorum potissimum ratio, tam a metropolitano, quam ab episcopis in iis designandis, qui hac cruce ornandi erunt, habenda erit, sint hujusmodi. Sacerdotalis ordo: institutio, ac sedula studiorum opera in pontificiis seminariis impensa: commentaria, ac libri in lucem editi pro catholicae religionis incremento: patriae missiones, ac sacra catechesis cum laude peracta, ac sancta unio magis propagata: seminariorum regimen: servitium in parocciis, atque in episcoporum curiis praestitum. Demum natalium nobilitas, seu saltem honestas, ac si fieri poterit, gradus aliquis in universitatibus assequutus.

Explicatur ornamentum crucis devotionis esse indicium, non tamen pompam praeseferre.

§. 7. Ne autem hoc crucis, ac distinctorii ornamentum *solam superfluae elationis pompam* praeseferat, quemadmodum idem sanctus Gregorius ajebat, sed potius sit devotionis indicium erga apostolorum principem, pastorem, ac nutritorem nostrum, ejusque apostolicam cathedram, ad quam propter ejus potentiorem principalitatem omnem necesse est convenire ecclesiam, atque eos, qui undique sunt fideles, eadem sacra congregatio jussit, presbyteros his gloriae, et splendoris insignibus decorandos a metropolitano, atque etiam ab aliis episcopis movendos esse, atque hortandos, ut in sanctis operibus, ac praesertim in tuenda, atque amplificanda catholica unione perseverent, et si ex merito actionum suarum hoc laudis testimonium ab apostolica Sede sunt adepti, novis laborum, ac virtutum accessionibus videantur, collato sibi honori cumulatissime respondere. Nam ut idem sanctus Gregorius prosequitur, *Cum honoris argumento, cura quoque sollicitudinis debet excrescere, ut cultui vestitum, actionis quoque ornamenta conveniant: oportet, ut*

enixius in cunctis ss. studiis vestra fraternitas exerceat. Circa subjectorum actus sit cura vigilans, vestrum illis exemplum, instructio, et vita magistra sit, linguae vestrae exhortatione discant, quod metuant, et doceantur, quod diligant.

De privilegiis adnexis honori crucis.

§. 8. Ut vero ad haec persequenda acrius inflammentur, et ad extremum honoris insigne interdum, ac spirituale aliquod animarum lucrum adiiciatur, decrevit pariter sacra congregatio supplicandum esse sanctissimo, ut presbyteris illis, quos metropolitanus, et episcopi deferendae crucis honore dignos judicabunt, altaris privilegiati personalis gratiam bis in hebdomada elargiatur, ac praeterea, ut plenariam suorum peccatorum indulgentiam quotannis in die festo sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, atque etiam in ejusdem festi octava die; demumque, ut in eorum mortis articulo plenariam pariter suorum peccatorum indulgentiam consequi possint ex apostolica benignitate concedere dignetur.

Praeceptum de expediendo literas in forma Brevis

§. 9. Hoc autem sacrae congregationis decretum sanctissimo domino Nostro Pio pp. VI. relatum in audientia habita per eumdem R. P. D. Stephanum Borgia secretarium die XIII. junii MDCCLXXXIV. Sanctitas Sua in omnibus approbavit, et per apostolicas in forma Brevis literas auctoritatis suae robur adiiciendum esse mandavit.

Datum ex aedibus dictae sacrae congregationis die 19. junii 1784.

L. Card. Antonellus praefectus
Stephanus Borgia secretarius

Loco ✝ Signi

Confirmatio apostolica.

§. 10. Cum autem memorati exponentes, praeinsertum decretum pro firmiori illius subsistentia, et observatione apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum Nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae congregationis cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia julii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DIII.

Dat. Romae 17. julii 1784. Anno X.

Supprimitur confraternitas sancti Sebastiani civitatis sancti Angeli in Vado, et applicantur ejus bona nosocomio dictae civitatis.

Venerabili fratri Antonio episcopo sancti Angeli in Vado.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Cum inter gravissimas, multiplicesque curas, quibus ex sacrosancti apostolatus humilitati Nostrae divinitus commissi debito incessanter urgemur, illa praecipue animarum Nostrarum angat sollicitudo, quam de pauperum infirmorum necessitatibus, tum spiritualibus, tum temporalibus sublevandis corde jugiter versamur, proinde ubique locorum, et praesertim in civitatibus, et locis Sanctae Romanae Ecclesiae subditis providentiae Nostrae intuitum convertere non omittimus, ubi pensatis omnibus rerum circumstantiis, id expedire salubriter in Domino conspicimus.

Tenor precum porrectarum. §. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecerunt, dilecti filii confalonerius, ac quatuor deputati nosocomii hujus Nostrae civitatis sancti Angeli in Vado, quamvis felicis recordationis Clemens pp. XIV. praedecessor Noster pro erectione nosocomii hujusmodi plura concesserit, ac bona ipsi univerit; attamen cum ea non sint, quan pro illius manutentione, et exhibitione necessaria forent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, integritate, doctrina, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut inter octo confraternitates laicales in hac civitate sancti Angeli in Vado erectas, confraternitatem sub invocatione, ac titulo sancti Sebastiani in quadam ecclesia extra moenia ejusdem civitatis erectam auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressam, et extinctam esse decernas, ac declares. Bona vero mobilia, et immobilia, ecclesiam, domos, jura, et actiones quomodolibet ad eamdem confraternitatem spectantia cum omnibus, et singulis oneribus, quibus bona praedicta gravata existant, eidem nosocomio auctoritate praedicta incorpores, unias, et adnectes. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad dictae confraternitatis suppressionem, ac nosocomii praedicti utilitatem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequi ac exequi mandandi ea omnia, quae pro praesentium literarum executione constituare, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum, dispositionibus, testamentis, codicillis, et ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in soppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non confraternitatis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac inso-

illis clausulis, irritaetibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, at sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo roboro permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima sexta julii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DIV.

Dat. Romae die 15 julii 1784. Anno X.

Facultati medicae universitatis studii generalis Avenionensis conceditur jus suffragii in electione primicerii dictae universitatis.

Venerabili fratri Joanni, Karolo, Vincentio archiepiscopo Avenionensi, ac cancellario universitatis Avenionensis.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Cupientes Nos universos Christifideles praesertim Nobis, et Ecclesiae Romanae in temporalibus subditos ad bonarum literarum cognitionem, et doctrinam pro communi, et publica utilitate, ac ditionis Nostrae ornamento, et honore paterna charitate, et Sedis apostolicae munificentia, atque liberalitate allicere, privilegia, ac honores iis libenter concedimus, qui nedum studio, et continuis laboribus, sed etiam suis sumptibus easdem literas promovere satagunt, ut ipsis, et etiam caeteris ad virtutem calcar honorificum, ac fructuosum addatur. Sane cum in universitate studii generalis in civitate Nostra Avenionensi a felicis recordationis Bonifacio pp. VIII. praedecessore per suas literas kalendis julii anno sui pontificatus IV. Anagniae sub plumbo datas erecta, et instituta, quae inter caeteras, tum ob scientiarum gloriam, tum ob clarissimorum, qui in ea, aut sacras, et prophanas literas monstrarunt, aut decentes audierunt praestantiam adeo claruit, ut summorum pontificum praedecessorum Nostrorum peculiarem sollicitudinem, multasque gratias, et exemptiones jugiter promeruerit, facultas medica caeteroquin ejusdem universitatis optime merita, nonnullis praerogativis, quibus aliae facultates theologica, et juris utuntur, juris nempe suffragii in electione primicerii, qui est caput universitatis, et juris eligendi suum professorem, qui primariam cathedram medicinae exerceat, sit destituta. Nobis propterea aggregati ejusdem facultatis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur cum ex tui, ac dilecti filii Jacobi Filomarino Nostri, et Sedis apostolicae vicelegati Avenionensis relationibus acceperimus, facultatem medicam praedictam alteram fuisse ex tribus facultatibus, quarum intuitu memoratus Bonifacius praedecessor universitatem Avenionensem instituit, per statuta insuper dictae universitatis anno MDIII. a bonae memoriae Juliano, dum vixit, cardinali de Rovere nuncupato archiepiscopo Avenionensi, et ejusdem universitatis cancellario renovata, facultati theologiae, quae a felicis recordationis Joanne pp. XXIII. praedecessore itidem Nostro per suas literas apud sanctum Antoninum extra muros Florentiae kalendis septembris sui pontificatus anno IV. sub plumbo datas eidem universitati fuit adjecta, ut quatuor doctores in sacra theologia aggregati una cum doctoribus aggregatis in jure jus suffragii in dicta electione primicerii haberent, fuisse concessum, nec non utrasque facultates theologicam nimirum, et juris suos respective primarios professores nominare, quod si facultas artium ejusmodi professorem non habet, id ex eo fieri, quod hujusmodi cathedra a dilectis filiis fratribus ordinis Praedicatorum semper exerceter, ac tandem facultatem medicam esse ipsius universitatis benemeritam, tum quod duas instituerit cathedras, alteram quidem pro herbarum cognitione, alteram pro cadaverum incisione, quas illarum professores gratis exercent, cum etiam quod hortum herbarium in civitatem transportaverit, illumque suis sumptibus colat, et conservet, votis aggregatorum ejusdem facultatis medicae annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque eccle-

siasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae de cujus prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut eidem facultati medicae jus suffragii in electione primicerii universitatis auctoritate Nostra apostolica concedas, ita ut deinceps duo ex suis doctoribus aggregatis, decanus videlicet, et in ejus defectu doctor aggregatus senior, et professor exercens cathedram primariam, et in ejus defectu alius professor ad electionem primicerii omnino erunt convocandi, ac annuae electioni ejusmodi cum jure suffragii adesse libere, ac licite possint, et valeant.

Declarationes speciales

§. 3. Ut insuper in posterum ad eamdem facultatem medicam praesidente tamen primicerio, electio, et nominatio sui primarii antecessoris pertineat, auctoritate praedicta edicas, et declares. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam, ut haec suum sortiantur effectum faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non universitatis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava junii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DV.

Dat. Romae die 10 julii 1784. Anno X.

Damnatis ad triremes Camerae apostolicae indulgetur, ut dum fuerint in statione vulgo *Darsena* civitatis Centumcellarum, quibusdam festis diebus servilibus operibus vacare possint.

Dilecto filio vicario capitulari ecclesiae Viterbiensis illius sede episcopali vacante legitime deputato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae dubia fuerint, vel obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque converluntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis.

§. 2. Quoniam autem sicut dilectus etiam filius magister Josephus Miselli in utraque Signatura Nostra referendarius, et camerae Nostrae apostolicae commissarius generalis Nobis nuper exponi fecit, ipse compertum, exploratumque habet, vitia, quibus nefarii homines in triremibus ejusdem camerae Nostrae poenas pro patratis facinoribus substinentes abundant, ex desidia, et otio potissimum proficisci; quae vero bisce malis, meliori qua fieri possit ratione occurratur, operae pretium existimat, eos ad laboriosas artium exercitationes, servilia que opera etiam festis in diebus revocare, ac propterea Nobis humiliter supplicari fecit, ut

in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor mandati, quo executor apostolicus constituitur ad effectum concedendi dispensationem statis diebus festivis applicandam.

§. 3. Nos itaque, quibus plane perspectum est, ex otio nonnisi mala in religionem, et rempublicam premanare, quique illud e dictis triremibus quam longissime amovere non modo, sed et radicitus evellere cupimus, hujusmodi supplicationibus inclinati: discretioni tuae, attento quod sedes episcopalis Viterbiensis ad praesens vacat, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus et singulis ad praedictas triremes damnatis, ut ipsi deinceps dum intra *darsenam* nuncupatam oppidi civitatis etiam nuncupati Centumcellarum, nec autem extra illam, extiterint, diebus dominicis, Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, aliisque per annum dominicis diebus, nec non diebus Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Christi, et Nativitatis Domini; diebus Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis beatae Mariae Virginis Immaculatae, natali die sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, die celebrationis omnium sanctorum, ac festo die sanctae Firminae patronae praecipuae dictae civitatis, pro veteri Catholicae Ecclesiae instituto, sacris non tantum adstare, sed etiam a servilibus operibus abstinere teneantur: In reliquis vero festis, sive per apostolicam hanc sanctam Sedem, sive per synodales dioecesis hujusmodi constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per Christifideles civitatis, et dioecesis praedictae, eorumque majores facti, quod auctoritate Nostra apostolica quoad hanc partem per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo incumbere possint, pari auctoritate tenore praesentium concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, ac mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima julii millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DVI.

Dat. Romae 25. augusti 1784. Anno X.

Concessio juris privativi favore ducis Stephani Carboni fundendi ferrum in civitate Vetrallae, illiusque districtu.

Carlo per la divina misericordia vescovo di Porto, e s. Rufina cardinal di s. Marco della S. Romana Chiesa Camerlengo.

Camerarius publicat literas apostolicas ad rem expeditas.

§. 1. La Santità di Nostro Signore papa Pio VI. felicemente regnante si è degnata di accordare al capitan Stefano Carboni di Vetralla di costruire privativamente ad ogn' altro nella detta città di Vetralla, e suo territorio, durante lo spazio di ventiquattro anni prossimi a venire una fabbrica per colare ferro grezzo, e purgato lavorarlo, come dal chirografo della Santità Sua segnato li 8 luglio scorso, e registrato negli atti dell' infrascritto segretario di camera, ed a noi per l' esecuzione diretto del tenore seguente, cioè

Reverendissimo Cardinale Carlo Rezzonico Camerlengo di Santa Chiesa.

Tenor apostolici chirographi.

§. 2. Ci è stato rappresentato per parte del capitano Stefano Carboni della Nostra città di Vetralla nella provincia del Patrimonio, che in detta sua patria, e suo territorio non vi è alcun' edificio di ferriera per fabbricare il ferro, il che, se vi fosse, produrrebbe un considerabilissimo vantaggio a quella popolazione; e che io vista di ciò detto Carboni mosso dall' amor della patria, si è offerto d' introdurvi un tal' edificio, poichè, oltre l' accrescimento del commercio, s' impiegherebbe l' opera della povera gente; ma siccome l' introduzione di tal ferriera esige d' impiegarvi gran somma di denaro, quale esso Carboni impiegherebbe volentieri, se venisse impedito ad altri, che a di lui imitazione, o per spirito di emulazione in grave di lui danno per la perdita, che farebbe della somma impiegatavi, erigessero in detta città, e suo territorio una tal fabbrica; perciò umilmente ci ha supplicato a degnarci concedergli per il tempo di anni ventiquattro la facoltà privativa di fabbricare in essa città, e territorio qualunque sorte di ferro di qualsivoglis specie tanto grezzo, che purgato, ed in qualunque forma costrutte; ed avendovi Noi rimessa tal supplica per udirne il vostro pare-

re, ci avete riferito, dopo sentita su di ciò l'informazione di monsignor governatore di Viterbo, quale ci ha sentito ancora quel governatore locale, potersi accordare al supplicante la richiesta grazia, come molto utile, e vantaggiosa a quei Nostri amatissimi sudditi, onde Noi ci siamo ben volentieri determinati di accordare ad esso supplicante, e sua famiglia la richiesta grazia, per far goder loro gli effetti della Nostra sovrana beneficenza, e di dare insieme a quel pubblico un sincero contrassegno della paterna Nostra amorevolezza, e dell'impegno, che abbiamo per l'introduzione di un'arte per essi nuova nel modo, e forma però, ch'esprimeremo in appresso.

Tenor concessionis.

§. 3. Quindi col presente Nostro chirografo in cui abbiamo per espresso il tenore della citata informazione, e di ogni altra cosa quanto si voglia necessaria ad esprimersi, di Nostro moto proprio, certa scienza, e colla pienezza della Nostra suprema podestà, ordiniamo a voi, che in nome Nostro, e della Nostra camera diate, e concediate, siccome Noi diamo, e concediamo al suddetto capitano Stefano Carboni, e suoi eredi, e successori la facoltà di fabbricar ogni sorta di ferri privativamente ad ogni altro in detta Nostra città di Vetralla, e suo territorio per il solo corso di anni ventiquattro, con potere, durante tal tempo, edificare qualunque sorte di fabbrica per colare ferro grezzo, e lavorarlo purgato, ricavandolo o dalla vena minerale di ferro, o dal ferraccio, come più gli tornerà conto, e questo costruirlo in qualunque modo, e ridurlo in qualunque forma gli piacerà.

Declaratio specialis.

§. 4. Non intendiamo però colla presente privativa, che quei sudditi restino impediti di provvedersi di tali ferri altrove a di loro piacimento, o per la miglior qualità di ferro, o per l'agevolezza de' prezzi, di modo, che la presente concessione intendiamo, che sia soltanto, affine da altri non si facciano simili fabbriche nel suddetto corso di tempo, e non altrimenti.

Deputatio judicis privativi.

§. 5. E per l'effetto, ed esecuzione delle cose premesse stipolarete a favore di detto Carboni, e suoi suddetti l'istromento di tal concessione, interporrete decreti, pubblicherete bandi, ed editti anche penali a vostro arbitrio, e farete tutt'altro, che in tutto il surriferito tempo di essa concessione stimerete espediente per indennità non meno pubblica, che privata, deputandovi perciò Noi in giudice privativo di qualunque controversia, che in detto tempo potesse accadere sulla predetta fabbrica privativa per esser così mente, e volontà Nostra espressa.

Submovetur omne remedium juris.

§. 6. Volendo, e decretando, che il presente chirografo ammettendosi, e registrandosi in camera, e ne' suoi libri vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non possa mai apporglisi di sorrezzione, orrezzione, nè d'altra vizio, o difetto della Nostra volontà, e che così, e non altrimenti debba nelle cose premesse definirsi, decidersi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale, benchè collegiale, e composto di reverendissimi cardinali, togliendo loro la facoltà di giudicare, definire, ed interpretare diversamente, dichiarando fin d'adesso nullo, ed invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, citati, nè sentiti monsignor commissario della Nostra camera, l'appaltatore del Nostro stato di Castro, e ducato di Ronciglione, il magistrato di Vetralla, e del suo territorio, ed ogni altro, che vi avesse o pretendesse avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non ostante la regola della Nostra cancellaria de jure quaesito non tollendo, e qualsisiano costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi, statuti, riforme, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che disponesse o facesse in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore per espresso, e di parola in parola inserto, per questa volta solamente, ed all'effetto premesso ampiamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo Quirinale questo dì 8 luglio 1784.

PIUS PP. SEXTUS

Executio chirographi.

§. 8. Noi pertanto volendo, che quanto nel suddetto pontificio chirografo vien ordinato ed espresso abbia a sortire il totale, e pieno suo effetto, in esecuzione del medesimo, e del successivo istromento dell'enunciata privativa concessione rogata nelli medesimi atti dell'infrascritto segretario li 6. del corrente mese di agosto, e stipolato avanti di noi a favore del menzionato capitano Stefano Carboni, e per l'autorità dal nostro afficio di camerlengato ordiniamo, e comandiamo a tutte, e singole persone

di qualsivoglia stato, grado, e condizione tanto laiche, quanto ecclesiastiche, secolari, e regolari, ancorchè per comprenderle nel presente editto facesse d' uopo di specifica, ed individua menzione, sempre salva la sutriferita libertà di provvedersi altrova, e d' introdurre, e spacciare in detta città, e territorio ogni sorta di ferri, che intieramente si uniformino a quanto viene prescritto nel suddetto pontificio chirografo colla puntuale ubbidienza ai sovrani comandi, nè ardiscano sotto qualsivoglia pretesto, capo, causa, o ricercato colore di erigere in detta città di Vetralla, e suo territorio, fabbriche, e macchine, o siano edifizi, lavori, ed ordegni per ricavare, e formare il ferro, come si è detto di sopra, nè molestare in verun modo, e maniera, nè direttamente, nè indirettamente il medesimo concessionario, e molto meno impedire, quanto viene ad esso accordato relativamente in tutto, e per tutto al suddetto pontificio chirografo, e quanto in esso viene ordinato, ed espresso sotto pena di scudi *cento* d' oro da incorrersi ipso facto da ciascun contravventore, oltre la perdita della roba, e stigli caduti in commissum, secondo le qualità de' casi, e delle circostanze.

Sanctio poenalis.

§. 9. Avverta dunque ognuno onninamente d' ubbidire ai sovrani voleri della Santità di Nostro Signore, altrimenti in caso di fraude, e renitenza si procederà alle pene convenienti a nostro arbitrio manu regia, more camerali, ed in ogni altra maniera più spedita. Quali pene per una terza parte saranno applicate alla reverenda camera apostolica, e per le restanti due parti, una al suddetto concessionario, e l' altra all' accusatore, che sarà tenuto segreto. Volendo noi, che il presente nostro editto pubblicato, ed affisso ne' soliti luoghi della suddetta città, e territorio, e di altra città, e luoghi convicini obblighi ognuno alla piena osservanza, come se personalmente gli fosse stato intimato. Dato in Roma nella camera apostolica questo dì 13. agosto 1784.

DVII.

Dat. Romae die 18. aug. 1784. Anno X.

Confirmatio capitulorum editorum super separatione nationum Venetae et Lombardo-Austriacae, pro clericis congregationis Somaschae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Decreta lata in capitulo generali celebrato in civitate Ferrariae.

§. 1. Nuper pro parte dilectorum filiorum superiorum, aliorumque clericorum regularium congregationis Somaschae Nobis expositum fuit, quod eadem congregatio in capitulo generali hoc eodem anno in civitate Nostra Ferrariensi celebrato, praevia Nostra, et hujus sanctae Sedis licentia, proposuit, et statuit novam methodum, seu capitula pro nationibus, quae post separationem nationum Venetae, et Lombardo-Austriacae unitae remanent, in posterum servanda, quorum tenor est, ut sequitur videlicet — Piano stabilito dalla congregazione de' Chierici Regolari Somaschi nel capitolo generale celebrato in Ferrara, come siegue « Avendo la congregazione de' Chierici Regolari Somaschi il giorno 5. di marzo dell' anno 1784 ottenuto — Ex audientia santissimi etc. la facoltà di stendere nel capitolo generale da tenersi nella domenica III. dopo Pasqua, un nuovo piano per le nazioni, che rimangono unite, dopo la separazione della Veneta, e della Lombardo-Austriaca, da esibirsi poscia alla Santità Sua, affine d' ottenerne l' approvazione: si è esposto il seguente, il quale, dopo che è stato privatamente approvato da' vocali, e da' socj, si propone ora ai medesimi pubblicamente congregati nell' accennato capitolo, per rilevarne il voto loro sopra il medesimo piano.

De divisione congregationis.

§. 2. 1. La congregazione si dividerà in tante provincie, quante sono le nazioni, che la compongono.

De domo Placentiae.

§. 3. 2. La casa di Piacenza apparterrà alla nazione Genovese, o alla Piemontese, secondo l' inclinazione degli stessi religiosi.

De vocalibus.

§. 4. 3. Le quattro nazioni, Napolitana, Romana, Genovese, e Piemontese, averanno ciascuna sei vocali.

De capitulo generali.

§. 5. 4. I mentovati sei vocali con un socio da eleggersi in ciascuna nazione formeranno il capitolo generale.

De dignitatibus a capitulo generali eligendis.

§. 6. 5. Il capitolo generale eleggerà le sequenti quattro dignità, cioè il proposito generale, il vicario generale, il procurator generale, ed il cancelliere.

De dignitatibus abolendis.

§. 7. 6. Le dignità di consigliere, e definitori, siccome al presente sistema non necessarie, restano abolite.

De ordine servando inter nationes.

§. 8. 7. Le quattro nazioni si succederanno con l'ordine seguente — Napolitana — Romana — Genovese — Piemontese.

De praeposito generali.

§. 9. 8. Si è determinato, che si elegga in questo capitolo generale il preposito generale della nazione, ossia provincia Romana, e poscia coll'ordine del precedente paragrafo stabilito, cioè: Napolitana, Piemontese e Genovese.

De praeposito provinciali.

§. 10. 9. Il capitolo generale, oltre alle quattro dignità accennato, eleggerà un preposito provinciale di ciascuna nazione.

De aliis dignitatibus adjungendis.

§. 11. 10. Se crescesse il numero delle nazioni, e si facesse maggiore di quello delle suddette quattro dignità; una delle quali deve a ciascuna nazione toccare, si eleggerà una dignità per ciascuna nazione accresciuta, e chi ne sarà condecorato, si nominerà definitore.

De definitorio generali.

§. 12. 11. Il definitorio sarà composto dalle quattro mentovate dignità e da quattro provinciali: averanno, secondo il solito, diritto d'intervenire al medesimo gli assistenti generali, come sopranumerarj.

De domibus novitiorum.

§. 13. 12. Ciascuna nazione eleggerà una casa per il noviziato sì de' chierici, che de' laici.

De capitulo generali.

§. 14. 13. Il capitolo generale si terrà in quel collegio, che più si stimerà convenevole alla nazione, alla quale spetterà la dignità di proposto generale nel venturo capitolo.

De duratione dignitatum.

§. 15. 14. Secondo il consueto sistema della congregazione, le cariche saranno triennali.

De definitorio provinciali.

§. 16. 15. Il preposto provinciale radunerà ciascun anno, per provedere ai bisogni della sua provincia, il definitorio provinciale, e sarà questo composto di tutti i vocali della nazione.

De visitatione facienda a praeposito generali.

§. 17. 16. Secondo l'antico costumo il preposito generale visiterà una volta nel corso del suo governo i collegi della congregazione, ed i provinciali visiteranno nel corso medesimo due volte i collegj delle loro provincie.

De supplendis vocalibus in definitorio.

§. 18. 17. Nel caso, che venga a mancare alcuno de' soggetti componenti il definitorio, si osserverà ciò, che viene prescritto dalle costituzioni. — D. Gian Francesco Nicolai preposito generale de' Chierici Regolari Somaschi, d. Francesco Savorio Vai cancelliere. — Ex audientia santissimi habita ab infrascripto domino sub-secretario sacrae congregationis Episcoporum, et Regularium, sub die xxv. junii MDCCLXXXIV. Sanctitas Sua benigne annuit pro approbatione, expeditis literis apostolicis in forma Brevis, reformato tamen ordine nominationis provinciarum in capitibus tertio, et septimo, juxta caput octavum. Romae etc. F. X. card. de Zelada

Ph. adv. Zuccari sub-secretarius.

Declaratio addenda capitulis.

§. 19. Subinde vero dilecti, et filii moderni praepositus, et procurator generales exponi Nobis pariter fecerunt, quod cum contingere possit, ut ex eisdem clericis regularibus pauci existant, qui ad gerenda in eadem congregatione superiorum munera aliquibus in provinciis idonei sint: ipsi ad servandam in ipsa congregatione regularem disciplinam, summoperè cupiunt, ut praedictis capitulis addatur, quod non obstantibus fel. rec. Alexandri pp. VII, praedecessoris Nostri literis in forma Brevis in contrarium statuentibus, etiam exterarum provinciarum clerici hujusmodi in suis provinciis, superiores ad annum titulo tamen vicariorum, non autem praepositorum, nec rectorum assumi possint.

Gratia porro etiam pro confirmatione apostolica, quae conceditur cum suis declarationibus.

§. 20. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, praedicta capitula, quo firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri, ac ut infra a Nobis indulgeri summopere desiderent: Nos ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti etiam filii Philippi advocati Zuccari congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum sub-secretarii, praeinserta capitula, ac omnia, et singula in eis contenta; reformato tamen ordine nominationis provinciarum in capitibus tertio, et septimo, juxta caput octavum, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, nec non petitam facultatem eligendi etiam exterum in superiorem, ut petitur, ad annum in munere duraturum, eadem auctoritate concedimus, et indulgemus, ac praeinsertis capitulis adjectam volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 21. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogat contrariis.

§. 22. Non obstantibus praedictis Alexandri praedecessoris literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, congregationis clericorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis: quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XIII. augusti MDCCLXXXIV. Pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae die 13 aug. 1784. Anno X.

DVIII.

Confirmatio concordiae inter Sedem apostolicam et Rempublicam Venetam initae super derivatione aquarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur datas fuisse facultates cardinali Pallavicinio; ut subortas quaestiones componeret, atque de sequuta concordia referret.

§. 1. Alias Nos ad dirimendas controversias, contentionesque inter dilectorum filiorum nobilium virorum ducis, et dominii Venetorum subditos ex una, et dilectos filios universitates, et homines ducatus Nostri Ferrariensis ex altera partibus circa cursum aquarum, ex districtibus Venetis Tessarolo, et valle Precona nuncupatis fluentium non sine gravibus incommodis, animorumque dissentionibus vigentes per quasdam Nostras in simili forma Brevis die III octobris anni MDCCLXXXIII. expeditas literas dilecto filio Nostro Lazaro Opitio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Pallavicini nuncupato Nostro a secretis status commisimus, ut consiliis, sententiisque cum dilecto quoque filio Andrea Memmo dictorum nobilium virorum ducis, et reipublicae Venetorum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratore, a memoratis duce, et dominio ad negotium hujusmodi transigendum deputato, mutuo collatis, communicatisque ea, quae ad penitus abolendos, arcendosque in posterum clamores, et dissentiones accomodatiora fore pro sua prudentia duxisset, constitueret, ac propterea quamcumque facultatem, et auctoritatem ad praemissa necessariam tribuimus, et impertiti sumus. Cum autem, sicut accepimus, dictus Lazarus Opitius cardinalis quamdam cum supradicto Andrea vigore facultatum sibi, ac illi a Nobis, et a duce, et dominio praedictis attributarum concordiam firmaverit, atque perfecerit tenoris, qui sequitur.

CONCORDATO

Fra Sua Santità

PIO VI.

e la serenissima Repubblica di Venezia

circa le acque di Tessarolo,

e di Val Precona

Tenor concordiae.

§. 2. La disputa insorta fra li possidenti nella Presa, o sia circondario di Tessarolo sotto Fiesso sudditi della serenissima Repubblica di Venezia, e gli altri possidenti nel compresorio di Gurzone stato Ferrarese sudditi pontificj, se le acque cioè di detta Presa di Tessarolo dovessero, o no scolare nel pubblico condotto, o sia canale denominato il Poazzo, che tutto esiste nello stato di Ferrara, e che serve allo scolo delle inferiori campagne di Gurzone, nel qual condotto mandavano li Tessarolesi le loro acque per mezzo di cinque tagli, come pure l' altra disputa fra li medesimi sudditi insorta sulle altre acque di Val Precona stato Veneto; se quelle cioè avessero o no a riceversi per mezzo del cavo Arienti nel canal Bentivoglio della bonificazione denominata di Sticcata stato Ferrarese, e Pontificio, indussero nell' anno

1781 Sua Santità papa Pio VI., e la serenissima repubblica di Venezia a spedire concordemente sulla faccia dei luoghi due deputati, uno pontificio, e l'altro Veneto con due ingegneri similmente uno Veneto, e l'altro pontificio, acciò riconosciuta in unione la verità dei fatti sul preteso loro possesso diversamente asseriti dai rispettivi sudditi, rilevati altresì accertatamente li bisogni reali de' Veneti, e gl'incomodi reali de' Ferraresi colle maniere sicure da supplirvi con reciproca soddisfazione in avvenire, e riscontrata ogni altra cosa antica, e moderna, che conferir potesse allo schiarimento del vero, rassegnassero le loro relazioni colli corrispondenti disegni ai due principi deleganti, acciò potessero questi in seguito prendere quelle determinazioni, che avessero creduto più convenienti a porre in tranquillità li rispettivi sudditi, ed a togliere loro in avvenire ogni occasione di disturbarla.

Essendosi pertanto dai delegati, e dagli ingegneri adempita la commissione, ed essendosi susseguentemente tenuti in Roma replicati congressi prima con sua eccellenza il signor cavalier Zulian ambasciatore di Venezia, e dopo la di lui partenza da Roma con sua eccellenza il signor ambasciatore Andrea Memmo di lui successore ammessi ambedue più volte per queste due vertenze all'udienza della Santità Sua, hanno li sovrani sopra l'una, e sopra l'altra contestualmente convenuto, come in appresso.

Pacta conventa.

§. 3. I. Quanto all'acque della Presa di Tessarolo, piacendo ad ambedue li principi di prescindere affatto dal merito principale della disputa, e volendo in conferma sempre maggiore della loro reciproca amicizia, e corrispondenza terminar la contesa con un temperamento, che stabilmente porti il bene, e la quiete de' respettivi sudditi, di unanime consenso stabiliscono, che le acque piovane di Tessarolo scolino in avvenire in Poazzo, purchè però siano regolate nella seguente maniera.

II. Uno solo sarà lo sbocco delle suddette acque in Poazzo, e questo mediante una chiavica regolatrice da costruirsi, ove trovasi presentemente il terzo taglio dei Veneti chiamato la Piacentina.

III. Si costruirà la detta chiavica distante dall'argine sinistro del Poazzo pertiche due di misura di Rovigo in territorio Veneto, salvi però i diritti territoriali reciprocamente.

IV. L'elevazione della porta di detta chiavica si farà dalla soglia in altezza di piedi quattro, ed once sette misura suddetta a forma del profilo ora formato, e concordemente sottoscritto dai due ingegneri deputati alla visita signori Giuseppe Zaffarini ingegnere pontificio, e signor capitan Ignazio Avesani ingegnere Veneto, qual profilo, che da loro si rassegna presentemente alli principi, si conserverà per regola anche del tempo avvenire.

V. La porta da costruirsi come sopra di luce in latitudine piedi quattro, ed in altezza piedi tre, e mezzo di Rovigo sopra il pelo dell'acqua ritrovata in Poazzo in occasione della visita fatta li 16 e 17 maggio 1781, e notato allora dai suddetti due ingegneri nei loro profili, che trovansi delineati nelle respettive mappe in grande sottoscritte dagli stessi ingegneri, e da essi già umiliate alli principi.

VI. Sarà la porta medesima composta di due partite di tavolini una superiore, e l'altra inferiore, cosicchè con ambedue venga formata una sola porta della suddetta altezza in tutto dalla soglia di piedi quattro, ed once sette di Rovigo. La partita superiore di detta porta sarà dell'altezza di un solo piede, e la partita inferiore di piedi tre, e once sette.

VII. Due saranno le chiavi di detta porta una diversa dall'altra, e si riterranno una dal deputato Veneto, e l'altra dal pontificio, che a tal effetto si destineranno.

VIII. Dovrà la porta stessa star sempre chiusa intieramente quando sarà chiusa la chiavica di Racano, che scarica le acque del Poazzo in Pò grande; ma quella aprendosi allora dalli sopraddetti deputati si aprirà solamente l'anzidetta partita superiore dell'accennata porta, alta, come si disse, un piede, la qual partita superiore dovrà da loro richiudersi, e riporsi nel suo sito, subito che la chiavica di Racano si torni a chiudere.

IX. Il resto poi della detta porta, vale a dire la partita inferiore di essa dell'altezza della soglia di tre piedi, ed once sette, non si aprirà dai deputati ancorchè sia aperta la chiavica di Racano, se non quando le acque del Poazzo saranno abbassate fino a piedi quattro, ed once nove sotto l'incoltellata del ponticello della via nuova indicato dagl'ingegneri nei sopraccennati profili delle livellazioni, dovendo marcarsi questo punto fissato dall'incoltellata sulla faccia del luogo con un segnale stabile, e cospicuo; a condizione però, che abbia anche es-

sa a richiudersi, subito che si richiuda la chiavica di Racano.

X. Averà il chiavicante di Racano l' obbligo di subito avvisare li due depotati Pontificio e Veneto tanto quando la chiavica di Racano si apre, che quando si chiude, acciò essi possano regolare a forma del presente concordato l'apertura, a chiusura della suddetta porta della nuova chiavica di Tessarolo. E mancando poi così il chiavicante di Racano, come il deputato Pontificio in qualunque modo alla dovuta esattezza, e sollecitudine, dovranno ad ogni ricerca, che se ne facesse dal reggimento di Rovigo alla legazione di Ferrara, essere irrimissibilmente puniti a proporzione della loro colpa. Lo stesso si farà in pari caso per parte Veneta verso il suo deputato.

XI. A garantirsi delle respettive rotte, che fossero mai per accadere nello stato Veneto, come nel Pontificio, essendo intenzione de' principi, che ogni cosa anche in tal proposito venga regolata colla dovuta parità, ed uguaglianza, potranno li possidenti di Tessarolo, allorchè la loro presa fosse in pericolo di soffrire inondazioni, in caso di rotte succedute in Ferrarese, e introdottesi in Poazzo, non solo sull' accennata porta costruirne un' altra dell' altezza di piedi quattro da esser custodita dal Veneto deputato, e da essere da lui usata con porla nelli stessi gargami sopra la prima; ma potranno inoltre fare quelle altre operazioni, che crederanno opportune a propria difesa, dentro però il territorio Veneto, e senza offesa altrui. Vicendevolmente potranno li possidenti di Gurzone per impedire l' introduzione delle acque provenienti dalle rotte Venete, che avessero inondata la presa di Tessarolo, formare a propria difesa, e sempre dentro li confini dello stato Pontificio, e senza offesa altrui tutte quelle operazioni, che crederanno capaci d' impedire l' ingresso delle dette acque in Poazzo, acciò non rimanga da esso tolta ai scoli influenti di Gurzone la loro caduta; ben inteso, che neppure in questo caso di rotte Venete introdottesi in Tessarolo sarà lecito ai possidenti di quella presa il fare i tagli per scaricare le acque loro in Poazzo. Si dichiara però, che cessate la rotte, che Dio tenga lontane, dovranno subito le cose esser rimesse nello stato di prima, come se rotte accadute mai non fossero.

XII. Si dovranno nella presa di Tessarolo aprire li fossi scolatori, la profondità dei quali dovrà essere ragguagliata dalla platea della chiavica da costruirsi, facendoli profondi quanto richiede una orizontale tirata da detta platea. La loro larghezza poi nel fondo sarà o di uno, o di due piedi secondo stabiliranno li sopranominati ingegneri a seconda dell' altezza, o bassezza dei piani. Peraltro nelle terre più alte, che per avventura non soffrissero un fondo così largo, non dovrà il fondo medesimo essere minore di sei oncie, con una scarpa però proporzionata alla qualità del terreno. L'estensione poi, e lunghezza di detti fossi scolatori conducenti le acque all' accennata chiavica di Tessarolo, calcolate anche le loro tortuosità, e traverse non sarà minore di sette miglia.

XIII. Essendo volontà concorde dei principi di daro lo scolo in Poazzo alle sole acque piovane della presa di Tessarolo, perciò non potranno mai negli accennati fossi scolatori introdursi altre acque fuori di queste, ed introducendosi altre acque anche in piccola quantità, che sieno fuori della presa di Tessarolo, non dovrà mai il deputato Pontificio prestarsi ad aprire la porta della nuova chiavica Tessarolese, nè nella partita superiore, nè nella inferiore, ancorchè aperta sia la chiavica di Racano, e sarà tenuto esporne il disordine alla pubblica rappresentanza di Ferrara, acciò ne procuri nelle maniere convenienti il rimedio.

XIV. Invigileranno all' escavazione dei fossi scolatori, ed alla costruzione della nuova chiavica nella maniera suddivisata il suddetto signor capitano Ignazio Avesani ingegnere Veneto, ed il suddetto signor Giuseppe Zaffarini ingegnere Pontificio, e dovrà l' una, o l' altra opera incominciarsi subito a tutte spese dei possidenti di Tessarolo, a carico de' quali rimarrà anche nei futuri tempi la spesa necessaria per il mantenimento dei detti fossi da essere di tre in tre anni ridotti avanti la fine di aprile nella profondità, e larghezza, che saranno fissate nella prima loro formazione, come pure alla spese del mantenimento della suddetta nuova chiavica.

XV. Subito che sarà compito il lavoro dei fossi e della chiavica suddetta, dovranno immediatamente chiudersi coll' assistenza dei suddetti due ingegneri tanto nello stato Pontificio, che nello stato Veneto tutti quelli tagli fatti anche nella pubblica strada Veneta, per li quali ora si mandano le acque di Tessarolo in Poazzo, nè si potranno o essi, o altri tagli aprire

mai più nè ivi, nè in altri luoghi. Peraltro le golene Venete della detta presa di Tessarolo dovranno avere il loro scolo in Poazzo collo sbocco dei respettivi fossi nella maniera da destinarglisi sul luogo dai soprannominati due ingegneri.

XVI. Le acque della vicina presa, ossia comprensorio delle saline, non potranno mai introdursi neppure in piccola quantità in Poazzo, ma dovranno tutte andare per il loro particolare condotto delle saline, che è nello stato Veneto.

XVII. Acciò li fossi scolatori della presa di Tessarolo si mantengano sempre come si è detto di sopra nella convenuta profondità, e larghezza, estenzione, e pulizia, come pure acciò quella nuova chiavica si mantenga nello stato di sopra fissato, e non succeda veruna variazione in alcuna altra delle cose stabilite, sarà cura dei suddetti due ingegneri deputati di fare una relazione concorde da ambedue sottoscritta di tutto ciò che avranno operato in seguito della presente concordia, e di esibirla alli rispettivi principi per regola delle future visite.

XVIII. Ogni tre anni dopo la detta esecuzione nel mese di maggio dovrà farsi in Tessarolo la visita di detti fossi, e chiavica da due ingegneri da destinarsi uno Pontificio, e l'altro Veneto, li quali rincontrato sul luogo lo stato dei suddetti fossi, e della nuova chiavica, come anche li lavori occorrenti per essi, ed ogn'altra cosa risguardante il presente concordato, ne formeranno in iscritto la relazione, e la passeranno ai rispettivi governi.

XIX. Nella stessa guisa, ed occasione si farà dagli accennati due ingegneri ogni tre anni la visita del Poazzo, e della chiavica di Racano, e degli sbocchi di Gurzone, notando tutti li difetti, che aver potessero relazione al concordato presente per la immancabile loro riparazione, facendone la relazione come sopra, acciò in seguito di queste visite triennali, l'uno, e l'altro governo ordini, e faccia eseguire dalla sua parte li sporghi, e lavori, che dagl'ingegneri suddetti saranno creduti non men necessarj, che utili; ben inteso, che alli lavori nello stato Pontificio incomberà secondo il solito la congregazione de'lavorieri di Ferrara. Nei casi poi straordinarj si potrà fare una simil visita più spesso dei tre anni coll'intelligenza dei due governi tanto dalla parte della possidenza Pontificia, quanto dalla possidenza Veneta.

XX. Alle spese occorrenti per gli sgarbamenti, ed escavazione del Poazzo, per il risarcimento della chiavica di Racano, e per il salario di quel chiavicante, dovranno li possidenti di Tessarolo concorrere a proporzione della loro possidenza secondo li riparti, che la legazione di Ferrara comunicarà al nobil uomo il rappresentante di Rovigo, a cui spetterà il farli osservare nel Veneto, nè saranno mai li campi di Tessarolo aggravati più di quello, che lo sono i campi di Gurzone della stessa qualità, e natura.

XXI. Anche sull'altra vertenza delle acque di Val Precona piace alli principi di prescindere affatto dai meriti della disputa, e di abbracciare un espediente di reciproca soddisfazione, e che non sia di discapito alli rispettivi loro sudditi: si conviene quindi, che le acque di Val Precona s'introducano in avvenire nei canali della bonificazione di Stienta, ma nella maniera, e colle condizioni seguenti.

XXII. Che l'introduzione di esse acque duri solo, fino a che il canal Bianco, in cui quelle andar dovrebbero, come già una volta andavano, venga restituito alla sua antica attività per riceverla.

XXIII. Che per introdurvele intanto con metodo, abbia a costruirsi a tutte spese dagl'interessati di Val Precona una chiavica regolatrice dello scolo sul cavo Arianti da collocarsi dai due Ingegneri Veneto, e Pontificio, Avesani, e Zaffariol nel punto dell'unione dei due argioelli Ferraresi, che circondano Val Precona, e da demolirsi quando le acque di Val Precona torneranno a correre nel canal Bianco.

XXIV. Sarà la luce di detta chiavica di piedi tre di Rovigo. La soglia poi si porrà a livello del fondo presente del cavo Arienti coi suoi muri laterali, gargami e porta, respettivamente alli sopra detta soglia quanto fu precisamente fissato dai detti due ingegneri nella loro relazione, e disegno in data dei tredici marzo mille settecento ottantaquattro, e contrassegnata ancora dagli stessi sul luogo.

XXV. Avrà la porta della detta chiavica due serrature, a due chiavi diverse, una da rimanere in mani del deputato Veneto, e l'altra del deputato Pontificio ambedue da destinarsi. E siccome la porta suddetta deve restare oncie cinque di Ravigo più bassa dei muri,

e gargami laterali, così sarà sempre libero a quelli di Val Precona il soprapporre, occorrendo, ad essa porta una sopraporta, e rimuoverla ad intiero loro piacimento.

XXVI. Non dovrà l'accennata chiavica mai aprirsi, se non sarà stata prima aperta la chiavica maestra di Occhiobello al Po grande: subito poi, che si richiude la detta chiavica maestra, dovrà tornarsi a chiudere anche l'altra di Val Precona. Resta inoltre stabilito, che li torrenti Baccelli non debbano scorrere come in passato, in detta valle, ma debbano dirigersi per l'avvenire colle acque dei contigui campi negli scoli del circondario della bonificazione per essere in essa compresi, con corrispondere però a quella tutte le contribuzioni occorrenti.

XXVII. Al chiavicante di Occhiobello resterà addossato l'obbligo di avvisar subito li due deputati Pontificio, e Veneto, quando la chiavica di Occhiobello si apre, come pure quando si chiude, acciò essi possano coerentemente regolare la chiusura, ed apertura della detta nuova chiavica di Val Precona.

XXVIII. Non avranno mai da introdursi per questa nuova chiavica nei canali della bonificazione altre acque, che quelle di Val Precona, ed introducendovisi, sarà della pubblica rappresentanza di Ferrara il procurarne il rimedio colle convenienti intelligenze col nobil uomo rappresentante di Rovigo.

XXIX. Sarà permesso ai Ferraresi di rialzare, e rinforzare ogni volta, che vorranno li loro arginelli circondanti Val Precona, e non dovrà mai esser lecito agli affittuari, o altri inservienti di detta valle per qualunque causa anche di somma escrescenza di acqua il far tagli, o altre innovazioni in detti arginelli e facendosi oltre il danno, che dovranno rifare ai Ferraresi, saranno li delinquenti castigati a misura del loro reato.

XXX. A carico degl' interessati, o affittuarj di Val Precona sarà il mantenere risarcita la nuova chiavica al cavo Arienti, e di più avranno essi il peso di concorrere in proporzione della loro possidenza a tutte le spese annuali di sgarbamenti, escavazione di canali maestri, risarcimenti della chiavica di Occhiobello, salario del chiavicante, ed altro, che possa contribuire a mantenere in buono stato gli scoli principali della detta bonificazione, secondo li rapporti, che dalla legazione di Ferrara si comunicheranno al nobil uomo rappresentante di Rovigo, a cui incomberà il farli osservare nel Veneto, nè saranno mai li campi di Val Precona aggravati più degli altri campi della bonificazione suddetta della medesima qualità, e natura.

XXXI. Li due ingegneri Avesani, e Zaffarini rassegneranno la relazione dell'esecuzione ai principi, e poi si farà ogni tre anni, durante l'introduzione suddetta delle acque di Val Precona in bonificazione, la visita di ambedue li comprensori dai due ingegneri uno Veneto, e l'altro Pontificio da destinarsi per riconoscere, e riferire ai rispettivi governi il bisogno dei lavori occorrenti, acciò l'uno, e l'altro li ordini, e li faccia eseguire dalla sua parte; ben inteso, che ai lavori nello stato Pontificio incomberà secondo il solito la congregazione degl' interessati di Stienta. Nei casi però straordinarj si potrà fare una simile visita più spesso coll' intelligenza dei due governi tanto dalla parte della possidenza Pontificia, che della possidenza Veneta.

XXXII. Siccome poi nella transazione fatta fra la serenissima Repubblica di Venezia, ed il duca di Ferrara Alfonso II. li otto febbrajo mille cinquecento sessantanove; che in principio di questa disputa fu reclamata al santo Padre dalla Repubblica stessa nella memoria esibitagli dal signor ambasciatore li trenta marzo mille ottocento ottanta, e di cui ne hanno avuta ragione ambedue li deputati nelle loro relazioni, fu convenuto, che le campagne Ferraresi potessero scolare le loro acque per la chiavica dell' argine di s. Donato nel canal Bianco; perciò restituendosi il medesimo canal Bianco alla sua primiera attività, non solo dovranno scorrere colà le acque di Val Precona; ma dovranno anche le campagne Ferraresi comprese nella detta transazione ripristinarsi nel loro diritto di portare colà le proprie acque in quei modi, e con quelle condizioni, che furono prescritte nella transazione medesima, e contribuendo di più a proporzione del proprio interesse, quello stesso, che si sarà contribuito, e si contribuirà per parte Veneta al medesimo oggetto.

XXXIII. A perpetua solidità del concordato stabilito dai principi sopra ambedue le controversie degli scoli di Tessarolo, e di Val Precona, ed a reciproca quiete de' respettivi sudditi si conviene, che qualunque carta, o docu-

mento riguardante l' una, e l' altra disputa, che si scoprisse posteriormente non abbia da attendersi in conto alcuno; nè per ravvivarle, nè per recedere da ciò, che si è ora stabilito.

XXXIV. Si dichiara, che tutte le espressioni di territorio, e di stato, che si contengono nella presente convenzione non potranno recar mai alcuno immaginabile pregiudizio alle reciproche ragioni territoriali dei sovrani contraenti, le quali innanzi resteranno sempre salve, ed intatte, finchè piaccia ad essi di stabilire li confini de' respettivi dominj, ove la linea non fosse già legittimamente stabilita.

XXXV. Impegneranno li principi la loro parola, ed accorderanno la suprema loro autorità, perchè il presente concordato venga in tutte le sue parti dai proprj sudditi osservato. Di questo concordato poi dovranno cambiarsi le reciproche ratifiche di Sua Santità, e della Repubblica serenissima nel termine di mesi due, e più presto se sia possibile.

Subscriptio plenipotentiariorum.

§. 4. Ed in fede di tutto ciò, che si è come sopra stabilito, noi infrascritti muniti delle plenipotenze respettive di Sua Santità Papa Pio VI., e della serenissima Repubblica di Venezia, le quali ora reciprocamente si cambiano, e si consegnano, abbiamo sottoscritta la presente convenzione, e l' abbiamo sigillata col proprio nostro sigillo in due distinti originali, acciò ognuno dai due principi ne abbia uno: dichiarando di essersi anche reciprocamente fra noi cambiate, ed a perpetua sicurezza della loro identità sottoscritte, e sigillate come sopra tanto le rispettive relazioni documentate della visita locale fatta in scritto da ciascuno dei due deputati Pontificio, e Veneto signor avvocato Settimio Cedri, e signor marchese Giuseppe Maria Manfredini colle mappe in grande separatamente allora formate dai due ingegneri Pontificio, e Veneto, Zaffarini, e Avesani; quanto il profilo delli piani di Tessarolo coll' altezza della chiavica da collocarvisi concordemente fatto, e sottoscritto in Roma li ventisei maggio dello scorso anno mille settecento ottantatre dalli medesimi due ingegneri a dimostrazione di ciò, che si è stabilito nell' articolo IV., e quanto anche la concorde relazione, e disegno dei piani, e chiavica di Val Precona parimente segnati dagli accennati due ingegneri in Ferrara li 13 marzo mille settecento ottantaquattro; che richiamansi nell' articolo XXIV. del presente concordato. In Roma questo di ventiquattro aprile mille settecento ottantaquattro.

Lazzaro card. Pallavicini segretario di stato di Nostro Signore Papa Pio VI.

Loco ✠ sigilli.

Andrea Memmo ambasciatore in virtù della plenipotenza della serenissima Repubblica.

Loco ✠ sigilli.

Pius PP. VI.

Plenipotentiae tunc Sanctitatis.

§. 5. Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem. Pro paterna illa, qua dilectos filios nobiles viros decem, et rempublicam Venetorum semper complexi fuimus, et adhuc complectimur charitate, quamcumque patrem inter, et filios exortam dissensionem componi, seu potius quamvis illius imaginem, sive umbram tolli penitus, et dissipari cupientes motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine te, de cujus fide, prudentia, integritate, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus ad amicabilem tractatum proponendum, ac debito fine concludendas cum dilecto filio Andrea Memmo dictorum nobilium virorum ducis, et reipublicae Venetorum apud Nos, et hanc sanctam Sedem oratore omnes controversias de, et super derivatione, et cursu tum aquarum loci della presa, seu districtus Tessaroli Veneti, padum Pontificium Ferrariense versus, seu Poazzo pontificio Ferrarese, tum etiam aquarum alterius loci in vocabulo della Veneta Valle Precona territorium versus Ferrariense di Sitonta exortas in Nostrum, et dictae Sedis plenipotentiarium tenore praesentium nominamus constituimus, et deputamus, tibique ut Nostro, et dictae Sedis nomine una cum memorato Andrea super controversiis hujusmodi agere, tractare, et concludere, ac conditiones, et pacta subinde conventa subscribere, et firmare libere, ac licite possis, et valeas plenam, et amplam facultatem harum serie tribuimus, et impertimur: Decernentes validum, et efficax fore quidquid earumdem vigore praesentium te egeris, tractaveris, et concluseris, id omne quantum in Nobis est, acceptum, gratum, firmumque, ac ratum habere, nec non observare, complere,

et exequi in verbo Romani pontificis promittentes. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo octuagesimo tertio. Pontificatus Nostri anno X.

Innoc. cardinal De Comitibus

Loco ✠ sigilli.

Dilecto filio Nostro Lazaro Opizio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Pallavicini nuncupato.

Paulus Rainerius Dei gratia dux Venetiarum etc.

Plenipotentia ducis Venetiarum. §. 6. Praesentium tenore notum, jestatumque facimus, quod studio amicabiliter componendae cujuscumque controversiae inter sanctam Sedem, nostramque Rempublicam aliquot ab hinc annis subinde exortae circa cursum aquarum ex districtibus Venetis Tessarolo, et Valle Precona nuncupatis fluentium, placuit senatui nostro huic peragendo, conficiendoque muneri dilectissimum nobilem virum Andream Memmo ordinarium nostrum apud sanctam Sedem legatum, de cujus probata fide, spectataque prudentia, et in negotiis rite administrandis experientia merito Respublica nostra confidit eligere, eumque vigore praesentium constituere commissarium nostrum, plenaque facultate munire, ad hoc ut cum pari facultate constituto etiam commissario illustrissimo et reverendissimo Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Lazaro Opitio Pallavicini a secretis beatissimi patris Pii Sexti collatis amicabilibus conciliis tractare, et convenire, et quae visa fuerint subscribere, et signare possit, et valeat; idque libere, ac si nos ipsi senatus consulto ea omnia perageremus, et signaremus, quo fieri potest arctiori modo spondentes, quod quaecumque antefatus commissarius noster tradita sibi facultate ita egerit, concluserit, subscripserit, et signaverit, rata quoque senatus auctoritate habituri simus, ratihabitionum tabulas intra conveniens tempus expedituri. In quorum fidem, robutque praesentes nostras plenae potestatis tabulas more solito conscriptas, atque subscriptas sigilli sancti Marci appensione roborari fecimus. Datum in nostro ducali palatio die septima septembris ind. prima millesimo septingentesimo octuagesimo tertio.

Gio. Pietro Legrenzi segretario

Loco ✠ Plumbi.

Confirmatio apostolica. §. 7. Hinc est quod Nos praevio deliberationis Nostrae consilio praeinsertam concordiam a dictis Lazaro Opitio cardinali ex una, et Andrea ex altera partibus vigore facultatum illis, sicut praemittitur, attributarum initam cum omnibus, et singulis pactis et conditionibus in ea contentis, et expressis auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, ac ratam, firmamque habemus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac pro pactorum, conventionumque hujusmodi observatione, et adimplemento Nos, Romanosque pontifices successores Nostros, ac sedem, et cameram apostolicam in forma juris valida obligamus.

Clausula sanatoria, et decretum irritans. §. 8. Decernentes ipsas praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque, quamtumvis magno, et inexcogitato defectu notari, et impugnari posse, sed eas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac inviolabiliter servari debere. Non obstantibus quibusvis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, caeterisque contrariis quibuscumque. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, et derogatum esse volumus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia augusti millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DIX.

Dat. Romae die 21. aug. 1784. Anno X.

Confirmatio septem decretorum ad relationem a secretis congregationis rebus consistorialibus praepositae, ac erectionis septem commendarum abbatialium ex totidem monachorum monasteriis in regno Poloniae et magno Lithuaniae ducatu.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Universa bonorum Ecclesiae administratio supremi apostolatus officio divinitus Nobis credito, inseparabiliter inhaerens interdum efflagitat, ut rationabilibus causis idipsum suadentibus sedulo perpensis nonnulla circa illorum usum pro temporum vicissitudine quemadmodum christianae reipublicae utilitati consentaneum esse in Domino conspicimus, immutentur.

Providentiae ad rem captae a Clemente XII. memorantur.

§. 2. Alias quidem Clemens pp. XII. Noster felicis recordationis praedecessor ad componendas jamdiu in Poloniae regno, et magno Lithuaniae ducatu vigentes controversias super his monasteriis abbatiis nuncupatis, quorum temporalia bona monachorum inibi regularem vitam profitentium congruam longe excedebant substentationem, pluribus praemissis inspectionibus, quemdam tractatum quoad tredecim ex iis monasteriis in eodem regno, et ducatu sitis per tunc existentem ipsius Clementis praedecessoris, et apostolicae Sedis nuntium conclusum apostolica ejus auctoritate per suas literas datas apud Sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo trigesimo septimo, idibus septembris, pontificatus sui anno octavo ita probavit, ut exinde divisa fuerit mensa eorumdem monasteriorum, et assignata parte pro abbate regulari, et monachis, reliqua pars per concessionem commendae apostolica auctoritate quemadmodum in promotionibus ad Ecclesias episcopales eorumdem regni et ducatus servatur personae ecclesiasticae non regulari, et de clero, ut dicitur, saeculari tribui posset, firmo tamen, atque integro servato primaevo jure monachorum super libera abbatum, et superiorum claustralium electione in quolibet ex illis monasteriis, aliaque statuit, quae ad mutuam inter futuros abbates commendatarios, nec non abbates quoque claustrales, et monachos concordiam, et tranquillitatem maxime profutura videbantur, prout in eisdem ipsius Clementis praedecessoris literis plenissime exprimitur, et continetur.

Preces porrectae pro assequenda ampliatione redditeum assignandorum personis ecclesiasticis ad publica subeunda munera delectis.

§. 3. Verum sicut accepimus, cum in illis partibus sacerdotia, ut plurimum, desint, quae ecclesiasticis personis e procerum genere ad publica munera delectis, ingentibusque sumptibus pro religionis catholicae, et ecclesiae communi bono obnoxiis deferri valeant, ideo nomine carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti Poloniae regis illustris, cujus perspectam habemus summam fidei integritatem, et in sanctam apostolicam Sedem filialem observantiam per dilectum filium Thomam marchionem Antici, ejus, ac Poloniae reipublicae apud Nos, et eamdem Sedem plenipotentiarium ministrum, ut ampliores in cleri saecularis profectum ecclesiasticos redditus designaremus, Nobis humiliter fuit supplicatum.

Pontifex commisit nuntio regni Poloniae ut aliqua bona a monasteriis segregaret pro sua prudentia.

§. 4. Ad ejusdem autem Stanislai Augusti regis adeo de catholica religione benemeriti obsecundandum votis, venerabili fratri Nostro Joanni Andreae archiepiscopo Calcedonensi Nostro, et apostolicae Sedis in regno Poloniae nuntio dedimus in mandatis, ut ipse auctoritate Nostra statum temporalium bonorum ad aliqua ex monasteriis monachorum in eo regno, et ducatu pertinentium satis agnita sua prudentia inquireret, et publicis, authenticisque documentis muniret. Quo perfecto ex bonis ipsis, eorumque fructibus, redditibus, et proventibus congruam singulorum monasteriorum mensam claustralem ad abbatum regularium, et monachorum alimoniam, et onerum quorumcumque adimplementum, ac praecipue ad divinum cultum promovendum satis superque sufficientem juxta methodum in praemisso tractatu de anno Domini MDCCXXXVII inito servatam etiam in caeteris omnibus servandam perpetuo constitueret. Superextantia vero bona ab ipsa mensa penitus, et omnino secerneret, eorumque dispositionem Nobis, et apostolicae Sedi reservatam declararet, ad hoc, ut de illis cum ejusdem Stanislai Augusti regis consensu disponeremus.

Nuntius apostolicus sibi commisso muneri satisfecit.

§. 5. In hujusce itaque commissionis executionem cum ab ipso Joanne Andrea archiepiscopo, et nuntio status bonorum septem monasteriorum, unius videlicet Landensis Gnesnensis dioecesis, ac alius Bledzoviensis Posnaniensis dioecesis, ac alius Pruemelensis etiam Posnaniensis dioecesis, ac alius Coprivnicensis Cracoviensis dioecesis, ac alius Obrensis pariter Posnaniensis dioecesis, quae ut etiam accepimus, ex ordine sunt Cisterciensium: nec non alius Sieciechowiensis dictae Cracoviensis dioecesis, ac reliqui sanctae Crucis in Calvo monte pariter Cracoviensis dioecesis amborum

ex ordine sancti Benedicti fuerit, servatis servandis, descriptus, et constitutus, atque ipso subinde ex bonis cujuslibet monasterii ea parte, quae claustrali abbati, et monachis assignanda foret in primis statuta, et praefinita segregaverit, reliqua eorumdem septem monasteriorum bona totidem commendatariis abbatibus, ut infra, impertienda, omniumque ab eo gestorum publica ediderit instrumenta, quorum exempla in authentica forma ad urbem transmisit: Nobis propterea datum est, ut optatum huic negocio finem imponeremus.

Omnia a nuntio peracta apostolica auctoritate confirmantur.

§. 6. Nos igitur postquam singula ab ipso Joanne Andrea archiepiscopo, et nuntio peracta, et edita instrumenta dilecto etiam filio magistro Petro Mariae Nigrono congregationis rebus consistorialibus praepositae a secretis expendenda tradidimus, ejusque accepimus relationem, septemque decretis inter acta ejusdem congregationis relatis, in quibus divisiones bonorum sigillatim enunciantur, animi Nostri sensus aperuimus, ipsius Stanislai Augusti regis spectabilibus votis quam libenter annuentes, utque caetus nobilium ecclesiasticorum in tuenda fidei catholicae integritate, et in apostolicam Sedem observantia benemereri pergat, ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine decreta ipsa, et in eis contenta, et relata instrumenta perinde ac si integer eorum tenor de verbo ad verbum praesentibus Nostris literis insertus foret, ipsarum tenore praesentium ita in perpetuum confirmamus, et approbamus, illisque singulis apostolicae, supremaeque Nostrae auctoritatis robur adiicimus, ut septem abbatiales commendas unam videlicet Landensem Gnesnensis dioecesis, et aliam Bledzoviensem, et aliam Praemelensem etiam Posnaniensis dioecesis, et aliam Copriunicensem Cracoviensis dioecesis, ac aliam Obrensem pariter Posnaniensis dioecesis, nec non aliam Sieciechowiensem dictae Cracoviensis dioecesis, ac reliquam sanctae Crucis in Calvo monte pariter Cracoviensis dioecesis pro totidem presbyteris, seu clericis ad illas a Nobis, et Romano pontifice pro tempore existente ad supplicationem ipsius Stanislai Augusti regis, ejusque in eodem regno successorum juxta literas felicis etiam recordationis Clementis pp. VII, praedecessoris pariter Nostri quoad ecclesias episcopales illius regni, et ducatus editas promovendis pari auctoritate etiam perpetuo ex nunc erigimus, et instituimus, suspenso tamen erectionis, et institutionis hujusmodi effectu quoad quinque ex iisdem monasteriis quousque illa per cessum, vel decessum abbatum regularium ea monasteria modo obtinentium, vacaverint. Porro singulis septem a Nobis, ut praefertur, erectis abbatialibus commendis ex nunc prout ex tunc, et statim ac eadem monasteria, illorumque singula vacare contigerit, omnia, et singula respective bona, jura, et actiones, illorumque fructus, redditus, et proventus ab eodem Joanne Andrea archiepiscopo, et nuntio eisdem abbatialibus commendis in singulis enunciatis instrumentis assignata, et praefinita: Ita quod futuris commendatoriis abbatibus ad commendas ipsas, modo, et forma praemissis, promovendis liceat singularum commendarum in ecclesia prout aliarum similium commendarum moris est, et bonorum respective assignatorum veram, realem, et actualem possessionem per se, vel alios libere apprehendere, et apprehensam ad eorum respective vitam retinere, illorumque fructus, redditus, et proventus in ipsorum decorem, usum, et utilitatem respective convertere ipsarum tenore praesentium perpetuo quoque applicamus, et appropriamus.

Declarationes speciales.

§. 7. Quoniam vero ex relatione ejusdem Joannis Andreae archiepiscopi, et nuntii compertum habuimus fructus annuos monasterii Obrensis dictae Posnaniensis dioecesis praemissae divisionis causa impares futuros censeri ad congruam abbatis regularis substentationem, ac proinde abbatialis a claustrali mensa separari non possit, ideo ad ipsius Stanislai Augusti regis supplicationem harum quoque Nostrarum literarum vi statuimus, et sancimus, ut illius monasterii quovis modo occurrente vacatione deinceps non quemadmodum in aliis monasteriis a monachis novus regularis abbas eligatur, sed juxta aliud decretum Nostrum die XXI januarii currentis anni editum illius loco eligatur claustralis prior, qui postquam confirmatus fuerit a pro tempore existente vicario visitatore generali ordinis Cisterciensis in Polonia, ut retroactis temporibus in quibusdam monasteriis ejusdem regni, ut accepimus actum fuit, curae, et regimini illius monasterii praeerit. Caeterum eadem monasteria, eorumque abbatiales commendas, ut praefertur, erectas in libris camerae Nostrae apostolicae describi, et in nova reparatione

iuxta redditus proportionabiliter in eisdem libris taxari volumus, et mandamus.

Clausulae salutares.

§. 8. Praesentes autem litteras, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quilibet, et praecipue abbates, et monachi eorumdem monasteriorum, aliique in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes ad haec vocati, aut sufficienter auditi non fuerint, seu praemissis non consenserint, aut ex quibusvis aliis causis, vel praetextibus, seu ex quo solemnitates, et formae a iure in similibus praescriptae minime servatae fuerint, neque modo servandae praescribantur de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, aut impugnari, seu alias infringi, vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus unquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, decretis, vel declarationibus sive generalibus, sive specialibus etiam motu Nostro proprio, ac simili scientia, et praemissa potestatis plenitudine, pariterque consistorialiter, vel alias quandocumque, et quibusvis de causis etiam pro tempore factis, et faciendis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, et de novo concessas, semperque, et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, ac futuris pro tempore existentibus eorumdem monasteriorum abbatibus commendatariis, quorum favarem praesentes Nostrae literae concernunt perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel eorum aliquo etiam causa privilegiorum dictis ordinibus, vel monasteriis ipsis apostolica auctoritate quomodolibet concessorum, quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque adprobationem, seu verificationem quorumcumque in eisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, nec ad id in iudicio, vel extra illud cogi, seu compelli posse.

Decretum irritans.

§. 9. Sicque in praemissis ab omnibus censeri, ac ita per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate, et potestate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, ac pro tempore existentes Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quslibet aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et diffiniri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, harum serie irritum, et inane decernimus, et declaramus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, sive de iure quaesito non tollendo, et de dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, et de exprimendo in similibus veris annuis valoribus fructuum tam illorum, qui dismembrantur, quam reliquorum: nec non Pii papae IV. de gratiis interesse camerae apostolicae quomodolibet concernentibus in eadem camera registrandis, et insinuandis, aliisque apostolicis quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum favore tam sancti Benedicti, quam Cisterciensis ordinum etiam in provincialibus, generalibusque conciliis editis specialibus constitutionibus, et ordinationibus, eorumdem ordinum, et monasteriorum privilegiis, indultis, et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac iteratis vicibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et plenariae exequutionis praemissorum omnium, et singulorum hac vice dumtaxat, harum quoque serie specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 11. Volumus demum, ut praesentium literarum Nostrarum transumptis etiam impressis, charactere alicujus notarii publici subscriptis, et episcoporum eorumdem regni, et ducatus sigillis munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 12. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, erectionis, institutionis, applicationis, appropriationis, statuti, sanctionis, mandati, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominiae millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pridie kalendas septembris, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 3 septemb. 1784. Anno X.

DX.

Monasterio Obrensi ordinis Cisterciensis dioecesis Posnaniensis uniuntur, et incorporantur tres parochiales ecclesiae.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Theodosiensi Nostro, et apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium Stanislaum Augustum Poloniæ regem illustrem nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis exponitur.

§. 1. Justis petentium desideriis dignum est Nos facilem praebere consensum, et vota, quae a rationis tramite non discordant, effectu consequente complere. Cum itaque dilecti filii monachi, et abbas claustralis monasterii Obrensis ordinis Cisterciensis Posnaniensis dioecesis exponi Nobis nuper fecerint, quod alias per decretum die vigesima secunda mensis martii anni MDCCLXI. ab episcopo tunc existente Posnaniensi signatum, parochiales ecclesiae Obrensis, Sudlicensis, Neukrawscensis ejusdem dioecesis monasterio Obrensi praedicto fuerunt adnexae, unitae et incorporatae, quodque etiam venerabilis frater Andreas Stanislaus modernus episcopus Posnaniensis per aliud itidem decretum diei octavae julii anni MDCCLXXXI. dictam unionem, ac praedictarum parochialium ecclesiarum possessionem confirmavit, ac approbavit. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ut unio, et possessio hujusmodi firmius subsistat, ac servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt dicti exponentes, ut sibi in praemissis indulgere, ac de benignitate apostolica ut infra providere dignaremur.

Tenor concessionis, cujus executio apostolico commissario committitur.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, religione, ac in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, praefatam unionem, ac possessionem dictarum parochialium ecclesiarum Obrensis, Sudlicensis, et Neukrawscensis Posnaniensis dioecesis auctoritate Nostra apostolica approbes, et confirmes, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper intervenerint, suppleas, et sanes.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, nec non, quate-

nus opus sit, dictae dioecesis, ac monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXI.

Dat. Romae 23. septemb. 1784. Anno X.

Reintegratio terrae Trebii Spoletanae dioecesis ad honores civitatis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Apostolicae Sedis majestati convenit temporalis suae ditionis terras, quae licet olim percelebres, extiterint, ac temporis progressu suo splendore exciderint, iterum tamen ad primaevum quodammodo statum, ac illarum formam, et civium frequentiam sunt restitutae, adeout inter caeteras ecclesiastica ditionis terras praecellant, in sua antiqua jura reintegrare, ac illustribus titulis, et praerogativis condecorari.

Memoratur terram antiquitus civitatis nomen obtinuisse.

§. 2. Siquidem nomine dilectorum filiorum communitatis, et hominum terrae Trebii Spoletanae dioecesis exponi Nobis nuper fecerunt dilecti etiam filii Camillus ex comitibus Rivisicci, et Joannes Baptista comes de Valentibus, quod terra praefata antectis temporibus non solum ob ipsius amplitudinem, et decorem, suorumque civium conditionis civitatis nomen meruit, ut vetustiores historici testantur, sed etiam honoribus, et praerogativis est gavisa, ac cathedrae pontificalis gloria claruit; constat quippe Æmilianum episcopum exeunte tertio saeculo palmam martyrii esse consecutum; aliosque Trebianos antistites saepe Romanis, aliisque conciliis subscripsisse. Cum tamen ob rerum humanarum vicissitudines, ac barbaris Italia incumbentibus solo pene fuerit aequata, nedum civitatis nomen, et praerogativas, sed etiam non diu post honorem, et gloriam cathedralis ecclesiae amisit.

Praesens illius florentissimus status laudatur.

§. 3. At postmodum cum ex suorum civium industria, ac solertia, et nova aedificia fuerint constructa, et antiqua reparata, et alia aliis adjecta, ita ut tum civium frequentia, familiarum, ac virorum illustrium domi, forisque fama, ac copia, inter quos non pauci ecclesiarum praesules, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales enumerantur, tum etiam aedificiorum elegantia, ecclesiarum, coenobiorum, aliorumque piorum locorum numero, ipsaque spatiosi agri ubertate super plurimas pontificiae ditionis Nostrae terras longe excellat, digna omnino videtur, ut pro terrae hujusmodi, nec non illius, ac sui territorii incolarum honore terram praefatam antiquo civitatis nomine condecoretur, seu potius ei nomen hujusmodi restituatur, et reintegretur, prout dicti exponentes nomine suorum concivium condecorari, sive potius restitui, atque reintegrari summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Reintegratur ad titulum civitatis cum suis privilegiis.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes, aliosque concives praedictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine terram Trebii veteri episcopali jamdudum dignitate ornatam, tituloque praestantis civitatis etiam ditatam in primaevum, et pristinum civitatis honorem cum omnibus, et singulis privilegiis, indultis, facultatibus, praeminentiis, gratiis, et immu-

nitatibus suis restituimus, et in antiquum statum, et denominationem civitatis reponimus, et plenarie reintegramus, ac quatenus opus sit, terram Trebii praefatam in civitatem perpetuo erigimus, instituimus, et confirmamus, eique civitatis titulum, ac denominationem cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus ditionis Nostrae pontificiae civitatibus competere dignoscuntur, nec non magistratui ejusdem terrae in civitatem, ut praemittitur, erectae consuetis honoribus, et insigniis, quibus aliarum ejusdem ditionis civitatum magistratus de jure, usu, et consuetudine gaudere, seu uti possunt, pariformiter, ac pari modo, et absque ulla differentia gaudere, potiri, et uti concedimus pariter, et impertimur, ac ejusdem terrae incolas, et habitatores civium nomine decoramus; ita tamen ut pro tempore existens episcopus Spoletanus in dicta terra per Nos in civitatem, ut praefertur, erecta, residere minime teneatur, sed illa ecclesiae Spoletanae ut antea subjecta remaneat, ac ex honore hujusmodi etiam in gubernium temporale nulla inducatur innovatio.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod quicumque in praemissis, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpora juris clauso etiam enormis, enormissimae, ac totalis laesionis ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac incogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores et Sanctae Romanae Ecclesiae camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dictae terrae, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXVIII septembris MDCCLXXXIV, pontificatus Nostri anno decimo.

DXII.

Dat. Romae 28. septemb. 1784. Anno X.

Extensio Indulti recitandi officium et missam beatae Agnetis ad moniales monasterii s. Clarae civitatis Carthaginensis in Indiis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a monialibus.

§. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii

monalium sanctae Clarae civitatis Carthaginensis in Indiis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae pro eo, quem erga beatam Agnetem virginem sororem sanctae Clarae Assisiensis gerunt devotionis affectu, officium, et missam de communi virginum cum oratione, antiphonis ad *Magnificat*, et ad *Benedictus*, ac lectionibus secundi nocturni propriis ejusdem beatae Agnetis jam pro universo ordine minorum sancti Francisci auctoritate apostolica adprobat. ad sui favorem per Nos extendi plurimum cupiant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii, praedictum officium, et missam cum oratione, antiphonis, et lectionibus juxta modum, et formam, quibus pro universo ordine minorum sancti Francisci adprobata, ut praefertur, existunt, ad easdem exponentes, et pro tempore existentes praedicti monasterii moniales pari auctoritate tenore praesentium extendimus, et ampliamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque monialibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique monasterii, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXIII.

Dat. Romae 1. octobris 1784. Anno X.

Supprimitur hospitale Peregrinorum terrae Montirelli Burgi sancti Domnini, et applicatur ejus bona in erectionem xenodochii in eadem terra.

Venerabili fratri Alexandro
episcopo Burgi sancti Domnini.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem,
et apostolicam benedictionem.

Laudatur consilium episcopi erigendi xenodochium.

§. 1. Cum paternae sollicitudini, qua quotidie fraternitas tua pro ovibus sibi commissis urgetur, ploratus quoque, ac gemitus pauperum aegrotantium terrae di Monticelli tuae dioecesis non fuerint absconditi, oculos, mentemque tuam ad eos conversus es, ut tua opera, et charitate novum xenodochium in dicta terra erigatur, Nostramque ad hoc es imploratus providentiam, ut tam sanctum, tamque Deo acceptabile opus Nostra auctoritate incipiatur, perficiaturque.

Exponitur status hospitalis Peregrinorum.

§. 2. Exposuit siquidem nuper fecisti quod in dicta terra di Monticelli extat hospitale Peregrinorum a confraternitate sub invocatione sanctissimae Trinitatis ejusdem terrae administratum, quodque cum confratribus sanctissimi Rosarii in ecclesia collegiata dictae terrae di Montirelli beatae Mariae virginis de monte Carmelo, et sanctissimae Trinitatis in ecclesia sancti Georgii ejusdem terrae, sanctissimi Sacramenti, et Rosarii in ecclesia delle Fogarole nuncupata, ac duabus in ecclesia parochiali

sancti Petri in Corto respective erectis satis ampli redditus sint, ac piis oneribus, quibus gravantur, exuberantes; harum redditus, demptis oneribus hujusmodi superextantes, ab illarum respective administratoribus in sumptus prorsus inutiles, ac ad augendum Dei cultum minime tendentes impendi solent, quodque pariter administratores vulgo *Regenza* altaris gratiae dictae collegiatae ecclesiae di Monticelli, et oratorii beatae Mariae virginis del Tinazzo nuncupatae praeter onera illarum respective fundationum redditibus affluunt.

Ratio concessionis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, si erigendo, ut praefertur, xenodochio in dicta terra di Monticelli bona, et domum dicti hospitalis Peregrinorum uniantur, ac dictorum locorum piorum superextantes fructus in hanc causam erogari curet largius pauperum aegrotantium necessitatibus consuli posset. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Suppressio hospitalis.

§. 4. Nos itaque te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum consilio, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, religione, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praedictum hospitale Peregrinorum in dicta terra di Monticelli erectum, et a confraternitate sanctissimae Trinitatis, ut praefertur, administratum auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressum, et extinctum esse edicas.

Assignatio bonorum favore xenodochii.

§. 5. Domum vero, aliaque bona tam mobilia, quam immobilia, jura, et actiones ad illud quomodolibet spectantia, ita tamen, ut firma remaneant omnia pia, et praesertim missarum onera, quibus eadem bona nunc gravantur, dicto xenodochio auctoritate praedicta perpetuo unias, adnectes, et assignes, ac perpetuo unita, adnexa, et assignata esse decernas, atque declares.

Jus colligendi pecuniam per decennium ab aliis piis locis favore ipsius xenodochii.

§. 6. Cum autem redditus hujusmodi satis tenues sint, et congruens videatur, ut superextantes fructus dictorum locorum piorum in solatium pauperum aegrotantium cedant; hinc tibi concedimus, ut administratores dictarum confraternitatum nempe sanctissimi Rosarii in ecclesia collegiata di Monticelli beatae Mariae virginis de monte Carmelo, et sanctissimae Trinitatis in ecclesia sancti Georgii ejusdem terrae, et sanctissimi Sacramenti, at Rosarii in ecclesia delle Fogarole nuncupata, et aliarum duarum in parochiali ecclesia sancti Petri in Corto respective erectarum, nec non praedictorum altaris gratiae ejusdem collegiatae, et oratorii beatae Mariae virginis del Tinazzo nuncupatae ad exhibitionem librorum, et status reddituum, ac respective onerum cujuslibet ex dictis locis piis auctoritate praedicta cogas, ad hoc, ut introitus cum exitu justa proportione habita comparare, ac superextantium fructuum, ac redditunm quantitatem cognoscere possis; indeque praestationem in ea summa, quae viribus cujuslibet ex eis, adimpletis sibi injunctis piis oneribus, conveniat, quaequo tibi expediens videbitur per decennium proxime futurum dumtaxat ab eis solvenda statuas, et praescribas, ut hinc eamdem praestationem, durante dicto decennio percipiendam, vel in bonis stabilibus liberis tutis, atque fructiferis, vel in censibus cum locis piis tantum in erigendo xenodochio collocari cures, at studeas; salva tamen semper ejusdem congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum auctoritate.

Deputatio episcopi in executorem apostolicarum litterarum.

§. 7. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad prosperam dicti xenodochii erectionem pertinent faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere, et pauperum aegrotantium solatio congruere pro tua eximia prudentia, enixoque in pauperes studio magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem tenore praesentium auctoritate apostolica tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad prae-

missa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, et applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et sinodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non hospitalis, et confraternitatum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die prima octobris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXIV.

Dat. Romae 27. novemb. 1784. Anno X.

Damnatio, et prohibitio libelli cui titulus « *Universalis professio fidei omnium religionum* 1784 *sano hominis intellectui dicata*. »

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Debito apostolatus Nostri officio vix functi, quo paucis ante diebus perniciosi libri necessaria quidem, sed paterno cordi Nostro acerba damnatione recrudescentes adversus auricularem confessionem errores proscribere, catholici dogmatis depositum sartum, tectum custodire, fratresque Nostros, ac filios in accepta semel a sanctis fide confirmare satagimus, continuo ad nova, quae instant, et acrius urgent, propulsanda pericula pastoralis Nostra sollicitudo vocatur.

§. 2. Emersit nuper e tenebris mole quidem exiguus, totus vero atro felle, ac veneno suffusus ignoti scriptoris libellus, cui propositum non unum tantum, aut alterum caput petere christianae doctrinae (tametsi nefas quicquam de verbo Dei detrahere), sed plane omnem christianae revelatae religionis formam, ac speciem e medio tollere, funditusque delere. Libelli titulus latine redditus: *Universalis professio fidei omnium religionum* 1784 *sano hominis intellectui dicata*, addita in fronte ad inanem ostentationem brevi hac sententia: *agnosce Deum, et esto honestus vir*. Quae sententia simulata, quam praesefert, specie probitatis fallere forte quemquam posset, nisi et patens inscriptionis pravitas latentem fraudem detegeret, eaque mox auctor subjiceret, quae et pietatem erga Deum, et morsiem etiam honestatem penitus convellerent. Quid enim a pietate tam alienum, quam Deum Optimum Maximum sub illis indiscriminatim nominibus agnoscendum proponere, quibus caecus olim Gentilium error supremi numinis majestatem non tam colere, quam obscurare, ac violare consueverat, qui nimirum aberrantes a via Dei, cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, dicentesque se esse sapientes, stulti facti sunt? Quid a sano intellectu tam remotum, quam certum omne veri, ac falsi judicium e medio tollere? Dicere veritatem non universalem, sed individuam esse, sicut sunt facies hominum diversae? Non alium coram tribunali veritatis legum codicem agnoscere praeter sensualem experientiam, quae quam sit fallax, nemini latet, qui non sit sano intellectu plane destitutus? Non si cuique suus est vultus, alter alteri dissimilis, ita quoque dissimilis sui, ac diversa, in diversis potest esse veritas. Est profecto, quod sapienter monet s. doctor Augustinus, incommutabilis veritas, quam non possis dicere meam, vel tuam, vel cujusquam hominis: veritas superemineus omnibus, ubique praesens, si cordis oculus ad eam pateat. Quod si ex immutabili aeternae veritatis lege pendet certa omnis et firma recti, et honesti regula, quae domum in humanas

Exponitur iniquitas libelli.

vitae officiis constantia esse poterit, si constans nulla est, ac universalis, sed sua cuique individua veritas, agendique legem ex propria sensuali experientia eruat quisque, ac repetat? Sic sublata universali veritate, universalem quoque honestatem corruere necesse est. Nec vero diffitendum, quod scriptor ille magnopere urget, multam esse de veritate in hominum hinc inde dissentientium judiciis varietatem, dum alii alia sentientes, pro sua tamen opinione tanquam pro veritate dimicare cernuntur. At hoc ipso admoneri eum oportebat, quam misera sit humanae naturae conditio, si suae infirmitati relinquatur. Quam opus haberet humanum genus superiori lumine, et auxilio, quo ex ignorantiae hujus tenebris, contractisque difficultatibus emergeret. Quam necessarium, quam optabile supernae revelationis beneficium fuerit, quo ad omnem veritatem, bonitatem, et justitiam homines erudirentur, ipsisque ad beatitudinem per eum, qui via, veritas, et vita est, certum, ac directum iter pararetur. Contra ingratus auctor tanto beneficio supernam hanc divinae bonitatis manifestationem explodere aggreditur. Revelationem cum natura confundit; praveque adeo de religione sentit, ut qualibet religione sine discrimine naturale societatis humanae vinculum plus minusve abrumpi affirmet. Quod probrum si conferretur tantummodo in falsas alias omnes, exitialesque sectas, quae sacrum religionis nomen profana usurpatione dedecorant, fatendum esset merito conjectum. At una existit, una eminet, lucetque in oculis omnium, velut civitas supra montem posita, christiana catholica religio, quae hominis officia omnia erga Deum, erga seipsum, et proximum statuit, ac temperat in eum modum, quo humani generis, humanaeve societatis bono comparando nil aptius, aut conducibilius excogitari possit. Quo uno argumento, inter alia innumera liquido quisque intelligere queat, tam praeclarum bonum nonnisi praestantissimo divinae sapientiae, ac largitatis muneri acceptum referri oportere. Quam porro absurdum, quam impium, quod subjungere non erubescit « *Nullibi praeceptum esse, nec praecipi posse recte sentire, sed recte facere, beatumque illum qui hoc praestat, sit deinde Judaeus, Turca, Ethnicus, Christianus, aut Naturalista* ». At non praecipimur de Deo sentire in bonitate, omnesque animi nostri affectus quantumvis intimos, et reconditos ex praescripto divinae legis moderari? An qui prave sentiat, innocens fuerit coram Deo, qui corda scrutatur, et renes? An vero quisque, quantumvis animo pessime affectus, hoc ipso beatus reputabitur, quod ab exteriore flagitio manum cohibeat, ac dum factis probitatem simulat, quam non habet, mentitur ipse sibi, proximis, ac reipublicae illudit, partemque sibi ponit cum hypocritis? Jam quae gravior, quae atrocior contumelia conjici potuit in auctorem fidei, et consummatorem Jesum, quam ut Judaica perfidia, foeda Mahometanorum immanitas, etnica superstitio, inconstans aeque ac impia vanitas naturalistarum una cum Christiana, plena sanctitatis professione congerantur in unum, eique per summam turpitudinem exaequentur? Misera, nec unquam satis deploranda stultitia, quae in quorumcumque errorum portenta pari aequalitate vertit sese, et accommodat; dumque nullam respuit falsitatem, hoc ipso servire omnium erroribus convincitur! Sic in dies multiplicantur, qui tribulant nos, qui insurgunt adversus nos. Non tamen eos oderimus, per quos exercemur, quorum quamdiu hic sunt, non est desperanda correctio. Qui potius bonum pro malo reddentes, enixis precibus omnipotentem Deum, cujus in manu positae sunt omnium voluntates orare non desinamus, ut aliquando ipsi convertantur, et nobiscum exerceantur. Adaperiat Deus corda eorum, ut, monente Augustino, intelligant « *Neque in confusione paganorum, neque in purgamentis haereticorum, neque in languore schismaticorum, neque in caecitate Judaeorum quaerendam esse religionem, sed apud eos solos, qui Christiani catholici, vel orthodoxi nominantur; id est integritatis custodes, et recta sectantes* ». Nos vero, quos de tenebris in admirabile lumen suum Christus vocare dignatus est, teneamus confessionem « *Teneamus mediatorem nostrum, in quo sunt omnes thesauri sapientiae, atque scientiae absconditi, ut neque falsae philosophiae loquacitate seducamur, neque falsae religionis superstitione teneamur.* »

§. 3. *Ergo fratres* (vos verbis alloquimur, qnibus olim gregem suum praesul, et Ecclesiae pater, doctrina aeque ac vitae sanctitate insignis, Maximus Taurinensis ad fidei constantiam hortabatur, cujus Nos eximia opera, et plura adhuc latentia, quo plus prodessent, diligenti studio recognosci, et in lucem edi cu- Monitum ad episcopos.

ravimus), *ergo fratres, ineluctabili fide, ac devotione solita, sacerdotis tot semper monitis inhaerentes, per religiosi itineris vias, ac veritatis semitas, quas universa tenet Ecclesia gradientes, magis magisque haereticorum devia, et diabolica calcate figmenta.* »

Tenor damnationis libelli.

§. 4. Ne vere exitiosi epusculi contagione fundet se latius, quae calamitosis hisce temporibus heu nimium invalescit, serpitque ut cancer proterva de religione indifferenter opinandi licentia; ne, quod absit, quempiam vel ex minimis, qui Nostrae cura crediti sunt, seducat cor pravum incredulitatis discedendi a Deo vivo, pro pastoralis officii Nostri munere, cum omni sollicitudine previdere cupientes, hunc ipsum libellum latine verti, et complurium in sacra theologia magistrorum examini subjici mandavimus; quorum habitis consultationibus, auditisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, motu proprio, et ex certa scientia Nostra, dequa apostolicae potestatis plenitudine antedictum libellum, *Universalis professio fidei omnium religionum 1784 sano hominis intellectui dicata*, tanquam continentem doctrinam, et propositiones respective falsas, temerarias, scandalosas, perniciosas, erroneas, impias, haeresi faventes, haereticas, totiusque revelatae religionis subversivas, damnamus, ac pro damnato, et reprobato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

Interdicitur singulis illius lectio, et retentio.

§. 5. Praecipimus insuper, ne quisquam ex Christifidelibus cujuscumque gradus, et dignitatis, quamvis specialissima nota dignis, libellum praedictum jam typis editum, sive manu conscriptum, vel in suo originali, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuo imprimere, seu imprimi facere audeat, aut praesumat sub poena suspensionis a divinis quantum ad personas ecclesiasticas; quantum vero ad personas saeculares sub poena excommunicationis majoris ipso facto absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, et respective relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus reservamus, excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, mortis articulo, quo nimirum quilibet confessarius ab hujusmodi censura, ut praefertur, incursa absolvere poterit.

Poenae contra eos qui libellum ordinariis locorum non tradiderint.

§. 6. Mandamus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus, et singulis cujuscumque gradus, conditionis, et dignitatis personis ecclesiasticis, et saecularibus, etiamsi speciali, et individua mentione indigeant, ut quatenus praedictus libellus vel in suo originario, vel in quocumque idiomate impressus, vel etiam manuscriptus, ad eorum manus devenerit, statim deferre illum teneantur ordinariis locorum sub eisdem suspensionis a divinis comminatis poenis, ac respectiva excommunicationis.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam praetexere possit, volumus, et mandamus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, necnon curiae generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic vero publicatas perinde afficere omnes, et singulos, quos concernunt, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum autem literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae et ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die XVII. novembris MDCCLXXXIV. pontificatus Nostri anno decimo.

DXV.

Dat. Romae 10. novemb. 1784. Anno X.

Confirmatio statutorum universitatis et hominum artis texendorum tibialium urbis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus evecti, illa, quae pro felici prosperoque artium, ac earum universitatum almae Urbis Nostrae cujus commodis peculiari paternae charitatis affectu studemus, regimine provide constituta, atque ordinata esse noscuntur,

ut firma semper, atque inviolata persistant apostolici muniminis praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter constabilimus.

Expositio precum porrectarum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas, et homines arti texendorum tibialium addicti, vulgo fabbricatori di calzette a telaro almae urbis praedictae, quod ipsi ad dictam artem prospere dirigendam ampliandamque statuta condere, et in unum volumen redigi curarunt tenoris sequentis videlicet.

Statuti della università de' calzettari di Roma

CAPITOLO I.

Tenor statutorum. §. 3. Deve l' uomo in tutte le sue imprese ricorrere a Dio; giusto è pertanto, che erigendosi l' arte de' fabbricatori di calzette in università, si stabilisca un' oratorio o nella chiesa di santa Maria in Monterone, o in altra chiesa, ove adunati li fratelli prestino a Dio il culto, che gli si deve, ed implorino dalla sua misericordia in tutti i loro bisogni la sua grazia. E poichè sappiamo benissimo di quanto efficace merito sia presso l' Altissimo la mediazione de' santi, dichiariamo nostra singolare avvocata la gloriosa vergine, e martire santa Lucia, affinchè le nostre preci da lei al trono di Dio presentate ci ottengano le grazie, che saranno necessarie per la nostra eterna salute, e per gli onesti vantaggi, e avanzamenti della nostra arte.

Stabile dunque, e perpetua legge sarà, che tutti, e singoli del nostro ceto nel dì festivo della nostra santa si portino all' oratorio ad essa dedicato, ove verrà solennizzata la di lei festa con quella pompa cristiana corrispondente alle nostre forze, ed alla devozione degli aggregati.

CAPITOLO II.

Riguardante la spesa della festa.

De expensis necessariis ad festum patronae. §. 4. Sarà cura de' consoli pro tempore intimare almeno giorni quindici avanti la festa della nostra santa protettrice la congregazione generale per stabilire la spesa da farsi a conto della cassa comune nella ricorrenza di detta festa, con dichiarazione, che volendosi oltre ciò, che è stato risoluto in congregazione eccedere o da consoli, o da altri più devoti della santa, tal' eccesso s' intenderà sempre fatto a spese proprie, e delli suddetti particolari, e non mai in aggravio dell' università.

CAPITOLO III.

Del modo da eleggere i consoli.

§. 5. Deve ogni corpo per necessità avere il suo capo, dal quale sia diretto. È stato sempre costume affidare tal direzione alli consoli che elegger si devono per segreti suffragj nella prima domenica di gennaro di ciaschedun anno. Un tal metodo sarà in avvenire eziandio costante, e perciò statuimo, ed ordiniamo che dalli consoli pro tempore s' intimi per il detto giorno la congregazione generale, ove primamente si dovrà di anno in anno mandare a partito se debbano confermarsi nell' impiego suddetto gli attuali consoli, come più pratici nel maneggio degli affari, ed interessi comuni dell' arte, ed istruiti nelle liti, che insorte siano, e che potranno insorgere nel tempo del lor consolato, qual conferma non dovrà oltrepassare il terzo anno; che se non verranno confermati con un voto di più oltre metà di quelli che si troveranno presenti in congregazione, dovranno essi proporre in scritto quattro maestri capaci ad esercitar con prudenza e savviezza un tal incarico, e fattone di ciascheduno la ballottazione per il bussolo e voti segreti, quelli due, che avranno più voti favorevoli, dovranno il consolato esercitare per lo spazio intiero d' un anno, e chiunque ricusasse d' accettare detta carica, senza motivo evidentemente grave, e legittimo, pagherà in pena della sua renitenza scudi due da erogarsi in beneficio della nostra università. All' incontro ciascheduno de' consoli, terminato l' anno dell' esercizio della loro carica, dovrà conseguire scudo uno in riconoscimento delle fatiche, e del tempo impiegato in servizio dell' università. De electione consulum.

CAPITOLO IV.

Della congregazione generale.

§. 6. È necessità precisa, che ogni corpo debba di tanto in tanto congregarsi per stabilire, e risolvere ciò, che crederà necessario per l' ottima sua direzione. Giusto però, e ragio- De congregatione generali.

nevole sembra, che li consoli facciano di tempo in tempo, secondo le circostanze de' casi, intimare la congregazione per ivi discorrere sopra gli affari dell' arte. In essa tutti gl' individui potranno dire l' uno dopo l' altro con rispetto li loro sentimenti, in essa potranno prendere le risoluzioni per il buon ordine dell'arte; avvertendosi per altro, che la pluralità de' voti in ogni risoluzione porterà l'inclusiva, e l' intervento di due terzi de' maestri patentati saranno sufficienti a far l'atto della congregazione valido.

CAPITOLO V.

Dovere de' consoli.

De munere consulum. §. 7. La prima, e principal cura de'consoli deve essere il procurare, che nell' arte si conservi il timor santo di Dio base, e fondamento d' ogni felicità e di poi l' ingrandimento dell' arte, e perfezione della medesima. Sarà loro dovere nel giorno della festa della nostra santa protettrice assistere con decenza alla banca assieme col sindaco per riscuotere dai padroni le tasse, e nello stesso tempo dar loro l'immagine della santa, come anche far intimare le congregazioni, ed a quelle intervenire, e mancando senza legittima causa, cioè di malattia, o di morte, o di funerali de' parenti, assenza da Roma, o simili, dovranno in pena della loro mancanza pagare paoli cinque d' applicarsi alla nostra università, nella qual pena altresì incorreranno tutti gli altri maestri, che senza le divisate giuste cause, non saranno intervenuti alle congregazioni intimate.

Dovranno parimenti li consoli con tutto rigore invigilare alla buona, e perfetta manifattura del lavoro, mentre se questo sarà perfezionato, non s' introdurranno più le calzette forastiere, che recano danno all' intiero corpo dell' arte, per lo che primaria loro cura sarà visitare di sei in sei mesi tutte le botteghe de' padroni, ed ove troveranno difettosi li lavori, ne faranno la dovuta rappresentanza a monsignore illustrissimo primicerio, affine di prendere gli opportuni provvedimenti a beneficio dell' arte.

Inoltre i consoli non potranno intraprendere alcuna lite, o altro, che possa essere di spesa, ed aggravio all' università, senza farne preventivamente intesa la congregazione generale, dalla di cui volontà dovrà dipenderne l' intrapresa: potranno bensì in casi urgenti cioè di trafugamento, o trasporto de' telari da una bottega all' altra non soggetta al nostro corpo, e pagamento di tasse, usare della loro facoltà con far citare li delinquenti, e debitori. Per soddisfare poi alle spese delle liti di qualunque specie, dopo che verranno proposte in congregazione le liste, e conti delle spese, e riportatane l' approvazione del pagamento, dovranno li consoli distribuire le tasse alli padroni, secondo la quantità di telari, che si troveranno nelle loro botteghe.

CAPITOLO VI.

Del sindaco.

§. 8. Nell' istesso giorno, che si eleggeranno li consoli si procederà nella medesima maniera all' elezione del sindaco, il di cui officio sarà intervenire nel dì della festa ad assistere assieme con li consoli alla banca, esaminare tutte le partite dell' introito, ed esito fatto dai consoli, e quindi farne relazione alla congregazione generale, acciò li vecchi consoli restino assoluti, e quietati nel registro pubblico in caso di buona amministrazione, o condannati alla dovuta reintegrazione in caso di cattiva amministrazione. De syndaco.

CAPITOLO VII.

Delle stime, e perizie.

§. 9. Tutte le stime, e perizie sarà in libertà di potersi fare dai maestri patentati ad arbitrio delle parti, colla dichiarazione, che detti maestri assunti in periti non possino dar fuori le perizie, senza farne consapevoli li consoli per l' interesse dell' università sull' assistenza de' telari sotto pena di scudi dieci per ciascheduna volta d' applicarsi all' università. De peritiis.

CAPITOLO VIII.

Sopra l' esazione delle tasse.

§. 10. Dovranno tutti li padroni nel dì della festa di santa Lucia pagare in mano de' consoli le tasse, cioè bajocchi quaranta per ciaschedun telaro esistente nelle loro botteghe, o De exactione taxarum.

lavori o non lavori, per soddisfare li frutti del cambio di scudi quattrocento durante il medesimo, come ancora dovranno corrispondere nel detto giorno alli detti consoli la solita tassa di bajocchi cinquanta per ciaschedun patentato per suppiire alle necessarie apese, che deva la nostra università d' anno in anno fare.

Estinto poi il debito pagheranno indi li suddetti padroni la sola tassa da imporsi sopra ciaschedun telaro per il mantenimento dell' università; o chi sarà renitente in adempiore tutto ciò, che in questo capo si contiene patirà meritamente l' esecuzione della mano regia per quella somma che non avrà pagato.

CAPITOLO IX.

Degli avanzi che si anderanno facendo d' anno in anno.

De residuis annualibus. §. 11. Alla cura de' consoli vien commesso il depositare nel sacro monte di Pietà in credito dell' università de' calzettari tutti li sopravanzi, che d' anno in anno si anderanno facendo, nè sarà giammai permesso ai corpo dell' arte per qualunque urgentissima causa da quello prendere una benchè minima somma, mentre dovrà sempre intatto conservarsi per dimettere con ordine da sottoscriversi da monsignor illustrissimo primicerio dell' università, e da consoli pro tempore il debito di scudi quattrocento dalla suddetta università già contratto per suppliro a varie necessarie spese. Pagato poi il debito, si potrà il di più dell' altre somme future impiegarsi nell' altre urgenze, o comodità, secondo che parerà alla congregazione generale da tenersi sempre in qualsivoglia occasione di spese, tanto che chiunque si arbitrerà di farle senza il previo consenso della detta congregazione dovrà del proprio rimborsare la cassa di tutto il denaro speso in sì fatta guisa, benchè in beno dell' università.

CAPITOLO X.

Di quelli che daranno li telari in affitto.

De affictu thelariorum. §. 12. Devono tutti quelli, che daranno li telari in affitto partecipare ai consoli il nome, e cognome di quello, che li prenderà, o ciò si vuole affinchè l' arte non possa in conto alcuno restar defrandata delle tasse sopra quelli imposte d' unanime consenso per pagare li frutti, o sorte del cambio, come spesse volte è seguito coll' essere stati portati in botteghe de' patentati di castello o altre simili del nostro corpo separate, o nascosti in case particolari. Per ovviare dunque tali frodi, ordiniamo, e statuimo, che ritrovandosi li tolari dati in affitto posti nelle divisate botteghe, o case, soggiaceranno li padroni alla pena di scudi dieci d' applicarsi come sopra, per il qual effetto, previa la semplice interpellazione giudiziale, si verrà all' esecuzione della mano regia.

CAPITOLO XI.

Modo da osservarsi da quelli, che vorranno aprir bottega.

§. 13. È ben giusto, e doveroso, che chi vorrà aprir bottega in qualità di maestro sia nell' arte ben istruito, e capace acciò non resti giammai avvilito il credito, e decoro della professione, perciò statuimo, ed ordiniamo, che in avvenire niuno si giudicherà meritevole di conseguire la patente per esser tra maestri annoverato, se prima (essendo Romano) non avrà in Roma lavorato per l' intiero corso di anni cinque, e pagato per tutto detto tempo la tassa da giovane all' università; se poi sarà estero, ma da lungo tempo domiciliato in Roma, in tal caso dovrà anche questo provare d' aver fatto cinque anni di fattorato, e pagato la tassa all' università, al qual peso non saranno soggetti li forestieri, che da poco tempo hanno in Roma dimorato. Ciò provato dovrà esporsi allo sperimento da farsi avanti li due consoli, e di un altro maestro da estrarsi per bussolo dalla congregazione generale, quale sperimento fatto d' un pajo di calzette con cugno alla Spagnola, ed un pajo di guanti da uomo a proprie spese, ed approvato da due de' tre succennati esaminatori, si dovrà proporre in congregazione generale al solo fine di dargli pubblicamente la patente. Le spese dell' intimo della congregazione si faranno dalli pretendenti, che se saranno Romani, o statiati pagheranno per la patente scudi quattro, e bajocchi venti, se poi saranno forestiari pagheranno scudi otto, e chi ardisse aprir bottega senza osservare quanto si prescrive in questo capitolo, si procederà, previa l' intimazione De methodo servanda in aperitione apothecarum.

della mano regia, per la chiusura della bottega.

CAPITOLO XII.

Circa li doveri de' giovani lavoranti.

De munere adolescentulorum.

§. 14. Dovranno tutti li lavoranti; ancorchè siano figli dei padroni, pagare alla nostra università o oratorio un bajocco per cadauno la settimana, che consegneranno alli loro padroni, o alle vedove padrone, che di poi ne renderanno di mese in mese conto alli consoli; e quei padroni, che saranno negligenti in fare tale esazione, pagheranno del proprio con mano regia tutta quella somma corrispondente al numero dei giovani, che si ritrovano nelle loro botteghe.

CAPITOLO XIII.

Dell' obbligo dell' università verso dei giovani.

De obligationibus universitatis erga adolescentulos.

§. 15. Si farà carico l' università somministrare a tutti li giovani, che avranno puntualmente pagata la detta tassa di bajocco uno la settimana; nella loro malattia, e convalescenza paoli cinque per ogni volta, che caderanno ammalati per servirsene come credono con mostrare però ogni volta la fede del medico, e del confessore, ed in caso di morte verranno suffragate le loro anime con la celebrazione del santo sacrificio della messa.

CAPITOLO XIV.

Metodo da tenersi dai giovani nel partire dalle botteghe ove lavorano.

De methodo servanda in relinquendis apothecis.

§. 16. Non sarà permesso ad alcun giovane partire dalla bottega ove lavora, se prima non avrà terminato il lavoro che ha tra le mani, ed andando in altra bottega, il maestro, che lo riceve incorrerà nella pena di scudi tre d'applicarsi alla università, quante volte il maestro, che lo prende sia di ciò cerziorato.

CAPITOLO XV.

Circa li fattori.

De ministris.

§. 17. Potrà ogni padrone prendere, e ritenere nella sua bottega uno, o più fattori per insegnargli l'arte, che aumentandosi, recherà maggior sollievo all' intiero corpo dell' arte.

E siccome è stato nella nostra arte costume, che li detti fattori hanno pagato alli maestri padroni qualche somma, come tutt' ora si pratica, acciò, che nel tempo d' anni cinque, quanto deve il loro fattorato durare, abbiano con pazienza, e carità ad insegnargli l' arte, così volendo partire senza legittima causa da detta bottega pria che spiri il divisato tempo, perderà la detta somma sebbene fosse stata intieramente pagata, e così all' incontro se sarà il fattore mandato via dal maestro senza causa legittima prima, che compisca il quinquennio, debba restituirgli il denaro, che averà ad esso pagato. Come ancora, se sarà seguita qualche convenzione fra il maestro, e fattore, vogliamo, che abbia questa ad avere il suo effetto andando via, o mandato dal padrone senza legittima causa.

CAPITOLO XVI.

Del privilegio delle vedove, e de' figli de' padroni.

§. 18. Le vedove de' defonti padroni di bottega potranno, durante la loro vedovanza, tenere quelle aperte, e sarà loro cura particolare eleggere un giovane capace nell' arte per condurre avanti il negozio di calzettaro, e di poi presentarlo a' consoli per l' esame, ed approvazione.

De privilegio viduarum.

Una tal prerogativa competerà ancora alli figli de' padroni rimasti privi anche di madre, o che questa fosse passata ad altro letto, non bene capaci dell' arte, e però sarà cura de' consoli assegnarli un giovane idoneo, qualora però da detti figli minori non si venisse all' elezione di qualche giovane, che potranno rimovere, concorrendovi legittima causa.

E siccome può accadere, che un maestro abbia più figli esercenti il divisato impiego, statuimo, ed ordiniamo, che al solo primogenito, dopo la morte di suo padre competa il suddetto privilegio, ma volendo questi aprir bottega vivente detto suo padre, dovrà soggiacere allo sperimento, e fare tutt' altro, che si prescrive nel capitolo XI.

Gli altri figli poi, che vorranno aprir bottega vivente il detto loro padre, e dopo la di lui morte, soggiaceranno allo sperimento a

forma di quanto si contiene nel detto capitolo XI. essendo mente de' statuenti, che il privilegio paterno si trasfonda soltanto ne' primogeniti, o in uno de' figli, che sarà stato dal defonto padre prescelto, o nominato suo successore, e non volendo il primogenito impiegarsi in questo mestiere, e non avendo il padre fatta alcuna nomina, passi il privilegio al figlio che sarà maggiore di età dopo il primogenito, e che vorrà esercitare l'arte di calzettaro, e contravenendosi su di ciò a quanto vien stabilito, ed ordinato in questo capitolo incorreranno li trasgressori nella pena della perdita di tutti li stigli, calzette, seta, ed altro, oltre alla chiusura della bottega.

CAPITOLO XVII.

Sulla durazione delle patenti.

De literis patentalibus. §. 19. Per la buona economia dell' arte, ed acciò questa non vada insensibilmente decadendo per l' igooranza da' maestri, ordiniamo, e statuimo, che il privilegio paterno si godi soltanto da' figli, e non mai oltrepassi alli nepoti, e pronepoti, e volendo questi aprire, o tenere bottega di fabbricatore di calzette siano sottoposti a fare lo sperimento con prender anche la patente, e di uniformarsi in tutto, o per tutto a quanto si prescrive nel detto capitolo XI.

CAPITOLO XVIII.

Obbligo dell' università in difendere i patentati.

De patrocinio patentatorum. §. 20. Sarà cura della nostra università difendere a proprie spese li patentati padroni di bottega in caso, che venissero turbati ne' loro dritti, jus, azioni, e ragioni prescritte nelle nostre leggi, mentre il dovere esige, che ogni individuo resti garantito, o difeso dall' intiero corpo dell' arte.

CAPITOLO XIX.

Della distanza.

De distantia servanda inter apothecas. §. 21. Per togliere tutte le discordie, e litigj, e per dirimere le dissenzioni, che tra maestri potessero nascere in caso di apertura di bottega in vicinanza dell' altra, statuimo, ed ordinamo, che in avvenire niuno possa aprir bottega di fabbricatore di calzette, nè trasportar la propria sua bottega da un luogo all' altro, se non vi sarà la distanza dall' altra bottega preesistente di canne quaranta, eccettuate le piazze frequentate, ove è maggior affluenza, e concorso di popolo, e tutti quei, che contravverranno, soggiaceranno alla chiusura della bottega, ed alla pena di scudi dieci d'applicarsi come sopra, la quale si esigerà con mano regia.

Alla qual legge di distanza non restano comprese le botteghe di già incamminate, quali devono godere il jus di già acquistato, sinchè continueranno ad essere aperte.

CAPITOLO XX.

Circa li suffragi da farsi alli fratelli defonti.

§. 22. Lo spirito di vera unione, e fraterna carità non può restringersi ai fratelli viventi, e però passando all' altra vita alcuno di essi, dovranno li consoli far celebrare in suffragio dell' anima del defonto tre messe. De suffragiis defunctorum

CAPITOLO XXI.

Tutti gl' istromenti, e scritture devono farsi dal nostro segretario.

§. 23. Le scritture, apoche private, o istromenti di compra, o vendita di botteghe, avviamenti delle medesime, stigli, ed altro ove concorra l' interesse dell' università per qualunque titolo, e causa anche remota, dovranno tutti rogarsi dal nostro segretario pro tempore, ed in specie l' apoche, o istromenti, che tra maestri con qualche novizio, ossia fattore possono farsi, altrimenti in caso di contravenzione s' incorrerà la pena di scudi cinque d' applicarsi come sopra. De scripturis exarandis a secretis.

§. 24. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes, statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Preces porrectae pro apostolica confirmatione assequenda.

§. 25. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et in- Tenor apostolicae confirmationis.

terdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, et attenta relatione super praemissis a dilecto filio Nostro Karolo Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Rezzonico nuncupato ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae camerario, ad quem hujusmodi negotium examinandum remisimus; omnia, et singula statuta praeinserta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 26. Decernentes easdem praesentes literas ac statuta praeinserta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 27. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae urbis, et universitatis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona novembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXVI.

Dat. Romae 21 novemb. 1784. Anno X.

Damnatio, et prohibitio libri Germanico idiomate editi, cui titulus latine sonat « *Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione?* » Vindobonae apud Josephum Nobilem 1784.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Mediator Dei, et hominum Christus Procemium.
Jesus, quo plenius in Nos misericordiae suae divitias effunderet, figmentum Nostrum miseratus, ad reparandos eos, qui a baptismi gratia quandocumque excidissent, tradita Ecclesiae praepositis potestate remittendi, ac retinendi peccata, sacramentum poenitentiae instituit, cujus vi, et efficacia, qui ad id accederent rite dispositi, ac peccata confessi, per sacerdotis absolutionem peccatorum veniam consequerentur. Constans haec fuit de hoc insigni Christi beneficio, et ab apostolicis usque ducta temporibus perpetua Ecclesiae praedicatio; eaque, depulsis pridem, ac praesertim per Tridentini concilii decreta novatorum erroribus, fusa per omnes catholici orbis provincias, fideliumque omnium animis insita penitus ac defixa; pacatissima consensione, nec sine ingenti animarum fructu pura et integra fide tenebatur. Verum antiquus generis humani hostis, adversarius ille noster, in quo nunquam quiescit voluntas nocendi, *omnibus modis instat, quemadmodum deficiat:* itaque cum in hac fidei, ac doctrinae constantia, nil dudum christianae plebi ab apertis hostibus metuendum videretur, prodierunt repente ex nostris, qui Nobis bella moverent, *si tamen nostri dicendi sunt, quos ad inimicum transisse rupto foedere sentiamus.*

§. 2. Editum sane recens, nec sine acerbo Relatio de nova libelli editione.
doloris sensu accepimus libellum Germanico idiomate, cujus haec est latine reddita inscriptio « *Quid continent documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione? ab Eybeh*

Vindobonae apud Josephum Nobilem de Herzbek etc. 1784.

Scriptoris perversitas detegitur.

§. 3. Ediderat jam scriptor iste paucis ante annis introductionem in jus ecclesiasticum catholicorum, quem librum decreto sub die 16 februarii currentis anni Indicis congregatio, maturo adhibito examine, censuit inter damnatos libros referendum. At hoc novo libello palam omnibus factum est, perspicueque declaratum, qui scriptoris hujus animus semper antea fuerit, quove demum tendant eorum consilia, qui omni scriptionum genere student fidelium animos alienare ab ea Sede, cum qua ecclesias universas, et fideles, qui undique sunt, omnes oportet convenire. Sane infelicem auctorem non puduit palam profiteri, haereticorum scriptis quoad res plurimas solide se fuisse instructum; licet vane testetur, se in hoc argumento ab eorum quantumvis doctorum lucubrationibus abstinere voluisse: infelix revera, qui dum se solido instructum perperam sibi blanditur, non animadverterit, quam periculosum sit eorum se instabilitati committere, qui a soliditate petrae, supra quam Christus Ecclesiam suam fundavit, aliquando discesserint. Atque isti quidem ex illis sunt, quos novissimis diebus futuros praedixit apostolus, quos nimium multos in hac, quae quotidie magis magisque increbrescit opinandi licentia, experimur qui corrupti mente, ac reprobi circa fidem resistunt veritati; *sed ultra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus*. Qui, etsi cum innovare, et errare incoeperint, ipsi non desistent ab errore; sed semper fallacias novas, et dogmata corrupta invenient, non diutius tamen fallent, neque secum rapient; quippe licet in principio prospere agat error, ad finem tamen usque non permanebit.

Nova libelli materies pertractatur.

§. 4. Magna certe Nobis fiducia est apud Deum fore numquam, ut filii Ecclesiae, filii lucis, obedientes ex corde in eam formam doctrinae, in quam traditi sunt, abduci se sinant variis illis, et peregrinis doctrinis, quas spiritus erroris invexit, quarum finis interitus. Hujus notae sunt illae, quas in novatorum libris expositas dudum, et patentes non dubitavit libelli auctor fraudolenta calliditate incautis mentibus obtrudere. Propositum ait sibi fuisse exponere, quid contineant antiquitatis christianae monumenta de auriculari confessione, nec tamen abstinet ab illis etiam proferendis, quae pridem fuere a Novatoribus congesta, quibus in colligendis more illi suo ita versati sunt, ut ea commentitiis interpretationibus, ut et divinas Scripturas in suam, aliorumque perniciem depravantes, ab sanctorum mente, ac sententia longissime aberrarent.

Refellitur insana novi libelli doctrina.

§. 5. Hinc effectum, ut quantumvis a concilio Tridentino declaratum sit, modum secrete confitendi soli sacerdoti, quo Ecclesia nunc utitur, a sanctissimis et antiquissimis patribus fuisse commendatum, contra *Eybelius* velut imperitos traducat eos doctores, qui poenitentiae, et confessionis modernum, et posteriorem usum jam in antiquitate se detegere autumant. Hinc ecclesiasticam peccatorum remissionem, quam memorat in antiquitate viguisse, refert ad remissionem injuriae, quae fidelium communitati contra foedus initum a peccantibus irrogabatur, quae remissio, utpote ex natura, et pacto cujuslibet societatis prodiens, potestatis etiam esset ecclesiasticae societatis, minime proinde confundenda cum supernaturali absolutione a Dei offensa, quasi in reconciliandis poenitentibus non uterentur Ecclesiae praepositi supernaturali judiciali potestate a Christo sibi tradita offensae Dei per sacramentalem absolutionem illis remittendae, qui eam digne suscipiebant. Huc pertinet quod tradit, non alia intentione debuisse poenitentes ad Ecclesiae praesules, et sacerdotes accedere, quam ut detectis animae vulneribus, receptaque instructione, ac pro poenitentia peragenda operum designatione his peractis tum primum sub spe divinae misericordiae, et promissione gratiae reconciliationem obtinere possent: cum tamen constans haec sit Ecclesiae doctrina, eam esse vim et efficaciam sacramenti poenitentiae, ut per illud poenitentes etiam ante peracta poenitentiae opera consequi reconciliationem queant, nec tantummodo in instruendis poenitentibus, operibusve poenitentiae designandis versari sacerdotale ministerium in hujus sacramenti administratione, sed ut clavium potestate utens sacerdos, tamquam judex, ac fidelis dispensator, et prudens, nonnisi salutares poenas, ac satisfactiones confitentibus non designare modo, sed et imponere, tum vero poenitentes absolvere a culpis valeat. Sic etenim docti sumus a majoribus, non solum *peccatorum remissionem in catholica Ecclesia reperiri, sed etiam potestatem peccata remittendi in ea esse, qua si rite, et secundum leges a Christo Domino praescriptas sa-*

cerdotes utantur; vere peccata remitti; et condonari credendum est ». Accedit; quod modum secreto confitendi soli sacerdoti catenus concedit humanum inventum non esse, quatenus lex naturalis divina obligat ad quaerendum animae remedium; quo satis demonstrat, vim mandati Christi eludere potius, quam adstruere voluisse. Atque ex his perspici potest cujusmodi sit ea veneratio, qua prosequi se Tridentinum concilium *Eybelius* profitetur; dum et ejus decreta tot modis pervertere nititur; nec insuper insinuare veretur in hodierna poenitendi ratione, non obstante Tridentino, immutationem fieri posse, qua dissidentium christianorum concordia procuretur; oblitus, quam arcte nobis indictum sit *supercertari semel traditae sanctis fidei*; cumque nulla sit societas luci ad tenebras, nefas esse christianum de veritate cum errore pacisci. Sed et istud catholico viro prorsus indignum, quod non horruerit, subdole refricare maledicta, et convicia, quibus haeretici blasphemantes opera Dei invehuntur in secretam confessionem, quo eximium istud divinae largitatis beneficium et populis odiosum, et saeculi potestatibus suspectum reddunt, et invisum. Quae tamen minus mirum videri debet ab homine profecta, qui opusculum suum concluserit tali veluti fidei professione, quam heterodoxus nemo detractaverit, testans videlicet nolle quicquam a se scriptum, quod coram Deo orthodoxum non sit. Quod si nil orthodoxum coram Deo, quod non sit ex veritate, nec possit quicquam ex veritate esse, quod non congruat cum sensu Ecclesiae, quae columna est, ac firmamentum veritatis, an potuit ille confidere, se ex veritate scripsisse, qui de auriculari confessione ea scripserit, quae plane abhorrent a doctrina, quam a majoribus accepimus, quam oecumenica synodus Tridentina sancivit, quae in universa Ecclesia praedicatur, qua ubique imbuantur alumni fidei, quam ille ipse in Ecclesia didicit ab infantia? Merito proinde objici illi potest, quod Luthero, quod caeteris novatoribus objectum semper fuit; non sic vos ipsi credidistis ab initio: nova sunt quae affertis, novitas ipsa vos arguit erroris. Hoc inducta principio celebris theologica facultas Parisiensis doctrinam, quae supponeret, Ecclesiam aliquo tempore legitimi usus poenitentiae cognitione caruisse, velut temerariam notavit, ipsi Ecclesiae injuriosam, et haereticam. Quin etiam ad uberiorem explicationem sub iisdem notis, alias insuper propositiones perstrinxit, in quantum disciplinam, et consuetudinem ecclesiasticam ab omnibus catholicae communionis ecclesiis receptam, quantumcumque diuturnam, tamquam abusivam, et institutioni Christi, ac evangelicae doctrinae contrariam. Hinc et illustre Augustanum vicariatus officium probro sibi fore duxit, videri probatum a se opusculum *Eybelii*, eaque de re impactam calumniam publico decreto repellendam censuit, edixitque, ut per verbi divini ministros monerentur fideles ab libellis ejusmodi abstinere, qui fidem corrumpunt, et mores. Tametsi vero in Domino confidimus, numquam futurum, ut pernicies haec, labesque fundat se latius ad eos inficiendos, qui spiritu Dei aguntur, quive non omnem suae salutis curam abjecerint; quia tamen sapientibus, et insipientibus debitores sumus, nec desunt in multis, qui infirmi sunt in fide, valde trepidavimus, ne horum fidem a tramite veritatis insinuatio male docentis averteret. Majorem vero in modum commoti sumus, ac perculsi, tristitiamque super tristitiam habuimus, cum ad Nos perlatum est, eo usque progressam esse impiorum hominum in religionis contemptu effraenatam audaciam, ut sanctissima haec sacramentalis poenitentiae actio indignis picturis, ac dicteriis, per fora et compita exponi ad ludibrium coeperit; vel ipsismet flabellis appicta, quae in mulierum manibus passim geruntur. Nefandum dictu! Sacrilegum jocum fieri de hoc divinae largitatis, ac misericordiae ineffabili dono, cujus vel nomine ipso admonemur conscientiae sordes recognoscere, peccata deflere, et annos nostros cum salutari animae nostrae amaritudine recogitare. Sic omni machinationum genere adversus fidem, religionisque sanctitatem certatur. Hinc disputationum laquei, quibus irretiantur mentes incautorum; isthinc ludicrae artes, quibus deformata per impiam fraudem sacrorum majestas in contemptum adducatur. Neque id satis erat, nisi insuper ad cumulum accessisset facinus perinde audax, et improbum, quod cum privati scriptoris probro, Romani nominis dedecus conjungeret: scilicet Nobis est paucis hisce diebus nuntiatum recens prodiisse adversus auricularem confessionem sub usurpato Romani theologi nomine furtivum opusculum, velut ex Italico in Germanicum sermonem conver-

sum, et Augustanis typis editum, opus tenebrarum, dignum illis, quorum cogitationes in malum, quorum labia loquuntur dolum; et illi quidem impudenti usi mendacio, quod scriptor hic vivens mox queat redarguere; at non sine sperato aliquo iniquitatis fructu, rati nimirum fore, ut per ementitam inscriptionem molliretur impii dogmatis pravitas, leniusque influeret in aures multitudinis, cui persuasum esset illud et Romae suos habere defensores.

Damnatio libelli.

§. 6. Quo majora cura Nobis est providendum, ut impendentibus animarum periculis, quam mature fieri possit, subveniamus. « *Etenim*, quod sapienter monebat suis ad Cyrillum literis Coelestinus praedecessor Noster, *vulnus, quod non unum aliquod membrum tantum laedit, sed universum Ecclesiae corpus consauciat, primo quoque tempore excindere oportet* ». Hisce de causis statim, atque memoratum *Eybelii* de auriculari confessione opusculum a piis doctisque viris ad apostolatus Nostri judicium delatum est, illud ex Germanico in Latinum sermonem verti; atque, ut rei gravitas postulabat, complurium in sacra theologia magistrorum examini, et censurae subjici mandavimus; ac subinde habitis eorum consultationibus, auditisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in tota republica christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum coram Nobis adstantium, *implorato Divino lumine*, motu proprio, et ex certa scientia Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine antedictum librum, cujus titulus latine redditus: *quid contineat documenta antiquitatis christianae de auriculari confessione ab Eybel?* tamquam continentem doctrinas, et propositiones respective falsas, captiosas, temerarias, scandalosas, seditiosas, sanctis patribus contrarias, et injuriosas, sapientes haeresim, erroneas, haereticas, et a concilio Tridentino uti haereticas damnatas, reprobamus, damnamus, ac pro reprobato, ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

Prohibitione libellus retineatur, vel legatur ab aliquo.

§. 7. Mandamus insuper, ne quisquam ex Christifidelibus cujuscumque gradus, et dignitatis, quamvis specialissima nota dignis, librum praedictum jam typis editum, sive manu conscriptum, vel in suo originali, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuo imprimere, seu imprimi facere audeat, aut praesumat sub poena excommunicationis majoris ipso facto absque alia declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, excepto dumtaxat mortis articulo, nisi a Nobis, seu a Romano pontifice pro tempore existente, absolutionis beneficium valeat obtinere.

Praeceptum de tradendis copiis ordinariis.

§. 8. Praecipimus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus, ac singulis cujuscumque gradus, et conditionis existant, vel quatenus praedictus liber ad eorum manus devenerit, aut deveniat, illum, statim atque praesentes literae eis innotuerint, locorum ordinariis tradere, ac consignare sub eadem excommunicationis poena teneantur.

Monitum ad episcopos.

§. 9. Memores porro Nos, meritis licet imparibus, sub illius nomine Ecclesiae praesidere, cujus a Domino Jesu Christo glorificata est confessio, et cujus fides omnes haereses destruit, vos, qui undique estis, venerabiles fratres, quibus sua cuique gregis portio attributa est, in visceribus Christi, cum omni instantia hortamur, et obsecramus, ut pro diligenti cura, quam geritis ecclesiarum, quibus praesidetis, collaborare Nobiscum ne desinatis, Nostrisque studiis, ac vigiliis studia vestra, vigiliasque adjungere, ut divina opitulante gratia commissum Nobis gregem servare a venenatis pascuis immunem, eumque supremo pastori, et episcopo animarum, qui Nobis pascendum illum tradidit, purum, et incolumem repraesentare, ac reddere valeamus. In id incumbite, omnique ope satagite, ut suis constabilita regulis Ecclesia, et justae pronuntiationis firmata decreto, talibus patere non possit, qui perversis verborum argutiis, sub imagine catholicae fidei disputantes, velut pestiferum exhalantes virus, quo recte sentientium corda corrumpant, totam veri dogmatis quaerunt evertere disciplinam.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam praetexere possit, volumus, et mandamus, illas ad valvas basilicae principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, necnon curiae generalis in monte Citatorio, et in acie Campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic vero publicatas perinde afficere omnes, et singulos, quos concernunt, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum autem literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam

impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, et ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die xi. novembris MDCCLXXXIV. pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 24. novemb. 1784. Anno X.

DXVII.

Declaratur literae apostolicae diei 7. julii 1779. editae super applicatione et perceptione nonnullorum legatorum piorum in civitate Lisbonensi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Justis votis assensum praebere, justisque petitionibus aures accomodare Nos convenit, qui licet indigni, justitiae custodes, atque praecones in excelsa apostolorum principum Petri, et Pauli specula positi Domino disponente videmur existere.

Expositio precum. §. 2. Nobis siquidem nuper exponi fecerunt dilecti filii proveditor, caeterique officiales, et confratres piae domus de Misericordia nuncupatae civitatis Lisbonensis, quod Nos alias per Nostras in simili forma Bravis die septima julii anni MDCCLXXIX. expeditas literas, attentis gravissimis sumptibus, quos tum pro regii xenodochii, ac brephotrophii exhibitione, tum pro orphanorum victu, ac carceratorum substentatione quotidie facere tenebantur, redditus quippe, quorum erant administratores, necessariis, opportunisque impensis hujusmodi impares prorsus erant, ac carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae precibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis annuentes, quod alias felicis recordationis Paulus pp. III. praedecessor administratoribus regii xenodochii Lisbonensis per suas literas die xx. augusti anni MDXLV. quoad civitatem dumtaxat Lisbonensem, ac ejus districtum concessit, ac felicis pariter recordationis Clemens pp. VIII. praedecessor itidem Noster ad universam dioecesim Lisbonensem ampliavit, ut nempe legata a testatoribus in suis testamentis relicta nisi tempore in eis praefixo, et limitato executa fuissent, ipsi xenodochio eo ipso applicarentur, et applicata fuissent, et per pia opera, quae in illo fierent, omnibus piis operibus a testatoribus hujusmodi ordinatis satisfieri censeretur, ad omnia regna, insulas, ac acquisitionis regiones, aliaqua dominia eidem Mariae Franciscae reginae fidelissimae subjecta, servata in reliquis forma, et dispositione earumdem Pauli, et Clementis praedecessorum literarum auctoritate apostolica protulimus, ac ampliavimus; ita tamen, ut ubivis xenodochia domus Misericordiae aneribus praedictis subjecta, erecta jam extitissent una ex tribus partibus eisdem xenodochiis, seu domibus, aliae vero duae partes regio xenodochio, seu domui Misericordiae praedictae respective applicarentur, prout in eisdem literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet tempore concessionis hujusmodi ex una mensa piae domus praedictae omnia onera praefata adimpleretur, priusquam tamen memoratae Nostrae literae debitam obtinuerint exequutionem a mensa dictae piae domus Misericordiae redditus ad regium xenodochium praedictum pertinentes nedum separati, sed etiam a pietate, et religione ejusdem reginae fidelissimae aucti fuerunt: brephotrophii vero contra annui redditus ex separatione hujusmodi minores sint, ac pro illius exhibitione necessario requirantur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur considerantes memoratam applicationem, seu applicationis ampliationem xenodochio, seu domui praedictae fuisse Nobis concessam dum adhuc veluti ex una mensa xenodochii, et brephatrophii, caeterisque piarum institutionum praedictarum impensis fieri satis dicti administratores consueverant; hinc eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi, nec non votis dictae Mariae Franciscae Tenor declarationis.

reginae fidelissimae inclinati, memoratas Nostras, ut praefertur, die septima julii anni MDCCLXXIX. expeditas literas praesentibus pro plene, et sufficienter expressas, et insertas habentes, ut unam dumtaxat ex duabus partibus piorum legatorum intra praescriptum a testatoribus tempus haud expletorum ut praefertur dictae piae domui alias addictis regium xenodochium deinceps lucretur, ita tamen, ut quomodo fieri potest, ab eo succurratur contiguum hospitale Invalidorum de Nostra Domina de Amparo nuncupata; alteram vero partem brephotrophium praedictum acquirat cum onere pariter sublevandi sibi adnexum hospitale Incurabilium de sancta Anna nuncupatum, servata tamen in reliquis forma, ac dispositione dictarum Nostrarum literarum auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, statuimus, et mandamus, seu de novo quatenus opus sit, concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat de praesenti, et pro tempore spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, memoratis Nostris literis, caeterisque omnibus, quae in dictis literis non obstare voluimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta novembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXVIII.

Dat. Romae 8. decembris 1784. Anno X.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super elevatione ritus officii, et missae beatae Mariae de Bethlem.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum. §. 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet — Ordinis Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus. Ad humillimas preces praefecti, et definitorii generalis ordinis Bethlehemitarum per me infrascriptum secretarium sanctissimo Domino Nostro Pio pp. VI. relatas; Sanctitas sua benigne confirmavit electionem sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis in patronum principalem dicti ordinis, eidem attribuendo praerogativas omnes patronorum principalium, nec non indulsit, ut die decima nona cujuslibet mensis in singulis ecclesiis ejusdem ordinis cantari possit una missa de eodem sancto Josepho die 21 julii 1784.

Loco ✠ signi.

I. Card. Archintus praefectus.

Julius M. de Somalia S. R. C. secret.

Tenor confirmationis apostolicae. §. 2. Cum autem, sicut dilecti filii memorati praefectus, et definitores generales praedicti ordinis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertum decretum, omniaque, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus; omnesque, et singulos juris, et facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus: salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus, per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum

palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis, et conventuum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque; et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia decembris MDCCLXXXIV. pontificatus Nostri anno decimo.

DXIX.

Dat. Romae 3. decembris 1784. Anno X.

Confirmatur decretum congregationis Rituum super approbatione electionis sancti Josephi in patronum principalem ordinis Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus existentium.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor decreti editi a sacra congregatione Rituum.

§. 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet — Ordinis Bethlehemitarum in Indiis occidentalibus praefectus generalis, et assistentes ordinis Bethlehemitici sanctissimo Domino Nostro Pio pp. VI. humillime supplicarunt pro elevatione ritus in universo suo ordine officii, et missae beatae Mariae virginis de Bethlem a duplici majori, ad duplicem secundae classis, nec non pro facultate celebrandi singulis anni sabbatis missam propriam dictae beatae Mariae virginis de Bethlem, jam adprobatam tamquam votivam; et Sanctitas sua, referente me infrascripto secretario, gratiam petitam, et quoad missam votivam, exceptis sabbatis hebdomadarum majoris, paschatis, et Pentecostes, aliisque festis duplicibus primae, et secundae classis, benigne concessit die 21 julii 1784.

Loco ✠ signi

J. Card. Archintus praefectus

Julius M. de Somalia S. R. C. secret.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 2. Cum autem sicut dilecti filii memorati praefectus generalis, et assistentes dicti ordinis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: praeinsertum decretum, omniaque, et singula in eo contenta, et expressa auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis eorumdem cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cui-

libet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis, et consentuum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 3. decembris 1784. Anno X.

DXX.

Dismembratur provincia Polona ordinis sancti Pauli primi Eremitae, et erigitur in novam congregationem cum confirmatione capitulorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Apostolicae Sedis auctoritas, qua universi catholici orbis consulit felicitati, religiosorum ordinum commodo, et tranquillitati sic semper prospexit, ut ea omnia opportunis sanctitis legibus decreverit, quae ad illorum regimen, et incolumitatem, atque ad divini cultus augumentum conferre in Domino videbantur.

Ad instantiam regis Poloniae nova provinciae erectio decernitur.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti Poloniae regis illustris expositum fuit, urgentibus gravissimis de causis necessariam esse separationem, ac erectionem provinciae Polonae fratrum ordinis sancti Pauli primi Eremitae in novam congregationem, idque regularis disciplinae ejusdem congregationis, et provinciae conservationi summopere utile, ac proficuum futurum fore, esse sperandum. Nos igitur rite, ac mature omnibus perpensis rationum momentis, quae separationem, ac respectivu erectionem hujusmodi suadere poterant, cum alias per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negotiis praepositorum sub die XXV junii MDCCLXXXIV, omnes facultates opportunas, et necessarias provinciali, ac definitorio provinciali provinciae, et ordinis praedictorum regendi, et gubernandi eamdem provinciam cum facultatibus, et loco patris generalis, ejusque definitorii cum omnimoda ab iisdem independentia concesserimus; nunc votis ejusdem Stanislai Augusti regis illustris, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, ac fratres ordinis praedicti specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratam Polonam provinciam fratrum ordinis sancti Pauli primi Eremitae, omnia scilicet monasteria, domus intra ambitum ejusdem provinciae existentia, ac personas omnes a subjectione, correctione, obedientia, et visitatione superioris generalis, ejusque definitorii ordinis praedicti auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo eximimus, et liberamus, eamdemque provinciam, seu dicta monasteria, ac domos sic exemptas, et separatas in novam congregationem Polonam fratrum ordinis sancti Pauli primi Eremitae nuncupandam auctoritate, et tenore praedictis erigimus, et instituimus.

Forma novi gubernii endigitatur.

§. 3. Insuper cum ab uno vicario, seu visitatore generali, ejusque definitorio eo prorsus modo, quo a generali alias regebatur, sic noviter erecta congregatio gubernari debeat, eaque propter in capitulo provinciali eorumdem fratrum die XX mox transacti septembris in monasterio Claromontano habito praescripta fuerit forma novi gubernii per quaedam capitula tenoris, qui sequitur.

Tribuitur ut provincia regatur propriis constitutionibus.

§. 4. I. Ut provincia ista, a modo, et in posterum semper pro possibili, juxta suas leges, et constitutiones anteriores, a sancta Sede apostolica confirmatas regatur, ac gubernetur.

Visitatorem habeat libere eligendum.

§. 5. II. Ut in locum reverendissimi sui patris generalis, vicarium, seu visitatorem generalem per liberam electionem sibi providеat.

De modo peragendi electionem visitatoris.

§. 6. III. Ut ejusmodi electio per omnes vocales provinciae voce de jure gaudentes, uti personas definitoriales, priores, et sacrae theologiae auctuales professores, et doctores peragatur.

De officio visitatoris.

§. 7. IV. Ut officium praefati vicarii generalis ad tempus sexennii determinetur.

De ejus auctoritate.

§. 8. V. Ut auctoritas ejusdem vicarii generalis sit conformis ad auctoritatem, et jurisdictionem reverendissimi patris generalis in sacris constitutionibus praescriptam.

De visitatione ab eo facienda.

§. 9. VI. Ut allegatus vicarius generalis omni triennio provinciam visitet, capitulum provinciale intimet: in eodem capitulo praesideat; suam vero ordinariam residentiam, distinctam a residentia provincialis habeat.

De assignamento vicarii.

§. 10. VII. Ut idem vicarius generalis pro convenienti sua subsistentia, pensionem determinatam a provincia habeat.

De majoribus negociis tractandis cum definitorio.

§. 11. VIII. Ut idem vicarius generalis majora hujus provinciae negotia, simul cum definitorio provinciali pertractet, ac definiat.

De vacatione officii per mortem vicarii generalis.

§. 12. IX. Ut in casum mortis dicti vicarii generalis, tota jurisdictio provinciae penes provincialem maneat, donec novus vicarius generalis eligatur.

De praerogativa vicarii generalis transacto officio servanda.

§. 13. X. Ut allegatus toties vicarius generalis, transacto laudabiliter sexennali suo officio, praerogativa paternitatis hujus provinciae donetur, locumque in definitorio provinciali immediate post provincialem actualem obtineat.

De electione temporanea vicarii generalis.

§. 14. XI. Cum futurum capitulum electivum provinciale usque post biennium celebrandum occurrat; definitorium vero capitulare intermedium vocitatum, intra medium annum immineat, ad idem tempus definitorii capitularis intermedii electio vicarii generalis determinetur.

Confirmatio capitulorum praedictorum.

§. 15. Hinc cum capitula hujusmodi, utpote ad retinendam regularem disciplinam, conservandamque pacem, et tranquillitatem laudabiliter tendant, auctoritate, et tenore praedictis approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis vim, et robur adjicimus, ac quoscumque juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Communicatio privilegiorum.

§. 16. Tandem eidem congregationi sic noviter erectae, illiusque ecclesiis, fratribus, ac personis nunc, et pro tempore existentibus, ut omnibus, et singulis privilegiis, favoribus, indulgentiis, exemptionibus, indultis, suffragiis, aliisque gratiis, et indultis, quibus eadem provincia, illiusque monasteria, ecclesiae, ac fratres ante dismembrationem, separationem, et exemptionem hujusmodi utebatur, fruebatur, et gaudebat, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si privilegia, favores, gratiae, indulgentiae, exemptiones, et indulta praedicta ipsi congregationi post suam separationem, et exemptionem praedictam, illiusque monasteriis, ecclesiis, ac fratribus specialiter concessa reperiuntur, ita tamen, ut defunctis suffragia praestent a capitulis generalibus alias ordinata auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 17. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 18. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, quibusvis dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissi

mis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 3. decembris 1784. Anno X.

DXXI.

Reformatio partis constitutionum capitularium metropolitanae ecclesiae Toletanae, super probationibus nobilitatis capitularium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem, ut commodo, et utilitati omnium Christifidelium praesertim vero illorum, qui in sortem Domini sunt vocati, provide consulat, ea statuta, et ordinationes singularum ecclesiarum, quarum servitio sunt addicti, moderare, ac interdum etiam penitus abolere, quarum custodia licet pridem fuerit probe volita, temporis tamen progressu, vel ob miseram humanarum rerum conditionem, vel ob alias superventas urgentissimas causas difficiles, nec raro noxia comperta est; ut sic ea omnia prorsus removeantur impedimenta, quae divini cultus augmentum quodammodo retardare possent, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Methodus servanda juxta constitutionem capitulares in probanda nobilitate eligendorum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Franciscus Antonius archiepiscopus Toletanus, quod ad eam partem capitularium constitutionum suae ecclesiae metropolitanae alias a felicis recordationis Paulo pp. IV. et Paulo pp. V. praedecessoribus Nostris confirmatarum, a qua in omnibus dignitatibus, canonicatibus, beneficiis, cappellaniis, aliisque personatibus choro ejusdem metropolitanae ecclesiae addictis natalium splendor, ac nobilitas requiritur, sartam tectam habendam in more positum est, ut, quoties id probari contingat, a capitulo dictae ecclesiae commissarius, et minister a secretis sumptibus praesentati mittuntur, quamvis in dissitissimis regionibus, ut nedum de sua, sed etiam de parentum, ac avorum paternorum, et maternorum origine inquirant.

Ratio suadens reformationem constitutionum hac in parte.

§. 3. Quae quidem methodus licet alias fuerit sumptuosa, in praesenti tamen nimis gravis, ac difficilis videtur, quod fructus dignitatum, canonicatuum, beneficiorum, cappellaniarum, ac personatuum quorumcumque pro tertia parte decreverunt in alios usus vigore Nostrarum in simili forma Brevis die XIV. mensis martii anni MDCCLXXX. ad preces carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expeditarum literarum eroganda. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Conceditur ut probatio fieri possit per fidem ordinariorum.

§. 4. Nos igitur memorata capitularia statuta, seu constitutiones in ea parte tantum, quae missionum commissarii, ac ministri a secretis respicit declarare, ac moderari, ipsumque Antonium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi, tuisque pro tempore existentibus successoribus archiepiscopis Toletanis, ut in posterum de consensu capituli metropolitanae ecclesiae inquisitionem in originem praesentatorum, eorumque ascendentium per fides baptismatis, aliosque necessarios, ac opportunos modos faciendam ordinariis, seu eorum vicariis generalibus locorum originis praesentatorum hujusmodi committere libere, ac licite possitis, et valeatis; ita ut probationes sic factae dictis praesentatis suffragentur, et suffragari debeant in omnibus, et per omnia perinde, ac si probationes hujusmodi a commissario praedicto factae fuissent, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Declaratur probationes semel admissas, semper valere debere in eodem capitulo.

§. 5. Volumus insuper, ac auctoritate, et tenore praedictis decernimus, ut quoties ab uno ex aggregatis capitulo dictae ecclesiae metropolitanae semel requisitae probationes, sic,

ut praefertur, factae fuerint, et a dicto capitulo pro bonis, et validis admissae, et acceptatae fuerint, eaedem probationes ipsi ad alias dignitates, canonicatus, beneficia, ac personatus cujuscumque gradus, et praeeminentiae in eodem capitulo obtinendos suffragentur, et suffragari debeant.

Clausulae salutares, et irritantes. §. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quoad ea, quae praesentibus sunt contraria dictae ecclesiae metropolitanae Toletanae capitularibus statutis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum, insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXII.

Dat. Romae 10 decemb. 1784. Anno X.

Praescribuntur annuae taxae, seu contributiones favore monasterii urbis ordinis Carthusiensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur providentiae alias captae in favorem ordinis Carthusiensis. §. 1. Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die xv. novembris anni MDCCLXXXII. expeditas literas ad reintegrandum monasterium dilectorum filiorum monachorum ordinis Carthusiensis in hac alma urbe Nostra existentium de portione bonorum ad illud spectantium alias vendita ad dissolvendum aes alienum, quo ordo praedictus erga cameram apostolicam tenebatur, aliisque etiam de causis in iisdem literis expressis venerabili fratri Nostro Henrico Benedicto episcopo Tusculano S. R. E. cardinali duci Eboracensi nuncupato supradicti ordinis Carthusiensis apud Nos, et Sedem apostolicam protectori commisimus, ut cum consilio prioris generalis ordinis praedicti duos monachos ejusdem ordinis in visitatores trium monasteriorum Bononiensis scilicet, Ferrariensis, et de Trisulti Verulanae dioecesis deputasset, ut hinc de viribus, et bonis cujusque monasterii constare posset.

Ratio, et tenor impositionis taxae in scutis annuis mille quingentorum ad onus monasterii Trisulti. §. 2. Cum autem ex actibus ejusdem visitationis colligatur a praedictis tribus monasteriis Bononiensi, Ferrariensi, et de Trisulti absque ullo divini cultus dispendio, aut monachorum detrimento aliquam annuam contributionem ad finem praedictum dicto monasterio in hac alma urbe Nostra existenti persolvi posse; Nos hinc motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praevia ejusdem visitationis approbatione constituimus, et decernimus, ut dictum monasterium de Trisulti libere, et absque ulla exceptione annuam contributionem de trimestri in trimestrem pro summa in totum scutorum mille, et quingentorum dicto monasterio in alma urbe Nostra existenti persolvat, ac contributio hujusmodi veluti a mense usque januarii currentis anni imposita habeatur.

Declaratur quando contributio cessata censeri debeat. §. 3. Volumus tamen, ac tenore praesentium declaramus, ut contributio hujusmodi, aut in partem, aut in totum cessans censeatur, quoties caetera monasteria Italiae ordinis praedicti dicto monasterio, aut in ratis portionibus, aut in totum sua debita dissolvissent, eaque propter, ut monasterium urbis accuratam, ac veram notulam suorum creditorum, quae adversus caetera monasteria habet, exhibere teneatur, mandamus.

Alia contributio scutorum trecentorum ad onus monasterii Ferrariensis.

§. 4. Considerans insuper dictam summam scutorum mille, et quingentorum haud sufficientem esse ad aequandos fructus capitalium, seu bonorum, ut praefertur, alienatorum a monasterio urbis, motu, scientia, ac auctoritate praedictis constituimus, ut monasterium Ferrariense quolibet anno pariter de trimestri in trimestrem pro annua summa scutorum trecentorum a transacto mense januarii currentis anni sub iisdem conditionibus, et reservationibus, ac monasterium de Trisulti monasterio urbis annuam contributionem persolvat.

Consulitur dimissioni aeris alieni, quo gravatur Ferrariense monasterium.

§. 5. Cum autem ex eadem visitatione constet dictum monasterium Ferrariense, aere alieno pro summa scutorum quadringentorum millium obrui ejusque annuos redditus constitui posse in summa scutorum novem millium, et quingentorum septuagintorum septem, exitum vero, exhibitionem nempe familiae, solutionem fructuum census, expensas pro aedificationum conservatione, ac ipsam praedictam annuam contributionem ad summam scutorum octo millium, et tercentorum quinquagintorum septem. Volumus propterea ut cum annuus redditus superet exitum pro scutis mille, ducentis et viginti annua scuta sexcenta, in dicti aeris alieni dissolutionem erogentur, alia vero scuta sexcenta, et viginti a priore dicti monasterii pro tempore existente retineantur, ut hinc casibus fortuitis occurri possit, ac etiam in bonorum ejusdem monasterii manutentionem erogentur.

Alia impositio taxae in scutis mille biscentum ad onus monasterii Bononiensis.

§. 6. Tandem cum monasterium Bononiense non solum aere alieno non obruatur, quin immo aliquam residualem summam habeat, ut ex actibus ejusdem visitationis constat, mandamus ut de omni superextanti summa ad monasterium, aut ad officinam medicamentariam spectanta nova investimenta fieri debeant; ac monasterio urbis annuam summam scutorum millia, et ducentorum de trimestri in trimestrem, incipiendo tamen a dicto mense januarii currentis anni persolvat, ita tamen ut numquam contributio hujusmodi cessare debeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici.

§. 8. Ipsique Henrico Benedicto episcopo cardinali moderno, ac pro tempore existenti praedicti ordinis Carthusiensis apud Sedem apostolicam protectori harum serie injungentes, ut easdem praesentes literas executioni mandari, observari, et custodiri mandet, et faciet; eique propterea omnem necessariam, et opportunam facultatem ad haec omnia exequenda tribuentes.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, nec non dictorum monasteriorum, ac ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXIII.

Dat. Romae 14. decemb. 1784 Anno X.

Confirmantur decreta et rescripta Suae Sanctitatis, quibus domus Hispelli et Eugubii ad presbyteros saeculares oratorii sancti Philippi Nerii spectantes donantur, aliaque disponuntur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Injuncti Nobis coelitus pastoralis officii sollicitudo Nos admonet, ut ea, quae ad sacrarum religionum, ac congregationum uberes bonorum operum fructus in Ecclesia Dei proferre satagentium favorem, et utilitatem ex hujus sanctae Sedis providentia emanata noscuntur, quo firmiora semper, et illibata persistant apostolici muniminis praesidio roboremus.

Expositio precum ex qua ratio concessionis educitur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Isidorus Leggio procurator generalis presbyterorum saecularium congregationis sanctissimi Redemptoris; quod Nos alias prius per rescriptum die xxv septembris anni MDCCLXXX., deinceps per literam congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negotiis, et consultationibus praepositorum sartum tectum habendas esse, ac omnino custodiendas a clericis congregationis praedictae regulas, et constitutiones alias a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessore Nostro per suas in simili forma Brevis incipientes, *Ad pastoralis dignitatis fastigium* die vigesima quinta februarii anni MDCCXLIX, expeditas literas confirmatas, ita ut omnes ii, qui novum sistema essentialiter diversum a dictis regulis, ac constitutionibus, deferentes institutum professatum susceperunt, a dicto instituto decidisse, ac esse membra ejusdem congregationis, et uti, ac frui omnibus privilegiis, gratiis, et indultis alias ab hac sancta Sede eidem congregationi concessis cessasse censerentur ediximus, et mandavimus; quod insuper, cum tunc observantes instituti praedicti in quatuor dumtaxat domibus Beneventi scilicet, sancti Angeli de Cuppolo Beneventanae dioecesis, degli Scifelli, et Frusinonis Verulanae dioecesis commorarentur, subinde nedum ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum duas domos cum suis adnexis bonis alteram in loco Hispelli Fulginatensis dioecesis per Nostrum rescriptum per organum dictae congregationis cardinalium die vii decembris anni MDCCCLXXXI. emanatum alteram Eugubii per rescripta per organum ejusdem congregationis cardinalium die ix novembris MDCCLXXXI., et xv martii MDCCLXXXII. pariter emanata consistentes, ac alias ad presbyteros saeculares congregationis oratorii sancti Philippi Nerii concessimus; quinimmo per rescriptum a venerabili fratre Francisco patriarcha Constantinopolitano in hac alma urbe Nostra vicegerente sub prima die februarii anni MDCCLXXXIII. emanatum eidem congregationi emptionem domus sancti Juliani urbis alias ad fratres beatae Mariae virginis de monte Carmelo spectantis indulsimus, ac per aliud rescriptum per organum toties dictae congregationis die iv julii MDCCLXXXIII., itidem emanatum superiores generales, seu gubernium generalitium dictarum septem domorum in ditione Nobis, et hujus sanctae Sedi in temporalibus subjecta firmavimus, et constituimus.

Petitio proposita pro confirmatione decretorum editorum favore congregationis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, duae domus Eugubii scilicet, et Hispelli una cum suis adnexis bonis eidem congregationi, ut praefertur, ad Nostrum dumtaxat, et hujus sanctae Sedis beneplacitum concesserimus. Hinc ipse Isidorus pro religiosa dictae suae congregationis, ac clericorum praedictorum tranquillitate, ac ad antevertendam omnem dubietatem, quae circa omnium rescriptorum hujusmodi validitatem progressu temporis exoriri forsan posset, quo concessio hujusmodi firmius subsistat, eam perpetuam decernere, ac caetera omnia constituta serventur exactius apostolicae confirmationis robore communiri, ac domum sancti Juliani de urbe praedictam in caput ejusdem congregationis per Nos declarari plurimum desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmatorii decreti.

§. 4. Nos igitur ejusdem Isidori votis hac in parte quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, de ejusdem congregationis cardinalium episcoporum, et regularium negotiis, et consultationibus praepositorum consilio, supradictas duas domus Eugubii nimirum, et Hispelli, una cum suis adnexis bonis, juribus, et actionibus, ut praefertur, ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum alias dumtaxat eidem

congregationi traditas auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus, et donamus, caeteraque omnia dicta rescripta auctoritate, et tenore praedictis confirmamus, et approbamus, atque innovamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjungimus, domumque sancti Juliani de urbe praedictam in caput congregationis hujusmodi constituimus, ac declaramus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac eidem congregationi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXIV

Dat. Romae 14. decemb. 1784. Anno X.

Indultum, ut in novendiali praecedenti festum sanctissimae Trinitatis, et singulis primis dominicis cujusque mensis, missam sanctissimae Trinitatis cum Gloria et Credo celebrari facere possint confratres confraternitatis sanctissimae Trinitatis in parochiali sanctae Mariae ad Nives civitatis Hispalensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a confratribus sub titulo ss. Trinitatis redemptionis captivorum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sub titulo redemptionis captivorum ss. Trinitatis in ecclesia parochiali sanctae Mariae ad Nives civitatis Hispalensis canonice, ut asseritur, erectae, quod cum ipsi quotannis festum sanctissimae Trinitatis cum praecedenti novendiali celebrare soleant, cupiunt propterea ad devotionis, et cultus augmentum, ut tam in omnibus diebus novendialis hujusmodi, quam in singulis primis dominicis cujuslibet mensis missam ejusdem sanctissimae Trinitatis cum Gloria, et Credo celebrari facere possint: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris Ritibus praepositorum secretarii, moderni, et pro tempore existentibus officialibus, et confratribus confraternitatis praedictae, ut in posterum ipsi tam in omnibus diebus dicti novendialis praecedentibus festum sanctissimae Trinitatis, quam in singulis primis dominicis cujuslibet mensis, exceptis tamen dominicis primae, et secundae classis, missam ejusdem sanctissimae Trinitatis cum Gloria, et Credo in praedicta ecclesia celebrari facere libere, et licite possint, et valeant, licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenaries, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictaeque confraternitati, ejusque pro tempore confratribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque confraternitatis, et ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superinribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXV.

Dat. Romae 17. decemb. 1784. Anno X.

Unio conventus canonicorum saecularium congregationis s. Joannis evangelistae alteri conventui ejusdem congregationis de Xabregas nuncupato civitatis Lisbonensis, nec non unio parochialis ecclesiae jam dirutae eidem conventui cum facultate rectori pro tempore dicti conventus nominandi ad curam animarum unitae paroeciae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Apostolici muneris Nobis divinitus commissi ratio postulat, ut totis viribus, omnique alacritate a religiosis hominibus, qui contemptis illecebris saeculi Deo proprius servire susceperunt, ea omnia removere studeamus, quae regularis disciplinae observantia praepedire quodammodo possunt, quae sarta tectaque custodiis saecularibus lucrum, secus petra sit scandali; id autem libentius, quoties sublimierum principum pietas apostolicam Nostram implorat auctoritatem.

Regina fidelissima, ut malis obventis propter terraemotum occurreret conventuum unionem imploravit. §. 2. Expositum siquidem pro parte carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae Nobis nuper fuit; quod inter caeteras ecclesias, conventus, ac domus civitatis Lisbonensis ob satis memorandum terraemotum anni 1775. aut partim, aut in totum subversas, ac flammis consumptas, conventus quoque sancti Eloy canonicorum saecularium congregationis sancti Joannis evangelistae commune passus est infortunium, ac penitus vastatus, et in cineres concisus fuit, ita ut, tum ob deperditos redditus, tum ob aes alienum in grandi summa contractum, et nunc in summa triginta sex millium scutorum circiter monetae Romanae residuum reaedificari haud potuit, et canonici alias inibi commorantes ad haec usque tempora sine quasi regulari disciplina, sine adimplemente onerum, quibus gravabantur, sub tentoriis vivunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quoties conventus sancti Eloy hujusmodi alteri conventui sancti Joannis evangelistae de Xabregas, qui est caput ejusdem congregationis, apud regium palatium, et intra limites paroeciae sancti Barthelomaei civitatis Lisbonensis ex eadem causa in totum diruto, existenti, cum omnibus omnino suis bonis, redditibus, oneribus, juribus, et actionibus uniretur, ac incorporaretur, nedum onerum dictus conventus sancti Eloy complemento consultum esset, verum etiam regularis disciplina in conventu de Xabregas melius, ac sanctius custodiretur. Nobis propterea memorata Maria Francisca regina fidelissima humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex annuit juxta preces. §. 3. Nos igitur ejusdem Mariae Franciscae piis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, ac supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, dictum conventum sancti Eloy congregationis canoni-

corum saecularium sancti Joannis evangelistae civitatis Lisbonensis, una cum suis bonis, proventibus, redditibus, ac missarum, anniversariorum, suffragiorum, cappellaniarum, aliorumque oneribus, eleemosynis, aere alieno, creditis, juribus, et actionibus ad illum quomodolibet spectantibus, et pertinentibus alteri conventui sancti Joannis evangelistae de Xabregas ejusdem congregationis auctoritate apostolica tenore praesentium unimus, applicamus, et incorporamus, ac respective unita, incorporata, et applicata perpetuo esse, et fore statuimus, et decernimus.

Unit etiam ecclesiam parochialem s. Bartholomaei pariter a terraemotu vastatam.

§. 4. Insuper cum praedicta parochialis ecclesia sancti Bartholomaei, quae ut asseritur, est de jurepatronatus dicti conventus de Xabregas, jam ob terraemotum anni 1755. prorsus diruta sit, et ad curam animarum curandam ab eo neque tempore suus parochus, seu vicarius curatus ecclesiae sancti Joannis evangelistae dicti conventus de Xabregas utatur, ut aliquod stabile, ac perpetuum remedium huic incommodo adhibeatur dictam parochialem ecclesiam sancti Bartholomaei, ac omnia sua jura parochialitatis, aliaque adnexa, et connexa dicto conventui, et ecclesiae de Xabregas auctoritate, et tenore praedictis perpetuo pariter adnectimus, prout perpetuo adnexa esse, et fore mandamus; ac moderuum, et actualem rectorem dicti conventus de Xabregas, nedum sepulchra ad tumulanda parochianorum cadavera in aliquo loco claustri, ac cubiculum pro confratribus sanctissimi Sacramenti assignare, sed etiam caetera omnia commoda ad dictam parochiam necessaria, et requisita praebere teneri volumus, et jubemus.

Canonicis tribuit jus nominandi vicarium curatum.

§. 5. Quoniam porro, ut praemissum est, jus nominationis, seu praesentationis vicarii curati dictae ecclesiae sancti Bartholomaei ad rectorem pro tempore existentem conventus de Xabregas, quoties officium hujusmodi vacare contingat, spectare dignoscitur, Nos in eamdem congregationem specialem gratiam conferre volentes, eidem rectori pro tempore existenti, ut dum per cessum, vel decessum moderni, et pro tempore existentis vicarii curati dictae ecclesiae, officium bujusmodi vacaverit, aut perpetuis futuris temporibus erit vacaturum, alterum ex canonicis saecularibus congregationis praedictae in sacra theologia magistrum quolibet triennio amovibilem ex more ejusdem congregationis in omnibus domibus, aut conventibus, in quibus canonici ecclesiis parochialibus inserviunt posito, sine tamen ulla quoad parochiae, et vicarii curati bujusmodi ordinariam jurisdictionem, at subjectionem patriarchae Lisbonensis mutatione, aut discrimine, suorumque jurium praejudicio nominare, et praesentare libere, ac licite possit, et valeat auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Beneficia erecta in ecclesia s. Bartholomaei transfert in aliam ecclesiam conventus de Xabregas pro substentatione presbyterorum curam animarum praeponendorum.

§. 6. Et cum, sicut accepimus, jampridem in eadem ecclesia sancti Bartholomaei, ut praefertur, prorsus diruta, et vastata tria beneficia simplicia erecta sint, cum onera beneficiatis bujusmodi retinendi in dicta parochiali ecclesia tres presbyteros saeculares oeconomos nuncupatos a rectore pro tempore existente conventus de Xabregas nominandos, et praesentandos, ut inibi divinum officium psallant, et aliqua anniversaria adimpleant, at haec munera nunc vacent, hinc ad divini cultus augumentum, ac ad animarum Christifidelium intra limites dictae parochiae existentium salutem eidem rectori conventus praedicti tres canonicos saeculares suae congregationis, ac in conventu de Xabregas degentes in oeconomos hujusmodi, qui cum vota dumtaxat simplicia in dicta congregatione, ut asseritur, emittant absque apostolica dispensatione ad obtinendas curas animarum capaces sint, praeter dictorum onerum tribus canonicis bujusmodi injunctorum adimplementum parocho etiam, seu vicario curato, praevia illorum approbatione, ab ordinario obtinenda adjuvare teneantur, ita ut omnia et singula jura, emolumenta, et salaria, et alia quaecumque, quae alias presbyteri saeculares in oeconomos, ut praefertur deputati tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet a beneficiatis, seu dictorum beneficiorum possessoribus exigebant, pari modo, et absque ulla differentia tres canonici bujusmodi erigere, et levare libera, ac licite possint, ac valeant, nominandi, et praesentandi planam, at amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, at impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, at ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in praemissis per quoscumque judices

ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quorumcumque testatorum testamentis, codicillis, et dispositionibus, ac conventus, et paroeciae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quarto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 7. januarii 1785. Anno X.

DXXVI.

Reformantur nonnullae constitutiones congregationis Lusitanae monachorum excalceatorum sancti Pauli primi Eremitae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Nuper pro parte dilecti filii moderni praepositi generalis monachorum excalceatorum ordinis sancti pauli primi eremitae congregationis Lusitanae Nobis expositum fuit, quod post adprobatas constitutiones ejusdem congregationis pro ejus domibus fundatis, vel fundandis in patriarchatu Lisbonensi per apostolicas Nostras in simili forma Brevis die XVI novembris anni MDCCLXXXI. expeditas literas, quarum initium est — Ex injuncto Nobis — non modo Nos vigore aliarum similium Nostrarum in pari forma Brevis die XX augusti anni MDCCLXXXII. expeditarum literarum incipientes — Laudabili Romanorum pontificum — vota emittenda per congregatos, solemnia auctoritate apostolica declaravimus, sed insuper ipsam congregationem in verum ordinem regularem mendicantem cum privilegiis omnibus, et exemptionibus aliorum ordinum mendicantium, eadem auctoritate ereximus, extendimusque ad totum dominium Lusitanum sub eisdem constitutionibus, prout in aliis Nostris literis in pari forma Brevis die III februarii anni mox elapsi MDCCLXXXIV., quae incipiunt — Ex debito pastoralis officii — expeditis, quarum tenorem praesentibus pro pleno, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur.

Ratio concessionis. §. 2. Subinde vero ex eo quod dictae constitutiones, quae pro solis domibus patriarchatus Lisbonensis praedicti dispositae, et digestae fuerant, ut praefertur, ad alias etiam domos extra patriarchatum hujusmodi, et in toto dominio Lusitano erectas, vel erigendas porrigi, seu extendi debeant, et in eis reperiebantur nonnulla, quae aliis domibus extra dictum patriarchatum convenire non poterant, illas propterea duximus emendare, et corrigere, quo et hisce domibus convenirent; datoque venerabili fratri moderno, et pro tempore existenti patriarchae Lisbonensis titulo, et nomine visitatoris apostolici congregationis hujusmodi ad eos solummodo fines, et effectus, de quibus in saepedictis constitutionibus disponitur, superiorem generalem cum nomine praepositi, qui dictos congregatos ex proprie corpore eligendum, qui totius congregationis curam gereret, eique provideret, auctoritate praedicta constituimus, prout in aliis Nostris literis similibus, incipientes — Exponi Nobis — die XVI martii ultimo dicti anni expeditis, quarum etiam tenorem praesentibus pro plane, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, uberius continetur.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, ad hujusmodi congregationis gubernium in statu ordinis regularis solide firmandum, atque ad occurrendum obstaculis, quae ob fundationes novarum domorum hujusmodi in aliis dioecesibus ex parte respectivorum ordinariorum oriri possent, summopo- Postulatur, quod jura competentia patriarchae Lisbonensi super congregationis gubernio concedantur praeposito generali ejusdem congregationis.

re conduceret, si sublato visitatoris apostolici titulo, nomine, et officio, ut praefertur, dictus modernus, et pro tempore existens patriarcha Lisbonensis in protectorem praedictae congregationis, per Nos deputaretur, et facultates omnes circa regimen, et gubernium ejusdem congregationis dicto patriarchae per constitutiones praedictas specialiter tributae corrigerentur, ac praeposito generali congregationis hujusmodi applicarentur, qui ejus gubernium, et regimen ad instar aliorum ordinum regularium haberet, et exerceret, ejusque auctoritas post canonicam, et legitimam suam electionem, nulla expectata hujusmodi electionis confirmatione, acquisita, et attributa, imo confirmata censeretur eo ipso quod legitime facta sit: ac praeterea, si in formula professionis promissio obedientiae dicto patriarchae deleretur, servatis ceteroquin in reliquis omnibus, quae in ultimo dictis Nostris literis disposuimus; Nobis propterea dictus praepositus generalis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Deputatio patriarchae Lisbonensis in protectorem ordinis, et ampliatio facultatum praepositi generalis.

§. 4. Nos igitur qui nihil optamus impensius, quam ut regulares ordines in pacis amoenitate Altissimo sua praestent obsequia, quique ea omnia, quae eorum felici, prosperoque gubernio obesse quoquomodo possunt, corrigere, non modo, verum et amovere summopere cupimus, dictum modernum praepositum generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti etiam filii Philippi advocati Zuccari congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum subsecretarii, praedictum visitatoris apostolici titulum, nomen, et officium, auctoritate apostolica praedicta, tenore praesentium supprimimus, et extinguimus; dictumque modernum, et pro tempore existentem patriarcham Lisbonensem in protectorem praedicti ordinis monachorum excalceatorum sancti Pauli primi Eremitae congregationis Lusitanae, servata tamen in omnibus constitutione san. mem. Innocentii XII. quoad protectores ordinum regularium, auctoritate, et tenore praedictis constituimus, et deputamus, atque uti talem imposterum esse, et appellari debere volumus, atque decernimus; omnesque, et singulas facultates eidem patriarchae specialiter in praedictis constitutionibus circa ejusdem congregationis regimen, et gubernium tributas corrigimus, et in praepositum generalem hujusmodi, qui gubernium, et regimen dictae congregationis habeat, et exerceat, prout alii superiores generales ordinum regularium, pari auctoritate, et tenore transferimus, eidemque applicamus, utque ejusdem praepositi generalis auctoritas acquisita, et attributa esse censeatur post canonicam, et legitimam ejus electionem, nulla expectata ejusdem electionis confirmatione, quin imo confirmata censeatur eo ipso, quod legitime facta sit, auctoritate, et tenore similibus, decernimus, et declaramus; denique, quod ea promissio obedientiae patriarchae praedicto, quae in formula professionis existit, deleatur; servatis tamen in reliquis omnibus, quae in nuperrimis Nostris literis praedictis disposita, et statuta sunt, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictorumque ordinis, et congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibus-

eamque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno X.

Dat. Romae 14. januarii 1785. Anno X.

DXXVII.

Declaratio circa professionem a nonnullis monachis ordinis sancti Hieronymi emissam.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Miratur pontifex aliquos monachos post emissam professionem illam infringere non dubitavisse.

§. 1. Pervenit ad Nos non sine gravi animi Nostri sensu, quod aliqui monachi ordinis sancti Hieronymi monasterii sancti Laurentii et Real nuncupati extra muros oppidi Escurial existentis Toletanae dioecesis ab antiquo generis humani hoste, qui omnibus modis instat quemadmodum dejiciat, decepti abduci se sinunt ad prava, ac saecularia desideria, omniaque movent, ut ex amendicatis etiam causis professionem regularem, quam in hoc ordine, ac monasterio alias expresso emiserunt, infringere, ac iterum ad saeculum, quod alias fortiter abnegarunt, reverti eis fas sit.

Declarat insanum commentum fundatum forsan fuisse in nonnullis nullitatibus irreptis in nominatione superiorum monasterii.

§. 2. Siquidem cum Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die VII. junii anni 1780 expeditas literas carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici precibus annuentes, ac praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, nedum monachum in priorem istius monasterii et Real eligendum capitulo, et definitoribus generalibus, prout reges catholici pro tempore existentes ex speciali indulto, ac dispensatione apostolica consueverunt, nominandi, ac praesentandi jus concesserimus, sed etiam omnes omnino a regno bonae memoriae Ferdinandi VI., dum vixit regis catholici ad annum usque MDCCLXXX. retrofactas electiones, quod illae factae fuerunt ad nominationem, et praesentationem regum catholicorum omni indulto apostolico ad id requisito deficiente, caeterasque omnia inde secuta auctoritate praedicta sanavarimus; hinc effectum, ut dicti monachi ex nullitatibus, quae forsan in dictis priorum electionibus intervenerunt, suam desumentes actionem nullitatem suarum professionum, quantum maxime ergero susceperunt.

Refractariorum monachorum agendi ratio damnatur.

§. 3. Dum primum haec accepimus, per venerabilem fratrem Nicolaum archiepiscopum Sabastensem Nostrum, et hujus sanctae Sedis apud eumdem Karolum Hispaniarum regem catholicum nuncium eos suum officium commonuimus; ac ut susceptam actionem relinquerent, suadere curavimus; verum Nostra studia, Nostrique conatus nihil apud eos profecerunt, nisi ut ex inde impensius suam insisterent causam; ne autem ex paucorum pervicacia tota corrumpatur regularis disciplina, ac observantia istius monasterii, neve horum exemplum alios alliciat ad similes persequendas querelas, accurate examinavimus, ac matura consideratione perpendimus rationum momenta, quibus suffulti hi monachi refractarii suam regularem professionem impugnare contendunt. Ex sedulo itaque hujusmodi examine pleno Nobis constitit, professiones praedictas nullo intrinseco vitio, aut defectu laborare, quippe quia praesentationes, seu nominationes a dictis Ferdinando, et Karolo regibus catholicis usque ad dictum annum MDCCLXXX. factae a capitulo, et definitoribus generalibus, quibus jus electionis priorum hujus monasterii ex lege fundationis spectat, fuerunt semper confirmatae, ac subinde etiam priores hujusmodi sic electi in possessionem sui officii fuerunt immissi, unde etiamsi nominationes, seu praesentationes praedictae ex aliquo defectu fuissent nullae, cum tamen ab iis, ad quos tunc jus electionis erat devolutum, fuerint confirmatae, confirmationes hujusmodi in legitimas, ac canonicas electiones erunt resolutae, et quemadmodum monachi praedicti a quavis reclamatione de, ac super nullitate professionis certo certius essent repellendi, licet capitulum, et definitores generales eos in priores designassent, quos eis reges catholici commendassent, sic audiendi non erunt, postquam nominatio-

nes, et praesentationes hujusmodi, quamvis nullae, a legitimis electoribus fuerunt confirmatae; ac quaevis exceptio, quae ex falsa credulitate, qua ducti definitores generales, et capitulum praesentationes, et nominationes confirmarunt, desumi forsan posset, cum esset exceptio de jure tertii nunc impugnantibus suam professionem in aeternum prodesse non posset; quae magis magisque urgere compertum est ex animadversione, priores pro tempore existentes hujusmodi monasterii omnem suam auctoritatem, et jurisdictionem non legitimis etiam nominationibus, aut praesentationibus de illorum persona a regibus catholicis factis, sed capituli, et definitorum generalium confirmationi acceptam referre, proindeque nullitas etiam praesentationum, seu nominationum impedire nequit, quominus ipsi sufficientem haberent titulum ad suam exercendam auctoritatem, et jurisdictionem. Recogeovimus itidem, quod quidem maxime retinendum est, hosce monachos suas impugnare regulares professiones suscepisse postquam quinquennium, et ultra excesserat a die, quo illas emiserunt. Cum autem sacrum Tridentinum concilium in sess. XXV. de reg. cap. XIX. ob hujusmodi quaerelis proponendis eos omnes regulares rejiciat, qui per integrum quinquennium nullitatem suarum professionum ex quavis causa proponere neglexerunt, hinc manifeste consequitur, hos refractarios monachos in quavis hypothesi ab omni intenta reclamatione, de, ac super nullitate professionis esse repellendos, nullumque praesidium, aut in nullitate praesentationum, et nominationum, aut in exagerata defectu jurisdictionis in prioribus, qui illas admiserunt, inveniri posse; compertumque tandem est, sanationem in dictis Nostris literis anno MDCCLXXX. expeditis concessam, quidquid sit, num illa ad validandas retroactas electiones esset requisita, nec ne, nullimode tamen fuisse necessariam ad validandas jam emissas professiones, cum priores legitime confirmati, ac ab universo ordine uti tales admissi, et acceptati, sufficientem haberent titulum ad omnem suam exercendam auctoritatem, et jurisdictionem, ideoque etiam ad acceptandas professiones in eorum manibus expresse emissas; durum quippe nimis esset; ut quoties de emittenda professione ageretur, necessarium foret diligenter inquirere de, ac super legitima electione superiorum, qui caeteroquin, ut legitime, ac canonice electi communiter ab omnibus sunt habiti.

Excluditur omne jus monachorum petendi revocationem emissae professionis, et eis perpetuum silentium imponitur.

§. 4. His itaque omnibus, ac plerisque aliis probe consideratis, aliisque justis de causis Nobis notis, animumque Nostrum etiam independenter a praemissis, rationabiliter moventibus motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine harum serie decernimus, et declaramus, dictis monachis neque competere, neque ullam competiisse actionem ad infrigendam suam regularem professionem, ideoque eis perpetuum desuper silentium imponimus, atque os occludimus; eisdemque monachis nullatenus licere, aut licuisse statuimus sub quovis obtentu, eamdem professionem veluti nullam redarguere, aut impugnare.

Poenae contra refractarios pertinaces.

§. 5. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis monachis refractariis hujusmodi, ac sub excommunicationis latae sententiae Nobis, et Romanis pontificibus successoribus Nostris reservatae, praeterquam in mortis articulo, ac suspensionis a divinis, et privationis suorum officiorum si aliquibus fungantur, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis ipso facto incurrendis, ut hisce Nostris literis prompte pareant, et obediant, illasque etiam ex eo, quod praedictae partes, et alii quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes illis non consenserint, vel etiam quantum forsan optassent auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis juridica, et legitima, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret; aut ex quocumque capite a jure, vel facto, aut statuto, seu consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quocumque alio colore etiam in corpore juris clauso, nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quocumque defectu notari, impugnari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aliudve facti, gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, et impetrato, quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra posse, sed easdem praesentes, omniaque, et singula in eis constituta, decreta, et

definita, semper, et perpetuo valida, firma, et efficacis existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia inviolabiliter observari, eisque omnino acquiesci.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 6. Sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, atque alios quavis auctoritate, et potestate fungentes, ac dignitate, et honore fulgentes, in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici.

§. 7. Quocirca memorato Nicolao archiepiscopo Sebastensi nuncio per praesentes expresse committimus, ac mandamus, ut visis praesentibus omni studio, ac sollicitudine illas plenissime exequi curet, ac ut per ipsas praesentes definita, et constituta expeditum, et plenarium finem, et affectum omnino sortiantur, et obtineant, quocumque recursu, appellatione, seu inhibitione cujusvis judicis, et tribunalis omnino postbabitis, et non attentis, praeterquam commissione Nostra dumtaxat, aut successorum Nostrorum manu signata studeat, ipsique propterea omnem, et quamcumque faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi, quae circa praemissa facere, gerere, et exequi in Domino arbitraverit, plenam, et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit de non tollendo jure quaesito, aliisque Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, aliisque apostolicis etiam in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non monasterii, atque ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliás in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta januarii MDCCLXXXV. Pontificatus Nostri anno decimo.

DXXVIII.

Dat. Romae 20 januarii 1785. Anno X.

Conceditur duci Mediolanensi jus nominandi ad beneficia ecclesiastica etiam majora in singulis ecclesiis ducatus Mediolani, et Mantuae.

In Christi nomine. Amen

Memoratur amicabilis conventio inita inter s. Sedem et Romanorum imperatorem.

§. 1. Quum sanctissimus in Christo pater dominus Pius pp. VI. pro pastorali officio Sanctitati Suae injuncto animarum saluti, populorumque felicitati consulere plurimum intendat, diversis prius habitis cum S. C. R. A. majestate Josephi Secundi Romanorum imperatoris colloquiis, mutuis hinc inde consensibus, ad infrascriptam amicabilem conventionem, in verae, firmaeque amicitiae, et conjunctionis testimonium deventum fuit.

Declaratur in quibus beneficiis jus nominandi imperatori fuerit concessum.

§. 2. Quod idem Pius de apostolicae potestatis plenitudine, et nomine sanctae Sedis laudato Josepho, uti duci Mediolani, et Mantuae, ejusque in ejusmodi ducatibus successoribus, cedit nominationem semper, et quandocumque ad praesens usque tempus ab illo exercitam ad ecclesias cathedrales, etiam metropolitanas, abbatias, seu monasteria; prioratus, praeposituras, aliasque dignitates conventuales, et praeceptorias generales quorumcumque ordinum, nec non ad dignitates post pontificalem majores, in eisdem cathedralibus, etiam metropolitanis, et principales in collegiatis civitatum, et locorum in ducatibus Mediolanensi, et Mantuano sub majestatis suae, uti ducis praedicti temporali dominio ad prae-

sens vere, et realiter consistentiom: ad reliquss vero dignitates inferiores, canonicatus, parochiales ecclesias (illis dumtaxat jurispatronatus laicalis, et mixti exceptis) in mensibus Sedi apostolicae hactenus servatis (salvis quoad reliquos menses ordinariorum juribus) vacatura nominationem eamdem perpetuo cedit.

Opera personarum nominatarum.

§. 3. Personae nominatae ad ecclesias cathedrales metropolitanas inter digniores nominabuntur, et sese examini in urbe juxta solitam consuetudinem subjicient.

De eligendis ad beneficia curata, et praebendas theologales, et poenitentiarias.

§. 4. Ad beneficia curata, praebendas theologales, et poenitentiarias habito super his de more concursu juxta formam a s. concilio Tridentino praescriptam eae personae nominentur, quae habitae fuerint digniores.

De literis apostolicis a nominatis expediendis.

§. 5. Personae nominatae ad ecclesias cathedrales etiam metropolitanas, aliaque beneficia non curata, sub plumbo de more, intra solitum terminum a die secutae nominationis computandum, expedient, ac taxas, et jura consueta persolvent, exceptis tamen omnibus conferendis per concursum, in quibus Sanctitas Sua episcopis jus instituendi ab illo hactenus habitum concedit.

De probatione concedente de personis ortum habentibus in dictis ducatibus Mediolanensi, et Mantuano.

§. 6. Sanctitati Suae dubitari non licet quod S. C. R. M. sua, ejusque successores in nominationibus praedictis, et in distributionibus pensionum, etiam impositarum, et non assignatarum acceptiores semper habebit personas ex dictis ducatibus Mediolanensi, et Mantuano sibi subditas, et nunc s. Sedi inservientes.

Confirmatio concordiae.

§. 7. Quae omnia in hoc concordatu amicabili contenta, tam Sanctitas Sua pro se, et pro Romanis pontificibus suis successoribus, quam S. C. R. majestas uti dux praedictus pro se, suisque in dictis ducatibus successoribus in omnibus et per omnia perpetuo, amicabiliterque observare, et observari facere se obligant.

Datum Romae die vigesima januarii anno Domini MDCCLXXXV.

DXXIX.

Dat. Romae 21. januarii 1785. Anno X.

Translatio confraternitatis tertii ordinis sancti Francisci loci de Tilheiras Lisbonensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis virorum tantum sub titulo tertii ordinis sancti Francisci de Poenitentia nuncupatorum in conventu nostrae Dominae das Portas do Ceo fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia etiam nuncupatorum loci de Tilheiras Lisbonensis dioecesis, canonice, ut asseritur, existentis quod ipsis alias per publicum instrumentum a dilecto filio Antonio Feliciano d'Andrade dictae Lisbonensis, seu alterius civitatis, vel dioecesis, ejusdemque tertii ordinis apprimo devoto ecclesia, seu publica cappella sub titulo sacri cordis B. M. V. sita in campo Grando nuncupato ejusdem dioecesis, ab ipso Antonio Feliciano pro sua in eamdem B. M. V. pietate, et religionis zelo proprio aere extructa, dono data fuit cum conditione tamen, ut praeviis opportunis licentiis ad hujusmodi ecclesiam dictus tertius ordo se transferret, ibique pia sui instituti opera, pront ad praesens exercere pergeret, ac alias, pront in instrumento hujusmodi, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur. Hinc factum est, quod iidem exponentes habito recursu ad tunc existentem ministrum provincialem fratrum praedicti ordinis Minorum sancti Francisci de observantia provinciae Portugalliae pro sui translatione, hujusmodi favorabilem obtinuerunt assensum, prout ex ejus patentibus literis tenoris sequentis videlicet.

Tenor consensus praestiti a ministro generali ordinis.

§. 2. Fra Emanuele di s. Carlo predicatore generale, ex definitore commissario generale della Terra Santa in questi regni e dominj di sua maestà fedelissima ministro provinciale dei Minori Osservanti di s. Francesco della provincia di Portogallo. Al nostro carissimo fratello ministro, ed altri fratelli del nostro venerabile ordine della Penitenza esistente nel nostro convento di nostra Signora das Portas do Ceo di Tilbeiras, salute, e pace in Gesù Cristo. Avendoci voi rappresentato, che Antonio Feliciano d'Andrade ha contratto con essa venerabile confraternita di essere la medesima trasferita da cotesto convento alla cappella del santissimo Cuore di nostra Signora sita nel campo

Grande del riferito Antonio Feliciano d'Andrade già edificata, per aver ivi la sua perpetua residenza a norma del contratto, e condizioni risultanti dalla donazione dal medesimo fatta a favore di essa venerabile confraternita, avendo precedentemente a tal'effetto ottenuto il beneplacito di sua maestà fedelissima e tutt'altro concernente a detta traslazione; supplicandoci del nostro consenso, e respettive licenze in quello possa a noi appartenere, che in diritto a tal fine richiedonsi: desiderando noi condiscendere ad una si giusta preghiera, e concorrere per quanto è piacevole a Dio, e di lode infinita della santissima Vergine, al di cui purissimo cuore è dedicata la riferita cappella; come ancora è di utilità alla suddetta venerabile confraternita. In vigore della presente diamo il nostro consenso per quanto ci appartiene, e concediamo tutte quelle licenze in dritto necessarie, affinchè detta venerabile confraternita della Penitenza, la quale fino al presente ebbe la sua esistenza in cotesto nostro convento di nostra Signora das Portas do Ceo dal luogo di Tilbeiras possa trasferirsi, insieme col rispettivo padre commissario, nella detta cappella del Cuore di nostra Signora costruita, e donata dal ridetto Antonio Feliciano d'Andrade a favore di essa venerabile confraternita, esistente nel campo Grande per avere ivi la perpetua sua permanenza. Ed affinchè un tal contratto con tutte le clause, e condizioni, ed obblighi risultanti dall'istromento di donazione, quali vogliamo si abbiano qui per espresso, come se de verbo ad verbum fossero scritte, e dichiarate, e la medesima traslazione possa avere il suo plenario effetto, ed esecuzione in ogni suo futuro tempo; col tenore di queste nostre lettere patenti le approviamo senza verona restrizione, volendo che abbiano tutto il vigore, e fermezza irrevocabile in perpetuum. Data in quest'ospizio del nostro monastero di santa Chiara della città di Porto, munita della nostra sottoscrizione, e sigillo maggiore questo dì 30. dicembre 1780.

Assensus patriarchae Lisbonensis pro eadem translatione.

§. 3. Et subinde simili venia a venerabili fratre patriarcha Lisbonensi petita, idem patriarcha parem assensum eis praebuit, prout ex similibus patentibus literis, quarum tenor est qui sequitur videlicet.

Ferdinandus I. card. patriarcha Lisbonensis.

A quanti vedranno il presente, salute, e benedizione. Facciamo sapere come il ministro, e fratelli della confraternita di s. Francesco del luogo di Tilbeiras parochia do Lumiar ci hanno rappresentato voler stabilire la detta confraternita nella cappella del Cuore di nostra Signora esistente nel campo Grande in conformità del contratto di donazione fattagli da Antonio Feliciano d'Andrade, e ciò ad effetto, che detta confraternita dopo il suo stabilimento, unitamente al respettivo padre commissario, potesse far celebrare in detta cappella, da' religiosi di s. Francesco, l'occorrenti solennità del divin culto, secondo il costume di simili confraternite, come a loro parerà necessario, ed opportuno; per il qual fine imploravano da noi la necessaria licenza. Ed essendo da noi considerata la loro supplica abbiamo ordinato gli si passasse il presente, in vigore del quale ci siamo compiaciuti, che gli oratori possano in detta cappella insieme col respettivo loro commissario far celebrare le solennità del culto divino per mezzo de' religiosi di s. Francesco secondo il costume di simili confraternite quando così gli parerà necessario, ovvero conveniente. Dato in Lisbona sotto la nostra soscrizione, e sigillo questo dì 27. agosto 1781.

Tenor concessionis apostolicae qua confirmatur licentia concessa a ministro generali ordinis, et patriarcha Lisbonensi.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti, quo donatio praedicta, et suae confraternitatis translatio, cum fuerit sequuta, firmius subsistat, praeinsertas patentes literas apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent: Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas patentes literas, omniaque, et singula in eis contenta et expressa, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabiliter apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et effica-

ces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, eisdemque confraternitati, et confratribus in omnibus, et per omnia pleoissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque ordinis, et confraternitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

Dat. Romae 21. januarii 1785. Anno X.

DXXX.

Facultas clero saeculari civitatis, et dioecesis de Quito in Indiis celebrandi officium, et missam B. M. V. de Bethlehem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus episcopus de Quito in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad devotionem erga beatam mariam Virginem de Bethlehem in dicta civitate, et dioecesi, ubi (ut asseritur) summopere viget, magis excitandam, officium proprium, et missam ejusdem beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die XXIII. maji anni MDCCLXXVIII. pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis, et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiat.

Tenor concessionis. §. 2. Nos dictum exponentem specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia ejusdem congregationis secretarii: officium proprium, et missam beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a dicta cardinalium congregatione pro ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobat, ad clerum saecularem praedictarum civitatis, et dioecesis de Quito, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris, dominica tertia post Epiphaniam recitare, et respective celebrare libere, et licite possit, et valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium extendimus.

Clausula subiata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmes, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae de Quito, ejusque cleri saecularis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et con-

suetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava januarii, millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXXI.

Dat. Romae 28. januarii 1785. Anno X.

B. M. V. officium alias pro ordine Bethlehemitarum adprobatum extenditur ad clerum saecularem civitatis, et dioecesis de Cuzco.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt venerabilis frater modernus episcopus de Cuzco in Indiis, nec non dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae hujusmodi, quod ipsi, ut cultus, et devotio erga beatam Mariam Virginem de Bethlehem in dicta civitate, et dioecesi, quo par est studio augeatur, officium proprium, et missam ejusdem Beatae Mariae Virginis de Bethlehem alias a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum sub die XXIII. maji anni MDCCLXXVIII. pro ordine fratrum Bethlehemitarum adprobata ad clerum saecularem suae civitatis, et dioecesis praedictae per Nos extendi summopere cupiant.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia ejusdem congregationis secretarii: officium proprium, et missam B. M. V. de Bethlehem alias a dicta cardinalium congregatione pro ordine fratrum Bethlehemitarum, ut praefertur, adprobata ad clerum saecularem praedictarum civitatis, et dioecesis de Cuzco, ita ut in posterum idem clerus saecularis officium hujusmodi cum missa sub ritu duplicis majoris, dominica tertia post Epiphaniam recitare, et respective celebrare libere, et licite possit, ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae de Cuzco, ejusque cleri saecularis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat spe-

cialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesima octava januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXXII.

Dat. Romae 28. januarii 1785. Anno X.

Indulgetur canonicis collegiatae di Cantiano Eugubinae dioecesis, ut rocchetto, et mozzetta uti possint.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quanta cum utilitate ad venerationem, majestatemque divinarum rerum in Christifidelium animis ingerendam conducant ipsa sacrorum indumentorum, vestiumque ornamenta, experientia magistra compertum habens Sacrosancta Mater Ecclesia instituit, ut non solum ministri in diversos ordines distributi praecipuis unicuique ordini, et ministerio congruentibus vestibus utantur, verum etiam, ut clerici dum canonicas horas persolvunt, certis vestibus induantur.

Ratio concessionis. §. 2. Quamobrem in majorem divinae gloriae cultum, et in ministrorum reverentiam cessurum fore confidentes, si insignia illa, quae aliis ecclesiarum canonicis concessa sunt ecclesiarum magis conspicuarum canonicis im pertinerentur, grato, libentique animo cum a Nobis petitur, elargimur. Cum autem pro parte dilectorum filiorum archipresbyteri, et canonicorum collegiatae ecclesiae sancti Joannis Baptistae loci de Cantiano Eugubinae dioecesis Nobis expositum fuerit, quod ipsi nullo, excepta almutia, alio sacro indumento potiuntur, eaque propter archipresbyter, et canonici praedicti Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor. §. 3. Nos igitur archipresbyterum, et canonicos praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati modernis, et pro tempore existentibus archipresbytero, et canonicis collegiatae ecclesiae hujusmodi, ut loco superpelliceì, et almutiae, quae hactenus deferre consueverunt, rochettum, et mozzettam sericam violacei coloris subsutam cum nodulis, et fissuris coccinei coloris hiberno, aestivo vero tempore rochettum cum superpelliceo, tam in ecclesia praedicta, ejusque choro, et capitulo, quam extra eam in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Decretum irritans. §. 4. Ac archipresbyterum, et canonicos praedictos desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari respective nullatenus posse, ac irritum, et inane, si super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima octava januarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXXIII.

Dat. Romae 1. februarii 1785. Anno X.

Confirmatio transactionis inter episcopum Constantiensem ex una, et abbatem Einsidlensem ex altera parte super punctis jurisdictionalibus inita.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pastoralis officii humilitati Nostrae divina dispositione concrediti sollicitudinem ge-

rere jugiter satagentes ea, quae ad sedandas dissentiones, tollendasque jurgiorum, ac litium semina inter personas ecclesiasticas, quibus vel maxime ob sanctitatem sui ministerii illud dictum videtur « *Et ei, qui vult tecum judicio contendere, et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium* » recte constituta, ac prudenter disposita noscuntur apostolicae Nostrae auctoritatis munimine, dum id a Nobis petitur, libenti animo roboramus.

Exponitur ad lites subortas obtruncandas duas fuisse successivis temporibus initas transactiones, inter episcopum Constantiensem, et abbatem monasterii de Einsidlen.

§. 2. Nuper siquidem pro parte venerabilis fratris Maximiliani Christophari episcopi Constantiensis, et dilecti filii Beati moderni abbatis regularis monasterii B.M. de Einsidlen. Nobis expositum fuit, quod licet ab anno usque MDCXCIII. ad dirimendas omnes lites de, ac super jurisdictione, quae jampridem inter episcopum Constantiensem ex una, et abbatem Einsidlensem ex altera parte vigebant, fuerit stipulata transactio, cum tamen sicut misera humanarum rerum conditio fert, ea satis non fuerit ad omnia antevortenda, praeoccupandaque novorum jurgiorum, ac dissentionum semina, non diu post novae contentiones, novaque dissidia inter eos exarserunt, quae tandem nova transactione compressa, ac sublata fuerunt tenoris qui sequitur.

CONCORDIA

Inter Constantiensem ordinarium, et principale monasterium Einsidlense.

Tenor postremae concordiae.

§. 3. Nos Maximilianus Christopharus Dei gratia episcopus Constantiensis, S. R. I. princeps dominus Augae Majoris, et Aeningae inclyti ordinis sancti Joannis Hierosolymitani bajulivus, et protector etc. cum decano, et capitulo etc. et Nos Beatus, de eadem Dei, et apostolicae Sedis gratia abbas Einsidlensis, S. R. J. princeps etc. cum decano, et conventu notum facimus per praesentes.

Cum post inita anno 1693. concordata inter curiam episcopalem Constantiensem, et principale monasterium Einsidlense variae difficultates tractu temporis emerserint, quae ab utraque parte super jurisdictionis ecclesiasticae et nonnullorum privilegiorum objectis in controversiam vocatae, ac hinc inde disceptatae fuerunt. Nos amore pacis, et tranquillitatis firmiter stabiliendae, nec non ad instantiam reverendissimi principis, et abbatis Einsidlensis inclinati, instituta prius per nostros maturam, et sufficienti deliberatione, via amicabili, sequentem in modum easdem componendas esse duximus.

De juribus monasterii.

§. 4. I. Episcopus declarat, agnoscit, et confirmat pro se, et successoribus suis modo, quo de jure fieri potest, optimo, monasterium Einsidlense, quod summo pontifici immediate subjectum est, gaudere plena passiva exemptione, salvis tamen praescriptis, et ordinationibus sacri concilii Tridentini judicatis pontificiis, ac declarationibus sacrae congregationis cardinalium ejusdem concilii interpretum, ac salva concordia de anno 1693. art. 1.

De exemptionibus monasteriorum.

§. 5. II. Hac ipsa exemptione fruantur claustra monialium in Au, et Fahr, monasterio Einsidlensi incorporata quousque ibi sacramenta saecularibus non administrantur.

De exemptionibus cappellae Bynastiacle.

§. 6. III. Cappellae Bynastiaeles in Pfeffikon, Frendenfels, et Sonnenberg a visitatione episcopali ex concessione speciali sint, et maneant exemptae quousque ibi nec sacramenta ulla administrantur, nec cura animarum exerceatur. Quod si autem contigerit, in iisdem vel sacramenta administrari, vel curam animarum subintrare ex praescripto concilii Tridentini, et cappellae praefatae, et religiosi administrantes subsint quoad ea, quae curam animarum, et sacramentorum administrationem concernunt visitationi, jurisdictioni, et correctioni episcopali.

De juribus episcopi.

§. 7. IV. E contra declarat abbas Einsidlensis pro se, et successoribus suis, se renuntiare solemniter, ac modo, quo de jure fieri potest, meliori omni jurisdictioni in clerum saecularem et populum Einsidlensem, et hanc agnoscere in episcopo Constantiensi, ita ut huic soli competat omnis in omnibus locis Einsidlensibus potestas episcopalis tum jurisdictionis, tum ordinis, quam etiam ad tenorem integri articuli primi saepius citatae concordiae de anno 1693, in ipsa principali ecclesia Einsidlensi, vel se, vel suffraganeum exercere illi liberum esto.

De exclusione jurisdictionis abbatis.

§. 8. Unde consequitur, principem et abbatem Einsidlensem neque territorium separatum, nec jurisdictionem quasi episcopalem, nec praedicatum nullius in sensu curiae Romanae, quatenus illud unum ex praedictis involvit, nec praetendere posse, nec velle, multo minus ejusmodi praedicatis, ac praetensionibus contra episcopum uti debere.

De jure consecrandi altaria abbati concessa.

§. 9. V. Episcopus, quantum in se est concedit principi Einsidlensi, ut in sequentibus parochiis, et locis Einsidlensibus cum Au, et Fabr, Feijsisberg, Freyenbach, et Sarmensdorf, ecclesias tam modo existentes, quam illas, quas imposterum, praevio consensu episcopali, erigere contigerit, una cum altaribus etc. consecrare possit: sicut et ei usum pontificalium ad solemnis missae, ac vesperarum celebrationem in ecclesiis patronatus sui saecularibus, scilicet Oberkirch, et Ettiswil libere, ac amice concedit.

De formula reversalium praestandarum a beneficiatis.

§. 10. VI. Formula reversalium a quolibet ad beneficium Einsidlense praesentato sacerdote saeculari praestandarum, ac demum in posterum locum habeat qua huic concordiae sub *litt. A.* integra, seu normali adjecta est.

De jure spolii.

§. 11. VII. Jus spolii in pluribus tam catholicis, quam reformatorum parochiis monasterio Einsidlensi competere, non disputatur: interim e re visum fuit, parochias et beneficia hic enarrare, quorum possessores huic modo subjacent juri, et sunt Oberkirch parochia, Kaltbrunn cappellania, Sarmensdorf parochia, Ettiswil parochia, Mariszell prope Sursée cappellania.

De haereditatibus contractandis.

§. 12. VIII. Tam in his locis, et parochiis, quam etiam in Einsidlensi et Bettwibl princeps Einsidlensis conobsignet, et haereditatem una cum episcopo, salvo quoad hunc praecedentiae jure, et mense decanali, contractet.

De executione mandatorum relaxatorum in curia episcopali.

§. 13. IX. Mandata episcopalia pro tota dioecesi emanantia in exempta ecclesia Einsidlensi sub nomine abbatis secundum sub *litt. B.* adjacens, normali retento nomine ipsius episcopi, aut ejus vicarii ex integro publicentur. Quod etiam pro principiorum cohaerentia in ecclesiis monialium in Au et Fahr obtineat. In omnibus aliis ecclesiis ditionis Einsidlensis eadem cum caetera dioecesi promulgandi forma observetur.

De admittendis ad curam animarum, et ad confessiones monialium.

§. 14. X. *A.* Episcopus modo viventes sacerdotes Einsidlenses regulares, quos abbas idoneos judicaverit, ad curam pro tota dioecesi etiam ad monialium confessiones semel pro semper admittit, dummodo juxta constitutionem san. mem. Clementis X. 21. junii 1670 incipien. *Suprema* nova examinis causa non superveniat, quae ipsas confessiones respiciat, qua in re tanti momenti onerata manet conscientia abbatis, ac reservatis iis, quae in Bulla s. Pii V. 6. augusti 1671. incipiente *Romani pontificis*, et altera s. m. Benedicti XIV. 16. augusti 1748 incipiente *Pastoralis curae* pro episcopo successore circa examen curatorum continentur, salva dispositione subsequuta ad *litt. B.*

De religiosis ad curam animarum promovendis.

§. 15. Religiosos vero pro cura animarum imposterum approbandos, abbas praevio examine, cujus instructionem episcopus eidem delegat, tentet, et quos sub propriae conscientiae periculo idoneos judicaverit per literas ad curiam datas denominet, et approbationem petat, quam dein haec per transmissionem formatarum *litt. C.* semel pro semper etiam pro monialibus concedit.

De duratione delegationis abbatis.

§. 16. *B.* Delegatio illa examinis abbati Einsidlensi committenda morte et mandantis, et mandatarii extinguatur, et in utroque casu abbas Einsidlensis eamdem delegationem in scriptis denuo exoret, ab episcopo ex tunc concedendam. Quem in finem circa formularia sub *litt. B. et C.* inter utramque partem conventum est.

De professione fidei emittenda ab approbatis ad curam animarum.

§. 17. *C.* Religiosus Einsidlensis ad parochiam secularem prima aut repetita vice exponendus, et semel ab ordinario approbatus, nova non indigeat approbatione, sed teneatur professionem fidei catholicae, nec non in concernentibus curam animarum juramentum fidelitatis propria sua manu scriptum Constantiam mittere, atque inde admissionem in scriptis impetrare pro es, quae solita taxam sigillo episcopali solvere.

De examine a religiosis subeundo.

§. 18. *D.* Quod si autem contigerit religiosos Einsidlenses ad curiam Constantiensem pro suscipiendis sacris ordinibus transmitti, illi examen non solum pro ordinibus, sed et qui presbyteratus ordinem suscipiunt, etiam pro cura subire teneantur, ac idonei reperti solitas formatas semel pro semper, etiam pro monialibus recipiant.

De casibus reservatis.

§. 19. *E.* Facultatem a casibus episcopo reservatis, vel reservandis absolvendi delegat episcopus in perpetuum abbati in honorem B. Mariae V. et ad promovendum ejus cultum, qui abbas eam, uti visum fuerit, suis religiosis subdeleget.

De visitationibus episcopalibus.

§. 20. XI. Visitationes episcopales ordinariae in parochiis regularibus Einsidlensibus uti et extraerdinariae, ad quas etiam decani rurales deputari possunt, si episcopo visum fuerit, quoad ea, quae curam animarum concernunt, obtineant: decanales vero ordinariae

ex speciali in abbatem favore, et confidentia cessent.

De assensu S. Sedis implorando.

§. 21. XII. Praesens concordia, quo plus roboris habeat, ab utraque parte Sedi apostolicae humillime offeratur, ut eam gratiosissime approbare dignetur.

De observantia praecedentis concordiae anni 1693.

§. 22. XIII. Finaliter concordata anno 1693. inita, in quantum per novam hanc conventionem immutata non sunt, in pleno suo valore persistant, salvis caeteroquin omnibus tum reverendissimi ordinariatus, quam exempti principalis monasterii juribus; ita tamen, ut quae in hacce concordia expressa non sunt, ad episcopum et jura ordinariatus, secundum constitutiones pontificias, ac dispositionem sacrosancti concilii Tridentini plene pertinere dignoscantur.

In quorum omnium, et singulorum robur, ac fidem praesentes literas confici, et quatuor exemplaria per totum conformia exarari, etc. denique ea sigillis nostris episcopali cum capitulari, et abbatiali cum conventuali, quibus haec omnia approbamus, ratificamus, et in perpetuum valitura volumus, communiri curavimus.

Articulus separatus, de collatione Sacramenti confirmationis.

De collatione sacramenti confirmationis.

§. 23. Nos Maximilianus Christophorus Dei gratia episcopus Constantiensis, S. R. I. princeps, dominus Augae majoris, et Æningae inclyti ordinis sancti Joannis Hierosolymitani bajulivus et protector etc. cum decano, et capitulo: et Nos Beatus, de eadem Dei, et apostolicae Sedis gratia abbas Einsidlensis, S. R. I. princeps etc. cum decano, et conventu: notum facimus per praesentes.

In decursu amico illius transactionis, quae inter sedem episcopalem Constantiensem, et principale monasterium Einsidlense variis super difficultatibus solemniter conventum est. Veraciter propositum fuit, quod princeps Einsidlensis non raro pro administratione sacramenti s. confirmationis a catholicis sub ditione rerumpublicarum Helveticarum protestantium occulte commorantibus instantissime adeatur, et imploretur, qui sine ingenti periculo palam catholicam religionem profiteri non possunt, et hinc sacramentum confirmationis publice suscipere rationabiliter impediti sunt.

Quia tamen ut hos eo magis vivificante sancti Spiritus gratia confortari expedit, quo pluribus tentationibus et periculis taliter inter spirituale, et temporale bonum fluctuantes animae inquietantur: hinc inter nos per praesentem articulum separatum modo, quo fieri potest, optimo, conventum est, quod tali in casu celsissimus, et reverendissimus episcopus Constantiensis reverendissimo principi, et abbati Einsidlensi utrinque pro se, et successoribus suis concedat, ut praefatus reverendissimus abbas sacramentum confirmationis catholicis ejusmodi occultis conferre possit, ac valeat, ea tamen lege, ut

Speciales conditiones concessioni adligatae.

§. 24. I.° Desuper novum, ac speciale indultum a summo pontifice impetretur.

II.° Sacramentum hoc non nisi in loco occulto, clausis januis, ac demum

III.° Nonnisi iis tantum personis conferatur, quae sub dominio protestantium vicinorum in Helvetia degunt, occulte religionem catholicam profitentur, atque sine vitae, aut bonorum gravi periculo, episcopum, aut ejus suffraganeum adire non possunt.

In aliis autem casibus quibuscumque, abbas Einsidlensis a collatione praefati sacramenti confirmationis, utpote ad jura ordinis episcopalis unice pertinente, omnino abstineat, neque etiam indultum a Summa Sede desuper impetrandum ulterius extendere fas esto.

In quorum robur ac fidem praesentem chartam confici, et quatuor exemplaria etc. in totum conformia exarari: denique ea sigillis nostris episcopali cum capitulari, et abbatiali cum conventuali, quibus haec ex utraque parte approbamus, confirmamus, et perpetuo valitura volumus, communiri curavimus. Anno 1782.

Confirmatio apostolica.

§. 25. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes, ut praeinserta transactio firmior existat, et servetur exactius apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis

modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri concilii Tridentini interpretum consilio praeinsertam transactionem auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac quoscumque juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 26. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 27. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non cathedralis ecclesiae Constantiensis, et monasterii praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXXIV.

Dat. Romae 1. februarii 1785. Anno X.

Facultas abbati Einsidlensi pro tempore existenti conferendi sacramentum confirmationis catholicis occultis, nec non consecrandi certas ecclesias.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dispositio concilii Tridentini circa administrationem sacramenti confirmationis.

§. 1. Etsi juxta sacrosancti Tridentini concilii definitionem in sess. VII. de confirm. can. III. solus episcopus sit ordinarius tanti hujus sacramenti minister, interdum tamen justis, ac gravissimis, urgentibusque de causis solet Sedes apostolica simplici sacerdoti tamquam extraordinario ministro facultatem tribuere illud conferendi.

Exponitur per concordiam initam cum ordinario, indultam abbati fuisse licentiam, certis sub conditionibus, administrandi sacramentum confirmationis, et consecrandi ecclesias praevio tamen apostolico beneplacito.

§. 2. Cum itaque sicut Nobis nuper exponi fecit dilectus filius Beatus modernus abbas regularis monasterii sanctae Mariae de Einsidlen Constantiensis dioecesis, quod cum ipse a catholicis sub ditione rerumpublicarum Helvetiorum protestantium occulte commorantibus, qui sine gravi periculo palam catholicam religionem profiteri nequeunt, ac sacramentum confirmationis quominus publico suscipiant, rationabiliter praepediti sunt, non raro pro administratione sacramenti ejusmodi adeatur, ac ab episcopo Constantiensi suum praestitum fuerit consensum, ac subinde inter eos stipulata concordia, quae in contemporaneis Nostris literis super confirmatione transactionis, quoad alia capita inter episcopum Constantiensem ex una, et abbatem Einsidlensem ex altera parte initae in articulo separato de collatione sacramenti confirmationis continetur, qua abbati Einsidlensi ab episcopo Constantiensi administratio sacramenti hujusmodi permittitur, sub hisce tamen pactis, et conditionibus, quod nempe hisce desuper a moderno abbate Einsidlensi a Nobis novum, et speciale indultum impetretur sibi, et futuris abbatibus valiturum; quod sacramentum hoc nonnisi in loco occulto, et clausis januis, ac nonnisi iis tantum personis conferatur, quae sub dominio protestantium vicinorum in Helvetia degunt, occulte religionem catholicam profitentur, atque sine vitae, aut bonorum gravi periculo episcopum Constantiensem, aut ejus suffraganeum adire nequeunt, quodque

in aliis casibus quibuscumque abbas Einsidlensis a collatione praefati sacramenti confirmationis, utpote ad jura ordinis episcopalis unice pertinente omnino abstineat, neque etiam indultum a Sede apostolica desuper impetratum ulterius extendere fas sit, prout in praedicta concordia, cujus tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus, fusius continetur; quodque etiam in articulo quinto dictae concordiae constitutum fuerit, ut abbas Einsidlensis, in parochiis, et locis Einsidlensibus cum Au, et Fahr, Feysisberg, Freyenbach, et Sarmensdorf ecclesias tam modo existentes, quam illas, quas in posterum praevio consensu episcopali erigere contigerit, una cum altaribus consecrare possit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ad tramites hujus conventionis memoratus abbas sibi, suisque successoribus novum, ac speciale indultum hujusmodi per Nos concedi summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Imploratа facultas conceditur sub conditionibus ab ordinario stipulatis.

§. 3. Nos igitur, qui paterne omnes omnino Christifideles complectimur, illorumque spirituali bono providere tenemur, cum ex conventione hujusmodi, et catholicis in terris heterodoxorum commorantibus, quibus vel maxime divinum afflantis spiritus auxilium necessum est, ut fieri potest consultum sit, et juribus episcopalibus nihil derogatum, ipsum modernum abbatem Einsidlensem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacri Tridentini concilii interpretum consilio, dicto Beato moderno, ac pro tempore existenti abbati Einsidlensi sacramentum confirmationis catholicis occultis in terris Helveticorum protestantium commorantibus, et ad tramites in omnibus dicti articuli separati dumtaxat, dummodo tamen sacrum chrisma ab episcopo pro tempore Constantiensi recipiatur, administrandi, et conferendi, ac ecclesias juxta articulum quintum praedictae concordiae consecrandi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac in universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

DXXXV.

Dat. Romae 11. februarii 1785. Anno X.

Committitur episcopo Burgi sancti Domnini, ut acceptet dimissionem curae animarum ecclesiae sancti Joannis Baptistae monialium ordinis sancti Benedicti dictae civitatis adnexae ab eisdem monialibus factam, illamque transferat ad aliam ecclesiam.

Venerabili fratri Alexandro episcopo Burgi sancti Domnini.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Pastorale officium humilitati Nostrae a Deo commissum postulat, ut ea, quae ad inducendam, conservandamque pacem, et tranquillitatem inter Christifideles, praesertim eos vero, qui Deo proprius, aut in saeculo, aut in religione famulari susceperunt, disposita esse noscuntur, omni abjecta cunctatione libenter confirmemus, ut hinc facilius aeternam spem, ad quam quotidie tendunt consequantur.

Monialibus grave nimis, ac molestum erat, ut in earum ecclesia curam animarum parochus exerceret.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod dilectae filiae in Christo abbatissa, et moniales monasterii sancti Joannis Baptistae ordinis sancti Benedicti ejusdem civitatis Burgi s. Domnini probe noscentes, quam grave, ac molestum ipsis sit, tum ob dissensiones, quae inter earum confessarium, et parochum quotidie exoriuntur, cum ob iteratas parochianorum querelas onus curae animarum suae ecclesiae s. Joannis Baptistae adnexum, eamdem animarum curam, propterea, ab ecclesia

praedicta arcere, illamque in suis manibus dimittere constituerunt; prout revera ad hoc parochialitas hujusmodi praeviis necessariis, et opportunis facultatibus a Nobis impetrandis in aliam aptiorem ecclesiam transferatur, sponte dimiserunt.

Episcopus inita concordia illam transtulit ad ecclesiam s. Mariae.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut litibus, ac controversiis inter parochum, et confessarium praedictos tandem aliquando finis imponatur, ac parochiani suorum votorum compotes fiant, utile ac proficuum judices dimissionem, ac renunciationem hujusmodi juxta methodum ab iisdem monialibus propositam acceptare, ac ad nullam aliam ecclesiam parochialitatem hujusmodi, quam ad ecclesiam sanctae Mariae intra ejusdem parochiae fines sitam, quae alias ad confraternitatem Disciplinantium nunc extinctam, ac nosocomio dictae civitatis sancti Domnini alias auctoritate apostolica unitam spectabat, commodius transferri posse arbitreris, dummodo tamen, et pro indemnitate ipsius nosocomii, et pro bono novae erigendae parochiae, praevia cessione nedum dictae ecclesiae sanctae Mariae dicti nosocomii administratoribus, sed etiam aedificiorum eidem ecclesiae adnexorum, ut praefertur, ad dictam confraternitatem alias spectantium facienda, quae a dictis monialibus fuerunt proposita, ac etiam conditiones serventur tenoris, qui sequitur.

Tenor initae concordiae.

§. 4. I. Che lo spedale non sia più tenuto alla riparazione di detta chiesa di s. Maria, o fabbricato annesso, nè tampoco a veruna spesa di cera, apparamenti, e funzioni solite a farsi in essa chiesa, nè a veruna sorta di salarj, ed onorarj a' suoi inservienti.

II. Che al nuovo parroco, il quale potrà nominarsi rettore non debba competere il minimo diritto per l'amministrazione de' sagramenti agl' infermi dello spedale, e loro sepoltura; ma che però accadendo di seppellirsi li morti dello spedale nella chiesa di s. Maria eretta in parrocchia, il parroco non possa pretendere dallo spedale alcuna sorta di emolumento nè in contanti, nè in cera.

III. Che lo spedale riduca parte del fabbricato annesso alla suddetta chiesa ad uso, e commoda abitazione del parroco, riservando l'altra parte del fabbricato stesso d' affittarsi a profitto della chiesa.

IV. Che si formi una congregazione composta di un tesoriere, d'un controscrittore, e di un fabbriciere incaricata della manutenzione, e riparazione della detta chiesa, e fabbricato, o dell'obbligo dell'altre spese occorrenti per le funzioni, e per lo stipendio del chierico, e campanaro inservienti.

V. Che a tale oggetto lo spedale medesimo paghi per un decennio avvenire lire cinquecento moneta di Parma, ossia scudi venticinque moneta Romana da servire annualmente per le occorrenti spese della chiesa, ed altre lire mille, ossia scudi cinquanta pure per un decennio, e queste da impiegarsi in un capitale fruttifero, oppure invece di tutto questo assegni alla chiesa medesima un fondo cauto del valore di lire dodici mila corrispondenti alla somma di seicento scudi Romani circa, il di cui prodotto unito al ricavato dell' affitto della suddetta parte di fabbricato da riservarsi come sopra, verrà a formare un annuo reddito di cinquanta scudi Romani circa sufficienti un di presso alla manutenzione di detta chiesa, la di cui amministrazione dovrà appartenere alla detta congregazione della fabbrica a tal fine destinata.

VI. Che il capo della divisata congregazione sia sempre il parroco, il quale però non possa mai essere tesoriere della medesima, riconoscendosi troppo espediente che questo sia una persona sempre diversa dal parroco, e dal tesoriere della compagnia del santissimo Sagramento, di cui appresso.

VII. Che trasferendosi la parrocchia vada ad essa unita la confraternita del santissimo Sagramento eretta in detta parrochiale chiesa di san Giovan Battista, e che questa poi sia tenuta non tanto alla manutenzione dell' olio per la lampada, quant' anche all' altro spese tutte, che è stata solita di fare sinora in detta chiesa di san Giovan Battista, dovendosi supplire dalla suddetta fabbrica quel di più, che potrà occorrere al compito servigio, e manutenzione della chiesa stessa.

VIII. Che li quattro candelieri d' argento, ed una delle lampade pure d' argento, che esistono tra gli arredi della predetta chiesa di s. Maria, come che non bastevoli per compito ornamento di un altare vengano trasferiti stabilmente all' oratorio del nominato spedale degl' infermi, il quale verrà ad essere in tal modo decentemente corredato, e rimanga libera alla stessa chiesa di s. Maria l' altra lampada d' argento.

IX. Che finalmente ad oggetto d' impedire ogni motivo di alterazioni, o di discordie, che senza meno verrebbero ad insorgere tra il nuovo parroco, ed il rettore dell' Annunziazione di Maria Vergine titolare di essa chiesa, di cui anche chiamasi rettore il beneficiato suddetto, con apostolica autorità venga derogato pienamente a qualunque diritto, ragione, titolo, o preeminenza per qualsivoglia modo competente al beneficiato medesimo nella predetta chiesa di santa Maria, e per qualunque funzione in essa possibile, massime che per una parte cessati sono per intero li pesi incombenti allo stesso rettore, cioè a dire l' amministrazione de' sacramenti a' pellegrini, e l' esercizio personale delle funzioni tutte altre volte appartenenti alla soppressa confraternita, e per l' altra il rettore moderno di detto beneficio riconoscendo di nessuna entità il suo diritto è pronto di rinunziarvi in tutta la maggiore estensione per il bene, a quiete di quella parrocchia.

Committitur episcopo, ut omnia executioni mandet, uti apostolicus delegatus.

§. 5. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium episcoporum, et regularium negociis praepositorum consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, ac mandamus, et praevio consensu, quorum interest, dimissionem, ac renunciationem parochialitatis, seu curae animarum ecclesiae s. Joannis Baptistae, conjunctim, ut praefertur, a dictis monialibus faciendam auctoritate Nostra apostolica acceptes, illamque ad aliam ecclesiam s. Mariae transferas, illiusque cessionem una cum adnexis aedificiis ab administratoribus dicti nosocomii sub praeinsertis tamen conditionibus, ac pactis faciendam admittas. Nos enim tibi omnem, et quamcumque faciendi, gerendi, exequendi, et exequi mandandi ea omnia, quae circa praemissa facere, gerere, et exequi opportunum fore in Domino arbitraveris plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii sancti Joannis Baptistae, ac nosocomii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno decimo.

ANNO UNDECIMO

Dat. Romae 18. februarii 1785. Anno XI.

DXXXVI.

Allocutio habita ad comitem Aloysium Braschium Honestum cum eidem solemni ritu imposuit magnam crucem ordinis ss. Mauritii, et Lazari a serenissimo Sardiniae rege transmissam.

Exponit Sardiniae regis donum, illudque insigne esse declarat.

§. 1. Quaecumque peracta sunt hactenus in hac Nostra sacri ritus perfunctione, quam ad exitum jam perduximus, omnia perspicue quodammodo resonare visa sunt munificentiam, liberalitatemque carissimi in Christo filii Nostri Victorii Amadei Sardiniae regis illustris, qui magni magistri ordinis militaris sanctorum Mauritii, et Lazari personam gerens, te, dilecte fili, pro sua benignitate voluit, et ejusdem ordinis magna cruce exornare, et ad conspicuum ipsius dignitatis locum extollere. Insigne nimirum hoc magnae crucis eleganter pretioseque conformatum, quod tibi modo ante pectus appendimus, amplissimum illius regis est donum, meritissimo cardinali Gerdillo transmissum, ut ab ipso tibi regio nomine redderetur; neque tamen illud est unum, ac singulare, sed conjunctum etiam cumulatumque aliis regiae liberalitatis beneficiis, expressis in diplomate die XVI. elapsi mensis januarii dato, Nobisque exhibito per dilectum filium nobilem virum comitem Alexandrum de Vallispergia regium apud Nos administrum.

Gratissimi animi officia erga regiam majestatem excitat.

§. 2. Non tua solum esse propterea debent omnia gratissimi animi erga regiam majestatem officia, sed ea praecipue Nostra sunt. Tu certe eidem acceptum referre debes munus illud non minus honorificum, quam fructuosum: at Nos magis adhuc eidem obstrictos esse profiteri oportet, quod Nostri gratia permotus sit ad te illo honore augendum, idque in eo ipso diplomate declaraverit.

Equestris, et militaris ordinis originem, et praestantiam exponit.

§. 3. Atque hic te a Nobis primum excitari necesse est ad colendos singulari pietate sanctos illos, quorum nomine ordo, cui adscriptus es, nuncupatur; atque idcirco ignorari a te nolumus illum ipsum equestrem, et militarem ordinem quamdam traxisse imaginem ab eo, quod peractum fuit ab Amadeo VIII. Sabaudiae duce, qui circa annum MCDXXXIV. cum aliquot nobilium virorum comitatu ad Ripalliam dioecesis Genevensis secessit, ibique cum suis eremiticum assumpsit habitum, ac pro sua pietate privatum quemdam fundavit ordinem sub titulo sancti Mauritii martyris (1), qui fuit legionis Tebeae (2) primicerius (3). Sed cum nullam servasset formam solemnitatemque ex iis, quae ad re-

(1) Spondan. continuat. Annal. ecclesiastic. tom. 2. ad ann. Christi 1572. §. 25. P. Ignat. Hyacint. de Graveson. Histor. ecclesiastic. tom. 9. tabul. cronologic. 14. pag. 504. edit. Rom. 1722.

(2) Acta martyrii legionis Tebeae comprobantur homil. 81. s. Maxim. episcop. Taurin. ult. edit. Roman. et vindicantur ab objectionibus ministri Dubourdieu e cl. vir. Francis. Anton. Zacceria dissert. 10. tom. 1. dissert. var. et recentius contra eumdem Dubourdieu, contraque famosum Voltairium a theologo Octavio Felice Baudisson in actis legionis Tebeae adjunctis suae orat. in laud. ss. martyr. Solutoris, Adventoris, et Octavii edit. Taurin. 1778.

(3) Primicerii legionum nomen id dignitatis est militaris, tribuni dignitati proximae. Dufresne in glossar verb. Primicerius.

ligionem institueodam servari solent; factum hinc est, ut verum institutionis initium sub titulo s. martyris Mauritii recentius esset, a praedecessore nimirum Nostro Gregorio XIII. sumendum, qui supplicante duce Emmanuele Philiberto eam erexit sub regula Cisterciensi in Sabaudiae, et Pedemontis regionibus ad universae, ut inquit, Italiae, totiusque Christianae reipublicae salutem, et commodum (1). Vix tum duobus elapsis mensibus aucta haec fuit ab eodem pontifice alterius antiquioris latissimeque per orbem diffusae militiae accessione, leprosorum scilicet s. Lazaro Hierosolymitano dicatae « ut quod una in ipso initio » per se agere perfecte non posset, alterius » adjuta auxilio, et viribus geminatis, fortior » esset ad agendum, atque citius, et facilius » optatus Ecclesiae Dei, ut christiano populo » fructus afferre posset: » Atque ita ex duobus equestribus ordinibus unicus efformatus est, ac si ab exordio uterque fuisset conjunctim institutus, decorato eodem duce Emmanuele Philiberto, ejusque perpetuo successoribus suprema magni magistri dignitate (2), et praescripta crucis forma e duabus effecta, quarum altera viridia coloris in internis angulis divisa, erat Lazarinorum insigne, altera vero alba florigera, hodieque potior habita, sancti Mauritii ordinis tessera (3). Haec autem privilegia, quae modo diximus a Gregorio XIII. concessa, amplissime postea renovavit, confirmavitque Clemens VIII. sub magisterio ducis Caroli Emmanuelis (4).

Refert vicissitudines, quibus ordo subjecit.

§. 4. Ex memoratis igitur diversis militiis constitutus est ordo, in quem ea ipse nunc adlectus; quod a te in praesentia cognosci satis esse existimamus, nam prolixa nimis oratione Nobis utendum esset, si ordinis s. Lazari originem, et statum referre aggrederemur. Ut aliqua tamen, neque pauca delibemus: nonnulli sunt, qui ortum illius repetunt a temporibus apostolorum; eos enim asserunt commisisse septem diaconis a sese electis, ut collatam in eleemosynas pecuniam reciperent, ac pauperibus, et morbo laborantibus distribuerent; atque hunc in modum primos fuisse, prout in hoc ordine appellantur, hospitalarios (5). Addunt alii ipsum hunc ordinem institutum fuisse ad christianorum praesidium, quos persequi jam ab ipsa Jesu Christi morte Scribae, Pharisaei, Sadducaei, et Romani inceperant (6). Moderatiores sunt alii, qui Lazarinorum equitum deducunt ortum a sancti Basilii magni temporibus (7) qui amplissimam hospitalem domum paulum extra Caesaream Cappadociae urbem aedificaverat, a s. Gregorio Nazianzeno quasi novam civitatem appellatam, « in qua (erant) aegroti, et vulne» rum curationes, ut Christi imitationes. (Ba» silius) non quidem sermone, sed opere le» pram purgabat » (8). Imo imperator Valens etsi Arianus; « Praedia quae ibi habebat opti» ma, pauperibus donavit, qui sub ejus (Ba» silii scilicet) cura erant, et toto corpore la» befactati, curatione maxima indigebant (9)». Cum hoc exemplo fundata pluribus in locis essent hospitia leprosorum, societatem etiam, ac quemdam ordinem inde plures opinantur institutum (10) sub s. Lazari invocatione, atque hunc fuisse a s. Damaso pontifice approbatum.

(1) Constit. 8. ejusdem pontificis in Bullar. nov. Roman. edit tom. 4. part. 3. pag. 336. col. 2.

(2) Constit. 10. ipsius pontificis in citat. Bullar. tom. eod. pag. 239. in fin. eumdem ordinem aliis fundis, privilegiis, et indultis auctum fuisse a praefat. Gregorio XIII. liquet ex ejus constit. 182. tom. 4. part. 4. citat. Bullar. pag. 99. et constit. 187. ibid. pag. 111.

(3) Breve Gregorii XIII. apud Samuel. Guichenon *histoire genealogique de la Royale Maison de Savoie* tom. 4. part. 1. pag. 529. postrem. edit. Taurin. 1780.

(4) Constit. ejusd. pontif. 515. in citat. Bullar. tom. 5. par. 6. pag. 20.

(5) Hermant *des Ordres des Chevalieres*, et alii apud p. Honoratum de s. Maria in disertat. historicis super *la cavalleria antica, e moderna* lib. 1. disertat. 3. artic. 2. §. 2.

(6) De Belloy de origine *de la chevalerie* apud eumdem p. Honoratum loco cit. §. 3. in fin.

(7) Bernard. Giustinian. histor. ordin. militar. part. 1. cap. 4. Bonanni ordin. equest. catalog. descript. 65.

(8) S. Gregorius Nazianz. orat. 20. in laudat. s. Basilii num. 91. 92., et 93. tom. 1. oper. pag. 359. et 360.

(9) Theodoret. histor. ecclesiast. lib. 4. cap. 16. col. 2. in fin. tom. 3. oper. edit. Paris 1642.

(10) Relat. in histor. anonim. ordin. monastic. religios. et militar. tom. 1. part. 1. 53. §. 3. version. italic. quam anno 1714. conscripsit, et evulgavit P. Helyot valde commendat. in act. eruditor.

Verum hi omnes tamquam fabulosarum originum auctores ab accuratioribus reprobantur scriptoribus (1), qui consentiunt quidem de antiquissima hospitiorum institutione, deque societatibus ad praestandam indigentibus opem conjunctis; sed inde consequi negant, ut societates istae in quoddam ordinum militarium corpus jam tum coaluerint; cum nullum horum ante decimum saeculum appareat vestigium. Vera idcirco institutionis s. Lazari, ut nunc est, ratio, seu novi militaris status cum ejus pristino hospitalariorum statu conjunctio, videtur omnino non ante duodecimum exorta saeculum (2), cum scilicet a pontifice maximo Alexandro IV. illi ordini fuit sancti Augustini praescripta regula. Jamque ex illo tempore sacra coepit ab eo ordine exerceri militia, praestoque esse christianis principibus, qui in Palaestinam advenientes, pro sanctis ab infidelium potestate vindicandis locis diuturna, ac maxima illa bella gerebant. Singularis tum fuit in ipso ordine jam antiquitus comprobata consuetudo, ut eligi in magnum ejus magistrum nemo posset ex equitibus, nisi qui in Hierosolymitano hospitio ex lepra laboraret; isque usus apud eos tenuit usque ad annum MCCL.; quo tempore cum magna pars equitum leprosorum in praelio cum infidelibus commisso cecidisset, coactique fuissent, qui superetant, e Syriae finibus excedere, ad Innocentium IV. pont. max. detulerunt preces, ut in posterum ipsis liceret aliquem non leprae morbo affectum, sed sanum atque incolumem in magno magisterio constituere, cum amplius pristina illa consuetudo retineri, servarique non posset. « Commisit tum pontifex episcopo » Tusculano » ut, si sibi secundum Deum vi» sum foret expedire, fratribus ipsis licentiam » aliquem militem sanum e fratribus domus s. » Lazari Hierosolymitani in ejus magistrum » de cetero eligendi, auctoritate apostolica » concederet (3) ». Consequentibus vero temporibus Innocentius VIII., ut facultates equestris ordinis s. Joannis Hierosolymitani augeret, eique opportunis ad resistendum infidelium potentiae subsidiis provideret, suppressit extinxitque s. Lazari militiam, eamque cum suis prioratibus, praeceptoriis, et membris quibuscumque univit, et concessit praefato s. Joannis ordini (4). Verum Innocentiana haec constitutio non ubique effectus consecuta est suos, subsistente non solum post ipsam in multis provinciis, et ditionibus eodem s. Lazari ordine, sed ipso etiam a pluribus ejus pontificis successoribus, nunc his, nunc illis in locis redintegrato (5). Cum autem illius contagii vis paulatim remisisset, numerusque eorum, quos equites s. Lazari vocabant, fuisset imminutus, hinc postquam Paulus V. praedecessor Noster ad preces Henrici IV. regis christianissimi novum instituisset ordinem sub titulo sanctae Mariae de Carmelo (6), narrant scriptores (7) eidem attributa fuisse bona, quae in Galliis ad ordinem s. Lazari pertinebant.

§. 5. His tibi per Nos breviter expositis, quid aliud nunc a te praestari cupimus, quam ut, cum pares gratias ipsi regi magno ordinis magistro persolvere numquam possis, perpetua cogitatione collatum beneficium recolas? » Cui enim gratia referri tanta non potest, » quanta debetur, habenda tamen est, quan» tam maximam animi Nostri capere possunt. Gratiarum actio.

§. 6. Sed ut ad Nosmetipsos convertamur, facile sane percipimus animo, quali, quantumque sit ejus doni pretium, quo praesertim amantissimus rex hoc suae liberalitatis argumento perspicue declaravit, quantopere Nostrum faceret erga se amoris existimationisque Laudes regis Sardiniae.

Lips. ann. 1715. pag. 425., et a P. Honorato dissert. histor. crit. super *la cavalleria* lib. 1. diss. 5. art. 2.

(1) Citat. histor. ordin. militar. eod. cap. 52. P. Honorat. in praefat. art. 2.

(2) Eod. cap. 52. histor. ordin. militar. §. 10. P. Honorat. in citat. lib. 1. dissertat. 10. artic. 5. §. 4. P. Paul. Anton. Paoli praeses academ. nobil. ecclesiast. urb. Rom. in sua erudit. dissertat. de origin. et institut. sac. militar. ordin. s. Joannis Hierosolymit. cap. 8. num. 20.

(3) Cit. cap. 52. histor. ord. militar. §. 11. idem p. Honoratus in dissert. 10. artic. 5. §. 4.

(4) Constitut. ejusd. pontif. dat. 5. kalendas aprilis 1489. relat. in cod. diplomat. Lunig. tom. 4. pag. 1486.

(5) Spondan. cit. tom. 2. ad ann. Christi 1565. num. 17. histor. ordin. militar. cit. cap. 52. §. 14. P. Honorat. eod. dissert. 10. art. 5. §. 8.

(6) Constit. 95. ejusdem pontificis in citat. Bullar. Romano tom. 5. part. 3. pag. 297.

(7) Spondan. loc. proxim. cit. in fin. histor. ordin. militar. part. 1. cap. 55. §. 5. P. Honorat. citat. dissertat. 10. artic. 5. §. 4.

sensum, quem ut semper ipsi exhibere voluimus, ita praecipue comprobavimus, cum ejusdem obsequeremur studiis in conferendis in eum ordinem facultatum incrementis. Sed quid non illi deferamus, tribuamusque regi, qui singulari in Ecclesiam est, Romanamque cathedram voluntate, quique tantum abest, ut quidquam detrabi in suis ditionibus ab sanctissimae fidei integritate sinat, ut etiam integram ibidem, incolumemque praestet ecclesiasticam disciplinam, neque ullum patiatur capere detrimentum? Hic certe opportunus esset in praestantissima illius merita Nobis excurrendi locus, cum » nulli alii magis hujusmodi » laudationis munus, quam Nobis convenire » arbitremur ». Sed quid amplius, quid copiosius afferre possumus, quam quod de ipso, deque ipsius praeclarissima, gloriosissimaque familia ex certissimis monumentis adduximus in iis literis Nostris, quas operibus s. Maximi Taurinensis anno proxime elapso praefiximus, cum ea Nos edi, illustrarique curaremus. Illud hic tantummodo repetemus, omnes in ipso fulgere, atque eminere laudes » quae non pa» ternae cujusdam haereditatis jure ad poste» ros devolvuntur, sed ex propria virtute com» parantur ». At quod nunc dandum erat gratissimi in eum animi nostri indicium, hac ipsa exhibere volumus opera, qua functi sumus in ipsius ordinis magna cruce conferenda, hac nimirum officii, ac pietatis significatione munus ipsius celebrantes, novisque deinde illud, cum opportunitas tulerit, animi Nostri testimoniis prosecuturi.

Monitum ad ingressum in illustrem militiam

§. 7. Hic iterum ad te revertimur, dilecte fili, tibique ante oculos ponimus, ac majorem in modum commendamus, ut ex hac die, qua in tam illustrem sanctorum Mauritii, et Lazari militiam ingressus es, omnino illud tibi agendum statuas, ut illi regio magno ordinis ejusdem magistro debitam fidem, et obedientiam praestes, ut semper pro illius felicitate vota facias, ut regulas omnes tuae hujus religionis, (1) ac instituta serves, neque umquam quidquam committas, quod ordinis decori, quod ipsi crucis, quam praefers, insigni ullo modo adversari videatur.

Placetne tibi?

RESPONSUM COMITIS

ALOISII BRASCHII HONESTI

Responsum comitis Braschii Honesti

§. 8. Meo reputans animo, beatissime pater, qui, qualesque sint, vel ille, a quo profectum in me est amplissimum hoc beneficium, vel ille, a quo traditum; ejusmodi impositum mihi onus esse video agendarum gratiarum, ut eidem ferendo impar esse omninò debeam. Hinc singularem praestantissimi Sardiniae regis munificentiam agnosco, hinc pontificis maximi perhonorificam in me operam, studiumque conspicio. Mirifice utraque hac causa gaudeo, at ob utramqua officii mei magnitudine opprimi plano me sentiò. Sed cum eos non ad vires meas, sed ad voluntatem, qua nihil cumulatius esse potest, respecturos confidam, ipsa hac amborum clementia eximie recreor, ac sustentor. Itaque, quod nunc possum, semper me prae oculis habiturum tam amplum, tam gloriosum, ac tam illustre munus profiteor; neque umquam intermissurum pro tua, beatissime pater, Sardiniaeque regis incolumitate, felicitateque votà facere, ac me etiam sanctissimis patronis, quorum ordinis insignia jam gero, commendare; ut eorum praesidio consilia omnia, actionesque meae ita semper dirigantur, ne umquam vos possit impertiti mihi tanti honoris poenitere.

DXXXVII.

Dat. Romae 16. februarii 1785. Anno XI.

Congregationi presbyterorum Conceptionis beatae Mariae virginis civitatis Compostellanae

(1) Milites non servantes absolutam castitatem, nequeunt proprie dici religiosi » Quia illi vivendi » modi, secundum quos homines matrimonio utun» tur, non sunt simpliciter, et absolute religiones, » sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquâ » participant quaedam, quae ad statum religionis » pertinent » docet s. Thomas Aquin. 2. 2. quaest. 186 artic. 4. §. ultim. ibique Francisc. Sylvi. Liter. E. P. Honorat. in cit. dissertat. 10. artic. 4 » Solummodo igitur reputantur ecclesiasticae personae » improprie, quia servant regulam approbatam ab » apostolica Sede, gestant habitum cruce insigni» tum, et ecclesiae servitio deputantur ad praelian» dum pro eà juxta proprium institutum ». Ita de equitibus sancti Stephani censuit collegium XII. virorum, litibus decidendis Romae praepositum.

conceditur facultas celebrandi missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis singulis anni sabbathis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Cum sicut dilecti filii congregatio sacerdotum nuncupat. sub titulo Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae in ecclesia metropolitana Compostellana canonice, ut asseritur, erecta, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem gerunt devotionis affectu, missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis cum cantu singulis anni sabbathis celebrare posse plurimum desiderent.

Concessionis tenor. §. 2. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta etiam relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii: exponentibus praedictis, nec non pro tempore existentibus presbyteris congregationis hujusmodi, ut ipsi in singulis anni sabbathis, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, dictam missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis cum cantu celebrare libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictaeque congregationi in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus nostri anno undecimo.

DXXXVIII.

Dat. Romae 15 februarii 1785. Anno XI.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Elborensi.

Venerabili fratri Archiepiscopo Elborensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem

Ratio concessionis, et tenor precum porrectorum. §. 1. Cum, sicut Nobis nuper exponi fecisti, in dioecesi tua Elborensi, adeo excreverint calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolaeque, et praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur, quamvis animo invito, dies festos negligere, operibusque mechanicis sese adjicere pro pane lucrando, et id eo facilius contingat ob excretum dierum festorum numerum: propterea Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad aeternam salutem comparan-

dem, et humanam vitam honesta sustinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem, ad desperationem inopes adducare cupimus, dictos incolas specialibus gratils, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in praedicta tua Elborensi dioecesi existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti, sancti stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, paschatis Resurrectionis, et sequenti, pentecostes, et sequenti, ac corporis Christi, et Ascensionis, sancti Jeannis Baptistae, ac sancti Petri, et Pauli, ac Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis beatae Mariae virginis Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, et tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integre maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales ejusdem dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per eorum majores facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dioecesis praedictae, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta februarii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DXXXIX.

Dat. Romae 11. martis 1785. Anno XI.

Confirmatio statutorum universitatis *degli Affidati* vulgo nuncupati de urbe.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Exponitur homines congregatos in universitate nuncupata degli affidati, quaedam statuta condidisse pro gubernio congregationis.

§. 1. Ad pastorale fastigium meritis licet imparibus evecti illa, quae pro felici, prosperoque universitatum almae urbis Nostrae, cujus commodis peculiari paternae charitatis affectu studemus, regimine provido constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, apostolici muniminis praesidio, cum id a Nobis petitur, libenter coestabilimus. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas, et homines vulgo degli Affidati nuncupati de urbe, quod ipsi pro felici ejusdem universitatis directione, et gubernio quaedam statuta in congregatione universitatis praedictae habita decreverunt, tenoris, qui sequitur videlicet.

Tenor statutorum. §. 2. Fu sempre savio, e lodevol costume non meno che provido consiglio di tutti quelli, che addetti all'esercizio delle arti, o professioni vollero unirsi in un corpo, ed erigere una università, di formare quelle leggi particolari, che giudicarono più atte, ed opportune per il buon regolamento de' loro interessi, ben persuasi, che senza la guida di queste non avrebbero mai potuto condurre a buon termine i di loro affari. Quindi è, che con queste leggi par-

ticolari formarono li di loro rispettivi statuti, all'osservanza dei quali si soggettarono riportandone per maggior fermezza, ed inviolabile osservanza l'approvazione da legittimi superiori, conforme lo dimostrano ad evidenza tutte quelle università, che in quest'alma città di Roma si trovano erette.

De origine universitatis

§. 3. Vollero praticare lo stesso anche li padronali delle masserie di pecore, o siano affidati nella dogana del patrimonio, i quali prima che fossero uniti, e senza leggi particolari ricevevano notabilissimi pregiudizj tanto in comune, quanto in particolare; stabilirono perciò di unirsi in un corpo, e di erigere una università con formare le loro leggi particolari, o siano statuti; onde tenutasi da essi una pubblica adunanza li due gennajo mille seicento ventidue con licenza di legittimi superiori vennero nella determinazione di erigere la loro università conforme alle altre che esistono in quest'alma città, e stabilirono alcuni, e diversi capitoli, ossiano leggi particolari da inviolabilmente osservarsi, dopo che se ne fosse da legittimi superiori riportata la benigna ed opportuna approvazione, e come in effetto si ottenne.

De generalibus legibus quibus universitas regebatur ab origine.

§. 4. Si prescrive in questi statuti l'obbligo di doversi fare la congregazione degli affidati di anno in anno, o dal corpo di questi venirsi alla deputazione dei capi nazionali di ciascuna provincia, e successivamente all'elezione degli officiali, cioè de'consoli, camerlengo, o sindici; si prescrive la maniera di fare questa elezione, l'obbligo che avevano di accettare gli officj, ai quali erano eletti, le pene in caso di rifiuto senza una legittima causa; si ordinò l'erezione della cappella, l'esequie da farsi in ogni anno per li defonti addetti all'università; si ordinò la deputazione d'un avvocato, e d'un procuratore, che dovessero agire nella difesa degli affari risguardanti l'università; si ordinò il pagamento della colletta ossia tassa da pagarsi da tutti gli affidati; si deputò la persona che dovesse ritenere il denaro, che si esigeva dalla colletta ossia tassa; si ordinò l'applicazione della pena parte a benefizio della cappella dell'università, e parte alla camera Capitolina; e finalmente si volle riservata la facoltà di poter variare dalli capitoli, o siano statuti ad arbitrio delli consoli pro tempore, con rendersene però intesa la congregazione.

De necessitate reformationis veterum statutorum.

§. 5. A tenore di questi statuti pertanto approvati da legittimi superiori si sono regolati gli affidati per moltissimo tempo; ma siccome hanno riconosciuto per il cangiamento de'tempi, e costumi alcune di queste leggi o capitoli dello statuto non potersi praticare, altre aver bisogno di essere moderate, ed altre variate, onde servendosi delle facoltà accordate a qualunque collegio o università dello statuto di Roma al capitolo quarantatre del libro terzo, ed anche riservate nel capitolo diciannove delli detti antichi statuti di aggiungere, moderare, e riformare, sono venuti nel sentimento di dover formare altri capitoli, o siano leggi particolari, quali dovessero per l'avvenire inviolabilmente osservarsi dopo d'averne riportato l'approvazione dai legittimi superiori.

Electio deputatorum qui conderent nova statuta

§. 6. A quest'effetto adunque essendosi tenuta fra il corpo degli affidati una generale congregazione, copia pubblica della quale si inserisce ne'presenti statuti per eleggere sette deputati con un legale con tutte le facoltà necessarie, ed opportune per formare di nuovo, e stabilire quelle leggi, che credevano più eque e giuste, ed adattate, o convenienti alle presenti circostanze per potere in avvenire regolare i di loro interessi, ed essendo stati eletti l'illustrissimo signor cavaliere Giovan Paolo del Cinque primo console nobile, li signori Pasquale Arquati, ed Antonio Perazza altri due consoli, Giuseppe Cruciani camerlengo, Domenico Maggi, Stanislao Tocci, e Giovan Battista Piergentili, invocatosi perciò da questi l'ajuto della santissima Trinità, e della gloriosissima sempre vergine Maria, e di s. Antonio abate nostro avvocato, dopo tenuti congressi, consulti, e maturi esami si sia anche riuscito ridurla al bramato fine con stabilire le seguenti costituzioni da inviolabilmente osservarsi, e queste siano state parimente approvate nella congregazione generale tenuta li ventisei gennaio mille settecento ottanta quattro, dalla quale siasi risoluto doversene ottenere la conferma per la validità ed esecuzione de'medesimi statuti.

CAPO I.

Della congregazione generale.

De congregatione generali.

§. 7. Venendo sotto la congregazione generale rappresentato il corpo tutto della nostra università, si statuisce, ed ordina, che questa debba continuarsi a tenere in ogni anno il di tredici gennaio festa di s. Antonio abate alla

Consolazione senza alcuna intimazione, conforme il consueto, ed inveterato stile, potendo alle medesime intervenire tutti quelli, che sono del corpo della nostra università, cioè che sono padronali di masserie, e sono affidati nella dogana del Patrimonio. In questa congregazione generale adunque si verrà all'elezione de' capi nazionali, o siano deputati delle rispettive nazioni, e degli officiali, cioè dei consoli, camerlengo, e sindaci, e delli tredici, che dovranno comporre la congregazione segreta, come si dirà in appresso; quale elezione debba farsi per bussolo, e l'elezione succeda in persona di quelli, che avranno la pluralità de' voti.

De modo procedendi in resolutionibus capiendis.

§. 8. Occorrendo poi di doversi risolvere nella suddetta congregazione generale altro affare appartenente alla nostra università, dopo che sarà questo proposto possa parimenta farsene la risoluzione per bussolo con attendersi sempre la pluralità de' voti circa alla risoluzione, che sarà per prendersi, quale debba stendersi dal segretario della nostra università nel solito libro, dove si registrano le congregazioni.

De intimatione praemittenda pro extraordinariis congregationibus generalibus.

§. 9. Oltre questa congregazione generale fissata già in ogni anno per il giorno di s. Antonio abate, se occorrerà di doversi fare altra congregazione generale entro il decorso dell' anno per urgenza, e bisogno della nostra università, si statuisce, ed ordina, che sia in arbitrio de' consoli di destinarsene; con questo però, che se ne debba fare l' intimazione preventiva dal mandatario dell'università non solo a tutti quelli, che compongono la congregazione segreta, ma ancora alli capi nazionali, o deputati delle nazioni, e ad altri che dimorano in Roma, o che vi hanno il loro domicilio, e di quello che sarà per risolversi se ne debba attendere la pluralità de' voti, e registrarsene la risoluzione nel solito libro, come si è preventivamente disposto.

CAPO II.

Della congregazione segreta.

De congregatione secreta.

§. 10. Non essendovi cosa più utile insieme, e necessaria, quanto che gli officiali spesse volte si adonino fra loro per deliberare, e consultare sopra gli affari occorrenti; a quest' effetto pertanto si prescrive, e si stabilisce la congregazione segreta, quale verrà composta dalli consoli pro tempore, dal camerlengo, e dalli tredici, quale dovrà tenersi ogni mese a riserva dei mesi di giugno, luglio, agosto, settembre, ed ottobre, nei quali la maggior parte degli affidati trovansi assenti da Roma, o in casa de' consoli, o del camerlengo colla preventiva intimazione per il giorno, e luogo, in cui dovrà tenersi, lasciando però ad arbitrio de' medesimi consoli il poterla destinare, anche più d' una volta il mese, quando qualche urgente affare lo richieda, ed anche vedendo essi consoli non essere necessaria a farsi la ogni mese di quelli stabiliti, sia in di loro arbitrio, e piena facoltà di non intimarla.

De requisitis necessariis ad validitatem congregationis.

§. 11. Ad effetto che questa congregazione segreta composta, come si è detto, dei consoli, del camerlengo, e delli tredici sia valida; vogliamo, ed ordiniamo, che per la validità della medesima siano presenti almeno nove fra li suddetti officiali, e tredici, e tra questi debba sempre esservi uno de' consoli, altrimenti non si abbia per congregazione, ma per mera consulta.

De triplici interpellatione praemittenda ut valida habeatur congregatio etiam sine numero suffragiorum.

§. 12. Siccome per altro una tal mancanza di numero prefisso per la validità della congregazione potrebbe farsi succedere ad arte, ed a bella posta, o per qualunque altro motivo, così per evitare ogni disordine vogliamo, che in tal caso mancando il numero stabilito d' intervenire alla congregazione, si debba questa di bel nuovo intimare, e se questa seconda volta sarà mancante il divisato numero, si debba intimare per la terza volta, e se anche con questo terzo intimo non vi fosse il numero di nove, vogliamo, che in questo caso debba attendersi la pluralità de' voti degli interessenti per la validità della congregazione, quantunque li congregati non siano nel numero di nove stabilito di sopra.

Quod statuta in legitima congregatione vim legis habeant.

§. 13. Tutto quello poi verrà risoluto in detta congregazione segreta, tenuta nel modo sopra indicato, colla pluralità de' voti, vogliamo, ed ordiniamo, che si abbia da eseguire, ed osservare da tutti gl' individui dell' università con registrarsene nel solito libro le risoluzioni, che si prenderanno.

CAPO III.

Dei capi nazionali.

De rectoribus nationalibus.

§. 14. Affinchè non abbia a nascere alcuna confusione nell' elezione de' capi nazionali, o

deputati, di cui si è parlato nel cap. I., si ordina, che quelli affidati di diversa nazione fuori di quelli di Roma debbano nominare un nazionale delle loro rispettive nazioni, e la naziona debba desumersi o dalla città, o dalla terra, e non da altri piccoli luoghi soggetti alle rispettive città, o terre. In quanto poi agli affidati di Roma, si possano da questi nominare quattro capi nazionali, conforme il solito, e questi capi nazionali, o deputati nella congregazione generale debbano durare per un anno colla facoltà di confermarsi di anno in anno, o di surrogare altri, conforme stimaranno proprio gl' individui della nostra università, e questi capi nazionali, o deputati delle nazioni debbano intimarsi per intervenire a quelle congregazioni generali, che si giudicheranno di fare secondo le occorrenze per gli affari della nostra università, oltre quella generale fissata per il giorno 17 gennaio di ciascun anno conforme si è disposto nel suddetto cap. I.

CAPO IV.

Delli consoli, loro potestà, ed officio.

De officio, et potestate consulum.

§. 15. Essendo necessario, che ogni corpo politico venga rappresentato da quelli officiali, e ministri, che dal medesimo ceto vengono destinati, si è però disposto di sopra dell' elezione di questi da farsi nella congregazione generale da tenersi nel dì 17 gennaio festa di s. Antonio abate in ogni anno; e siccome tra questi ritengono il primo luogo li consoli, che sono capo, e guida della nostra università, vogliamo perciò ed ordiniamo, che tre debbano essere li consoli da eleggersi. Uno di questi sarà un console nobile, quale avrà la distinzione dagli altri colla denominazione di primo console, e questo potrà eleggersi non ostante, che non ritenga masserie di pecore, essendosi considerata molto utile, e vantaggiosa questa elezione di un console nobile per accudire agli affari della nostra università in qualunque occorrenza; gli altri due consoli dovranno essere uno biancaro, e l'altro morettaro, cioè uno che ritenga la masseria di pecore bianche, e l' altro di pecore morette, e l' elezione dovrà seguire di anno in anno, ed in tutto, e per tutto, come si dispone nel cap. I.

De modo quo consules procedere teneantur in pertractandis negociis universitatis.

§. 16. Sarà cura, a peso de' consoli di difendere in ogni occasione la nostra università, e li suoi interessi col consiglio della nostra congregazione, ed ajuto del nostro procuratore, volendo, che abbiano tutte le facoltà di far tuttociò, che ai medesimi parerà utile, ed espediente a tale effetto, e tutto quello, che faranno per maggior vantaggio, e beneficio della nostra università così in giudizio, come fuori sia ben fatto, ed abbia fermezza, come se fosse fatto dalla congregazione istessa, e da tutta l' università.

CAPO V.

Del camerlengo, e suo officio.

De camerario, ejusque munere.

§. 17. In sequela de' consoli il primario officiale dovrà essere il camerlengo, cura del quale sarà di fare le spese occorrenti per la nostra università, e riscuotere tutto il denaro spettante, e che è dovuto alla nostra università da tutti gli affidati sì di Roma, che di Viterbo per il pagamento dell' annua colletta, ossia tassa nell' apertura della cassetta, che si farà dal cassiere della dogana del Patrimonio di Roma, come si disporrà in appresso, con stipularsene di tutte il denaro che verrà consegnato al detto camerlengo il solito istromento dal notaro, o sia segretario della nostra università, e terminato il suo officio dovrà rendere esatto conto della sua amministrazione, sì dell' esatto, che del pagato alli sindici, e consegnare al suo successore quel denaro, che potrà essergli restato in mano.

CAPO VI.

De' sindaci, e loro officio.

De sindacis, eorumque munere.

§. 18. È cosa molto ben ragionevole, che tutti quelli, che hanno amministrato rendano conto della loro amministrazione. Essendosi pertanto voluta l' elezione de' due sindaci come al cap. I. sarà peso di questi esaminare, e rivedere li conti al camerlengo della nostra università, qualora avrà il medesimo terminato il suo officio, e questi appurati, ed esaminati debbano sottoscriversi dai medesimi sindaci, qual dichiarazione avrà luogo di sentenza definitiva, alla quale dovrà starsi senza replica, ed appellazione alcuna, ed in caso nascesse qualche disordine, o disparere fra sindaci nell' esaminare, ed approvare li conti del camer-

lengo, debbano questi in tal caso presentarsi alli consoli, quali nella congregazione delli tredici, o sia segreta debbano risolvere, e decidere nella maniera che sarà di giustizia, affinchè il camerlengo non abbia a ricevere aggravio alcuno, e l' università non debba essere pregiudicata.

CAPO VII.

Dell' obbligo degli officiali eletti di dover accettar l' officio.

De acceptatione officiorum ab electis.

§. 19. Ciascuno, che verrà, come sopra, eletto per officiale sarà tenuto di accettare la carica, a cui verrà eletto, e quella fedelmente esercitare in servizio di Dio, e poscia per il beneficio della nostra università, e ricusando d' accettarla siano tenuti al pagamento di scudi cinque d' applicarsi in beneficio della nostra università; da qual pena però resteranno esenti qualora alleghino una causa legittima, per cui ricusino d' accettare la carica, e questa dovrà esaminarsi, e riconoscersi dalla congregazione segreta, al cui giudizio dovrà starsi senza alcuna contradizione.

De excusatione concedenda iis qui pro secunda vice nominantur.

§. 20. Da qual pena però vogliamo, che siano esenti quegli officiali, quali dopo terminato l' anno del loro officio ossia di console, o di camerlengo, o di sindaci fossero di nuovo confermati nelli loro rispettivi officj per l' anno susseguente, e questi ricusassero di accettare le cariche già esercitate, poichè in tal caso vogliamo, che resti in piena libertà di essi officiali o di accettare, o di ricusare la conferma nelli di loro officj.

CAPO VIII.

Della morte, ed assenza degli officiali.

De obitu officialium.

§. 21. In caso di vacanza o per lunga lontananza, o per morte (che Dio non voglia) di qualche officiale si stabilisce, ed ordina, che seguendo ciò in persona di qualcheduno delli tre consoli, come sopra eletti, debbano proseguire l' officio gli altri due superstiti; se poi mancassero due delli medesimi, vogliamo, che supplisca per uno di essi il camerlengo; in caso poi mancasse il camerlengo, debba supplire l' officio di questo il secondo console; morendo o mancando alcuno delli due sindaci debba supplire il superstite; e mancando ambedue debbano eleggersi li nuovi sindaci dalla congregazione delli tredici, ossia segreta.

CAPO IX.

Del rispetto, che deve portarsi agli officiali.

De reverentia officialibus debita.

§. 22. Rappresentando gli officiali il corpo tutto della nostra università, e specialmente li consoli, che sono capo, e guida della medesima, vogliamo pertanto, ed ordiniamo, che alli medesimi, e specialmente alli consoli si debba da ciascuno riverenza, ed ubbidienza nelle adunanze tanto pubbliche, che segrete; si parli in di loro presenza con modestia, e senza usar termini improprj, ed impertinenti, e se alcuno contravenisse o facesse diversamente sia immeritevole di qualunque officio, e venga anche escluso d' intervenire nelle congregazioni tanto generali che segrete; così all' incontro li suddetti officiali dovranno trattare anche essi colla convenienza li loro subalterni, e procurino di mantenerli in una perfetta pace, ed unione.

CAPO X.

Del cappellano.

De cappellano.

§. 23. Essendosi fin dal principio della formazione della nostra università eretta una cappella nella venerabile chiesa di santa Maria della Consolazione, e specialmente nell' altare di sant' Antonio abate ad onore, e gloria di Dio, e beneficio comune di tutti gli affidati sì viventi, che defonti, vogliamo, ed ordiniamo, che dalla nostra università si debba continuare a somministrare l' elemosina di un paolo al giorno per la messa quotidiana, che dovrà celebrarsi nella cappella suddetta, o sia altare di sant' Antonio da applicarsi per gli affidati vivi, e defonti. Nel giorno poi della festa di sant' Antonio abate si dovrà far celebrare una messa parata con quella pompa e fasto decente, e conveniente, che crederanno li consoli, e camerlengo pro tempore della nostra università; e l' università non sia tenuta ad altro, se non se di somministrare la cera necessaria all' altare per detta messa parata in conformità in tutto, e per tutto della transazione stipolata tra la suddetta nostra università, ed il venerabile archiospedale della Consolazione il dì 31 ago-

sto 1762 per gli atti del Maccari oggi Sterlich notaro Capitolino, o del detto venerabile archiospedale della santissima Consolazione e del nostro segretario.

CAPO XI.

Dell' esequie da farsi per gli affidati defonti.

De exequiis faciendis pro defunctis.

§. 24. Essendo cosa molto giusta, e ragionevole, che di quest' opera pia abbiano a sentire frutto non solo gli affidati viventi, che defonti, si statuisce, ed ordina, che la prima settimana dopo la festa di s. Antonio abate nel mese di gennaio, in un giorno da destinarsi a beneplacito de' consoli, e camerlengo della nostra università, si debba far celebrare per l'anima delli defonti affidati un' esequie con messa parata di requie secondo le stile praticato da molti anni a questa parte, ed in conformità della suddetta transazione.

CAPO XII.

Del procuratore.

De procuratore.

§. 25. Convenendo alla nostra università esser difesa nelle sue ragioni, ed in tutti li casi, che possono occorrere tanto per farsi rendere giustizia, che per impedire, e cautelarsi dalle molestie, che non di rado vengono suscitate, e specialmente circa gli aggravj, e pregiudizi, che vengono causati agli affidati, che compongono la nostra università contro la forma de' privilegj, che da' sommi pontefici sono stati conceduti ad essi affidati; ordiniamo pertanto, che sempre si tenga stipendiato un legale di sperimentata dottrina, e pratica da eleggersi nella congregazione generale, ed in caso di discrepanza nella congregazione segreta, e sia delli tredici con quell' annuo stipendio, e sia annua provisione, che si giudicherà dalla suddetta congregazione, e sarà peso, e cura del medesimo procuratore di difendere con tutta diligenza, ed attenzione le cause della suddetta università, ed eseguire gli ordini, ed incombenze, che gli verranno date, o sia dalla congregazione generale, o sia dalla segreta, e nelle occorrenze si dia al medesimo anche l'ajuto dell' avvocato, conforme stimeranno più vantaggioso li consoli, o la congregazione segreta.

CAPO XIII.

Del notaro, o sia segretario.

§. 26. Stabiliamo, che la nostra università abbia il suo notaro particolare, o sia segretario, e questo dovrà eleggersi dalla congregazione generale con assegnarsegli quello stipendio annuo che giudicherà proprio la suddetta congregazione. Dovrà questo intervenire alle congregazioni tanto generali quanto segrete, o sia dei tredici, e sarà sua cura, ed incombenza di registrare nel solito libro le risoluzioni, che si prenderanno nelle congregazioni; ed occorrendo all' università di averne delle dette risoluzioni o copia semplice, o copia autentica, dovrà il medesimo darle senza poter prendere emolumento alcuno: non potendo poi intervenire personalmente dovrà farlo per mezzo del suo sostituto, e altro giovane pratico. De notario sive secretario.

CAPO XIV.

Del mandataro.

§. 27. Siccome per intimare le congregazioni tanto generali, quanto segrete, che si terranno dalla nostra università è necessario di avere un mandataro, che possa a ciò supplira; stabiliamo perciò, che venga scelto un mandataro Capitolino ad arbitrio della congregazione segreta, con assegnarsegli quell' annuo emolumento, che si crederà proprio, e doveroso; ed obbligo preciso di esso mandataro sarà d' intimare non meno le congregazioni generali, quanto le segrete, o sia dei tredici, e tutti quelli che dovranno intervenire alle suddette congregazioni a tenore degli ordini, che se gli daranno dalli consoli. De ministro.

CAPO XV.

Della colletta, o sia tassa.

§. 28. La necessità di supplire alle spese occorrenti per servizio della nostra università, alle quali contribuire debbano tutti gl' individui della medesima fece sì, che sino dalla sua erezione fosse stabilita la tassa di un paolo per ogni centinaro di bestie minute, ed a proporzione dalle dieci sino alle cento, e dalle dieci in giù niente da pagarsi da tutti gli affidati; a De taxa a congregatis solvenda.

quantunque alcuni affidati della dogana di Viterbo ricusassero anni sono di pagare la detta tassa, nondimeno vi furono poscia obbligati con sentenza di monsignor tesoriere emanata li ventiquattro agosto mille settecento cinquantuno, e passata in regiudicata; sebbene in una particolar congregazione della nostra università fosse accordata ai medesimi la minorazione di detta tassa in ragione di giulj cinque per ogni migliajo di bestie minute, e così di un grosso per ogni centinaro ed a proporzione dalle dieci sino alle cento, e dalle dieci in giù niente; coll' obbligo però di accrescerla a proporzione in qualunque occorrenza della medesima università. Vogliamo, ed ordiniamo, che la suddetta tassa nel modo suddetto da tutti gli affidati sì presenti, che futuri si debba onninamente pagare in mano del rispettivo cassiere della dogana del Patrimonio di Roma, o di Viterbo nell'atto che prendono in dogana la bolletta del passo, o in altro tempo, che paresse più proprio alla congregazione della nostra università, o in mano del camerlengo, o di altra persona che si giudicasse propria di esigere tali tasse tanto in Roma, quanto in Viterbo coll' assegnamento d' un' onesta ricognizione ad arbitrio della congregazione o generale, o segreta. Rispetto poi agli affidati di Roma che non sono soggetti a prendere la bolletta dal cassiere della dogana del Patrimonio per motivo, che non sanno condurre le loro masserie fuori della stanga, vogliamo, ed ordiniamo, che dai medesimi si paghi la tassa in mano del camerlengo, o di altra persona da deputarsi ad arbitrio della congregazione o generale, o segreta come sopra, e contro li debitori morosi, che o non pagassero, intieramente, come anche contro quelli debitori per le tasse arretrate degli anni scorsi si debba procedere per l' esazione di detta tassa manu regia, et more camerali senza strepito, e figura di giudizio.

CAPO XVI.

Dell' osservanza degli statuti, e delle risoluzioni della congregazione.

De observantia statutorum et resolutionum congregationis. §. 29. Essendo li presenti statuti diretti al buon regolamento degli interessi della nostra università sì in genere, che in specie, a tutto ciò, che risolvesi nelle congregazioni tende sempre al maggior vantaggio, ed utilità di tutti; quindi vogliamo, ed ordiniamo che da tutti e singoli affidati debbano sempre esattamente osservarsi li presenti statuti, ed altresì osservarsi tutte le risoluzioni, che si prenderanno dalla congregazione della nostra università intorno agli affari, ed interessi comuni della medesima università. E qualora si trovassero alcuni mancanti all' osservanza delli nostri statuti e delle risoluzioni prese dalla congregazione, sia in facoltà della congregazione generale dichiararli esclusi dall' intervenire alle congregazioni o in perpetuo, o ad tempus, come meglio crederà espediente.

CAPO XVII.

Che ne' casi non previsti debbasi stare allo statuto di Roma.

§. 30. In tutti quelli casi, nei quali nei presenti statuti non si è particolarmente provvisto stabiliamo, che si proceda da simile a simile, e dove affatto non se ne fa menzione si proceda secondo l' ordine, e forma prescritta dalli statuti di Roma, e dove finalmente detti statuti non dassero regolamento si debba procedere secondo la disposizione di ragione. De casibus non previsis.

CAPO XVIII.

Del modo di derogare, ed aumentare li presenti statuti.

§. 31. Le variazioni de' tempi, e futuri accidenti sogliono apportare necessariamente mutazione de' costumi; onde occorrendo urgentissima necessità a favore, ed in beneficio della nostra università ad alcuno benchè minimo capitolo de' presenti statuti, o farne di nuovo, ovvero in qualsivoglia modo aggiungere, e dichiarare, supplire, ed alterarsi, statuimo, ed ordiniamo, che non si possa fare, se prima non sarà vinto il partito sopra tal atto in due congregazioni segrete dalli due terzi de' voti in essa presenti; e poi sia vinto ancora un tal partito in una congregazione generale parimente da due terzi de' voti in essa presenti, ed in questa forma, e non altrimente si possano alterare detti presenti statuti in tutto, o in parte, con rogarsi il nostro notaro di detta alterazione, e precise parole, e capitoli, che saranno stabiliti dalle dette congregazioni, e prodotti statuti, De variatione statutorum.

servato però in tutti i suddetti casi quanto si prescrive dallo statuto di Roma al libro III. capo XIII.

Confirmatio apostolica. §. 32. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes statuta hujusmodi, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati praeinserta statuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus.

Clausulae salutares, et irritantes. §. 33. Decernentes easdem praesentes literas, et statuta praeinserta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 34. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae urbis, et universitatis hujusmodi, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima martii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DXL.

Dat. Romae 11. martii 1785. Anno XI.

Statuitur, ut exceptis diebus in quibus jejunium servare ex suis constitutionibus tenentur cibis, quibus omnes in Ecclesia fideles utuntur, clerici congregationis ss. Crucis, et Passionis vesci possint, atque in dictis diebus ovis, et lacticiniis uti valeant.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Post constitutionem Nostram, quae incipit « Praeclara virtutum exempla » decimo septimo kalendas octobris anni MDCCLXXV. datam, in qua institutum, ac regulas dilectorum filiorum Nostrorum clericorum excalceatorum congregationis sanctissimae Crucis, et Passionis Domini Nostri Jesu Christi apostolica auctoritate confirmavimus, dilecti filii ejusdem congregationis clerici in capitulo generali mense aprili anni proxime praeteriti habito, rationem investigare voluerunt, propter quam fieret, ut sua congregatio non augeatur illo idoneorum religiosorum numero, ut per eos novae possint fundari, quae variis expetuntur in locis suorum, ut vocant, recessuum domus, imo non pauci ex suis operariis morbos contrahant, ac demum viridi adhuc aetate nonnulli occumbant, et juvenum multi, qui studiis dant operam, ob male affectam valetudinem relicta congregatione ad saeculum revertantur; quorum infaustis deterriti casibus, alii, qui hujusmodi institutum inire cuperent, facile ab illo capessendo dimoventur. Tum illi bisce perpensis ipsa aliquot annorum experientia jam edocti, hanc horum omnium deprehenderunt esse causam, nimirum quod diebus per suas regulas praescriptis plerumque desint sibi salubres pisces, sitque etiam ovorum, et lacticiniorum magna multis per annum mensi-

bus penuria; propterea que crebro iis uti cogantur cibis, qui valetudini plurimum, tuendisque viribus adversentur. Cum de hac causa minime illi dubitandum esse agnovissent, necessarium tunc sibi capiendum esse consilium judicarunt, ut hunc rerum suarum statum apostolicae Sedi referrent; habebant enim prae oculis, quae illa nostra praescribit constitutio, ut siquae decursu temporis immutanda, resecanda, addendave, experientia suadente, viderentur, ad apostolicam Sedem relatio fieri deberet.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos harum rerum momenta cognoscentes, valdeque cupientes, ut religiosorum in hac congregatione numerus exerescat, in qua plurima vigent exempla christianarum virtutum, ac ejusmodi operum, unde multa in Christifidelium animas emolumenta derivantur; maturo consilio in eam devenimus mentem non solum ferendum non esse, ut vix exortus tam utilis clericorum coetus imminuatur statim, ac pereat, verum etiam, ut ejusdem tam laudabilis actionum, laborumque cursus, ullo impedimento possit intercipi. Itaque moderandam esse censentes illam regularum circa ciborum genera praescriptionem, per has ce Nostras in forma Brevis literas, apostolica auctoritate volumus, ac decernimus, ut exceptis diebus illis, in quibus praescriptum a suis regulis jejunium servare tenentur, caeteris per hebdomadam diebus iis vesci cibis liceat, quibus omnes in Ecclesia fideles communiter vescuntur: nec non ut etiam ipsis jejuniorum regularium diebus (semper exceptis ab Ecclesia omnibus fidelibus praescriptis jejuniis) uti possint et valeant ovis, et lacticiniis. Cum autem ex eisdem regulis a Nobis, ut supra confirmatis, nocturnas vigilias in divino officio, ac aliis specialibus exercitiis persolvendis ad plures horas per maximam anni partem produci cognoverimus, ne dandum necessariis studiis tempus deesse possit, per easdem Nostras praesentes literas volumus, statuimus, atque sancimus, ut nunquam per annum nocturnus chorus plusquam ad horam cum dimidio protrahatur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Quae omnia firma, ac rata esse ita volumus, ut nihil quod in contrarium faciat umquam obstare queat. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XI. martii MDCCLXXXV. pontificatus Nostri anno undecimo.

DXLI.

Dat. Romae 19. martii 1785. Anno XI.

Erectio sedis Tarnoviensis

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In suprema beati Petri cathedra meritis licet imparibus divina dispositione locati ad agrum, gregemque Dominicum Nostrae sollicitudini commissum provida mentis acie intendentes congruum, et proficuum arbitramur in partibus illis, in quibus multiplicatis cultoribus uberiorem agri fertilitatem, et abundantiorem gregis propagationem profuturas dignoscimus, sedulam opem, et operam Nostram libentissime impertiri, praesertim vero illustrium, et de ortodoxa fide optime meritorum piis id efflagitantibus votis novas infra regnorum suorum, et ditionum fines episcopales sedes, et cathedrales ecclesias de novo erigere, et instituere non ambigimus, ut partes ipsae per novas erectiones, institutionis hujusmodi praestantioribus titulis decorare toto terrarum orbe celebriores efficiantur, et novus inde universali Ecclesiae decus, et honor accedat, ac novi praesules ipsis sedibus, et ecclesiis deputati, tamquam pastoris gregis, et agri cultoris assiduam, et vigilem praebere valeant custodiam, et culturam; populique eorum curae commissi, tamquam ager Dominicus, et grex per illorum fructuosa ministeria ampliora in spiritualibus, et temporalibus suscipere possint incrementa.

Ad postulationem imperatoris ea erectio perficitur.

§. 2. Cum itaque alias dilectus filius Noster Franciscus tituli sanctorum Nerei, et Achillei Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Herzan de Harras nuncupatus charissimi in Christo filii Nostri Josephi secundi Romanorum, Bohemiae, et Hungariae regis apostolici in imperatorem electi apud Nos, et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius ejusdem Josephi regis, et imperatoris nomine Nobis exposuerit, quod dictus Josephus rex, et imperator ad augenda, utriusque ordinanda spiritualia populorum sibi concreditorum subsidia plurimum cupiebat, ut in parte illa, quae in regnis Galiciae, et Lodomeriae comprehenditur, et in dioecesi Cracoviensi consistit, jam ab eadem dioecesi Cracoviensi dismembrata vi-

gore instrumenti cessionis, et concordiae inter venerabilem fratrem Nostrum modernum archiepiscopum, Gnesnensem, utpote ecclesiae Cracoviensis administratorem una cum dilectis filiis modernis capitulo, et canonicis ecclesiae praedictae ex una, et dilectum filium plenipotentiarium gubernii Caesarei Leopoliensis ex altera partibus confecti, et a Nobis per decretum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae praefatae cardinalium rebus consistorialibus praepositae sub datum diei quintae mensis septembris anni Domini proxime praeteriti approbati, et in ea existente civitate, nempe Tarnoviensi, praevia illius decoratione civitatis episcopalis titulo, et honore nova Sedes episcopalis institueretur, at in infrascripta inibi existens collegiata ecclesia, praevia similiter illius collegialitatis status, et essentiae, nec non dignitatum, et canonicatuum in ea ad praesens existentium titulorum collativorum respective, ut infra perpetua suppressione, et extinctione in cathedralem ecclesiam, etiam perpetuo, ut infra erigeretur, caeteraque alia infrascripta per Nos fierent.

Processus elaboratus a nuncio apostolico pro nova canonica erectione.

§. 3. Nos tam pia dicti Josephi regis, et imperatoris vota obsecundare intendentes, omnibus hisce mature perpensis, dilecto etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in civitate Viennensi Austriae commoranti, successive vigore ejusdem decreti, a Nobis ut praefertur approbati, ut ipse nuncius causis dictarum institutionis, et erectionis illarumque necessitate, et utilitate rite consideratis de illis juxta instructiones in eodem decreto contentas inde referret apostolica auctoritate commisimus. Cumque postmodum ex processu desuper confecto, et a nuncio praedicto ad urbem transmisso, acceperimus, quod ex hujusmodi institutione, et erectione si fierent, quam maximum animarum salutis in praedicta civitate Tarnoviensi, ac parte supradicta habitatorum, et religionis incrementum sit profecturum, nec non quod ad tantum opus feliciter perficiendum, accedentes quoque praedictus archiepiscopus, utpote dictae ecclesiae Cracoviensis administrator, ac praedicti capitulum, et canonici, ut ab episcopali, et praedicta eorum dioecesi Cracoviensi pars illa, quae in regnis Galiciae, et Lodomeriae praedictarum comprehenditur, atque in praedicta Cracoviensi dioecesi consistit, ac infra ejus limites comprehensi decanatus, et parocciae infra expositi, et expositae effectum perpetuo, ut infra dismembrentur respective consenserunt; illisque desuper non tam liberi, quam libenter respective cesserunt.

Civitas Tarnoviensis episcopalis declaratur.

§. 4. Hinc Nos ad hoc, ut dicti Josephi regis, et imperatoris laudabilia perillustrium majorum suorum vestigia prosequentis pia desideria ordinata, et adimpleta remaneant, precibusque ipsius Francisci cardinalis, et administri Nobis hac in parte humiliter porrectis benigne annuere volentes, motu Nostro proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine saecularem, et insignem collegiatam, quae et parochialis existit ecclesiam Nativitatis beatae Mariae virginis in dicta civitate Tarnoviensi existentem, cujus cura animarum dilectorum similiter filiorum parochianorum dictae collegiatae ecclesiae, quae ut praefertur parochialis existit per vice praepositum, aliosque presbyteros in exercitio praedictae curae animarum eidem vice praeposito coadjuvantis modo exercetur, illiusque collegialitatis statum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam collegiatae ecclesiae, nec non dignitatum, et canonicatuum, ac praebendarum in ea ad praesens existentium respective titulos collativos, ita quod illae, et illi ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativae, et collativi esse desinant; ac de caetero, uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, seu de illis quovis modo disponi amplius nequeat, et si illas, et illos deinceps ullo umquam tempore conferri, seu impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones de illis pro tempore quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica auctoritate praedicta perpetuo supprimimus, et extinguimus, illaque, et illis, sic suppressa, et extincta, ac suppressis, et extinctis civitatem Tarnoviensem praedictam in civitatem episcopalem Tarnoviensem quoque nuncupandam cum omnibus, et singulis signis, insigniis, privilegiis, praerogativis, juribus, exemptionibus, honoribus, et facultatibus, quibus aliae in Galiciae, et Lodomeriae praedictarum regnis consistentes civitates episcopali Sede insignitae, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac

uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Erectio collegiatae in cathedralem.

§. 5. Praedictam vero collegiatam, et parochialem ecclesiam, sic ut praefertur, suppressam, et extinctam in cathedralem ecclesiam, quae venerabili etiam fratri nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Leopoliensi suffraganea, eique metropolitico jure subjecta existat sub invocatione ejusdem Nativitatis beatae Mariae virginis, quae etiam parochialis, ut antea existat, et in qua dictorum parochianorum praedictae collegiatae, et parochialis ecclesiae, ut praefertur suppressae, et extinctae, et in cathedralem ecclesiam hujusmodi, ut infra erigendae animarum cura praedicta, ut infra exerceri debeat, et in ea sedem, et dignitatem episcopalem, pro uno deinceps episcopo Tarnoviensi nuncupando, qui eidem ecclesiae Tarnoviensi, illiusque civitati praedictae, et dioecesi etiam Tarnoviensi ei, ut infra assignandae praesit abbates, inferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia, et singula jura, efficia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo infrascripto, nec non arca, mensa episcopali, caeterisque pontificalibus signis, insigniis, juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus reliquae Galiciae, et Lodomeriae regnorum praedictorum episcopalis ecclesiae earum respective praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, seu ex privilegio particulari acquisitis singulari utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum eadem apostolica auctoritate perpetuo erigimus etiam, et instituimus.

Praefiniuntur dignitates capituli.

§. 6. In dicta vero cathedrali ecclesia Tarnoviensi, sic ut praefertur erecta, et instituta unam praeposituram, quae post pontificalem major cum uno canonicatu, et una praebenda pro uno canonico praeposito, qui caput capituli dictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, sic ut praefertur erectae, et institutae existat, iisque gaudeat praeeminentiis, quae sibi de jure competere possunt, et debent, ac unum decanatum, qui secunda cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda pro alio canonico decano, ac unam custodiam, quae tertia respective dignitates in dicta cathedrali ecclesia Tarnoviensi, ut praefertur erecta existant cum aliis similiter canonicatu, et alia praebenda eisdem dignitatibus respective invicem perpetuo unitis existituris pro alio canonico custode, etiam respective nuncupandis, ac reliquos quatuor canonicatus, totidemque praebendas pro aliis quatuor futuris mere canonicis ejusdem cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, sic ut praefertur erectae, et institutae, qui una cum quatuor vicariis, seu curatis praeter nonnullos alios clericos, seu presbyteros eidem cathedrali ecclesiae Tarnoviensi, sic ut praefertur erectae, et institutae inservientes novum dictae cathedralis ecclesiae, sic ut praefertur erectae, et institutae capitulum constituere, et componere, ac quorum unus ex praedictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis, ut praefertur erectae, et institutae canonicis una cum quatuor vicariis, seu curatis praedictis curam animarum dictorum parochianorum praedictae collegiatae, et parochialis ecclesiae, ut praefertur suppressae, et extinctae, etiam in cathedralem, quae etiam parochialis, ut antea existat ecclesiam, ut praefertur erectae, et institutae, ut antea exercere respective debeant; quique capitulum, et canonici praedicti in eadem cathedrali ecclesia Tarnoviensi, sic ut praefertur erecta, et instituto singulis diebus horas canonicas tam diurnas, quam nocturnas, aliaque divina officia devote, ac cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, divinisque officiis, tam diurnis, quam nocturnis hujusmodi interesse, ac alias eidem cathedrali ecclesiae Tarnoviensi, sic ut praefertur erectae, et institutae laudabiliter deservire teneantur, similiter cum choro, stallo, arca, et sigillo communibus, aliisque signis, et insigniis cathedralibus, ac omnibus, et singulis privilegiis, et praerogativis gaudere possint, et valeant, quibus aliarum ecclesiarum in Galiciae, et Lodomeriae regnis praedictis consistentia capitula, et canonici, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari, similiter acquisitis gaudere solent, et possunt ad Dei omnipotentis laudem, et gloriam, dictaeque beatae Mariae virginis honorem, et fidei catholicae exaltationem apostolica auctoritate praedicta, itidem perpetuo respective quoque erigimus, et instituimus.

Praeceptum de erigenda praebenda theologali, et poenitentiaria.

§. 7. Volentes, et eadem auctoritate statuentes quod futurus episcopus Tarnoviensis in dicta cathedrali ecclesia, sic ut praefertur, erecta, et instituta unam theologalem, et alteram

poenitentiariam respectiva praebendas ad praescriptum concilii Tridentini erigere, et instituere curet, ejusdem futuri episcopi Tarnoviensis conscientia desuper onerata remanente.

Constituit territorium novae ecclesiae.

§. 7. Ac insuper, ut praedictae ecclesiae episcopalis Tarnoviensis per Nos, sic ut praefertur erecta dioecesi, nec non clerus, et populus constitui possit pro limite dictae dioecesis Tarnoviensis partem supradictam, quae in dictis Galiciae, et Lodomeriae regnis consistit, et infra terminos dioecesis Cracoviensis in regno Galiciae rite huc usque clausa, et comprehensa, ac ab eadem Cracoviensi dioecesi vigore instrumenti praedicti per Nos, ut praefertur approbati, jam dismembrata fuit, et in qua decanatus, et paroeciae infrascriptae siti, et sitae reperiantur videlicet. In decanatu Villae *Piltensi*, una Tarnow, ac alia Lisia Gora, Wotrzychovice, Zbyttowska Gora, Plesna, Pimiechow, Brzozowa, Gromnik, Porzba, Piotrkovice, Lakavica, Tuchow, Skrzyszow, Byglice, Lzynwald, Zalas Sowa, Sastrzalia, Sastrzecin, Pilsno, Lesli, Maslowa, Zwiernik, Lubczo, Iwkow, Iodlowka. In decanatu vero *Rodomysliensi*, una Radomysl, ac alia Greboszaw, Otuinow, Zabno, Oporyszow, Olesno, Boleslaw, Dabeowa, Luszovice, Radgoszcz, Zdrarzec, Slupico, Szczucin, Wadowice, Zgursko, Borava, Xiaznice, Przeclaw, Zassow, ac reliqua Czermin. In decanatu *Ropczycensi*, una Nocslowa, ac alia Mala, Daebica, Wielopolw, Laczbl, Gumniska, Brzezyny, Siedliska, Pstragowa, Pora, Ropczyce, Lubzina, Zawada, Brzeznica, Dobrhow, Michocin, Widovies, Trzesn, Porzyce, Wrzawes, Pniow, Radomysl, Zaleszany, Turbia, Pysznica. In decanatu *Rudnicensi*, una Gorno, ac alia Ierzowa, Raclawice, Rudnik, Lgefounia, Bieliny, Ulanow, Praebow, Rozwadow, Plogow, Morowia, Sedziszow, Trzciana, Zglobien, Przeurotne, Ranizow, Mavelan, Dzikovice. In decanatu *Deboviensi* una Neozmigrod, ac alia Vetero Zmigrod, Nienaszow, Kobylany, Osiek, Vietrzno, Dulha, Samobleshi, Debovice, Lezyny, Zaiacre, Cieblin, Osobnica, Zrezin, Lubienko, Iedlicze. In decanatu *Jaslensi* una Iaslo, ac alia Watzice, Reboice, Tarnovice, Saiaceaby, Serziny, Olpyny, Binarowa, Slawaecin, Crciennica, Czernina, Rzpiennik, Baczal, Sloiaszice, Biezciziedra, Lubla, Rozembarsl. In decanatu vero *Biecensi* una Biecz, ac alia Zbroovice, Sralowa, Polna, Kobylansla, Libusza, Luzna, Moszorenica, Zagorzany, Gorlice, Szymbarsl, Sekowa, Ropa, Turza, Siashowsle, Lipinsli, Harblowa, Trysitasl, Crudecz, Polomia, Niebylec, Stroyszow, Laesli, Laczhi, Dobrzechow, Niewodna, Brzostek, ac alia Gogolow, Iodlowa, Lufta, Perzeczyca Rezesha, Kiecie. In decanatu vero *Sandecensi*, una Neosnodecz, ac alia Wieloglowes, Mysthow, Zelezoi Kowa, Nawoiowa, Biegunice, Kamienka, Limanowa, Mecina, Pisarzowa, Chomranice, Ujennovice, Iakubkovice, Tegoberza, ac reliqua Zbyszyce. In decanatu *Bobovicensi* una Bobowa, ac alia Lipnica, Mogilno, Lorzenna, Struzlowa, Grybow, Ptaszhowa, Podolan, Roznow, Torpie, Iastrzebia, Brusnik, Ciezkovice Wilczyska, ac reliqua Siedlece. In decanatu *Lonocensi*, una Saczko, ac alia Slamienna, Przyszowa, Iazowsko, Czarnypotojl, Podegrodzie, Vetero Sandecz, Piunieczna, Meyzyna, Dylicz, Barczyce, ac reliqua Lubovico. In decanatu *Neoforiensi* una Nowis Targ, ac alia Sraflary, Kibosrowa, Kammienica, Maniovy Kroscienslo, Tylmanowa, Ocholniw, Harkawa, Osbrowslo, Bislha, Gudziemien, Czarnydonayee, ac reliqua Chocholow. In decanatu *Tymbargensi*, una Timbarg, ac alia Napnice Olpowka Niedzuiedzsew, Poreba, Mszana, Dobra, Wilhovishv, Skrzydlna, Gososina, Mon. S. Joannis, Schik, ac reliqua Riibie. In decanatu *Scepusiensi* una Gnezda, ac alia Vetroiubla, Hobgard, Neolubla, Rusbach inferior, Ruzbac superior, ac reliqua Podolinum. In decanatu *Myslediensi*, una Mylenice, ac alia Spythowice, Jordanow, Lachownia, Rabba, Raba superior, Lubien, Peim, Sulhowice, Trzebania, Harbuhoviw, Lanckorona, Szdebnik, Krzywaczsla, ac reliqua Iawornik. In decanatu *Scovinensi* una Skavina, ac alia Poblerd, Hetacein, Radaieszowshawola, Radzieszow, Tynice, Gay, Mogielany, Glogazow, Zobrzydovice, Leneze, Przytkowice, Mareyporaeba, Barwald, Stryszow, ac reliqua Kecza. In decanatu *Vadoviensi* una Wadovice, ac alia Witanovice, Tluczan, Ryczow, Woznibi, Spythovice, Palcovice, Zather, Hraiysazw, Trydrychovice, Choczmia, Inwald, Wieprz, Indrichow, Gieraltovice, Glabovice, Piotrovice, Polanka, Przeciszow, ac reliqua Radocza. In decanatu *Osviecimensi* una Oswiecim, Wiosiennzia, Porebamagna, Grojce, Osiek, Javiszovice, Bestvina, Dankovice, Staravies, Kumorovice, Lipnik, Czaniec, Zozy, Pisarzowice, Keby, Bielany, Witkowice, Nidek, ac re-

liqua Willamovice. In decanatu *Zwiecensi* una Zzwiee, ac alia Milowka, Radziuhowy, Cieucina, Lodygovice, Rychwald, Ielesnin, Slomien, Sucha, Skzezow, Machow, Sidzina, Skavica, Zembrzyce, ac reliqua Mukarz. In decanatu *Vielyciensi*, una Wielicza; ac alia Podsolice, Kostowle, Biezanow, Bodranow, Bishupice, Lazaoy, Niegovice, Brzezie, Niepolemice, Zabiezów, Grabie, Siepraco, Dliekanowice, Zsbliezyn, Gdow, Mihluszowice, ac reliqua Ludvinow. In decanatu *Bochnensi*, una Bochnia; ac alia Trzemesna, Droginia, Dobezyce, Wisniowa, Radziechowy, Graszow, Tarnawa, Lapanow, Sobolow, Trzciana, *Zegoci*na, Pogwisdow, Laprzyce, Cheim, Krolonka, Raybrał. In decanatu *Breslensi* una Brzesko, ac alia Wisniez antiqua, Chronow, Wisnicznowa, Brzeznica, Lipnica, Woiakowa, Iwkowa, Poreba Spitkonis, Gobrzydowa, Tymowa, Uszew, Gnoynik, Ezchow, Pomoslavice, Zlota, Porebha, Melszyn, Gwozdziec, Jablieżyn, Otszyny, Paleeznica. In decanatu *Voyniecensi*, una Voynietz, ac alia Radlow, Dembno, Szezepanow, Solneksice, Borzecinco, Strzelce, Jadonnibi, Jasien, Rzezawa, Szezurowa, Cerebiew, Ohulice, Wieirzychovice, Krzyrzanovice, respective nuncupatae, etiam respective existunt apostolica auctoritate praedicta perpetuo, quoque dismembramus, dividimus, et separamus, ac insuper in dicta parte, et in ea respective contentis decanatibus, ac paroeciis, sic ut praefertur, respective dismembratis, divisis, et separatis, respective contentos utriusque sexus habitatores, incolas, et personas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque, non tamen exemptos cujuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria dicti moderni archiepiscopi Guesnensis, utpote dictae ecclesiae Cracoviensis administratoria hujusmodi, ejusque etiam modernorum ecclesiae Cracoviensis praedictae capituli, et canonicorum praedictorum, cujus et quorum expressus ad id accedit assensus, ac illius, et illorum respective successorum, nec non pro tempore existentis episcopi Cracoviensis jurisdictione, potestate, superioritate, et auctoritate dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo dictae apostolicae potestatis plenitudine pari disjungimus, et eximimus, nec non praedictam civitatem Tarnoviensem in civitatem episcopalem per Nos, ut praefertur erectam, eamdemque partem, et in ea comprehensos, et comprehensas decanatus, et paroecias hujusmodi, sic ut praefertur respective dismembratam, ac dismembratos, et dismembratas, et a praedicta dioecesi Cracoviensi, etiam respective dismembratam, divisam, et separatam, ac dismembratos, divisos, et separatos, nec non dismembratas, divisas, et separatas, ac omnes, et singulos in eis respective, ut praefertur, contentos utriusque sexus habitatores, incolas, et personas tam laicos, quam clericos, et presbyteros, ac beneficiatos, et religiosos non tamen exemptos praedictos, ac similiter, ut praefertur disjunctos, et exemptos, novae ecclesiae episcopali Tarnoviensi, illiusque futuro, et pro tempore existenti praesuli pro sua civitate, territorio, et dioecesi in quibus semper residere debebit, nec non pro suis clero, et populo apostolica auctoritate praedicta, etiam perpetuo concedimus, et assignamus. Ac respective ordinariae ejusdem pro tempore futuri episcopi Tarnoviensis jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati; ita quod liceat personae eidem ecclesiae Tarnoviensi tam nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum praeficiendae per se vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, et actualem, ac corporalem possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in dicta civitate Tarnoviensi in civitatem episcopalem, sic per Nos, ut praefertur, erecta, totaque dioecesi Tarnoviensi, ut praefertur, concessa, et assignata propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Guesnensis, utpote dictae ecclesiae Cracoviensis administratoris praedicti, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo supponimus, atque subjicimus.

§. 8. Et insuper mensae episcopali ipsius cathedralis ecclesiae Tarnoviensis per Nos, ut praefertur erectae, et institutae pro illius dotatione ad hoc, ut itidem novus, et pro tempore futurus episcopus Tarnoviensis statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius sustinere valeat annuam summam decemmillium florenorum Rhenensium per dictum Josephum regem et imperatorem illi perpetuo, ut etiam accepimus, constitutam, et

Dotatio novae mensae.

ab omni, ac quocumque onere prorsus liberam, immunem, et exemptam, ita ut dictus Josephus rex, et imperator expensis consistorii, illiusque expeditionibus, aliisque liberaliter prospexerit simili apostolica auctoritate pariter perpetuo approbamus, et constituimus. Ipsique novo, et pro tempore futuro episcopo Tarnoviensi, ejusque in dicto episcopatu Tarnoviensi successoribus pro sui, et pro tempore existentis episcopi Tarnoviensis commoda, decentique habitatione aedificium satis commodum, et sufficienter instructum in dicta civitate Tarnoviensi situm, et ab eodem Josepho rege, et imperatore jam ad hoc, ut pariter accepimus, designatum perpetuo quoque addicimus et adscribimus.

Dotatio capituli.

§. 9. Ac praeterea, ut dignitates, ac canonicatus dictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae de congrua etiam, et eorum respective dotatione provideantur, illaeque, et illos pro tempore respective obtinentes onera, et obligationes eis respective incumbentia supportare valeant, dictae praepositurae, eique adnexo, videlicet, unam, mille; ac decanatui eique similiter, adnexo aliam aliorum mille; ac custodiae dignitatibus praedictis, eique pariter, ut praefertur adnexo canonicatibus praedictis, aliam aliorum mille; cuilibet vero reliquorum quatuor ex septem canonicatibus, ut supra erectis aliam octingentorum, quorum tamen illi qui simul, et vicarii generalis munere pro tempore fungetur, quique perpetuo de gremio capituli dictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis per Nos, ut praefertur, erectae, et institutae desumi debeat, comprehensis suis canonicatu, et praebenda alias respective annuas summas duorum millium florenorum dictae monetae pro illarum, et illorum respective praebendis similiter a dicto Josepho rege, et imperatore, jam ut pariter accepimus perpetuo constitutas, et assignatas, ac per unumquemque ex dignitates, ac canonicatus, et praebendas, sic erectas, et erectos obtinentibus pro tempore futuris ex liberalitate dicti Josephi regis, et imperatoris annuatim respective percipiendas apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque applicamus et assignamus.

Jus condendi statuta capitulo conceditur, cum suis reservationibus, et declarationibus.

§. 10. Eisdemque futuris, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Tarnoviensis per Nos, ut praefertur, erectae et institutae, ut ipsi pro ejusdem sic erectae, et institutae cathedralis ecclesiae, illiusque chori, capituli, rerum, bonorum, et jurium tam spiritualium quam temporalium prospero, feliciquo regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis incumbentium supportatione, ac divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque praesentium, et futurorum exactione, et repartitione, ac perceptione, et divisione, nec non poenarum per absentes, et divinis officiis praedictis suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu, ac singulorum praesentiis, et absentiis notandis, et caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Tarnoviensi per Nos ut praefertur erecta, et instituta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus hujusmodi servandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedicti minime adversantia, et per eumdem pro tempore futurum episcopum Tarnoviensem prius examinanda, et approbanda edendi, et edita declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo ex integro condendi eisdem tamen sacris canonibus, ac constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedicti minime adversantia, et per ipsum episcopum Tarnoviensem, ut praefertur prius examinanda, et approbanda, ac per eos ad quos spectat et pertinet, ac pro tempore spectabit, et pertinebit observanda sub poenis in contrafacientes statuendis plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impartimur.

Jus nominandi episcopum et canonicos imperatori reservatur.

§. 11. Ac ulterius eidem Josepho regi, et imperatori, ejusque in regimine dictae partis successoribus jus nominandi, seu praesentandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure praefixum ad dictam episcopalem ecclesiam Tarnoviensem per Nos, ut praefertur erectam, et institutam, tam pro hac prima vice, et a primaeva illius erectione,

et institutione hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps, et quoties eam pastoris solatio hujusmodi destitui contigerit personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi eidem episcopali ecclesiae Tarnoviensi in episcopum praeficiendam, eodem prorsus modo, quo episcopi aliarum ecclesiarum in praedictis Galiciae, et Lodomeriae regnis existentium ad nominationem, seu praesentationem eamdem a Sede apostolica praefici consueverunt; eodemque, ac simili modo aliud jus nominandi, seu praesentandi ad dignitates, ac canonicatus, omniaque alia beneficia ecclesiastica in capitulo ipsius cathedralis ecclesiae Tarnoviensis sic, ut praefertur, erectae, et institutae etiam sic, ut praefertur, erectas, et erecta hujusmodi, tam pariter hac prima vice, et a primaeva illarum, et illorum erectione, et institutione per Nos, ut praefertur, factis, vacantes, et vacantia, quam etiam deinceps quoties illas, et illos, ac illa ex personis eas, et eos, ac ea pro tempore respective obtinentibus quovis modo vacare contigerit, pari apostolica auctoritate itidem perpetuo reservamus.

Clausulae salutares quibus omne juris remedium submovetur.

§. 12. Decernentes praesentem Nostrum motum proprium, et easdem praesentes semper, et perpetuo validum, et efficacem, et firmum, ac validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel quolibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanaverint adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quovis alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis servanda, et adimplenda, servata, et adimplata non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel de facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, et aliis superius expressis nullibi appareret, aut alias probari possit, notari, impugnari, invalidari, retractari, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illum, et illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, et motu pari, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud umquam posse, neque eumdem Nostrum motum proprium, ac easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum praedictorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus etiam consistorialiter, et ex quibusvis de causis, et sub quibuscumque verborum tenoribus, expressionibus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam si in eis de eisdem praesentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et imposterum edendas comprehendi; sed semper, et omni tempore ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutum, repositum, ac plenarie reintegratum, ac restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 13. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes; sublata

eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritumque, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 14. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra dividi, et distingui prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum, etiam in synodalibus, provincialibus, et generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore quomodolibet concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata praesentibus inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Mandatum de inscribendis mensae redditibus in libris camerae.

§. 15. Volumus autem, quod dicta ecclesia episcopalis Tarnoviensis per Nos, ut praefertur erecta, et instituta juxta redditus praedictos illius mensae episcopali, etiam, ut praefertur applicatos, et assignatos de more ad florenos auri tercentos septuaginta tres cum uno tertio alterius floreni similis taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi debeat.

Deputatio executoris apostolici.

§. 16. Nos autem per easdem praesentes nuncium praedictum in dicta civitate Viennensi Austriae commorantem, ut praefertur in executorem earumdem praesentium, quoad illarum executionem tantum apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium deputamus, nec non eidem nuntio facultatem, ut ipse quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam in hujusmodi executione subdelegare libere, ac licite valeat; eidemque nuncio, seu personae praedictae ab eo, ut praefertur, subdelegandae facultatem quoque, ut ipse, seu ipsa integram praemissorum observantiam, sub quibusvis sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis praecipere, ac etiam super quacumque oppositione adversus eadem praemissa quomodolibet oritura, servatis tamen quae fuerint de jure servanda definitive pronunciare etiam libere, et licite possit dicta apostolica auctoritate pariter concedimus, et impertimur.

Sanctio poenalis.

§. 17. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis institutionis, voluntatis, statuti, dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, approbationis, constitutionis, addictionis, adscriptionis, applicationis, assignationis, concessionis, impartitionis, reservationis, decreti, derogationis, deputationis, alterius facultatis impartitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae, millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, tertio idus martii, pontificatus Nostri anno undecimo.

DXLII.

Dat. Romae 15. martii 1785. Anno XI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui occasione capituli generalis ecclesiae clericorum regularium sancti Pauli Decollati visitaverint.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, capitulum generale clericorum regularium congregationis san-

cti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu domo clericorum regularium congregationis hujusmodi civitatis Bononiensis, prope diem, benedicente Domino, celebrandum sit, Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, animarumque salutem procurandam intenti; omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis domorum clericorum regularium congregationis hujusmodi ubicumque existentibus dominica tertia post pascha, qua inchoabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones quibus concessio allegatur, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XVIII. martii MDCCLXXXV. pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 6. aprilis 1785. Anno XI.

DXLIII.

Confirmantur articula pro collegiis Fuccioli, et Umbriae invicem unitis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Postquam Deo placuit Omnipotenti, qui ex summa misericordia et bonitate sua vocat ea, quae non sunt, tamquam ea quae sunt humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore apostolicae Nostrae providentiae partes in utilitatem, ac incrementum collegiorum, et seminariorum, in quibus adolescentes ad religionem, ad pietatem, et ad rempublicam efformantur, bonisque moribus imbuuntur interponere non destitimus usque libenter apostolicae auctoritatis robur adjicimus, quae ad eorumdem collegiorum, ac seminariorum commoda statuta erant, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Cardinales protectores unionem collegiorum perficiunt ad majorem utilitatem alumnorum, et leges proponunt servandas post unionem.

§. 2. Cum itaque in hac alma urbe Nostra jamdiu erecta sint duo collegia, alterum ss. Joannis, et Caroli Fuccioli nuncupatum Tifernatibus, alterum Umbriae, et Nicolae Lassi pro civibus Fulginatensibus, Narniensibus, et terrae de Colvalenza Tudertinae dioecesis, quorum primi apud Nos, et hanc s. Sedem dilectus filius Noster Vitalianus S. R. E. presbyter cardinalis Borromaeus nuncupatus, et secundi dilectus itidem filius noster Leonardus S. R. E. presbyter cardinalis Antonelli nuncupatus protectores existunt, ac ut facillime adolescentium hujusmodi religioni, bonisque moribus institutioni, et illorum in studiis progressus, nec non eorumdem collegiorum rei familiaris accuratiori administrationi consultum esset de horum collegiorum unione diu inter memoratos cardinales protectores deliberatum fuerit, tandem ad unionem hujusmodi perficiendam fuerunt haec conventa articula tenoris, qui sequitur.

Statuitur quod institutorum voluntas servetur etiam in volita unione collegiorum.

§. 3. I. Che non s' intenda con questa unione per verun conto cambiata la volontà, e la disposizione de' fondatori de' suddetti collegj, al di monsignor Giovanni Antonio Fuccioli, e del suo testamento del 1646. al di Giovan Carlo Lassi, e del suo testamento del mille seicento ottantatrè, ma restino intieramente salve ed illese, le loro disposizioni, non tanto per la piena esecuzione della loro volontà, quanto anche per la conservazione delle nomine di tutti quelli, che ne hanno il diritto: eccettuate soltanto quelle mutazioni, dichiarazioni, e disposizioni che già vi sono state fatte con autorità pontificia, ed eccettuato parimente tutto ciò, che per l' unione da farsi di questi due collegj, non fosse conciliabile colla volontà de' medesimi fondatori.

Post unionem unum corpus collegia efformant, cum

§. 4. II. Che dopo l' unione non debbansi più considerare questi collegj per due corpi separati, ma si abbiano da riguardare per un

confusione privilegiorum.

collegio solo, e che tra gli alunni non vi sia veruna diversità, o distinzione, ma tutti sieno membri dello stesso corpo governati dai medesimi superiori, colle stesse regole, e con una egual disciplina. Da quelli bensì, che hanno il diritto di nominare, come ancora nella elezione de' luoghi liberi, si debba sempre attendere ai requisiti necessarj, e prescritti dalle respettive fondazioni senza la prova de' quali non sieno i giovani ricevuti in collegio. Ma ammessi che saranno, debbano rimanere soggetti alle regole, e leggi di tutti gli altri.

Novum collegium nuncupatur Umbro Fuccioli, et Niceta Lassi.

§. 5. III. Che il nuovo collegio debba denominarsi collegio *Umbro Fuccioli, e Niceta Lassi*, e che debba avere un solo cardinale protettore, il quale debba invigilare per l'esecuzione della volontà de' pii fondatori, per l'amministrazione delle rendite, conservazione de' fondi, educazione de' giovani o tutt' altro che può al governo de' medesimi collegj appartenere, com'è stato sempre praticato per lo passato. E quindi l'eminentissimo signor cardinal Borromeo, a cagione ancora delle frequenti sue abituali indisposizioni, ha volontariamente rinunziata in mano di Sua Santità la protettoria del collegio Fuccioli, supplicandola a riunirla con quella del collegio dell' Umbria, e di Niceta Lassi, che tiene l'eminentissimo signor cardinal Antonelli.

Praecipitur descriptio bonorum unitorum.

§. 6. IV. Che debbano descriversi tutti i beni dell' uno, e dell' altro collegio, e dichiararsene la provenienza in due separati inventarj, affinchè in qualunque tempo si riconosca la derivazione de' beni delle respettive fondazioni, e inoltre, perchè, o accrescendosi, o diminuendosi per qualunque causa le rendite dell' uno, o dell' altro collegio, debba anche diminuirsi, o accrescersi respettivamente il numero de' giovani delle corrispondenti fondazioni.

De segregatione administrationis respectivorum bonorum.

§. 7. V. Saranno anche tenuti separatamente i libri delle rendite di ciascheduno collegio, ad effetto che l'erogazione sì dell' uno, che dell' altro si faccia sempre secondo la disposizione de' fondatori, e a vantaggio degli alunnati da loro istituiti.

De loco in quo novum collegium erit recipiendum.

§. 8. VI. Che essendo molto più ampia, meglio situata, e più decente la fabbrica del collegio dell' Umbria, si debba in essa trasportare il collegio Fuccioli, e quivi stabilirsi il nuovo unito collegio.

De compensatione praebendae ab collegio Fuccioli.

§. 9. VII. Che ritraendo il collegio Fuccioli da questa traslazione un notabile vantaggio, non meno pel suo ampio, e più comodo collocamento, ma ancora per l'annuo utile, che può ricavare dall' affitto, o vendita della casa, ove presentemente esiste, perciò si conviene, che dalle annue rendite del collegio Fuccioli si passino ogni anno in profitto del collegio dell' Umbria scudi cento a titolo di compenso di pigione, ed il rimanente della spesa per il mantenimento de' ministri, e salariati, per il vitto degli alunni, e per utensili, e tutt' altro, che può occorrere, si faccia in comune dalle casse d' ambedue i collegj, colla dovuta proporzione però, secondo il numero de' rispettivi alunni d' ambedue le fondazioni; cosicchè essendovi presentemente quattro alunni della fondazione di Gio. Carlo Lassi, e sei di quella di monsignor Gian. Antonio Fuccioli, quattro parti della spesa vadano a carico della prima, e sei a carico della seconda fondazione, e questa proporzione si osservi anche in avvenire, se si accrescessero, o diminuissero i rispettivi alunni.

De frequentatione scholarum in collegio Romano.

§. 10. VIII. Che gli alunni debbano andare alle scuole del Collegio Romano, come sempre hanno fatto per lo passato, e finalmente che l'eminentissimo protettore debba conciliare insieme le regole, che già vi sono dell' uno, e dell' altro collegio per formarne una nuova compilazione adattata alle circostanze, e diretta alla buona educazione della gioventù, secondo la mente de' pii fondatori.

Confirmatio apostolica.

§. 11. Cum autem sicut memorati cardinales Nobis subinde exponi fecerunt ipsi articula hujusmodi, quo firmius subsistant apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent; Nos illorum curis, ac sollicitudinibus, quantum cum Domino possumus adesse cupientes; eorumque votis annuere volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, articula praeinserta auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes easdem praesentes literas, ac statuta praeinserta semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos

etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 13. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, nec non dictorum collegiorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 8. aprilis 1785 Anno XI.

DXLIV.

Imminutio festorum in abbatia, seu loco de Balsain Nullius dioecesis provinciae Toletanae.

Dilecto filio abbati saeculari insignis collegiatae ecclesiae sanctissimae Trinitatis loci de Balsain Nullius dioecesis provinciae Toletanae.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Cum, sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum, oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ea propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quosd integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem discretioni tuae innotuit, quod in abbatia hujusmodi, adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; discretioni tuae per praesentes committimus, ut, veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus abbatiae praedictae existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus Dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae paschatis Resurrectionis, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, ac commemoratio-

nis omnium sanctorum: praeterea quinquedicatis beatae Mariae virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ulla prorsus conscientiae scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, ac mandes.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non abbatiae praedictae, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo roboro permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontific. Nostri anno XI.

DXLV.

Dat. Romae 18. aprilis 1785. Anno XI.

Facultas magno magistro hospitalis Hierosolymitani confirmandi nonnullas conventiones quoad erectionem novae linguae Anglo-Bavarae.

Dilecto filio magno magistro hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Salutem, et apostolicam benedictionem.

Exponitur justitia, et prudentia initae conventionis. §. 1. Ea est rerum humanarum conditio, ut raro contingat plura tam scite prudenterque constitui quin brevi declarari, aut reformari, vel etiam immutari debeant; id sane in nova erectione, et constitutione linguae Anglo-Bavarae istius hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani evenisse constat, licet quippe pacta tunc conventa per Nostras literas sub plumbo datas fuerint confirmata, conditionibus tamen tunc dispositis modus aliquis, nunc desideratur conventione adjecta, quod scilicet capsa administrationis alias conventione constituta deinceps ab omni rata portione responsionis absoluta sit, ut dignitates, ac praeceptores, seu commendatarii, quos vocant majores, a solutione cujuscumque responsionis pro primo quinquennio jam usque a die festo s. Michaelis archangeli anni MDCCLXXXIII. incoepto eximantur. Ut insuper quinquennio hujusmodi elapso dignitates, ac praeceptores, seu commendatarii praedicti imposterum responsiones in summa, et quantitate, ac juxta formam in dicta conventione praescriptam, nulla prius facta detractione quantitativi respondentis bonis reservatis pensionibus favore individuorum suppressae societatis Jesu omnino persolvere teneantur; ut demum praeceptores, seu commendatarii hujusmodi, nedum ad obtinendas praeceptorias, seu commendas, ac dignitates hospitalis praedicti, sed ad omnem, et quemcumque effectum capaces haberi, et censeri debeant in omnibus; et per omnia perinde, ac si in dicto primo quinquennio responsiones praedictas persolvissent; quin aerarium hospitalis praedicti ullo umquam tempore pro responsionibus hujusmodi, aut contra capsam administrationis, aut contra dignitates, ac praeceptores, seu commendatarios praedictos agere possit, aut valeat.

Postulatur apostolica confirmatio, quae conceditur. §. 2. Cum autem pro parte dilectissimi in Christo filii Nostri Karoli Theodori ducis Bavariae S. R. I. principis electoris, et comitis palatini, Nobis nuper humiliter supplicatum fuit, ut has novas pactiones, quas tecum paci-

sci curat non secus, ac conditiones, quibus alias, ut praefertur, lingua Anglo-Bavara praedicta fuit erecta, auctoritatis Nostrae apostolicae robore communiri dignaremur. Hinc cum ratio, et aequitas postulent, ut quemadmodum tunc omnia de consensu dilectorum filiorum consilii hospitalis gesta fuerunt; sic et nunc non nisi audito consilio nova haec pacta, illis superaddantur, praesertim cum id ad jura aerarii dicti hospitalis attineat, cum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tibi habito prius consensu, et approbatione dicti consilii conventiones, et modificationes praedictas cum memorato Karolo Theodoro principe electore, et comite palatino, ita tamen, ut nisi praevio ejusdem consilii consensu circa ea nihil statuere possis, auctoritate Nostra apostolica perficiendi, absolvendi, et stipulandi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Omnibus in contrarium facientibus derogatur.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica; vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 4. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die vigesima sexta aprilis millesimo septingentesimo octoagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DXLVI.

Dat. Romae 24. maji 1785. Anno XI.

Revocatio juris conferendi beneficia ecclesiastica in statu Avenionensi, et comitatu Venaissino, ac almae domus Lauretanae.

Pius PP. VI.

Motu proprio etc.

Enarratio abolitionis consuetudinis cardinalium de latere legatorum Avenionis, et erectionis congregationis particularis Avenionensis

§. 1. Quum alias felicis recordationis Innocentius pp. XII. praedecessor Noster consuetudinem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium ad statum Avenionis, et Venaissini comitatum de latere legatorum aboleverit, ac particularem quamdam aliquot ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, et Romanae curiae praelatorum congregationem usque ab anno Domini 1693. instituerit, per quam novis tunc edendis regulis, ac ordinationibus status, et comitatus praefati imposterum regi, et gubernari deberent; atque inter caeteras dictae particularis congregationis resolutiones illa praecipue circa statum Avenionis, et comitatum Venaissinum praefatos sub die 6. mensis februarii ejusdem anni 1693. capta fuerit, qua statuebatur — *Collationem beneficiorum majorum faciendam esse ab illustrissimo vice-legato cum participatione Sanctissimi, quemadmodum prius fiebat cum participatione cardinalis legati* —; et successive, nonnullis exortis difficultatibus super hujusmodi resolutionis interpretatione, in altera coacta congregatione sub die 14. mensis octobris dicti anni clarior distinctione explicata fuerit nempe — *Beneficia, de quibus dominus vice-legatus ante eorum collationem certiorare debet Sanctissimum dominum nostrum, et pro eo sacram congregationem a Sanctitate Sua deputatam super negociis, et rebus legationis Avenionensis, esse omnes dignitates in metropolitana, cathedralibus, et collegiatis ecclesiis, canonicatus earumdem metropolitanae, et cathedralium, necnon trium majorum collegiatarum Avenionis, et caetera beneficia simplicia excedentia valorem ducatorum vigintiquatuor auri*

Resolutio dictae congregationis super collatione beneficiorum Avenionis.

Declaratio dictae resolutionis.

de camera, super quibus transmittat notam concurrentium cum suis requisitis, ac significet pensionem super iisdem reservari solitam: quoties tamen in collatione praefatorum intrare posset jus praeventionis, liceat eidem domino vice-legato illa statim conferre, reservata tamen pensione pro persona nominanda, si super illis reservari consueverit, et de eadem reservatione debere eumdem dominum vice-legatum similiter certiorem facere Sanctissimum dominum nostrum, et pro eo praefatam congregationem — Juxta quam dictae particularis congregationis sanctionem cardinales pro tempore ejusdem congregationis praefecti eorumdem beneficiorum vacationes, illorumque respective fructus, ac pensiones super iis imponi solitas, necnon requisita, et nomina concurrentium referre consueverunt Romanis pontificibus, qui, prout aequum in Domino judicabant, de ipsis libere disposuerunt: et licet hujusmodi gratiarum concessiones per datariam Avenionis fieri debuissent, veluti forsan ab initio factum fuisse arbitramur; nihilominus post aliquod tempus usus exinde invaluit, quod promiscue tam ab illa, quam a Nostra hic in urbe per literas apostolicas sub plumbo expedirentur.

Cardinales praefecti dictae congregationis vacationes dictorum beneficiorum Romanis pontificibus referre consueverunt.

Quumque subinde dictus Innocentius praedecessor per suam constitutionem, quae incipit — *Sacrosancta redemptionis humanae mysteria* — sub datum apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1698. nonis augusti pontificatus sui anno octavo editam, inter caetera (officio, dignitate, ac denominatione praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium protectorum sanctae domus Lauretanae perpetuo suppressis), alteram particularem congregationem nonnullorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium, dictaeque curiae praelatorum Lauretanam nuncupandam erexerit, illique negocia sanctae domus praefatae, quae antea per ipsos cardinales protectores expediebantur, commiserit, ac circa beneficiorum praefatae sanctae domui annexorum, vel ab ea dependentium collationes statuerit nempe — *Beneficia autem praedicta, et alia quaecumque cum cura, vel sine cura saecularia, et quorumvis ordinum regularia qualitercumque qualificata, et ubique existentia, quae ad collationem, provisionem, electionem, et quamvis aliam dispositionem praefatae domus pro tempore protectoris quomodolibet pertinebant, ordinationi, provisioni, et dispositioni Nostrae, et Sedis apostolicae reservamus* —; atque horum quidem beneficiorum collationes (postquam tamen congregatio ipsa Lauretana dictae congregationi Avenionensi, ut accepimus, unita extitit,) ad relationem dicti cardinalis praefecti juxta praefatum illorum Avenionis usum per datariam apostolicam, (praeter dispositionis beneficiorum manualium, nempe officiaturarum, vicariarum amovibilium, et similium, quae per literas patentes dictae congregationis secretariae), respective expeditae fuerunt.

Alia enarratio suppressionis officii cardinalium protectorum almae domus Lauretanae, et erectionis congregationis Lauretanae.

Reservatio beneficiorum dictae almae domus ab Innocentio XII facta.

Beneficia dictae sanctae domus etiam ad relationem dictorum cardinalium praefectorum post utriusque congregationis unionem collata fuerunt.

Nos igitur, qui inter innumeras imminentes curas pro pastoralis officii Nostri debito, illam propenso, atque studioso amplectimur animo, qua, praesertim in locis sub temporali Sanctae Romanae Ecclesiae ditione consistentibus, unusquisque justitiam, et gratias per congrua tribunalia consequi mereatur, motu proprio, non ad alicujus super hoc Nobis desuper oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, resolutionem dictae congregationis Avenionensis, illiusque declarationem praefatas, ac reservationem beneficiorum dictae sanctae domui annexorum, seu ab ea dependentium hujusmodi a dicto Innocentio praedecessore factam approbantes, et confirmantes, a praefatis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ejusdem congregationis praefectis pro tempore existentibus quodcumque jus, seu quamcumque facultatem, etiam ex inveterato usu, et antiqua consuetudine; vel alio quovis titulo, aut privilegio acquisitum, seu acquisitam se ingerendi in relationibus vacationum, et collationum beneficiorum status, et comitatus praefatorum, dictaeque sanctae domui annexorum, seu ab ea dependentium perpetuo abdicamus, illudque, seu illam sic abdicatum, seu abdicatam in dilectum filium Nostrum Andream sanctae Agathae ad Suburram nuncupatae ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae diaconum cardinalem Negrone nuncupatum pro-datarium Nostrum, ac in pro tempore existentes datariae Nostrae datarios, seu pro-datarios motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, etiam perpetuo transferimus, illique, et illis privative tribuimus, atque impartimur; mandantes propterea, ut posthac modernus, et pro tempore existentes ad statum, et comitatum praefatos vice-legati super collationibus beneficiorum praefatorum a Nobis, et Romanis pontificibus pro

Causa hujus motus proprii.

Confirmatio resolutionis, illiusque declarationis dictae congregationis, et reservationis beneficiorum dictae almae domus.

Abdicatio juris a dictis cardinalibus praefectis se ingerendi in relationibus vacationum dictorum beneficiorum.

Translatio dicti juris in datarios, seu pro-datarios.

Mandatum vice-legatis Avenionis, ut vacationes dictorum beneficiorum datariis, seu prodatariis significent.

tempore existentibus faciendis, non dictam congregationem, ut antea fiebat, sed dictum Andream cardinalem, et pro-datarium, ac pro tempore existentes datarios, seu pro datarios praefatos certiorare debeant; quo vero ad collationem beneficiorum dictae sanctae domui annexorum, seu ab ea dependentium hujusmodi, concurrentes ad illa preces cum suis requisitis (Nobis, at successoribus Nostris Romanis pontificibus referendas) eidem Andreae cardinali, ac pro datario, et pro tempore existentibus datariis, seu pro-datariis praedictis exhibere debeant, (exceptis tamen beneficiis manualibus, seu amovibilibus praefatis, circa quorum dispositiones nihil innovare intendimus): quocirca eidem Andreae cardinali, ac pro datario motu pari praecipimus, atque injungimus, ut praesentes Nostri motus proprii literas, et in eis contenta omnia ubi, quando, et quoties opus fuerit solemniter publicari, ac in datariae Nostrae libris registrari, et per omnes, quos illa concernunt, inviolabiliter observari faciat; non obstantibus usu, ac consuetune, seu privilegio praefatis, ac, quatenus opus sit, cancellariae Nostrae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum forsan facientibus; quibus omnibus motu, scientia, et de potestatis plenitudine paribus specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Concurrentes ad beneficia dictae almae domus preces cum requisitis datario, seu prodatariis exhibeant.

Exceptio beneficiorum manualium, seu amovibilium, circa quorum dispositiones pontifex nihil innovat.

Deputatio judicis pro publicatione, et observantia praemissorum.

Derogatio contrariis.

Per praesentes autem non intendimus facultates datariae Avenionis praefatae in aliquo imminuere, neque immutare, sed illas salvas, et illaesas, ac in suo pleno, in quo ad praesens, et juxta observantiam reperiuntur, robore volumus permanere: ac praeterea etiam volumus, quod sola praesentis schedulae Nostri motus proprii signatura sufficiat, illique, et illius quoque exemplis, seu transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis fides adhibeatur ubique in judicio, et extra, regula quacumque contraria non obstante.

Praeservatio facultatum datariae Avenionis.

Decretum quod sola signatura pontificem sufficiat, et fides adhibeatur transumptis.

Placet J. A.

Datum Romae apud sanctum Petrum nono kalendas junii anno undecimo.

DXLVII.

Dat. Romae 6 junii 1785. Anno XI.

Ut in ecclesiis fratrum ordinis minimorum sancti Francisci De Paula in regno Majoricae existentibus singulis sabbathis missa B. M. V. septem Dolorum celebrari possit.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Cum sicut dilecti filii superiores fratrum ordinis sancti Francisci de Paula Minimorum nuncupatorum regni Majoricae Nobis nuper exponi fecerunt ipsis ad satisfaciendum piae devotioni, quae apud populum dicti regni Majoricae summopere viget erga beatissimam virginem Mariam septem Dolorum, facultatem celebrandi singulis sabbathis in ecclesiis praedictorum ordinis, et regni missam propriam ejusdem beatae Mariae virginis septem Dolorum cum cantu sibi per Nos concedi plurimum desiderent.

Tenor precum porrectarum.

§. 2. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; ut in posterum in ecclesiis praedictorum ordinis, et regni missa propria ejusdem beatae Mariae virginis septem Dolorum cum cantu exceptis tamen duplicibus primae, et secundae classis, celebrari possit, et valeat facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus.

Tenor concessionis.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque superioribus, et fratribus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus

Clausula sublata, et decretum irritans.

super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictorumque ordinis; ac regni etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum, insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, in judicio, et extra illud, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia junii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus nostri anno undecimo.

DXLVIII.

Dat. Romae 10. junii 1785. Anno XI.

Confirmatur quaedam capitularis resolutio ecclesiae Leodiensis super cursu studiorum.

Venerabili fratri
Francisco Costantino episcopo Leodiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Admonet Nos suscepti cura regiminis universalis Ecclesiae, ut ea, quae pro felici Christifidelium, praesertim vero, eorum, qui in sortem Domini sunt vocati, directione, ut se praebeant, quales ministros Dei esse decet, salubriter constituta dignoscuntur, quoties id a Nobis petatur, quo serventur exactius, innovamus, et apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio constabilimus.

Expositio precum porrectarum a capitulo Leodiensi. §. 2. Siquidem Nobis nuper exponi fecisti, quod in hac tua ecclesia Leodiensi capitularis viget constitutio auctoritate apostolica confirmata, qua ad obtinendos canonicatus doctorales ejusdem ecclesiae requiritur, ut candidati in aliqua publica studiorum universitate, vel sacris theologiae studiis per septem annos, aut juri canonico, vel civili per quinque annos sedulam navarint operam. Quae tu animo revolvens, secumque reputans, quod cum adolescentium aetas sit ad mundi voluptates sequendas quam maxime prona, non raro parentum sollicitudines eludi, vitiorumque habitus totos homines possidere contingat, praesertim cum, ut ad hosce obtinendos canonicatus doctorales idonei fiant, paternam domum, ac familiam deserere coguntur; tunc quippe parentum jugo exuti quidquid lubet sequi, ingenioque suo immodice indulgere licebit; hinc Ecclesiae, et reipublicae maxime utile futurum fore arbitratus es, si praeter cathedram sacrae theologiae, quae jamdiu Leodii existit, erectis aliis duabus cathedris juris canonici scilicet, et juris civilis istic requisitum ad dictos canonicatus studiorum cursum implere liceret.

Exponitur necessitas in qua versati sunt canonici temperandi capitularem constitutionem eamque in melius reformandi. §. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat de temperanda capitulari constitutione praedicta cum dilectis filiis decano, et canonicis tuae cathedralis ecclesiae egeris, ac ipsi memoratis, aliisque rationum momentis adducti tuae propositioni lubentissime accesserint, in capitulo die XXIX. mox praeteriti aprilis habito solemniter statuerunt, postquam dictae duae cathedrae juris canonici, et civilis erunt Leodii institutae, seu erectae, omnes ii, qui per quinque annos apud easdem cathedras, et per septem annos apud cathedram theologiae jamdiu, ut praefertur, erectam dictis respectiva studiis dabunt operam, sint in posterum ad canonicatus doctorales hujusmodi admittendi in omnibus, et per omnia perinde, ac si dictum studiorum cursum in aliqua universitate implevissent, servatis tamen in dicta constitutione dispositis, quoad gradum licentiae, et modum vacandi studiis, eaque probandi: immo, ut certissimum remedium adhiberetur inductae consuetudini mittendi filios

familias ad universitates adhuc in immatura, ac quasi inepta aetate in dictis studiis proficiendi, canonici, et capitulum praedictum voluerunt, ut qui ad canonicatus doctorales praedictos ex susceptis studiis Leodii se habilitare intendunt, nisi post decimum sextum aetatis suae annum iisdem studiis vacare praesumant, secus vero eos incapaces, ac studiorum cursu Leodii ante dictam aetatem suscepto nullo umquam tempore uti possent, declararunt. Cum itaque, sicut eadem expositio prosequebatur, dictas duas cathedras juris canonici, et juris civilis Leodii erigere decreveris, cumque prima capitularis constitutio, ut praefertur fuerit alias auctoritate apostolica confirmata, quo firmius secunda subsistat, apostolicae Nostrae auctoritatis patrocinio; eamdem capitularem resolutionem communiri plurimum desideres; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Summus pontifex capitularem resolutionem adprobat et apostolica auctoritate confirmat.

§. 4. Nos igitur fraternitati tuae specialem gratiam facere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, primodictam resolutionem capitularem revocando in ea parte dumtaxat, quae hisce praesentibus Nostris literis adversatur, secundo dictam capitularem resolutionem auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes praedictam capitularem constitutionem, ac easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, primo dictae capitularis constitutionis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima junii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DII.

Dat. Romae 14. junii 1785. Anno XI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab iis, qui die septima julii visitaverint ecclesias fratrum ordinis s. Francisci Cappuccinorum.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus
praesentes literas inspecturis salutem
et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum ubicumque existentibus die septima mensis julii a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad

Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIV. junii MDCCLXXXV. pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 21. junii 1785. Anno XI.

DI.

Confirmatio instrumenti cessionis cujusdam cappellae parochialis ecclesiae s. Crucis del Castello dioecesis Lisbonensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio facti.

§. 1. Rationi congruit, ut ea, quae pie, ac juste disposita sunt, quoties id a Nobis petatur apostolicae confirmationis patrocinio roborentur. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et beneficiati collegiatae, et parochialis ecclesiae s. Crucis del Castello nuncupatae civitatis Lisbonensis, quod ipsi, qui non sine gravi dispendio propriam ecclesiam reaedificant comprehensa in refectione illius capella sanctissimi Sacramenti cum suis adnexis sacrario, aula vulgo del Dispaccio, attendentes, quod confraternitas sub titulo ejusdem sanctissimi Sacramenti in dicta cappella erecta; nonnihil jam ad ejus restaurationem insumpserat, convenerunt, se cappellam, sacrarium, aulamque praedictam eidem confraternitati donaturos, ita ut ipsa proprio aere ea omnia perficeret.

Pro cessione cappellae celebratum fuit instrumentum pro cujus approbatione supplices pontifici missae fuerunt preces.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dicta confraternitas oneri hujusmodi se obstringere non dubitaverit, unde super cessione, ac donatione, et respective obligatione hujusmodi sub die VIII. februarii anni MDCCLXXXIV. fuerit publicum stipulatum instrumentum cum aliis etiam pactis, et conditionibus utrimque utilibus, quo instrumentum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri plurimum desiderent.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur ipsis exponentibus specialem gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos foro censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati memoratum instrumentum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerit, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes instrumentum, ac easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictae collegiatae ecclesiae, et parochialis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et inno-

vatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima prima junii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 8. julii 1785. anno XI.

DLI.

Declaratur a concessionibus fructuum nonnullorum cappellaniarum favore hospitalis regii civitatis Lisbonensis alias a sancta Sede factis intelligi solummodo debere exceptas illas cappellanias, quae certas personas respiciunt.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Cum ad universos Christifideles, qui in charitate conjuncti sunt pertinet super egenos, et pauperes intelligere, ac eorum necessitatibus pro viribus providere; tum in primis ad Nostrae esse debet sollicitudinis, qui divina miseratione in sublimi loco constituti unde caeteris lumen afferre et exemplo praeesse possemus, in iis praesertim consentaneum est, ut paternum animum, curasque intendamus, quae ad conservandas, augendasque pias domus alendis pauperibus destinatas plurimum conducere in Domino judicamus.

Memoratur concessio facta hospitali a Paulo III.

§. 2. Alias siquidem Nobis expositum pro parte tunc existentis provisoris, et confratrum confraternitatis Misericordiae administratorum regii hospitalis civitatis Lisbonensis, quod felicis recordationis Paulus pp. III. praedecessor Noster per suas literas per officium Poenitentiariae apostolicae XIV. kalendas septembris MDXLVIII. expeditas ex causis in eisdem literis expressis memorato hospitali, ut legata a testatoribus in suis testamentis relicta, nisi tempore in eis expresso, et limitato executioni demandata fuissent, ipsi hospitali eo ipso applicarentur, et per quaevis pia opera, quae in illo fierent, ipsis illis operibus, quae iidem testatores in suis testamentis exequi mandabant, satisfieri censeretur, quoad civitatem Lisbonensem praedictam dumtaxat, et ejus districtum, concessit, et indulsit, dummodo si quae certis personis, aut locis relicta fuissent illis omnino persolverentur.

§. 3. Subinde vero cum ex aucto tum infirmorum, ac peregrinantium, tum infantium expositorum numero auctae quoque essent expensae pro illius substentatione, quin illius redditus interim aliquod augmentum suscepissent, memorati administratores a felicis item recordationis Clemente pp. VIII. praedecessore Nostro concessionem praedictam ad universam Lisbonensem dioecesim extendi, et ampliari obtinuerunt, prout in dictis Pauli, et Clementis praedecessorum literis uberius continetur, ac Nobis subjuncto quod ipsius hospitalis administratores ex illius redditibus expensis satisfacere non poterant, Nos per alias Nostras in simili forma Brevis die VIII. julii MDCCLXXIX. expeditas literas memoratam concessionem a praedicto Paulo praedecessore ad civitatem Lisbonensem, et ejus districtum limitatam, et a Clemente itidem praedecessore ad universam Lisbonensem dioecesim dumtaxat ampliatam ad omnia regna, insulas, et acquisitionis, regiones, aliaque dominia charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae subjecta extendimus, et ampliavimus; ita tamen, ut in locis, et civitatibus, in quibus hospitalia, seu domus Misericordiae hujusmodi erecta existunt, duae tantum ex tribus partibus legatorum hujusmodi hospitali praedicto civitatis Lisbonensis applicentur, ita ut reliqua pars in utilitatem, et commodum ipsorum localium hospitalium cedat, et alias, prout in dictis Pauli, et Clementis praedecessorum, et Nostris uberius continetur. — Concessio ampliata fuit a Clemente VIII ad totam dioecesim Lisbonensem, et a s. pontifice ad universam dominationem regis Hispaniae.

§. 4. Cum autem, sicut dilecti filii moderni provisor, et confratres administratores memorati regii hospitalis Nobis nuper exponi fecerunt, a duobus usque, et amplius saeculis in praedictarum praedecessorum, et subinde Nostrarum executionem huc usque per sententias pro tempore existentium provisorum nuncupatorum cappellaniarum semper applicati fuerint dictae piae domui fructus illarum cappellaniarum, quarum missae licet in quacumque ecclesia institutae celebratae non fuissent, ac sententiis hujusmodi in rem judicatam tran- — Exponitur novae controversiae status.

saetis earúmdem cappellaniarum administratores quidquid illis impositum fuit persolverfut, et persolvére pergant; novissima vero dum applicari vellent eidem piae domui fructus nonnullarum cappellaniarum in ecclesia monachórum s. Hieronymi oppidi civitatis nuncupatae Belem Lisbonensis dioecesis institutarum, utpota non suo tempore satisfactarum ipsi monachi obstiterint, ei innixi rationi, quod cappellaniae bujusmedi ex eo quod in eorum ecclesia institutae, certo sunt lostitutae loco, ideoquo in enunciatis apostolicis literis non sint comprehonsae, haud animadvertentes, loci certitudinem potius pandere ex designatiene unius certi altaris, ut bactenus semper observatum fuit, secus rarissime essent applicationes eidem piae domui factae, et imposterum faciendae, cum ejus gravi detrimento; Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praomissis opportuno providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor declarationis, cui novae legis auctoritas tribuitur.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volontes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisquo ecclesiasticis censuris, senteotiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratis absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus quoque memoratae Mariae Franciscae reginae inclinati, attenta relatione dilecti etiam filii magistri Philippi Carandini congregationis Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii, a praedictis Nostris, et praedecessorum Nostrorum literis exceptas tantum intelligi debere illas cappellanias, quae certas personas respiciunt, vel ad certum, et expressum altare, aut etiam in illis ecclesiis fundatae existunt, in quibus earumdem fundatores sunt sepulti, auctoritate apostolica tenore praesentium expresse declaramus, et quatenus opus sit, de novo statuimus, servata tamen in reliquis earumdem literarum forma, et dispositione.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat de praesenti, et in futurum quomodocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit, quorumcumque testatorum, qui legata praedicta ordinarunt, etiam voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expressa commutamus, nec non apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta julii millesimo septingentesimo octoagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLII.

Dat. Romae 8. julii 1785. anno XI.

Dismembratio episcopatus Fabrianensis ab episcopatu Mathilicensi.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponit dioeceses nimis amplas novis erectis sedibus esse dividendas.

§. 1. Saepe factum est a praedecessoribus Nostris, ut eae sapienti consilio dividerentur dioeceses, quae longe, lateque paterent, vel conspicuis oppidis coalescerent, vel nimia populorum copia redundarent, novis modo erectis episcopalibus sedibus, modo veteribus ad antiquum illum splendorem, unde temporum injuria exciderant, restitutis, ac redintegratis; quemadmodum liquet ex constitutione Joannis

XXII., quae incipit *Salvator noster extrav. de praebend., et dignit.*, in qua ampiam dioecesim Tholosanam in quinque dioeceses divisit, ac separavit, adsignata eis dote ex redditibus ejusdem Tholosanae ecclesiae.

Exempla proferuntur.

§. 2. Hoc ipsum sedulo perpendens fel. record. praedecessor Noster Sixtus V. de Camerinensi episcopatu satis amplo, atque diffuso, dum eidem ecclesiae Camerinensi praeerat Hieronymus de Bobus, oppidum sancti Severini cum suis pagis, et villis a dioecesi Camerinensi, cui suberat, avulsit, in civitatem, et sedem episcopalem erexit cum dote scuterum mille oblata ab ejusdem novae civitatis communitate per literas apostolicas diei 26. novembris anni 1586, ac de novo pastore providit die 10. decembris ejusdem anni; nec non ab eadem dioecesi Camerinensi avulsit oppidum Tolentini com suis villis, illudque in civitatem, et sedem episcopalem erexit cum dote scutorum quatuorcentum a communitate Tolentini constituta, et novum hunc episcopatum Maceratensi episcopatui univit per alias literas apostolicas diei 10. decembris dicti anno 1586.

Erectio ecclesiae Fabrianensis.

§. 3. Hujus vestigiis inhaerens Benedictus XIII., moderante ecclesiam Camerinensem Cosmate Sylvio Torellio, insignem terram Fabriani cum oppidis, et pagis a Camerinensi episcopatu, rui subjecta erat, abstraxit, eamque in civitatem, et cathedralem ecclesiam instituit, nulla tamen adsignata dote, utpote quia novam hanc ecclesiam eidem ecclesiae Camerinensi aeque principaliter adjunxit et univit; adjecta conditione, ut erectio, et unio hujusmodi effectum sortiri non posset, nisi communitas Fabriani de proprio domum episcopalem pararet, congruum emolumentum vicario generali adsignaret, et idonea suppellectili ad pontificalia exercenda sacrarium instrueret, necnon necessarios sumptus impenderet pro erectione seminarii juxta decretum editum in consistorio diei 15. novembris 1728., ac literas apostolicas desuper expeditas.

Lites subortae inter clerum Camerini, et communitatem, ac clerum Fabriani.

§. 4. Ortis hinc dissidiis inter communitatem, ac clerum Camerini, et communitatem, ac clerum Fabriani, congregatio Consistorialis, ad quam rei cognitio ablegata fuit, censuit erectionem praefatam substineri, ac praefigendum esse communitati, et populo Fabrianensi terminum duorum annorum ad docendum de adimplemento conditionum in dictis decreto consistoriali, ac literis apostolicis appositarum, declarando ea jura, quae ecclesiae Camerinensi competere debebant super novam ecclesiam Fabrianensem, sede tam plena, quam vacante, juxta resolutionem diei 18. martii 1732., confirmatam a felic. recor. pontifice Clemente XII.

Visitator apostolicus refert plurimum conferre, quod ecclesiae Fabrianensi suus daretur episcopus.

§. 5. Injunctis conditionibus, cum communitas Fabriani intra praefinitum tempus paruerit, erectio, et unio praefata exequutioni demandata, et servata est usque ad haec nostra tempora, quibus Nos, justis de causis impulsi, pro spirituali, et temporali Fabrianensis civitatis incremente illuc misimus tunc dilectum filium Nostrum modo venerabilem fratrem Josephum Vinci archiepiscopum Berytensem, uti visitatorem, et commissarium apostolicum, qui demandato sibi munere egregie perfunctus, cum accuratam Nobis exhibuerit relationem de statu ecclesiae, et dioecesis Fabrianensis, ac de provisionibus juxta Nostra mandata captis pro augmento redditnum conservatorii expositorum, ac hospitalis infirmorum utriusque sexus, pro erectione orphanotrophii, et publicae piae scholae, ac pro opificiorum, et artium nova instauratione; post maturum rerum omnium examen satis intelleximus summopere expedire, ut suus civitati Fabriani daretur episcopus, qui propria dote instructus continuo, ac vigili studio concreditam sibi Domini vineam excoleret, ac tot publicis, piisque operibus conservandis, augendisque operam daret.

Ut id fieri posset civitatem Mathilicae a Camerinensi dismembrare et Fabrianensi unire constituit.

§. 6. Quod ut facilius, ac decentius fieri posset, animum convertimus ad contiguam civitatem Mathilicae, quae gloria cathedrae episcopalis claruit, et inter caeteros, quos habuit, episcopos, celebres sunt in ecclesiastica historia Equitius, qui concilio Romano anno 487. celebrato interfuit, et Florentinus, qui Vigilium praedecessorem Nostrum Constantinopolim fuit sequutus, et Theodori episcopi Caesareae condemnationi subscripsit. Hanc autem ecclesiam mox ob temporum vicissitudines ecclesiae Camerinensi subjectam, ad pristinum honorem restituere, eamque utpote finitimam ecclesiae Fabrianensi unire, itaut junctae utrinsque facultates congruam novo episcopo substentationem, citra ullum praejudicium dotis Camerinensis ecclesiae, subministrarent, nedum opportunum videbatur, sed aequum etiam, et maxime consentaneum Sedis apostolicae consuetudini, quae hujusmodi redinte-

grationes longe facilius, quam novas erectiones indulget.

Idipsum praerogitavit etiam Benedictus XIV.

§. 7. Eo vel magis quia huic redintegrationi viam quodammodo stravit fel. mem. praedecessor Noster Benedictus XIV., dum praerogativas omnes Mathilicae distincte commemorans, praecipue ob cathedram episcopalem, qua antiquioribus Ecclesiae saeculis fuit insignita, eam in primaevum civitatis honorem cum omnibus, et singulis privilegiis, et praeminentiis restituit, et quatenus opus sit, in civitatem denuo erexit, ut plenius continetur in literis apostolicis diei 26. septembris anni 1752. Ab hoc vero tempore nihil ei deest eorum, quae pro redintegratione ad sedem episcopalem decernenda desiderantur. Extat enim in ea, sicut accepimus; insignis collegiata ecclesia, omnipotenti Deo in honorem beatissimae Virginis nuncupatae de Platea, et s. Bartholomaei apostoli dicata, quam aedificii amplitudo, et operis elegantia satis superque commendant, in qua adest archipresbyteralis dignitas, et tredecim canonici, quorum alter poenitentiaria, alter theologali praebenda gaudet, omnes autem ex apostolica facultate rocchetto, et mozzetta utuntur in muneribus ecclesiae obeundis, quibus alii adduntur beneficiati, clerici, ac ministri, ejusdem ecclesiae servitio addicti. Sacra praeterea suppellectili, quae ecclesiae auget splendorem, atque ornamentum satis instruitur, et pluribus insignitur sanctorum exuviis decenter reconditis, quas inter eminet brachium sancti Hadriani martyris, quem civitas primarium patronum veneratur, et colit.

Loca pia civitatis enumerantur.

§. 8. Duae in civitate sunt parochiae septem religiosorum virorum coenobia, duo virginum asceteria, tria nosocomia, octo piorum hominum sodalitia, mons Pietatis, et plures montes frumentarii.

Describitur illius territorium.

§. 9. Ad territorium vero quod pertinet, illud satis late protenditur ad novemdecim circiter milliaria; et ex pluribus coalescit pagis, ac villis, ubi quatuor adsunt parochiae, quarum duae fonte baptismali gaudent. Ager vero est fertilis, et frugum copia abundat, ac florens commercium in eo viget.

Preces episcopi, et cleri Camerinensis ne quid innovaretur.

§. 10. Omnia itaque quum recte convenirent, vix innotuit consilium Nostrum de solvenda unione ecclesiae Fabrianensis cum ecclesia Camerinensi, et de redintegranda civitate Mathilicae ad cathedrae honorem, eaque unienda aeque principaliter cum ecclesia Fabrianensi, ut statim ven. frater Noster Aloysius modernus episcopus Camerinensis, nomine etiam capituli, cleri, magistratus, et populi ejusdem civitatis preces semel, iterum, et tertio Nobis porrexit, ad hoc ut nihil innovaretur, nisi praevio formali judicio, quo sperabat fore, ut ei salvus esset antiquus honor proficiscens ab amplitudine jurisdictionis, et salvum capitulo Camerinensi jus eligendi vicarium capitularem etiam pro civitate Fabriani sede vacante, ad formam praefatae resolutionis diei 18. martii 1732; sed matura habita per Nos ipsos omnium expositorum ratione, supervacaneum visum est in hoc peculiari casu formale judicium, utpote quod detractis etiam territoriis Fabriani, et Mathilicae, reliqua sunt ecclesiae Camerinensi tot oppida, et loca, ut inter ampliores Umbriae, et Piceni episcopatus recenseri possit.

§. 11. Igitur contentiones omnes praecedentes, ac solum majorem Dei gloriam, et uberius spiritualis boni incrementum prae oculis habentes, non ad alicujus petitionem suggestionemque, sed motu Nostro proprio, ac ex certa Nostra deliberatione, apostolica auctoritate erectionem, et institutionem ecclesiae Fabrianensis in cathedralem, illiusque subjectionem apostolicae sedi a fel. record. Benedicto papa XIII. cum assignatione illius dioecesis peractam, cujus integrum tenorem praesentibus haberi volumus pro expresso, confirmantes, et innovantes, illius tamen unionem ecclesiae Camerinensi aeque, et principaliter etiam factam, infirmantes, ac dissolventes; ecclesiam ipsam Fabrianensem cum assignata dioecesi a quacumque jurisdictione ordinaria, et delegata Camerinensis episcopi moderni, et pro tempore existentis, et capituli cathedralis ejusdem civitatis tam in spiritualibus, quam in temporalibus tenore praesentium perpetuo abdicamus, sejungimus, et separamus, nec non clerum, et populum civitatis Fabriani, illiusque territorii a solutione quorumvis jurium episcopo, et capitulo praefatis ratione jurisdictionis, et superioritatis debitorum eadem auctoritate perpetuo eximimus, et liberamus.

Erectio cathedralis Fabrianensis, illiusque sejunctio ab ecclesia Camerinensi.

§. 12. Ac pariter motu Nostro proprio, et eadem auctoritate civitatem Mathilicae, ejusque territorium cum omnibus, et singulis ecclesiis, oratoriis, conventibus regularium, monasteriis, hospitiis, hospitalibus, piisque locis,

Segregatio ecclesiae Mathilicensis ab ecclesia Camerinensi.

atque omnibus pagis, et vicis ab omni, et quacumque praefati, et pro tempore existentis episcopi Camerinensis jurisdictione, tam ordinaria, quam delegata, nec non subjectione, visitatione, correctione, ac ab omni, et quocumque alio jure, tenore praesentium perpetuis futuris temporibus separamus, dismembramus, segregamus, ac dividimus, liberantes clerum, et populum civitatis Mathilicensis, ejusque territorii a solutione quorumvis jurium episcopo praefato ratione jurisdictionis debitorum.

Erectio ecclesiae, et capituli cathedralis Mathilicensis.

§. 13. Iisque peractis, ad omnipotentis Dei laudem, et beatissimae virginis, ac sancti Bartholomaei honorem civitatem praedictam ad episcopalis civitatis gradum redintegramus, et quatenus opus sit, de novo erigimus, et ecclesiam beatissimae virginis, et sancti Bartholomaei, hactenus collegiatam, sub eadem invocatione in cathedralem erigimus pariter, et instituimus, Sedi apostolicae immediate subjectam cum omnibus juribus, praerogativis, exemptionibus, et privilegiis, quibus aliae cathedrales gaudere solent: ita quod archipresbyteratus post pontificalem major, et tredecim canonicatus non amplius collegiatae, sed cathedralis ecclesiae Mathilicensis capitulum existant, et constituant, atque in ea archipresbyteratum, et canonicatus, ac praebendas praefatas nunc, et pro tempore obtinentes chori servitium, divina officia, sacrasque functiones persolvere teneantur, cum omnibus, et singulis bonis, fructibus, redditibus, et proventibus, ac emolumentis quibuscumque, eidem mensae capitulari, singulisque personis usque modo competentibus, supportatis tamen ejusdem mensae, singularumque praebendarum oneribus, et respective poenitentiarii, et theologi adimpletis muneribus; declarantes, prae fatum archipresbyterum, et canonicos tenore praesentium uti posse etiam insigniis capparum, quibus utitur cathedralis Fabriani.

Assignatio territorii Mathilicensis.

§. 14. Pro dioecesi vero ecclesiae Mathilicensis adsignamus civitatem ipsam Mathilicae, nec non integrum ejus territorium cum omnibus et singulis pagis, et vicis, et in eo contentis paroeciis, beneficiis, monasteriis, conventibus, clero, personis saecularibus, et regularibus in ipsa civitate Mathilicensi, et territorio hujusmodi existentibus, et commorantibus, itaut civitas Mathilicensis, et territorium hujusmodi novo, et pro tempore existenti episcopo Mathilicensi subjecta sint, prout hactenus episcopo Camerinensi subjecta fuere: in ipsa autem civitate Mathilicensi, et dioecesi, ut praefertur, praescripta, novus, et pro tempore existens Mathilicensis episcopus omnem episcopalem jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam in personas tam saeculares, quam ecclesiasticas, et regulares, nec non in ecclesias, monasteria, et loca pia quaecumque, prout aliis episcopis competit, libere, et absolute exercere valeat, ac exerceat ad formam tamen decretorum concilii Tridentini, et apostolicarum constitutionum.

Unio ecclesiae Mathilicensi ecclesiae Fabrianensi.

§. 15. Eamdemque ecclesiam Mathilicensem sic in cathedralem erectam perpetuo, et aeque principaliter unimus, annectimus, et incorporamus ecclesiae Fabrianensi, itaut novus episcopus utrique praesit ecclesiae, ac etiam in civitate Mathilicae, habita ratione dotis constituendae ejus mensae, per aliquod anni tempus resideat, postquam communitas ejusdem civitatis propriis sumptibus decentes aedes comparaverit, una cum supellectilibus ad pontificalia exercenda necessariis; injuncta tamen obligatione eidem novo episcopo retinendi continuo in eadem civitate cum redditibus mensae dictae civitatis vicarium generalem distinctum ab altero, qui residere debet in civitate Fabriani, paribus, et consuetis facultatibus munitum, ac servata in reliquis inter has duas unitas ecclesias omnimoda aequalitate, et paritate, sede tam plena, quam vacante, ita ut neutra alteri praecellere, vel praeesse praesumat, praeterquam in praeeminentia denominationis, et tituli, quae semper spectabit ad ecclesiam Fabrianensem, nec non in ipsius capituli, et cleri praecedentia sive in processionibus, in quibus convenire contigeret, sive in sessionibus synodalibus habendis in cathedrali Fabriani.

Novae mensae Fabrianensis bonorum adsignatio.

§. 16. Ad utriusque modo ecclesiae mensam episcopalem constituendam animum Nostrum adjicientes, justa habita de utriusque ecclesiae statu consideratione, ad opus hoc absolvendum vel Nos, quantum in Domino possumus, apostolica benignitate contribuere decrevimus; quamobrem mensa Fabrianensis constituta erit ex infrascriptis bonis, et assignationibus.

Descriptio bonorum adsignatorum.

§. 17. Primo ex jure cathedratici, quod hactenus pro tempore existens episcopus Camerinensis percipere consuevit ad scuta bicentum circiter monetae Romanae, ad quae annuatim ascendere solet.

Item ex annuis scutis centum in perpetuum percipiendis ex annuo canone bonorum olim suppressae societatis Jesu, quae dilecto filio Romualdo Altini Fabrianensi in emphyteusim perpetuam nuper concessa sunt.

Praeterea ex annuis scutis quatuorcentum de semestre in semestre in perpetuum praestandis a monasteriis in civitate, et dioecesi Fabrianensi existentibus ordinis Monachorum congregationis sancti Silvestri abbatis, scilicet a monasterio nuncupato Montis Fani extra civitatem, sed in dioecesi Fabrianensi sito, et ab alio monasterio sancti Benedicti intra civitatem existente, ita ut omnia utriusque monasterii bona cum omnibus eorum redditibus, pro antedicta perpetua taxa annuorum scutorum quatuorcentum, favore existentis pro tempore episcopi Fabrianensis semper, et in perpetuum obligata remaneant.

Demum ex omnibus stabilibus, mobilibus, censibus, locis Montium, creditis, et juribus ad monasterium, et sanctimoniales sanctae Margaritae ordinis sancti Benedicti in eadem civitate Fabrianensi existentibus quomodocumque spectantibus, quae cum infrascriptis declarationibus episcopali mensae Fabrianensi nunc, et in perpetuum concedimus, unimus, et incorporamus; ita quod futuro episcopo Fabrianensi ejus, et mensae episcopalis Fabrianensis nomine liceat statim ejusdem monasterii sanctae Margaritae, ejusque bonorum quorumcumque veram, et realem, possessionem propria auctoritate, vel per se, vel per alium libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, vetita, et interdicta in futurum in praedicto monasterio sanctae Margaritae quacumque novitiarum receptione, et professione.

Declarationes speciales. §. 18. Volumus tamen, ut ab oeconomo per futurum episcopum Fabrianensem deputando administrentur interim bona ejusdem monasterii sanctae Margaritae, eorumque reddilus erogentur in manutentionem ecclesiae ejusmodi monasterii, et alimoniam monialium nunc existentium, usquequo redactae fuerint ad numerum quinque sororum, non comprehensis quas vocant, conversis. Cum vero ad minorem fuerint redactae numerum, tunc implorata Sedis apostolicae indulgentia, idem episcopus superstites moniales ad illud monasterium ejusdem ordinis, congruis unicuique assignatis alimentis, transferre debeat, et omnibus ejusdem monasterii sanctae Margaritae redditibus pro sua episcopali mensa praedictus episcopus Fabrianensis integre potiatur, supportatis tamen singulis oneribus, piisque adimpletis legatis, si quae sunt, ne fundatorum dispositiones laedantur.

§. 19. Ad hoc autem, ut interim futuro episcopo promptiora congruae substentationis subsidia non desint, per modum provisionis, temporaneas alias imponimus assignationes, annuorum scilicet scutorum centum super redditibus societatis sanctissimi Suffragii in cathedrali ecclesia Fabrianensi erectae, et aliorum annuorum scutorum septuaginta ejusdem monetae Romanae super redditibus alterius confraternitatis nuncupatae charitatis in eadem civitate existentis; ita tamen ut geminae hujusmodi assignationes favore mensae episcopalis provisionaliter factae, proportionabiliter minui, ac in totum cessare debeant, juxta diminutionem, et cessationem oneris alendi viventes moniales supradicti monasterii sanctae Margaritae. Adsignationes temporaneae.

§. 20. Caeterum non modo integrum sit futuro, et pro tempore existenti episcopo Fabrianensi dominium palatii, alias eidem a civitate assignati, sed etiam eidem concedimus mansiones, in quibus a communitate ejusdem civitatis retinetur mons frumentarius, et alias etiam, in quibus antiquum existebat seminarium, cum onere integrum praedictum palatium cum adnexis mansionibus, et aedificiis restaurandi, et conservandi. Remaneant tamen eidem communitati aliae omnes apothecae, nec non mansiones, in quibus existit nunc mons Pietatis, et depositaria, aliaque publica retinentur officia, eo plane modo, quo praedictis apothecis, et mansionibus gavisa est, et actu gaudet eadem communitas. Palatium episcopale describitur cum suis accessoriis.

§. 21. Stipendium vero vicarii in spiritualibus generali deinceps praestandum erit ab existente pro tempore episcopo Fabrianensi, et illud, quod ab eodem Benedicto XIII. praedecessore Nostro pro vicario generali impositum fuerat communitati Fabrianensi erogandum erit imposterum arbitrio ejusdem communitatis in augmentum mercedis magistrorum, qui in publicis ejusdem communitatis scholis docent. Praefinitur stipendium vicarii generalis.

§. 22. Pastoralem quoque nostram sollicitudinem excitat seminarium episcopale ejusdem civitatis Fabriani, cujus annuos redditus Seminarii redditus ampliantur.

tennes esse intelleximus. Itaque eidem Fabrianensi seminario nunc, et in perpetuum concedimus annuam summam scutorum quadringentorum ex reliqua summa canonis bonorum suppressae societatis Jesu in territorio Fabrianensi existantium, quae dilecto filio Romualdo Attini in emphyteusim perpetuam concessa reperiuntur; ac pro hujusmodi effectu cedimus insuper, et in dictum seminarium Fabrianense transferimus omne jus directi dominii, et alia quaecumque jura, quae Nostrae camerae apostolicae super dictis bonis in emphyteusim, ut supra concessis competunt, aut quomodolibet competere possunt: et quoniam seminario caret civitas Mathilicensis, ideo in applicatione praefati canonis eamdem quoque civitatem Nostra benignitate prosequi volentes, mandamus, ut gratis in seminarium Fabrianense quatuor admittantur, et assidue retineantur alumni Mathilicenses, vel illius civitatis dioecesani ab episcopo seligendi.

Ecclesias curatas, concedendas esse praemisso concursu decernitur.

§. 23. Compertum habentes in dioecesi Fabrianensi novem existere ecclesias, vicarias nuncupatas, per totidem presbyteros saeculares regi solitas, qui animarum curam in dictis ecclesiis exercent; cumque hactenus presbyteri illi ad nominationem, seu collationem abbatis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensium in monasterio sancti Blasii ejusdem civitatis degentis, cui forsan ecclesiae illae unitae fuerant, vel alias quomodolibet pertinuerint, de ecclesiis praedictis semper provisi fuerint, et provideri solennt sine concursu; Nos pro salubriori animarum regimine, deleto, et abrogato quovis abbatis, et monachorum jure sive nominandi, sive conferendi, novem supradictas ecclesias curam animarum habentes in vicarias perpetuas erigimus, ac sub libera futuri, et pro tempore existentis episcopi Fabrianensis collatione, et provisione constituimus, ad hoc ut ipse, praevio concursu, servata forma a sacro concilio Tridentino, et constitutione san. mem. Pii V. pariter praedecessoris nostri praescripta, nunc, et in futurum occurrentibus earum vacationibus, ad illarum collationem procedat. Volumus tamen, ut loco stipendii, quod annuatim antedictis presbyteris curam animarum exercentibus in supradictis ecclesiis praestare consueverat abbas, et monasterium sancti Blasii, teneatur in futurum, et in perpetuum praedictum monasterium singulis praedictarum ecclesiarum parochis seu vicariis curatis praestare annua scuta quinquaginta monetae Romanae pro congrua singulorum substentatione, imposito singulis vicariis onere perpetuo manutenendi lampadem assidue accensam in eorum ecclesiis ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, et pro hujusmodi effectu mandamus, ut pro solutione ejusdem taxae annuorum scutorum quinquaginta cuilibet ex praedictis novem ecclesiarum vicariis curatis persolvendae, bona omnia ejusdem monasterii sancti Blasii civitatis Fabrianensi semper, et in perpetuum obligata esse debeant.

Assignatio bonorum pro mensa Mathilicensi.

§. 24. Absoluta adsignatione dotis, et mensae Fabrianensis, reliquum modo est, ut doti, et mensae episcopali Mathilicensi consulatur. Praeter autem jus cathedratici futuro, et pro tempore existenti episcopo Mathilicensi competens, eamdem mensam ex annuis assignationibus super bonis infrascriptorum monasteriorum, conventuum, et locorum piorum civitatis Mathilicae, quae summam conflant scutorum circiter quingentorum pro rata solvendorum de semestre in semestre, efformare intendimus.

Descriptio bonorum assignatorum.

§. 25. Scilicet super bonis monasterii ordinis sancti Benedicti congregationis Silvestrinorum annua scuta centum.

Super bonis conventus ordinis eremitarum sancti Augustini annua scuta quadraginta quinque.

Super bonis conventus Carmelitarum excalceatorum annua scuta quinquaginta.

Super bonis domus presbyterorum Oratorii sancti Philippi Nerii annua scuta vigintiquinque.

Super bonis monasterii monialium sanctae Mariae Magdalenae annua scuta quinquaginta.

Nonnulli redditus segregantur a mensa Camerinensi, et Mathilicensi conceduntur.

§. 26. Praeterea eas impositiones, annuasque solutiones, quas ven. frater Noster Carolus Bellisomi archiepiscopus Tyanensis tunc apostolicus visitator praescripserat favore hospitalis civitatis Camerinensis persolvendas, quaeque a praedecessore Nostro Clemente XIV. adprobatae fuerunt die 11 septembris 1773., nempe super bonis dicti conventus sancti Augustini annuorum scutorum viginti, et super bonis praefati conventus Carmelitarum excalceatorum annuorum scutorum centum quadraginta, non amplius dicto hospitali Camerinensi, sed episcopali Mathilicensi mensae perpetuo applicatae, et appropriatae sint, et esse debeant.

Ipsum statuitur de quadam taxa solvenda a monialibus s. Mariae Magdalenae ejusdem civitatis.

§. 27. Cumque ab eodem Carolo archiepiscopo alia quoque fuerit taxa imposita super monasterio monialium sanctae Mariae Magdalenae civitatis Mathilicae dicto hospitali Camerinensi persolvenda in annua summa scutorum septuaginta monetae, Nos hanc similiter taxam ratam, firmamque habentes mandamus, illam annuatim persolvi debere favore hospitalis Expositorum sub titulo sancti Josephi civitatis Fabriani, cui civitas, et ecclesia Mathilicensis aequaliter, ut supra, unita reperitur, prohibita imposterum populo civitatis, et dioecesis Mathilicae asportatione, seu transmissione infantium illegitimorum ad hospitale Camerini.

Jura novi episcopi declarantur.

§. 28. Praecipimus autem, ut personae apostolica auctoritate in episcopum pro hac prima vice, et aliis futuris vacationibus praeficiendae dictis ecclesiis Fabrianensi, et Mathilicensi invicem unitis liceat per se, vel per alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem omnimodi juris dioecesani in utraque civitate, et earum ecclesiis, ac dioecesibus, et mensis episcopalibus adsignatis vigore literarum apostolicarum provisionis de sui persona apprehendere, apprehensamque perpetuo retinere, praefati Camerinensis episcopi, vel cujusvis alterius licentia minime requisita, eidemque episcopo Fabrianensi, et Mathilicensi pro tempore existenti, quaecumque, et qualiacumque cum cura, et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata, etiam canonicatus, et praebendas, ac dignitates, si quae forent, non tamen majores, in dictis cathedralibus ecclesiis, civitatibus, et dioecesibus existentia iisdem modo, et forma, prout illorum collatio ad episcopum Camerinensem antea pertinebat, occurrentibus quovis modo illorum vacationibus, dummodo tamen beneficia hujusmodi Sedi apostolicae dispositioni reservata, vel affecta non fuerint, personis idoneis pleno jure conferendi, et de illis providendi auctoritatem, et potestatem omnem concedimus, et impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 29. Praesentes autem has nostras literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod dictus Camerinensis episcopus, ac Camerinensis ecclesiae capitulum, et canonici, ac quilibet alii in singulis praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes ad haec vocati, citati, et auditi non fuerint, minusque singulis praemissis consenserint, nec causae propter quas eaedem praesentes emanarint satis adductae, et verificatae non fuerint, aut ex quibusvis aliis causis, vel praetextibus, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu notari, vel impugnari, aut alias infringi, vel quomodolibet retractari, suspendi, restringi, limitari, vel eis in aliquo derogari nullatenus umquam posse, easque omnino sub quibusvis contrariis constitutionibus, revocationibus, sospensionibus, limitationibus, derogationibus modificationibus, decretis, vel declarationibus generalibus, vel specialibus, motu, scientia, vel potestatis plenitudine paribus, quomodolibet, ac quibusvis de causis pro tempore factis minime comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, semperque, et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, ac inviolabiliter observari, ac utrique ecclesiae Fabrianensi, et Mathilicensi, illarumque episcopo pro tempore existenti, earumdemque ecclesiarum capitulis, et canonicis, aliisque quorum favorem praesentes Nostrae literae concernunt, perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus, quavis authoritate quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri posse, neque ad probationem, seu verificationem, quorumcumque in eisdem praesentibus Nostris literis narratorum nullatenus umquam teneri, nec ad id in judicio vel extra cogi, seu compelli posse; sicque in praemissis ab omnibus censeri, atque ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos, quavis authoritate, et potestate fungentes etiam causarum palatii Nostri apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et authoritate judicari, et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus irritum, et inane nulliusque roboris, et effectus esse, et fore decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 30. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, et de dismembrationibus committen-

dis ad partes, vocatis quorum interest, nec non in similibus exprimendo vero annuo reddita, et valore, ac Pii IV. de gratiis interesse camerae Nostrae apostolicae quomodolibet concernentibus in eadem camera registrandis, et insinuandis, aliisque apostolicis quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, ac etiam in synodalibus, provincialibus, et universalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non Camerinensis ecclesiae, illiusque capituli, et canonicorum, ac ordinis sancti Benedicti, et congregationum praedictarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis respective statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem Camerinensi episcopo, et capitulo, nec non ardinibus, et congregationibus praefatis, et quibus aliis personis civilitibus, ot locis per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, et apostolicam Sedem, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent; praesentibus pro expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad effectum validitatis, et perpetuae firmitatis praemissorum omnium, et singulorum, hac vice dumtaxat, harum serie specialiter, et expresse derogamus, aliisque omnibus, et singulis contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 31. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum Nostrarum transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si originaliter exhibitae forent, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 32. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae confirmationis, innovationis, dissolutionis, abdicationis, sejunctionis, separationis, exemptionis, dismembrationis, liberationis, segregationis, divisionis, erectionis, declarationis, redintegrationis, unionis, annexionis, incorporationis, assignationis, concessionis, translationis, mandati, praecepti, decreti, et derogationis, ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem, anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo quinto octavo idus julii, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLIII.

Dat. Romae 12. julii 1785. Anno XI.

Concessio aedium oratorii del Caravita vulgo nuncupati almae urbis praefecto pro tempore existenti collegii Romani.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium in quo exponitur status oratorii.

§. 1. Bonorum operum, et spiritualium studiorum Deum auctorem esse non dubium est, qui quorum incitat mentes, adjuvat actiones; quod quidem Nobis praesenti experimento apparet. Siquidem, sicut Nobis nuper innotuit, alias dilectus filius Joseph a Pince presbyter Bononiensis, et modernus oratorii sanctissimae Communionis bujus almae Nostrae urbis del Caravita nuncupati praefectus, ac missionarius urbanus pro eo, quem ad lucrandas Deo Christifidelium animas aestuatur zelo de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium guberuio, ac regiminis collegii Romani praepositorum licentia domum pro exercitiis spiritualibus, ac pro instructione et institutione adolescentulorum, qui primum ad sacram synaxim accedunt, intra aedes ejusdem collegii Romani erigi curavit, sibique certam earumdem aedium portionem cappellia sancti Aloysii Gonzaga adhaerentem una cum earumdem cappellarum usu assignari obtinuit, quam subinde suis sumptibus aptavit, et instruxit. Cum autem Deo adjuvante incoeptum hujusmodi adeo provectum sit, ut uberrimi

exiodo jam predierint fructus, ac aliquorum Christifidelium pietas fuerit excitata ad conferendum ad opus hujusmodi nedum eleemosynas, sed etiam fundos, ac bona; Nos cum alias institutionem hujusmodi ex coelestibus indulgentiarum Ecclesiae thesauris specialibus gratiis accumulaverimus, serio confidentes, quantum augmenti tam bonum opus suscipere possit, si illud auctoritatis Nostrae patrocinio adjuvaremus, Nostrique pastoralis officii esse, ea omnia studere, quae ad populum Nostrae vigilantiae specialiter commissum in Christiana religione fovendum, divinumque cultum augendum pertinere dignoscuntur, praemissis providere, prout infra, decrevimus.

Officia praefecti oratorii, et missionarii urbani uniantur et inseparabilia declarantur.

§. 2. Motu itaque proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine pii operis hujusmodi executionem, ac directionem memorate Josepho, quoad vixerit, aliisque pro tempore existentibus praefectis oratorii, et missionariis urbanis suis successoribus tenore praesentium committimus, concedimus, et commendamus; mandantes propterea, ut in posterum dicta duo officia praefecti nempe oratorii, et missionarii urbani inseparabilia, ac unita censeantur, prout ea motu, auctoritate, ac tenore praedictis insimul unimus, et incorporamus, ac unita, et incorporata perpetuis futuris temporibus esse, et fore decernimus, et declaramus.

Administratio bonorum conceditur ipsi praefecto sub auctoritate cardinalis vicarii de urbe.

§. 3. Suorum vero bonorum, reddituum, ac proventuum quorumcumque administrationem sub immediata dumtaxat dilecti filii Nostri moderni, et pro tempore existentis Nostri, summorumque pontificum successorum Nostrorum in alma urbe in spiritualibus vicarii jurisdictione, de cujus etiam consilio, et auctoritate caeteri presbyteri saeculares ad hujus operis executionem necessarii erunt deputandi, eidem moderno, et pro tempore existenti praefecto, et missionario praedicto concedimus. Praeterea dicto praefecto, et missionario, suisque successoribus novos redditus, ac bona una cum adnexis oneribus, quae circa hujus pii instituti augumentum versentur, sub sua, suorumque successorum obligatione etiam per publicum instrumentum accipiendi, ac lata, et accepta habendi plenam, et amplam facultatem, motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Eidem praefecto jus conceditur admittendi postulantes adolescentes.

§. 4. Tertio praefectum, ac missionarium hujusmodi in admittendis postulantibus, tum ut instruantur, tum etiam ut ad sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, qualenus capaces sint, aut praevia aliquorum sue arbitrio, ac conscientia praefinieodorum dierum disciplina tales reddantur; primum accedant, ex cujuscumque personae arbitrio minime pendere, volumus, ac declaramus.

Adolescentes in domo exercitiorum possent recipere etiam sacramentum confirmationis.

§. 5. Quarto, ut adolescentulos, qui aut in dicta domo exercitiorum noviter erecta, aut in oratorio, prout alias laudabilis consuetudo obtinuerat, ad primam communionem sancte suscipiendam erudientur, ad recipiendum quoque sacramentum confirmationis, si sacro hoc chrismate nondum fuerint peruncti, institutl, ac inibi etiam sacramentum hujusmodi servatis alias servandis, et prius quam ad divinam mensam accedant; ipsis conferri libere, ac licite possit, concedimus, et indulgemus.

Conceduntur aedes cappellae et sacrae suppellectiles pro usu collegii.

§. 6. Quinto eamdem aedium collegii Romani portionem, qua jam de consensu dictorum cardinalium collegii Romani guberoio, et regimini praepositorum consensu, ut praefertur, in usum, ac commodum, et recreationem eorum, qui spiritualibus exercitiis incumbunt; aut ad primam communionem instituuntur, hucusque uti licuit, deinceps pariter in perpetuum usum ejusdem domus exercitiorum una cum dictis cappellis sancti Aloysii Gonzaga, ac sacris suppellectilibus etiam argenteis ad illas quomodocumque spectantibus, ac cum accessu, et eccessu intra aedes ejusdem collegii Romani, quo usque in praesens usa est, attribuimus; ita tamen et loci istius pavimentorum, tecti, et murorum manutentio collegio Romano incumbat, et ad domum praedictam portarum, fenestrarum, aliarumque rerum similium accidentalium, et ad interiorem partem loci pertinentium conservatio spectet: quod si pro dictae portionis aedium latiori, ac commodiori usu aliqua paries sit demolienda, aut de novo erigenda, nisi de eorumdem cardinalium collegii Romani gubernio praepositorum consensu, ac sumptibus ejusdem domus id fieri licere, motu, scientia, auctoritate, ac tenore praedictis edicimus, ac mandamus.

Conceditur jus exponendi ss. Sacramentum servatis sacris ritibus.

§. 7. Tandem, ut etiam amplioribus gratiis, et indultis piam institutionem hujusmodi prosequamur, moderno, ac pro tempore existenti praefecto oratorii, et missionario urbano, cui, ut praefertur, operis hujusmodi dire-

ctionem, ac regimen commisimus, durantibus spiritualibus exercitiis, ac instructionibus praedictis augustissimum Eucharistiae sacramentum in alterutra ex dictis cappellis sancti Aloysii Gonzaga, dummodo ad id sit decenter ornata, asservandi, illudque publicae Christifidelium ad illam confluentium venerationi debita cum reverentia juxta sacros ritus in expositionibus sanctissimi Sacramenti servari solito exponendi plenam, et amplam facultatem motu, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur; ita tamen ut ante cyborium lampas die noctuque durante tempore praedicto, accensa detineatur, et ejusdem cyborii clavis ab aliquo sacerdote diligenter custodiatur.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac foro, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissima suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima secunda julii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLIV.

Dat. Romae 12. julii 1785. Anno XI.

Pacta, et conventiones inter sanctam Sedem, et regnum Franciae quoad commercium librorum initae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memorantur pacta inita inter nuncium apostolicum, et commissarium regis Franciae.

§. 1. Cum per dilectum filium Christophorum Mariam Pieracchi auditorem nunciaturae Nostrum, et sanctae Sedis apud carissimum in Christo filium Nostrum Ludovicum Galliarum regem christianissimum ad Nostra, et ejusdem sanctae Sedis negocia curanda deputatum, a Nobis specialiter commissarium electum ex una, ac dilectum itidem filium Carolum Gravier comitem de Vergennes, baronem de Welferdinae d'Uchon et de sancti Eugennes, dominum de Bordeaux, sancti Sinphoriani de Mormagne da Pont Dovaux, de Marly, de Barnault, et aliorum locorum, consiliarium ejusdem regis christianissimi in omnibus consiliis, praeceptorem, seu commendatarium suorum militarium ordinum, caput consilii regalis finantiarum, consiliarium status, di spada, ministrum, et secretarium status, et jussionum, et finantiarum dicti regis christianissimi cum negotiorum exterorum munere, ab eodem rege christianissimo commissarium deputatum ex altera parte nonnullae conventiones, et pacta inter Nos, et saepe memoratum Ludovicum regem christianissimum, ac super commercio librario inter Nostros, ac sanctae Sedis comitatuum Avenionensis, et Venayssini, et ejusdem regis christianissimi respectivo subditos subscripta fuerunt tenoris sequentis videlicet.

ARTICULUS PRIMUS

Statuitur perfecta qualitas quoad leges, et commercium

§. 2. Erit in posterum in vim hujus praesentis concordiae typographos Avenionenses, et comitatus Vedassensis inter, et subditos regis christianissimi perfecta qualitas tum quoad leges respicientes artem librariam, tum quoad commercium, et librorum in duobus respective ditionibus editorum circulationem.

ARTICULUS SECUNDUS

Idcirco sancta Sedes leges Gallicas praescribere promittit, quoad artem librariam.

§. 3. Hinc Sanctitas Sua in ditione Avenionensi, et *Vedassensi* leges praescribet iis, quae jam in Gallia quoad artem librariam sunt latae conformes in ea tamen parte, quae legibus, et gubernii sistemati comitatuum Avenionensis, et Vedassensis constituto non adversetur.

ARTICULUS TERTIUS

Et idem vectigal imponet chartae in Gallia constitutum.

§. 4. Sanctitas Sua in ditione Avenionensi, et in comitatu imponet chartae vectigal simile in Gallia constituto duraturum usque dum istud subsistat, illius vero exactio in utilitatem camerae apostolicae vertenda, et eodem prorsus modo, quo in regnis praedictis, peragenda, iis

qui aut in generali regis, aut in generali redemptione tabaci aliquo munere funguntur insimul cum uno substituto a Sanctitate Sua ad hoc nominando, et deputando erit committenda. Hi porro Sanctitatis Suae officialibus suae ditionis Avenionensis, et Vedassensis quolibet semestri rationem reddent.

ARTICULUS QUARTUS

De numero typographorum contrahendo.

§. 5. Sanctitas Sua numerum typographorum civitatis Avenionensis ad octo dumtaxat, aliarum vero civitatum comitatus ad eum contrahet, qui aequalis sit civitatum regni Galliae, quae ejusdem pene sint vis, et incolarum frequentiae, sibi reservans eadem Sanctitas Sua facultatem concedendi iis typographis, qui aut ob illorum necessitates, aut ob alias peculiares rationes aliquam gratiam promererunt, ut, quoad vixerint dumtaxat typis mandare possint.

ARTICULUS QUINTUS

Interdictio de publicandis libris cum privilegio regis christianissimi.

§. 6. Propositis legibus juxta disposita in articulo secundo hujus conventionis omnibus typographis Avenionensibus, et comitatus erit interdictum libros cum privilegio majestatis suae christianissimae in suo regno typis excussos durante privilegio hujusmodi iterum in lucem edere. Erit insuper pariter interdictum novos libros typis tradere, ad hoc ut in regno Franciae vendantur, nisi prius manuscriptus codex censurae alterius ex censoribus regiis subjiciatur, ac privilegium majestatis suae christianissimae obtineatur, quod tamen eo prorsus modo, quo in editionibus regni adhiberi solet tum auctoribus, tum typographis cum idoneis, et aptis clausulis concedatur. Codex vero manuscriptus erit subinde cancellario, seu custodi sigillorum Galliae transmittendus in eodem statu, in quo a censore regio fuit approbatus. Erit vicissim typographis regni Franciae interdictum typis excudere ea opera, pro quibus excussores Avenionenses, aut comitatus Vedassensis privilegium ad in hoc articulo disposita impetrarunt. Libros porro in regno editos in comitatu praedicto subjicere non licebit, nisi prius obtenta venia a ministris legationis Avenionensis ad artem librariam dirigendam deputatis. Codex vero manuscriptus, operum hujusmodi, seu illius exemplar vice legato Avenionem erit transmittendus in eodem statu, in quo ab officialibus Sanctitatis Suae fuerit approbatus.

ARTICULUS SEXTUS

§. 7. Vice legatus Avenionensis, et cancellarius, seu custos sigillorum Franciae sibi mutuo quolibet semestri mittent cathalogum licentiarum, quas respective concesserunt edendi libros, pro quibus nullum existat privilegium, aut pro typographis regni, aut pro typographis Avenionensibus, et comitatus *Vedassensis*, aut quorum privilegium jam expiratum sit, juxta praescripta in articulo secundo. De cathalogo librorum invicem communicando.

ARTICULUS SEPTIMUS

§. 8. Sua majestas christianissima considerans bibliopolis, et typographis Avenionensibus, et comitatus *Vedassensis* haud profuisse l'estampillé juxta arrestum diei xxx. augusti anni MDCCLXXVII. ad distrahenda les contrefaçons eis concedit transitum territorialem, ut apud exteras nationes mittere possint contrefaçons, quae de tempore praepositi edicti in ditione Avenionensi, et *Vedassensi* juxta articulum secundum hujus conventionis apud se retinebunt, cavens modis omnibus necessariis ad impediendum quominus contrefaçons hujusmodi in suo regno supersint. Ut autem praesens articulus suum sortiatur effectum Sanctitas Sua vice legato Avenionensi committet, ut certo constare faciat les contrefaçons post hujus conventionis ratihabitationem, et ante publicationem legum praedictarum apud bibliopolas, et typographos suae ditionis Avenionensis, et *Vedassensis* existentes, nec non l'estampille in prima pagina cujuslibet apponi studeat, vice legatus porro Avenionensis mittet cancellario, seu custodi sigillorum Franciae transumptum processuum verbalium, qui collecti fuerunt habentium numerum, et naturam harum contrefaçons. Concessio transitus territorialis.

ARTICULUS OCTAVUS

§. 9. Sua majestas christianissima desiderans, ut incolae Avenionenses, et comitatus *Vedassensis* omnibus, et singulis juribus, privilegiis, libertatibus, et exemptionibus in literis patentibus contentis ipsis a regibus christianissimis praedecessoribus suis concessis, ac Confirmatio privilegiorum.

ab eadem majestate sua mense decembris anni MDCCLXXIV. confirmatis uti, ac frui possint, opportunis modis providebit, ut libera saoctorum, et glutinis pro officinis chartariis exportatio, ac libera harum primigeniarum materiarum circulatio absque ullo vectigali, prout in toto regno obtinet, restituatur.

ARTICULUS NONUS

Conventio de approbatione tractatus explicite facienda.

§. 10. Praesens tractatus erit a Sanctitate Sua, et majestate sua christianissima approbandus, et ratus habendus, ac ratihabitationes hujusmodi inter spatium sex hebdomadum a die subscriptionis consultare, aut citius, si fieri poterit, erunt communicandae. In quorum fidem Nos commissarii Sanctitatis Suae, et suae majestatis christianissimae in vim nostrarum respective plenipotentiarum, duo exemplaria conformia hujusce conventionis subscripsimus, eaque nostrorum stemmatum sigillo munivimus.

Datum Versailles die VII. junii MDCCLXXXV.
Abbas Pieracchi
Luco ✠ Signi
Granier de Vergennes
Loco ✠ Signi

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 11. Hinc est, quod Nos conventiones, et pacta hujusmodi rata itidem habere, stabilique firmitate subsistere, et inviolabiliter observari cupientes motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, conventiones, ac pacta praeinserta tenore praesentium ratificamus, ac rata habemus, ac promissa per ipsum Christophorum Mariam Pieracchi nuncupatum, et apostolicae Sedis ad hoc negotium plenipotentiarium deputatum in conventionibus, et pactis praedictis sincere, ac inviolabiliter, ex Nostra et ejusdem Sedis parte adimpletum, et servatum in verbo Romani pontificis promittimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes has praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quantumvis magno, et inexcogitabili defectu notari, et impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus quibusvis apostolicis constitutionibus, et ordinationibus. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona julii millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLV.

Dat. Romae 3 augusti 1785 Anno XI.

Facultas magistro generali fratrum ordinis beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum dismembrandi a provincia Italiae dicti ordinis conventum sancti Hadriani de Urbe, illumque in collegium generalitium erigendi.

Dilecto filio Josepho Gonzalez, Aquilar, Torres, et Navarra fratrum ordinis beatae Mariae Virginis de Mercede redemptionis captivorum nuncupatorum magistro generali.

Pius PP. VI.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. In supremo militantis Ecclesiae solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem divinae sapientiae, et clementiae abundantiam constituti ad ea, quae ad religiosorum virorum coetus in Ecclesia Dei pie, sancteque institutos in salutari eorum vivendi norma, regularique observantia confovendos, atque conservandos proficua fore conspicimus, libenter intendimus, ut sic recte, salubriterque in via mandatorum Domini incedentes securius aeternam repromissionem consequantur, prout juxta rerum, ac temporum circumstantias in Domino expedire arbitramur.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod conventus sancti Hadriani de alma urbe Nostra tui ordinis opera, studio, ac sumptu

tuorum praedecessorum, aliorumque Hispanorum fuit aliss arectus, auctus, ac magnifice ornatus, immo a quotidianis suis indigentiis levatus, ut inibi ob religiosorum numerum regularem observantiam custodiri, divinumque cultum promoveri posset. Ast licet provinciae Italiae, quae in utriusque Siciliae regno suas domos, ac conventus habet fuerit aliss unitus, ex rerum tamen, ac temporum vicissitudinibus factum est eo devenisse, ut cum vix, aut ne vix quidem octo fratribus inibi commorantibus victum, ac vestitum suppeditare valeat, grandi aera alieno sit gravatus, regularisque observantia a suo pristino nitore sit penitus quasi collapsa; ut tot itaque tantisque malis aliquod remedium adhibeatur, duo praecipue opportuna fore arbitratus es, alterum nempe, ut aes alienum, quo dictus conventus premitur, dissolvatur, quod jam a te in maxima parte impletum est: alterum, ut praevia illius separatione, ac dismembratione a provincia Italiae praedicta in generalitium collegium erigatur, ac religiosi studentes ex Hispaniarum provinciis eligendi inibi operam tamen navent; annuus vero illius census ex taxatione juxta rationabiles quotas ab aliis dictarum provinciarum Hispaniarum domibus, et conventibus solvendas augeatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Dismembratio conventus s. Hadriani a provincia Italiae, illiusque erectio in conventum generalitium.

§. 3. Nos igitur postquam haec omnia debito examine perpenderimus, ac audito etiam venerabilis fratris Nostri Caroli cardinalis episcopi Portuensis Rezonico nuncupati, apud Nos, et sanctam Sedem ejusdem tui ordinis protectoris consilio, te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, discretioni tuae, de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praevia dismembratione, ac segregatione conventus sancti Hadriani de urbe tui ordinis a provincia Italiae, cui ad haec usque tempora fuerat addictus, prout tenore praesentium illum dismembramus, ac segregamus, et dismembratum, segregatumque esse, et fore auctoritate apostolica earumdem tenore decernimus, et declaramus, conventum hujusmodi in collegium generalitium auctoritate Nostra apostolica erigas, et instituas, adeo ut in posterum uni magistro generali tui ordinis pro tempore existenti subditus sit, illique, vel alteri de ejus mandato tantummodo pareat, et obediat; ut insuper in eo deinceps religiosos studentes ex provinciis Hispaniarum a te, vel a magistro generali hujusmodi designandis, et evocandis studiis sedulo, ac diligenter vacaturos fore edicas; in illius vero commendatarium, seu praesidentem procuratorem, seu vice-procuratorem generalem ordinis praedicti pro tempore existentem, ac in Romana curia commorantem constituas; ac familiam ejusdem conventus, quae viribus annuorum suorum redditum, ac proventuum sit conformis, ex fratribus cujuscumque provinciae pro libitu, ac prudentia magistri generalis pro tempore existentis esse componendam, mandes, atque declares.

Impositio taxae pro congrua conventus exhibitione.

§. 4. Et quoniam haec inutiliter disposita essent, nisi etiam laxiori censu conventus hujusmodi instruatur, tibi propterea itidem injungimus, ut domibus, seu conventibus praedictarum provinciarum Hispaniarum eam annuam taxam, seu pecuniae contributionem, quae pro congrua conventus praedicti exhibitione sufficiens videbitur, auctoritate praedicta imponas, et imperes; caeteraque omnia ad revocandam in dicto conventu collapsam regularem disciplinam, illumque ad pristinum nitorem, ac splendorem restituendum opportuna in Domino arbitraberis, statuas, atque decernas, ac fieri, et exequi cures, ac studeas. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam facultatem ad praemissa omnia, ac circa ea, quae ad harum literarum executionem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, declarandi, et exequendi, ac exequi mandandi eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes praesentes literas etiam ex eo quod fratres provinciae praedictae, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas ipsae praesentes emanarint, adductae, specificatae, et

justificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis justa, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite, etiam in corpore juris clauso etiam enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, ad terminos juris reduci, seu in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ot Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, at definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac provinciae Italiae, et conventus praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, at individua, non antem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLVI.

Dat. Romae 2. augusti 1785. Anno XI.

Confirmantur statuta collegii Aromatariorum de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni custodes ecclesiae sancti Laurentii in Miranda nuncupati, ac consules, aliique officiales collegii Aromatariorum de urbe in dicta ecclesia canonice instituti, quod alias venerabilis frater Noster Karolus episcopus Portuensis, et sanctae Rufinae Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Rezzonico nuncupatus, ejusdemque Sanctae Romanae Ecclesiae camerarius, dictorumque ecclesiae, et collegii visitator auctoritate apostolica deputatus, nonnulla statuta in capitulis quinquaginta octo degesta pro bono dictae ecclesiae sancti Laurentii regimine, rectaque administratione, nec non felici, et prospero ejusdem collegii progressu sub certis modo, et forma tunc expressis, vigore facultatum in collatione muneris visitatoris hujusmodi a Nobis ei concessarum approbavit. Cum antem sicut eadem expositio subjungebat, quae per literas apostolicas ab apostolica Sede approbantur, et confirmantur, firmiora existant, et exactius ab omnibus observari soleant; Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis

opportune providere, ac indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: statuta, ut capitula praedicta, ac in eis contenta quaecumque, quorum tenorem praesentibus pro expresso, et inserto haberi volumus, dummodo tamen licita sint, et honesta, ac juri communi, sacrisque canonibus non adversentur, auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum, ac quoscumque alios quosdumvis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint in eisdem supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 3. Decernentes statuta, et capitula hujusmodi, nec non easdem praesentes literas semper, et perpetuo firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac modernis, et pro tempore existentibus custodibus, et consulibus praedictis, aliisque ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, et adimpleri debere; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis praedictae nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, ecclesiae, et collegii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda augusti millesimo septingentesimo octoagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLVII.

Dat. Romae 19. augusti 1785. Anno XI.

Declaratur munus scribae obstare non posse quin illo fungentes, dummodo habeant alia requisita, ad militares ordines s. Jacobi de Spatha, de Calatrava, et Alcantara admittantur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Preces porrectae a rege catholico. §. 1. Romanum decet pontificem aequi, bonique supremum assertorem in terris a Domino constitutum illa omnia concedere, quae pro recta militarium ordinum directione juste postulantur, prout in Domino salubriter expedire arbitratur. Inter caeteros siquidem, qui ab habitu militarium ordinum s. Jacobi de Spatha, de Calatrava, et de Alcantara per statuta eorumdem ordinum, auctoritate apostolica confirmata, ab ufficio, quo ipsi, aut eorum descendentes functi sunt, rejiciuntur, ii etiam, qui munus scribae exercuerunt, sub certis exceptionibus recensentur. Cum autem exceptiones hujusmodi, quod neque differentes classes muneris hujusmodi secernant, neque apertis verbis circumstantias enuntient, in quibus, vel non obtinere debeat statutaria dispositio, immo interdum ob diversas eorumdem statutorum expressiones, diversas quoque suscipiant interpretationes, non raro in candidatorum admissione difficultates indicant, ac dubia; hinc carissimus in Christo filius Noster Carolus III.

spaniarum rex catholicus, ut de medio removeantur incommoda hujusmodi, Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Pontifex regis catholici precibus annuit.

§. 2. Nos igitur praedictum Carolum regem catholicum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati munus, seu officium scribae, minus vero scribae cameran regulariorum tribunalium perpetuis futuris temporibus obstare haud posse, quin illo fungentes, caeteroquin juxta eorumdem statutorum ordinum praedictorum capaces, ad suscipiendum habitum dictorum ordinum admittantur, auctoritate apostolica tenore praesentium statuimus, decernimus, atque declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac iis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab iis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictorum ordinum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima nona augusti millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLVIII.

Dat. Romae 17 augusti 1785. Anno XI.

Suppressio domus de Kewen-Hagen oppidi Essendiensis, et applicatio monasterio sanctimonialium congregationis beatae Mariae virginis ejusdem loci.

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo Tyanensi ad tractum Rheni, ac partes inferiores Germaniae Nostro, et Sedis apostolicae nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater

Salutem, et apostolicam benedictionem

Prooemium.

§. 1. Cum inter caetera pia, ac proficua instituta, circa quae virgines in monasteriis divino sponso famulantes sapienter versantur, ea esse recensenda, quae in puellarum educatione, ac ad bonas artes, praecipue vero ad pietatem, et religionem illarum institutione occupantur, dubium non sit, decet propterea Nos in apostolicae dignitatis culmine, licet nullis Nostris suffragantibus meritis, collocati ea omnia concedere, quae ad tam utile, ac proficuum institutum fovendum, promovendumque pertinere dignoscimus, praesertim cum sublimiorum principum vota in id cumulantur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum ab abbatissa conventus Essendiensis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia Maria Cunegundis abbatissa Essendiensis, quod in oppido civitate nuncupato Essendiensi, monasterium sanctimonialium de congregatione beatae Mariae virginis nuncupatarum erectum existit, cujus institutum est, puellarum educationi, et ad bonas artes, praesertim vero ad religionem institutioni sedulo vacare. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, monasterii hujusmodi regularis disciplina ob exiguum censum, cujus potitur, non parum dejecta fuerit; illam-

que licet ad suum pristinum candorem, et utilitatem revocare modis omnibus memorata abbatissa studuerit, nisi tamen congruis redditibus, ac proventibus illud ditetur, brevi suas sollicitudines, ac curas hujusmodi in irritum cessuras fore videat, hinc cum in eodem oppido civitate nuncupato Essendiensi quatuor ex tent domus, seu conservatoria virginum, quae etsi communiter vivant, ac vocatae aegrotis, recepta mercede, ministrent, ipsis nihilominus cum nullis votis sint obstrictae, nullamque profiteantur approbatam, ac confirmatam regulam, integrum est conservatoria, seu domus hujusmodi deserere, ac ad parentes, et propinquos pro lubitu revertere, deque bonis suis quomodolibet disponere; ad publicam autem utilitatem maxime pertineret, si altera ex dictis domibus, seu conservatoriis cum virgines trium superextantium domorum hujusmodi satis superque videantur in dicto oppido civitate nuncupato aegrotis, ut praefertur, ministrare, illa nempe de Kewen-Hagen, quae dicto monasterio sanctimonialium congregationis beatae Mariae virginis adnexa est, eidem monasterio uniretur, et incorporaretur, prout uniri, ac incorporari moderna abbatissa praedicta summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur serio considerantes, nedum utilitatem, sed etiam necessitatem consulendi ingenuae, ac catholicae puellarum dicti oppidi, civitatis nuncupat. Essendiensis educationi, idque fieri commode posse, si dictum monasterium congregationis beatae Mariae virginis satis congruo censu ditetur, immo etiam prae oculis habentes graves sumptus, quos eadem moderna abbatissa in advocandis undique magistris in dicto monasterio puellarum institutioni incumbentibus posuit, ut omnes sollicitudines, ac studia hujusmodi suum sortiantur effectum, eamdem abbatissam specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae de cujus prudentia, religionis zelo, ac summa in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut domum, seu conservatorium aegrotis ministrantium praedictum de Kewen-Hagen nuncupatum auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressum, et extinctum esse decernas, atque declares. Bona vero mobilia, et immobilia, redditus, proventus, jura, et actiones quomodolibet ad illud spectantia, et pertinentia monasterio sanctimonialium congregationis beatae Mariae virginis praedicto eadem auctoritate unias, incorpores, ac adnectas, ac unita, incorporata, et adnexa esse, et fore statuas; ita tamen ut per dictum monasterium omnia onera, quibus eadem bona, fructus, redditus, ac proventus sunt gravata religiose adimpleantur, decernas. Virginibus autem seu puellis in eadem domo de Kewen-Hagen nunc communiter viventibus, aut dictum monasterium sanctimonialium congregationis beatae Mariae virginis ingrediendi, in eoque regularem vitam profitendi, aut ad paternam domum, cum nullis votis sint obstrictae, revertendi, liberam actionem auctoritate apostolica des, et permittas; si vero ad paternam domum redire mavint, tunc ut eis, quae in eadem domo, seu conservatorio de Kewen-Hagen citra duodecim annos permanserunt, dos in dictae domus, seu conservatorii ingressu soluta una cum omni suppellectili, quam ad illas spectare constabit, restituatur, cures, ac studeas; eis vero, quae ultra duodecim annos inibi pariter moram traxerunt, ex redditibus, fructibus, ac proventibus praedictis annua pensio, nec minor scutorum duorum de viginti, nec major trigentorum monetae Romanae, quoad vixerint, persolvatur dicta auctoritate mandes, et statuas. Nos enim tibi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam facultatem ad suppressionem, ac respective unionem, et subjectionem hujusmodi conficiendam, perficiendamque faciendi, gerendi, ac exequendi, et exequi mandandi auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

§. 4. Decernentes has praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordina-

Clausula sublata, et decretum irritans.

rios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non domus, seu conservatorii de Kewen-Hageo praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Facultates speciales, et extraordinariae.

§. 6. Caeterum ne aliquod in actu executionis praesentium suboriatur dubium eidem fraternitati tuae, cujus in Domino plenam fovemus fiduciam, omnem tribuimus facultatem, ut pro tui prudentia praemissa gerens agat etiam quidquid juxta contingentes circumstantias duxerit disponendum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLIX.

Dat. Romae 26. augusti 1785. Anno XI.

Facultas singulis locorum ordinariis permittendi erectiones domorum congregationis clericorum Discalceatorum passionis D. N. J.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Unigeniti filii Dei Salvatoris Nostri Jesu Christi, qui pro reconcilianda auctori suo humana natura de coelis ad mundi hujus infima descendere, nostraeque mortalitatis carnem sumere, at tandem errata nostra ineffabili dignatus est charitate diluere, vices, licet immeriti, gerentes in terris gregem Dominicum curae Nostrae commissum omnibus modis ad viam salutis aeternae persolvere satagentes, Christifidelibus, qui despectis hujus saeculi illecebris, in religionem Deo proprius famulari, ac proximum nedum verbo, sed etiam exemplo totis viribus a peccato avertere susceperunt, libenter ea concedimus, quae ad divini cultus augumentum, proximi aedificationem, ac earumdem religionum commodum spectare cognoscimus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius modernus praepositus generalis congregationis clericorum Discalceatorum Passionis Jesu Christi nuncupatorum, quod cum alias pro parte tunc existentis praepositi generalis congregationis praedictae supplices preces Nobis oblatae fuerint, quibus ad removendas omnes difficultates, quae in erectione domorum, seu recessum suae congregationis a regularibus forsan suscitari possent, de solo ordinarii locorum, ubi novas domus, aut recessus hujusmodi erigi pro tempore contigisset consensu, id fieri posse postulabatur. Nos ex causis animum Nostrum tunc moventibus petitionem hujusmodi in suspenso reliquimus, ac voluimus in peculiaribus casibus dumtaxat a congregatione praedicta Nostram implorari apostolicam auctoritatem. Cum autem Nobis nuper constare fecerit dictus praepositus generalis archiepiscopos, episcopos, caeterosque locorum ordinarios propter jurgiorum, ac litium metum abstinere, quominus fundationes hujusmodi adjuvent; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. — Expositio precum porrectarum a praeposito generali congregationis.

§. 3. Nos igitur quantum Christifidelibus ex congregationis praedictae propagatione spiritualis utilitatis, et divini cultus augmenti provenire queat considerantes, ac memoratum praepositum generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humi- — Tenor concessionis.

liter porrectis inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negotiis praepositorum consilio, omnibus archiepiscopis, episcopis, caeterisque locorum ordinariis novas fundationes domorum, ac recessum congregationis praedictae in locis earum respective dioecesum, in quibus duodecim saltem clerici praedicti sine praejudicio, aut detrimento regularium inter ambitum quatuor millium passuum praeexistentium commode vivere possint, nullo praevio eorumdem regularium consensu, ac quovis remoto recursu permittendi, illisque concedendi plenam, et amplam facultatem confirmamus, et quatenus opus sit, de novo concedimus, et impertimur: salva tamen semper in praemissis ejusdem congregationis auctoritate.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissima suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non a felicis recordationis Gregorio pp. XV. praedecessore Nostro decreto die XVII. augusti MDCXXII. emanato, aliorumque ordinum etiam Mendicantium etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLX.

Dat. Romae 8. septemb. 1785. Anno XI.

Confirmantur statuta civitatis Tuscanellae super aggregatione ad consilia et nobilitatem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum a magistratu porrectarum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii confalonerii, et magistratus consilii civitatis Nostrae Tuscanellae, quod ad componendas aggregationes, reintegrationes, ac etiam futuras admissiones ad consilia, et gradus magistraturae ejusdem civitatis nonnulla exararunt statuta cum auctoritate praesidis provinciae tenoris, qui sequitur:

PROEMIO

Tenor statutorum.

§. 2. Essendosi risoluto nell' ultima congregazione del bussolo, coll' autorità, e presenza di monsignor preside della provincia di venire ad una collezione di leggi, e riforme in ciò che appartiene alle aggregazioni, e reintegrazioni, come anche in ciò, che riguarda le future ammissioni ai consigli, ed ai gradi della magistratura, affinchè con più chiarezza si proceda ne' casi premessi, e si tolga ogni occasione di disputa, o questione, abbiamo formati i presenti statuti coll' autorità del nostro officio, e da perpetuamente, ed inviolabilmente osservarsi. E poichè due sono i consigli, cioè uno di Cernita chiamato anche segreto, l' altro generale; due sono gli ordini della città distinti dal popolo, e dalla plebe, cioè il nobile ed il civico; e duo finalmente sono i gradi della magistratura, cioè il primo de' confalonieri, il secondo degli anziani in conformità del nostro statuto approvato dalla santa memoria di Niccolò pp. V. abbiamo distinte nelle seguenti rubriche le presenti costituzioni.

RUBRICA I.

Delle aggregazioni all' ordine civico.

De aggregatione in ordinem civicum. §. 3. Inerendo a quanto dispongono le nostre leggi municipali, stabiliamo, ed ordiniamo, che chiunque in avvenire voglia essere ammesso al grado civico, debba essere di onesti natali, e discendenza; che non eserciti, od abbia esercitato alcun' arte meccanica; che viva comodamente, e che possegga tanto nella città, che sia sufficiente per mantenersi con quel lostro, o decoro, che esige il grado suddetto. Quando il postulante avrà ciò pienamente giustificato avanti il confaloniere, ed anziani residenti, mediante la verificazione da farsi per gli atti del segretario della città, dovrà l' istanza proporsi nel bussolo de' statutarj, o secondo il costume ballottarsi a voti segreti. S' intenda vinta, se riporta un voto affermativo sopra la metà. Vinto che uno sia, resti descritto nel numero de' cittadini, collo facoltà d' intervenire ai consigli generali, giunto che sia all' età di vent' un anno; di ottare in caso di vacanze ai gradi degli anziani; e di godere tutti gli onori, o privilegj, che godono gli altri cittadini descritti in detto grado civico.

RUBRICA II.

Dell' aggregazione all' ordine nobile.

De acceptatione in ordinem nobilem. §. 4. Quelli i quali in avvenire vorranno essere ammessi all' ordine nobile di Toscanella o sono cittadini, o sono forensi. Se sono del grado civico della nostra città, dovranno provare la detta cittadinanza, coll' esercizio regolare delle cariche civiche, e di avere tali, e tante sostanze, o rendite, onde possino sostenere il grado con qual decoro, che si conviene all' ordine nobile. Se poi sono forensi, dovranno provare di godere, ed i loro ascendenti di aver goduto i primi onori della loro patria per cento anni; di essere vissuti per detto tempo a guisa de' nobili, e di avere tali, o tante facoltà, o rendite, onde possino sostenersi con decoro nel grado suddetto. Oltre a ciò detti forensi prima di essere ammessi, dovranno stabilirsi nella città. O vorranno la nobiltà per sola onorificenza, e con essere ammessi al solo esercizio delle cariche nobili, ed allora dovranno avere nella città una convenevole casa; o vorranno essere ammessi al godimento di tutti gli altri comodi, che gode il cittadino ed il nobile, ed allora dovranno oltre la casa abitare, e stabilire la somma di duecento libre d' argento. Se poi detti concorrenti sieno baroni, o sieno nobili di altra città, che faccia nobiltà generosa, fatto il dotto della possidenza, e stabilitisi como sopra, saranno sufficienti requisiti per essere ammessi. Il concorrente pertanto dovrà dar supplica alla congregazione de' confalonieri, la quale legittimamente congregata deputati due nobili, i quali per gli atti del segretario della città formino il processo dei requisiti suddetti, e da questi riconosciutosi abile si ponga a partito in altra congregazione de' confalonieri, o sia ammesso, se avrà un voto affermativo sopra la metà. Vinto che sia, si descriva nel libro d' oro collo stemma della famiglia, o goda egli, o suoi discendenti tutti gli onori, o privilegj, che godono gli altri nobili, o como tali sieno anche per discendenza considerati.

RUBRICA III.

Dell' elezione all' anzianato.

De electione antianatus. §. 5. L' anzianato, secondo il nostro statuto libro I. rubrica 35. è il secondo grado della magistratura, a cui debbono essere ammessi quei, che sono dell' ordine civico, al quali un tal grado è riservato. Subito dunque, che uno è aggregato all' ordine civico, acquista il dritto di ottare all' esercizio di detto anzianato. Siccome però due sono i gradi dell' anzianato, cioè primo, e secondo, così dovrà procedersi nell' elezione di questi nel modo seguente. Prima di tutto, dovrà porsi in caso di vacanza il cittadino nella borsa degl' ultimi anziani detta de' Spicciolati: nelle successive vacanze in palla piena di detto grado, dalla palla piena dell' ultimo grado, si passi nella borsa de' Spicciolati de' primi anziani, e da detta borsa, in palla piena d' anziano primo. Questi passaggi si faccino nel bussolo de' statutarj per voti segreti, avendo riguardo alla maggiore antichità della famiglia, o questo passaggio dovrà darsi allora, quando non vi sieno o figli, o fratelli, o nepoti per linea discendentale dell' anziano promorto, i quali in questo caso debbono succedere al padre, al fratello, ed all' avo. Nessuno possa essere ammes-

so a detto esercizio se non è in età di anni venticinque, come dispone il nostro statuto.

RUBRICA IV.

Dell' elezione del confaloniere.

De electione vexilliferi. §. 6. Vuole il nostro statuto al libro 1. rubrica 35. che a questo primo grado di magistratura sieno ammessi solamente i nobili primati della città, riservando il dritto di successione ai discendenti. Che però inerendo alla medesima statutaria disposizione, ordiniamo, che siccome ognuno descritto all'ordine nobile ha il dritto, colla sua discendenza di essere ammesso alla magistratura nel grado di confaloniere non essendavi o figli, o fratelli, o nepoti, per linea discendentale in età abile per occupare il luogo vacato tanto de' confalonieri in palla piena, quanto de' confalonieri esistenti in borsa d'oro, i quali debbono in ogni caso succedere, ed essere preferiti, così in mancanza di questi, si elegga uno de' nobili, che sono fuori d'esercizio, e così sempre, che vi sieno le dette famiglie. In mancanza di queste si elegga ad un tal grado uno degli anziani primi, osservando in questo caso quanto vien disposto nella rubrica 2. de' presenti statuti. Chiunque pertanto dovrà essere ammesso nelle vacanze al confalonierato, nel caso, che non vi sieno discendenti abili a detto officio dovrà essere posto nella borsa d'oro, e da questa in seguito estratto a sorte, passerà secondo le vacanze in palla piena. Non deva alcuno ammettersi a tale officio, se non è in età di anni venticinque. L'abito del confaloniere, e come quello dell' anziano, rimane da questo distinto coi fiocchi d'oro alla fascia, e cordoni, e fiocchi d'oro al fongo, o sia cappello, che è privativa del solo confaloniere, come il grado è riservato pe' soli nobili.

RUBRICA V.

Della reintegrazione alla nobiltà.

De reintegratione ad nobilitatem. §. 7. Sebbene colla mutazione del domicilio non si perda affatto la nobiltà acquistata, nondimeno per la lunga assenza, si perde l'esercizio delle cariche nobili. Che però se qualche famiglia si è esentata lungamente deve domandare la reintegrazione, la quale ottenendo, s' intenda conceduta anche agli ascendenti intermedj, se non ostano l'esercizio di arti infami, e meccaniche, ed altre azioni indegne, e purchè sieno sempre vissuti a guisa de' nobili, e così ancora, che non vi siino cose in contrario, che possino denigrare in qualche parte la nobiltà. Per ottenere questa reintegrazione, ritornato, che uno sia ad abitare nella città, deve il postulante avanzarne la supplica, e dovrà formarsene il processo, secondo la rubrica 2. del presente statuto, oltre l'esame di quanto si contiene nella presente rubrica.

RUBRICA VI.

Del consiglio segreto.

§. 8. Il consiglio segreto è quello, che dee sempre premettersi al consiglio generale. In esso si risolvono tutte le materie, che non eccedono la somma di scudi cinquanta, e dove si stabilisce tutto ciò, che dee proporsi al consiglio generale. Questo consiglio, oltre il magistrato residente, dee essere composto di dodici nobili, nè dee oltrepassare il detto numero, che però al medesimo debbono intervenire tutti i confalonieri, tanto in palla piena, che in borsa d'oro. Mancando alcuni di essi al detto numero, debbono intervenirvi gli altri nobili, che vi sono, ed in mancanza di questi gli anziani primi, secondo l'ordine dell' anzianità dell' officio. Due terzi di questi, secondo lo statuto, e consuetudine, sono sufficienti per essere legittimo, e per poter risolvere. De consilio secreto.

RUBRICA VII.

Del consiglio generale.

§. 9. Nel consiglio generale debbono intervenirvi tanto i nobili, che i cittadini. Il numero de' consiglieri, oltre il confaloniere, ed anziani residenti può giungere fino al numero di trentasei; ma secondo le leggi fin qui osservate, è sufficiente il numero di sedici per renderlo compito, e legittimo. De consilio generali.

RUBRICA VIII.

Della congregazione del bussolo.

§. 10. Il bussolo si raduna ogni due anni per dare il giro consueto alle magistrature, e De congregatione bussuli.

per istabilire e riformare le leggi. Questa congregazione, oltre il confaloniere, ed anziani residenti, dee esser composta di sedici nobili; che però alla medesima debbono intervenire tutti i confalonieri tanto in palla piena, che in borsa d'oro, e gli altri nobili. Mancando qualcheduno al detto numero, debbono per compimento chiamarsi gli anziani primi, secondo l'anzianità dell'officio.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 11. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut praeinserta statuta firmius subsistant, et serventur exactius auctoritatis Nostrae apostolicae patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; attenta dilecti filii Joannis Baptistae Mirelli gubernatoris civitatis Nostrae Viterbiensis relatione, praeinserta statuta auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus praemissis, et quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis Tuscanellae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXI.

Dat. Romae 2. septemb. 1785 Anno XI

Confirmatio kalendarii, breviarii, missalis, et martyrologii pro fratribus minoribus sancti Francisci de observantia nuncupatis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Religiosos ordines, quos tamquam fertilia agri Dominici plantaria circumspecta Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum providentia instituit, in visceribus paternae gerentes charitatis, fratrum minorum ordinem viris sanctitate, pietate, religione, sacrarum, eisque ancillantium bonarum literarum scientia, ac propriae, alienaeque salutis studio maxime praeditis fulgentem, singularibusque in divinam psalmodiam, et in hanc sanctam Sedem meritis conspicuum peculiari apostolicae dilectionis affectu complectimur, proinde eidem modo in id studium incumbentes ut libri omnes divini officii ad usum professorum ipsius ordinis, aliorumque quam emendatissimi, et ad recentiorum apostolicae Sedis dispositionum normam exacti, legibusque nonnullis, et concessionibus ornati in lucem pro-

deant, libenter prospicimus; atque opportunae provisionis remedium exhibemus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Exponitur libros fuisse jam emendatos a congregatione cardinalium ad id specialiter deputata.

§. 2. Cum Nos alias precibus dilecti filii Paschalis a Varisio totius ordinis minorum sancti Francisci ministri generalis, Nobis humiliter porrectis annuentes, ut editio breviarii, diurni, missalis, et martyrologii Romano-Seraphici denuo facienda juxta kalendarium dicti ordinis anno MDCCLXXXI. correctum, et a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum approbatum cumulate perfecta foret, dilectos filios Nostros Antonium Eugenium Vicecomitem, Joannem Archintum, et Gregorium Salviati Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales in revisores dictorum operum cum omnibus facultatibus necessariis, et opportunis ad hoc, ut ipsi, et eorum singuli, si quae in dictis operibus moderanda, immutanda, et corrigenda, seu etiam expungenda reperiissent, juxta datam ipsis a Domino prudentiam moderarentur, immutarent, corrigerent, et expungerent, deputaverimus, et quum prius quam operi manus imponeretur, memoratus Gregorius cardinalis Salviati aliis curis distentus correctioni, et moderationi hujusmodi incumbere haud posset, in ejus locum dilectum itidem filium Nostrum Joannem Karolum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalem Boschi nuncupatum suffecerimus, simul ac iterum die nempe septima septembris MDCCLXXXIV., et duodecima maji currentis anni memorati cardinales Boschi, Vicecomes, et Archinto simul convenerunt; collatisque consiliis imprimi posse statuerunt cum breviarium, diurnum, et missale, tum martyrologium, quod Romano-Seraphicum appellatur, iis tamen expunctis, moderatis, immutatis, atque correctis, quae longo, maturoque labore, ac diligenti praemisso examine, immutanda, corrigenda, aut etiam expungenda tunc censuerunt.

Preces porrectae pro eorum confirmatione.

§. 3. Posthaec, cum dictus Paschalis novum supplicem libellum Nobis porrexerit pro obtinendis literis apostolicis in simili forma Brevis; quibus non solum superius relata confirmarentur, sed etiam eae constituerentur peculiares leges, facultatesque concederentur, quae magis forent opportunae pro usu, et promulgatione tum breviarii, diurni, et missalis, tum martyrologii praedictorum.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 4. Nos cum haece preces iisdem cardinalibus remiserimus, ac eumdem ministrum generalem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, audita prius relatione dilecti filii Julii Mariae della Somaglia congregationis dictorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum, nec non congregationis dictorum trium cardinalium, ut praefertur, deputatae secretarii, de eorumdem cardinalium Boschi, Vicecomitis, et Archinti consilio cum breviarium, diurnum, et missale, tum martyrologium in dictis congregationibus, die septima septembris anni MDCCLXXXIV., et duodecima maji currentis anni MDCCLXXXV. habitis approbata cum omnibus, et singulis immutationibus, moderationibus, correctionibus quibuscumque, ac nonnullis in dicto kalendario anni MDCCLXXXI. tunc decretis auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Praeceptum de recipiendis novis libris in quolibet monasterio, custodia, et provincia.

§. 5. Praeterea omnibus, et singulis superioribus, fratribus, aliisque quibuscumque personis cujuscumque gradus, et status, et quovis tempore dicto ministro generali pro tempore existenti quomodolibet subjectis, qui, et quae ad horas canonicas sive in choro, sive extra illum recitandas tenentur, et tenebuntur, in quibuscumque provinciis, custodiis, conventibus monasteriis, et locis tam citra, quam ultra montes, et maria, universoque in orbe degentibus, ut postquam breviarium, diurnum, missale, et martyrologium Romano-Seraphicum hujusmodi, ut praemittitur, emendata, correcta, et approbata in lucem prodierint, ac in suis respectivis locis evulgata fuerint eadem scilicet breviarium, diurnum, missale, et martyrologium Romano-Seraphicum, ita tamen ne conventus, aut religiosi oneri novarum expensarum citra necessitatem subjiciantur, ut veterum librorum usus, donec vetustate consumpti fuerint, continuari possit, dummodo servetur novissima eorumdem librorum forma, ideoque ea etiam recitentur omnia, quae in eisdem correcta, vel innovata sunt, juxta im-

pressionem, curante ministro generali praedicto seorsum faciendam hujusmodi correctionum, et innovationum, adhibere, iisque omnino uti auctoritate, et tenore praedictis in virtute sanctae obedientiae praecipimus, et mandamus.

Declarationes speciales

§. 6. Volumus insuper, ut pristinis martyrologiis, kalendariis, breviariis, diurnis, ac missalibus, in iis dumtaxat, quae huic novissimae ipsorum recognitioni, seu reformationi adversantur abolitis in perpetuum, et suppressis, atque ipsorum usu interdicto, ea tamen ratione, quae superius fuit expressa, tenor supradictorum librorum in omnibus servetur; sublata monialibus ministro generali hujusmodi pro tempore existenti subjectis, quae vel jam nunc breviario fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nunc utuntur, vel illius usum in posterum sponte elegerint, facultate deinceps variandi.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus literis felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri in simili forma Brevis pro approbatione breviarii, missalis, kalendarii, et martyrologii fratrum ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum die decima sexta februarii anni 1742. expeditis, nec non duobus decretis memoratae congregationis cardinalium sacris ritibus praepositorum die vigesima tertia mensis novembris anni MDCLXXXVI. et die xxx. augusti anni MDCLXXXVII. editis, quibus auctoritate apostolica per praesentes derogamus, iisque in ea, quae superius disposita adversantur, derogare intendimus. Monialibus vero sanctae Clarae tertii ordinis sancti Francisci, Conceptionistis, Coletaneis, de Annuntiata, aliisque peculiaris alicujus breviarii recitationi nullo sanctae Sedis praecepto obstrictis, quae vel sint instituti conjunctionem aliquam, seu connexionem in sui origine, aut progressu cum ordine minorum habentis, vel breviario alicujus instituti minoritici legitime utantur, sive aliquando usae fuerint; nec non personis tertii status tertii ordinis sancti Francisci choro non obligatis, etiamsi ministri generalis regulari directioni non subsint, breviario, diurno, missali, ac martyrologio Romano-Seraphicis; ita tamen ut hactenus recensitae, aliaeque omnes personae hanc facultatem habentes, vel habiturae, quae usum illorum librorum jam elegerant, seu eligent, ad eosdem libros, quoad kalendarium, rubricas, ceteraque omnes, et singulas eorum partes se debeant conformare perpetuis futuris temporibus utendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis confirmamus, et respective impertimur; sicuti pariter monialibus omnibus, aliisque quibuscumque personis, quae ex Nostro, vel ex Sedis apostolicae vel praecepto, vel facultate iisdem libris utuntur, aut postea utentur, ut kalendarium respective provinciae, seu custodiae, quod adhibent, seu adhibebunt per omnia, etiam quoad officia, et quaslibet officiorum partes, quae fratribus ipsius provinciae, seu custodiae concessa, vel concessae fuerunt, vel in posterum concedentur, sequi libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus; salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis memoratorum cardinalium sacris ritibus praepositorum.

Prohibitio imprimendi eosdem libros absque licentia.

§. 8. Nec non, ut nemo ism in alma urbe Nostra, ac universa ecclesiastica ditione mediate, vel immediate Nobis, ac successoribus Nostris Romanis pontificibus subjecta; quam extra ditionem hujusmodi breviarium, diurnum; missale, et martyrologium hujusmodi sine speciali dicti Paschalis a Varisio moderni, aut pro tempore existentis ministri generalis totius ordinis minorum sancti Francisci toties quoties imprimi contigerit in scriptis obtenta licentia imprimere, aut alibi praeterquam, ut praefertur, impressa vendere, aut venalia habere, vel proponere possit auctoritate, et tenore praedictis pariter concedimus, et indulgemus. Interdicentes propterea, sub poenis canonicis contentis in constitutionibus apostolicis breviario, et missali Romanis praefixis, quibuscumque personis quantumlibet speciali mentione dignis quacumque de causa, et occasione faciant, aut fieri permittant in futuris eorumdem librorum, ut supra; approbatorum editionibus sine speciali licentia, et approbatione sanctae Sedis nullam, vel minimam additionem, detractionem, mutationem, insertionem in aliquo ex eisdem libris, et signanter in kalendario, ac rubricis, exceptis tantummodo additionibus, mutationibus, correctionibus, et insertionibus in corpore eorumdem faciendis vi novarum concessionum sanctae Sedis circa officia, eorumve rituum, aut partem aliquam, seu aliquas; dummodo unaquaeque hujusmodi innovatio consentanea procul dubio sit concessionibus ipsis, ac respective rubricis generali-

bus, vel peculiaribus, talisque reapse esse judicetur a religiosis sacrorum rituum peritis in loco impressionis existentibus, atque ad illud a respectivo superiori generali nominatim deputatis.

Praeceptum de servandis decretis sacrae congregationis Rituum.

§. 9. Caeterum vero, si aliquod, aut aliqua fuerint sacrorum Rituum congregationis praedictae responsa sive edita, ante haec, dummodo versentur super capite aliquo, vel aliquibus, quae in rubricis peculiaribus decisa non sunt, sive in posterum edenda, quae ad notitiam personarum recensitis libris utentium necessarium, vel utile sit deduci, ne sub eisdem poenis, nisi integra, et ad verbum in loco separato, ac distincto tum a rubricis generalibus, et peculiaribus, tum a corpore respectivi libri, in ipso autem corpore, si opus sit, suo loco dumtaxat citanda imprimi possint prohibemus.

Poenae contra inobedientes.

§. 10. Inhibentes insuper quibuscumque Christifidelibus, praesertim librorum impressoribus, et bibliopolis sub stricto sanctae obedientiae praecepto, et quoad personas Nobis, et apostolicae Sedi subjectas, etiam sub poenis quingentorum ducatorum auri de camera, ac amissionis librorum, et typorum omnium camerae Nostrae apostolicae irremissibiliter applicandarum, ne Breviarium, diurnum, missale, et martyrologium hujusmodi post haec perpetuis futuris temporibus sine speciali ministri generalis praedicti pro tempore existentis licentia toties quoties imprimi contigerit in scriptis obtenta, et in libro eodem integra una cum praesentibus Nostris literis imprimenda typis imprimere, vel ab aliis sine ejusmodi licentia impressum vendere, aut venalia habere, vel proponere quoquomodo audeant, et praesumant; ac propterea omnibus et singulis personis, quibus juxta praedicta alio breviario, diurno, et martyrologio, uti minime fas est, iisdem libris sine praedicta licentia impressis, et evulgatis sub poenis per constitutiones ordinis praedicti praescriptis, aliisque per dictum ministrum generalem pro tempore existentem super hoc infligendis uti possint prohibemus. Mandantes propterea dilectis filiis Nostris, et apostolicae Sedis de latere legatis, seu eorum vice-legatis, ac praesidentibus, et gubernatoribus, praetoribus, et aliis justitiae ministris provinciarum, civitatum, terrarum, et locorum status Nostri ecclesiastici praedicti, quatenus eidem moderno, et pro tempore existenti ministro generali in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, quandocumque ab eodem ministro generali fuerint requisiti, poenas praedictas contra quoscumque inobedientes irremissibiliter exequantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 11. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis, ac quibusvis aliis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis; caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentis Nostrae prohibitionis literae in principio, vel in fine dictorum breviarii, diurni, missalis, et martyrologii Romano-Seraphici inserantur, et imprimantur, et ut earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die sexta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXII.

Dat. Romae 9. septembris 1785. Anno XI.

Honores, et privilegia concessa praesuli Campanellio intimo cubiculario, auditori, et utriusque Signaturae referendario.

Dilecto filio magistro Philippo Campanelli nobili Mathiliconsi, utriusque Signaturae referendario, ac intimo Nostro cubiculario, et auditori.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Salutem, et apostolicam benedictionem.

Procemium. §. 1. Circumspecta Romani pontificis gratiarum dispensatoris providentia devotos, ac fideles suos, illos praesertim, qui grata familiaritatis obsequia jugiter ei impendunt, ac quos ad id alias propria virtutum merita commendant, honoris, et famae amplioribus praeconiis, ac praeclaris dignitatum titulis decorare, et ornare; nec non specialis benevolentiae favoribus amplecti solent, prout personarum qualitatibus conspicit convenire.

Electio in notarium, nobilem, et equitem. §. 2. Hinc est, quod Nos ad grata familiaritatis obsequia, quae tu, qui etiam continuus commensalis Noster existis Nobis hactenus impendisti, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis; nec non ad vitae, ac morum honestatem, aliaque laudabilis probitatis, et virtutum merita, quibus personam tuam etiam familiari experientia juvari percepimus, condignam rationem habentes; ac propterea eamdem personam tuam peculiaris favore gratiae, ac specialis honoris, et excellentiae dignitatis titulo sublimare volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te, super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, et certa scientia Nostris; ac de apostolicae potestatis plenitudine te in Nostrum, et Sedis apostolicae notarium (sine tamen praejudicio dilectorum filiorum notariorum de numero participantium) apostolica auctoritate tenore praesentium recipimus, et sacri palatii, et aulae Lateranensis comitem, nec non auratae militiae equitem, ac nobilem Romanum, et urbis Romae, ac civitatum Avenionensis, Bononiensis, Ferrariensis, et Beneventanae, omniumque, et singularum aliarum civitatum, terrarum, et locorum Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectorum civem cum omnibus juribus, jurisdictionibus, praerogativis, et insignibus debitis, et consuetis creamus, et constituimus, ac in numerum, et consortium aliorum Nostrorum, et ejusdem Sedis notariorum, nec non palatii, et aulae hujusmodi comitum, equitum, et nobilium Romanorum, aliorumque civium civitatum, et terrarum praedictarum referimus, et conscribimus.

§. 3. Tibique, etiamsi habitum, et rochettum notariorum dictae Sedis juxta decreta Lateranensis concilii novissime celebrati non deferas, aut civitates hujusmodi non incolueris, nec umquam in iisdem civitatibus domicilium habueris, ut omnibus, et quibuscumque privilegiis, et facultatibus, exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, favoribus, gratiis, et indultis, quibus caeteri omnes notarii Nostri etiam de numero participantium, ac comites, equites, et nobiles (citra tamen exemtiones a sacro concilio Tridentino sublatas) ita ut nedum quoad criminalia, sed etiam quoad civilia subjaceas ordinariis, ac citra facultates legitimandi, ad gradus promovendi, notarios, seu tabelliones creandi, aliaque hujusmodi privilegia a notariis, et comitibus praefatis praetensa, ita ut illis nullibi uti valeas, ac irritum, et inane existat, quidquid secus per te, attentari contigerit, nec non cives originarii etiam in dignitatum, Beneficiorum, et officiorum ecclesiasticorum, ac saecularium etiam ex personis Romanorum civium originariorum vacantium assecutione, et exercitio tam in urbe, quam in omnibus, et singulis civitatibus praedictis, et alias ubique locorum, et gentium, nec non sessionum, et conventuum, utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, non solum ad instar, sed pariformiter, et aeque principaliter, ac si privilegia, facultates, exemptiones, gratiae, et indulta hujusmodi pro te emanassent, uti, potiri, et gaudere, ac in omnibus, et singulis apostolicis, aliisque literis, instrumentis, et scripturis publicis, ac privatis deinceps nomine tuo conficiendis notarium, comitem, equitem, et nobilem, et de nobili genere ex utroque parente procreatum, nec non Romanae, et aliarum civitatum, et terrarum civem, prout libuerit, te inscribere, et illis subscribere valeas, ac pro vero; et non ficto notario, comite, equite, et nobili, ac ci- Communicatio privilegiorum.

ve habearis, nihilque, qualecumque illud fuerit, cum iis subscriptionibus subreptitium, vel obreptitium, aut invalidum, sed illud idem efficax in omnibus censeatur.

Licentia de gestandis insignia pontificis, et erogandis in proprios usus fructus beneficiorum.

§. 4. Nec non honoris causa insignia gentis nostrae, sive integre, sive cum tuis respectivo composita gestare possis, prout tibi placuerit, concedimus. Et insuper te, tuaque beneficia, et officia ecclesiastica quaecumque, quotcumque, et qualiacumque, illorum fructus, res, et jura ubicumque locorum, regnorum, et provinciarum; nec non in urbe, civitatibus, terris, et locis eidem Romanae Ecclesiae mediate, vel immediate subjectis consistentia, praedia, domos, possessiones, et bona patrimonialia, aliaque temporalia mobilia, et immobilia, ac se moventia, nec non actiones, et jura praesentia, et futura cujuscumque qualitatis, quantitatis, et naturae, ac cujusvis etiam annui valoris, fructus, redditus, et proventus hujusmodi sint, vel fuerint; ac etiam quaecumque a te vendenda, ac pro tuis, et familiae tuae usibus emenda ab omnibus, et quibuscumque decimis, quartis, et dimidiis partibus, subsidiis etiam charitativis, nec non vectigalibus, portoriis, tributis, datiis, pedagiis, collectis, et quocumque alio nomine nuncupatis, angariis, perangariis, caeterisque oneribus, et contributionibus tum urbanis, quam rusticis, ordinariis, et extraordinariis, realibus, personalibus, et mixtis, etiam ratione munitionum moenium, et pontium, portarum, et moliturarum, ac mercium cujuscumque generis transitus, seu passus, et vecturae etiam in aliud territorium, seu provinciam, terra, mari, et flumine, nec non equorum mortuorum, stabulationum militum, aut quacumque alia quantumvis gravi, et gravissima causa (pro subventione contra infideles dumtaxat excepta) nunc, et pro tempore impositis; ita quod tu nihil omnino horum, aut aliorum similium subire tenearis, nec per camerae apostolicae, aut alios commissarios, seu vectigalium, et tributorum hujusmodi redemptores, conductores, et exactores quocumque privilegio, exemptione, et facultate suffultos, alias quam, ut praemittitur, valeas coarctari (quoties servitiis nostris institeris dumtaxat) eximimus, et liberamus.

Privilegium pro consecutione plurimorum beneficiorum etiam cum cura animarum.

§. 5. Ad haec tecum, ut quaecumque duo dissimilia, vel simplicia similia sub singulis tribus tectis quarumcumque trium cathedralium, etiam metropolitanarum, aut aliarum etiam collegiatarum ecclesiarum consistentia, etiamsi unum ex illis omnibus cum cura, aut dignitas etiam major, et principalis, canonicatus, et praebenda, personatus, administratio, vel officium fuerit, aut ad dignitatem, personatum, administrationem, vel officium hujusmodi consueverit quis per electionem assumi, eique cura etiam jurisdictionalis immineat animarum, si tibi alias canonice conferantur, aut tu eligaris, praesenteris, aut alias assumaris ad illa, et instituaris in eis, recipere, et dummodo illa omnia (uno excepto) personalem residentiam non requirant, insimul, quoad vixeris, retinere; nec non etiam, quamdiu Nobis inservieris tantum, in beneficiis ecclesiasticis, etiam curatis (non tamen parochialibus, nec curatis cum cura animarum parochianorum) per te pro tempore obtentis etiam de jure, statuto, fundatione, vel privilegio personalem residentiam requirentibus, etiamsi dignitates in cathedralibus, etiam metropolitanis post pontificalem majores, ac collegiatis ecclesiis hujusmodi principales fuerint, personaliter residere non tenearis, nec per locorum ordinarios, aut ecclesiarum earumdem capitula, seu quosvis alios ad residendum interim in illis invitus compelli possis, omnesque, et singulos nihilominus tuorum beneficiorum obtentorum fructus, redditus, et proventus, durante servitio praefato, cum ea integritate (distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis) cum qua illos perciperes, si in iisdem ecclesiis, seu locis personaliter resideres, percipere, exigere, et levare; ac interim, vel postmodum, si volueris, in Romana curia, vel extra eam a quocumque, quem malueris, catholico antistite gratiam, et communionem ejusdem Sedis habente, quem duxeris eligendum, ad omnes etiam sacros, et presbyteratus ordines aliquibus tribus dominicis, vel aliis festivis diebus, etiam extra tempora ad id a jure statuta proprii ordinarii, aut cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, si alias ad id idoneus repertus fueris, super quo antistitis conscientiam oneramus, promoveri, et promotus in illis, etiam in altaris ministerio ministrare; nec non, etiamsi presbyter fueris, ac dignitates, et officia obtinueris, leges, et jura civilia etiam publice in scholis, et universitatibus studiorum generalium ad quinquennium dumtaxat, dummodo trigesimum aetatis annum non

excesseris, audire, et si habilis, et sufficiens repertus fueris, etiam ad doctoratus gradum in hujusmodi facultate te promoveri facere, ipsaque jura etiam publice docere, atque judicis, advocati, et procuratoris officium in causis ecclesiasticis, et civilibus tantum exercere libere, et licite possis, et valeas, auctoritate, et tenore praefatis de specialis dono gratiae dispensamus.

Licentia eligendi confessorem qui ab omni censura eum absolvere possit.

§. 6. Liceat quoque tibi aliquem idoneum, at approbatum ab ordinario presbyterum saecularem, vel cujusvis ordinis regularem in tuum eligere confessorem, qui vita tua comite te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, et per te incursis, et quibus te etiam apostolica auctoritate illaqueari contigerit, etiamsi absolutio Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus pro tempore existentibus specialiter, vel generaliter reservata existat, et quorumcumque votorum, et Ecclesiae praeceptorum transgressionibus, homicidio casuali, manuum violentarum in quasvis personas etiam ecclesiasticas (non tamen episcopos, vel alios superiores praelatos) de praeterito injectionibus, seu consilii, vel favoris ad id praestationibus, jejuniorum omissionibus (non tamen recitationis horarum canonicarum, aliorumque divinorum officiorum) et denique ab omnibus, et quibuscumque aliis peccatis, criminibus, et excessionibus, ac delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam talibus, propter quae Sedes praedicta merito consulenda foret, ac in quibuscumque constitutionibus apostolicis contentis semel tantum in vita, et mortis articulo, in reliquis vero dictae Sedi quomodocumque reservatis, aliisque quibusvis casibus semel in anno, confessionibus tuis diligenter auditis (sine tamen alicujus praejudicio) auctoritate apostolica absolvere, et tibi pro commissis poenitentiam injungere salutarem, nec non vota quaecumque (ultramarino, visitationis liminum beatorum Petri, et Pauli apostolorum, castitatis, et religionis votis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Potestas reservandi ecclesiasticas pensiones.

§. 7. Tibique ulterius, ut quicumque loci ordinarii, vel canonici metropolitanarum, seu aliarum cathedralium ecclesiarum, aut personae in dignitate ecclesiastica constitutae tam in dicta curia, quam extra eam, ad id per te coram notario, et testibus fide dignis eligendi, seu eligendae quascumque pensiones annuas tibi super mensarum abbatialium, seu capitularium, ac episcopalium, et archiepiscopalium, ac quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura saecularium, ac quorumvis ordinum, et militiarum regularium, etiam hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani quomodocumque, et qualitercumque qualificatorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus etiam quotidianis, seu illorum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, et emolumenta tibi nunc, et pro tempore assignata reservata, seu assignanda, et reservanda, pro summa videlicet trecentorum ducatorum auri de camera quandocumque tibi placuerit, simul, vel successive in toto, vel in parte, etiam in mortis articulo cassare, et extinguere, et postquam cassatae, et extinctae fuerint, alias similes pensiones annuas super iisdem fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et distributionibus, ac emolumentis, seu illarum loco fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, distributiones, et emolumenta hujusmodi usque ad summam, et quantitatem praefatam, uni, vel pluribus aliis personis etiam per te nominandis, etiam quaecumque, quotcumque, et qualiacumque beneficia ecclesiastica obtinentibus, et expectantibus clericis, seu clericali charactere insigniri volentibus, etiam eis, quoad vixerint, seu eorum procuratoribus ad id speciale ab eis mandatum habentibus, iisdem modo, et forma, quibus tibi assignatae, et reservatae, seu assignata, et concessa fuerunt, etiam absque consensu easdem pensiones solvere debentium, etiamsi illas, vel illa alias cassari, et reservari de novo faciendi facultatem non habueris, ac pensiones, et fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, ac distributiones, et emolumenta hujusmodi etiam pluries cassatae, et de novo assignatae fuerint, usque ad summam, et quantitatem praedictam, etiam literis apostolicis super reservationibus, et assignationibus hujusmodi non confectis, ac alias cum omnibus, et quibuscumque exemptionibus, privilegiis, decretis, clausulis, cautionibus, vinculis, obligationibus, et cautelis, ac etiam censuris, et poenis in prioribus reservationibus hujusmodi concessis, et contentis, nec non cum subroga-

tione in quibusvis tuis juribus, etiam quoad quasi possessionem exigendi, in qua tunc eris, integre persolvendas, servata tamen forma constitutionis fel. rec. Innocentii pp. XI. praedecessoris Nostri super translationibus pensionum editae, reservare, constituere, et assignare valeant, auctoritate, et tenore praefatis de speciali gratia indulgemus.

Declaratio specialis pro validitate assignationum.

§. 8. Volumus autem, ac sub poena nullitatis translationis hujusmodi districte praecipimus, quod respectu pensionum tibi, ut praemittitur, reservatarum, et assignatarum, seu reservandarum, et quocumque tempore assignandarum super quibuscumque cathedralibus, metropolitanis, monasteriis etiam consistorialibus, atque aliis quibusvis beneficiis tam simplicibus, quam residentialibus, aut aliter quomodocumque qualificatis intra urbem, et statum ecclesiasticum Nobis, et sanctae Sedi in temporalibus immediate subjectum existentibus, praedicta transferendi facultas tum coram persona in dignitate ecclesiastica constituta, tum coram notario, et testibus, tibi ut supra impertita exerceri, aut expleri per te nequeat, nisi favore dumtaxat illorum, qui vel ex eodem ecclesiastico statu, vel ex illis regnis, vel provinciis originem trahant, in quibus, et ipsi quoque Nostri, et sanctae Sedis in temporalibus subditi promiscue cum civibus, et naturalibus dictorum regnorum, et provinciarum ad pacificam tam beneficiorum quorumlibet ecclesiasticorum, quam similium pensionum possessionem admitti consueverunt.

Facultas disponendi etiam per testamentum de fructibus beneficiorum

§. 9. Nec non etiam tibi, ut de omnibus, et singulis domibus, praediis possessionibus, terris, et locis etiam jurisdictionalibus, caeterisque bonis mobilibus, et immobilibus, quae tamen non sint altaris, seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum servitio, aut alias divino cultui, vel usui deputata, seque moventibus cujuscumque qualitatis, valoris, speciei, pretii, et conditionibus existentibus; ac juribus, et actionibus ad te ratione ecclesiarum etiam cathedralium, et metropolitanarum, quibus te forsan praeesse contigerit, nec non monasteriorum, prioratuum, praepositurarum, dignitatum, et aliorum quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura secularium, et quorumvis ordinum regularium, quae etiam ex quibusvis concessionibus, et dispensationibus apostolicis in titulum, commendam, administrationem, aut alias quomodolibet obtinueris, et obtinebis, ac fructuum, redditUum, et proventuum ecclesiasticorum loco pensionum, ipsarumque pensionum annuarum super similibus fructibus, redditibus, et proventibus tibi reservatorum, et assignatarum, ac reservandorum, et assignandarum, quos, et quas perceperis, et percipies in futurum, nec non emolumentorum quorumcumque Romanae curiae officiorum, et alias quomodolibet spectantibus proventibus, et pertinentibus, ac etiam de dictis fructibus, redditibus, et proventibus annuis, nec non tua industria, et labore quomodolibet, et undecumque, licite tamen, acquisitis, et acquirendis; ac alias etiam de muneribus, et officiis, quae exercueris, et te exercere contigerit, et alia quavis occasione, vel causa, seu contemplatione ad te perventis, et perventuris, etiamsi in pecunia numerata, et jocalibus, gemmis, aliisque pretiosioribus rebus consistant, tam in dicta curia, quam extra eam ubique locorum, etiam penes beneficia ipsa existentibus (quorum omnium qualitates, et veros etiam annuos valores, etiamsi talia forent, quae in generali appellatione bonorum, et supellectilium non venirent; sed specialibus indigerent vocabulis, praesentibus, ac si specifice, et singillatim exprimerentur, et denominarentur, pro sufficienter expressis, et declaratis haberi volumus) usque ad summam sex millium ducatorum auri de camera, ac etiam de ipsis fructibus, redditibus, et proventibus, ac pensionibus debitis, et debendis (servata tamen forma constitutionum apostolicarum jam editarum, et si quas deinceps edi contigerit super fructibus inexactis) etiam cumulative cum quibusvis aliis similibus, vel dissimilibus facultatibus habitis, et habendis tam pro decentibus, et honestis impensis funebribus, quam etiam pro remuneratione illorum, qui tibi viventi inservierint, etiam ultra servitii meritum, ac in tuorum consanguineorum, et affinium, ac quorumcumque locorum piorum favorem, et usum, ac alias pro arbitrio, et voluntate tua, absolutis testari, et testamento, codicillis, fideicommissis, legatis, donationibus tam inter vivos, quam causa mortis, et aliis quibuscumque modis, et titulis, scriptura etiam minus solemni coram duobus, vel tribus testibus; aut etiam cedula sola manu tua scripta, vel subscripta, et alias in omnibus, et per omnia,

prout, et quemodolibet tibi videbitur, etiam in ipsa curia, at in mortis articulo, etiam nulla facta mentione praesentis, vel aliarum tibi pro tempore concessarum similium facultatum, aut quod in vim illarum testari, seu disponere velis, et intendas, semel, atque iterum, aut pluries disponere, statuere, et ordinare; itaut quid testatum, gestum, aut ordinatum, seu alias dispositum a te fuerit, etiam in vim simplicis distributionis, ac alias omni alio meliori modo valeat, et servari omnino debeat, ipsaque testamenta, codicillos, et dispositiones, ordinationes, legata, et statuta pluries, ac toties, quoties tibi videbitur, moderari, limitare, ac etiam in totum revocare, et alia de novo concedere libere, et licite valeas, auctoritate apostolica tenore praesentium plenam, et liberam concedimus facultatem.

Etiam si intestatus decesserit ad ejus haeredes fructus praedictos tradendos esse decernitur.

§. 10. Et insuper statuimus, et ordinamus, tibique indulgemus, quod, si tu ab intestate, et sine ulla, vel cum minus valida bonorum, et rerum, ac fructuum, redditunm et proventuum praedictorum dispositione in dicta curia, vel extra eam tam continua, quam interpolata inibi tui mansione, ac etiam extra beneficia tua, vel alia loca debitae a te residentiae personalis, etiam nulla subsistente causa, ab humanis decedas, omnia, et singula bona, res, et jura etiam, ut praemittitur, qualificata, nec non spolia cujuscumque qualitatis, et valoris existentia, etiam ex praedictis, et alias undecumque provenientia ad cameram apostolicam, seu in dictis beneficiis successores non pertineant, sed ad haeredes tui sanguinis integre deveniant, et illis deficientibus, inter familiares tuos arbitrio personae, seu personarum, quas id scripto nominaveris distribuantur, nisi de alia dispositione, vel intentione tua scriptura etiam minus solemni secus appareret, quam tunc velut efficacem ipsae personae, vel alii judices, seu executores omnino exequi, et adimplere, illiqua se conformare in omnibus, et per omnia debeant, et nihilominus quaecumque hujusmodi testamenta, legata, donationes, dispositiones, et alia forsan a te etiam nulla, vel minus sufficienti facultate suffulto de hujusmodi bonis, juribus, et actionibus, fructibus, pecuniis, jocalibus, aliisque rebus supradictis etiam in favorem consanguineorum, et affinium praedictorum, et alias quemodolibet facta, cum omnibus inde secutis, ac etiam ea, quae per te in futurum fient, ex nunc, prout ex tunc, et e contra, pro dicta summa sex millium ducatorum approbamus, et confirmamus, omnesque, et singulos juris, et facti, ac solemnitatum omissarum, et omittendarum, ac substantiales, aliosque defectus quoscumque, si qui intervenerint, aut intervenerunt in iisdem, etiamsi tales sint, vel fuerint, quod specialis, specifica, et expressa de illis mentio praesentibus habenda esset, supplemus.

Clausulae salutares pro plena chirographi executione.

§. 11. Districtius inhibentes quibusvis archiepiscopis, episcopis, et aliis ecclesiarum praelatis, nec non camerae praedictis praesidentibus clericis, ac eorum, nec non fabricae basilicae principis apostolorum de urbe, et cruciatae sanctae, ac aliis collectoribus, et subcollectoribus, caeterisque cujuscumque dignitatis, gradus, et conditionis existentibus, etiam quavis auctoritate, et potestate fungentibus sub excommunicationis majoris, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, ne universitates, collegia, ac loca, et legatarios, haeredes, et personas, nec non testamentorum, vel nutotum, et ordinationum hujusmodi executores praefatos directe, vel indirecte quovia quaesito colore, vel ingenio molestare audeant quoquomodo, vel perturbare; ac decernentes praefata omnia, et singula, praesentesque literas, et testamenta, donationes, codicillos, fideicommisse, legata, ordinationes, derogationes, dispositiones, et alia quaecumque, nec non quae in praemissis facta sunt, et fieri contigerit, tam vigore praesentis, quam etiam aliarum concessionum tibi factarum, et deinceps in genere, vel in specie faciendarum cum inde secutis, et secuturis, etiamsi tu intra curiam, aut in quacumque alia mundi parte extra ecclesias, et beneficia personalem residentiam requirentia qualitercumque qualificata per te nunc, et pro tempore obtenta, etiam pro sola tua voluntate, et nulla subsistente causa non residendi, ab humanis decidere contigerit, sub literis rec. mem. Pii pp. IV, praedecessoris pariter Nostri contra quoscumque episcopos, archiepiscopos, et alios praelatos, nec non parochialium ecclesiarum rectores, caeterosque residentiae personali praedictae adscriptos extra illam quomodocumque decedentes septimo kalendas decembris pontificatus sui anno quinto, aut alio veriori tempore emanatis, et sub quibuscumque aliis constitutionibus, aut revocationibus, suspensionibus,

limitationibus, modificationibus, decretis, declarationibus apostolicis, cancellariae apostolicae regulis ex quibuscumque causis quantumvis maximis, urgentibus, inexcogitabilibus, etiam in favorem fidei, et divini cultus augmentum, ac consistorialiter etiam a Nobis, et Sede praefata hactenus, vel nunc, et pro tempore factis, et editis minime comprehendi, sed semper ab illis excepta, et quoties emanata fuerint, toties in pristinum, et validissimum statum, et etiam sub posteriori data, etiam cum derogationibus, et clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis, irritantibusque, et aliis decretis per te eligenda apponendis, et latissime specificandis reposita, restituta, et plenarie reintegrata, ac de novo concessa valida, et efficacia fore, nec non perpetua firmitate subsistere, suosque plenarios, et integros effectus, quos de jure, stylo, consuetudine, aut alias quomodolibet sortiri poterunt, ac vim veri, legitimi, jurati, stipulati, validi, et efficacis contractus inter te ex una, ac Nos, et cameram praefatam ex altera partibus habere, nec etiam per promotionem ad ecclesiam cathedralem, etiam metropolitanam, aut translationem, vel aliam, status, et personae tuae mutationem cessare, nec per similes, vel dissimiles gratias tibi concessas, et concedendas confundi, sed ipsis cumulative in omnibus, et per omnia uti, et si quid in una ex facultatibus hujusmodi defecerit, per aliam suppleri debere, nec haeredes, legatarios, ac loca, ad quos, seu quae bona, jura, et actiones hujusmodi devenerint, vel quibus relinquentur, aut executores praedictos ad tertiam, seu aliam eorum partem, quam etiam ex nunc tibi, ac locis, haeredibus, legatariis, et donatariis praefatis libenter concedimus, et donamus, camerae, vel fabricae, aut beneficiis praedictis, etiam pro expeditione contra infideles, et quibusvis aliis quantumlibet piis usibus solvendum, ac cum eis desuper componendum, vel te ad aliam particularem licentiam, sive indultum aut confirmationem praesentium a Nobis, vel successoribus Nostris Romanis pontificibus petendum, aut impetrandum, vel etiam in alia simili gratia, seu confirmatione illius tibi quomodocumque concedenda de praesenti mentionem aliquam faciendi teneri, nec ad id ulla umquam necessitate cogi posse.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Et sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, nec non pro tempore existentes dictae camerae camerarium, praesidentes clericos in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus fratribus Nostris Ostiensi, et Portuensi cardinalibus episcopis, ac dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per apostolica scripta mandamus motu simili, quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte tua fuerint requisiti solemniter publicantes, tibique in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant auctoritate Nostra easdem praesentes literas, et in eis contenta hujusmodi firmiter observari, ac te illis omnibus pacifice frui, et gaudere, non permittentes te per quoscumque quavis auctoritate fungentes contra earumdem praesentium tenorem quomodolibet indebite molestari, inquietari, vel perturbari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras, et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus praemissis, ac piae memoriae Bonifacii pp. VIII. praedecessoris etiam Nostri de una, et in concilio generali edita de duabus diaetis, dummodo ultra tres diaetas aliquis auctoritate praesentium in judicium non trahatur, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati de certo notariorum numero, etiamsi ad illum nondum deventum fuerit, cui per hoc alias derogare non intendimus, et de consensu praestando in pensionibus, ac quibusvis aliis etiam per Nos, ut Sedem praedictam editis, et in posterum edendis cancellariae apostolicae regulis, ac stylo in similibus hactenus observato, ac recol. mem. Alexandri pp. VI. pariter praedecessoris Nostri tertiam partem bonorum ecclesiasticorum camerae praefatae deberi inter alia disponente,

nec non ejusdem Bonifacii pp. VIII. per quam concessiones fructus in absentia percipiendi sine praefinitione temporis fieri probibentur, ac Pii pp. IV. praedecessoris etiam Nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus in dicta camera intra certum tunc expressum tempus praesentandis, et registrandis; ita quod praesentes in eadem camera nullo umquam tempore registrari facere tenearis, ac similis rec. mem. Urbani pp. VIII. pariter praedecessoris Nostri de pensionibus alias translatis iterum non transferendis: ac quorumvis aliorum Romanorum pontificum prae decessorum Nostrorum, et quibusvis aliis apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non legibus etiam imperialibus, et municipalibus tam urbis, quam aliarum civitatum, et locorum, in quibus civis originarius creatus existis, et quarumvis ecclesiarum, monasteriorum, ordinis, et hospitalis praefatorum, nec non quorumvis collegiorum, et officiorum dictae curiae, et regnorum, provinciarum, et urbis, ac etiam civitatum, et locorum, ac camerae praefatorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, stabilimentis, usibus, et naturis, etiamsi de illis servandis, et non impetrandis literis apostolicis contra ea, nec etiam ab alio, vel aliis impetratis, aut alias quomodolibet concessis utendo te per te, vel procuratores tuos praestiteris forsan hactenus, vel te in posterum praestare contigerit juramentum: privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis dictis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, et hospitalibus, illorumque praesulibus, seu administratoribus, et superioribus, ac magistris, praeceptoribus, prioribus, militibus etiam antianis, capitulis, conventibus, civitatibus, et locis, aliisque praefatis, ac illorum communitatibus, et universitatibus, aliisque personis etiam particularibus, nec non archiepiscopis, episcopis, et aliis ordinariis, etiam iisdem cardinalibus, ac dictae curiae officialibus, illorumque collegiis, ac etiam decimarum, pedagiorum, gabellarum, et onerum exactoribus, et appaltatoribus, et aliorum onerum redemptoribus sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, ac etiam Nos, et Sedem praefatam, etiam consistorialiter, ac de eorumdem cardinalium consilio, etiam per modum statuti, et constitutionis perpetuorum, ac motu, et scientia similibus, deque apostolicae potestatis plenitudine, vel ad imperatoris, regum, reginarum, ducum, marchionum, et aliorum principum instantiam, seu illorum contemplatione in genere, vel in specie, ac alias quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, etiamsi in eis, ac statutis, et stabilimentis praefatis caveatur expresse, vel tacite, quod urbis nisi originariis civibus Romanis, ac civium eorumdem filiis conferantur, quodque nonnullarum ecclesiarum beneficia, nisi per personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios cives, aut alias certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, et nulli in cives urbis, ac civitatum, oppidorum, terrarum, et locorum bujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis civitatibus, oppidis, terris, et locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendentia possederint; quodque praeceptoriae, seu alia beneficia quaecumque dicti hospitalis tam ex ejus institutione, quam ex stabilimentorum praefatorum dispositione pensionibus clericis secularibus, et aliis personis etiam apostolica auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, et privilegiis praedictis etiam vigore implicitae derogationis latissime extendendae, etiam per quascumque literas apostolicas, et quasvis alias etiam derogatoriarum derogatorias, efficaciores, et insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censeatur, nisi derogatio hujusmodi de consilio cardinalium eorumdem fiat, et tunc demum magistri, et conventus praefatorum ad id accedat assensus, sintque literae derogationis hujusmodi etiam per dictum magistrum subscriptae ac illi, et praefato conventui per diversas in forma Brevis, aut alias literas diversis temporibus cum certis intervallis praesentatas intimatae, et non alias, nec alio modo, quodque ipsi exactores, et appaltatores decimas, pedagia, et onera bujusmodi etiam ab exemptis exigere, et illos ad solutionem, seu contributionem cogere, et compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus illorum tenores, ac si de verbo ad

verbum insererentur, praesentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris in genere, et in specie ad effectum praesentium sufficienter, et expresse derogamus, ac derogatum esse decernimus: quodque tu primam non feceris in ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de praebendo juramento fidelitatis.

§. 14. Volumus autem, quod antequam gratia creationis in Nostrum, et Sedis apostolicae notarium tibi, ut supra facta perfrui valeas, in manibus alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae professionem fidei, juxta articulos pridem a Sede praefata propositos emittere, et solitum fidelitatis juramentum praestare omnino tenearis. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die IX. septembris MDCCLXXXV. pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXIII.

Dat. Romae 13. septembris 1785. anno XI.

Ut ab utroque clero civitatis et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis officium, et missa propria sancti Josephi semel in mense recitari possit.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Preces porrectae ab episcopo sanctae Crucis della Sierra.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ob maximam devotionem, qua uterque clerus, et populus civitatis, et dioecesis sanctae Crucis della Sierra praedictae erga sanctum Joseph Beatae Mariae Virginis sponsum (ut asserit) fervet in dies, officium, et missam propriam ejusdem sancti Joseph semel in mense recitari, et respective celebrari summopere cupiat.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos dictum exponentem specialibus gratiis, et favoris prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris; ut in posterum ab utroque clero civitatis, et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis officium, et missa propria dicti sancti Josephi semel in mense die non impedita sub ritu semiduplici (exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, vigiliarum sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum, atque illis feriis, in quibus secundum rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici, vel semiduplici translato) recitari, et celebrari libere, et licite valeat auctoritate apostolica, tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictoque clero in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud, adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent

exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima tertia septembris, millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 27. septemb. 1785. Anno XI.

DLXIV.

Erectio cathedralis ecclesiae Budvicensis in Bohemia.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Catholicae Ecclesiae regimini illius dispositione, qui cunctis imperat, et cui obediunt omnia, meritis licet imparibus praesidentes ad caeteras orbis ecclesias provide considerationis aciem more vigilis pastoris intendimus, et cum pro locorum fama praesertim, et splendore praestantium feliciori statu, illorumque babitatorum opportuniori commoditate, animarumque efficaciori profectu utile non minus, ac congruum esse conspicimus, novas in locis ipsis episcopales plantare sedes, maxime vero cum supremorum, ac de orthodoxa fide optime meritorum principum pia vota id efflagitari videantur, illas libenti animo de novo plantare, et erigere non ambigimus, ut per novas plantationes, et erectiones hujusmodi novus etiam militanti Ecclesiae decor accedat, et loca ipsa dignioribus titulis illustrata habitatoribus, et incolis suis per novorum praesulum propriorum adsistentiam, et gubernium jucundius suppeditare valeant solamen; iidemque habitatores, et incolae quotidie progrediantur in fide, ut uberius in spiritualibus inde suscipiant incrementum.

Erectionem decrevisse ad instantiam imperatoris Romanorum declarat. §. 2. Cum itaque alias dominus frater Noster Franciscus tituli ss. Nerei, et Achillei Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis de Herzan de Harras nuncupatus charissimi in Christo filii Nostri Josephi secundi Romanorum, Bohemiae, at Hungariae regis apostolici in imperatorem electi apud Nos, et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius Nobis ejusdem Josephi regis, et imperatoris nomine exposuerit, quod dictus Josephus rex, et imperator ad divinum cultum efficacius augendum, animarumque subditorum suorum salutem impensius promovendam summopere in votis babebat, ut in regno Bohemiae praeter archiepiscopatum Pragensem, et duos episcopatus nempe Litomericensem, et Regino-hradicensem, tertius etiam episcopatus in civitate Bohemo-Budvicinm nuncupata institueretur, et praevia illius in civitatem episcopalem erectione una sedes episcopalis, et infrascripta inibi existens parochialis ecclesia illius titulo collativo perpetuo, ut infra suppresso in cathedralem ecclesiam, etiam perpetuo erigeretur, et caetera alia infrascripta per Nos fierent. Cumque Nos tam pia dicti Josephi regis, et imperatoris studia favere, illiusque votis obsecundare intendentes, omnibus bisce mature perpensis dicto etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in civitate Viennensi Austriae commoranti successive vigore decreti a Nobis sub die tertia decima mensis decembris anni Domini proxime praeteriti approbati, ut ipse nuncius causis dictae institutionis, et erectionis, illarumque necessitate, et utilitate rite consideratis de illis juxta instructiones in dicto decreto contentas inde referret apostolica auctoritate commiserimus. Novissime vero, ex processu desuper confecto, et a nuncio praefato ad urbem transmisso acceperimus, quod ex hujusmodi institutione, et erectione, si fierent, non modicum divini nominis incremento, et animarum saluti in dicta civitate Bohemiae-Budvicensi, aliisque infrascriptis districtibus, seu provincialibus circulis habitatorum profectum facile proveniret, quodque ad tantum opus feliciter perficiendum accedentes quoque venerabilis fr. Noster modernus archiepiscopus Pragensis, ac d. fratris moderni capitulum, et canonici majoris ecclesiae Pragensis, ut a sua, et eorum archiepiscopali dioecesi Pragensi districtus infrascripti, ac infra eorum limitibus respectiva comprehensi decanatus, et vicariatus tam seculares, quam regulares, ac monasteria, et parochiales ecclesiae, ac alia beneficia ecclesiastica infrascripta ad praemissum erectionis effectum perpetuo, ut infra, dismembrarentur, respective consenserint, illisque desuper, non tam libere, quam libenter respective cesserint.

§. 3. Nos propterea, ad hoc ut dicti Josephi regis, et imperatoris religiosa perillustria majorum suorum vestigia prosequentis laudabilia desideria ordinata, et adimpleta rema- Suppressio ecclesiae parochialis, illiusque erectio in cathedralem.

neaet, ac precibes ipsius cardinalis, et administri Nobis ie hac parte porrectis benigee annuere volentes, motu proprio, et ex certa scieetia, deqee apostolicae potestatis plenitudine parochialem decanalem nuncupatam ecclesiam sub invocatione, et patrocinio sancti Nicolai episcopi in dicta civitate Bohemo-Budvicensi existeetem, illiusque titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam parochialis ecclesiae collativae, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, ac de caetero eil talis ie titulum collativem quavis auctoritate conferri, et impetrari, seu de illa qeovis modo dispoel amplius nequeat, et si illam deinceps, ullo umquam tempore conferri, seu impetrari, vel alias de illa qnovis modo disponi contigerit, collationes, impetrationes, allaeqee quaovis dispositioees de illa pro tempore quomodolibet factae, eellae, et ievalidae, nulliusqee roboris, vel momeeti existant, eemieiqee suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidandi tribeant apostolica auctoritate praefata perpetuo supprimimus, et extieguimus, illaqee sic suppressa, et extiecta dictam civitatem Bohemo-Budvicensem in civitatem episcopalem Budviceesem quoque nuecupandam cum omnibus, et siegulis privilegiis, juribus, honoribus, praeeminentiis, et praerogativis, quibus aliae Bohemiae regni civitates episcopali sede ieignitae, et earum cives utuntur, fruueter, potinetur, et gaedent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet ie futurum. Praefatam vero parochialem ecclesiam, sic ut praefertur suppressam, et extiectam ie cathedralem ecclesiam eidem moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Pragenai suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam sub invocatioee ejusdem saecti Nicolai episcopi, qnae tamen parochialis, ut antea existat, et ie qua dilectorum etiam filiorum parochiaeorum dictae cathedralis ecclesiae ut praefertur seppressae, at extiectae, et ie cathedralem ecclesiam hujusmodi, ut praefertur, erigendae aeimarum cura exerceri debeat extituram, et ie ea sedem, ac digeitatem episcopalem pro uno deieceps episcopo Budvicensi euncupaedo, qui eidem ecclesiae Budvicensi, illiusque civitati praefatae, et dioecesi etiam Budvicensi, ut iefra assignaedae praesit, abbates, et ieferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, ac omnia, at singula officia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo iefrascripto, nec noe arca, mensa episcopali, caeterisque pontificalibus signis, insigeila, juribus, jurisdictioeibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, praecedentiis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indeltis realibes, et personalibus, ac mixtis, quibus caeteri regni Bohemiae praedicti episcopales ecclesiae, earumque respective praesules quomodolibet (non tamee titulo oneroso, seu ex privilegio particulari) acquisitis similiter utuetur, fruentur, potiuetur, et gaudeet, ac uti, frui, potiri, et gaudere possuet, et poterunt ie futurum.

§. 4. Ie dicta vero cathedrali ecclesia Budvicensi unam praepositaram, quae post pontificalem major cum uno canonicatu, et una praebenda pro uno canonico praeposito, qui caput capituli dictae cathedralis ecclesiae Budvicensis existat, atqee gaudeat praeeminentiis, quae sibi de jure competere possunt, et debent; nec noe unum decanatum, qui secunda cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda pro alio canoeico decano, at per quem aeimarum dilectorum pariter filiorum parochiaeorum dictae parochialis ecclesiae, et praefertur seppressae, et extiectae, et ie cathedralem, quae etiam parochialis, ut antea, ut praefertur existat ecclesiam, ut infra erigeedam cura etiam, ut antea exerceri debeat, ac unam custodiam, qnae tertia respective digeitates ie dicta cathedrali ecclesia Budvicensi, et praefertur erigenda existant cum alio similiter caeonicatu, et alia praebenda eisdem digeitatibus respective ievicem perpetuo ueitis extiteris pro alio canonico custode, etiam respective euncupandis, ac reliquos quatuor caeonicatus, totidemque praebendas pro quatuor aliis futuris mere canoeicis ejusdem cathedralis ecclesiae Budvicensis, ut praefertur erigendae, qui una cum quatuor vicariis, et tribus cappellaeis illius capitulum constituant, ita tamee, ut presbyterorum omnium, et clericorum eumerus, qui in eadem cathedrali ecclesia Budvicensi, ut infra erigeeda cum canonicis praefatis, et caeremoniariis ie divinis ieservientibes ad sexdecim ascendat, ac in dicta cathedrali ecclesia Budvicensi, at praefertur erigenda singulis diebus horas canonicas, tam diurnas, qeam nocturnas, aliaque divina officia devote, ac cum debita mentis attentione, servataque ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere, di- Erectio dignitatum capituli cathedralis.

viuisque officiis, tam diurnis, quam nocturnis hujusmodi interesse, ac alias eidem cathedrali ecclesiae Budvicensi, ut praefertur erigendae laudabiliter deservire teneantur, similiter cum choro, stallo, arca, et sigillo communibus, aliisque signis, et insigniis cathedralibus; quodque omnibus, et singulis privilegiis, et praerogativis gaudere possint, et valeant, quibus aliarum cathedralium in regno Bohemiae praedicto consistentium capitula, et canonici, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari acquisitis gaudere solent, et possunt ad Dei omnipotentis laudem, et gloriam, dictique sancti Nicolai episcopi honorem, et fidei catholicae exaltationem apostolica auctoritate praedicta itidem perpetuo respective erigimus, et instituimus.

Praeceptum de erigenda praebenda theologali, et poenitentiaria.

§. 5. Volentes tamen, et eadem auctoritate statuentes, quod futurus episcopus Budvicensis in dicta cathedrali ecclesia per Nos sic, ut praefertur, erecta, et instituta unam theologalem; et alteram poenitentiariam respective praebendas ad praescriptum concilii Tridentini erigere, et instituere curet, ejusdem futuri episcopi Budvicensis conscientia desuper onerata remanente.

Declaratur quae sit novi episcopatus dioecesis.

§. 6. Ac insuper, ut praefatae episcopalis ecclesiae Budvicensis per Nos, ut praefertur erectae, et institutae dioecesis, nec non clerus, et populus constitui possint ab archiepiscopali ecclesia Pragensi quatuor districtus, seu provinciales circulos, nempe Budvicensem, Taboriensem, Prachinensem, et Klattuviensem, modo sub dicta Pragensi ecclesia, et dioecesi comprehensos, et in quibus omnes, et singuli decanatus, paroeciae, vicariatus, tam saeculares, quam regulares, et monasteria, caeteraque alia beneficia ecclesiastica infrascripta reperiuntur, videlicet decanatus Bohemo Budvicensis, et alius, seu alia Adamsfreyheit, ac alius, seu alia Albsburka, de Weisburka, ac alius, seu alia de Albrechtiz, ac alius, seu alia Altovadum de Homenfurt, ac alius, seu alia Astadicum, ac alius, seu alia Andreasberga, ac alius seu alia Auboir, ac alius, seu alia Baum-gartend, ac alius, seu alia Baravow, ac alius, seu alia Bechin, ac alius, seu alia Beneschaw, ac alius, seu alia Bergreichenstein, ac alius, seu alia Berlan; ac alius, seu alia Bernarditz, ac alius, seu alia Bicleritz, ac alius, seu alia Bieschin, ac alius, seu alia Blakoa, ac alius, seu alia Bliziw, ac alius, seu alia Blowitz, ac alius, seu alia Bloseok, ac alius, seu alia Bohmischreichenaw, ac alius, seu alia Bohnmeletz, ac alius, seu alia Boreschaw, ac alius, seu alia Borovan Jorbes, ac alius seu alia Borotin, ac alius seu alia Boschiletz, ac alius, seu alia Boschiegaw, ac alius, seu alia Breeskowitz; ac alius, seu alia Budowitz, ac alius, seu alia Budictila, ac alius, seu alia Budislau, ac alius, seu alia Bukowetz, v. Mucholaen, et alius, seu alia Bukownik, et alius, seu alia Burgholtz, et alius, seu alia Capellen, et alius, seu alia Castelowitz, et alius, seu alia Chsnowitz, et alius, seu alia Chegnow, et alius, seu alia Chelezia, et alius, seu alia Chieschgros Chiesch, et alius, seu alia Chieschnklain Chiesck, et alius, seu alia Cholovin, et alius, seu alia Chrobold, et alius, seu alia Chudenitz, et alius, seu alia Chusnltz, et alius, seu alia Chwognow, et alius, seu alia Crummau, et alius, seu alia Czachraw, et alius, seu alia Czeistrow, et alius, seu alia Brzemitz, et alius, seu alia Czernowita, et alius, seu alia Czerwenau, et alius, seu alia Czetoras, et alius, seu alia Cziestitz; et alius, seu alia Czimelitz, et alius, seu alia Crirowa, et alius, seu alia Daudleb. v. Teindles, et alius, seu alia Deschen, et alius, seu alia Deschenitz, et alius, seu alia Dirna, et alius, seu alia Dneschitz, et alius, seu alia Dovrsch, et alius, seu alia Dolan, et alius, seu alia Drachau, et alius, seu alia Deiarndorf, et alius, seu alia Derben, et alius, seu alia Eisendorf, et alius, seu alia Elbenitz, et alius, seu alia Ellstin, et alius, seu alia Travenstadl, et alius, seu alia Triaberg, et alius, seu alia Gaiow, et alius, seu alia Ginin, et alius, seu alia Gistebnitz, et alius, seu alia ad s. Guntherum, et alius, seu alia Haidl, et alius, seu alia Heilbrun, et alius, seu alia Horaczdrowitz, et alius, seu alia Hornoczereguitz, Oberlzerkwe, et alius, seu alia Horzeffirik, et alius, seu alia Horzitz, ac alius, seu alia Hoschtitz, et alius, seu alia Hoskaw, et alius, seu alia Hossin, et alius, seu alia Hradeschitz, et alius, seu alia Hrob, et alius, seu alia Hurka prope Bry v. Blauhorka, et alius, seu alia Hustenetz, et alius, seu alia Janowitz, et alius, seu alia Taroschaw, et alius, seu alia Kadow, et alius, seu alia Kalsching, et alius, seu alia Kamenitz, et alius, seu alia Kaplitz, et alius, seu alia Kardasso Sceizitz, et alius, seu alia Kattowitz, et alius, seu alia Kbell, et alius, seu alia Kestrzan, et alius, seu alia Kidlin, et alius, seu alia Kirchenschlag, et

alius, seu alia Klattau, et alius, seu alia Klentsch, et alius, seu alia Kollinetz, et alius, seu alia Kollovetz v. Kollaut Schen, et alius, seu alia Kasteluokadauu, et alius, seu alia Kottaun, et alius, seu alia Kowarzow, et alius, seu alia Krasilow, et alius, seu alia Kraptitz, et alius, seu alia Kiems, et alius, seu alia Krzakau, et alius, seu alia Krzecz, et alius, seu alis Krzestiowitz, et alius, seu alia Kumezatek v. Konigtscok, et alius, seu alia Kusechward, et alius, seu alia Laschitz, ac alius, seu alia Lavirim, ac alius, seu alia Ledenitz, ac alius; seu alia Lettin, ac alius, seu alia Lischaw, ac alius, seu alia Lomnitz, ac alius, seu alia Lukawetz, ac alius, seu alia Luttaw, ac alius, seu alia Maguobor, ac alius, seu alia Malenitz, ac alius, seu alia Malschitz, ac alius, seu alia Malschiug, ac alius, seu alia ad s. Mariam ad Nives, ac alius, seu alia ad s. Mauritium, ac alius, seu alia Meinetschlag, ac alius, seu alia Melmit, ac alius, seu alia Merkliu, ac alius, seu alia Mezliug, ac alius, seu alia Mledizin, ac alius, seu alia Miclezin, ac alius, seu alia Millowitz v. Muhlhausen, ac alius, seu alia Mirotitz, ac alius, seu alia Mirowitz, ac alius, seu alia Mischkowitz, ac alius, seu alia Muich, ac alius, seu alia in monte s. Weuceslai, ac alius, seu alia Muldaw, ac alius, seu alia Mutin v. Mattersdorf., et alius, seu alia Hadingkaw, ac alius, seu alia Heocastri v. Gratzen, ac alius, seu alia Heocrereguitz v. Neustift, ac alius, seu alia Heofistritz, ac alius, seu alia Neoforum, ac alius, seu alia Neokdina v. Heugadeiu, ac alius, seu alia Neopagum, ac alius, seu alia Heowostitz v. Juugwotitz, ac alius, seu alia Nepomuk, ac alius, seu alia Hefalitz, ac alius, seu alia Heora, ac alius, seu alia Heustupow, ac alius, seu alia Heuhaus, ac alius; seu alia Hezamislitz, ac alius, seu alia Hezdaschow; ac alius, seu alia Hiemeritz, ac alius, seu alia Oberayd, ac alius, seu alia Oberplan, ac alius, seu alia Oberwldsw, ac alius, seu alia Ottaw, ac alius, seu alia Parvo Bor, ac alius, seu alia Parzaw, ac alius, seu alia Pernartitz, ac alius, seu alia Petrowitz, ac alius, seu alia Pflantz, ac alius, seu alia Pilgram, ac alius, seu alia Pycnk, ac alius, seu alia Pistin, ac alius, seu alia Plan, ac alius, seu alia Planitz, ac alius, seu alia Plahowzdiar, ac alius, seu alia Posratek, ac alius, seu alia Pohorz, ac alius, seu alia Polin, ac alius, seu alia Polletiz, ac alius, seu alia Poschen, ac alius, seu alia Prachatitz, ac alius, seu alia Prithal, ac alius, sea alia Prostibor, ac alius, seu alia Postiviu, et Mischenetz, ac alius, seu alia Pzzedolaw, ac alius, seu alia Przedslawitz, ac alius, seu alia Putim, ac alius, seu alia Quasniowitz, ac alius, seu alia Radobitz, ac alius, seu alia Radonischl, ac alius, seu alia Reichenaw, ac alius, seu alia Riegerschlag, ac alius, seu alia Ronsperg, ac alius, seu alia Rosenberg, ac alius, seu alia Rosenthal, ac alius, seu alia Rotenbaum, ac alius, seu alia Rudosptistad, ac alius, seu alia Sablat, ac alius, seu alia ad s. Crucem, ac alius; seu alia Salnaw, ac alius, seu alia Schewatin, ac alius, seu alia Sebirschow, ac alius, seu alia Sedlitz, ac alius, seu alia Seeviesen, ac alius, seu alia Serowitz, ac alius, seu alia Schilarz, ac alius, seu alia Schitwa, ac alius, seu alia Semlowitz, ac alius, sen alia Schitwa, ac alius, seu alia Semlowitz; ac alius, seu alia Setiz, ac alius, seu alia Sobienaw, ac alius, seu alia Sobieslaw, ac alius, seu alia Souberg, ac alius, seu alia Stankaw, ac alius, seu alia Stan, ac alius, seu alia Steinkirchen, ac alius, seu alia Stieckna, ac alius, seu alia Stipanow, ac alius, seu alia Stoborzitz, ac alius, seu alia Strakonitz, ac alius, seu alia Straffin, ac alius, seu alia Straz v. Ylwtz, ac alius, seu alia Strazau, ac alius, seu alia Straiczitz, ac alius, seu alia Strimilow v. Tremles, ac alius, seu alia Strobnitz, ac alius, seu alia Strunkowitz, ac alius, seu alia Suchenthal, ac alius, vel alia Sullitz v. Schuttenhofen, ac alius, vel alia Swatomartz, ac alius, vel alia Tauuaberg, ac alius, vel alia Teutscheicheuau, ac alius, vel alia Teynitzl, ac alius, vel alia Tiesch, ac alius, vel alia Trebona v. Wittingau, ac alius, vel alia Trkowsivin v. Schweinitz, ac alius, seu alia Trzebiuitz, ac alius, seu alia Tuizap, ac alius, seu alia Tusla v. Tans, ac alius, seu alia Tyuhorssow v. Bischoff Teinitz, ac alius, seu alia Tweros, ac alius, seu alia Hmlowitz, ac alius, seu alia Uuterhaid, ac alius seu alia Uuterrelheinstein, ac alius, seu alia Veterosedl, ac alius, seu alia Vollmaw, ac alius, seu alia Wastar Supen, ac alius, seu alia Warzaw, ac alius, seu alia Welharditz; ac alius, seu alia Welleschiu, ac alius, seu alia Weseles, ac alius, seu alia Wizna, ac alius, seu alia Winterberg, ac alius, seu alia Wiskilna, ac alius, seu alia Vitiegitz, ac alius, seu alia Witeon v. Przestiz, ac alius, seu alia

Wlachobrzez v. Walsiskurken, ac alius, seu alia Wodnian, ac alius, seu alia Wollarna, ac alius, seu alia Wollenitz, ac alius, seu alia Wollen, ac alius, seu alia Wrzan, ac alius, seu alia Zaborz, ac alius, seu alia Zahag, ac alius, seu alia Zaborg, ac alius, seu alia Zalschl, et Hornobukowsko, ac alius, seu alia Zbeinitz, ac alius, seu alia Zattwing, ac alius, seu alia Zhorz, ac reliquum, seu reliqua Zinkau, respective nuncupati, seu nuncupatae, vel nuncupata decanatus, seu vicariatus, aut paroeciae, et in quibus pariter infrascripta monasteria reperiuntur, unum scilicet in Taus, et Stok sancti Augustini calceatorum, ac aliud in Schlustelburg, et Tobor ejusdem sancti Augustini discalceatorum, ac aliud in Wittingau, et Torbes canonicorum regularium ejusdem sancti Augustini, ac aliud in Budveissultitz, et Tynorsesw Cappuccinorum, ac aliud in Parzaw Carmelitarum discalceatorum, ac aliod in Hoenfurt, et Goldenoron Cisterciensium, ac aliud Budveis Klattau, et Piscok Dominicanorum, ac aliud in Bocbin, et Heyhaus Franciscanorum, ac aliud in Cromsw, et Horazdrowitz Minoritarum, ac aliud in New Tistritz Paulanorum, ac aliud in Budweis Piaristarum, ac aliud in Mulhausen Premonstratensium, ac reliquum in Gratzen, respective nuncupata Servitarum respective ordinum apostolica auctoritate praedicta perpetuo quoque dismembramus, dividimus, ac separamus, ac insuper in dictis quatuor districtibus, seu provincialibus circulis, et in eis respective contentis decanatibus, ac paroeciis, nec non vicariatibus, tam saecularibus, quam regularibus, monasteriis, et beneficiis, sic ut praefertur respective dismembratis, divisis, ac separatis respective contentos utriusque sexus habitatores, incolas, at personas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque (non tamen exemptos) cujuscomque status, gradus, ordinis, at conditionis existant ab ordinaria modernorum archiepiscopi, et capituli Pragensis praefatorum, quorum ad id expressus accedit assensus, ac illius, et illorum respective successorum jurisdictione, potestate, auctoritate, et superioritate eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo disjungimus, et eximimus, nec non praefatam civitatem Budvicensem in civitatem episcopalem per Nos, ut praefertur erectam, eosdemque quatuor districtus, seu provinciales circulos praedictos, et in ea, ac eis respective comprehensos, et comprehensa decanatus, vicariatus, tam saeculares, quam regulares, paroecias, nec non monasteria, at beneficia hujusmodi, sic ut praefertur respective dismembratos, et dismembratas, ac dismembrata in istis respective, ut praefertur contentos utriusque sexus habitatores, incolas, et personas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos (non tamen exemptos) ut supra expressos praedictos, ac similiter, ut praefertur disjunctos, at exemptos novae ecclesiae episcopali Budvicensi, illiusque futuro, et pro tempore existenti praesuli pro suis civitate, territorio, et dioecesi, in quibus residere debebit, nec non clero, et populo apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo concedimus, et assignamus, ac respective ordinariae ejusdem pro tempore futuri episcopi Budvicensis jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati, ita quod liceat personae eidem ecclesiae Budvicensi tam nunc a primaeva illius erectione, et institutiona hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in episcopum praeficiendae per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, et actualem, ac corporalem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in dicta civitate Budvicensi in civitatem episcopalem, sic per Nos, ut praefertur erecta, totaque dioecesi Budvicensi, ut praefertur concessa et assignata propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retineri ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Pragensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita dicta apostolica auctoritate itidem perpetuo sopponimus, atque subjicimus.

§. 7. Et insuper mensae episcopali ipsius ecclesiae Budvicensis per Nos, ut praefertur erectae, et institutae pro illius dotatione, et ad hoc ut idem pro tempore futurus episcopus Budvicensis statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius sustinere valeat annuam summam duodecim millium florenorum Rhaenensium per dictum Josephum regem, et imperatorem illi perpetuo, ut etiam accepimus, constitutam, et ab omni, et quocumque onere prorsus liberam, immunem, et exemptam, ita ut praedictus Josephus rex, et imperator expensis consistorii, illiusque expeditionibus aliunde prospexerit liberaliter simili

Praefinitio mensae episcopalis.

apostolica auctoritate perpetuo pariter probamus, et constituimus; ipsique novo, et futuro pro tempore episcopo Budvicensi pro sui commodo, decentique habitatione collegium, in quo clerici regulares congregationis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum nuncupatae olim, seu nuper degebant aedificium, ut etiam accepimus, molis amplitudine, ac structura satis commodum, et opportunum in dicta civitate Budvicensi situm, et ab eodem Josepho rege, et imperatore ad hoc designatum, et tributum, ipsiusque Josephi regis, et imperatoris sumptibus, et expensis ad usum episcopi redigendum, et construendum perpetuo quoque addicimus, et adscribimus.

Dotatio ecclesiae cathedralis.

§. 8. Ac praeterea, ut dignitates, et canonicatus dictae cathedralis ecclesiae Budvicensis per Nos, ut praefertur erectae, et institutae de congrua etiam earum, et eorum respective dotatione provideantur, illasque, et illos pro tempore respective obtinentes onera, et obligationes eis pro tempore respective incumbentes supportare valeant, dictae praepositurae, eique similiter adnexo aliam aliorum milleducentorum; canonicatui autem per eum, qui simul, et vicarii generalis munere fungetur, quique perpetuo de gremio capituli Budvicensis praedicti sumi debebit pro tempore obtinendo aliam trium millium; cuilibet vero reliquorum ex septem canonicatibus, ut supra erectis praedictis aliam mille; ac cuilibet ex quatuor vicariis praedictis aliam trecentorum; unicuique denique ex tribus cappellanis, ut supra erectis praedictis reliqua respective annuas summas centumquinquaginta florenorum similium pro illarum, et illorum respective praebendis similiter a dicto Josepho rege, et imperatore jam, ut pariter accepimus, perpetuo constitutas, et assignatas, ac per unumquemque ex dignitates, ac canonicatus, et praebendas, sic erectas, et erectas obtinentibus, ac etiam per unumquemque ex vicariis, ac cappellanis praedictis pro tempore futuris, ex liberalitate dicti Josephi regis, et imperatoris annuatim respective percipiendas dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque applicamus, et assignamus.

Concessio juris condendi statuta capitularia.

§. 9. Eisdemque futuris, ac pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Budvicensis per Nos, ut praefertur erectae, et institutae cathedralis ecclesiae Budvicensis, illiusque chori, capituli, rerum, bonorum, et jurium, tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio, et directione, nec non onerum illis incumbentium supportatione, ac divinorum officiorum, processionum, funeralium, anniversariorum, ac suffragiorum celebratione, distributione quotidianarum, et aliorum emolumentorum quorumcumque praesentium, et futurorum exactione, repartitione, ac perceptione, et divisione, nec non poenarum per absentes, ac divinis officiis suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis, et eorum cuilibet incumbentia subire negligentes incurrendarum incursu a praesentiis, et absentiis notandis, ac caeremoniis, et ritibus in dicta cathedrali ecclesia Budvicensi per Nos, ut praefertur erecta, et instituta, illiusque choro, et capitulo, processionibus, et aliis actibus bujusmodi servandis, ac quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa praemissa quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedictis minime adversantia, ac per eumdem modernum, et pro tempore futurum episcopum Budvicensem prius examinanda, et approbanda edendi, et edita declarandi, et interpretandi, ac in meliorem formam redigendi, seu alia de novo ex integro condendi, eisdem tamen sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, decretisque concilii Tridentini praedictis minime adversantia, ac per eumdem modernum, et futurum episcopum Budvicensem prius examinanda, et approbanda, ac per eos, ad quos spectat, et pertinet, ac pro tempore spectabit, et pertinebit observanda, sub poenis in contrafacientes statuendis plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et impartimur.

Jus patronatus favore imperatoris reservatur tam pro nominatione capitularium, quam pro praesentatione episcopi.

§. 10. Ac ulterius eidem Josepho regi, et imperatori, ejusque in regno Bohemiae praedicto successoribus jus praesentandi, seu nominandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure praefixum ad dictam episcopalem ecclesiam Budvicensem per Nos, ut praefertur, erectam, et institutam tam hac prima vice a primaeva illius erectione et institutione pastoris solatio destitutam, quam deinceps, et quoties eam pastoris solatio hujus-

modi destitui contigerit personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem praedictum ad nominationem, seu praesentationem hujusmodi eidem episcopali ecclesiae Budvicensi in episcopum praeficiendam eodem prorsus modo, quo episcopi aliarum ecclesiarum in praedicto Bohemiae regno ad nominationem seu praesentationem eamdem a Sede apostolica praedicta praefici consueverunt. Eodemque, ac simili modo aliud jus nominandi, seu praesentandi personas idoneas ad dignitates, nec non canonicatus, et praebendas, omniaque beneficia ecclesiastica in capitulo ipsius cathedralis ecclesiae Budvicensis, sic ut praefertur, erectos, et erectas, et erecta hujusmodi tam pariter hac prima vice, et a primaeva illarum, et illorum erectione, et institutione per Nos, ut praefertur, factis vacantes, et vacantia, quam etiam deinceps quoties, et illas, ac illos, et illa ex personis eas, et ea, ac eos respective obtinentibus quovis modo vacare contigerit pari apostolica auctoritate iisdem perpetuo respective reservamus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 11. Decernentes praesentes semper et perpetuo validum, et efficacem ac validas, et efficaces esse, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, et nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet de causa quantumvis juridica, et legitima, ac privilegiata, etiam ex eo quod causae propter quas eaedem praesentes emanaverint adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis, vel invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quopiam alio, quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et expressam, ac individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam, ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite, de jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, pia, privilegiata, ac etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, et aliis superius expressis nullibi appareret, aut alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illum, et illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque eumdem Nostrum motum proprium, et easdem praesentes, sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine singularibus, etiam consistorialiter, ac ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum tenoribus, expressionibus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam si in eis de eisdem praesentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutum, repositum, ac plenarie reintegratum, ac restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas fore, et esse.

Decretum irritans.

§. 12. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritumque, et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati ab ecclesiis membra dividi, et distingui prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore quomodolibet concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata praesentibus inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum omnium validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, ac valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis fructibus in libris camerae.

§. 14. Volumus autem, quod dicta ecclesia episcopalis Budvicensis per Nos, ut praefertur, erecta, et instituta juxta redditus praedictos, illius episcopali mensae etiam, ut praefertur applicatos, et assignatos de more ad quatuor centum, et octo florenos auri taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae describi debeat.

Deputatio executoris apostolici.

§. 15. Nos autem per easdem praesentes praedictum nuncium in dicta civitate Viennensi Austriae commorantem, ut praefertur, in executorem earumdem praesentium, quoad illorum executionem tantum apostolica auctoritate praedicta earumdem tenore praesentium deputamus, nec non eidem nuncio facultatem, ut ipse quamcumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam in executionem praedictam subdelegare libere, et licite valeat, eidemque pariter nuncio, seu personae ab eo subdelegandae facultatem quoque, ut ipse, seu ipsa integram praemissorum observantiam sub quibuscumque sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis praecipere, ac etiam super quocumque oppositione adversus eadem praemissa quomodolibet oritura, servatis tamen, quae fuerint de jure servanda, definitive pronunciare, etiam libere, ac licite possit dicta apostolica auctoritate concedimus, et impartimur.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, voluntatis, statuti, dismembrationis, divisionis, separationis, disjunctionis, exemptionis, concessionis, assignationis, suppositionis, subjectionis, probationis, constitutionis, additionis, adscriptionis, applicationis, assignationis, concessionis, impartitionis, reservationis, decreti, derogationis, deputationis, alteriusfacultatis impartitionis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo, septingentesimo octuagesimoquinto, quinto kalendas octobris, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXV.

Dat. Romae 30. septemb. 1785. Anno XI.

Declaratio Brevis — *Exigit apostolicis*, editi die 21. martii 1783., quo Sanctissimus Dominus Noster Pius pp. VI. se velle — protestatur, provincias reformatas Carmelitarum calceatorum, scilicet Montis Sancti, et Scalae Paradisi, ultra Pharum in Sicilia existentium, in eodem Brevi comprehendi.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum ad audientiam Nostram nuper perlatum sit, quod dum pro duabus provinciis ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo reformatis de Monte Sancto, et de Scala Para-

dini nuncupatis in regno Siciliae ultra Pharum existentibus de executione agebatur Nostrorum literarum in simili forma Brevis sub die XXI. martii anni MDCCLXXXIII. expeditarum, qua omnes omnino congregationes cujuscumque observantiae, vel reformationis ubicumque existentes ordini fratrum beatae Mariae virginis de Monte Carmelo antiquae observantiae auctoritate Nostra apostolica univimus, ac invicem sub gubernio, ac regimine prioris, ac magistri generalis ejusdem ordinis, et respective sub immediata subjectione provincialium, aliorumque localium priorum, et officialium incorporavimus, nonnulli fratres earumdem provinciarum dubitarunt, num sub generalibus earumdem literarum verbis dictae quoque provinciae comprehensae essent, hincque tot tricas, ac impedimenta suscitarunt, ut ad haec usque tempora Nostrae literae hujusmodi effectum suum in dictis provinciis sortiri nequiverint.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur, cui maxime cordi est inter eos praesertim, qui Christo Domino famulari propius susceperunt, pacem, et tranquillitatem custodiri, ac commodis, et prosperitati dicti ordinis consulere volentes, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, omnes omnino domus, et conventus dictarum provinciarum, sub dispositione Nostrarum literarum praefatarum comprehensos esse, harum serie decernimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, et validas, ac efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non omnibus, et singulis illis, quae in totis memoratis Nostris literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXX. septembris MDCCLXXXV., pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXVI.

Dat. Romae 30. septemb. 1785. Anno XI.

Facultas utrique clero civitatis, et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis peragendi commemorationem sancti Josephi in officio, et missa Desponsationis beatae Mariae virginis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor precum porrectarum ab ordinario.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus episcopus sanctae Crucis della Sierra in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse pro peculiari sua, suique populi erga sanctum Josephum devotione, in officio, et missa Desponsationis beatae Mariae virginis, commemorationem ejusdem sancti Josephi ejus sponsi ab utroque clero suae civitatis, et dioecesis praedictae fieri posse summopere cupiat.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos dictum modernum episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; ut in posterum ab utroque clero civitatis, et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis commemoratio sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis in officio, et missa Desponsationis ejusdem beatae Mariae virginis peragi libere, et licito possit, ac valeat, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus

sortiri, et obtinere, dictoque clero in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 30 septemb. 1785. Anno XI.

DLXVII.

Declaratur officium thesaurarii comitatus Venayssini constituere, et constituisse titulum primordialis nobilitatis transmissibilis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Romanus pontifex ex Altissimi regum regis, et dominantium Domini in terris vicesgerens inter gravissimas curas, quibus assidue premitur, hanc quoque sollicitudinem peculiari studio suscipere consuevit, ut ii, qui devotione, ac fide erga sanctam apostolicam Sedem commendabiles dignoscuntur, honoribus, et praeeminentiis sua, et Sedis apostolicae benignitate decorentur, quo beneficio devincti, et in eadem devotione, et fide erga ipsam apostolicam Sedem sincere persistant, et eorum exemplo alii ad similia promerenda inducantur.

§. 2. Cum itaque Nos ex relatione dilectorum filiorum prolegati Avenionensis, et rectoris Carpentoratensis cognoverimus, munus thesaurarii generalis Camerae apostolicae comitatus Venayssini, et ob suae erectionis antiquitatem, et ob suorum munerum naturam, ac indolem, et ob honores, ac praerogativas eidem officio adnexas, et demum ob illorum qualitatem, qui ad haec usque tempora munere hujusmodi functi sunt inter clariora, ac insigniora ejusdem provinciae officia merito recenseri, adeo ut ab omnibus, qui tum ante, tum post illius erectionem in officium vacabile munus hujusmodi occuparunt, pro vero titulo primordiali nobilitatis transmissibilis illius gestio adhibita sit, undo ipsi, eorumque descendentes in ditione Nostra praerogativis, honoribus, ac praeeminentiis nobilium jugiter usi, et gavisi sunt, ac utuntur, et gaudent, et in omnibus circumstantiis, et casibus a Nobis, et a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, et ab omnibus tribunalibus, in judiciis, homagiis, recognitionibus vulgo *reconoissance*, et dum de ineundis muneribus actum est solis nobilibus in dicto comitatu Venayssino reservatis, semper uti tales agniti sunt. *Ratio concessionis.*

§. 3. Hinc Nos considerantes, quod licet privilegium nobilitatis transmissibilis, quousque in praesens officium hujusmodi in provincia praedicta comitatus Venayssini potitum est ubique locorum in ditione Nostra ecclesiastica sit admissum, et acceptatum, nulla tamen lege scripta, aut constitutione apostolica fulciatur, ac splendori, et dignitati ejusdem muneris consulere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine munus thesaurarii generalis camerae Nostrae apostolicae in comitatu Nostro Venayssino fuisse, et esse, ac constituisse, et constituere, tam de praeterito favore omnium, et singulorum, qui illud expleverint, titulum primordialem verae nobilitatis ad descendentes transmissibilem, semperque ab iis omnibus, et singulis ad omnes, et quoscumque effectus, dummodo nullo umquam tempore quidquam egerint, quod acquisitae nobilitati derogare potuerit, allegabilem cum omnibus honoribus, praeeminentiis, et praerogativis solitis, et consuetis, quibus caeteri vere nobiles utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum tenore praesentium decerni- *Tenor declarationis.*

mus, et declaramus, et quatenus opus sit, motu, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non comitatus Venayssini etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 6. Volumus autem ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXVIII.

Dat. Romae 6. novemb. 1785. Anno XI.

Confirmantur decreta pro-legatorum Avenionensium quibus fit potestas beneficiatis collegiatae ecclesiae s. Agricolae civitatis praedictae insimul conveniendi ad tractanda negocia, aliaque deliberanda pro litibus, quae inter eos, et canonicos ejusdem collegiatae persaepe exoriuntur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a beneficiatis ecclesiae s. Agricolae.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii beneficiati collegiatae ecclesiae sancti Agricolae civitatis Nostrae Avenionensis, quod inter eos ex una, et canonicos ejusdem collegiatae ex altera parte persaepe, praesertim vero ob administrationem mensae capitularis exortae sunt lites, et contentiones, unde beneficiati exponentes, ut facile insimul convenire possent ad agenda negotia hujusmodi anno MDCCXXX. die undecima julii a tunc existente Sedis apostolicae pro-legato Avenionensi de Ilcio obtinuerunt decretum tenoris, qui sequitur.

Tenor decreti editi ab pro legato de anno 1730.

§. 2. Anno MDCCXXX. et die secunda mensis julii illustrissimus, et excellentissimus dominus prolegatus in palatio apostolico, et camera suae residentiae providens instantiis factis suae excell. a dictis dominis beneficiatis, et eorum parte occasione litium, quas intentarunt contra dominos canonicos antea administratores granorum capituli dictae ecclesiae.

Permisit, et permittit dictis dominis presbyteris beneficiatis convenire toties quoties illis bene visum fuerit, et in locum, quem eligent ad deliberandum, et concludendum id, quod sibi visum fuerit tam ratione dictae litis, quam aliarum instantiarum per eos motarum, et movendarum contra dictum capitulum, aut aliquem de communitate. Mandans, quod deliberationes, et conclusiones, quas capient ad pluralitatem vocum sint executoriae contra absentes, tamquam praesentes monitos nihilominus, aut citatos ad assistendum coetibus, derogando ad hunc effectum omnibus in contrarium facientibus.

R. De Ilcio

Quod quidem decretum postmodum die nona mensis decembris ejusdem anni ab eodem

pro-legato fuit explicatum tenoris, qui sequitur.

Declaratio ipsius decreti.

§. 3. In causa dominorum beneficiariorum ecclesiae parochialis sancti Agricolae istius civitatis Avenionensis contra dominos decanum, et canonicos ejusdem ecclesiae.

Anno millesimo septingentesimo trigesimo, die vero nona mensis decembris illustrissimus, et excellentissimus dominus Avenionensis pro-legatus in palatio apostolico, et audientia publica auditis in judicio contradictorio dominis judice Blanc, De Benoiz, Dumas, et Pecadecombe pro dominis Girousse, Banc, Benoiz, et aliis, et e contra dominis Teste, et Casal pro dominis Ferrand, Deidier, Astier, Rousset, Isnard, Moulet, et aliis in eorum instantiis, et requisitionibus.

Explicando rescriptum obtentum sub die undecima julii ultimo decursi mandavit, quod deliberationes captae, vel capiendae afficiant absentes, vel contradiceotes prout de jure tantum.

R. De Ilcio pro-legatus

Exponitur nihil praedicta decreta profuisse, et aliud latum fuisse de anno 1785.

§. 4. Haec tamen nihil quasi profecerunt, unde cum inter caeters nuper etiam quaedam inter canonicos, et beneficiatos hujusmodi occasione cujusdam decreti, seu resolutionis capitularis mota sit controversia, beneficiati praedicti denno sub die quarta mensis maji bujus anni ad dilectum filium Jacobum Filomarino tuoc Nostrum, et Sedis apostolicae pro-legatum Avenionensem confugerunt, novumque decretum impetrarunt, tenoris qui sequitur.

Tenor novi decreti.

§. 5. Anno millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, et die quarta mensis maji illustrissimus, et excellentissimus dominus pro-legatus providens instantiis factis suae excellentiae a dictis dominis beneficiatis ecclesiae parochialis, et insignis sancti Agricolae hujusce urbis Avenionensis, et ut placeat suae excellentiae eis liceotiam dare conveniendi ad deliberandum tam in litibus tam motis, quam movendis contra canonicos hujus ecclesiae, quam in aliis rebus eos afficientibus juxta quod, eis obtentum fuit in variis occasionibus a dominis pro-legatis, e maxime maudato dd. Delci undecima die mensis julii millesimo septingentesimo trigesimo, cujus mandati ostenderunt tenorem suae excellentiae, permisit, et permittit dictis dominis presbyteris beneficiatis conveoire in locum, quem eligent ad deliberandum, et concludendum id, quod sibi visum fuerit tam ratione dictae litis, quam aliarum instantiarum per eos motarum, et movendarum contra dictos canonicos hujusce ecclesiae sancti Agricolae tam ante tribunal excellentissimi domini archiepiscopi, quam ante alia convenientia. Mandans, quod deliberationes, et conclusiones, quas capient ad pluralitatem vocum sint executoriae tam contra absentes, quam praesentes, monitos nihilominus, aut citatos ad assistendum coetibus; derogando ad hunc effectum omnibus in contrarium facientibus.

F. Filomarino pro-legatus

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut decreta hujusmodi firmius subsistant, ac serventur exactius, exponentes praedicti apostolicae Nostrae potestatis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Preces pro confirmatione horum decretorum.

§. 7. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, bujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinserta decreta auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Tenor apostolicae confirmationis.

§. 8. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

Derogatio contrariorum. §. 9. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, dictae collegiatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, tûdultis, et literis apostolicis, superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava novembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXIX.

Dat. Romae 8. novemb. 1785. Anno XI.

Deputatio specialis congregationis pro reformatione legum criminalium, earumque commutatione in melius juxta temporum necessitates.

Monsignor Ignazio Busca arcivescovo di Emesa, governatore, e vice-camerlengo

Prooemium. §. 1. Fralle cura gravissime del Nostro pontificato essendoci principalmente a cuore la felicità de' Nostri amatissimi sudditi, abbiamo presa in matura considerazione la frequenza de' delitti, che da qualche tempo turbano la pubblica, e privata tranquillità di Roma, e del Nostro stato, e la facilità, con la quale li delinquenti o evitano le pene dovute alli loro misfatti, o gli vengono imposte con sproporzione alle commesse enormità, ed abbiamo in seguito rilevato che questi gravissimi disordini provengano nella maggior parte dal sistema della vegliante legislazione criminale, e specialmente dalla discordanza di una prammatica con l'altra:

Electio congregationis, et deputatio cardinalium, praesulum, et advocatorum illam constituentium. §. 2. Perciò seguendo le orme de' Nostri illustri predecessori, e specialmente di Benedetto XIV. di sempre gloriosa memoria, il quale non meno colla *totale rinnovazione de' bandi* per Roma, e per lo stato, che con altre molte providenze riguardanti la prova de' delitti, e le procedure de' tribunali, e de' giudici criminali, credette di dover soddisfare, e provvedere all'opportunità di quei tempi; ed aderendo altresì alle rappresentanze da voi fatteci sulla necessità di riparare con nuove, ed ulteriori providenze agl'indicati, ed altri inconvenienti insorti nel giudizio de' delitti, di Nostro *moto proprio*, certa scienza, e pienezza di potestà assoluta siamo venuti nella determinazione di deputare, come col presente chirografo deputiamo, una congregazione particolare composta de' reverendissimi cardinali Borromeo prefetto dell'Immunità, Pallotta prefetto del Concilio, e Boncompagni Nostro segretario di stato, non che di voi, e de' monsignori Campanelli Nostro uditore, Cioja segretario di Consulta, Ravetella uditore di Rota, della Porta chierico di camera, Quarantotti votante di Segnatura, Erskine promotore della fede, Costantini avvocato de' poveri, Benedetti avvocato fiscale, e Barberj fiscale generale, alla quale commettiamo di esaminare, e disporre quanto può essere giusto, e necessario per rimuovere li divisati, ed altri disordini, che s'incontrano in questa interessantissima parte del pubblico governo.

Indigitatur modus sequendus in novis edendis legibus. §. 3. Ed affinchè tal'opera, che ci è sommamente a cuore, riesca di più facile, e spedita esecuzione, vogliamo, ed ordiniamo, che voi, ed il prelodato monsignor Cioja coll'interessenza, e parere de' suddetti avvocato de' poveri, avvocato fiscale, e fiscale generale dobbiate preventivamente deliberare sopra tutto ciò, che può condurre allo stabilimento di una utile, e saggia legislazione criminale tanto in Roma, che in tutto il Nostro stato. E quindi quelle disposizioni, che saranno credute a tal'uopo utili, o necessarie, dobbiate portarle alla cognizione, ed all'esame di detti reverendissimi cardinali; li quali coll'interessenza vostra, e di tutti gli altri di sopra nominati prelati, ed individui componenti la congregazione ne faranno l'opportuna discussione, onde poi da Noi approvate, quando così crediamo, ricevano dalla Nostra potestà il loro valore, ed in tal guisa un ben inteso sistema di legislazione nella prevenzione de' delitti, nella proporzione delle pene, nella rilevanza delle prove, nella facilità dell'ordinatoria, e nella distribuzione

de' mezzi tendenti ad assicurare in un tempo stesso la salvezza degl'innocenti, e la condegna punizione de' rei, partorisca l'effetto di quella pubblica felicità, a cui son dirette le Nostre mire.

Clausula sublata, et decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 4. A tal fine concediamo alla prelodata congregazione facoltà, ed arbitrio di proporci quel piano, e quei mezzi, che stimerà più opportuni al bisogno; volendo, e decretando, che il presente chirografo colla sola Nostra sottoscrizione, e registrato che sia negli atti del vostro tribunale, vaglia, ed abbia il suo pieno effetto, ed esecuzione, benchè non registrato nei libri della camera, nè in altro modo sia servata la forma della costituzione di *Pio IV: de registrandis* alla quale perciò deroghiamo, e che contro di esso non possa opporsi orrezione, o surrezione, o difetto d'intenzione, o qualunque altro difetto, benchè degno di speciale, espressa, ed individua menzione, e non si possa diversamente interpretare, benchè l'interpretazione provenisse da' canoni anche conciliarj, leggi, constituzioni, decreti, ed opinioni approvate, poichè tale è la Nostra certa, espressa, e determinata volontà. Dato dal Nostro palazzo apostolico del Quirinale, questo dì 8. novembre 1785.

PIUS PP. VI.

DLXX.

Dat. Romae 29 novemb. 1785. Anno XI.

Derogatio statutorum fratrum ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo provinciarum Galliae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ea est infirmitatis Nostrae humanae misera conditio, ut raro contingat, tam scite, tamque prudenter aliquid constitui, quin brevi ex experientia rerum magistra, quae fuerunt disposita minus apte, atque opportuna appareant; unde aut declaranda, aut immutanda, aut interdum etiam in totum sunt reformanda: quod profecto inter caetera evenisse constat in nova constitutionum collectione, quam nonnullis immutatis ex antiquis constitutionibus strictioris observantiae nuncupatis provinciae Galliae fratrum ordinis beatae virginis Mariae de Monte Carmelo nuperrime cuduerunt, quamque etiam felicis recordationis Clemens pp. XIV. per suas literas in simili forma Brevis die trigesima mensis maji anno MDCCLXXII. expeditas confirmavit.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 2. Siquidem sicut pro parte dilectorum filiorum priorum provincialium Galliae ordinis praedicti Nobis nuper expositum fuit, cum antiquae constitutiones strictioris observantiae dicti ordinis jam a felicis recordationis Urbano pp. VIII., et Innocentio X. praedecessoribus Nostris approbatae in sua parte tertia cap. I. num. 11. sic disponerent — Convocatur capitulum provinciale ex prioribus cum uno socio rite a conventu quolibet electo . . . ex vicariis novorum locorum, ubi praeter ipsum vicarium degunt fratres cum voce, et loco, numerum quaternarium, eo comprehenso, excedentes, et socio rite electo — Priores provinciales tunc existentes sibi suaserunt futurum fore utilius suis respective provinciis, si jus habendi vicarium, eligendi socium pejoris, seu discretum conventus in comitiis provincialibus, ad eos tantum conventus cohiberetur, quorum communitas ex majori fratrum numero esset composita, quam in antiquis strictioris observantiae constitutionibus erat dispositum; hincque in memorata nova dictarum constitutionum collectione, sic antiqua statuta reformarunt — Nullus fiat discretus in conventibus, qui completam non habent conventualitatem; novem scilicet clericorum; nec vicarii hujusmodi conventuum jus habeant eundi, et sedendi inter priores, quamdiu capitulum celebratur — part. III. cap. 1. §. 11. Ast e contra cum postmodum compertum sit, conventus, qui praescriptam completam conventualitatem habent ex pluribus subinde exortis causis pauciores esse, quam caeteri illam non habentes, eoque propter vix, aut ne vix quidem capitula provincialia convocari possent, vel saltem notabilis pars communitatum hujusmodi nullum haberent, qui suas partes in capitulis praedictis sustineret, meritoque vereri posset, ne provinciarum hujusmodi gubernium apud potiores residendo multae inordinationes, aut absurda exoritura essent, quod maxime dictis provinciis exitiosum, ac incommodum foret; Nobis hinc priores provinciales praedicti humiliter supplicari fecerunt, ut derogando praeinsertae dispositioni paragraphi secundi capitis primi partis tertiae recentium constitutionum in pristinum usum antiquas constitutiones,

quoad praeinsertam dispositionem, revocaremus.

Tenor revocationis, cum suis declarationibus.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito prius venerabilis fratris Nostri Andreae cardinalis episcopi Sabinensis Corsini nuncupati ordinis praedicti apud Nos, et sanctam Sedem protectoris consilio, derogando praeinserto §. secundo capitis I. tertiae partis novarum constitutionum ordinis praedicti, auctoritate apostolica tenore praesentium sancimus, atque decernimus, ut in posterum, ac perpetuis futuris temporibus praeinserta dispositio partis tertiae capitis primi numeri quarti dictarum antiquarum constitutionum de ac super electione discreti, et qualitate suffragantium in capitulis provincialibus etiam pro provinciis in Gallia existentibus omnino observetur, ac religiose retineatur; quilibetque conventus quibus ante dictarum novarum constitutionum confirmationem, et apostolicam approbationem jus erat eligendi socium, seu discretum, ac ferendi suffragium in capitulo provinciali per suum vicarium, ac dictum socium, seu discretum, ad suum pristinum jus, ad formam antiquarum constitutionum, auctoritate, et tenore praedictis restituimus, reponimus, ac plenissime reintegramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non provincialium, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona novembris MDCCLXXXV, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXI.

Dat. Romae 9. decemb. 1785 Anno XI.

Concessio vescendi carnibus diebus non impeditis favore monachorum ordinis Cisterciensis tam communis, quam strictae observantiae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur regula utriusque ordinis, communis scilicet, et strictae observantiae super usu carnium, et abusus in utraque irrepti declarantur.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus modernus procurator generalis monachorum ordinis Cisterciensis duas in suo ordine militare observantias communis, et strictae nomine nuncupatas, quarum una ab alia differt in eo dumtaxat, quod communi permittitur vesci carnibus tribus diebus in hebdomada, strictae autem usus carnium penitus interdicitur, ut ex ejusdem ordinis constitutionibus a fel. rec. Alexandro pp. VII, praedecessore Nostro per suas literas in simili forma Brevis die XIX aprilis MDCLXVI, approbatis articulo vigesimoquarto constant. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, temporum calamitates, et naturae humanae fragilitas sapientioribus consiliis, et ordinationibus soleant plerumque affec-

ro detrimenta, hinc factum est, ut in communi observantia invaluerit abusus carnes manducare etiam die lunae, et in stricta, communis observantiae normae, et exemplo sese accomodare carnes comedendo quatuor diebus in hebdomada, non sine tamen multorum timoratae conscientiae monachorum scrupulo, quae cum in capitulo generali ejusdem ordinis die nona septembris anni MDCCLXXXIII, Cistercii habito mature fuerint perpensa, ac discussa ob difficultatem corrigendi inductos abusus, ac collapsam abstinentiae ab esu carnium disciplinam ad suum pristinum candorem restituendi, ab eodem capitulo generali deliberatum fuit Nobis humiles preces porrigere, ut in praemissis providere; ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis novae.

§. 2. Nos igitur Christifidelium, et praesertim religiosorum hominum, qui contemptis saeculi illecebris Deo propius famulare susceperunt, saluti, quantum cum Domino possumus, providere satagentes, ac monachorum ordinis praedicti conscientias ab omni scrupulo liberare volentes, ut deinde in laudabilis eorum instituti, ac regularis disciplinae observatione alacriores sese demostrent, illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; ut deinceps perpetuis futuris temporibus omnes, et singuli monachi tum communis, tum strictae observantiae ordinis praedicti singulis anni diebus cujuslibet hebdomadae, exceptis in feriis quartis, ac diebus in quibus jejunare de jure, vel consuetudine praeceptum inciderit, carnes absque ullo conscientiae scrupulo libere comedendi, iisque utendi licentiam, et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et elargimur, ac poenis a constitutionibus praedictis transgressoribus, vel etiam superioribus localibus carnium esum permittentibus inflictis omnes dictos monachos utriusque observantiae tum eos, qui ante praesentium literarum Nostrarum executionem carnibus vesci ausi sunt, absolvimus, et relaxamus, ac absolutos, et relaxatos fore, et esse auctoritate, et tenore praesentis declaramus.

Declarationes speciales

§. 3. Volentes propterea, ut in caeteris hebdomadae diebus superiores locales suis respective monachis cibos in ea quantitate, ac qualitate, quae illorum prudentia, ac religio eis suggeret, servata caeteroquin christiana religiosa temperantia, quin nec ipsi, nec religiosi praedicti poenas a constitutionibus praedictis inflictas incurrant, subministrare, iisque respective uti in perpetuum libere, ac licite possint, et valeant.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die VI decembris MDCCLXXXV, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXII.

Dat. Romae 6. decemb. 1785. Anno XI.

Approbatur declaratio a definitorio conventus del Pardo ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrosancti apostolatus officii, quod auctore Deo gerimus, sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui spretis mundi illecebris, Altissimi obsequiis se se sub suavi religionis jugo mancipararunt, uberesque bonorum operum fructus assidua proferre satagunt, curam gerentes, eosque peculiari charitate prosequentes, illa, quae pro felici eorum in via Domini directione, prosperoque gubernio provide, sapienterque constituta esse noscuntur, ut firma, illibataque permaneant, et inviolabiliter serventur apostolici muniminis Nostri patrocinio constabilimus.

Exponitur vetus statutorum ordinis dispositio.

§. 2. Expositum siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici Nobis nuper fuit, quod alias dilectus filius Erhardus a Radkerpurg minister generalis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum, ut vitae genus majoris austeritatis, ac perfectae communis jam alias in conventu fratrum ordinis praedicti del Pardo nuncupati Toletanae dioecesis inductum, magis magisque custodiretur, aliqua peculiaria statuta, ac leges sancivit, intra quae sub numero decimo tertio cautum est, ne ullus frater ordinis praedicti ad dictum conventum de familia a provinciali assignetur, nisi prius ipsemet frater id expostulaverit, et a guardiano ejusdem conventus cum majori, et saniori parte suorum consiliariorum fuerit admissus, quod etiam intelligendum esse de studio, et laicis ad dictum conventum assignandis expresse a definitorio sub die XXVI. januarii MDCCLXXIX. fuit constitutum.

Ab speciosa statutorum declaratione jurgia suborta sunt.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, postmodum nempe sub die XXII. octobris anni MDCCLXXIX. inter provincialem provinciae Castellae dicti ordinis cum suo definitorio, et guardianum conventus praedicti cum suis consiliariis declaratum fuerit, sub dispositione dicti statuti decimi tertii haud comprehendi fratres studentes, at laicos, unde provinciali Castellae pro tempore existenti, eos, quos maluisset in dicto conventu de familia assignare permittebatur; ac ex declaratione hujusmodi inter eorum successores de, ac super studii destinatione aliqua jurgia, et contentiones exorta sint; hinc memoratus Karolus rex catholicus ad praecidendam ulteriorem perturbationum causam Nobis humiliter supplicari fecit, ut praevia abrogatione, et deletione dictae declarationis inter provincialem, et guardianum praedictos die XXII. octobris anni MDCCLXXIX., ut praefertur, factae, dictam capituli decimi tertii declarationem a definitorio, ut praefertur, pro ejusdem conventus commodo, et utilitate factam auctoritatis apostolicae patrocinio communiri de benignitate apostolica dignaremur.

Hinc nova declaratio deletur, et vetus dispositio ad vitam revocatur.

§. 4. Nos igitur, qui licet regularem disciplinam tueri, et si aliquando collapsa sit eam inter eos, qui Deo propius in religione famulari susceperunt, restituere totis viribus adnitamur, nunquam tamen hosce Christifideles ad austerioris vitae institutum, quam professi sunt amplectendum adigere volumus, libenti animo adducimur, ut memorati Karoli regis catholici votis annuamus; praevia itaque abrogatione, et deletione cujuscumque declarationis inter provincialem ex una, et guardianum praedictum ex altera parte de, ac super assignatione, seu destinatione studii, et laicorum de familia in conventu dicti ordinis del Pardo nuncupato alias factae declarationem ejusdem capitis tertii alias a definitorio sub die XXVI januarii MDCCLXXIX., ut praefertur, factam, qua sub dicta dispositione comprehendi tum studentes, tum laicos definitum fuit, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus; illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui quomodolibet in eis intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia planissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conventus etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis; irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus,

caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 6. decemb. 1785. Anno XI.

DLXXIII.

Approbantur quaedam capitula a consilio camerae regiae Hispaniarum facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Cum ea, quae propter justas, et rationabiles causas aliquando stabilita sunt ex novis emergentibus momentis provide oportere declarari, moderari, ac etiam interdum prorsus immutari, ipsa rerum, ac temporum experientia doceat, carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quemadmodum scite, ac prudenter alias fuisse, a constitutionibus aliquarum ecclesiarum in suis ditionibus existentium praescriptam methodum, unde probationes ab iisdem constitutionibus requisitae essent peragendae, ita nunc improvidam prorsus, ac damnosam esse intelligens, regalis suae camerae consilio commisit, ut de hac re mature consulerent.

Expositio precum porrectarum a rege catholico.

§. 2. Cum autem sicut memoratus Karolus rex catholicus Nobis exponi fecit, a dictis consultoribus fuerint absurda omnia ex constitutionibus praedictis inter se etiam interdum repugnantibus resultantia post maturum examen cognita, novas ferendas esse censuerunt leges, tenoris, qui sequitur.

De requisitis evincendis ab eligendis ad dignitates, canonicatus, aliaque officia, et beneficia.

§. 3. I. Che si mantengano per ora li statuti, e costumanze, che vi fossero nelle chiese, di fare le prove agli ecclesiastici, che conseguiscano dignità, canonicati, porzioni, e qualsisia altro ministero, per quanto sia compatibile col beneficio, o sia vantaggio della causa publica, e de' provisti medesimi: che per conciliare questi due estremi, ed ovviare ai danni suddivisati, gli ecclesiastici, che doveano fare le prove, presentassero ai loro respettivi capitoli le loro genealogie chiare, ed esprimenti la loro origine, e quella de' loro ascendenti fino al grado richiesto dai statuti; come pure l'elenco de' luoghi, ove per ragion de' matrimonj, battesimi, morti, o altro di uopo sia il qualificare le loro persone.

De modo procedendi in examine documentorum exhibitorum.

§. 4. II. Che in vista del memoriale, o genealogia presentata dal provisto, commetta il capitolo le sue prove al canonico, dignità, o porzionario, che sia di turno, o da eleggersi, giusta il costume, che vi fosse in quella chiesa, con facoltà, che il detto commissario possa ricevere le informazioni istruttive, che si dovranno fare nella capitale di sua residenza, esaminando testimoni, e facendo estrarre, e autenticare gl' istrumenti, di cui pretenda l' interessato avvalersi, ed esistino nella medesima capitale, nello stesso modo, e forma, come oggi si stila; ben' inteso però, che non possino uscire, nè escano dalla capitale, per andare ad altri luoghi, ancorchè siano ville della città medesima, o poco da essa distanti, senza che per questa lieve occupazione di fare le prove si possino scusare dalla precisa assistenza, o sia intervento a tutte le ore canoniche del coro, nè all' adempimento degli altri obblighi, che gl' incombino per istituto delle loro rispettive prebende.

De probationibus faciendis extra locum ubi reperitur ecclesia, de cujus provisione agitur.

§. 5. III. Che le prove, che si debban fare in tutto, o in parte fuori della città, o villaggio, ove esistesse la chiesa, in cui sia provisto l' interessato, se l' intenda il detto commissario per via di lettere concertate con li provisori, ed ordinarj, affinchè ricevino le informazioni, che pretendessero fare gli aggraziati, tanto in linea di testimonj, che d' istromenti, senza che possino sortire dalla medesima città, nel causare alcuna dieta, avvalendosi per la compulsa delle fedi di battesimo, matrimonj, ed altri istromenti, che li pretendenti vorranno esibire dei parrochi de' luoghi, ove si dovessero estrarre, o confrontare in caso, che fossero di prima esibiti.

De instrumentis tradendis absque dilatione, et sine extraordinario tributo.

§. 6. IV. Che per gl' istromenti, che si trovassero negli archivj, notarie, ed officj riguardanti il regio tribunale, li giusdicenti se li facciano dare a richiesta de' commissarj, senza causare ai medesimi dilazione, e senza esigere da essi altri emolumenti, che gli assegnati nelle tasse.

De examine ab ordinariis faciendo, et informatione ab iis capitulo danda.

§. 7. V. Che li medesimi ordinarj ecclesiastici, terminata la prova del ramo loro commessa, la trasmettino originalmente chiusa, e sigillata con la loro informazione al commissario principale del capitolo, sia dignità, canonico, o porzionario, il quale riunendo tutti i

documenti riguardanti la prova, previa l' istanza della parte interessata, e manifestando questa di non averne alcun altra a fare, la rechi insieme con la sua relazione al capitolo, e si proceda senza indugio al suo esame, ed approvazione nella forma, che di presente si pratica.

De eligendis absque novo examine, et processu super idoneitate.

§. 8. VI. ed ultimo — Che se l' aggraziato, che pretende fare le prove, le avessè fatte anteriormente per altra chiesa, e comunità di eguale statuto, o costumanza, e gli fossero state approvate, adempirà coll' esibire un' attestato di aver fatte le prove, e della loro approvazione, possesso, ed ammissione effettiva, intendendosi lo stesso riguardo a quello, che fatto avessere qualche ascendente, germano, o parente relativamente alle linee, che sieno qualificate nelle dette prove, di maniera che debba fare quelle soltanto delli gradi, e delle linee non compreso nelle prove anteriori, intendendosi rapporto a queste quanto è stato disposto sul punto principale coe il secondo mezzo, mentre nè il commissario del capitolo, nè gli ordinarj ecclesiastici devranno sortire dai loro domicilj, nè cagionare diete, e salarj nelle informazioni, e diligenze, che debbano praticarsi.

Confirmatio apostolica.

§. 9. Ut itaque haec nova methodus suum sortiatur effectum, ac plenissime observetur, memoratus Karolus rex catholicus apostolicae Nostrae auctoritatis patrocinio communiri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur votis ejusdem Karoli regis catholici, quantum cum Domino possumus annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinserta capitula auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui quomodolibet in eis intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 11. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum ecclesiarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo pistatoris die sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Derogatio contrariorum.

DLXXIV.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

Conceditur fratribus Cappuccinis ordinis sancti Francisci provinciae Romanae cura animarum, et directio spiritualis infirmorum archiospitalis s. Spiritus in Saxia de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum religionis zelus eximiae in pauperes charitatis, ac altissimae humilitatis, aliarumque virtutum merita, quibus in Ecclesia Dei fratres ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum quam maxime fulgent, Nos adduxerint, ut illorum vigilantiae, et sollicitudini, ea, quae Nobis summopere cordi sunt, quaeque inter caetera pietatis opera, quae secundum apostolum promissionem habent vitae, divina scriptura commen-

dat, concrederemus; hinc ad spiritualem infirmorum in archiospitali sancti Spiritus in Saxia de urbe nunc, et pro tempore degentium directionem, eorumque animarum curam, quam nonnulli presbyteri saeculares hactenus gesserunt, dilectorum filiorum fratrum ordinis praedicti opera deinceps uti decrevimus.

Tenor concessionis.

§. 2. Verum quia eisdem fratribus per constitutiones sui ordinis apostolica auctoritate approbatas, et confirmatas sacramentales saecularium confessiones excipere, et audire interdictum est, atque ut hoc voluntatis Nostrae consilium perpetuis futuris temporibus servetur, Nos ex commissi Nobis divinitus pastoralis muneris debito animarum saluti, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, dictorum fratrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, motu proprio, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, eisdem fratribus minoribus Cappuccinis in sacro presbyteratus ordine constitutis, et ad audiendas saecularium confessiones idoneis, et a dilecto in Christo filio Nostro almae urbis in spiritualibus vicario, vel ejus vicesgerenti prius approbatis, eorumque praesidi curam, et spiritualem infirmorum in archiospitali sancti Spiritus in Saxia praedicto nunc, et pro tempore degentium directionem, sub jurisdictione, et gubernio dumtaxat dilecti filii moderni, et pro tempore existentis praeceptoris, seu commendatarii generalis dicti archiospitalis, ac sub legibus, et conventionibus jam inter eumdem praeceptorem, seu commendatarium ex una, et ministrum provincialem provinciae Romanae dicti ordinis ex altera parte lum factis, cum faciendis tenore praesentium committimus, et commendamus; illisque, qui ad inserviendum pro cappellanis, et spiritualibus directoribus in praedicto archiospitali pro tempore deputati fuerint, ut, dum hoc ministerio funguntur tantum, infirmorum inibi degentium sacramentales confessiones audire, eosque ab eorum peccatis poenitentia salutari, et alia, quae injungenda fuerint, eis respective injunctis absolvere libere, ac licite possint, et valeant motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et archiospitalis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 5. Volumus autem, ac tenore praesentium decernimus, ut eleemosyna, quam dictus modernus, et pro tempore existens praeceptor, seu commendatarius dicti archiospitalis Sancti Spiritus dictis fratribus Cappuccinis cappellanis, ac spiritualibus directoribus, seu ministro provinciali provinciae Romanae ordinis praedicti, cui subjiciuntur, praeter quotidianam illorum exhibitionem largiri consuevit, a ministro provinciali praedicto partim in eorumdem fratrum Cappuccinorum vestitum pro suo arbitrio tamen, et conscientia erogetur, partim superextans, videlicet illius portio, si aliqua erit, ad compescendos extraordinarios sumptus, quibus conventus Conceptionis Immaculatae Beatae Mariae Virginis in alma Nostra urbe existens horum intuitu gravatur, in utilitatem, ac commodum conventus hujusmodi omnino cedat. Datum Romae apud sanctum

Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXV.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

Facultas rectori parochialis ecclesiae beatae Mariae virginis, vulgo la Blanca nuncupatae, civitatis Hispalensis celebrandi missam votivam ejusdem beatae Mariae virginis singulis anni sabbathis etiam impeditis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor precum.

§. 1. Cum sicut dilectus filius modernus parochus, seu rector parochialis ecclesiae beatae Mariae virginis ad Nives, vulgo nuncupatae la Blanca civitatis Hispalensis Nobis nuper exponi fecit, ipse singulis anni sabbathis missam votivam beatae Mariae virginis cum cantu celebrare teneatur; quo autem frequentius devotioni erga eamdem beatam Mariam virginem satisfacere valeat, dictam missam votivam in sabbathis, etiam impeditis celebrare posse summopere cupiat.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, exponenti, ac pro tempore existenti parocho dictae parochialis ecclesiae beatae Mariae virginis ad Nives, ut in singulis anni sabbathis, exceptis festivis primae, et secundae classis, praedictam missam votivam beatae Mariae virginis cum cantu celebrare libere, et licite possit, et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque parochialis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam deregatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXVI.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

Facultas monachis ordinis sancti Hieronymi monasterii Regalis nuncupati nullius dioecesis provinciae Toletanae celebrandi singulis anni diebus missam votivam beatae Mariae virginis de Guadalupe.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Tenor precum porrectarum

§. 1. Cum sicut dilecti filii abbas, et monachi Regalis nuncupati monasterii ordinis sancti Hieronymi nullius dioecesis provinciae Toletanae Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem gerunt devotionis affectu, singulis anni diebus in aurora missam votivam solemnem ejusdem beatae Mariae virginis sub nomenclatura de Guadalupe celebrare posse summopere cupiant.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris, abbati, et monachis monasterii praedicti, ut ipsi

singulis anni diebus, exceptis festivis primae, et secundae classis, in aurora dictam missam votivam solemnem beatae Mariae virginis sub nomenclatura de Guadalupe celebrare libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictorumque ordinis, et monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXVII.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

Committitur nuntio Poloniae ut confirmet unionem, et incorporationem octo parochiarum alias monasterio Paradisiensi ordinis Cisterciensis ab episcopis Posnaniensibus factam.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Carthaginensi apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Poloniae regem illustrem Nostro, et Sedis apostolicae nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quoties illud a Nobis petitur, quod religioni, et Christifidelium bono convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum ab abbate ordinis porrectarum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus abbas, et monachi monasterii Paradisiensis ordinis Cisterciensis Posnaniensis dioecesis, quod alias nempe anno MDCCXXV. Joannes Joachimus, dum vixit, episcopus Posnaniensis ecclesias parochiales de Kalawa, Wysoka, Starydwor, Wyszanow, Zagowiecz, Hociszaw, Lutol, Bogozniec, et Nozminek intra limites suae dioecesis sitas, quae, ut asseritur, erant de jurepatronatu ejusdem monasterii, tum ob defectum cleri saecularis, qui linguam Germanicam calleret, quam unam ferme populus sciebat, tum ob tenuitatem redituum, qui erant impares pro parochorum saecularium substentatione, ac alias ob causas eidem monasterio univit, et incorporavit, easque propter curam animarum deinceps dictarum parochiarum ab illis monachis dicti monasterii exerceri voluit, quos ipse, suique successores episcopi Posnanienses juxta sacrorum canonum sanctiones idoneos, ac per examen habiles ad parochiale munus reperiissent, quosque ad dicta beneficia curata instituissent, salva insuper in reliquis omni quacumque ordinaria jurisdictione eorumdem episcoporum Posnaniensium; quam quidem unionem, et incorporationem postmodum Antonius Onuphrius suus successor in ecclesia Posnaniensi anno MDCCXXX. ad eorumdem monachorum petitionem confirmavit, et approbavit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes unionem, et incorporationem hujusmodi, quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent.

Tenor commissionis nuntio apostolico porrectae.

§. 3. Nos specialem eisdem exponentibus gratiam facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac summa in rerum agendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus,

et mandamus, ut constito tibi de utilitate unionis, et incorporationis hujusmodi, illam sub iisdem tamen legibus, et conditionibus auctoritate Nostra apostolica confirmes, et approbes, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, suppleas, et sanes.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, parochiarum, et dioecesis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXVIII.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

Declaratio, et revocatio unionis alias factae diversarum congregationum ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur quae fuerit ratio decernendae unionis.

§. 1. Cum ea propter justas, et rationales causas, aliquando stabilita sunt, ex novis emergentibus rationum momentis provide oportere declarari, moderari, et immutari, ipsa rerum, ac temporum experientia doceat, nuperrime vero, cum per quasdam Nostras literas in simili forma Brevis die scilicet XXV. martii anni MDCCLXXXIII., expeditas, quibus ordini fratrum beatae Mariae virginis de monte Carmelo antiquae observantiae omnes omnino congregationes cujuscumque observantiae, vel reformationis ejusdem ordinis ubicumque existentes auctoritate Nostra apostolica univerimus, ac incorporaverimus, licet alias in aliqua earum parte declaraverimus nihilominus alias sint, quae immutationem, ac moderationem a Nobis expetere quodammodo videantur; Nobis propterea dilectus filius modernus prior, seu magister generalis ordinis praefati exponi humiliter fecit, quod in eisdem literis inter caetera duo decernantur, quod nempe omnes carmelitae praefatarum diversarum congregationum unum tantum corpus cum eo (scilicet ordine antiquae observantiae) efficiant, ac regulas, et constitutiones memorati ordinis antiquae observantiae a Sede apostolica approbatas exacte observent, sublata qualibet inter easdem congregationes differentia, atcumque a praedecessoribus Nostris adeissa, easque leges, constitutiones, et consuetudines ordinis, cui uniuntur, aggregantur, et incorporantur, profiteri teneantur, alterum, quod si in una, alterave secularium principum ditione adeo pauci sint carmelitarum sic unitorum conventus, ut aptam efformare ex se nequeant provinciam arbitrio relinquimus ejusdem prioris, ac definitorii generalis conventus, aggregandi provinciae viciniori alterius secularis ditionis.

Memorantur incommoda quae ab decreta unione promanaruut.

§. 2. Cumque insuper aliquae provinciae in ditione carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae reginae fidelissimae subjectae in Germania, in Polonia, in Hibernia, ac in Sicilia respective existentes, licet perfecte ordini antiquae observantiae praedicto unitae, ac ejusdem ordinis priori, seu magistro generali subjectae sint, nihilominus reformatis constitutionibus alias a felic. rec. Urbano pp. VIII. praedecessore Nostro approbatis utantur,

quibus nimis durum, ac difficile esset si constitutiones hujusmodi deserere cogerentur, ut statuta antiquae observantiae jam derelicta iterum susciperent, prout vigore dictarum literarum Nostrarum certe certius tenerentur. Cum rursus licet diu actum esset pro unione trium conventuum Lucani, Regiensis, et Parmensis ordinis praedicti provinciae Lombardiae, ob plures tamen difficultates hinc inde exhortas hi tres conventus a dicto priore, seu magistro generali de consensu, et consilio sui ordinis provinciae Remandiolae fuerunt uniti, impetratis a Nobis prius de vivae vocis Nostrae oraculo necessariis, et opportunis facultatibus: ut itaque, et provinciarum praedictarum tranquillitati consulatur, et unio praedicta firmius subsistat, ac servetur exactius memoratus prior, seu magister generalis dicti ordinis Nobis supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor dismembrationis novae, cum reservatione subjectionis uni priori generali.

§. 3. Nos igitur, qui nihil aliud quidpiam per memoratas Nostras literas quaerebamus, quam, ut hi per fraternae charitatis compagi nem omnes omnino fratrum dicti ordinis congregationes in unum corpus coalescerent, et ad augendum Dei cultum, et ad spirituale Christifidelium bonum procurandum fratres hujusmodi utilius adlaborassent, probe noscentes haud consecuti, nisi dum fratrum animi undique conquiescant, hinc omnem super praemissis curarum occasionem removere, ipsumque exponentem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; ut omnes supraenumeratae provinciae, dummodo sub regimine, et gubernio prioris, seu magistri generalis ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo antiquae observantiae pro tempore existentis, eidemque ordini perfectissime unitae sint suis peculiaribus constitutionibus, jam ut praefertur, a sancta Sede alias approbatis vivere, libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac respective decernimus, et declaramus.

Unio conventuum provinciae Remandiolae confirmatur.

§. 4. Insuper memoratam unionem dictorum trium conventuum Lucani, Regiensis, et Parmensis provinciae Remandiolae, ut praefertur, factam, et cuncta inde secuta, ac praesertim nuperrimum capitulum provinciale in transacto mense junii Caesenae habitum: actus illius, atque electiones omnes, et quaecumque in eo gesta, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, et quatenus opus sit, dictos tres conventus provinciae Remandiolae ordinis hujusmodi, auctoritate, et tenore praefatis unimus, aggregamus, et incorporamus; ac omnes, et singulos juris, et facti, qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, auctoritate, et tenore pariter praefatis supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac memoratis Nostris literis incipientibus — *Exigit apostolici Nostri* — sub die XXI. martii anni MDCCLXXIII. expeditis, nec non ordinis, ac provinciarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici

subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis ea prorsus fides in judicio, et extra illud, adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta decembris, millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 16. decemb. 1785. Anno XI.

DLXXIX.

Dismembratio archipresbyteratus de Valdonsella nuncupati ab ecclesia Pampilonensi, ejusque perpetuae unionis ecclesiae Jacensi.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Eximia et apostolicae Sedis plurimum commendationem merentis studia per saeculares principes de praesulum ecclesiarum, qui jugiter in vinea Domini adlaborantes decentiori substentatione deficiunt providendo statu, mira exemplaritate suscepta animum Nostrum adeo alliciunt, ut quod sagacissime ab eis dispositum fuit Nostra jure optimo auctoritate firmemus prout de caetero ecclesiarum ipsarum suadet utilitas, et Nos in Domino conspicimus expedire.

Rex Hispaniarum exponit necessitatem peragendae dismembrationis et respectivae unionis. §. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Josephus Nicolaus eques de Azara charissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici apud Nos, et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius, Nobis nuper ejusdem Karoli regis nomine exposuit episcopalis mensa Jacensis illis non sit reddit bus dotata, qui dignitatis episcopalis substinendo decori, et oneribus, quae praesulem Jacensem ecclesiae assiduo subire oportet respondeant, et idem Karolus rex, cui dudum haec redditnum modicitas innotuit cupiens pro eximia animi sui pietate illos aliqua in parte adaugere, ac ceteroquin episcopalem mensam ecclesiae Pampilonensis longe uberioribus proventibus ditatam esse considerans, illud prae ceteris magis expediens, et aequitati consonum medium occurendi, scilicet opulentia unius inopiae alterius mensarum episcopalium hujusmodi opportune adhiberi posse putaverit, proindeque idem Josephus Nicolaus nomine praefato Nobis subjunxerit, quod si a dicta mensa episcopali, nec non praedicta ecclesia, et dioecesi Pampilonensi, archipresbyteratus de Vandonsella nuncupatus, qui olim, et ante illius infrascriptam unionem dignitas, forsan post pontificalem major in ipsa Pampilonensi, seu forsan principalis in aliqua ex collegiatis ecclesiis Pampilonensibus, seu alterius civitatis, vel dioecesis existens praevis illius tituli collativi, ac omnimodae jurisdictionis, forsan quasi episcopalis super infrascripto territorio, seu districtu eidem archipresbyteratui annexo, per illius tunc pro tempore existentem possessorem archipresbyterum de Valdonsella nuncupatum habita suppressione eisdem mensae episcopali, et respectiva ecclesiae, et dioecesi Pampilonensi praefatis apostolica auctoritate perpetuo unitus, et incorporatus extitit, dictique archipresbyteratus fructus, redditus, proventus, et bona, ac jura quaecumque, nec non territorium, seu districtum hujusmodi per Nos, et Sedem apostolicam perpetuo respective dismembrentur, dividantur, et separentur, illisque sic dismembratis, divisis, et separatis dictus archipresbyteratus videlicet, illiusque fructus, redditus, proventus, bona, et jura praedicta, eidem mensae episcopali Jacensi, etiam perpetuo, ut infra, uniantur, et applicentur. Territorium vero, seu districtus hujusmodi, ac loca, et rura, nec non parochiae infrascriptae in eo consistentia episcopali ecclesiae, et dioecesi Jacensi, itidem perpetuo, ut infra aggregentur, et incorporentur, omnesque pariter, et singuli in dicto territorio, seu districtu, sic dismembrando, et respective uniendo contenti utriusque sexus personae, habitatores, et incolae inferius expressi ab ordinaria venerabilis fratris Nostri Stephani Antonii Aguado de Roxas moderni, cujus ad hoc, et infrascripta omnia expressus accedit assensus, et pro tempore existentis episcopi Pampilonensis jurisdictione, potestate, et auctoritate, cui alias supposita, et suppositi fuerunt, etiam perpetuo sejungentur, et eximantur, illique sic sejungendi, et eximendi ordinariae pro tempore existentis episcopi Jacensis jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati similiter perpetuo subjiciantur, et supponantur, ac reliqua infrascripta fiant satis, ex hoc idem pro tempore existens Jacensis episcopus in eisdem supportan-

dis oneribus acciperet adjumenti, et praedicti Karoli regia desideria hac in parte implerentur.

Tenor dismembrationis, cum suis declarationibus.

§. 3. Nos igitur praemissis omnibus mature perpensis, reique congruentia, simulque optimi principis vigilantia perspectis, tam piis ejusdem Karoli regis votis haerere, ac Nobis desuper porrectis nomine supradicto per ipsum Josephum Nicolaum precibus annuere volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine a mensa episcopali, nec non ecclesia, et dioecesi Pampilonensi eumdem archipresbyteratum, illiusque fructus, redditus, et proventus, qui ante suppressionem, et extinctionem hujusmodi ad mille florenos auri in libris camerae apostolicae, ut etiam accepimus, taxati reperiebantur, nec non territorium, seu districtum hujusmodi, et in eo consistentia loca, et rura, nec non parochias infrascripta videlicet — unum di un Castille cum duabus parochiis, ac quatuorcentum, et sexdecim incolis, eisque respective annexis — alterius loci di Malpica, cum una parochia, et triginta habitatoribus — ac alium de Layana cum una parochia, et vigintiquinque incolis — ac alium do Pos cum una itidem parochia, et quatuorcentum, et octoginta novem habitatoribus — ac alium de Frago, similiter cum una parochia, et septuaginta incolis — ac alium de Marillo de Gallego, eique undecim annexis locis cum una simili parochia, ac tercentum, et quadraginta duobus habitatoribus — ac alium da Salvatierra cum una etiam parochia, ac centum, et viginti septem incolis — ac alium de Aguero, eique pariter annexis locis, cum una quoque parochia, ac centum, et novem incolis — ac alium de Ferandues cum una itidem parochia, ac centum, et viginti incolis — ac alium de Ores cum una etiam parochia, et sexaginta novem incolis — ac alium de Asin cum una similiter parochia, et triginta quatuor incolis — ac alium da Aso, cum una quoque parochia, et decem incolis — ac alium de Lorves cum una pariter parochia, et viginti duobus incolis — ac alium de Esco cum una pariter parochia, et triginta duobus habitatoribus — ac alium de Antieda cum una etiam parochia, et trigintaquinque incolis — ac alium Mianos cum una similiter parochia, ac triginta uno incolis — ac alium de Undens Piatano cum una etiam parochia, et quadraginta quatuor incolis — ac alium de Lobera cum una quoque parochia, et quadraginta octo incolis — ac alium de Longas cum una etiam parochia, et septuaginta tribus incolis — ac alium de Urries, similiter cum una parochia, et septuaginta sex incolis — ac alium de Gordun cum una itidem parochia, et septemdecim incolis — ac aliud de Isuere cum una etiam parochia, et quadraginta uno incolis — ac alium de Nabardum cum una itidem parochia, et viginti octo incolis — ac alium de Pitilia cum una quoque parochia, et septuaginta quatuor incolis — ac alium da Undues de Lerda cum una similiter parochia, et septuaginta incolis — ac alium de Casteliscar, etiam cum una parochia, et quinquaginta quatuor incolis — ac reliquum loca hujusmodi de Pradilla respective nuncupata cum una itidem parochia, et sexaginta novem incolis — inibi respective existentibus, nec non unum de Biel cum una quoque parochia, et ducentis, et undecim incolis — ac aliud de Luesia cum una similiter parochia, ac ducentis, et viginti sex incolis — ac aliud de Pui Pintade cum una etiam parochia, et septuaginta et octo incolis — ac aliud da Ruesta pariter cum una parochia, et septuaginta incolis — ac aliud de Tiermas cum una itidem parochia, et septuaginta quatuor incolis — ac aliud de Sadaba cum una pariter parochia, ac ducentis, et duodecim incolis — ac aliud de Biota cum una itidem parochia, et nonaginta incolis — ac reliquum rura praedicta de Liques respective etiam nuncupata cum una etiam parochia, et triginta tribus incolis, inibi quoque respective existentibus alias, ut praefertur, eisdem episcopali mensae, et ecclesiae, ac dioecesi Pampilonensi respective unitum, unitos, et unita tenore praesentium apostolica auctoritate praedicta perpetuo respective dismembramus, dividimus, et separamus, illisque sic dismembratis, divisis, et separatis dictum archipresbyteratum videlicet, illiusque fructus, redditus, proventus, ac bona, et jura quaecumque hujusmodi praedictae mensae episcopali Jacensi, ita quod liceat eidem pro tempore existenti episcopo Jacensi per se, vel alium, seu alios, ipsius episcopalis mensae Jacensis nomine dicti archipresbyteratus, illiusque fructuum, redditunm, proventuum, ac bonorum, jurium praedictorum, et pertinentiarum quorumcumque per Nos, ut praefertur dismembratorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate

libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, dictaque bona, jura locare, dislocare, arrendare; fructus quoque, redditus, et proventus praedictos percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per ipsum pro tempore existentem episcopum Jacensem omnibus, et singulis ejusdem archipresbyteratus alias, ut praefertur, suppressi, et uniti, ac per praesentes, etiam, ut praefertur dismembrati, si quae sint, oneribus in suos, et praedictae mensae episcopalis Jacensis respective usus, et utilitatem convertere cujusvis licentia desuper minime requisita dicta apostolica auctoritate de simili praedicti Stephani Antonii episcopi Pampilonensis consensu itidem perpetuo unimus, applicamus, et appropriamus.

Assignatio territorii dismembrati

§. 4. Territorium vero, seu districtum praedictum, et in eo ut praefertur respective consistentia loca, et parochias superius expressa, et expressas hujusmodi episcopali ecclesiae, et dioecesi Jacensi praedictis, ita quod liceat pariter eidem episcopo Jacensi pro tempore existenti per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, corporalem, et actualem possessionem, seu quasi possessionem administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in ipso territorio, seu districtu per praesentes, ut praefertur dismembrato propria auctoritate, etiam libere apprehendere, et apprehensam perpetuo pariter retinere cujusvis itidem licentia desuper ad id minime requisita eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo aggregamus, et incorporamus. Omnesque, et singulos utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, et beneficiatos quoscumque in praedictis locis, ac ruribus, et respective parochiis hujusmodi per praesentes, ut praefertur dismembratis, ac respective etiam, ut praefertur aggregatis, et incorporatis respective contentos cujusvis gradus, status, et conditionis existant ab ordinaria praedicti Stephani Antonii, ut praefertur moderni, et pro tempore existentis episcopi Pampilonensis praedicti jurisdictione, potestate, et superioritate simili apostolica auctoritate etiam perpetuo eximimus, et liberamus, illosque sic exemptos, et liberatos ordinariae jurisdictioni, potestati, et superioritati ejusdem pro tempore existentis episcopi Jacensis dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque supponimus, atque subjicimus, ac clero, et populo civitatis, et dioecesis Jacensis respective etiam perpetuo adjungimus.

Contra literas praesentes omne remedium juris submovetur.

§. 5. Decernentes easdem praesentes, semper et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo, quod causae propter quas easdem praesentes emanarunt adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari, possit notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Ro-

manerum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine singularibus, etiam consistorialiter, ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiamsi in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenariae reintegratas, fore, et esse.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 6. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quescumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Deputatio executoris apostolici. §. 7. Ac praeterea dilectum quoque filium Nostrum, et Sedis apostolicae respective nuncium in regno Hispaniarum commorantem in exequutorem earumdem praesentium, quoad illarum exequutionem tamen dicta apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium deputamus, eidemque nuncio, uti ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in hujusmodi exequutione subdelegare libere, et licite valeat apostolica auctoritate praedicta facultatem concedimus, atque impartimur.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae praedictae regula de unionibus, et applicationibus ad partes committendis, et de exprimendo in eis vere annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, ac Lateranensis concilii novissimi celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, nec non ab ecclesiis membra dividi, ac distingui, et generalium conciliorum beneficia ecclesiastica unius dioecesis beneficiis alterius dioecesis uniri respective prohibentium, ac quibusvis aliis, etiam in synodalibus, provincialibus eisdem generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque Pampilonensis ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet, tamen concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus pro plena, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie deregamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, quod summa dictorum mille florenorum auri hujusmodi, quae ex taxa dictae Pampilonensis ecclesiae in libris camerae apostolicae descripta ratione dismembrationis ejusdem archipresbyteratus, illiusque fructuum, redituum, et proventuum praedictorum per Nos, ut praefertur, facta subducetur super taxa ejusdem ecclesiae Jacensis in eisdem libris, camerae apostolicae praedictae similiter descripta ex nunc in posterum augeri, et in eum respective transferri debeat. Praeceptum de describendis fructibus in libris camerae apostolicae.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae dismembrationis, divisionis, separationis, unionis, applicationis, appropriationis, aggregationis, incorporationis, exemptionis, liberationis, suppositionis, subjectionis, adjunctionis, decreti, deputationis, facultatis, concessionis, impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc atten- Sanctio poenalis.

tare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, quarto kalendas januarii pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 8. januarii 1786. Anno XI.

DLXXX.

Confirmatur nova erectio collegii monialium Ursulinarum in civitate Bracharensi facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Cum Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris nihil umquam fuerit antiquius, quam in rectam juventutis institutionem, ac educationem sollicitis studiis incumbere, unde tot orphanotrophia, tot collegia, ac seminaria ubique locorum auctoritate apostolica fuerunt erecta; Nos quoties occasio oblata est, illorum vestigiis inhaerere non omisimus. Cum itaque magni momenti sit, puellas a teneris annis ad pietatem, et religionem instituere, ne cum plus aequo ad saeculi voluptates sequendas pronae vel maxime sint, hominibus in petram fiant offensionis, ea, quae pro illorum educatione, atque informatione laudabiliter constituta esse noscuntur, quoties id a Nobis petitur, libenter apostolica auctoritate confirmamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Exponitur auctoritate apostolica intercedente fuisse erectum monasterium Ursulinarum in loco nuncupato il Ritiro.

§. 2. Nuper siquidem pro parte venerabilis fratris Gasparis archiepiscopi Bracharensis expositum Nobis fuit, quod cum alias ipsi innotuerit, institutum monialium sub regula sancti Augustini Ursulinarum nuncupatum in Galliarum regnis existentium, et a felicis recordationis Paulo papa V. praedecessore Nostro apostolica auctoritate approbatum, et confirmatum valde proficuum, et utile esse, quod puellas ad pietatem, religionem, ac bonas artes sedule informent, collegium monialium hujusmodi in loco vulgo *il Ritiro* nuncupato sanctorum martyrum villae de Vianna do Minho suae Bracharensis dioecesis erigi, et fundari curavit, hancque erectionem, et fundationem sub certis modo, et forma apostolica Nostra auctoritate confirmari obtinuit, prout in Nostris anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo septuagesimo nono, quinto nonas martii hisce desuper sub plumbo expeditis literis uberius continetur.

Laudatur institutionis praestantia quae ampliatur per novam erectionem monasterii in loco frequentiori.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ex erectione, ac fundatione praedicta, licet in solitario loco, uberes nihilominus prodire fructus cognoverit, ex tunc fundationem novi collegii monialium Ursulinarum hujusmodi in frequentiori loco secum animo cogitavit. Et quidem cum a munificentia carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae domum cum omnibus mobilibus, et adjacentiis alias ad clericos regulares extinctae, et suppressae societatis Jesu spectantem, ac in ipsa civitate Bracharensi existentem sibi largiri obtinuerit, in ea collegium monialium Ursulinarum ad instar illius erecti in dicta villa de Vianna sua ordinaria auctoritate fundavit, illique nedum bona omnia mobilia, et immobilia cujusdam confraternitatis olim in suburbio dictae civitatis Bracharensis in quodam loco Mons Poenarum nuncupato sub invocatione Conceptionis Beatae Mariae Virginis erectae, quae felicis recordationis Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster, praevia ejusdem confraternitatis extinctione, et suppressione, ad erigendum puellarum orphanarum conservatorium sub certis modo, et forma per suas anno MDCCXLVI. expeditas literas applicaverat, sed etiam quidquid extat, et debetur ex archiepiscopalus Bracharensis ecclesiarum vacantium redditibus per viginti annos perceptis, quod usque ad triginta mille aureos pertingit, quodque in eamdem causam erectionis dicti conservatorii memoratus Benedictus praedecessor per alias anno MDCCXLIX. expeditas literas assignaverat.

A veteri monasterio plures moniales educuntur, et transferuntur in noviter erectum.

§. 4. Cum conservatorium hujusmodi nunquam fuerit erectum, ac in posterum erigi non poterit ob graves sumptus ad id necessarios, pro ejusdem collegii, earumque monialium substentatione, illique addictorum manutentione addixit, et univit. Ac insuper attenta facultate in memoratis Nostris literis sub plumbo datis monialibus praedictis concessa de sui ordinarii licentia, et cum debitis tamen cautelis e clausura sui collegii egrediendi ad alias fundationes in regno Portugalliae incipiendas,

et explendas, jam dilectas in Christo filias Ludovicam Mariam de Plagis Jesus Nazareni superiorissam, et Elisabeth Mariam Franciscam Theresiam, et Mariam Josepham, et Mariam Nives, et Theresiam Josepham, et Mariam Theresiam, et Mariam Felicianam, et Augustinam Mariam, et Theresiam Barbaram, et Mariam Elisabeth etiam de plagis Jesus Nazareni respective nuncupatas moniales in dicto collegio villae de Vianna expresse professas ad novum collegium Bracharense, tamquam aptiores, ac magis idoneas pro instructione ejusdem novi collegii transtulit, in eoque collocavit.

Episcopus flagitat approbationem omnium gestorum pro hac nova erectione.

§. 5. Verum, sicut eadem prosequebatur expositio, haec omnia licet ordinaria auctoritate facta, ut tamen necessarium sortiantur effectum, firmiusque subsistant, ac serventur exactius apostolicae confirmationis munimine roborari, aliaque concedi memoratus Gaspar archiepiscopus summopere desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Omnia laudat pontifex, et sua auctoritate confirmat.

§. 6. Nos igitur utilitatem, quae ex instituto praedicto proventi prae oculis habentes, ac eumdem Gasparem archiepiscopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fundationem, ac erectionem dicti novi collegii monialium Ursulinarum sub regula sancti Augustini in civitate Bracharensi ad instar alterius collegii earumdem monialium villae de Vianna, at cum perfectae clausurae observantia sub jurisdictione, regimine, et gubernio moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Bracharensis, itaut, quatenus opus sit, expensis ejusdem collegii illud de magistris idoneis ad puellarum instructionem providere possit, et cum assignatione tum dictae domus una cum suis mobilibus, et adjacentiis alias ad extinctam societatem Jesu spectantibus, tum etiam dictae summae ex vacantium ecclesiarum dioecesis Bracharensis redditibus ad triginta mille aureos pertingentis conflatae, ac omnium, et singulorum bonorum mobilium, et immobilium ad confraternitatem in loco Mons Poenarum nuncupato sub invocatione conceptionis Beatae Mariae Virginis alias auctoritate apostolica, ut praefertur, suppressam quomodolibet spectantium, et pertinentium, salvis tamen omnibus oneribus dictis bonis inhaerentibus, non obstantibus memoratis Benedictinis literis, quae redditus, ac bona praedicta erectioni conservatorii puellarum orphanarum attribuebant, quibus per praesentes sufficienter, ac expresse derogare intendimus, ac traductionem e collegio villae de Vianna ad dictum collegium, sic noviter erectum, tum dictae Ludovicae Mariae de Plagis, tum aliarum decem monialium praedictarum, ut praefertur, factam auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque omnibus inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, qui aut in erectione ejusdem collegii, aut in assignatione dictorum bonorum, aut in monialium praedictarum traductione quomodolibet intervenerunt, aut intervenisse dici, aut censeri poterit, supplemus, et sanamus.

Communicat novo monasterio privilegia, et indulgentias ordini Ursulinarum concessas, et sinit ut moniales designatae egrediendo a priori conventu recipiantur in novum.

§. 7. Omnibus, et singulis vero nunc, et pro tempore existentibus dicti collegii Bracharensis monialibus omnia, et singula privilegia, omnesque, et singulas indulgentias tam plenarias, quam partiales alias a memorato Paulo praedecessore collegiis monialium Ursulinarum regnorum Franciae, et per Nos dicto collegio villae de Vianna respective concessa, et concessas, dummodo tamen in usu sint, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et elargimur; eisdemque monialibus debita cum licentia archiepiscopi Bracharensis, et cum canonicis requisitis cautelis e clausura dicti collegii egrediendi, et ad alias similium collegiorum fundationes in regno Portugalliae dumtaxat incipiendas, et explendas, se transferendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur; immo, ut moniales hujusmodi clausis januis exterioris suae ecclesiae in eam ad effectum illam ornandi, et expoliandi ingredi possint indulgemus. Utque erectio, seu fundatio hujusmodi uberiores in dies proferat fructus, eisdem monialibus, ut non solum puellas intra septa clausurae commorantes, verum etiam ad illius aulas publicas advenientes gratis instruere libere, ac licite possint, et valeant, damus, et permittimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane; decernere, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis; irritantibusque; et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod singulis novi fundationibus similium collegiorum in praedicto regno Portugalliae, si eas per nonnullas ex dictis monialibus collegii etiam, sic, ut praefertur, fundati fieri contigerit expletis, singularum illarum confirmatio a Sede apostolica praedicta impetrari debeat, alias fundationes hujusmodi, ut praefertur, faciendae nullae sint, et esse censeantur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXXI.

Suppressio conservatorii puellarum orphanarum civitatis Pisaurensis, et applicatio bonorum favore seminarii ipsius civitatis.

Dat. Romae die 10. januarii 1786. Anno XI.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. Creditae divinitus humilitati Nostrae dispensationis officium Nos admonet ad hoc esse in apostolicae dignitatis specula constitutos, ut ad promovendum Dei cultum, ad Ecclesiae disciplinam fovendam, et ad animarum Christifidelium salutem procurandam omnia studia, vigiliasque Nostras adjuvante Dei gratia jugiter impendamus. Itaque cum ad haec assequenda nil utilius esse agnoverimus, quam eorum vita, et exemplum, qui se divinis manciparunt servitiis, ad ea providentiae Nostrae intuitum libenter convertimus, quoties id a Nobis exigitur, per quae sedulae clericorum institutioni opportunis remediis prospiciatur; ubi enim illi a teneris annis, et antequam vitiorum habitus totos homines possideat, seu novellae plantae benigniori cura educentur, et ad pietatem, religionem, ac literarum scientiam informentur, cum postea in laboriosa ecclesiastica officia acciti sint, tamquam boni Christi ministri, enutriti verbis fidei, et bonae doctrinae, quam assecuti erunt, Christifideles exhortari in sana doctrina, et eos, qui contradicunt, arguere, utilesque se exhibere poterunt.

Exponitur seminarii redditus impares fuisse substinendis oneribus et curandae aedium ruinosarum reparationi.

§. 2. Cum itaque, ut primum hujus ecclesiae tuae Pisaurensis regimen suscepisti, animum, et cogitationem tuam ad episcopale seminarium intendisses, illud maxime premi angustiis deprehendisti, utpote quia, nedum congruis, ac necessariis redditibus destitutum in incerto semper statu, ac periculo, ne sensim dilabatur, versatur, quandoquidem annui ejus proventus, ac redditus vix parcissimo alumnorum numero, et tenuissimae mercedi praeceptoribus, ministris, ac inservientibus solvendae, aliisque communibus sumptibus hujusmodi faciendis satis esse dignoscuntur, sed etiam suae aedes, adeo materiatae, et ruinosae sunt, ut aliquod opportunum, et firmum remedium omnino exigant.

Flagitatur suppressio conservatorii puellarum, reintegratio trium confraternitatum, et applicatio bonorum favore seminarii.

§. 3. Nobis hinc nuper exponi fecisti, quod Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die x septembris anni MDCCLXXXII. expeditas literas precibus bo: mem: Rochi Mariae dum vixit episcopi Pisaurensis praedecessoris tui Nobis hisce desuper humiliter porrectis annuendo, praevia suppressione octo confraternitatum laicalium, quae in hac Nostra civitate Pisaurensi erant erectae, illorum bona, jura, et actiones quomodolibet ad eas spectantia fundationi, et erectioni novi conservatorii pro puellis orphanis, ac puellis e domibus suorum parentum aufugientibus, nec non pro mulieribus, quae justis de causis a viris suis seorsim vivere erant coactae, attribuimus, univimus, ac incorporavimus, prout in eisdem literis uberius continetur. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, postmodum conservatorium hujusmodi sic erectum memorati Rochi Mariae, dum vixit, episcopi Pisaurensis votis reipsa haud satisfecerit, quin imo cum tria alia conservatoria in eadem civitate Pisaurensi pro puellis orphanis, jam erecta existant, inutile prorsus videatur, ac ad divini cultus augmentum, et ad ecclesiasticae disciplinae progressum pertineret, quatenus praevia suppressione, ac extinctione ejusdem, sic noviter erecti conservatorii, bona, jura, et actiones praedicta, firmis tamen remanentibus oneribus, quibus gravata sunt, dicto seminario, tam pro suis aedibus restituendis, augendumque annuum suum censum, nec non pro laxando ambitu chori tuae ecclesiae cathedralis prae sua angustia nimis incommodi, unirentur, et incorporarentur, et universae civitatis Pisaurensis vobis indulgendo tres ex dictis octo suppressis confraternitatibus in pristinum statum restituerentur, prout uniri, et incorporari, ac respective restitui summopere desideras; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis tibi favorabiliter annuere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Laudat pontifex episcopi consilium, ipsumque in apostolicum delegatum constituit ad omnia peragenda juxta preces.

§. 4. Nos igitur, cui haud grave est, quae propter justas, ac rationabiles causas alias a Nobis fuerunt stabilita ex novis id exigentibus momentis ea aut declarare, aut moderari, aut etiam penitus revocare, ac paternis illorum curis, et desideriis, qui in Nostros cooperatores in vineam Sabaoth vocati sunt, quantum cum Domino possumus, adesse, ac tam sanctum, et pium opus a concilio Tridentino tantopere commendatum juvare cupientes, hisque votis annuere volentes, teque a quibusvis suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ac memoratas Nostras diei x septembris anni MDCCLXXXII. expeditas literas praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus agendis dexteritate, plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut conservatorium praedictum a memorato Rocho Maria, dum vixit, episcopo Pisaurensi sit, ut praefertur, erectum auctoritate Nostra apostolica perpetuo extinguas, supprimas, ac aboleas, illudque extinctum, suppressum, ac abolitum esse decernas, ut declares, prout illud auctoritate apostolica tenore praesentium extinguimus, supprimimus, et abolemus.

Consulitur puellis degentibus in conservatorio supprimendo.

§. 5. Undecim porro puellas inibi degentes ad illud conservatorium della Zoccolette nuncupatum transferas, et ut illarum alimentis sufficere valeat, nedum annuam taxam, seu pensionem scutorum centum super bonis, ac redditibus domus cathecumenorum a suis administratoribus eidem conservatorio persolvendam imponas, ita ut tamen taxa hujusmodi decrescat pro ratione numeri earumdem puellarum, quae aut in puellas a dicto conservatorio sustentari solitas allegentur, aut ab eo egredientes in Deo, aut in saeculo nubant. Sed insuper illi bona ad haereditatem quondam Thomae Emilii, qui extincta linea haeredum institutorum ex suis bonis conservatorium pro pauperibus puellis Pisaurensibus erigi voluit, quomodolibet spectantia, et pertinentia in sorte principali una cum multiplicio post ejusdem capitalis cessionem ab haeredibus institutis in manibus episcopi Pisaurensis, tunc existentis factam, ac extantibus aliis fructibus vix ad valorem scutorum octingentorum ascendentia eadem auctoritate perpetuo unias, applices, et attribuas. Ut insuper ob ingressum in religionem, aut matrimonium earumdem undecim puellarum cuilibet illarum unum ex subsidiis dotalibus a confraternitatibus, ut infra distri-

bui solitis assignes, et addicas, ita ut eaedem confraternitates per undecim annos hoc jure nominandi privatae sint, nisi tamen ante ingressum in religionem, aut matrimonium unius, vel alterius ex dictis puellis mortem obiret, tunc quippe, et eo casu confraternitatibus praedictis jure regressus juxta leges tamen, ac testamentorum voluntates ad dictum subsidium dotale nominandi plenam, et amplam facultatem concedas.

Redintegrantur tres confraternitates sub titulo sanctae Mariae Annunciatae, Misericordiae, et sancti Antonii.

§. 6. Rursus ut votis, ac precibus universae civitatis Pisaurensis suffragemur, tibi pariter injungimus, ut tres confraternitates sub invocatione, seu titulo, nempe beatae Mariae virginis Annuntiatae, Misericordiae, et sancti Antonii, cum iis tamen statutis, quae pro tuo arbitrio, ac conscientia eis praescribenda fore in Domino censueris auctoritate praedicta restitutas; easque ad omnia, et singula privilegia, indulgentias, gratias spirituales, honores, et praeeminentias, quibus in retroactis temporibus usae, gavisae, et potitae sunt, ac uti, frui, et gaudere potuerunt redintegres. Volumus praeterea, ut confraternitatem sub invocatione beatae Mariae virginis Annuntiatae ad ecclesiam sancti Rochi cum omnibus missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, quibus gravatur, et assignatis annuis scutis centum nonaginta ministrorum stipendiis, ac quotidianis, et ordinariis functionibus satisfacere valeas, transferas; alias vero duas confraternitates ad quas pristinas ecclesias, firma tamen remanente. quoad ecclesiam confraternitatis sub titulo della Misericordia cessione nonnullorum cubiculorum alias monialibus sanctae Mariae Magdalenae facta, quorum annuam tamen pensionem eae rependant, dicta auctoritate reduces, quarum singulis pro ministrorum pariter stipendiis, ac consuetis functionibus annua scuta centum viginti solvenda ut infra constituas.

Applicatio bonorum conservatorii favore seminarii.

§. 7. Tandem omnia, et singula bona mobilia, immobilia, sacra, et profana, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, fructus, imo ipsam domum, in qua dictum conservatorium fuerat erectum, ac jura quaecumque alias ad dictas confraternitates per Nostras literas praedictas suppressas, et extinctas, nunc ad conservatorium sic, ut praefertur, suppressum, et extinctum quomodolibet spectantia, et pertinentia, salvis tamen oneribus alias vigore dictarum Nostrarum literarum a memorato Rocho Maria episcopo super fructibus eorumdem bonorum impositis, solvendi nempe annua scuta centum duobus beneficiatis mansionariis nuncupatis clero hujus cathedralis ecclesiae Pisaurensis noviter auctis, ac alia scuta tercenta pro stipendio cantorum, ac musicorum ejusdem ecclesiae, nec non assignationibus dictis tribus confraternitatibus, ut praefertur factis, caeterisque omnibus legatis piis missarum, aliorumque, quibus tam quinque confraternitates alias suppressae, et extinctae, tum aliae tres restituendae gravabantur, quaeque salva, et illaesa in toties memoratis Nostris literis remanere volumus, salvis hisce omnibus, bona praedicta tuo seminario dicta auctoritate perpetuo unias, incorpores, applices, et assignes, prout auctoritate, et tenore praesentis unimus, incorporamus, applicamus, et assignamus.

Concessio subventionis pro sarciendis aedibus seminarii, et pro ampliatione chori ecclesiae cathedralis.

§. 8. Cum insuper aedes ejusdem seminarii, ut praefertur, sint undique ruinosae, ac ambitus chori tuae cathedralis ecclesiae laxandus omnino sit, ad eas vero instaurandas, commodioresque reddendas summa scutorum quatuordecim millium, et quingentorum circiter exigatur, et ad ampliandum chorum alia scuta duo millia, et quingenta circiter necessaria sint, quocirca aes alienum in grandi summa contrahere coactus eris, ut tuae conscientiae quieti, creditorumque hujusmodi securitati prospiciatur, tibi annuos fructus, redditus et proventus dictorum bonorum tuo seminario addictorum favore personae, seu personarum, quae summam, seu summas in hanc rem erogandam, seu erogandas sub legali interusurio suggerere velint, assignandi, ac hypothecandi plenam, et amplam facultatem, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus, atque ut intra aliquod aequum tempus summa, seu summae praedictae creditori, seu creditoribus hujusmodi restituantur; propterea tibi injungimus, ut praeter annua conventa legalia interusuria quotannis annuam aliquam quantitatem fructuum, redditunm, ac proventuum eorumdem bonorum in aeris alieni dissolutionem constituas, ac deponas.

Impositio taxae scutorum quinque millium super bonis confraternitatis s. Andreae.

§. 9. Praeterea, cum sicut accepimus, confraternitas sub titulo, ac invocatione sancti Andreae hujus civitatis Pisaurensis temporalibus bonis, ac redditibus affluat, ac juxta memorati concilii dispositionem fructus, ac redditus etiam confraternitatum laicorum alicui taxae pro instructione seminariorum episcopa-

lium sint subjiciendi, ut citius, quo fieri potest, novae aedes dicti seminarii construantur, ac sic commodum, et utilitas tuae dioecesi proficiscantur, tibi mandamus, ut taxam pro summa scutorum quinque millium pro una vice tantum, et intra tempus arbitrio, et conscientia tua praefigendum personae ad id a te deputandae libere persolvendam super bonis, redditibus, fructibus, ac proventibus ad eamdem confraternitatem quomodolibet spectantibus auctoritate praedicta imponas, atque edicas.

Alia impositio super bonis domus cathecumenorum.

§. 10. Tandem cum istius pariter domus cathecumenorum redditus superent quotidianam necessariam illius exhibitionem pro summa scutorum centum viginti, detractis etiam scutis centum conservatorio delle Zoccolette per praesentes Nostras literas assignatis, quo factum est, ut illius administratores jam cumulatam habeant summam scutorum octingentorum septuagintorum, tibi propterea committimus, ut nedum dictam cumulatam summam scutorum octingentorum septuagintorum seminario praedicto in illius constructionem erogandam eadem auctoritate adjudices, ac attribuas, sed insuper, ut dictos administratores ad exsolvenda legalia conventa interusuria aeris alieni, ut praefertur contracti, seu contrahendi pro annua summa scutorum centum usque ad illius totalem dissolutionem, nisi tamen interim novis, ac extraordinariis sumptibus essent obnoxii, quibus durantibus a taxae hujusmodi solutione liberos, ac exemptos esse volumus, et declaramus dicta auctoritate cogas, et compellas.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 11. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo quod praedictae confraternitatis, ac domus cathecumenorum officiales, confratres, et administratores, ac dicti conservatorii deputati, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad eas vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae nullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu, etiam quantumvis magno inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 12. Non obstantibus praemissis, ac memoratis Nostris die x sept. anni MDCCLXXXII. expeditis literis, ac quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostrae, ac cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non conservatorii, confraternitatum, ac domus cathecumenorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum in-

sertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die x januarii MDCCLXXXVI., pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 24. januarii 1786. Anno XI.

DLXXXII.

Aggregatio seminarii sancti Karoli de Cruce Avenionensis classibus theologiae, et philosophiae universitatis studiorum Avenionensium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Quoties a Nobis illud petitur, quod ad religionem, ac liberalium disciplinarum studia promovenda, unde in rei sacrae, et civilis rectam, absolutamque administrationem ingentia bona proveniunt, convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et potentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superior, ac directores seminarii sancti Karoli de Cruce Avenionensis, quod per statuta, ac stabilimenta ejusdem seminarii, quae adhuc plenissime vigent, praescribitur, ut alumni scholas dumtaxat seminarii frequentare possint, nullique extero, ut classibus philosophiae, ut theologiae inibi existentium adjungi possit, permittitur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, primicerius, ac collegium doctorum, et professorum universitatis studiorum Avenionensis sub die decima, et vigesima secunda augusti, et decima septima septembris anni MDCCLXXXI. seminarium hujusmodi classibus theologiae, et philosophiae ejusdem universitatis aggregaverint, hinc dicti exponentes, quo aggregatio hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur exponentium praedictorum votis, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos foro censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, aggregationem praedictam, ac omnia, et singula in ea contenta auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, universitatis, et seminarii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

Dat. Romae 26. januarii 1786. Anno XI.

DLXXXIII.

Privilegia, et gratiae, quibus alia duo collegia ordinis minorum de observantia gaudent ad collegium missionum de Vinbaes ejusdem ordinis extenduntur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum superioris, et fratrum collegii missionariorum oppidi de Vinbaes ordinis minorum sancti Francisci de observantia excalceatorum nuncupatorum Brigantinensis dioecesis congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae Fidei praepositorum exposito, collegium hujusmodi, cujus erectio a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessore Nostro per apostolicas suas in simili forma Brevis die xx februarii MDCCLIII. expeditas literas adprobata fuit, rebus omnibus, quae ad illius conservationem, et disciplinam necessariae sunt jam instructum reperiri, ac propterea, nec non ad magis, magisque excitandum missionariorum hujusmodi studium, valde profuturum, si privilegia quibus ex apostolica largitate gaudent collegia de Bracannes, et de Varatojo dicti ordinis in Portugalliae regno, nec non missionarii Hispaniarum, et Indiarum in favorem primodicti collegii extenderentur; eadem cardinalium congregatio, referente dilecto filio magistro Stephano Borgia ejus secretario, et audito voto dilecti etiam filii Nostri Vincentii Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Ranuzzi nuncupati tunc Nostri, et apostolicae Sedis in regnis Portogalliae, et Algarbiorum nuntii, censuit esse Nobis supplicandum, ut ad praedictum collegium de Vinbaes, privilegia omnia, gratias, et indulta, a rec. mem. Innocentio XI., Clemente etiam XI., et Benedicto XIV. praedicto Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris missionum collegiis concessa, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes actu potiuntur, et gaudent, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et Bracaones praescriptae, ea qua decet sedulitate servarentur, extendere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur superiorem, et fratres praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quavis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus desuper Nobis nuper porrectis inclinati: privilegia omnia gratias, et indulta, quae memorati Innocentius XI., Clemens XI., et Benedictus XIV, Romani pontifices praedecessores Nostri collegiis missionum concesserunt, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes, actu potiuntur, et gaudent, ad primodictum collegium de Vinbaes, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et de Bracannes praescripta, ea, qua decet, sedulitate serventur, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima sexta januar. millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno XI.

Dat. Romae 10. februarii 1786. Anno XI.

DLXXXIV.

Indulgetur rectori, et provisoribus universitatis Coloniensis, ut nominare possint ad canonicatus.

Dilectis filiis nobilibus viris consulibus, et senatui civitatis, et reipublicae Coloniensis.

Pius PP. VI.

Dilecti filii nobiles viri Salutem, et apostolicam benedictionem.

Vetera privilegia memorantur concessa a Paulo IV. Clemente VIII et Paulo V. et super jure nominandi ad canonicatus, et leges impositae in concessionibus hujusmodi.

§. 1. Alias piae memoriae Paulo pp. V. praedecessori Nostro pro parte vestra exposito, quod pridem felicis recordationis Clemens pp. VIII. similiter praedecessor Noster, cum accepisset, quod antea recolendae memoriae Paulus pp. IV. etiam praedecessor Noster certis tunc expressis causis adductus rectori, et decanis quatuor facultatum, videlicet theologiae, juridicae, medicinae, et artium, quae consistunt in tribus gymnasiis, Montano, Laurentiano, et trium Coronarum universitatis studii generalis Coloniensis, consiliique illius facultatis, ex qua persona nominanda esset apostolica auctoritate indulsit, ut cum provisoribus ejusdem universitatis personas assumere possent in eadem universitate promotas, ac in publicis scholis legentes, et lectoras, quas ipse rector, et decani, ac provisores praestito juramento, unanimi consilio illius facultatis, in qua legerent, vel legere deberent, ad id more solito congregati, idoneas, et catholicas esse, ac ad laudem, et fructum studiosorum profiteri posse cognoscerent, easque dilectis filiis majoris, et aliarum ecclesiarum dictae civitatis capitulis, ad quae canonicatuum, et praebendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, seu quaevis alia dispositio communiter, vel divisim, aut alias quomodolibet pertineret, dictae videlicet majoris, ac sancti Gereonis Coloniensis ad presbyterales tantum, ad reliquos vero aliarum ecclesiarum canonicatus, et praebendas, qui inde ad triennium, tunc venturum in singulis martii, julii, et novembris mensibus Sedi apostolicae per concordata Germaniae cum ipsa Sede inita, reservatis vacantes, nominare valerent eos, ad quos illorum collatio, provisio, praesentatio, electio, et dispositio ejusmodi spectaret, et deinde dictum triennium semel, atque iterum piae memoriae Paulus pp. IV., et Pius pp. V. etiam praedecessores Nostri ad similia triennium propagarunt, et indultum praedictum etiam ad majores post pontificalem, et principales, aliasque dignitates, personatus, administrationes, et officia etiam curata, nec non vicarias, et cappellanias perpetuas majoris, collegiatarum, aliarumque ecclesiarum Coloniensium, quae in praedictis mensibus intra ipsum tempus vacarent, ampliaverant, et successive recolendae memoriae Gregorius pp. XIII. similiter praedecessor Noster terminum a praedicto Pio V. praedecessore prorogatum, vel concessum, ad aliud triennium primo, et subinde ad quinquennium, alias juxta formam literarum indulti Pauli IV. praedecessoris praedicti dumtaxat extenderat, vel etiam concesserat, et deinde idem quinquennium ab eo prorogatum, vel concessum, ad aliud quinquennium ab illius fine numerandum extenderat, et ampliaverat: si vero lapsum esset, novum quinquennium hujusmodi ad hoc, ut praefertur, novo quinquennio durante, rector, decani, et provisores praedicti ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis tantum, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et praebendas dumtaxat personas nominare possent, de novo concesserat, et successive similis memoriae Sixtus pp. V. etiam praedecessor Noster per quinquennium ab eodem Gregorio ultimo prorogatum, seu concessum ad quadriennium a fine ultimo prorogati, seu concessi quinquennii hujusmodi incohandum extenderat, et ampliaverat; si vero lapsum esset, novum quadriennium hujusmodi ad hoc, ut ipso durante, rector, decani, et provisores ad presbyterales majoris, et sancti Gereonis, ad omnes vero alios reliquarum ecclesiarum Coloniensium canonicatus, et praebendas dumtaxat, qui interim in aliquo ex tribus mensibus praedictis juxta formam, et tenorem literarum Pauli praedecessoris praedicti, tantum personas, ut praefertur, qualificatas nominare, et alias, prout in literis dicti Pauli IV. praedecessoris continetur, facere possent indulserat; ita tamen, ut personae sic nominatae intra sex menses a die provisionis, collationis, seu alterius cujusvis dispositionis, de praedictis canonicatibus, et praebendis in vim nominationis ejusmodi factae numerandos, novas provisiones de iis-

dem canonicatibus, et praebendis a dicta Sede petere, et literas apostolicas sub plumbo in totum expedire, ac jura camerae apostolicae, et aliis propterea debita persolvere omnino tenerentur, et nisi praemissa adimplerent, ipso semestre elapso, iidem canonicatus, et praebendae vacarent eo ipso, et sic vacantes per Sedem apostolicam dumtaxat, aliis quibusvis personis conferri libere possent; volens, ut rector, et alii ejusmodi jus nominandi habentes, sive ecclesiastici, sive laici forent, fidem catholicam juxta articulos ab eadem Sede propositos in manibus archiepiscopi, sive officialis Coloniensis pro tempore existentis annis singulis profiteri tenerentur, alioquin nominationes ab eis faciendae, et inde secuta omnia nullius essent roboris, vel momenti, ipso etiam Clemens praedecessor certis tunc expensis de causis tempus quadriennii per dictum Sixtum praedecessorem prorogati, seu de novo concessi de consilio tunc existentium Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium congregationis Germanicae bis ad aliud quinquennium extenderat, et propagaverat, et quatenus lapsus esset, idem indultum de novo concesserat juxta formam literarum Pauli IV. praedecessoris Nostri, ita tamen, ut prioris indulti ejusmodi prorogatio, seu concessio non extenderetur ad canonicatus, et praebendas ecclesiae metropolitanae, ad vicarias vero tamen dictae metropolitanae, quam aliarum ecclesiarum omnium dictae civitatis, etiam ad alios, qui in alia, quam Coloniensi accademia, gradum suscepissent, illud extensum esse voluerat, ac extenderat, et ampliaverat, volens, et inhibens, si aliquis nominatus beneficium, ad quod nominatus fuisset resignare vellet, ne ullo modo, nisi in manibus Romani pontificis, aut nuncii apostolici in dicta civitate Coloniensi pro tempore existentis ejusmodi beneficium ad favorem alterius, a rectore, et decanis praedictis nominandi, nec per resignationem illud, nec per permutationem dimittere posset; quodque nonnisi servato inter competitores concursu a sacro concilio Tridentino in collationibus parochialium ecclesiarum praescripto ad canonicatus, et praebendas praedictas nominare, et conferre deberent, ac nominantes jurare se dignoscere, et ad profitendi munus magis aptum praelaturas, et vicissim eum, quem praeferri contigisset, jurare se injunctum profitendi officium diligenter praestiturum.

§. 2. Deinde vero, ex causis praedictis dictus Clemens praedecessor indultum hujusmodi ad aliud quinquennium iterum prorogaverat, ac extenderat, seu concesserat; decreveratque ejusmodi canonicatus, et praebendas, nonnisi personis ex aliqua ex dictis universitatibus idoneis, qui jure jurando ad profitendi munus diligenter sese adstringerent, dumtaxat conferri ad canonicatus, et praebendas praedictas per eos hujusmodi nominationis vigore obtinendos, nonnisi in manibus Romani pontificis pro tempore existentis cum specifica mentione, quod illos vigore nominationis ejusmodi consecuti essent, resignari, vel alias dimitti nullatenus possent, alioquin canonicatus, et praebendae ejusmodi vacarent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi posset, idem Paulus praedecessor supplicationibus sibi super hoc humiliter porrectis inclinatus indultum vobis a praedicto Clemente praedecessore concessum, et desuper expeditas literas praedictas ad alium quinquennium a fine quinquenii ultimo dicti a Clemente praedecessore concessi computandum auctoritate apostolica extendit, et prorogavit, et nihilominus sine praejudicio tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis dilectis filiis rectori, et decanis praedictarum tamen quatuor facultatum in dicta universitate canonice institutarum, et consilio illius ex facultatibus ejusmodi, cujus persona juxta formam literarum Pauli IV. praedecessoris nominanda fuisset, etiam pro tempore existentibus una cum dilectis etiam filiis provisoribus ipsius universitatis, ut personas in eadem universitate promotas, ac legentes, et lecturas, quas ipsi rector, et decani, ac provisores, medio eorum juramento una cum consilio facultatis ejusmodi, in qua personae ipsae legerent, vel legere deberent, ad hoc more solito convocati idoneas et catholicas esse, ac cum laude, et fructu inibi pro tempore studentium profiteri posse affirmarent, ita ut si controversia in nominando inter rectorem, et decanos, nec non provisores, et consilium ejusmodi exorta fuisset, ille, quem major pars votis suis praeferendum putasset, praefertur dilectis filiis majoris, et sancti Gereonis, ac aliarum ecclesiarum capitulis, ad quae canonicatuum, et praebendarum in iisdem ecclesiis consistentium collatio, provisio, praesentatio, eiectio, institutio, et quaevis alia dispositio injunctim, vel

Quomodo indultum fuerit prorogatum a Clemente VIII et Paulo V. memoratur.

separatim, aut alias quomodolibet cessantibus, reservationibus, et affectionibus apostolicis pertinebat, videlicet, ad presbyterales tamen majoris, et sancti Gereonis, ita ut nominandae personae, secundum eorum statuta, et privilegia eorum capitulis concessa, ut praemittitur, qualificatae essent; ad omnes vero, et singulos alios canonicatus, et singulas praebendas reliquarum ecclesiarum ejusmodi, quas ex tunc, ad quinquennium tunc proxime futurum a fine ultimi quinquennii per Clementem praedecessorem prorogati, seu concessi computandum in singulis martii, julii, et novembris mensibus pro tempore vacassent, et vacare contingeret, nominare libere, at licite valerent dicta auctoritate concessit, et indulsit, ac statuit, et ordinavit, quod ii, ad quos collatio, provisio, praesentatio, electio, institutio, vel quaevis alia dispositio canonicatuum, et praebendarum ejusmodi pro tempore spectaret, canonicatus, et praebendas, quos personae ad illos sic nominatae per se, vel procuratorem suum ab eis specialiter constitutum infra unius mensis spatium postquam eis, vel procuratori suo illorum vacatio innotuisset, duxissent, acceptandos, cum omnibus juribus, et pertinentiis suis, iisdem nominatis personis conferre, et de eis etiam providere, seu ad eos illas praesentare, aut eligere, vel in iis instituere, aut alias de illis in earumdem personarum nominatarum favorem disponere tenerentur, quodque iis praemissa facere recusantibus, vel negligentibus, aut differentibus etiam pro tempore abbas sancti Martini Colonae, et decanus ecclesiae sancti Pauli Lodiensis, et qui haereticae pravitatis inquisitor in iilis partibus auctoritate apostolica deputatus existeret prior domus ordinis fratrum Praedicatorum, et Colonae, et eorum quilibet canonicatus, et praebendas, sic vacantes, personis ad illos, ut praemittitur, nominatis pro ea vice tamen eadem auctoritate conferre, et de illis etiam providere libere, ac licite possent, et quod ab iisdem personis, sic pro tempore nominatis in actu nominationis de eis pro tempore factae, in qua facultate, in quo gymnasio, in qua hora illa docere, seu legere deberent, exprimeretur, at si a praemissis defecissent, post primam, et secundam monitionem eis desuper factas a perceptione fructuum, redditiuum, et proventuum praebendarum, quas vigore nominationum, et collationum ejusmodi tunc assecuti fuissent per abbates, et decanum ecclesiae sancti Pauli Lodiensis, et priores praedictos, aut aliquem ex iis ad requisitionem iilis per rectorem, et decanos facultatum, ac provisores universitatis ejusmodi faciendam suspenderentur, et si suspensionem ejusmodi per mensem substinuissent indurato animo, iisdem praebendis ipso facto, et cum effectu privarentur, et pro privatis haberentur, et statim de illis aliae personae modo, et forma praemissis providerentur. Verum, si personae nominatae praedictae in aliquam suspicionem haeresis incidissent, in eas per inquisitores haereticae pravitatis, in illis partibus eadem auctoritate deputatos absque ulla mora inquirerentur, et si illae compertae fuissent haeresis ejusmodi inscitae, alii catholici ad beneficia per illos obtenta simili modo nominarentur, et subinde quinquennium hujusmodi ad aliud quinquennium a fine dicti quinquennii computandum semel, atque iterum extendit, et prorogavit, seu concessit, et indulsit.

Indultum prorogaverunt etiam novis adjectis conditionibus, ac in qualibet quinquennio summi pontifices pro tempore.

§. 3. Postmodum autem, post quam felicis recordationis Gregorius pp. XV. similiter praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis expeditas literas indultum praedictum vobis, ut praemittitur, prorogatum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen, ut hujusmodi indultum canonicatus, et praebendas metropolitanae ecclesiae Coloniensis minime comprehenderet, nequa ad eos se extenderet, ac sine praejudicio dicti tunc, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, ac alias sub certis modo, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium de novo concesserat, et subinde recol. mem. Urbanus pp. VIII. pariter praedecessor Noster, attendens, quod indultum hujusmodi per cancellariae apostolicae regulas fuerat revocatum, et sicuti eidem Urbano praedecessori tunc exponi feceratis, causae propter quas idem indultum a Paulo IV. praedicto primo loco concessum, et ab aliis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris praedictis, ut supra prorogatum, et expresse de novo concessum fuerat, conservationis nimirum catholicae religionis in ista civitate Coloniensi, eousque vigebat; vosque cupiebatis ad catholicorum virorum studia in istis partibus alenda, ac aiicienda hujusmodi indulto diutius frui posse, idem Urbanus praedecessor per alias suas in simili forma Brevis expeditas literas indultum praedictum vobis per

dictum Gregorium praedecessorem ad quinquennium, ut praefertur, de novo concessum, ac desuper confectas literas praedictas, et in eis contenta ad aliud quinquennium apostolica auctoritate sub certis modo, et forma tunc expressis de novo concessit, ipsumque quinquennium ad aliud pariter quinquennium, et deinde secundo dictum quinquennium ad aliud similiter quinquennium extendit, et prorogavit. Ac deinceps eidem Urbano praedecessori per vos exposito, seu subjuncto ad quinquennium tunc per eum ultimo loco extensum, seu concessum brevi erat expiraturum, et causae propter quas indultum ejusmodi tam a praedictis Romanis pontificibus, quam ab eo ultimo concessum fuerat, eatenus vigebant, dictus Urbanus praedecessor indultum praedictum per eum ultimo loco ad quinquennium, ut praefertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta, ita tamen ut provisiones hujusmodi servata dictarum literarum forma fierent; ipsumque indultum, canonicatus, et praebendas ecclesiae metropolitanae Coloniensis minime comprehenderet, nec ad eos se extenderet, ac alias sub certis modo, et forma etiam tunc expressis ad aliud quinquennium extendit, et prorogavit. Et postmodum similis rec. Innocentio pp. X. praedecessori etiam Nostro per vos exposito, quod causae propter quas indultum hujusmodi tamen ab eodem Urbano tunc novissime, quam ab aliis praedecessoribus concessum fuerat, etiam eatenus vigebant, ipse Innocentius praedecessor indultum praedictum vobis per eumdem Urbanum praedecessorem ultimo loco ad quinquennium, ut praefertur, extensum, seu de novo concessum, ac desuper confectas literas, et in eis contenta sub certis pariter conditionibus, modoque, et forma tunc expressis ad aliud quinquennium pariter concessit; quinquennium hujusmodi postmodum ad aliud etiam quinquennium a die xx februarii MDCL. computandum extendit, et prorogavit; ac successive similis mem. Alexander pp. VII. etiam praedecessor Noster supplicationibus vestro nomine sibi humiliter porrectis inclinatus per ternas suas in simili forma Brevis literas, unas die xxviii augusti MDCLV., et alias die viii januarii MDCLXI., et reliquas die xiv martii MDCLXIV. expeditas indultum vobis concessum, et prorogatum, ut praefertur, sub certis modo, et forma tunc expressis, primo quidem ad quinquennium, subinde vero ad triennium, et novissime ad quadriennium, et postmodum similis rec. Clemens pp. IX. itidem praedecessor Noster per suas pariter in simili forma Brevis die ix septem. MDCLXVII. expeditas literas idem indultum ad quinquennium, illudque successive similis rec. mem. Clemens pp. X. etiam praedecessor Noster per literas suas similiter in forma Brevis die xviii jul. MDCLXX. et die xxvii junii MDCLXXV. emanatas literas bis pariter ad quinquennium, et similis rec. Innocentius pp. XI. itidem praedecessor Noster per ternas suas etiam in forma Brevis die xi decembris MDCLXXVIII. alteras die xxvii januarii MDCLXXXIV. et reliquas die xxvii januarii MDCLXXXIX. expeditas literas ter itidem ad quinquennium; ac similis rec. Innocentius pp. XII. etiam praedecessor Noster per suas itidem in forma Brevis die xxix octobris MDCXCVIII. expeditas literas itidem ad quinquennium; et similis rec. mem. Clemens pp. XI. etiam praedecessor Noster per binas suas pariter in forma Brevis die xix. augusti MDCCV., et die xi septemb. MDCCXVII. emanatas literas bis quoque ad quinquennium; ac rec. etiam mem. Innocentius pp. XIII. praedecessor similiter noster per suas itidem in forma Brevis die v septembris MDCCXXII. expeditas literas pariter ad quinquennium; ac piae mem. Benedictus pp. XIII. praedecessor etiam Noster per suas quoque in eadem forma Brevis die xvii junii MDCCXXVII. editas literas indultum hujusmodi ad septennium concessit, et rec. itidem mem. Clemens pp. XII. pariter praedecessor Noster per suas quoque in simili forma Brevis die xxviii septembris MDCCXXXV. editas literas indultum hujusmodi ad quinquennium de novo concessit; ac subinde fel. rec. Benedictus pp. XIV. similiter praedecessor Noster ad septennium, nempe die xxx septembris MDCCXLI. die xxii maji MDCCLI., et die x aprilis MDCCLVIII. per suas apostolicas literas indultum praedictum concessit; ac deinde fel. rec. Clemens pp. XIII. similiter praedecessor Noster per suas literas die x julii MDCCLXV. ad aliud septennium indultum praedictum concessit; ac postmodum piae rec. Clemens pp. XIV. praedecessor quoque Noster per suas in eadem forma Brevis die xxvi martii MDCCLXXII. expeditas literas dictum indultum ad aliud septennium pariter concessit, et prorogavit; ac tandem Nos per

literas in eadem forma Brevis die vi martii MDCCLXXIX. expeditas ad aliud septennium dictum indultum concessimus, et prorogavimus, prout in dictis Nostris, et singulis memoratorum praedecessorum Nostrorum literis quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus uberius continetur.

Preces porrectae pro nova concessione in exitu ultimi septennii.

§. 4. Cum autem sicut Nobis nuper exponi fecistis septennium ultimo loco a Nobis concessum brevi expiraturum sit, causae vero propter quas idem indultum per praedictos Romanos pontifices, et per Nos pluries concessum, et prorogatum respective fuit, etiam nunc vigeant, vosque propterea indultum hujusmodi ad effectum supradictum per Nos vobis de novo concedi desideretis.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos specialem vobis gratiam facere volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurristis, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus vestro nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, indultum praedictum vobis, sicut praemittitur, plures concessum, et prorogatum cum omnibus, et singulis contentis in literis praedictis, ita tamen, ut provisores ejusmodi servatis dictarum literarum modo, et forma fiant quacumque praetensa praxi, consuetudine, seu tolerantia contraria non obstante, quam potius abusum esse, ac proinde praesens indultum in omnibus, et per omnia juxta ejus tenorem, et proprietatem, prout verba illius sonant, et non aliter nec alio modo servari debere decernimus, et cum hoc, quod indultum ejusmodi canonicatus, et praebendas metropolitanae ecclesiae Coloniensis minime comprehendat, nec ad eos se extendat, ac sine praejudicio venerabilis fratris moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Coloniensis, nec non cum singulis, et omnibus aliis facultatibus, concessionibus, et ordinationibus, clausulis, et decretis appositis in dictis literis, ac servata in omnibus, et per omnia earumdem literarum forma ad aliud septennium a fine ultimo dicti septennii, sicut praefertur, prorogati, seu concessi computandum, auctoritate apostolica tenore praesentium de novo concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Decernentes etiam vos septennio praedicto per Nos concesso, durante hujusmodi indulto, ac desuper confectis literis praedictis libere, et licite uti posse, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit.

Declaratio specialis.

§. 7. Volumus autem, et earumdem tenore praesentium ordinamus, ut ecclesiae, in quibus personae nominatae hujusmodi vigore vacationum, aut collationum praedictarum, eosdem canonicatus, et praebendas obtinuerint, ob earum impedimentum legendo debitis non fraudentur obsequiis, aut cultus divinus in illis minuatur, et eaedem personae si illis ea hora, qua ipsa divina officia celebrabuntur, legendum fuerit, tunc per idoneos substitutos inibi deserviri facere possint, et ita deserviendo pro residentibus, et inservientibus habeantur, ac distributiones quotidianas lucrentur in omnibus, et per omnia, perinde, ac si personaliter deservirent (diebus Dominicis, et festis principalioribus, videlicet Domini Nostri Jesu Christi, ac gloriosissimae virginis Mariae, et beatorum apostolorum, et in quorum honorem dicatae sunt ecclesiae praedictae, aliorumque sanctorum, quorum dies singulis iisdem ecclesiis solemnes, et celebres habentur, exceptis, quibus eis non per substitutos, sed per se ipsos personaliter deservire teneantur) quodque hujusmodi canonicatus, et praebendae personis ad profitendum in aliqua ex dictis universitatibus idoneis repertis, quae jure jurando ad profitendi munus diligenter, ac immediate post canonicatus, et praebendae adeptionem exercendum, se adstringant, dumtaxat conferantur, illorumque singulis assignentur cathedrae, in quibus actu legere possint in ea facultate, quae eis in actu eorum nominationis hujusmodi per rectorem, decanos, et provisores supradictos destinatae fuerint; ita ut si aliqua ex dictis personis per tres menses conti-

nnos, absque legitima causa a rectore, et provisoribus praedictis approbanda a legendo cessaverit, poenas privationis canonicatus, et praebendae per eam vigore nominationis praedictae obtentorum alteri personae idoneae modo praemisso conferendorum, eo ipso absque ulla declaratione incurrat.

Praeceptum de resignandis canonicatibus, et praebendis in solis manibus pontificis.

§. 8. Caeterum eaedem personae praedictos canonicatus, et praebendas, non nisi in manibus Nostris, et pro tempore existentis Romani pontificis cum specifica mentione, quod illos vigore memoratae nominationis consecuta fuerint, non nisi ad favorem personarum juxta statuta, et indulta dictae universitatis Coloniae qualificatarum, et alias bonum testimonium a rectore, et provisoribus supradictis habentium resignare, aut alias dimittere ullatenus possint, alioquin canonicatus, et praebendae hujusmodi vacent eo ipso, ita ut de illis per Sedem apostolicam dumtaxat disponi possit, ipsaeque personae, sic nominatae intra sex menses a die collationis, et provisionis, aut cujusvis alterius dispositionis de canonicatibus, et praebendis ad quos illos nominari contigerit, sibi faciendam, ut praefertur, novas provisiones super illis a Sede praedicta impetrare, ac literas apostolicas desuper in totum expedire, ac jura camerae apostolicae, et aliis propterea debita omnino persolvere teneantur, alioquin dictis sex mensibus elapsis provisi eorumdem canonicatuum, praebendarum fructus interea suos non faciant, sed illi ad metropolitanam ecclesiam Coloniensem, ejusque capitulum pertineant, ac in commodum, et utilitatem ipsius metropolitanae ecclesiae applicari debeant; canonicatus vero, et praebendae hujusmodi vacare censeantur eo ipso, possintque per alios ab eadem Sede dumtaxat libere impetrari, et impetrantibus suffragentur, et competat via executiva, ejusque robur, et effectus perinde, ac si canonicatus, et praebendae praedicti per obitum apud Sedem praefatam vacavisset, et de illis sic per obitum vacantibus ab eadem Sede iisdem impetrantibus provisum fuisset.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus praemissis, et constitutionibus, ac ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiarum praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, superinribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis ie contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima februarii anno millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

DLXXXV.

Dat. Romae 24. januarii 1786. Anno XI.

Aggregatio seminarii sanctae Mariae della s. Guardia Avenionensis classibus theologiae, et philosophiae universitatis studiorum Avenionensium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quoties a Nobis illud petitur, quod ad religionem, ac liberalium disciplinarum studia promovenda, unde in rei sacrae, et civilis rectam, absolutamque administrationem ingentia bona proveniunt, convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii superior, ac directores seminarii sanctae Mariae della santa Guardia Avenionensis, quod alias nempe sub diebus decima tertia, decima octava, et vigesima prima mensis novembris anni MDCCLXXXII. primicerius, collegium doctorum, ac professorum universitatis studiorum Avenionensium seminarium praedictum classibus theologiae, et philosophiae ejusdem universitatis aggregarunt.

Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti, ut aggregatio hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur exponentium praedictorum votis, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, aggregationem praedictam, ac omnia, et singula in ea contenta auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti, defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam caussarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non, quatenus opus sit, universitatis, et seminarii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno undecimo.

ANNO DUODECIMO

Dat. Romae 17. februarii 1786. Anno XII.

DLXXXVI.

Exemptio monasterii monialium el Real oppidi civitatis Matriti Toletanae dioecesis a gubernio fratrum ordinis Praedicatorum.

Venerabili fratri Hippolyto archiepiscopo Corinthiensi Nostro, et Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Vineam Domini Sabaoth, quod est Catholica Ecclesia pro commisso Nobis divinitus apostolicae servitutis munere custodire, et excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea, quae ab iis, qui in Nostros cooperatores sunt adsciti ad animarum Christifidelium salutem, ac tranquillitatem procurandam sollicite geruntur, ut debitum sortiantur effectum pastoralis Nostrae auctoritatis partes interponimus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in monasterio sancti Dominici sanctimonialium ordinis Praedicatorum el Real nuncupato civitatis Toletanae sui, ut asseritur, regii jurispatronatus plures dissentiones, ac partium studia animos sanctimonialium hujusmodi scindant, ut in mense julii mox transacti anni MDCCLXXXV. novae priorissae electio in pace, et tranquillitate fieret venerabili fratri Francisco Antonio archiepiscopo Toletano commisit, ut illarum capitulo praeesset, ac etiam causas dissentionum, ac discordiarum hujusmodi exquireret. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, illarum originem in gubernium fratrum ordinis Praedicatorum, quibus sanctimoniales praedictae in spiritualibus subjectae reperiuntur conferendam esse deprehensus sit, eaque propter easdem moniales ab omni jurisdictione, et gubernio eorumdem fratrum in spiritualibus eximendas, et liberandas esse consuluerit; hinc memoratus Carolus rex catholicus Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur praedictis, aliisque etiam justis de causis animum Nostrum moventibus adducti, ac ejusdem Caroli regis catholici votis annuere, et statui, atque utilitati earumdem monialium consulere volentes, fraternitati tuae de cujus fide, doctrina, vigilantia, et charitate, ac in gerendis negotiis dexteritate plurimum in Domino confidimus per praesentes committimus, et mandamus, ut dictum monasterium sancti Dominici el Real, ejusque moniales a quacumque subjectione, ac regimine, et gubernio dictorum fratrum ordinis Praedicatorum auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, ac exemptum, et liberum esse decernas, atque declares; omnimodae vero jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis Tenor concessionis.

archiepiscopi Toletani in spiritualibus subjicias. Easque propter fratribus praedictis harum serie prohibemus, ne in iis, quae ad monasterium hujusmodi, et monialium praedictarum spirituale gubernium pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu praesumant.

Declaratio specialis super comparticipatione privilegiorum.

§. 4. Declarantes tamen, quod licet moniales praedictas quo ad spiritualem jurisdictionem a memoratis fratribus segregaverimus, ut praefertur, ac segregatas esse decreverimus, nihilominus gratiis, favoribus, indultis, ac privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices praedecessores Nostros fratribus ordinis Praedicatorum praedictis concessis, uti, frui, et gaudere licite, ac libere possint, et valeant in omnibus, et per omnia, perinde ac si ordini praedicto, ut prius unitae, ac incorporatae essent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et monasterii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quemodolibet concessis, approbatis, et innovatis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DLXXXVII.

Dat. Romae 17 februarii 1786. Anno XII.

Confirmatur unio cujusdam advocatiae mensae capitulari ecclesiae Uladislaviensis facta.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Carthaginensi apud carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Poloniae regem illustrem Nostro, et apostolicae Sedis nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quoties illud a Nobis petitur, quod justitiae, et aequitati convenire dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt venerabilis frater Joseph episcopus Uladislaviensis, et dilecti filii canonici et capitulum ejusdem ecclesiae Uladislaviensis, quod capitulum hujusmodi jus utitur mittendi quotannis e gremio capituli ad instar aliarum ecclesiarum cathedralium regni Poloniae canonicum in judicem deputatum ad supremum tribunal regni. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, variis emergentibus de causis redditus mensae capitularis adeo decreverint, ut nisi aegre occurrant canonici, qui deputationem hujusmodi ob gravissimos sumptus ad munus praedictum exercendum, ubi tribunal regni erectum est, necessarios accipiant; cumque insuper quaedam advocatia in villa Zarzecin in palatinatu Sandomiriae districtu Opoczenensi ad mensam episcopalem pertineat, quae ab episcopis Uladislaviensibus pro tempore existentibus, quoties vacare contingat, personis sibi benevisis et gratis concedi tur, ut moris est in caeteris quoque advocatiis regni Poloniae; memoratus vero Joseph episcopus ad tuendum jus praedictum capitulo ecclesiae suae cathedralis, ac ut precibus ejusdem capituli sibi porrectis obsecundaret, advocatiam praedictam mensae capitulari in rem, seu auctionem proventuum praefati judicis ad tribunal regni ex gremio ejusdem capituli pro tempore deputandi salvo apostolico beneplacito univerit, ac incorporaverit; hinc exponentes praedicti, ut unio, et incorporatio hujus-

modi plenum suum sortiatur effectum, ac firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis patrocinio per Nos communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, et sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 3. Nos igitur eisdem exponentibus specialem gratiam, et favorem facere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, at poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac summa in rerum gerendarum dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus ut constito tibi de utilitate unionis, et incorporationis hujusmodi illa sub iisdem tamen legibus, et conditionibus auctoritate Nostra apostolica confirmes, et approbes, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias, omnesque et singulos juris et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, suppleas, et sanes.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri; et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae cathedralis praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris; ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum per praesentes non intendimus jus praedictum in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DLXXXVIII.

Dat. Romae 7. martii 1786. Anno XII.

Confirmantur statuta confraternitatis beatae Columbae, della Morte nuncupatae, civitatis Reatinae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis Christifidelium in civitate Nostra Reatina sub denominatione beatae Columbae, seu della Morte canonice erectae, quod alias venerabilis frater Xaverius episcopus Reatinus pro illius regimine statuta conscripsit tenoris qui sequitur.

Tenor statutorum confraternitatis ab episcopo conditorum.

§. 2. Xaverius Marini patritius Pisaurensis Dei, et apostolicae Sedis gratia episcopus Reatinus sanctissimi Domini Nostri Domini pp. Pii VI. praelatus domesticus, nec non eidem apostolicae Sedi immediate subjectus. — Cum in hac Reatina civitate pia laicorum confraternitas cui incumbat onus associandi ad sepulturam corpora defunctorum pauperum praecipue, et miserabilium, ipsisque praestandi ultima charitatis obsequia, uti decet, juxta Catholicae Ecclesiae ritum erecta non habeatur. Cum venerabilis societas jam de an. MDCLXI. sub die XXII julii canonice erecta a bo. me. cardinali Vecchiarelli antecessore Nostra sub titulo b. Columbae Reatinae sub quibusdam regulis, et capitulis in posterum describendis, nec umquam revera descriptis, et fratres eam componentes pio charitatis affectu erga defunctos ducti ad praefatum pium opus sese paratos

obtulerint, onusque associandi ad sepulturam, et tumulandi, sive per se, sive per alios ejusdem societatis expensis defunctos pauperes praesertim in perpetuum assumere postulaverint, regulasque in capitula praefata a Nobis petierint, ita ut unus associandi ecclesiasticae sepulturae defunctos praesertim pauperes, ut supra inter capitula primum locum obtineat. Nos autem maxime cupientes Divini cultus augmentum, et misericordiae opera erga defunctos promovere praefatae confraternitatis, et tam componentium piis, et laudabilibus precibus annuentes auctoritate Nostra ordinaria, omnique alio meliori quo valemus via, jure, et forma tenore praesentium eidem societati, ejusque confratribus modo eidem adscriptis, et in futurum adscribendis onus adjungimus associandi cum debitis luminaribus, et juxta formam, et capitulorum, quorum tenor est Sanctae Romanae Ecclesiae ritum defunctorum fidelium, et praecipuo pauperum cadavera hujus civitatis, ejusque districtus spectantis ad parochiales ecclesias hujus civitatis, eaque humandi sive per se, sive per alios ab iisdem deputandos juxta formam capitulorum, quorum tenor est videlicet.

PRIMO

De nomine confraternitatis.

§. 3. La venerabile confraternita della beata Colomba dovrà denominarsi in appresso la confraternita della beata Colomba, e della Morte.

SECONDO

De vocalibus.

§. 4. Quelli, che in oggi sono ascritti alla medesima, e che si sono offerti all'associazione dei defonti principalmente poveri, saranno li membri principali, ed avranno dritto nell'amministrazione dei beni, e rendite della confraternita, ed avranno voce attiva, e passiva nella medesima, e porteranno la loro divisa del sacco nero, che dovrà fare ciascuno nel termine di un mese. Tutti gli altri, che sono ascritti, o che vorranno ascriversi senza il peso di associare li defonti goderanno la partecipazione dei beni spirituali, ma non avranno voce, nè luogo alla congregazione, e si chiameranno fratelli raccomandati; però due saranno li cataloghi dei fratelli, altro dei fratelli di sacco, altro dei confratelli raccomandati.

TERZO

De jure sepulcri.

§. 5. Alla morte di ciascun fratello, tanto ascritto per la tumulazione dei defonti, che raccomandato, la confraternita avrà diritto di associarlo alla sepoltura, e non essendo povero, parteciperà i soli emolumenti; se poi sarà povero dovrà la confraternita a sue spese associarlo secondo la pratica già introdotta, e a tenore della convenzione infrascritta fatta dalla congregazione dei reverendi parrochi di questa città.

QUARTO

Idem ut supra.

§. 6. Se la confraternita della beata Colomba sarà invitata ad associare qualche cadavere di defonto ascritto ad altra confraternita, che abbia diritto di associare il suo confratello non sia escluso, a partecipi i soliti emolumenti.

QUINTO

De iis, qui tenentur defunctos associare.

§. 7. Essendo in oggi li confratelli aggregati trenta, quindici al mese dovranno vestirsi di sacco in ciascuna occasione di qualche defonto.

SESTO

De defunctis extra urbem.

§. 8. Se il cadavere sarà fuori della città, e sarà lontano più di un miglio dalla città medesima, la confraternita manderà quattro confratelli a prenderlo, e il corpo della confraternità assieme col rispettivo parroco del defonto si unirà alla chiesa di sant' Erasmo fuori di porta Cintia; alla chiesa della Madonna dell' Orto fuori di porta Conca; alla chiesa della Madonna santissima detta della Strada Dritta fuori della porta d'Arci; al muro che circonda la possessione dei signori Sonanzi fuori di porta Aringo; incontro la chiesa di san Biagio fuori di porta sant'Antonio; al ponte Romano fuori porta Romana; e finalmente alla Giorlandina per l'altra via, che esce fuori di porta Romana.

SETTIMO

De supplendis fratribus impeditis.

§. 9. Essendo impedito qualche fratello in occasione di qualche tumulazione di cadavere potrà supplire per mezzo di altro confratello ascritto, cui in quel mese non tocchi l'associazione.

OTTAVO

De electione officialium.

§. 10. Ogni anno nel giorno posteriore alla festività della beata Colomba la confraternita eleggerà li suoi officiali, che saranno un priore, un camerlengo, un sagrestano, due provveditori, ed un segretario.

NONO

De munere officialium.

§. 11. L'obbligo di detti due provveditori come sopra eletti sarà d'invitare li confratelli per andare all'associazione di quel cadavere, che s'avrà d'associare. Il nome, e cognome di detti provveditori; subitochè saranno eletti, sarà peso del segretario della confraternita di mandarlo a ciascuno de' reverendi parrochi di questa città di Rieti, perchè all'occorrenza potranno sapere chi siano per renderli intesi del defonto povero che si ha d'associare in assenza, che possa darsi delli suddetti priore, e camerlengo officiali maggiori.

DECIMO

De suffragiis pro defunctis

§. 12. Per la festa della beata Colomba, ed altri ossequi a questa beata nostra concittadina, si osserverà il solito, e così resteranno fermi gli altri obblighi, e convenzioni osservate fino al presente, come altresì li soliti suffragi per li fratelli, e consorelle ascritte, ossiano li confratelli di cappa, ossiano raccomandati, alli quali obblighi, e convenzioni, e suffragi non s'intenda derogato in alcuna parte salvo lo stabilito di sopra. Bensì quando si tratterà delle sacre funzioni in onore della beata Colomba la divisa dei confratelli, sarà il sacco bianco con la mozzetta negra, insignita della sacra immagine di detta beata come è stato usato finora.

UNDECIMO

De privilegiis, et oneribus confraternitatis.

§. 13. Questa confraternita che finora non ha mai avuto l'obbligo d'intervenire alle pubbliche funzioni di processioni non l'avrà neppure in avvenire. Suo peso sarà l'associazione suddetta con l'antiche obbligazioni, e goderà delle indulgenze concedute dai sommi Pontefici a quei fedeli, e pie adunanze, che associano con cristiana pietà li cadaveri dei defonti alla sepoltura, e noi aggiungiamo quaranta giorni a ciascuno di essi per ogni volta, che accompagneranno qualche defonto nel modo stabilito.

Preces porrectae pro confirmatione ac statutorum.

§. 14. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memorati exponentes praeinserta statuta, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae praesidio communiri; et alias opportune in praemissis a Nobis providere summopere desiderent.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 15. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, statuta praeinserta cum in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenire, seu intervenisse dici, censeri, vel praetendi possent supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 16. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DLXXXIX.

Dat. Romae 7. martii 1786. Anno XII.

Erectio confraternitatis sacri Cordis Jesu in loco Rhelsensi Paderbonensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pastoris aeterni, qui pro gregis salute in ara Crucis immolari voluit, vices, quam-

quam immeriti, gerentes in terris pia Christifidelium vota, divini cultus incrementum, et ipsorum fidelium salutem concernentia, ad exauditionis gratiam admittimus, ut per operum piorum exercitium ad aeternae beatitudinis gaudia pervenire mereantur.

Exponitur comitissam de Schullenbourg cappellam aedificasse, et supellectili ornavisse, ut in ea congregatio utriusque sexus erigi possel.

§. 2. Cum itaque dilecta in Christo filia comitissa cognominata de Schullenbourg pro sua eximia in Deum pietate, ac intamerata orthodoxae fidei custodia cappellam, seu oratorium publicum in honorem Beatae Mariae Virginis, ac sub invocatione sancti Martini episcopi in loco Rhelsensi nuncupato intra limites paroeciae Pombsensis Paderbonensis dioecesis, quae inter heterodoxos situm est, ac ab anno usque MDCLXVI. erectum a fundamentis nuper ex lapidibus reaedificaverit, sacraque supellectili munificentissime ditavarit, ac ipsa, sicut Nobis nuper exponi, fecit pro sua erga sacrum cor Jesu devotione, utque alios Christifideles ad Jesu Christi Domini Nostri passionis meditationem, divinique cultus augumentum excitet, in cappella, seu oratorio publico praedicto unam eorumdem utriusque sexus Christifidelium confraternitatem, seu congregationem sub denominatione, seu titulo sacri Cordis Jesu per Nos erigi summopere desideret.

Erectio confraternitatis in eadem cappella.

§. 3. Nos piis ejusdem exponentis desideriis suis hujusmodi benigne annuere, animarumque saluti paterna charitate prospicere cupientes; supplicationibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis inclinati; in cappella, seu oratorio publico praedicto, unam utriusque sexus Christifidelium confraternitatem, seu congregationem sub titulo praedicto sine alicujus praejudicio, dummodo ordinarii loci ad id accedat assensus auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus.

Jura confraternitati concessa.

§. 4. Nec non confratribus dictae confraternitatis, seu congregationis pro tempore existentibus, ut processionaliter incedere, divina officia in sua cappella, vel oratorio recitare, ac pro negociis ipsius confraternitatis, seu congregationis se congregare, ac quaecumque statuta, capitula, ordinationes, et decreta pro salubri eorum, et dictae confraternitatis, seu congregationis regimine, et directione necessaria, et opportuna, licita tamen, ac honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis minime contraria, ac per ordinarium loci examinanda, et approbanda, facere, et edere: illaque pro tempore prout sis videbitur, et expediens fuerit, praevia tamen examinatione, et approbatione hujusmodi, mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare; et insuper omnia, et singula legata relicta, res, ut bona quomodolibet qualificata, mobilia, et immobilia per quoscumque Christifideles dictae confraternitati, seu congregationi per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore elargienda, et relinquenda recipere; illaque per eorum officiales, ac deputatos regere, gubernare, et administrare, ac in ipsius confraternitatis seu congregationis, et eorum piorum operum usus convertere, ita tamen, ut de receptis, et administratis per eos ordinario loci hujusmodi juxta decreta concilii Tridentini rationem reddere teneantur; libere, et licite possint, et valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Indulgentiae concessae.

§. 5. Ac insuper, ut praedicti confratres in piorum operum exercitio confoveantur, ac magis ad illa in posterum exercenda, nec non Christifideles ad dictam confraternitatem, seu congregationem ingrediendum per amplius invitentur, eademque confraternitas, seu congregatio majora in dies suscipiat incrementa, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum, ejus auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam confraternitatem seu congregationem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere poenitentes, et confessi, ac sacra communione refecti cappellam, seu oratorium ipsius confraternitatis, seu congregationis devote visitaverint, plenariam: nec non ejusmodi confraternitati, seu congregationi nunc, et pro tempore adscribendis confratribus, et consororibus in cujuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, plenariam: ac iisdem pro tempore existentibus confratribus, et consororibus etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui ejusdem confraternitatis, seu congregationis cappellam, vel oratorium feria sexta immediate sequenti post octavam solemnitatis sanctissimi Corporis Christi a primis vesperis usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum

concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino indulgemus. Nec non dictis confratribus, et consororibus etiam vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis cappellam, seu oratorium hujusmodi in quatuor aliis anni feriatis, vel non feriatis diebus per eosdem confratres, et consorores semel tantum eligendis, et ab eodem ordinario approbandis visitantibus, et ut praefertur, orantibus, quo die praedictorum id egerint septem annos, et totidem quadragenas: quoties vero missis, et aliis divinis officiis in cappella, seu oratorio hujusmodi pro tempore celebrandis, seu recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem confraternitatis, seu congregationis ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, nec non etiam qui corpora defunctorum tam confratrum, et consororum dictae confraternitatis, seu congregationis, quam aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascumque processiones de licentia ordinarii faciendas, sanctissimumque Eucharistiae sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias ubicumque, et quomodocumque pro tempore deferretur comitati fuerint, ut si impediti campanae ad id signo dato semel orationem Dominicam, et salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies orationem, et salutationem easdem pro animabus defunctorum confratrum, et consororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, et ignorantes praecepta Dei, ac ea, quae ad salutem necessaria sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, et poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, etiam in Domino indulgemus.

Derogatio contrariorum, et praeceptum de non aggregando alicui archiconfraternitati.

§. 6. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, ut si dicta congregatio, seu confraternitas alicui archiconfraternitati aggregetur, vel quavis alia ratione uniatur, seu etiam quomodolibet instituatur, praesentes, et quaevis aliae literae apostolicae illis nullatenus, quoad indulgentias, et remissiones praedictas suffragentur, sed ex tunc eo ipso prorsus nullae sint. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DXC.

Dat. Romae 14. martii 1786. Anno XII.

Exemptio monasterii sanctimonialium de Conceptione in villa de Ponferrada Astoricensis dioecesis a jurisdictione fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia.

Venerabili fratri Hippolyto archiepiscopo Corinthiensi Nostro, et Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Karolum Hispaniarum regem catholicum nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Pastoralis officii humilitati Nostrae divinitus commissi sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium, qui sub suavi religionis jugo Deo propius famulari susceperunt, curam gerentes, ea quae pro tollendis abusibus, animorum studiis, stabiliendaque regulari disciplina, ac christiana charitate accommoda esse dignoscuntur, rerum prius, ac temporum vicibus mature perpensis concedamus, prout in Domino salubriter expedire arbitramur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum alias major, ac sanior pars sanctimonialium monasterii de Conceptione nuncupati in villa, seu loco de Ponferrada Astoricensis dioecesis, sibi referre curaverit, multa scandala, ac incommoda, quae ex gubernio, ac regimine fratrum ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, quorum jurisdictioni sub-

ditae sunt, eidem monasterio proveniebant, semel, ac iterum suscitatis de ac super veritate expositorum tum vicario capitulari ejusdem ecclesiae Astoricensis Sede vacante legitime deputato, tum etiam duobus canonicis ejusdem ecclesiae, nec non audito etiam tunc existente nuntio apostolico de opportuna, ac maxime utili dicti monasterii exemptione ab eorumdem fratrum minorum jurisdictione, ac gubernio compertum habuit; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur Karoli regis catholici votis annuere, et statui, atque utilitati earumdem monialium consulere volentes, fraternitati tuae, de cujus fide, doctrina vigilantia, et charitate, ac in gerendis negociis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut dictum monasterium de Conceptione nuncupatum in villa, seu loco de Ponferrada Astoricensis dioecesis, ejusque moniales a quacumque subjectione, ac regimine, et gubernio dictorum fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, ac exemptum, et liberum esse decernas, atque declares; omnimodae vero jurisdictioni moderni, et pro tempore existentis episcopi Astoricensis in spiritualibus subjicias. Eaque propter fratribus praedictis harum serie prohibemus, ne in iis, quae ad monasterium hujusmodi, et monialium praedictarum spirituale gubernium pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu praesumant. Declarantes tamen, quod licet moniales praedictas quoad spiritualem jurisdictionem a memoratis fratribus segregaverimus, ut praefertur, ac segregatas esse decrevimus, nihilominus gratiis, favoribus, indultis, ac privilegiis, tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices praedecessores Nostros fratribus ordinis minorum praedictis concessis, uti, frui, et gaudere licite, ac libere possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde ac si ordini praedicto, ut prius unitae, ac incorporatae essent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae etiam de latere legatos cardinales, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DXCI.

Dat. Romae 14. martii 1786. Anno XII.

Confirmantur constitutiones, seu statuta fratrum ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo Discalceatorum nuncupatorum provinciae Hispaniae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Inter varias, ac multiplices solicitudines, quas in hisce praesertim difficillimis temporibus pro communi christianae reipublicae utilitate humilitati Nostrae divinitus commissae

dies, noctesque suscipimus, illud Nos urget quam maxime, ut regulares, quorum ordines in Ecclesia Dei ad illius decus, et ornamentum fuerunt pie instituti, ad regulae, quam professi sunt, praescriptam vitam instituant, et componant, ac ubi collapsa est, vetus, et regularis disciplina instauretur, et constantius, ubi conservata est, perseveret, unde digno ambulantes ipsi in vocatione, qua vocati sunt, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, et in aedificationem corporis Christi fuisse datos comprobent.

Refertur elaborandis regulis congregationis praepositum fuisse apostolicum commissarium

§. 2. Hoc sane consilio Nos alias carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici precibus hisce desuper humiliter porrectis annuentes ad pacem, et christianam charitatem inter fratres ordinis beatae Mariae virginis de monte Carmelo excalceatos nuncupatos congregationis Hispanicae firmandam, et confovendam, regularemque disciplinam ad suum pristinum candorem, quatenus opus esset, restituendam, ac vigentem conservandam per Nostras in simili forma Brevis die XIII martii MDCCLXXXIV, expeditas literas dilectum filium Nostrum Nicolaum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Columna de Stiliano nuncupatum, tunc archiepiscopum Sabastensem apud eumdem Karolum regem catholicum Nostrum, et Sedis apostolicae nuncium, nedum in praesidentem capituli generalis eorumdem fratrum deputavimus, sed etiam per alias Nostras eadem die, et anno expeditas literas ei commisimus, ut dimisso capitulo generali hujusmodi congregationem particularem ex fratribus dicti ordinis sibi benevisis, qui tamen pietate, prudentia, ac religionis zelo commendabiles essent, constitueret, ut inde per eamdem congregationem cognitis causis unde a regulari instituto declinari poterat, quidquid emendatione, renovatione, correctione indigere, ac quae circa conventuum, suorumque fratrum statum magis accommodata fore in eadem congregatione fuisset statutum, ad Nos referret, ac modum, et rationem, quibus dicta congregatio regularem disciplinam perfectius stabiliri, ac pacem solidius firmari posse censeret, suggereret.

Apostolicus commissarius refert mandata paruisse, et novas constitutiones ad s. Sedem transmittit pro earum confirmatione.

§. 3. Et quidem mandatis Nostris hujusmodi incunctanter parens memoratus Nicolaus cardinalis, vix demisso capitulo generali, electis duobus fratribus cujuscumque provinciae ordinis, et congregationis praedictorum, ex iis, priore generali, et uno a secretis praedictam apostolicam congregationem Matriti constituit, quae post iteratas sessiones, et post continentem octo mensium laborem tandem, quae circa Dei cultum, mores, studia, regimen, et gubernium eorumdem ordinis, et congregationis emendatione, correctione, et moderatione digna visa sunt, emendatis, correctis, ac moderatis, novum corpus constitutionum, seu statutorum composuit. Quamobrem Nicolaus cardinalis praedictus, illico ad Nos transmitti curavit, immo voluit, ut duos dictam congregationem apostolicam componentes, ac ab eadem congregatione designatos dilectos filios nempe Petrum de Matre Dei congregationis secretarium, ac Paulum a Conceptione definitorem generalem, hanc almam urbem Nostram peterent ut de inductis correctionibus, et emendationibus antiquarum constitutionum rationes referrent, Nobisque constitutionum, seu statutorum, sic, ut praefertur, reformatorum confirmationem enixe postularent.

Illas emendavit de mandato Papae alius eminentissimus cardinalis Salviati.

§. 4. Priusquam tamen in re tanti ponderis aliquid circa novas constitutiones hujusmodi definiremus dilecti filii Nostri Gregorii Sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis Salviati nuncupati opera, ac studio uti, illiusque consilium audire voluimus. Is itaque cum sibi demandato muneri pro sua sedulitate, ac diligentia impigre satisfecerit, totumque corpus constitutionum hujusmodi studiose, accurateque perlegerit, pauca quaedam a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris pro rerum ecclesiasticarum opportunitate statuta adnotare, aliaque quorumdam verborum immutatione ad sacros canones, et ad hodiernam ecclesiasticam disciplinam diligentius exigere, et accuratius declarare per opportunum duxit; quae omnia cum sigillatim Nostro examini subjecerit, eaque a Nobis approbata fuerint, constitutiones praedictas ad ejusdem Gregorii cardinalis placitum emendari decrevimus. Novae vero constitutiones hujusmodi sunt tenoris, qui sequitur.

Tenor constitutionum.

§. 5. Constitutiones fratrum Discalceatorum ordinis beatae virginis Mariae de monte Carmelo primitivae observantiae a delegatis apostolicis Matriti concinnatae, et sanctissimum Dominum Nostrum Pium sextum pro earum examine, et approbatione remissae.

Appendix etiam ordinationum, quae circa potum Indicum (vulgo chocolata) a capitulis

generalibus ejusdem ordinis emanarunt ab anno 1640 usque ad praesens, ubi quid in eadem ra congregatio haec arbitrata fuerit invenietur.

In nomine sanctissimae Trinitatis. Amen

Incipiunt constitutiones fratrum Discalceatorum ordinis beatae virginis Mariae de monte Carmelo, prout a decem, et octo religiosis ex omnibus provinciis jussu sanctissimi Domini Nostri Pii, divina providentia papae VI. congregatis dispositae, emendatae, ac innovatae fuerunt, diversis sessionibus ab undecima decembris MDCCLXXXIV. usque ad primam diem augusti MDCCLXXXV. Matriti celebratis, cum prius per universum ordinem preces, ac sacrificia, ut a patre luminum pro felici exitu auxilia descenderent, fuerint indicta, et frequentata, auditisque animadversionibus provinciarum tum circa abusus, et relaxationes, cum circa opportuna remedia ad observantiam tuendam, pacemque conservandam.

PRIMA PARS CONSTITUTIONUM

De iis, quae ad communes omnium mores spectant.

CAPUT PRIMUM

De scopo, sive principali fine nostrae religionis, ac de mediis, quibus ad illum pervenitur, et de obligatione, quam regula, et constitutiones nostrae inducunt.

De scopo, et fine instituti.

§. 6. 1. Cum in Ecclesiae corpore juxta apostoli sententiam varia sint membra, quae secundum gratiam, quae data est eis, donationes habent differentes, operae pretium praesertim erit initio harum constitutionum, vocationis gratiam, quam accepimus, sive instituti nostri rationem aperire. Primus igitur, et praecipuus propositi nostri finis est charitas, ad quam velut ad praeceptorum finem, alia omnia in religionibus, maxime trium votorum solemnium observatio merito ordinantur. Proprius vero, et peculiaris instituti nostri scopus, ad quem actiones nostrae sunt dirigendae, est jugis oratio, et divinorum assidua meditatio: hoc est, ut mens nostra, quantum humanae fragilitati permittitur, Deo, ac divinis rebus perseveranter inhaereat.

De mediis pro assequendo fine instituti.

§. 7. 2. Ad hujusmodi finem assequendum duo nobis potissimum inter alia, tum a regula tum a patribus nostris media praescripta fuerunt. Unum cellae solitudo, et clausura: nam divinae veritatis contemplatio non potest alibi commodius acquiri, quam silentio, ac solitudine, seu perenni cellae secessu.

De aliis mediis ad eumdem finem.

§. 8. 3. Quia vero inter corporis castigationem, ac mortificationem, studiumque orationis reciproca quaedam, ac inseparabilis invenitur conjunctio, alterum medium a regula nostra pro sectanda orationis puritate decernitur, nempe: mortificatio, et asperitas vitae, quae laeves animae pennas producunt, ut in sublime elata, divina valeat contemplari. Quamobrem jejunia, corporis nuditas, carnium abstinentia, reliqua vitae incommoda, et sensuum mortificatio a regula, et constitutionibus imponuntur. Quare tribus praesertim velut columnis contemplatione scilicet, clausura, ac mortificatione, et vitae austeritate tota haec professionis nostrae structura fulcitur.

De iis, quae facienda, vel praetermittenda sunt juxta instituti naturam, et finem.

§. 9. 4. Praeterea, cum sacer ordo noster ad excolendam vineam Domini ab ecclesia sancta vocatus, ac sanctorum patrum Eliae, et Elisei, aliorumque vestigiis inhaerendo non solum coelesti contemplationi insistat, sed et profectibus jugiter vacet animarum, tam contemplationem, quam actionem (licet non ex aequo) complectitur: nam illam, ut finem potissimum, hanc vero quasi illi adnexam respicit. Inter quae hoc unum interesse decernimus: nam contemplationem, et media, quae ad illam nos ducunt, summo conatu semper intendere, et prosequi debemus; quidquid vero nos inde divertit, quamvis alias magnum videatur, qualis est animarum zelus, nisi a superiorum obedientia susceptus, nostrarumque legum dispositione servata praetermittendum est. Quare cum impossibile sit unum, eumdemque statum aeque omnibus fulgere virtutibus, qui voluerit esse perfectus, eas, quae suae vocationis, et instituti propriae suet, diligenter amplectatur: nedum omnes insequitur nullam integre non sequatur.

De constitutionibus in diversis generalibus capitulis probatis servandis in casibus a novis statutis minime praevisis.

§. 10. 5. Et licet regula nostra apte tradiderit media ad hos fines consequendos opportuna, quia tamen, ut decet, brevis, et compendiaria est, et in ea expresse non traditur, quod ad eventus varios aetatis singulae, moresque deposcunt, nonnullas constitutiones multis experimentis probatas, regulae consenta-

neas in diversis generalibus capitulis religio nostra suscivit.

De vi regulae, et constitutionum.

§. 11. 6. Congruum autem, et rationi consentaneum judicavimus antequam ulterius procedatur, aperire, quam obligandi vim habeant tam regula nostra, quam ipsae constitutiones. Et primum de primitiva nostra regula declaramus, eam nullatenus sui professores ad laethalem culpam, sed ad venialem tantum obligare. Sic enim communi religionis consensu, et consuetudine semper introductum est, et totius nostri capituli generalis voto, tam pro religiosis, quam pro monialibus firmatum.

De obligatione constitutionum quoad poenam.

§. 12. 7. Omnes vero nostri ordinis constitutiones, statuta, sanctiones, tantum obligant ad poenam in eis taxatam, vel a praelatis imponendam, nisi cum in eisdem continetur praeceptum, aut censura, aut alias id, quod constitutionibus ipsis praecipitur, seu prohibetur, ex se, aut ratione contemptus, vel alterius circumstantiae fuerit culpabile. Sed licet hoc ita sit, religiosi sanctae obedientiae studiosi, qui ad perfectionem tendere tenentur, et Dei voluntatem pro suarum actionum regula habent, cum haec in ordinis statutis manifeste resplendeat, clareque illucescat, ea pro viribus, et omni diligentia exequi debent.

De revelatione beatae matris Theresiae.

§. 13. 8. Referre etiam hic initio constitutionum non parum interesse existimamus revelationem illam beatae matri nostrae Theresiae hujus reformationis fundatrici a Domino factam, quam ipsa narrat his verbis: *En este gran recogimiento, entendi de nuestro Sennor, lo que ahora dire: Que digesse a estos padres descalzos de su parte, que procurassen guardar quatro cosas, y mientras las guardasen, siempre iria en mas crecimiento esta religion, y quando ellas faltasen, entendiesen, que iban menoscabando de su principio.*

La primiera, que las cabezas estuviesen conformes.

La segunda, que aungue tuviesen muchas casas, en cada una huviesse pocos frayles.

La tercera, que tratasen poco con seclares, y esto para bien de sus almas.

La quarta, que ensenassen mas con ombras, que con palabras. Esto fue anno 1599. y porgue es gran verdad lo firme de mi nombre. Teresa de Jesus. Quas quidem piissimas et perutiles instructiones, ut a coelo elapsas, et a tali matre nobis locupletissimae haereditatis loco relictas, omnes fratres nostri intimis suis visceribus fixas habere studeant, et eas opere adimplere totis conentur viribus.

De partibus constitutionum.

§. 14. 9. Ut autem clarius in nostris constitutionibus procedamus; illas in quatuor distinguimus partes. In prima agitur de his rebus, quae ad mores omnium pertinent. In secunda de fundatione, et diversitate coenobiorum, et de peculiaribus eorum institutis. In tertia de regimine universali, et de superiorum muneribus. Et in quarta de poenis transgressoribus infligendis.

De admissione decretorum s. concilii Tridentini, aliorumque a s. Sede publicatorum ad regulares quomodo pertinentium.

§. 15. 10. At quia in his constitutionibus brevitati, ut oportet, consulitur, ut prolixitas vitetur, ob idque in eis indubitanter requisita saepe non tam exprimantur, quam supponantur: declaramus, et tamquam legem fundamentalem inviolabiliter observandam volumus omnia decreta sacrosancti concilii Tridentini, nec non et alia quaelibet a sancta Sede hucusque emanata, aut in posterum emananda, et ad regulares quoquomodo spectantia, tamquam si ad literam in eis inserta essent, obediri, et custodiri ab omnibus debere, non obstantibus contrariis quibuscumque, si forte aliqua hujusmodi in his irrepsisse inveniantur; ea enim ex nunc, et in perpetuum nullius roboris fuisse, et fore decernimus, et revocamus ex animo.

CAPUT SECUNDUM

De officio divino a fratribus persolvendo.

De officio divino a fratribus persolvendo.

§. 16. 1. Cum in divino cultu et in his, quae ad Dei venerationem spectant maxima sit nobis adhibenda cura, ordinamus, ut audito primo signo horis quibuscumque diurnis, aut nocturnis fratres angelorum ministeria, divinas scilicet laudes se praeparent, et ante terminationem ultimae pulsationis, omnes in chorum celeriter conveniant, ubi divinum officium maxima cum veneratione, devote pariter, et attente quantum Deus unicuique dederit, secundum Ecclesiae Romanae usum horis congruentibus persolvant.

De matutino.

§. 17. 2. Matutinum inviolabiliter media nocte recitetur, nisi aliqua urgens, gravisque necessitas aliter fieri postulaverit, quod quam rarissime fiat, praeterquam in octava corporis Christi, in triduo majoris hebdomadae, in aurora Dominicae resurrectionis, in tribus diebus sequentibus Natalem Domini, in sequentibus Epiphaniam, et Circumcisionem, in se-

cuodis, at tertiis feriis post Resurrectionem, at Pentecostem ex antiqua ordinis consuetudine, et insuper propter solemnitatem, et concursum populi, ac frequentiam confessionum in illis festivitatibus, in quibus matutinum cum laudibus tempore in n. 4. hujus capituli designando canendum esse decernimus.

De poena contra non venientes ad matutinum.

§. 18. 3. Qui competenti festinatione ad matutinum, et alias horas, sive alios communitatis actus, pulsatione facta, non venerit, poena laevis culpae pro prima vice puniatur: si in consuetudinem duxerit, gravis culpae eis applicetur; si quis vero matutino non interfuit, sequenti die super terram comedat absque piscibus, sive eo quod eorum loco communitati confertur.

De matutino, et laudibus cum cantu celebrandis.

§. 19. 4. Statuimus, ut matutinum simul cum laudibus cum cantu celebretur, tempore orationis vespertinae, eaque tunc omissa, in festo Corporis Christi, in triduo majoris hebdomadae, in prima die Pentecostes, in Circumcisione, in Epiphania, in festivitatibus S. P. N. Joseph, Ascensionis Domini, sanctissimae matris nostrae Mariae de monte Carmelo, Assumptionis, et Conceptionis beatissimae Virginis, sancti Bartholomaei, et sanctorum parentum nostrorum Eliae, Theresiae, et Joannis a Cruce. In nocte Nativitatis Domini hora decima cum dimidia incipiet matutinum cum cantu usque ad duodecimam in qua canetur missa, juxta communem Ecclesiae consuetudinem; qua finita, statim laudes, etiam cum cantu persolventur. In aurora Resurrectionis cantetur hora consueta. In aliis vero festivitatibus primae, et secundae classis matutinum habeatur media nocte, et canatur tantum invitatorium cum hymno sequenti, et *Te Deum laudamus;* in laudibus vero a capitulo usque ad finem officii, et idem fiat infra octavam Corporis Christi, tam in conventibus, quam in collegiis hora consueta. In aliis autem duplicibus, et semiduplicibus tantum canitur hymnus: *Te Deum:* tam in conventibus observantiae, quam in eremis.

De aliis horis canonicis.

§. 20. 5. Diebus praeterea dominicis, et festis totius Ecclesiae, nec non primae classis Ecclesiae vel religionis, hora quam missam conventualem antecedit cum cantu persolvatur. Idemque fiat de prima in vigilia Nativitatis, et nona in die Ascensionis Domini. Praeterea vesperae canantur in diebus dominicis, et festis Ecclesiae. In festivitatibus primae classis totius Ecclesiae, et religionis, et secundae classis Domini Nostri, et beatissimae Virginis, nec non in omnibus, quae apud nos celebrantur cum apparatu primae classis, canentur primae, et secundae vesperae: in festivitatibus autem secundae tantum classis totius Ecclesiae, vel religionis, et dominicis secundae tantum vesperae canentur: excipe dies sancti Andreae Corsini, sanctae Mariae Magdalenae de Pazzis, sancti Thomae Aquinatis, et translationis sanctae matris nostrae Theresiae, in quibus nil canitur, Commemorationes omnes, quae tam in vesperis, quam in laudibus fiunt, hebdomadario solemniter, et cum vestibus sacris non celebrante sine cantu dicantur; in fine completorii semper canatur antiphona Beatae Virginis, nisi officium fiat de feria, aut de festo simplici, et denique omnibus diebus missa conventualis semper canatur.

De mensae benedictione et gratiarum actione.

§. 21. 6. Benedictio mensae, et gratiae, quae postea persolvuntur, semper sine cantu, devote tamen, et cum pausa fiant; in cantu vero, et in aliis caeremoniis ecclesiasticis tam ad chorum quam ad altaris ministerium, seu ad alios quoscumque conventus actus spectantibus uniformiter serventur ab omnibus, quae in ordinario continentur. Praecipimusque praelatis, ut omni cura ordinarium studeant observari, negligentiasque ac defectus circa hoc sedulo corrigere.

De canto Gregoriano in singulis ecclesiasticis functionibus adhibendo.

§. 22. 7. Ut Dei laudes cum gravitate debita, et divinam majestatem decente in tono devoto, et aequali secundum constitutionem sanctorum patrum, et Ecclesiae approbatam consuetudinem, et absque figurationibus canantur. Praecipimus, ut tam pro missis, quam pro aliis divinis officiis persolvendis in omnibus nostris conventibus cantus Gregorianus planus, et plenus eligatur, et in posterum inviolabiliter, uniformiterque servetur cum majori vel minori pausa juxta solemnitatum diversitatem. Ea vero, quae recitanda sunt, non cursim, ac festinanter, sed tractim, et cum magna pausa et intermissione devotissima dicantur, ita ut major pausa, et devotio spiritus in his horis persolvendis suppleat, quod de cantus solemnitate aufertur, in quo a praelatis peculiarem curam praecipimus adhiberi.

De tempore insumendo in recitatione divini officii.

§. 23. 8. Et ut in his certa regula praescribatur, decernimus matutinum cum laudibus in duplicibus et semiduplicibus, et in totius anni feriis per horam unam: in dominicis vero

per annum, et quando canitur invitatorium, *Te Deum*, et *Benedictus*, per horam cum quadrante; dum autem omnino canitur matutinum cum laudibus per duas horas perduret, exceptis diebus Resurrectionis, et Pentecostes, in quibus durationis tempus, prudentia duce, regulabitur. In vesperis fere dimidia consumatur hora, quae si cum cantu dicantur, fere tribus horae partibus persolvantur, nisi aliud major solemnitas postulaverit. Prima ordinaria, et completorium per quartam horae partem singula recitentur; aliae vero horae minores, nempe, tertia, sexta, et nona singulae ultra dimidium horae quadrantem insumant. Officium parvum beatae Virginis, et si devote semper, minori tamen cum pausa persolvatur. In missa conventuali ordinaria fere tres horae quadrantes: in hora autem quae praecedit quando canenda est, ultra quadrantem consumantur, nisi major solemnitas plus temporis exigat. Declaramus deinde, ut praefixa temporis mensura intelligenda sit, non a pulsatione, sed a tempore quo officium incboatur.

De oratione laicorum, et donatorum.

§. 24. 9. Fratres laici, et donati quotidie missam audiant, sicut in regula habetur: orationi etiam mentali, atque divino officio intersint ad arbitrium praelati, qui id prudenter disponet juxta eorum vires, et suorum officiorum laborem, et occupationem. Declaramus completorium esse officium vespertinum a vesperis distinctum in quo fratres toties: *Pater Noster:* dicere, quoties in vesperis tenentur.

De choro quolibet in conventu adhibendo.

§. 25. 10. In quolibet conventu etiam noviter erecto, ubi commode sex religiosi possint choro interesse, debent sicut alii conventus chorum sequi in omnibus horis tam diurnis, quam nocturnis; canere autem non tenentur, nisi octo conventuales habiles adsint, tunc enim in omnibus tenentur aliis conventibus conformari; quamvis pro missa conventuali canenda, et si minus quam sex adsint, sufficiat. In illis vero conventibus, ubi tres conventuales, qui commode regulariter, choro interesse possint, inveniuntur, divinum officium in choro devote, servatis rubricis, recitetur.

De patrocinio beatae Mariae Virginis.

§. 26. 11. Quoniam religio nostra sub beatae Mariae Virginis patrocinio, tamquam sub praesidio tutissimo Deo militat, statuimus, ut in universo ordine singulis anni sabatbis (exceptis die Nativitatis Domini, et sabatho majoris hebdomadae, in diebus festis beatissimae Virginis Mariae, et solemni ejusdem commemoratione de Monte Carmelo in quibus hora consueta canenda est) primo mane expleta oratione mentali, et dicta prima, missa solemnis de beatissima Virgine canatur: additis duabus commemorationibus, prima de Spiritu Sancto, secunda de beato Joseph: in qua idem tempus quod in missa conventuali, consumendum est. Decernimusque, ut eo die hora consueta missa conventualis, neque canatur, neque recitetur, nisi fuerit dies festus, aut primae, vel secundae classis universalis Ecclesiae, aut primae classis ordinis, in quibus nihilominus canenda est. Et in vigilia Pentecostes praedicta missa beatae virginis primo mane, ut moris est, celebrata postmodum hora consueta, totum illius diei officium ad missam spectans, et sacrum ipsum fiat eadem solemnitate, qua sabatho majoris hebdomadae religio nostra uti consuevit. Hoc sacrum omnino, et absque ullo stipendio pro ordinis conservatione, et augmento, in obsequium Virginis applicetur. Teneanturque praelati praedictam missam per se ipsos celebrare: ipsis vero impeditis aliquis ex dignioribus conventus eorum loco celebret. Cui omnes religiosi cujuscumque gradus, et conditionis sint, qualibet excusatione semota, praeter eam, quae praelati arbitrio, gravis, et urgens judicabitur, interesse teneantur; si quis vero defuerit, in terra eo die comedat. Similiter singulis anni sabathis, nec non in festivitatibus licet solum duplicibus beatae Mariae virginis, tam communibus, quam peculiaribus alicujus conventus *Salve Regina* in obsequium piissimae matris nostrae solemniter canatur intra vespertinam horam orationis.

De licentia obtinenda pro discessu a choro, aliisque actibus communibus.

§. 27. 12. Nullus a choro, vel aliis communitatis actibus, sine expressa licentia praesidentis, cui suam necessitatem manifestet, exeat etiam ob quamcumque justam causam, et rationabilem sub poena mediae culpae.

De tempore insumendo in missae celebratione.

§. 28. 13. Decernimus, ut in venerabili missae sacrificio tam in caeremoniis, quam tempore celebrationis omnes uniformiter se gerant, visumque nobis est, ut in unaquaque missa privata fere dimidia hora consumatur, idque omnes sacerdotes curent observare. Qui in missa celebranda eas caeremonias, quas Ecclesia tradit, praetermiserit, vel nimis festinanter, aut indevote celebraverit, graviter ad arbitrium prioris puniatur, neque ei permittatur publice celebrare.

De poena contra professos divinum officium non persolventes.

§. 29. 11. Frator, qui post emissam professionem divinum officium non persolverit, si sufficienter convictus, aut violenter fuerit suspectus, in cella recludatur, in eaque juxta gravitatem delicti, arbitrio prioris, permaneat, quin inde nisi pro actibus communitatis, excepta recreatione, exire permittatur.

CAPUT TERTIUM

De oratione mentali, et examine conscientiae, et communi flagellatione.

De oratione mentali.

§. 30. 1. Quia sicut corporalis cibus conservat vitam corporis, ita oratio conservat vitam spiritus; ordinamus, ut quotidie primo mane hora quinta; in hyeme vero, scilicet a festo omnium Sanctorum usque ad diem Cinerum hora sexta ab omnibus oratio mentalis per unam horam, et vespere per totum annum hora quinta per aliam similem horam habeatur. Fiat autem oratio haec in choro, ubi convenientibus omnibus simul, magno tam animi, quam corporis silentio flexis genibus, nisi aliud necessitas postulaverit, praemissaque antiphona: *Veni sancte Spiritus*, et oratio: *Deus qui corda fidelium;* lectio aliqua devote recitabitur, quae materiam praebeat meditationis; qua finita, omnes in spiritu, et veritate, mente in Deum erecta, orabunt: transacta vero hora praeses simul cum choro dicat: *Sub tuum praesidium;* et postea orationem: *Protege Domine famulos tuos:* cum aliis orationibus ad arbitrium praesidentis, et sic terminetur oratio.

De examine conscientiae.

§. 31. 2. Ut spiritus praeterea fervor magis accrescat, hortamur religiosos omnes, tam praelatos, quam subditos potissimum confessarios, ut quotannis spiritualibus exercitiis, saltem per decem dies, piam operam impendant, quae bis in anno procuratoribus, et aliis religiosis exteriora tractantibus a praelatis, ipsis petentibus concedantur. Qui in hujusmodi exercitiis versantur, ab omni officio, et occupatione liberi esse debent, noctu, dinque in cella, sive solitaria aedicula Deo vacantes commorentur. Haec autem solitaria aedicula in quolibet conventu ubi commode fieri potest (ad minus una) ad dictum effectum construantur cum secura, et competenti clausure ad arbitrium provincialis; cujus clausurae clavem habeat praelatus. Et si clausura non fuerit talis, nullus religiosus illic pernoctabit: et qui in propria cella dictis exercitiis vacant, solum exeant pro matutino, oratione, et refectorio: qui vero in solitaria aedicola ad nihil horum cogantur exire.

De flagellatione corporis.

§. 32. 3. Deinde bis singulis diebus, nempe immediate ante prandium, et completorio dicto, et peracte disciplina, signo dato ad quotidianum conscientiae examen omnes fratres in chorum conveniant, ubi per aliquod breve spatium, utpote per octavam horae partem propriae conscientiae examini operam dabunt. Qui vero tempore examinis non poterit choro interesse, ubicumque fuerit, praedicto examini studeat.

De flagellatione in communi recipienda.

§. 33. 4. Tandem statuimus, ut omni tempore, exceptis vigilia, et die nativitatis Domini, cum tribus sequentibus Circumcisione, et Epiphania, et feria secunda Paschae, et Pentecostes alternis diebus, scilicet feria secunda, quarta, et sexta fratres communem flagellationem post completorum accipiant, quae tamdiu duret, quamdiu cantetur psalmus: *Miserere:* cum antiphona *Christus factus est pro nobis*, et tribus orationibus, nempe, *Respice*, *Protege*, et tertia pro rege. Quod si in dictis feriis festum nimis solemne, nempe aliquod ex eis, in quibus matutinum cum laudibus canitur, venerit, disciplina omittatur, in aliis vero solemnitatibus primae classis, in die antecedenti; vel immediate sequenti sumatur. Sed tribus diebus majoris hebdomadae, scilicet, feria quarta, quinta, et sexta dictus psalmus ter cantetur.

CAPUT QUARTUM

De confessione, et communione fratrum.

De confessione fratrum.

§. 34. 1. Cum orationis assiduitate ad majorem animarum profectum conjungendus est frequens sacramentorum usus. Quare primum statuimus, ut novitiorum magister una cum alio a provinciali mature, et cum delectu designato, tam ipsorum, quam aliorum fratrum professorum (dummodo choro sint deputati) confessiones audiat. Et idem servetur in domibus noviter professorum. In aliis vero superior illius conventus, et alius ex sacerdotibus pro audiendis fratrum non sacerdotum confessionibus constituantur. Et ut mutua inter praelatos, et subditos dilectio, incrementum quotidie majori inter ipsos spirituali communica-

tione interveniente suscipiat, hortamur in Domino praelatos omnes, ut saepe suorum subditorum, tamquam veri pastores, et medici, confessiones audiant, ipsis sponte et proprio motu petentibus, ipsosque subditos iterum, atque iterum monemus, ut cum praelatis frequenter confiteantur, simulque interiores animi sinus, et corda eis tamquam patribus fideliter aperiant.

De confessoribus eligendis.

§. 35. 2. Cum expediens priori videbitur, licentiam professis fratribus praebeat, maxime in festis solemnioribus confessorem libere eligendi ex iis, quos ipse ad hoc designaverit, dummodo electus sit ex approbatis a provinciali: novitiis vero ex senioribus, et dignioribus conventus, confessores bis, aut ter in anno concedantur, et idem ac de novitiis intelligitur de noviter professis in domibus ubi novitii educantur. Oportet tamen, ut prior aliquando eorum confessiones, ipsis petentibus audiat.

De casuum reservatione facienda a generali cum definitorio.

§. 36. 3. Praecipimus, et districte prohibemus, ne quis ex fratribus tam sacerdotibus, quam aliis habita ordinis confessorum copia, extraneo, et alieno sacerdoti cujuscumque qualitatis, et conditionis sit, confiteatur, et ne jugum Domini suave, et onus ejus laeve, nimis grave ministrorum indiscretione reddatur, caveant praelati, a casuum, sine magna, occasione, reservatione: postulanta vero, urgenteque necessitate, non a quocumque, sed a patre generali cum suo definitorio similis reservatio fieri possit.

De communione fratrum.

§. 37. 4. Fratres nostri, diebus dominicis sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumant: nec non in praecipuis festis Christi Domini Nostri, et beatae Mariae virginis, sancti Eliae, sancti Joseph, ejus patrocinii, sanctorum apostolorum, sanctae matris nostrae Theresiae, sancti Joannis a Cruce, sancti Michaelis, omnium sanctorum, angelici doctoris sancti Thomae, aut aliarum arbitrio prioris festivitatum. Si vero plures communionis dies, aut festivitates simul, aut frequenter occurrant, prioris judicio, aliquis ex his communionis dies relinquatur. Neque aliquis professus audeat sine prioris licentia ad communionem accedere, exceptis tam professis, quam novitiis, qui sunt sub disciplina magistri novitiorum, aut magistri noviter professorum, qui de eorum licentia id faciant. Communicent vero fratres in missa majori nisi ob aliquam specialem causam a priore aliud fuerit ordinatum. Ob reverentiam tamen tanti sacramenti, fratres, qui sunt sub disciplina magistri, eo die a recreatione meridiana abstineant, praeterquam in solemnioribus festivitatibus, praecedente facultate prioris, et pro ejus arbitrio.

De confessione sacerdotum.

§. 38. 5. Fratres omnes etiam sacerdotes saltem in hebdomada confiteantur. Sacerdotes omnes, nisi urgenti inevitabilique, gravique causa impediti, sacrum quotidie devote, debitaque cum puritate faciant. In die vero coenae Domini, omnes religiosi tam sacerdotes, quam alii de manu praelati corpus Domini sanctissimum recipiant.

CAPUT QUINTUM

De obedientiae voto stricte observando.

De voto obedientiae.

§. 39. 1. Tria religionis vota, in quibus tota religiosorum virtus, et perfectio sita est prae caeteris quibusvis aliis observantiis prosequenda, ac summa cura servanda sunt: praecipue tamen sanctam obedientiam omnes colant, studeantque observare, et superiores non ut homines, sed loco Christi Domini habentes, universa eorum mandata implere contendant, tamquam si a Deo fuissent emanata. Et ut meritum obedientiae in omnibus cumuletur, volumus ut omnia, quae agenda sunt sive magna, sive parva absque prioris licentia non fiant.

De literis scribendis, et superiori tradendis.

§. 40. 2. Nullus religiosorum sine praelati licentia cum extraneis intento animo loquatur, et qui secus fecerit juxta suum defectum corripiatur, neque epistolas scribat, mittat, aut recipiat, nisi prius priori ostendatur sub poena gravis culpae. Prior vero possit eas omnino legere, et quae, suo arbitrio, religiosorum pacem poterunt perturbare, recipi, aut mitti non permittat, idemque faciat de illis, quae inutiliter rumores, aut alia nostro statui, aut religiosorum profectui, et quieti nociva continent. Superiori tamen scribere, aut ejus epistolas recipere, omnibus absque inferioris praelati licentia libere permittitur.

De iis, qui literas superioribus directas legere vel detinere praesumpserint.

§. 41. 3. Si quis epistolam, aut epistolarum fasciculum a patre generali, a definitoribus, a provincialibus, a visitatoribus, et ab aliis superioribus missum aperuerit, vel detinuerit malitiose locum, et vocem amittat per tempus delicto proportionatum, et carceri tradatur. Qui vero literas missas ad eosdem ape-

ruerit, eadem poena puniatur, eidemque poenae subjaceat, qui literam, aut schedulam sine sui nominis subscriptione, aut sufficienti expressione ad praelatos, aut alias personas extraneas scripserit. Nullusque audeat literas alterius fratris aperire, vel eas scienter retinere, sub gravi poena, arbitrio prioris applicanda.

De iis, qui praeceptum formale superiorum transgrediuntur.

§. 42. 4. Qui praeceptum aliquod formale superiorum transgreditur per viginti dies in carcerem conjiciatur: et tam initio hujus poenae, quam in fine, panem, et aquam in terra comedat, et disciplinam in refectorio recipiat, ut quo ejus poena fuerit notior, eo emendatior evadat, et aliorum scandalo occurratur.

De praeceptis et censuris sine necessitate non imponendis.

§. 43. 5. Quamvis praecepta ad tuendam regularem disciplinam saepe sint necessaria, sobria tamen, magnaque circumspectione sunt imponenda: quapropter caveant praelati praeceptis, aut censuris nisi in gravi necessitate, et causa, summaque cum maturitate, ut, ne ubi remedium quaeritur, pernicies paretur. Quare decernimus, ut praecepta non obligent, nisi in scriptis, et horum verborum seria ferantur. *In virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto.* Hoc vero non intelligatur de praeceptis, quae in visitatione a praelatis, sive visitatoribus feruntur: nec de praeceptis, quae in capitulis generalibus, et provincialibus imponuntur: nam tunc quaelibet eorum praecepta, etiam si in scriptis non tradantur, nihilominus obligandi vim obtinebunt. Cum autem censurae sint imponendae, semper in scriptis, et sub hac forma ferantur: *sub poena excommunicationis majoris latae sententiae.*

De censuris tempore capituli generalis, vel provincialis imponendis.

§. 44. 6. Tempore capituli generalis, vel provincialis, censurae, aut praecepta, a nemine prorsus neque in communi, neque in particulari nisi a definitorio imponantur toti capitulo, aut majori ejus parti, et tunc totum definitorium, at ipse praesidens eodem praecepto maneant ligati.

De officiis praelatorum inferiorum a superioribus non occupandis.

§. 45. 7. Praeterea praelati superiores propter bonum pacis diligenter animadvertant ne inferiorum praelatorum officiis se ingerant: nam, et si superioribus, ea quae inferiorum sunt ministeria, subjacere non dubitamus, similí tamen potestate, uti non oportet, nisi ob inferiorum defectum, sive alias cum prudentiae ratio, vel bonum regimen in casu aliquo particulari postulaverit. Caveant tamen inferiores omnes, tam subditi, quam praelati, superioribus quocumque modo aliquid praecipientibus contentiose, aut irreverenter se opponere, sed tantum (si opus fuerit, maxime in re gravi) de hoc cum omni reverentia, et humilitate, eos admoneant; statim vero teneantur superiorum mandata, nulla interposita mora, exequi; poterunt tamen, negotio id exigente superioribus factum denunciare, ut ipsi de remedio provideant. Si quis vero inferiorum praelatorum in hoc deliquisse inveniatur, graviter juxta modum excessus puniatur.

De allegantibus licentiam superiorum non audiendis.

§. 46. 8. Ordinamus, ut religiosi omnes suis praelatis immediatis in omnibus obediant, neque ulla ratione ab obedientia praestanda excusentur. Qui allegaverit, se a superiore aliquam habere licentiam, nisi eam habeat in scriptis, inferiorique manifestet, nulla illi fides adhibeatur.

De poenis contra violatores voti de obedientia.

§. 47. 9. Si aliquis (quod Deus avertat) eo devenerit malitiae, et protervise, ut praelati Christi vicem gerentis reverentiam graviter offendat, caeteri religiosi studeant diligenter, ut delinquens severe, acriterque puniatur, et quaelibet alia irreverentiae culpa, etiamsi laevis appareat, nullatenus impunita remaneat, ne honor, et reverentia praelatis debita, non sine magno regularis disciplinae detrimento contemnatur. Volumus, et declaramus, quod in absentia proprii praelati conventus, quando est extra oppidum, et amplius, quam per viginti quatuor horas immoratur, ejus vicarius, vel praesidens possit in casu necessitatis praeceptum imponere, ad cujus impletionem, conventus, vel ille cui imponitur teneatur.

CAPUT SEXTUM

De castitatis voto.

De voto castitatis.

§. 48. 1. Per castitatis votum angelicam quodammodo in terris assequimur puritatem; et licet castitas in corde praecipue retinenda sit, externis etiam sensibus illam colere oportet. Quare studeant religiosi omni tempore, ac loco eam modestiam praeseferre, ut pudici oculi, et pudica lingua signa sint interioris puritatis.

De associatione inter fratres extra conventum exeuntes.

§. 49. 2. Et ut hujus vitae pericula commodius evadamus, oportet nostrae conversationis testes, nobiscum semper afferre, quare stricte praecipimus, ut religiosi extra conventum ex-

euntes invicem associentur, neque alter ab altero separetur, ita ut unus ab altero non possit videri. Quod si quis eorum non ita modeste se gerat, vel quidpiam quod minus deceat statum suae professionis in materia castitatis commiserit, si hoc fuerit totaliter occultum, et illius emendatio speratur, corrigat illum statim socius. Sed si justo timore non fuerit ausus, vel non credat se profuturum, ut aliquid damnum religioni, aut bono nomini illius inde venturum merito timeat, vel post factam correctionem in eamdem illum viderit reincidere culpam praelato, ut patri, denunciet, vel si qualitas culpae hoc postulaverit, tamquam judici, ut juxta nostras constitutiones de salubri remedio provideatur. Si autem culpa fuerit contra bonum commune religionis, et illi multum nociva, statim deferat superiori, ne inde notabile damnum congregationi sequatur.

CAPUT SEPTIMUM

De paupertatis voto.

De voto paupertatis.

§. 50. 1. Ut paupertatis votum integre servetur, et detestandum omnibus religiosis proprietatis vitium procul ab ordine arceatur, sciant in primis fratres se ratione voti paupertatis in professione emissi, teneri omni cujusque rei dominio, et possessionis effectui renunciare, et solo usu necessariorum contentos esse debere, quem non unusquisque sibi applicare, aut vendicare potest, sed ut regula praecipit, omnia a praelato, vel a fratre ab eo deputato distribuantur, inspectis aetatibus, et necessitatibus singulorum. Ab ipso igitur praelato omnia concedi debent, et ad ejus nutum revocari, et amoveri pro uniuscujusque indigentia, et necessitate.

De vita communi.

§. 51. 2. Nullus fratrum aliquid proprium sibi esse dicat, omninoque in religione, *tuum, et meum*, atque omnis possessio re, et verbo tollatur: nec liceat alicui sive subditus sit, sive praelatus, aliquid etiam parvum retinere, neque alicujus rei usum sibi in conventu, vel extra illum separatim reservare, nec quidquam aliud habere praeter ea quae unicuique ad necessarios usus ab ordine conceduntur.

De bonis a religiosis quavis causa acquisitis.

§. 52. 3. Omnia bona, quae religiosis ex quacumque causa, sive ratione lectionis, sive praedicationis, cappellaniae, legati, vel eleemosynae, vel quovis alio titulo obvenerint, statim integre, ut sacrosanctum concilium Tridentinum statuit, praelato tradantur, et in communem arcam, sive officinam mittantur, bonisque communitatis incorporentur, ut in communes usus eorum administratio ad nutum superioris fiat: nec prior, sive quicumque alius audeat in cella sua, aut alibi intra conventum, aut extra illum aliquid particulare sibi servare, aut quocumque alio modo, etiam de esculentis absque licentia praelati deponere sub poena proprietariorum juxta gravitatem delicti. Nec praeterea sit inter nos aliqua arca, locus, aut depositum, ubi fratres pecuniam, aut alia bona sibi peculiariter reddenda custodiant.

De resignatione etiam de rebus permissis facienda.

§. 53. 4. Debent propterea omnes ratione suae professionis animum habere paratum sponte resignandi in praelatorum manibus (quoties id fieri mandaverint) ea omnia, quae sibi ad usum sunt permissa; alias se paupertatis voti transgressores existiment.

De iis, quae ad paupertatem spectant.

§. 54. 5. Ad paupertatem etiam spectat, nihil sine superiorum licentia habere, possidere, dare, vel accipere, deponere, mutuare, aut cum aliis permutare, vel quovis alio modo alienare, vel quidquam inscio praelato dissipare, aut occultare. Usum clavium in januis cellularum juxta ss. papae Urbani VIII. decretum permittimus, dummodo superior clavem habeat, ita fabrefatam, ut cum sibi videbitur, cellas omnes aperire possit, et nullus propterea cellam noctu ita claudat, quin semper a superiore possit reserari. De caetero omnem arcarum clavium, et similium usum tamquam proprietatis fomentum damnamus, exceptis patri generali, definitoribus generalibus, et provinciae provincialibus, eorum secretariis; nec non procuratoribus generalibus utriusque curiae, eorum sociis, procuratori Indiarum, et procuratoribus conventuum, quibus omnibus usum clavium pro servandis literis, et instrumentis ad sua munera spectantibus concedimus, et indulgemus. Insuper prior conventus intra arcam trium clavium habere poterit aliquam capsellam a praedicta arca nunquam removendam cujus clavem ipse retineat.

De prohibita dispersione bonorum conventus.

§. 55. 6. Inhibemus praeterea sub proprietariorum poena infligenda, ne praelati de bonis conventus expendant, donent, aut alienent aliquid notabile, cum ad ipsos non minus, quam ad alios votum paupertatis pertineat; nec pecunias secum afferant, aut alibi, nisi in arca communi, vel in loco duobus clavariis, aut

duobus aliis ex senioribus religiosis cognito, et ex arca communi cum clavariorum notitia extractas recondant, ita tamen, ut de quantitate in arca reposita, et de die ingressus semper in scriptis constet, et caetera serventur, quae circa bonorum administrationem conventus in tertia parte cap. 6. harum constitutionum stabiliuntur.

De pecuniis apud religiosos non relinquendis.

§. 56. 7. Statuimus, omninoque prohibemus religiosis nostris cujuscumque gradus, et conditionis sint, veluti magistris novitiorum, sacristis, hortulanis, sive aliis pecunias apud se retinere, etiam in usus monasterii sui, nec praelati similem licentiam concedant; sed pecuniae ex communi arca extrahantur, expendanturque per officiales in usus monasterii. Neque procuratores, donati, laici, aut alii officiales sine expressa praelatorum facultate pecunias consumant, aut quaelibet alia quoquomodo alienent.

De depositis necessariis, de licentia prioris acceptandis.

§. 57. 8. Nemini deinceps tam praelatorum quam subditorum liceat, depositum apud se retinendum, sive sit in pecuniis, sive aliis bonis, acceptare, etiamsi restitutionis causa, tale depositum commendetur. Si vero aliqua urgenti causa, et gravi necessitate depositum oporteat acceptare, tunc de licentia prioris fiat, et non nisi ex una, et altera parte data, acceptaque charta a praelato, et depositi domino subscripta in qua cuncta, et singula quae traduntur in specie, et numero recenseantur, reponanturque in arca communi, vel in alia officina juxta depositi qualitatem, ubi omni fidelitate serventur, suo tempore integrum intactumque reddendum: sub poena suspensionis ab officio per quatuor menses.

De visitatione cellarum, et supellectilium religiosorum.

§. 58. 9. Porro ad perfectiorem extirpationem vitii proprietatis stricte praecipimus prioribus, vicariis, aliisque superioribus immediatis, ut ad minus bis per singulos annos sub poena suspensionis ab officio per quindecim dies religiosorum omnium cellas, codices, vestes, suppellectiliaque omnia visitent, atque examinent; superfluaque, inutilia, aut minus necessaria, secundum strictissimam paupertatem, quam profitemur omnino auferant, aut si opus fuerit de necessariis provideant. Teneanturque tunc omnes professi, et quoties a superioribus fuerint requisiti, eis ostendere, in eorumque voluntate resignare quidquid in celtis vel alibi habent. Quis vero praelatis aliquid celaverit, ut proprietarius puniatur, juxta statim delictum.

De poenis in peccantes contra votum paupertatis.

§. 59. 10. Si quis de pessimo proprietatis vitio in re gravi fuerit convictus, juxta dispositionem concilii Tridentini activa, et passiva voce careat, et insuper in carcerem detrudatur juxta qualitatem delicti; in quam poenam nulla cadat dispensatio.

De prohibita possessione bonorum stabilium.

§. 60. 11. Et quia in regula nostra non solum in particulari, sed etiam in communi paupertas commendatur, in primis sancimus, ne conventus nostri professiones, sive immobilia bona, quae radices dicuntur ex quavis causa seu titulo possint habere, neque alicujus fratris haereditatem jure haereditario quoquomodo petere, seu acquirere; omnem spem nostram in verbis Domini collocantes, qui ait: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis.*

De legatis et eleemosynis accipiendis.

§. 61. 12. Poterunt tamen legata, et alias quascumque eleemosynas recipere, quae si fuerint in bonis immobilibus, seu radicibus dum opportune, et habita capitalis securitate fieri potest, vendantur, eorumque pretia in illius conventus, cui relicta, vel donata sunt permanentem utilitatem convertantur. Poteruntque instituti haeredes, sed de bonis inde acquisitis, sicut de aliis legatis disponant. Nec novitiis ullo modo permittatur de futura successione absque libero parentum consensu disponere.

De exclusione juris succedendi in haereditates fratrum.

§. 62. 13. In conventibus, et collegiis nostri ordinis pro eorum sustentatione licebit juxta concilium Tridentinum annuos reddilus, pia legata, et alias fidelium eleemosynas retinere non tamen in fratrum haereditatem jure haereditario succedere.

De legibus servandis pro onere missarum assumendo.

§. 63. 14. Item ordinamus, ne conventus, aut collegia nostra perpetuum missarum onus possint admittere pro eleemosyna statim sive in aedificiis, sive in alia re consumenda: sed sicut onus perdurat, ita eleemosyna perpetuo conservetur. Majori autem religiosorum clausurae, et quieti consulentes, et ut conventus insupportabilibus non graventur oneribus, statuimus, ne ratione fundationis; patronatus conventus, ecclesiae, aut cappellae, vel alicujus piae memoriae cum anniversariis missarum, aut alterius religiosae functionis onere, eleemosyna annua, et perpetua in eis admittatur, nisi servatis his quae sequuntur. Primo, ut fiat praecedente definitorii provinciae cum quatuor ex quinque suffragiis consensu in scri-

pila exhibito. Secundo, ut si praedicta eleemosyna sit in bonis immobilibus, sive radicibus, ut domibus, vineis, agris, olivetis, et his similibus, omnia haec vendantur, ut dictum est; eorum namque dominium, et administrationem in conventibus, aut collegiis nostris nullatenus haberi, et retineri permittimus, nisi pro tempore quo eorum congruae venditioni cum capitalis securitate, et absque notabili communitatis praejudicio proportio paretur: nec super hoc, poterit aliquis ut aliter fiat, dispensare. Denique ut capitale ex venditione resultans statim imponatur.

De inscribendis susceptis oneribus in tabulis conventus.

§. 64. 15. Semel vero imposita eleemosyna secundum formam praescriptam, nullatenus alienetur, vel consumatur sine consensu nostri capituli generalis, aliisque de jure servatis. Volumus etiam, ut hae memoriae, sive onera conventus in aliqua tabula scribantur, quae in sacristia collocetur, ut omni cura adimpleantur juxta summorum pontificum decreta, praecipue Innocentii XII.

Declarationes circa contractus initos pro anniversariis, et aliud simile.

§. 65. 16. Si quis aliter quam praedictum est, memoriam, sive anniversarium aliquod instituat, sive alio modo cum monasteriis nostris aliquem ineat contractum, tunc poterit acceptari, dummodo quam primum fieri possit id in definitorio provinciali denuncietur, ejusque licentia obtineatur, et ad formam praescriptam circa alias memorias, stabilis redigatur.

De numero religiosorum in quolibet conventu servando.

§. 66. 17. Et quoniam Tridentinum praecipit, ut is tantum numerus religiosorum constituatur, qui commode ex consuetis eleemosynis possit sustentari, ut paupertati conservandae omnino consulatur decernimus, ut in singulis conventibus nostri ordinis commoda habitatione, et debita clausura praeditis, non sit minor numerus, quam quindecim religiosorum, neque major triginta. In collegiis vero, et domibus tam novitiorum, quam noviter professorum plures esse permittimus: et intra dictum numerum, fratres donati, et laici non computentur.

De vasis, et ornamentis sacris.

§. 67. 18. Ornamenta, et vasa sacra pro divinis officiis in nostris ecclesiis celebrandis, talia esse volumus, ut debitum Dei cultum deceant, et nostrae professionis paupertati conveniant. Scimus enim ex concilio Viennensi relato in Clement. *Exivi de Paradiso* §. *licet de verb. signif.* quod Deus non vult serviri per ea; quae servorum suorum statui, et conditioni dissonant.

De lampadibus et candelabris, vasibus, aliisque supellectilibus aureis, vel argenteis prohibitis.

§. 68. 19. Quapropter lampades, candelabra, et vasa ecclesiae deputata (praeter calices, pyxides, aut custodis in quibus venerabile sacramentum servatur, aut in processionibus defertur, turribulum simul cum navicula, et vas olei sacri pro infirmis) quae aurea, aut argentea sint, omnino in ecclesiis nostris interdicimus nisi sint gratis a fidelibus nobis donata, quia tunc ne fidelium pietas impediatur ea admittere permittimus. Denique cultui et nostrarum ecclesiarum ornatui dicare.

De forma, et materia paramentorum.

§. 69. 20. Similiter de casullis dalmaticis, et aliis paramentis sentiendum est, quae in auro, vel argento contexta sint, habere non licebit, nisi fuerint gratis donata. Erunt omnia ad summum de materia serica, et duo tantum ornamenta permittimus, unum rubri, et aliud albi coloris pro solemnibus festivitatibus, partim ex tela serica, et partim ex aurea, vel argentea ordinate consutis efformatum.

De supellectili in victu, et vestitu adhibenda.

§. 70. 21. Rerum usum, ita superiores inferioribus permittant, ut eorum suppellex, sive utensilia tam in victu, quam in vestitu tenuitatem, paupertatem, vilitatem, et asperitatem praeseferant, ut sic a filiis saeculi discernamur. Praecipue vero interdicimus earum rerum usum, quae aureo, vel argenteo, aut serico ornatu efficiuntur, etiamsi in parva quantitate, aut pro reliquiis et sacris immaginibus, vel similibus religiosi eis utantur.

De superfluitate a cellis eliminanda.

§. 71. 22. In cellis vero quidquid superfluum, aut curiosum est abdicetur: tantumque concedantur immagines in pariete, vel in papyro depictae, non vario colore aliquo, sed nigro tantum expressae. Mensis praeterea, sedilibusque vilioribus, et simplicibus utantur; sellam autem quamtumvis humilem liceat habere.

CAPUT OCTAVUM

De communi vita, et aequali.

De vita communi.

§. 72. 1. Quia communis vita fundamentum est paupertatis, et vinculum regularis observantiae, praelatis omnibus severe, arcteque praecipimus ne suis subditis quidquam denegent ex iis, quae ad victum, et vestitum, libros, medicinas, aut aliquod quodcumque necessarium spe it: sed de his omnibus illis sufficienter, secundum nostrae paupertatis sta-

tum, diligenter provideant, atque ut veri patres, si quid eis desit, inquirant. Statuimusque, ut in unaquaque domo sint officinae communes librorum, vestium, et aliorum, quibus deputentur proprii officiales, et ex his officinis, omnia tam tempore salutis, quam infirmitatis, tam in conventu, quam in itinere, religiosis omnibus, inspectis eorum necessitatibus, et aetatibus provideantur, sub poena suspensionis ab officio praelatis in hoc negligentibus. Volumus deinde, ut haec vita communis perfecte observetur ab omnibus, tam a patre generali, et praelatis quibuscumque, quam a subditis, tam fratribus, quam monialibus: nec alicui liceat peculiare aliquid habere, aut aliter quam in communi, et de communi vivere, sub poena pro qualibet culpa infligenda.

De vitae communis ratione, et substantia.

§. 73. 2. Haec igitur communis vita aequalis esse debet in omnibus. Æqualem vitam appellamus, quando omnes, sive fratres, sive moniales, praelati, atque subditi una mensa, uno cibo, eadem veste, eadem habitatione, et denique omnibus aliis ad victum, et vestitum pertinentibus, caeterisque rebus ad regularem vitam, et disciplinam spectantibus aequaliter gaudent, atque utuntur: ita ut sine ullo discrimine officii, inspectis tamen (ut regula praecipit) aetatibus; et necessitatibus sine ulla acceptatione personarum inter praelatum, et subditum, si uterque aequalibus valeat, aut aegrotet, eadem omnino mensura, idemque modus servetur, ut sic tam in capite, quam in membris regularis disciplina resplendeat. Et cum in hoc potissimum consistat nostrae professionis regularis observantia, nihilque magis pro bono pacis, aut religionis expediat omni cura, et diligentia, (ut sancta synodus Tridentina praecipit) a superioribus adhibenda est, tam in capitulis generalibus, et provincialibus, quam in omnibus visitationibus; ut ab hac communi vita non recedatur, cum sine illa, quae ad substantiam regularis vitae pertinent vix conservari queant.

De regulari observantia etiam in praedicatione servanda.

§. 74. 3. Praeterea volumus (ne ab hac communi vita religiosi, aut praelati quaesitis occasionibus excusentur) ut nullus eorum in negotiis quantumvis piis, etiam in munere praedicationis taliter se occupet, ut commode non possit sui ordinis regularem observanter vitam, et communem, cui sua se professione devinxit, servare, sed ita se gerat in his rebus exterioribus, ut professio ab eo facta integra, et illaesa permaneat.

De humilitate, et aequalitate in omni officio servanda.

§. 75. 4. Ut in omnibus etiam aliis servetur humilitas, et aequalitas ad omnia officia humilia peragenda deputentur in tabula communi omnes praelati tam inferiores, quam superiores etiam pater generalis. In aliis vero tabulae officiis distribuendis spectandae sunt aetas, et necessitas singulorum, ut regula monet; ideoque ordinamus, ut ab eis excipiantur qui in caeremoniali nostro designantur excepti, quod non nisi maturo examine decretum est. Et hi qui chori ministeriis, aut aliis per communem tabulam singulis hebdomadis deputantur maxima curent diligentia, officia sibi injuncta adimplere: et qui urgente necessitate ob officio sibi injuncto excusatur, denuntiet statim praelato, ut ejus loco alterum substituat sub poena unius disciplinae.

CAPUT NONUM

De clausura, et de modo exeundi.

De clausura.

§. 76. 1. Quia regula praecipit, die ac nocte in cella manere, et cum clausura sit potissima nostri instituti pars, nullo tempore liceat e cella absque necessitate egredi, nisi de licentia prioris. Praecipue vero, completorio dicto, fratres in cellas se recipiant (nisi ratione devotionis aliquandiu in choro manere quis velit) e quibus nisi ad necessaria naturae, aut sine superiorum consensu non exeant.

De vetito ingressu in aliorum cellis sine licentia superioris.

§. 77. 2. Nemo absque expressa praelatorum licentia pro qualibet vice alterius cellam ingrediatur, neque fratres choristae non sacerdotes in cellam superioris, neque lectores in studentium cellas, aut e contra ingrediantur. Quod si quis nocte alicujus cellam intraverit privationem vocis, et loci incurrat per unum mensem; si vero alio tempore id fecerit in terra comedat, et unam disciplinam accipiat. Huic etiam poenae subjaceat, qui praelati cellam, eo absente, quacumque hora intraverit. Extrahens vero aliquid ab alterius cella praecipue exceptorios codices, graviter puniatur pro qualitate delicti. Et si alicubi circa ingressum cellularum fuerit nimius defectus, prior, vel provincialis, vel formali praecepto, et majori poena prohibeat.

De cellis a quolibet religioso habitandis.

§. 78. 3. Et cum regula nostra praecipiat, ut maneant singoli in cellulis suis, stricte pro-

hibemus, et omnium praelatorum conscientias oneramus, ne umquam assignent aut habitare permittant in aliquo conventu plures fratres, quam sint cellae, neque umquam duo in una commorentur.

De iis, qui e domo exire possunt.

§. 79. 4. Neque fratres a domo exire permittimus praeter priorem, et procuratorem aut ejus vicesgerentem ad negotia domus expedienda: praedicatores ad concionandum, examinatores synodales pro suo munere obeundo, confessores ad monialium audiendas confessiones, vel saecularium qui gravi infirmitate detenti sunt, aut in mortis articulo constituti, spirituali indigent auxilio, et eos qui in conventibus nostrarum monialium sunt necessarii pro celebrandis festivitatibus ss. corporis Christi, sanctissimae Matris nostrae Mariae de monte Carmelo, sanctorum parentum nostrorum Joseph, Theresiae, et Joannis a Cruce titularia conventus, et velaminis sacri, vel si pro aliis festivitatibus celebrandis moniales petierint religiosos, et tunc hi tantum qui pro altaria, et pulpiti ministerio sufficiunt, quin umquam numerum duodecim excedant.

De poenis contra divertentes a via adsignata a superiore.

§. 80. 5. Praeter dictos nemo e conventu exire permittatur, nisi propter hospitum frequentiam, aut negotiorum multitudinem, cum aliquo conventu a capitulo provinciali dispensetur. Exeuntibus autem stricte praecipimus, ut recta via eo tendant, nec alio, aut alterius rei tractandae gratia, sive praetextu divertant: sub poena panis, et aquae pro qualibet vice irremissibiliter applicanda, Praelatorum item conscientias oneramus, ut summo studio id curent observare sub eadem poena. Praelato egrediente ad oppidum, qui ejus loco praeest nullatenus possit exire.

De mortuis non sepeliendis a fratribus.

§. 81. 6. Statuimus praeterea ne fratres egrediantur ad sepeliendos mortuos, sive responsoria persolvenda, nisi pro rege, et regina, caeteraque prole regia, cardinalibus, et episcopis dioecesanis, nec non pro regibus sub poena suspensionis ab officio.

De interventione ad processiones.

§. 82. 7. Item ordinamus, quod cum ex privilegio sanctissimi Domini Nostri Clementis VIII., et Pauli V. non teneamur ire ad aliquam processionem, deinceps religiosi Nostri ad nullam quantumvis generalem, et solemnem processionem exeant, nisi a magistratibus, vel capitulis ecclesiarum invitati fuerint. Neque in die processionis e domo particulares egrediantur, numquamque mulieres (justa praescriptum a sanctissimo papa Benedicto XIV. in Bulla regularis disciplinae) ratione processionis, sive alio titulo nostra ingredi claustra permittantur sub poena suspensionis ab officio per duos menses.

De exclusione mulierum et etiam puellarum a septis monasteriorum.

§. 83. 8. Praeterea praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto; nec non sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, omnibus, et singulis religiosis nostris tam praelatis, quam subditis cujuscumque gradus; et conditionis sint, atque ordinis, vel professionis extiterint, ut nullo modo (data opera) per se, neque per alios intromittant mulieres, neque puellae etiam septem annorum minores intra septa monasterii, nec aliis ad id opitulentur, neque jam ingressis foeminis associantur (intelliguntur autem sub hac prohibitione fore comprehensa omnia loca quae ad clausuram quomodocumque pertineant, ut sunt dormitoria, officinae omnes, et etiam claustra, atque vallati horti) secus autem facientes, si praelati sint, ultra praedictam censuram per sex menses ab officio suspendantur; si vero subditi ex choro addictis voce, et loco totidem mensibus careant. Laici tamen atque donati proportionabiliter puniantur. Volumusque, ut juxta qualitatem delicti hujusmodi poena unicuique augeatur. Haec autem censura, et poena non incurritur in casu processionum supra posito numero praecedenti, ubi propria poena taxatur. Sub eodem praecepto prohibemus introductionem mulierum etiam puellarum septennio minorum in hospitiis, ubi degunt nostri religiosi.

De modo incedendi, dum egreditur a monasteriis.

§. 84. 9. Fratres omnes simul incedant, communiter exeuntes, nec permittatur, aliquem a communitatis consortio separari. Cum vero ad aliqua in ordine permissa egrediuntur, novissimum, humilioremque locum studeant eligere. Priori non liceat extra domum in oppidum, ubi constructum est monasterium fratres mittere absque sociis solemniter professis sub poena tam eunti, quam mittenti gravis culpae. Idem sit de suburbiis oppidi, in quo adest conventus ordinis: extra oppidum vero idem servetur, nisi quando religiosi de uno conventu in alterum transferuntur, aut iter duodecim leucarum facturi sint, vel gravi interveniente necessitate, accedenteque tunc provincialis licentia, quae cum commode haberi non possit, prior de consensu trium clavario-

rum similem facultatem concedat ubi aliter fieri non potest. Studeantque provinciales, sive visitatores hujus, et aliarum rerum ad clausuram spectantium observantiam diligenter inquirere.

De non mittendis patribus ad patriam. §. 85. 10. Nullus absque socio, nisi per patrem generalem fuerit dispensatum, in suam patriam mittatur, nisi alias in eo sit monasterium ordinis: sub poena privationis vocis, et suspensionis ab officio per unum mensem exeunti, et mittenti.

De benedictione postulanda in exeunde, et redeundo ad conventum. §. 86. 11. Omnes religiosi sive sint conventuales, sive hospites, tam exeuntes a conventibus, quam redeuntes genibus flexis, indutique pallio benedictionem a praesidentibus domorum accipiant; idemque faciant praelati inferiores quando in conventu adsunt praelati superiores, et coram sanctissimo Sacramento, tam exeuntes, quam redeuntes breviter orent, redeantque hora competenti, nempe mane ante meridiem, vespere vero ante lucis occasum; qui vero noctu venerit, die sequenti in terra comedat.

De negotiis agendis ab iis qui licentiam de exeundo obtinuerunt. §. 87. 12. Exeuntes nullum aliud negotium, nisi a praelato designatum agant, si vero aliquod necessarium occurrat, eo peracto cum domum pervenerint priori aperiant, et idem omnino servetur in agentibus iter. Praecipue vero statuimus, ut in oppido ubi conventum habemus, quando fratres ad iter agendum exeunt, vel cum redeunt, saecularium domos expressa licentia non ingrediantur sub poena reclusionis in propria cella per octo dies.

De negotiis prohibitis. §. 88. 13. Studeant maxime praelati ne religiosi extraneorum, etiam consanguineorum negotiis occupentur: ne exterioribus rebus implicati suae professionis obliviscantur. Quare nullus saecularium negotia sine superiorum licentia procuret.

De sociis assignandis. §. 89. 14. In sociis assignandis, praelati cum omni circumspectione, prudenterque se gerant, et nullus designatum socium sub gravi poena audeat non admittere, vel alium importune petere.

De itinere non faciendo tempore capituli generalis. §. 90. 15. Tempore capituli generalis, vel provincialis, fratres iter non faciant, nisi ad ea negotia peragenda, quae nulla ratione possunt differri.

De exemplo a praelatis praebendo. §. 91. 16. Potissimum vero praelatis omnibus elaborandum est in monasteriis adeo jugiter permanere, ut caeteri eorum exemplo libenter domi permaneant, et alia incommoda excusentur. Visitent praeterea singulis noctibus clausuram per se, vel per superiorem, clavesque secum, vel alibi observent, ne unquam tantum malum eveniat, ut quis absque praelati licentia clausuram egredi attentet. Quod non tantum de priore, sed etiam de vicario, vel conventus praesidente intelligendum est.

CAPUT DECIMUM

De modo servando in petendis eleemosynis.

De modo servando in petendis eleemosynis. §. 92. 1. Quoniam in petendis eleemosynis magna cupiditas sub specie boni corda subintrare solet, unde spiritualis ruina religiosorum animis paratur, et saecularibus molesti, nimis onerosi, imo et contemptibiles fieri solent; statuimus, ut fratres nostri ad eleemosynas, quae singulis totius anni hebdomadis, ostiatim medicantur; nunquam egrediantur neque petendae eleemosynae causa in areas tendant, neque etiam in aliis oppidis ad hoc permaneant sub poena suspensionis ab officio per duos menses praelatis infligenda: subditis vero gravis culpae per quinque dies; quae omnia per donatos, vel fratres laicos permittimus. Quod si contingat alicui conventui graviter egere, tunc praedicator domus, vel aliquis religiosus ex senioribus ad idque muneris obeundum aptioribus comitatus parocho, vel aliqua venerabili persona (prout priori videbitur expedire) in oppidum pro petenda eleemosyna egrediatur.

De laicis mittendis extra oppidum pro petendis eleemosynis. §. 93. 2. Si necessarium fuerit extra oppidum pro petendis eleemosynis exire, stricte praecipimus, ut hoc nunquam per religiosos choristas, sed praecise per laicos, vel donatos fiat, nec cum ordinis dedecore omnium rerum species postulentur, sed eos tantum terrae fructus, quos communiter in populo a religiosis postulari consuetum est.

De diminutione religiosorum deficientibus modis pro eorum sustentatione. §. 94. 3. Praelati vero, qui hunc debitum modum servantes suos conventus nequeunt sustentare, numerus religiosorum a provinciali diminuatur. Hortamur in Domino, et saepius in visceribus Jesu Christi superiores omnes monemus, ne terrena coelestibus, humana divinis praeferentes subditorum salutem ac proinde proprium (cum eorum rationem teneantur reddere) pro vili, ac temporali lucro tot periculis exponant.

De vetitis eleemosynis.

§. 95. 4. Nemo audeat suo nomine eleemosynam pro parentibus, consanguineis, aut pro aliis extraneorum necessitatibus postulare, aut accipere. Neque praelati praeter patrem generalem, possint ad hoc licentiam praebere, sub poena reclusionis talem eleemosynam postulanti secundum qualitatem culpae. Si vero contingat alicujus religiosi patrem, vel matrem urgente, et gravi opprimi inópia, tunc ille certiorem faciat p. generalem; ipse vero examinatà eorum necessitate, et caeteris inspectis circumstantiis, eis meliori modo, quo possit juxta paupertatem ordinis, et de consensu p. generalis subvenire poterit: ut sic religiosi ab hac cura, et sollicitudine liberentur. Neque ullo modo eis permittatur de hoc per se tractare, vel in eo se intromittere. Noverintque omnes fratres ordinem, seu praelatos ad subveniendum eorum parentibus raro teneri.

De eleemosynis pro missis.

§. 96. 5. Stricte praecipimus, ne in aliquo conventu recipiantur plures eleemosynae pro missis, quae intra mensem persolvi non possint, sub poena suspensionis ab officio per tres menses prioribus, aut vicariis infligenda. Potissimum vero provincialibus sub poena inobedientium praecipimus, ut poenam praedictam exequantur, ordinationemque nostram maximo zelo curent adimpleri. Quod non tantum de eleemosynis ab ipso praelato receptis, sed strictius de receptis ab antecessoribus intelligi volumus. Ut autem rectius observetur priores in capitulo provinciali per instrumentum juratum a tribus clavariis subscriptum fidem reddere de ejus adimpletione teneantur. Qui secus fecerit in capitulo provinciali ad officia ordinis nominari, aut eligi nequeat. Prius autem provincialis, in ejus conventu mature discussione facta, si exploratum habuerit, debito non satisfecisse, atque testimonium praedictum malitiose non attulisse teneatur capitulo provinciali rem totam in forma, faciente fidem aperire.

De distributione missarum.

§. 97. 6. Cum ob saecularium devotionem major accesserit numerus missarum, quam in eo conventu persolvi possit, prior praecedente provincialis consensu in eos conventus distribuat, ubi citius persolvantur dummodo benefactorum mens non obstet: alioquin ultra vires omnino non recipiantur, sub poena gravis culpae per tres dies.

De erogatione eleemosynarum pro missis obtentarum.

§. 98. 7. Nullus religiosorum pro se aut aliis personis, sed tantum pro suo conventu missarum eleemosynam recipiat. Itinerantibus vero liceat, pro itineris tantum expensis hoc facere dummodo ad conventum ad quem mittuntur cum majori, quam sex argenteorum debito non perveniat; et de eadem re superiorem conventus certiorem reddant sub poena juxta gravitatem culpae, vel excessus. Numquam tamen pro una missa, nisi unum tantum stipendium recipiatur, neque ulla ratione dicantur missae anticipatae pro incertis personis, vel eleemosynis, quae postea forte recipiéntur; neque pro eis applicari poterunt sub poena suspensionis ab officio per quatuor menses iis, qui in aliquo horum deliquerint: aliaque a sacris pontificum constitutionibus ad hanc rem statuta serventur.

CAPUT UNDECIMUM

De hospitibus, et itinerantibus.

De hospitibus, et itinerantibus.

§. 99. 1. Universi fratres apostolorum vestigia sequentes, si vires sufficiant, pedestres incedant, non valentes id servare jumentis, vel aliis ex humilioribus animalibus utantur. Delinquentesque in hoc corrigantur, et poenae gravi per tres dies subjaceant, et priventur voce, et loco secundum qualitatem culpae. Itinerantes in oppido, ubi sunt ordinis conventus non comedant alibi, neque hospitentur, sub poena gravis culpae. Qui una nocte extra conventum remanserit, officio, voce, et loco sex mensibus careat: si vero duabus noctibus ultra praedicta in carcerem mittatur per quindecim dies. Quod si plus temporis remanserit augeatur supplicium secundum qualitatem delicti.

De receptione hospitum.

§. 100. 2. Statuimus, quod priores locales, aut praesidentes nostri ordinis hospites devote, benigneque recipiant; et tam eis, quam eorum jumentis nullam necessitatem objicientes, diligenter, et cum charitate provideant, sub poena gravis culpae. Et caeteri religiosi erga eos fraternaliter se gerant ut moris est apud nos, eorumque communiter pedes laventur, maxime si pedestres incesserint: idemque circa religiosos aliorum ordinum, et praesertim pauperes observetur.

De delinquentibus non recipiendis.

§. 101. 3. Delinquentes qui ad nos confugerint, nullatenus recipiantur, neque pro eorum defensione, liceat religiosis nostris judicibus, aut aliis justitiae ministris contentiose se

opponere, sub poena suspensionis per sex menses. Et ut nullus aditus saecularibus pateat in nostris conventibus ministri, et famuli saeculares (quantum possibile est) non admittantur. Existentibus vero inter nos, aut aliis quibuscumque, religiosorum cellas ingredi non permittatur, nisi gravibus, honorabilibusque personis, prior id aliquando concesserit. Saeculares non hospitentur in nostris conventibus, nisi rarissime, et pro gravi causa, et tunc nullatenus fiat in dormitoriis nostris, aut inter religiosos, aut cum nimio apparatu, qui modum nostro instituto debitum excedat.

De licentia obtinenda ad iter faciendum.

§. 102. 4. Nullus iter agat sine licentia in scriptis a praelato obtenta, et in ea omnino tempus in itinere consumendum designetur: quod nemo praetergrediatur, sub poena reclusionis per dimidium temporis, quo excessit. Quod ut exactius, et fidelius observetur praelatus, vel praeses domus diem, mensem, et annum, quo religiosus iter aggreditur non quidem numeris, sed expressis verbis cum propria subscriptione omnino in licentia subjiciat. Teneanturque cum ad domos nostras pervenerint religiosi, omnes cujuscumque conditionis sint, statim post acceptam benedictionem dimissorias literas praelatis ostendere, sub poena gravis culpae ipsis vero non ostendentibus praelati, absque ulla personarum exceptione eas exquirant, et legant. Neque ullus religiosus missus ad unum oppidum audeat aliud sine licentia adire.

Similis ut supra.

§. 103. 5. Nullus ad regalem curiam, nec ad locum ab ea per unam leucam distantem, data opera accedat, nisi licentia in scriptis a patre generali obtenta, sub poena suspensionis ab officio, vel vocis, et loci per dimidium annum. Poterit tamen provincialis illius provinciae, in qua curia residet religiosos sibi subditos in conventum curiae sicut in alios suae provinciae mittere. Caveat tamen ne ii pro negotiis in curia peragendis mittantur nisi prius consulto patre generali.

De otio indulgendo fatigatis itinere.

§. 104. 6. Transacto ab itinere uno die omnes religiosi tam conventuales, quam hospites choro, caeterisque communitatis observantiis intersint, nisi longo itinere fatigatis plus otii praelatus indulgeat. Omnes etiam post primum diem pro intentione conventus celebrent, adstringanturque mandatis, sive praeceptis omnibus positis, sive imponendis in illa domo, et in omnibus praelatis obediant, sicut caeteri conventuales. Ubi vero fuerint duo monasteria, qui hinc inde accedant statim ut ipsi conventuales omnibus praeceptis obedire teneantur: primo autem die pro conventu unde exierunt debent applicare missam.

De licentia obtinenda ad emendum, vel mutuo accipiendum.

§. 105. 7. Hospites, qui praelatorum munere non funguntur, statim priori conventus negotium proprium exponant, neque aliquid emant, aut mutuo accipiant inscio priore. Quod si in aliquo conventu detineri cogantur, nullas pecunias apud se reservent, sed intra octavum diem, eas omnes in arcam trium clavium, sub poena gravis culpae per quinque dies, deponant. Priores vero teneantur omni cura, et fidelitate depositum servare sub poena suspensionis ab officio.

De exemplo paupertatis praebendo in itinere.

§. 106. 8. Praelati religiosis omnibus provideant, itinerantibus de omnibus necessariis: ipsi vero maxime studeant, ut in viarum expensis, ut veri pauperes se gerant, et bonum exemplum omnibus praebeant: neque ipsi linteis ulla ratione utantur.

De correctione delinquentium.

§. 107. 9. Si fratres itinerantes deliquerint a viciniore priore recludantur, seu corrigantur secundum qualitatem delicti. Et quia aliqui Romam confugiunt, correctionem regularem fugientes (ex quo superbiores, ac elatiores contra suos praelatos evadunt) ideo nullus religiosorum nostri ordinis ad Romanam curiam temere, et sine licentia superiorum secundum apostolicas, et nostras constitutiones, accedat, sub poena apostasiae, et privationis perpetuae ab officiis ordinis. Quod si fuerit ex fratribus choro non deputatis per dimidium annum scapulari privetur.

De facultate patris generalis, mittendi religiosos in casibus prohibitis.

§. 108. 10. Pater generalis facultatem habeat mittendi religiosos eo quo sibi expediens videbitur nisi in casibus in nostris constitutionibus prohibitis. Provincialis vero tantum pro sua provincia, et per spatium triginta leucarum in ejus circuitu. Prioris tamen localis usque ad duodecim leucas facultas tantum extendatur. Quos omnes hortamur, ut omni studio contendant ne religiosi sine gravi necessitate itinerentur: quia nullibi, experentia testante, spiritualis eorum salus, plusquam in itinere periclitatur.

De discrimine non servando inter fratres congregationis Hispaniae, et Lusitanae.

§. 109. 11. Si aliquando contigat, Italicae congregationis fratres in Hispaniam pervenire sine ullo discrimine nisi tantum majoris gratiae, et favore apud nos sicut caeteri fratres nostrae familiae hospitentur, eisque officia, et

obsequia omnia fratribus nostris, tam in salute, quam in infirmitate debita exhibeantur, idem servetur cum fratribus nostris Lusitaniae.

CAPUT DUODECIMUM

De abstinentia carnium, et de jejunio, et comestione fratrum.

De abstinentia carnium.

§. 110. 1. Caute admodum tam in esu carnium quam pulmentorum, cum eis coctorum procedatur. Declaramusque nomine pulmentorum non venire sanguinem, carnes tritas, et intestina: et nemini concedantur, nisi exigente infirmitate, vel debilitate sicut in regula sancitur. Si quis sine licentia, et causa carnibus vescatur, aut esculenta similia a regula prohibita ab extraneis receperit, vel in cella servaverit, pro prima vice poena gravi per decem dies omnino puniatur, pro secunda vero per integrum mensem in carcerem detineatur. Praelatus vero qui occulte, aut horis insolitis carnibus vescatur duobus mensibus ab officio suspendatur: Quod si aliquando eo relaxationis pervenerit, ut cum saecularium scandalo comedat carnes officio statim privetur, et voce passiva per triennium, eademque poena puniatur, si notabili parti communitatis absque necessitate illas exhibeat, aut eis vesci permittat: Qui vero absque necessitate pulmenta cocta cum carnibus notabili parti communitatis tam extra, quam intra conventum concesserit tribus mensibus ab officio suspendatur.

De licentia obtinenda pro esu carnium extra conventum.

§. 111. 2. Ut autem esus carnium a regula prohibitus perfecte vitetur, ejusque periculo, quod extra domos nostras esse nobis constat, omnino occurratur, et scandali occasio penitus abscindatur: praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto omnibus, et singulis nostris fratribus, ne extra conventum carnes comedant, nisi licentiam a nostris praelatis habeant in scriptis, quorum conscientiam oneramus ne nimis faciles sint in hujusmodi facultatibus tribuendis, nisi propter infirmitatem, aut debilitatem, aliasve justas ob causas; alioquin subjaceant poenae gravibus culpis statutae secundum formam regulae, et constitutionum propter infirmitatem, vel debilitatem, ut in regula habetur.

De tempore jejunii.

§. 112. 3. Statuimus quod fratres nostri jejunent, sicut regula praecipit a die exaltationis sanctae Crucis, usque ad diem Resurrectionis. Declaramus tamen in diebus quatuor Natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, et sanctae matris nostrae Theresiae, tum propter ordinis consuetudinem, in aliquibus, cum propter solemnem in toto orbe, et praecipue apud nos, in omnibus laetitiam, jejunium observari haud debere. Praeterea praecipimus, ut jejunium servetur omnibus diebus ab Ecclesia statutis; nec non in omnibus feriis sextis per annum (excipitur ea in qua inciderit festum sanctissimae Mariae matris nostrae de monte Carmelo, Assumptionis, et s. p. nostri Eliae) in tribus diebus rogationum ante Ascensionem Domini, et vigiliis festivitatum primae, et secundae classis beatae virginis Mariae, Corporis Christi, patris nostri Eliae, et in die sancti Marci nisi in dominica venerit, in die parasceves comedant tantum panem, et aquam. Declaramus denique itinerantes qui pedestres incedunt justam habere causam, ut regulae jejuniis absolvantur.

De facultatibus prioris super dispensatione circa esum lacticiniorum.

§. 113. 4. In jejuniis ordinis, quamvis vere jejunia ecclesiastica sint, poterunt tamen priores circa esum lacticiniorum ex speciali privilegio summorum pontificum, prout sibi videbitur expediens disponere: in aliis vero ecclesiasticis jejuniis servetur usus, et consuetudo universalis Ecclesiae. Praeterea refectiuncula vespertina in jejuniis ordinis, ex pane, et aliquo terrae fructu decocto fiet: in jejuniis autem ecclesiae ex pane, et aliquo pomo, nisi necessitas pomi loco aliquid igne coctum ad arbitrium praelati tribuere postulaverit. Ita tamen refectiuncula vespertina fiat, et nunquam excedatur modus et mensura jejunii, neque aliquid pro ea ministretur quod in jejuniis Ecclesiae non liceret.

De hora prandii.

§. 114. 5. Hora prandii erit semper hora undecima ante meridiem, praeterquam in jejuniis Ecclesiae in quibus prandium erit hora undecima cum dimidio; coena autem, seu refectiuncula vespertina fiet post completorium et conscientiae examen persolutum, ita ut coena sit ultimus communitatis actus, exceptis diebus in quibus coena sumitur extra refectorium; quia tunc coena fiet hora septima, et postea dicetur completorium hora competenti ad arbitrium praelati. In octava autem Corporis Christi servetur in hoc antiqua ordinis consuetudo.

De communi refectorio adeundo

§. 115. 6. Decernimus praeterea ut hora prandii omnes fratres legitime non impediti

ad communem refectorium, ut regula statuit, conveniant, viteturque quantum fieri possit plures mensae. Extranei vero, et maxime saeculares raro, et caute ad refectorium admittantur, in communi mensa sacra lectio, (ut a regula decernitur) adhibeatur, ut non solum exterior homo, sed etiam interior Dei verbo pascatur. Quare praecipimus, ut post lectionem sacrae Scripturae aliqua pars nostrarum constitutionum ex iis tantum, quae ad communes, et generales ordinis mores spectant, lingua vernacula legatur, (exceptis diebus festivis et quando adsit aliquis extraneus) et postea aliquid ex devotis, et spiritualibus libris, et singulis sextis feriis nostra regula perlegatur, omniaque alia serventur, quae in ordinario circa refectorii lectionem ponuntur. Quare in refectorium maximum silentium debet observari.

De vetita communi refectione extra refectorium.

§. 116. 7. Extra refectorium non permittatur communis refectio, nisi ob aliquam justam et rationabilem causam, idque ultra viginti quatuor vices non fiat in anno. Neque aliquis sine licentia praelati extra communem mensam edat, aut bibat, sub poena unius disciplinae. Hortamurque omnes praelatos ne extra communis refectionis horam aliquid edendum communitati praebeant, ut sic sobrietas religiosa servetur.

De manducationibus extra conventum permissis.

§. 117. 8. Religiosis nostris extra domos nostras praelati nulla ratione edere permittant, nisi apud aliorum ordinum conventus principes, praelatos, aut alias honorabiles personas, quod tamen rare, matureque concedatur. Liceatque poscente id pietate, et interveniente aliqua perurgenti causa religiosos apud patrem, vel matrem, fratrem, aut sororem quatuor, vel quinque vicibus in anno manducare.

De aequalitate in cibis, et condimentis servanda.

§. 118. 9. In refectoriis nostris aequalia fercula, aequaliaque condimenta quoad numerum, qualitatem, et quantitatem omnibus tam praelatis, quam subditis ministrentur: neque aliquid adversum, vel diverse conditum alicui conferatur, nisi de prioris dispensatione; sub poena gravis culpae, tam danti, quam recipienti, sub qua poena idem praecipimus fratribus in secunda mensa comedentibus, ne scilicet aliis alimentis utantur, quam in prima: nec qui in ea praesidet aliquid extraordinarium alicui concedat sine licentia praelati. Praeterea in communi refectorio nullatenus carnes vel earum jus pulmentave cum eis cocta, etiam religiosis infirmis, sive aliis personis ministrentur; sed locus intra refectorium sufficienter distinctus ad hoc deputetur, in quo solum sedeant, qui carnibus vescuntur, et in hoc etiam loco saecularibus, vel religiosis alterius ordinis nullo modo carnibus vesci permittatur.

De consuetudine servanda in spectantibus ad victum.

§. 119. 10. Praelati de omnibus ad victum spectantibus secundum ordinis consuetudinem religiosis provideant, singulorumque necessitatibus sublevandis, veri patris officio fungentes, vigilanter incumbant, ut ipsi sui ipsorum curam, sollicitudinemque deponant. Si vero praelati incuria, aut propter conventus inopiam aliquid ex necessariis defecerit, religiosi suae professionis memores, et Christi Domini paupertatis imitatores discant penuriam pati, praelatumque humiliter de sua necessitate admoneant, quod si non se emendaverit, poterunt id provinciali denunciare. Si vero praelatus convictus fuerit, subditis necessaria denegare, juxta gravitatem delicti omnino puniatur.

De humilitate servanda in refectoriis.

§. 120. 11. In refectoriis nostris mappae non apponantur. Et ut humilitas in omnibus servetur utantur grossioribus vasis tam in mensis, quam pro portandis ferculis: attendantque praelati ut munditiei, et compositioni religiosae in refectoriis nostris maxime invigilent, ita ut omnia devotionem, decentiam, et ornatum juxta statum nostrum, redoleant. Quod ut aptius fiat, omnes in refectoriis cochleare, et fornucula ad tenendos cibos ligneis utantur.

De mortificationibus ordinariis, et extraordinariis frequentandis.

§. 121. 12. Hortamur vero tam praelatos, quam subditos, ut mortificationes inter nos ab initio ordinis in refectorio assuetas tam ordinarias, quam extraordinarias studeant frequentari: praecipue praelati in hoc, sicut in aliis se caeteris praebeant exemplum.

De frugalitate servanda etiam in solemnitatibus.

§. 122. 13. Tam in professionibus, quam in primis missis celebrandis, et solemnibus diebus frugalitas religiosa servetur: omninoque quantum fieri possit saeculares ad refectoria non admittantur. Et circa communem refectionem, ac praecipue in ejus quantitate maxima uniformitas in totius ordinis, et omnium provinciarum conventibus omni tempore servetur; neque praelati hoc quantum ad communitatem mutare possint, neque ullam varietatem, aut novitatem permittant.

De confessione culparum post coenam facienda.

§. 123. 14. Finita coena sive vespertina refectiuncula surgat ostiarius, et illa die acceptas eleemosynas in refectorio referat. Omnibus praeterea diebus, exceptis solemnioribus, zelator leves singulorum culpas praesidenti coram omnibus referat, vel ipsi fratres de suis culpis se accusent, et si praesidens, aliquid adverterit, cum charitate corrigat. Accusatus vero a zelatore continuo se in terram prosternet, et nulla proposita excusatione inde non surgat, nisi signo facto a praesidente, qui breviter accusatos corripiat, et poenitentiam secundum exigentiam injungat. Statuimusque ut in refectorio culpae non dicantur nisi coram praelato, vicario superiore vel praesidente conventus, quibus absentibus omnino culpae omittantur.

De fractis vasis suspensis collo afferendis in refectorio.

§. 124. 15. Fracta ab aliquo vasa suspensa collo ab eodem in refectorio portentur. Exhortamur praelatos, seu praesidentes nostrorum conventuum, ut laudabilem consuetudinem conferendi religiosis disciplinas etiam pro levibus culpis observari curent tam in refectorio quam in capitulis.

De usu cocholatae.

§. 125. 16. Liceat demum nostri ordinis religiosis sumere extra claustra indicam potionem (vulgo dictam cocholatae) intra claustra vero eadem potione uti illi tantum possint, quibus praelati ob infirmitatem, aut debilitatem ex medici consilio praelaudatam potionem adhibendi facultatem indulgent.

CAPUT DECIMUMTERTIUM

De honesta animi remissione post prandium.

De honesta animi remissione post prandium.

§. 126. 1. Sanctorum patrum exemplis, et quotidiana experientia edocemur, ad regularem disciplinam tuendam, non abesse, sed prodesse plurimum, quandoque fratribus honestam, et cum virtute conjunctam jucunditatem concedi, ut sic ab arctis religionis observantiis, et assidua contemplatione animum reficiant, et postea strenue et viriliter, ad assuetos redeant labores. Post prandium igitur per dimidiam horam, praeterquam in hebdomada majori conveniant omnes fratres in unum locum, ubi mutuis colloquiis (extraneis nunquam praesentibus) in Domino delectentur. Vespere autem hujusmodi recreatio non habeatur a festo exaltationis sanctae Crucis usque ad kalendas mentis junii, exceptis dominicis, et festivis diebus, in solemnitatibus primae classis nostri ordinis, et in die angelici doctoris sancti Thomae in quibus, et in caeteris diebus a kalendis junii usque ad sanctae Crucis exaltationem, dictam recreationem vel in horto, vel in alio loco commodo haberi volumus per unam horam ante completorium, quod semper dicetur hora septima praeter octavam corporis Christi, et dies in quibus coena sumitur extra refectorium, quia in his servanda sunt, quae in n. 5. capitis praecedentis stabiliuntur. Novitii vero, et professi, qui sub disciplina magistrorum sunt, seorsim ab aliis professis recreentur, nisi aliquando, et id quidem raro, superior aliter fieri mandaverit.

§. 127. 2. Oportet autem confabulationes religiosorum spirituales, aut honestas esse: ideo a praelatis murmuratoria, detractoria, scurrilia, aut dicacia verba non solum prohibeantur, sed severe, et irremissibiliter puniantur: et quidquid nostro statui est alienum, aut minus decens in communi non permittatur, ut sunt confabulationes de genealogiis, de patriis, de factionibus, nationibus, communitatibus, et aliis similibus, quae animi neque aedificationem, neque jucunditatem pariunt: omnique studio rejiciantur contentiones, quaestiones, quae etiamsi de rebus honestis sint, et multo magis ludi arceantur manuales; sed omnia humiliter, sincere, et honeste tractentur, servatis tamen semper gravitate religiosa, et aliis circumstantiis status, temporis, loci, et personarum: et dum aliqui loquuntur caeteri taceant ut confusioni locus non detur. Transgressores vero pro prima vice puniantur poena unius disciplinae, pro secunda vero pro qualitate culpae augeatur poena, quam praelatus teneatur applicare sub poena gravis culpae per unum diem; quae omnia, ut rectius serventur, curent praelati recreationibus interesse. De confabulationum tenore.

§. 128. 3. Conventus, aut major pars illius, remissionis gratia, nunquam possit extra domum exire: si vero numerus sufficiens religiosorum ad officia communitatis maneat, minor pars ejus causa extra conventum in agrum egredi possit: sed hoc semel tantum in singulis mensibus fiat, minimeque ibi pernoctabunt. De numero eorum, qui otii gratia a conventu exire poterunt.

§. 129. 4. In quacumque solemnitate quantumvis maxima repraesentationem tam per saeculares quam per religiosos exequendam in con- De sacris repraesentationibus per religiosos faciendis.

ventibus, aut collegiis nostris omnino interdicimus sub poena gravis culpae: praelatis vero suspensionis ab officio per unum mensem.

CAPUT DECIMUMQUARTUM

De habitu nostrorum religiosorum.

De habitu religiosorum. §. 130. 1. Habitus noster ejus sit conditionis, ut corpus decenter contegat, ac nuditatis rapellat verecundiam; dicente apostolo: *Habentes autem alimenta, et quibus tegamur, his contenti sumus*. Sint igitur vestimenta fratrum lanea, ejusdem formae in omnibus, confecta ex rudiore sago, coloris grisei, retinentia tamen naturalem colorem absque aliqua tintura. Habitus sit strictus, latitudinem duodecim palmorum in inferiori parte per circuitum habens, et ad summum si magnitudo corporis sic postulaverit quatuordecim non excedat: a terra duobus digitis distet ad minus, ejusque manicae sint strictae, et versus manum unius palmi latitudinem habentes, ac eadem mensura in interiori tunica servetur. Brachialia vero, sive dimidiae manicae, aut vestes cum globulis nisi tantum ligneis aut ex sago non permittantur: in manicisque nullo modo eisdem globulis fratres utantur. Scapulare sit ejusdem sagi, et coloris, latitudinem unius palmi, et dimidii non excedens, uno palmo a terra distans. Capitium ejusdem materiae sit, quod strictum, et angustum, et secundum consuetudinis ordinis fiat, itaut tergo altius quatuor digitis a zona distet. Zona sit corii nigri, latitudinem duorum digitorum habens, quae tantum rudi fibula ossea, vel ferrea stringatur. Tunica exterior sit eodem sago, et ejusdem grisei coloris, habitu paulo strictior, ac brevior tam in manicis, quam in inferiori parte in qua sit altior habitu ad minus tribus digitis. Interior vero tunicella sit ex stamenia alba lanea absque lini aliqua mixtura, longitudine genua complectens, brevioresque aliis vestimentis manicas habeat cum apertura competenti, ut fratres possint se apte disponere ad disciplinas recipiendas. Femoralia linea, et de licentia praelati, etiam lanea semper portentur, neque ultra quatuor digitis infra genua protendantur. Ad emungendas vero nares panniculis nunquam sericis; sed laneis, vel exilinis (vulgo de Algodon) aut alia humili materia, et colore honesto confectis tantum utantur. Pallium ex eodem rudi sago albi coloris augustum, et absque aliqua plicatura fiat ejusdem formae, quae semper usitata est apud nos duobus palmis, hoc est dimidia ulna a terra distans. Capitium vero ex eadem materia confectum ejusdem figurae, et magnitudinis sit, ac griseum; quod si quis aliis vestimentis, aut aliter factis induatur gravi poena per tres dies, aut majori secundum qualitatem culpae puniatur, et punitus hujusmodi vestibus expolietur, et visitatores operam dabunt, ut ab hac vestimentorum forma recedatur nunquam.

De vestibus infirmorum, et debilium. §. 131. 2. Infirmis et debilibus priores secundum eorum indigentiam interiores alias vestes possint concedere, dum tamen sint religiosae et honestae, et ejusdem fere materiae, ac exteriores, vel alterius similis. Ejusdem qualitatis vestibus utantur tam laici, quam choro deputati, tam novitii, quam professi. Et ut novitii a professis signo patenti discernantur, aliquo nexu scapularis anterior pars ex utraque parte cum posteriori nectatur. Donati vero induantur omnino tam in habitu, quam in pallio ex eodem sago griseo sine monachali capitio. Habitus autem quatuor digitis distet a terra: scapulare vero et pallium sit aliquantulum brevius.

De vestibus prohibitis. §. 132. 3. Prohibemus deinde, ne quis vestibus, aut aliis rebus lineis utatur, nisi pro infirmitate, et cum expressa praelatorum licentia sub poena gravis culpae. Infirmi vero propter aliorum aedificationem caveant ne vestimenta linea exterius appareant.

De galero concesso itinerantibus. §. 133. 4. Praeterea omnibus itinerantibus, galerus albi coloris concedatur. In quolibet conventu sit aliqua persona honesta destinata ad lavanda omnia religiosorum vestimenta, neque alicui permittatur alteri sua vestimenta abstergenda tradere.

De sandaliis, et eorum structura. §. 134. 5. Fratres nostri omni tempore discalceati incedant, utantur tamen sandaliis confectis tantum ex canabe, vel sparto, aut ligno, ita ut superiori parte nuditas pedum appareat, et in eis ea forma servetur tam in materia, quam in aliis, quae communi consuetudine est recepta. Nec in cruribus caligas portent, nisi ex necessitate, et cum licentia, aut itineris ratione. Pedalibus tantum pro infirmitate, et de praelatorum consensu utantur, et nemo e domo poterit cum eis ad oppidum egredi, nisi rarissime, et cum socio illos non ferente; ratione tamen itineris permittantur, dummodo id

solum fiat cum praedicta necessitate, et licentia.

De lectulis religiosorum

§. 135. 6. Idem pro lectulis utantur fratres corticibus arborum, aut tabulis cum indicibus laneis, aut aliis coopertoris non varii coloris, sed simplicem, et naturalem retinentibus, pellesque insuper regulariter addantur, et praecipue in provinciis, ubi magis frigus viget: usumque linteorum, vel culcitrarum omnium prohibemus nisi pro evidenti necessitate a priore concedantur, sub poena gravis culpae per unum diem, cervicalibusque omnes utantur laneis.

De vestibus adhibendis noctu temporis.

§. 136. 7. Cum habitus a monacho nunquam debeat separari: statuimus ut fratres in tunica, vel scapulari longitudinis unius palmi, et dimidii, latitudinis vero unius, et accincti omni tempore dormiant; infirmi vero minori utantur. Et ne mors eos absque suo habitu reperiat, nunquam eum debent deponere. Si quis sine scapulari dormierit, si sanus fuerit in terra comedat.

CAPUT DECIMUMQUINTUM

De silentio, et locutione fratrum.

De silentio, et locutione fratrum.

§. 137. 1. Cum justitiae cultus silentium sit, omni tempore, et loco silentio debent fratres nostri studere; maxime vero dicto completorio (ut regula praecipit) usque ad primam sequentis diei, omnes silentium teneant. Quod ut melius observetur; completorium omni tempore hora septima ante coenam, aut refectiunculam vespertinam dicatur juxta quae in cap. 12. et 13. statuta sunt; et post sumptam coenam illico ad cellas se recipiant (nisi quis in ecclesia orationi vacare velit) neque ibi strepitum ullo modo faciant. Silentii vero tempore ea tantum, quae minime differri possunt in cella prioris breviter tractentur. Serveturque laudabilis religionis consuetudo, hac hora tabellis mediationem aliquam denunciandi. Et silentii transgressores unam disciplinam accipient.

De silentio servando in choro, refectorio, sacristia, et claustro.

§. 138. 2. Praeterea silentium omni tempore servetur in choro, refectorio, dormitorio, sacristia, et claustro. In cellis autem fratrum, et in meridiana quiete, sive dormitione, quilibet strepitus evitetur, et in officinis, et caeteris domi locis numquam clamorose, sed modeste, et submissa voce fratres nostri cum opus fuerit loquantur. Neque umquam in claustris seorsim vel cum saecularibus deambulent, neque ibidem cum eis confabulentur; sed ad alia honesta, et ad id deputata loca (quae in omnibus conventibus construi conveniens est) recedant.

De urbanitate adhibenda inter fratres.

§. 139. 3. Hortamur deinde cum apostolo, ut fratres se invicem honorent, ita tamen omnino saeculi urbanitates, et saecularia verba, tam in salutationibus, quam in confabulationibus, et epistolis, neque inter nos, neque cum saecularibus admisceantur. Si quis alteri convitiose, ac minus reverenter loquatur, pro qualitate culpae severe puniatur.

De titulis singulis fratribus adsignandis.

§. 140. 4. Nemo alterum nostri ordinis religiosum, nomine paternitatis, aut reverendissimi, etiam ipsum patrem generalem, neque doctoris, neque magistri, praesentati, aut alio titulo honorifico vocet; sed indistincte sacerdotes omnes reverentiae nomine, et non sacerdotes charitatis titulo, sub poena gravis culpae appellentur: benevolentiae, atque debitae submissionis causa praelatos, et procuratores generales, servata proportione (patrem scilicet generalem, definitores, et procuratores generales in toto ordine, provincialem in sua provincia, nec non eos qui hujusmodi officiis functi fuere, atque actuales definitores provinciae et unumquemque priorem in suo conventu) religiosi omnes patrem nostrum appellabunt.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

De infirmorum cura sollicite procuranda.

De cura infirmorum.

§. 141. 1. Infirmorum cura ante omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo ita eis serviatur. Magno igitur studio praelatis curandum est, ut infirmis ita necessaria ministrentur, ut nec saeculi delitias, nec consanguineorum affectum desiderent. Quo ut commodius fiat, eligatur a communitate in capitulo per secreta suffragia infirmorum minister timens Deum, diligens, ac sollicitus, charitate, et patientia praeditus, qui ab omnibus aliis feriatus, quando id necessitas postulaverit, huic curae semper intendat, quique medicorum jussa exequi opportune, et cuncta alia necessaria praestare studeat.

De cura a praelatis praebenda.

§. 142. 2. Praelati vero non aliter ac patres filiorum subditorum tenentur curam gerere, eisque secundum medicorum consilium de necessariis providere, neque in procuranda infirmorum salute, caeterisque ad eorum solatium necessariis umquam admittenda est pau-

pertatis excusatio. Praelatique, si fieri potest, quotidie aegrotos visitent, et omnem humanitatem eis exhibentes, eos ad patientiam cohortentur, et ut sacramenta Ecclesiae, suo tempore eis conferantur procurent: ne (quod absit) absque eorum sumptione infirmi aliquando decedant. Insuper studeant, ut singulis hebdomadis ad minus aegri, qui in lecto decumbunt, coelesti se sanctissimi sacramenti pabulo reficiant. Praelati, circa infirmorum curam negligentes, ita ut infirmus periculum notabile ob alicujus rei defectum incurrat, vel absque sacramento aliquo moriatur per unum annum officio careant: caeteri vero officiales arbitrio praelatorum graviter puniantur.

De decreto dato a definitorio Salmanticae servando.

§. 143. 3. Praecipimusque ut decretum definitorii datum Salmanticae 1771 circa valetudinaria providenda, et infirmorum curam, et consolationem omnino servetur. Aegroti vero se infirmos pauperes esse saepe recolant, pauperumque modicis esse contentos, et necessariis saepe carere, defectumque aequanimiter tolerare: neque enim divites possunt omnia pro votis habere. Quare nec superflua in monasteria quaerant, nec de obsequio sibi impenso murmurent, aut impatienter servientes sibi contristent.

De receptione infirmorum.

§. 144. 4. In conventibus autem ubi frater aliquis undecumque sit, coeperit infirmari, ibi omnino curetur, donec satis convalescat, nisi aliter per patrem generalem, vel provincialem ex rationabili causa fuerit ordinatum, sub poena gravis culpae per tres dies, et suspensionis ab officio per duos menses. Si vero infirmi ob paupertatem proprii monasterii, vel aliam justam causam in aliud a superiore mittantur, benigne a praelatis recipiantur: et cum charitatis studio eis de omnibus provideatur, ac caeteris conventualibus illius domus sub poena infligenda suspensionis ab officio per duos menses. Si vero ex frequenti hospitum aegrotantium cura conventus nimis gravetur provincialis arbitrio a praedicto onere subsidio aliquo ab aliis conventibus sibi reddendo sublevetur.

De cura in domibus non permittenda.

§. 145. 5. Prohibemus, ne religiosi nostri in saecularium domibus etiam parentum curentur; interveniente vero gravi necessitate, atque perurgenti, cui in religione subveniri non potest, hoc fieri licebit de licentia patris generalis. Neque etiam infirmi ad balnea pergant absque eadem licentia, sub poena privationis vocis, et loci.

De contemptu laevium indispositionum.

§. 146. 6. Caveant religiosi ne laevium indispositionum, sive aegritudinum cura nimium solliciti sint, ne his affecti a choro, aliisque observantiis, et arctioris vitae exercitio deterreantur, neve occasionem sumant, lineis uti indumentis, carnibus vesci, corporique saepe, animae sub specie necessitatis insidianti, nimium indulgere. Nam et si aliquando laevibus infirmitatibus aliqua opportuna medica remedia sint adhibenda, non tamen debent omnes, neque possunt, salva nostri instituti integritate, curari: cum fere impossibile sit inter nos, aliquem in tantae vitae asperitate, et nuditate aliquo corporis incommodo, aut afflictione saepe non laborare. Quare hortamur omnes in Domino, ut viriliter suae professionis propositum adimplere contendant. Insuper praecipimus prioribus ne aliena indumenta ad corporis neque lectuli usum cuiquam, nisi febri, aut alia gravi indispositione laboranti, vel jam ex infirmitate convalescenti eorum arbitrio concedant. His vero qui habitualibus, laevibus tamen, indispositionibus afficiuntur, lineis rebus uti, aut carnibus vesci tantum de provincialis licentia permittatur; quam ipse mature inspecta necessitate in scriptis, et cum temporis limitatione concedat. Majori vero cura praelatis incumbendum est, ut ii qui longo tempore assidua corporis indispositione laborant, non in aegritudine per totam vitam se confirmatos facile credant: et a regulari observantia liberos existiment, sed saepe eos moneant, et si opus fuerit, christiana charitate non praetermissa inducant, aut compellant, ut per aliquod tempus jugum regularis observantiae iterum, atque iterum ferre attentent: cum experientia compertum sit, plures de sua salute fere desperatos, simili remedio vires non solum corporis, sed etiam spiritus recuperasse.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

De fratribus defunctis, et eorum suffragiis.

De fratribus defunctis.

§. 147. 1. Quotiescumque ex hac vita aliquis fratrum migraverit solemniter, et devote sepeliatur, et prior, vel praesidens illius conventus statim facere certiorem patrem generalem, et provincialem, et priores illius provinciae, teneatur, nuntians eis domum in qua obiit, nomen, officiumque, diem obitus, patriam, et aetatem defuncti, et tempus, ac locum suae professionis. Quod si fuerit monialis,

provincialis eamdem curam nuntiandi patri generali habeat. Paterque generalis nulla interposita mora, expressis omnibus dictis circumstantiis, et conditionibus ejus mortem denuntiet omnibus provinciis, ut quam primum possibile sit, suffragia pro eis ab omnibus offerantur.

De suffragiis defunctorum §. 148. 2. Statuimus, ut pro quolibet religioso professo in conventu in quo decesserit dicatur officium integrum defunctorum, et fiat officium sepulturae, ut in nostro manuali habetur, et per novem primos dies ultra missam, et responsorium officii sepulturae, et diei obitus, aliae novem conventuales missae pro eo cantentur cum novem aliis responsoriis, quae ubi commode fieri possit supra sepulturam dicantur, supra quam per spatium trium dierum sit posita crux, et pannus nigri coloris supra tumulum, et in eo nostrae religionis habitus, et quilibet sacerdos illius domus, in qua decessit, aut cujus sit conventualis pro eo dicat tres missas privatas. Pro religiosis hospitibus decedentibus in conventu fient in eo omnia suffragia, sicut pro suo conventuali, sed conventus cujus est filius, omnes missas ab alio conventu pro defuncto celebratas penitus satisfaciet.

Idem ut supra. §. 149. 3. In quolibet etiam conventu illius provinciae integrum defunctorum officium in communi recitetur, et una missa conventualis pro eo cantetur, et a quocumque sacerdote una privata dicatur. Idem fiet in conventibus novae fundationis. Fratres vero laici, et donati teneantur tres partes integrii rosarii pro eis offerre. In aliis praeterea ordinis provinciis in quolibet conventu una missa conventualis cum vesperis, et uno nocturno defunctorum persolvatur. Pro monialibus quilibet conventus ex toto ordine ad unam missam privatam cum uno nocturno defunctorum teneatur, et pariter quilibet monialium conventus pro fratribus decedentibus cujuscumque provinciae teneatur ad unam missam privatam, et insuper unum nocturnum defunctorum in communi dicere. Si religiosus missus a p. generali in eremum provinciae extraneae, tamquam illius conventualis mori contingat in eremo, aestimandus est quoad suffragia ut filius illius provinciae, et eremi in qua vitam finivit. Similiter religiosi, qui in hospitiis monialium degunt, si ibi moriantur, spectant ad domum, cujus conventualitatem retinent, ut in ea eadem pro eis suffragia, quae aliis ipsius conventualibus debentur. Sciantque omnes, quod conventus tenentur ex justitia ad solvenda suffragia pro nostris fratribus defunctis in constitutionibus stabilita.

Sequitur ut supra. §. 150. 4. Item statuimus (quod praeter suffragia numero secundo assignata) pro p. generali, pro definitoribus generalibus, pro provincialibus, ac procuratoribus generalibus utriusque curiae, quilibet sacerdos totius congregationis unam missam privatam, et quilibet conventus tam fratrum, quam monialium unam missam conventualem dicant; et insuper integrum defunctorum officium recitetur; pro eo vero, qui functus fuerit officio generalis, provincialis, protectoris, aut prioris praeter communia cum aliis suffragia, una missa conventualis addatur: pro p. generali in toto ordine: pro provinciali, et definitore in ea provincia, ubi provincialis, aut protector extitit, et pro priore in conventu ubi tale officium exercuit. Ita videlicet, ut toties missa conventualis pro eis cum praedicta proportione superaddatur, quoties in toto ordine, provincia, vel domo praelati, vel protectoris munere functi fuerint. Circa suffragia, quae in aliquibus casibus applicari debent pro religiosis provinciae sancti Alberti, et in illa pro religiosis Hispanis: vide cap. 16. tertiae partis. Nunquam tamen pro religiosis nostris funus cum musica, et sermone celebretur absque licentia patris generalis, vel definitorii generalis.

Idem ut supra. §. 151. 5. Pro fratribus donatis decedentibus, si solemniter fuerint professi, idem sit judicium, ac de aliis religiosis, si vero solum simplicibus votis adstringantur, tunc in suo conventu fiat integrum defunctorum officium, et missa solemnis, et quilibet sacerdos dicat unam missam, et in quolibet conventu propriae provinciae una missa conventualis, et duae privatae eis applicentur: fratres autem non sacerdotes pro eis unam partem integri rosarii dicant. Pro novitiis, et his qui ex privilegio in articulo mortis professionem emittunt tantum in conventu, in quo decesserunt, officium defunctorum integrum cum missa conventuali dicatur, et omnes sacerdotes ipsius domus unam missam privatam pro eis offerant; laici vero, et donati integrum rosarium. In omnibus conventibus fratres a saecularibus semoti, sive in cappella majori, capitulo, claustro, vel alio decenti loco sepeliantur, monumentaque fratrum a monumentis saecula-

rium distinguantur. Pro cujuslibet religiosi patre, aut matre defunctis una conventualis missa applicabitur in conventu, ubi filius est conventualis, et si plures fuerint filii totidem addentur missae.

De exequiis faciendis in obitu papae.

§. 152. 6. Item statuimus, quod audita morte sanctissimi Domini Nostri papae fiant in singulis conventibus exequiae solemnes, idemque fiat pro eminentissimo ordinis protectore, et pro rege, et regina.

De tabulis defunctorum apponendis in choro, et sacristia.

§. 153. 7. Ordinamus, ut in quolibet conventu in choro, sive sacristia tabula apponatur in qua religiosi omnes inter unum, et aliud generale capitulum defuncti scribantur, et assignetur dies, quo suffragia consueta eis fuerint applicata, et provinciales tempore visitationis sedulo inquirant, an defunctorum integre officia fuerint persoluta, praedictamque tabulam teneantur visitare.

De missa pro benefactoribus.

§. 154. 8. Singulis secundis feriis missa privata pro omnibus defunctis ordinis, nostrisque benefactoribus celebretur, atque omnino, et absque ullo stipendio pro eis applicetur: qua finita fiat processio defunctorum, ut in manuali continetur, et ubi processio commode fieri non potest, responsoria in choro cantentur: dicta tamen missa nunquam omittatur: item ter in anno fiat commemoratio cum vigilis novem lectionum, et missa solemnis pro fratribus defunctis nostri ordinis, et ter pro parentibus, consanguineis, et amicis fratrum, et pro omnibus qui in coemeteriis nostri ordinis sepulti sunt: et ter pro patronis, familiaribus, benefactoribus, et pro illis, qui literas habuerunt nostrae confraternitatis. Primus ternarius celebretur inter octavam Epiphaniae, et Purificationis beatae Mariae; secundus inter octavam Paschae, et Ascensionis Domini; tertius inter festum sancti Michaelis, et festum omnium sanctorum. Quae officia diligenter praelati persolvi curent sub poena suspensionis ab officio per unum mensem.

De exclusione saecularium confraternitatum ab ecclesiis ordinis.

§. 155. 9. Nullatenus in monasteriis nostri ordinis, saecularium confraternitates admittantur; maxime illae, quae strepitum, vel silentii, et quietis nostrae perturbationem aliquam praeseferant, aut quae ad publicas processiones ab ecclesiis nostris prodeant; vel quae congregationes aliquas sive capitula habeant in conventibus nostris, in quibus ordinis praelati, aut alii religiosi praesideant, vel assistant, et denique quaecumque aliae, quae nobis distractionem, vel quid simile indecens sive statui nostro minus conveniens pariant: vel alias celebrent solemnitates festivas, quae magis vanitati, quam verae, et sincerae devotioni deserviunt. Si vero honorabilium personarum confraternitas aliqua a praedictis omnibus molestiis, conditionibusque sit libera, tunc animarum saluti, et aedificationi consulentes, de consensu definitorii (definitoriis) generalis admitti poterit. Nolumus tamen hoc statuto propriam ordinis confraternitatem, scilicet beatae Mariae virginis de monte Carmelo excludere, etiam sine definitorii licentia, dummodo serventur ea, quae modo retulimus.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM

De paternali cura,
et spirituali regimine praelatorum.

De paternali cura, et spirituali regimine praelatorum.

§. 156. 1. Cum praelati non percussores, et mercenarii, sed pastores, patres, et matres esse debeant subditorum, summa, ac maxima eorum cura esse oportet, ut oves suas non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter pascant; hoc est ut ignaros instruant, erigant lapsos, vulneratos curent, et errantes ad viam revocent veritatis, et non solum generaliter omnes, verum et singulos familiariter tractent, et specialiter doceant, quod ut commodius exequi valeant, omnium religiosorum mores, conscientias, et vires cognoscere debent, cum hoc vere sit, vultum sui pecoris agnoscere. Hanc igitur curam (tam circa res temporales, quae ad corporalem subditorum sustentationem spectant, quam circa res spirituales, eorum spirituali profectui studentes, subditorum conscentias pertractando) paternale regimen vocamus, quod a praelatis omnibus summo studio praecipimus observari.

Idem ut supra.

§. 157. 2. Oportet igitur ut hoc paternum regimen ab iis, qui in superiori loco praesident perfectius exerceatur. Quare p. generalis, et definitores; quamvis non possint injuncs hoc ita proxime, sicut alii praelati praestare, debent tamen convenientiori modo quo possint, ovium spirituali profectui operam dare, subditos suos epistolis toti ordini missis ad propriae professionis observantiam commonere, aut, si opus sit, abusus, et relaxationes pullulantes intra terminos suae respective facultatis evellere, et earum auctores deterrere.

Idem ut supra.

§. 158. 3. Provinciales quasi praelati pro-

pioquores subditorum animas veluti contrectare debent, maxime in suis visitationibus, exteriori correctione non contenti, sed ad interiora, unde praecipue salus pendet ingressi. Quare uniuscujusque viam, spiritum, et profectum discernere curent, ut sic aptius unumquemque secundum donum, et gratiam quam accepit, et secundum ejus vires, et necessitatem dirigant. Potissimum vero tam in fratrum, quam in monialium visitatione uniuscujusque spiritum, orationem, virtutem, exercitia, et peculiariter propriae mortificationis, quae fundamentum est hujus spiritualis aedificii, nec non fructum ex frequenti communione ad promptum examinent. Hortamurque eos, ut in suas provincias epistolas aliquando scribere curent, sicut praedictum est de definitorio generali.

De onere priorum super forma regiminis.

§. 159. 4. Hoc tamen regiminis onus prioribus tamquam immediatis patribus proxime incumbit: ipsi enim sunt, a quibus principaliter hujus regiminis forma administranda est, subditorumque salus, et profectus pendet ab ipsis de eorum salute reddenda est ratio, et subditorum sanguis, si negligenter se gesserint, exquiretur; et denique cum ipsis terribile judicium in die Domini fiet. Igitur ut huic oneri satisfaciant primum spiritualem subditorum vitam suo exemplo sustentare debent, deinde doctrina perficere. Haec autem non solum in commune subditis proponenda est, sed in particulari singulis applicanda: quod tunc recte fiet, quando uniuscujusque res omnes spirituales, ad eorum directionem spectantes tractaverint. Quare praelatis omnibus danda est opera ut semel ad minus in unoquoque mense separatim cum singulis confabulentur eorumque necessitates non solum spirituales, sed etiam temporales inquirant.

De amore inter praelatos, et subditos.

§. 160. 5. Ad majorem vero conservationem hujus reciproci amoris, et paternae conversationis inter praelatos, et subditos: praecipimus praelatis, ut saltem una vice pro singulis mensibus suorum subditorum (ipsis ultro, et sponte petentibus) confessiones audiant; eosque saepius ad communicationem spiritualem alliciant, et adhortentur, moneantque non semel quantum eorum profectui intersit suis praelatis Christi vicem gerentibus conscientias detegere, animam sinus aperire, et interiora omnia nudare, cum impossibile sit secundum probatissimam, et verissimam patrum sententiam, quemquam eorum, qui sub obedientia vivunt absque spiritualis magistri ductu, ad perfectionis metam pervenire.

De collationibus spiritualibus habendis singulis sextis feriis.

§. 161. 6. Et quia maxime interest, ut qui spiritualem vitam profitentur de rebus spiritualibus tractent: ideo decernimus, ut singulis sextis feriis, vel sequenti, vel antecedenti die, tempore orationis vespertinae in choro, aut alio ad id competenti loco ad arbitrium praelati omnibus religiosis simul congregatis aliqua spiritualis collatio habeatur per dimidiam horam; ita ut ea finita communitas in oratione usque ad complendam horam persistat. In dicta collatione praelatus, qui nunquam ab hoc actu abesse debet, vel eo praecise impedito praesidens rem aliquam, omnes suo ordine circa quam propriam sententiam dicant, spiritualem proponat. Praelatus vero, quae utiliora sunt, et quae ad rem magis attinent, non tam subtiliter concionando, quam paternaliter conferendo, et docendo dijudicet. Collationes hae non remisse, aut perfunctorie, sed acri, ferventique studio habeantur, et ad hoc juvabit varietas, ita ut nunc de oratione mentali, et de mediis eam consequendi, et conservandi, vel de mortificatione, et moderatione passionum, de virtutum actibus exercendis agatur: nunc de sacrificio missae, de praeparatione ad illam, de spiritu in caeremoniis, et aliis ritibus abscondito, et latente; de charitate, de humilitate, et de aliis omnibus tractetur. Ad hoc etiam valebit sanctorum, vel de quatuor novissimis exempla referre: curet vero praeses ne quis prolixiori utatur oratione. Et ut omnes convenientibus loquantur, res agenda ab una in alteram collationem proponatur. Et ad hanc spiritualem collationem cum aliis religiosis, seu sacerdotibus conveniant omnes tam novitii, quam professi.

SECUNDA PARS CONSTITUTIONUM

De peculiaribus institutis monasteriorum

CAPUT PRIMUM

De fundatione provinciarum, et monasteriorum, et de diversa eorum institutione, et aedificiorum forma.

De nominibus provinciarum.

§. 162. 1. Declaramus, quod in congregatione nostra Hispana post ejus erectionem, Deo

favente, novem provinciae fundatae sunt, et modo extant: prima sub nomine sancti patris Nostri Eliae: secunda sub nomine Spiritus Sancti: tertia sub titulo sancti Angeli: quarta sancti patris nostri Joseph: quinta sancti Alberti apud Indos: sexta sanctae matris nostrae Theresiae: septima sancti patris nostri Joannis a Cruce: octava sancti Joachim, nona sanctae Annae.

De instituti ratione, et fine.

§. 163. 2. Quamvis instituti nostri ratio, et finis omnibus communis esse debeat, pro diversitate tamen mediorum, diversa sunt inter nos monasteriorum instituta, variaeque functiones: omnes tamen uno spiritu, et professione veluti animantur, sicut et corporis varia membra, una anima, et vita informantur.

De divisione monasteriorum.

§. 164. 3. Quatuor igitur sunt apud nos monasteriorum genera. Primum, in quo recipiuntur, et instruuntur novitii, vel noviter professi. Secundum in quo recepti, et in virtutibus radicati, in sacrarum literarum doctrina et scientia erudiuntur. Hujusmodi sunt collegia in quibus potissimum de literarum exercitiis agitur. In tertio vero de spirituali monachorum profectu, et animarum salute est habenda ratio. Quartum genus est eremitarum, nempe eorum, qui ad tempus in eremum ad imitationem sanctorum patrum nostrorum Eliae, et Elisei secedunt, ut spiritualibus viribus resumptis ad regularem disciplinam colendam, proximorumque salutem procurandam ferventius revertantur.

De fundationes domorum.

§. 165. 4. Ordinamus, ut fundationes domorum deinceps non admittantur, nisi in locis ubi nostra professione, clausuraque servata congruam habeant sustentationem. (Non enim oportet ibi esse religiosos, ubi religiose vivere non possunt.) Nec deinceps religiosi in monasteriis noviter receptis commorentur donec in eis sit competens clausura, et habitatio pro quindecim saltem religiosis, praeter fratres donatos exceptis duobus, aut tribus fratribus, quibus ibidem pro directione aedificii liceat assistere, neque etiam eo perfecto alii ingrediantur donec in aliis provinciae conventibus numerus religiosorum secundum nostras constitutiones requisitus compleatur. Et idem quantum ad competentem habitationem, et clausuram intelligi volumus de fundationibus monialium ante earum ingressum.

De situ eligendo in construendis conventibus.

§. 166. 5. Situs pro construendis conventibus extra urbes, vel oppida eligatur: cum ea loca potissimum consenda sint, ad nostrae religionis observantiam apta, et commoda. Monasteria vero non procul ab oppidis aedificentur, ut sic nostrae quieti, et proximorum saluti studeamus. Quod si locus aptus extra villam, vel civitatem non inveniatur in suburbiis aedificentur, ubi longe sint a tumultu, et concursu saecularium, vel si nec hoc fieri potest admittantur ubi donata fuerint, si ecclesiae servitio congruere videantur.

De magnificentia excludenda a domibus, et ecclesiis ordinis.

§. 167. 6. Et cum sumptuosae domus, seu earum curiosus ornatus, homines peregrinos, et professione pauperes minime deceant; statuimus ne monasteria nostra, neque etiam templa magnifica sint. Quae ut in omnibus provinciis ad eamdem formam uniformiter construantur stricte mandamus, ut ecclesiarum latitudo ad minus viginti quatuor, et ad summum viginti septem pedes habeat; (sumpta pedum mensura pro tertiae parte ulnae, quae communiter in Castellae regnis utimur) juxta quam in longitudine, et latitudine servetur artis proportio. In claustris ab uno pariete in alium non minus quinquaginta quinque, nec plus sexaginta pedibus longitudo sit: latitudo vero ambitus novem aut decem pedibus mensuretur, nec permittantur desuper alia claustra. Cellae non sint majores undecim pedibus per quadrum, nec minores decem, nec altiores octo, aut novem, exceptis illis, quae in valetudinario pro aegrotis dumtaxat construuntur; (quae in majoribus conventibus numerum octonarium non excedant, in minoribus vero cum proportione) in quibus praedictam mensuram excedere permittimus, dummodo ultra quatuordecim aut quindecim pedes in quadrum non extendatur. Dormitorii autem transitus in latitudine habeant quinque, vel sex pedes. Inferiores domus officinae altitudine protendantur usque ad undecimum pedem, vel duodecimum, ita ut conventus parietes, a pavimento claustri usque ad tectum viginti duobus pedibus non sint altiores nisi alias altius ratione arctitudinis situs erigi oporteat, ne eminentioribus saecularium aedibus pateant.

De interna domorum dispositione.

§. 168. 7. Hac igitur proportione servata, interiora domus judicio artificum disponantur. Deinceps vero conventus non aedificentur, aut opus aliquod notabile illorum fieri incipiat nisi praecedentibus artificum nostri ordinis delineamentis, in quibus illorum forma praescribatur, quam observari omnino praecipimus,

neque de ea quidquam mutetur, addator, vel minuatur sine expressa licentia patris generalis, aut de consensu ipsius artificis, et supposita approbationo communitatis per majorem partem suffragiorum, servata tamen in omnibus bujus coostitutionis mensura, sub poena suspensionis ab officio praelatis: subditis vero privatioois vocis et loci per quatuor monses; iis tamen, qui vocem oon habent alia poena proportionabilitet applicetor juxta gravitatem delicti. Neque opus aliquod notabile, cujus pretium sit ultra centum aureos, alicubi iocboetur, nisi do licentia definitorii provincialis in scriptis habita, et supposita communitatis conseosu. Semper conveotus nostri honesta, et competenti clausura muniantur; serventurque circa monasteriorum fundationes caetera, quae suis locis sunt definita.

CAPUT SECUNDUM

De receptione novitiorum, et de eorum instructione, ac professione.

De receptione novitiorum. §. 169. Quoniam ad religionis profectum plurimum refert, ut veoientes ad nos maxima cum discretiono recipiantur; in primis ordinamus, ut in unaquaque provincia tantum sit una domus pro novitiis instrueodis. Io qua si novitiorum numerus augeatur notabiliter, deputetur alia domus, ubi noviter recipiendi similiter instruaotur. Quod autem iotelligi nolumus de illis provinciis, in quibus quia ex diversis regnis constant duae pro novitiis recipiendis stabilitae fuerint domus.

De conventibus eligendis pro receptione novitiorum. §. 170. 2. Hi cooventus a provinciali in capitulo provinciali, de consensu sui definitorii in locis a saecularium consortio separatis eligantur. Electio vero semel facta praedictorum conventuum absqoe graviori causa non alterabitur.

De praelatis praeficiendis instructioni novitiorum. §. 171. 3. Cum in his domibus scopus principalis sit oovitiorum instructio, oportet ut omnes in eis ad hunc finem respiciant. Quaro elaborandum maxime est, ut tales praelati nis praeficiantur, qni prodentia, et regulari observantia praediti potissimom profectui novitiorum studeant. Inter alia vero cavere debent, no incoosulto magistro circa novitios, aut eorum directionem aliquid disponant, aut faciaot. Et praecipue ipsos magistros foveant, et suo fungi munere libere concedant, ne ab aliis despectui habeantur.

De magistro novitiorum. §. 172. 4. A capitulo provinciali eligatur novitiorum magister, qui spiritus fervore, scientia, et discretione, et aliis qualitatibus in nostris constitutionibus requisitis polleat, et qui suavitate, et severitate pro rerum, et personarum qualitate uti optime noscat; qui communes ordinis labores assidue possit subire; et denique qui perfectionis viam verbo, et exemplo valeat edocero. Et ut uniformitas in toto ordine servetur, statuimus, ut oovitiorum instroctio a religiono jam tradita io omnibus debitae executinni mandetor. Curent deinde praelati pro novitiorum monasteriis sacerdotes perfectioois, et regularis observantiae studiosos deputare, ut eorum exemplis, novitii spiritualiter aedificentur, qui nunquam cum novitiis loqoantur sub poena arbitrio prioris infligenda. Neque unquam novitii occupentur in officiis, quae cum saecularibus communicationem requirant.

De admittendis ad habitum induendum. §. 173. 5. Nemo ad habitum nostrum admittatur sine provincialis licentia, et absquo consensu majoris partis capituli ejus monasterii, in quo oovitii edocantor, et ante omnia recipiendorum spiritus probetur, an ex Deo sit: et a priore, a magistro, et ab alio seniore suae vocationis causa, et finis, et ao sit bonae indolis, docilis, et ad sufferendos ordinis labores robustus, exploretur diligenter. Quod ut exactius fiat praecipimus, ut antequam novitii ad habitum recipiantur, per unum mensem in monasterio degant, communitatis actus, et regularem observantiam probantes, et qui in ipso omnibus praestantes dignoscantur, minime a superioribus rejici valeant, et si ita sint paupertate oppressi, ut pro debitis novitiatus expensis nil ad monasterium possint conferre.

De aetate recipiendorum. §. 174. 6. Praeterea non recipiantur qui saltem decimum septimom annum non expleverint, neque qui quadragesimum excedant: quod si quis habeat conditiooes, quae manifeste defectum aetatis suppleant; postquam de eis definitorio provinciali constet cum eo dispensaro poterit adimpleto quinto decimo anno. Alterius ordinis noo militaris professi non recipiantur, nisi per capitulum generale: consideratisque prius suorum ordinum privilegiis, et facto prodenti examioo de causa sui transitus, (quia nou raro leviter fieri solet). Similiter non recipiantur in nostro ordine qui aliquo coutagioso morbo laborant, neque etiam

illi, qui semel recepti a noviliatu nostro, et cujuscumque ordinis regularis recesserunt, donec constet de causa recessus ex relatione, et peculiari informatione illius conventus in quo habitum prius habuerunt, et concurrentibus ad ejus admissionem duabus ex tribus partibus communitatis suffragiorum. Conjugati, altero conjuge in saeculo manente, et eunuchi similiter non admittantur, neque expositi, aut illegittimi, qui ex vero, et legitimo matrimonio non sunt procreati, aut quorum patrem, vel matrem constet fuisse illegittimos, nisi da licentia p. generalis, vel delinitorii. Dummodo tamen inter clericos non admittantur, nisi a legitima potestate dispensationem irregularitatis prius obtinuerint. Nati autem ex damnato concubitu nullatenus admittantur.

De iis, qui choro deputantur.

§. 175. 7. Nemo ex iis, qui choro deputantur, admittantur, nisi linguam latinam sciant, ita ut possint facultatem aliquam profiteri. Laici vero per definitorium generale, concurrentibus quatuor suffragiis ex quinque, vel sex ex septem, recipi poterunt: dummodo sint spectatae vitae, et apti ad labores manuum, aliaque ordinis obsequia, quibus ratione suae professionis deputantur, et quaternarium numerum non excedant pro qualibet provincia.

De decreto Sixti V. servando in receptione novitiorum.

§. 176. 8. Omnino in receptione novitiorum servetur decretum Sixti V. additis declarationibus, sive favoribus aliorum pontificum, et si qui deinceps addantur. Quare nullus recipiatur, nisi praecedente informatione, secundum praedictam Bullam Sixti V., factisque ante receptionem juxta praedictas apostolicas easdem ordinationes informationibus, aliisque omnibus secundum eas praestitis.

De notatis infamia non recipiendis.

§. 177. 9. Volentes autem omnia inconvenientia, quae evenire possunt, prudenter evitare, districto praecipimus, ne ii, vel quorum parentes aliqua notantur infamia, aut descendantes ex parentibus per sanctum inquisitionis officium punitis, sive a Judaeis, Saracenis, servis, haereticis, aut alterius sectae professoribus usque ad quartum gradum, vel ultra, si aliqua notentur infamia recipiantur. Et ut omnia praedicta serventur, antequam novitii ad habitum admittantur, quaeratur ab eis, an habeant aliquem defectum ex supradictis, ne postea si in aliquo deprehensi fuerint ad professionem admitti non debeant. Teneanturque praelati ante receptionem sufficientem de praedictis informationem facere sub poena privationis, vel suspensionis ab officio secundum qualitatem suae culpae. Si in aliqua vero provincia, vel regione, inspectis aliis circumstantiis, opus fuerit strictiora statuta super hoc adhibere; praecipimus, ut ea superiores severis poenis, aut censuris imponant. Et diligenter inquiratur, an novitii parentes ita sint paupertate oppressi, vel probabiliter timeatur, ne ita in posterum egeant, ut absque ejus subsidio vivere non possint, et in tali casu nequaquam recipiatur sub eadem poena.

De informationibus novitiorum sumendis.

§. 178. 10. Ut informationes novitiorum sufficienter et juridice fiant, et pontificum decreta integre adimpleantur, sequens forma servetur, et omnia haec inquirantur, scilicet.

Utrum sit bonis, et honestis moribus imbutus, et non facinoribus assuetus.

Item, an commiserit aliquod delictum, furtum scilicet, homicidiumve, alia similia, circa quae praecesserit infamia, vel facta fuerit judicialis inquisitio, vel propter illa fuerit judicialiter punitus, aut merito timeat, ne propterea in carcerem mittatur, et poenis condignis puniatur.

Item, an liber sit ab obligatione reddendi quaelibet ratiocinia, propter quae merito timeatur, post ejus ingressum, monasterium vel ordinem molestiam ullam passurum.

Item, an sit aere alieno supra vires suas gravatus.

Item, utrum habitum velit recipere cum vero animo Deo famulandi, et non animo fugiendi aliquod ex supradictis inconvenientibus.

Item, an tam ipsi, quam ejus parentes aliqua notentur infamia.

Item, an descendat ex parentibus, avis, et proavis (usque ad quartam generationem vel ultra, si infamia praecesserit) qui servitutem contraxerint, vel fuerint infecti aliqua secta Judaeorum, Saracenorum, haereticorum, aut aliqua alia damnata, vel etiam fuerint propter hoc per inquisitores haereticae pravitatis puniti, et condemnati.

Item, an sit ex legitimis parentibus natus, et procreatus.

Item, an ejus parentes sint oppressi egestate, vel probabiliter credatur quod postea egebunt ita, ut merito timeri possit, ne in religione existens aliquam perturbationem animi patiatur.

De examine testium.

§. 179. 11. Advertere tamen debent praelati, vel ii, qoi de eorum commissione praedicta inquirunt, quod debent interrogare testes de diuturna cognitione illius, de quo fit informatio, et de mudo quo praedicta omnia norunt, scilicet, vel ex crebra conversatione cum illo, vel ex notorietate, aut publicitate. Debent etiam bis interrogationibus alias addere, secundum jus commune requisitas, ut est aetas ipsius testis, et zelus justitiae quo suum dictum deponit ita, ut non ratione odii, amicitiae, vel inimicitiae, vel alicujus similis suum testimonium dicat. Et tandem diligenter curent, quod testes sint habiles ad testimonium dicendum, et non impediti aliquo juris impedimentu praemittendo ante omnia eorum juramentum, tamquam simpliciter necessarium in qualibet testium examinatione.

De examinatoribus.

§. 180. 12. In quolibet conventu novitiorum pro praedictis informationibus examinandis, tres deputentur examinatores, scilicet, prior, et magister novitiorum, et alius ex dignioribus a provinciali designatus, qui judicent de omnibus iis requisitis, rationemque fideliter reddant capitulo conventuali, quod libere pro suo arbitrio eorum receptionem per suffragia secreta consensum praebeat, aut deneget. Oneramusque conscentias tam examinatorum, quam conventualium, ut in approbatione novitiorum, tamquam in re magni ponderis, prudentia, zeloque religionis ducantur.

De bonis novitiorum.

§. 181. 13. Bona novitiorum, etiam ex eorum consensu, seu petitione a praelatis, neque in eleemosynas, neque alia ratione, aut titulo ante eorum professionem distribuantur, sub poena gravis culpae per tres dies.

De correctione novitiorum.

§. 182. 14. Nullius religiosorum novitiis aliquod injungat, vel eos audeat corrigere. Si quis vero in illis aliquid culpabile deprehenderit, praelato, aut magistro denunciet, vel in conventuali capitulo animadvertat.

De custodia novitiorum.

§. 183. 15. Novitii non ostendantur parentibus, consanguineis, vel aliis extraneis, neque cum eis loqui permittantur, nisi in aliquo casu gravi, et tunc de consilio sui magistri, et in ejus praesentia omnino fiat.

De professione novitiorum.

§. 184. 16. Novitii antequam professionem emittant, tribus vicibus conventuali capitulo proponantur, ut conventuales judicium faciant de eorum vita, moribus, et an digni sint professione, et nostrae sacrae congregationis consortio. Proponantur vero pro prima, et secunda vice, quarto quoque mense; pro tertia tamen duobus mensibus ante professionem, et pro qualibet earum approbentur, vel reprobentur a majori parte capituli; aequalibus vero suffragiis concurrentibus ab ordine expellantur, et approbatio vel reprobatio a capitulo facta in libro approbationum (qui in quolibet conventu penes magistrum novitiorum, aut in arca trium clavium servari debet) scribatur: et reprobatione facta novitius expellatur. Omnes autem receptiones, et novitiorum approbationes per secreta suffragia fieri debent. Quod si aliquando oporteat in aliquo gravi casu, ac raro capitulo rationem non reddere de causis ob quas novitius expelli debeat; tunc ille ex approbatione provincialis verbo aut scripto tradita, et cum consensu prioris, et magistri novitiorum dimitti poterit.

De eorum admissione post novitiatum.

§. 185. 17. Facta tertia novitiorum approbatione, elapsoque novitiatus integro anno, alio non interveniente impedimento, statim praecedente licentia provincialis, ad suam professionem admittantur a priore, subpriore, vel praesidente conventus, vel ab alio de eorum commissione. Ad majorem vero spiritualem eorum profectum praecipimus, ut omnes professi choro deputati, quousque sacerdotis munere fungantur, sub disciplina sint magistri novitiorum: et ubi non fuerit magister, sub potestate superioris, aut alterius senioris sacerdotis a provinciali deputati. Et ubi commode fieri potest, in dormitorio separato cum suo magistro maneant sub clave. Idem volumus in laicis, et in fratribus donatis per tres annos a sua prima professione observari. Sacerdotes vero, qui post sacerdotium habitum receperint emissa professione, per duos annos sub eadem disciplina permaneant.

De testimonio professionis in libro apposito apponendo.

§. 186. 18. Decernimus, ut professione jam facta statim in libro professionum apposito testimonio professionis, sequentia verba apponantur. *Facta informatione, et approbata juxta Bullas summorum pontificum;* et ibi subscribant ipse noviter professus, praelatus, magister novitiorum, et alii duo ex patribus qui professioni interfuere, ut sic testimonium praedictum, si aliquando oportuerit fidem integram faciat: praelatus vero qui neglexerit aliquid ex Bullis apostolicis poenas in eis impositas omnino luat. Et post professionem cujuscumque, ejus informationes comburantur.

De domo in qua professi sunt conservandi.

§. 187. 19. Noviter professi in eadem domo, ubi professionem emiserunt, et cum eodem magistro conversentur: et minime a provinciali sive a quovis alio praelato in alium conventum transferantur, etiamsi in aliis domibus numerus a nostris constitutionibus requisitus deficiat, sub poena suspensionis ab officio per unum mensem. Si autem necessitas urgeat eos transferendi, provincialibus maxime elaborandum est, ut eo deducantur, ubi spiritualibus exercitiis, et magistrorum ductu fruantur, ne virtus non irrigua arescat, ac fervor spiritus cito extinguatur. Quae ut commodius serventur statuimus, ut in quacumque provincia sit aliqua professis constituta domus, ubi hi, quos novitiorum monasterium non capit, aut etiam alii, judicio etiam provincialis, sicuti in novitiorum domo, instruantur a suo magistro.

Quod professi nisi post annum e monasterio in oppidum mittantur.

§. 188. 20. Praeterea nullus ante elapsum annum a sua professione, ulla ratione, sive titulo a monasterio in oppidum, sive alio, neque etiam, nisi duobus annis e sua professione elapsis, sive peractis in propriam patriam ubi conventus ordinis non est mittatur.

De correctione professis a provinciali facienda.

§. 189. 21. Si quis ex fratribus professis, occupationibus, sive aliis impedimentis ab exercitiis suae professionis, et aliorum fratrum divertatur; studeant provinciales eum ad aliquam novitiatus sive professorum domum reducere, ut resarcitis damnis in spiritu et oratione proficiat.

CAPUT TERTIUM

De receptione, et professione fratrum donatorum.

De receptione fratrum donatorum.

§. 190. 1. Fratres donati cum licentia provincialis, et consensu conventus, ubi recipiuntur, ac per secreta suffragia, sicut caeteri fratres admittantur, qui sint bonis moribus instructi, honestisque parentibus (saltem pro ministerio ad quod recipiuntur) nati. Ignoti vero, et qui integra valetudine, et viribus non praestant, aut qui decimum octavum annum non adimpleverint, atque ab una domo semel expulsi, aut si ipsi sponte recesserint, non admittantur, nisi prius constet de causa sui recessus ex informatione illius conventus in quo prius habitarunt.

De novitiatu donatorum.

§. 191. 2. Donati sint novitii per duos annos in quibus sexto quoque mense pro prima, et secunda vice capitulo proponantur: pro tertia vero et ultima duobus mensibus, antequam vota simplicia emittant, qui cum charitate, et diligenter in doctrina christiana, et in via mandatorum Dei, atque consiliorum ejus, in usu sacramentorum, et in aliis spiritualibus exercitiis convenienter per suum magistrum informentur: atque etiam qualiter se gerere debeant in sua vocatione, et ministerio. Et ut melius salubriusque instruantur, primis sex mensibus nulla ratione e monasteriis prodeant, et domi similiter per duos ultimos menses ante professionem maneant, usque dum habita informatione conventus, in quo tempore intermedio commorati sunt, expletoque biennio primam professionem emittant. Quae omnia, et singula sub poena gravis culpae per quinque dies observari praecipimus.

De informatione pro eis suscipienda.

§. 192. 3. Cum primum aliquis donatus recipitur, antequam admittatur ad habitum fiat juridica informatio, an habeat conditiones ex pontificum decretis requisitas in religiosis, quae servetur pro tempore suae professionis solemnis.

De admissione donatorum ad vota simplicia.

§. 193. 4. Donati in primo anno in alium conventum non mittantur. Post autem duos annos praedictos simplicia vota in manibus praelati superioris, vel praesidentis, aut alterius de eorum commissione, coram communitate, nullo saeculari praesente in hac forma emittant: *Ego N. promitto obedientiam, castitatem, paupertatem, Deo, et beatae Mariae de monte Carmelo, et reverendo patri nostro patri N. generali ordinis Discalceatorum Carmelitarum, ejusque successoribus, secundum formam praescriptam in constitutionibus ejusdem ordinis.* Haec vero simplicia vota talem volumus ei obligationem inducere, ut toto tempore, quo in ordine perseveraverint trinis votorum adstringantur vinculis, sicut, et alii: ita ut si ipsi ab ordine apostataverint a praedicta votorum obligatione non liberentur, teneanturque praelati eos, sicut et alios religiosos quaerere, ad gremium ordinis reducere, et apostatarum supplicio punire: ipsique teneantur ad regulae observantiam sicut caeteri religiosi. Ante hujusmodi simplicem professionem testamentum facient, quod nonnisi peracta professione solemni firmabitur. Si vero ob sua demerita ab ordine fuerint expulsi, p. generalis, si expediens ei videatur, a praedicta votorum obligatione eos possit absolvere. Expelli autem non pos-

sunt, nisi processus formetur, rationes audiant, et ipsi audiantur, ut secundum jus feratur in eos sententia. Judices autem hujus expulsionis sint prior, et clavarii conventus, qui in scriptis judicium suum provinciali exhibeant, ut hic juxta pluralitatem suffragiorum sententiam prenonciet.

De secunda donatorum probatione.

§. 194. 5. Fratres autem donati qui quinque annis in religione laudabiliter fuerint conservati, ad eorum devotam petitionem, cum licentia provincialis, et consensu conventus, per secreta suffragia exhibito, ad secundam approbationem admittantur, in qua per integrum annum permaneant, et in eo tribus vicibus sicut alii novitii, conventui proponantur, ut ab eo approbentur, vel reprobentur. Et ut commodius Deo vacare, et ad professionem se praeparare possint, initio anni approbationis per unum mensem, in ipsius fine per duos dome non egrediantur, neque tote hoc anno mittantur ab uno conventu in alium. Quando vere mitti in alium conventum contingat, prier demus unde exeunt judicium suae communitatis de vita, et moribus donatorum exeuntium, per vota secreta exquirat, de quo priorem domus, ad quam teodunt certiorem debita authenticitate reddat. Quod si antea in aliis fuerint commorati, ante eorum professionem ab illis conventibus, et eorum superioribus omni diligentia inquirant praelati qualiter ibi se gesserint. Neque ante solemnem professionem suffragium, aut vocem in visitationibus ferent.

De professione donatorum.

§. 195. 6. Quibus omnibus praestitis de licentia patris generalis vel definitorii professionem emittant, ex quo pallio, aut caputio albis, sicut alii religiosi induantur ex bulla ss. Benedicti XIV. et facta professione neque expelli ab ordine poterunt, neque ad alium transire sicut nec caeteri religiosi, ipsos enim vere, et proprie religiosos fuisse, et esse religio censuit, et censet; et sanctissimus dominus noster Urbanus pp. VIII. per suas literas apostolicas in forma Brevis declaravit. Quae omnia, et singula stricte praecipimus a praelatis observari, defectusque circa praedicta severe corripiantur.

De fratribus donatis non admissis ad professionem.

§. 196. 7. Fratres donati, qui transacto sexennio non fuerint ad probationem, vel professionem solemnem admissi, in sua vocatione, et trium simplicium votorum obligatione, sicut antea, permaneant. Neque iterum ad approbationem admittantur, nisi petente definitorio provinciae, p. generalis, vel definiterium generale licentiam praebuerit.

De non recipiendis pro monasteriis monialium.

§. 197. 8. Pro monialium monasteriis deinceps nullus recipiatur ad habitum donatorum, neque in earum conventibus deserviat, aut sub earum disciplina possit commorari. Neque etiam habeant in aliquo conventu donatas. Neque in hoc praelatus aliquis quamtumvis superior possit dispensare.

De devotis mulieribus, vulgo beatis, non recipiendis.

§. 198. 9. Devotae mulieres, et honestae (quae vulgo dicuntur beatae) nullo modo recipiantur ad habitum nostrae religionis: nec votum simplex, aut solemne sub nostra obedientia et protectione emittant. Quod si secus fiat, recipiens puniatur poena privationis ab officie.

CAPUT QUARTUM

De sacrarum literarum studiis.

§. 1.

De collegiis ad haec studia designandis, et de praelatis eis praeficiendis.

De collegiis studiorum.

§. 199. 1. Cum ignorantiam errorum matrem esse, et cujuslibet status ruinam, omnes agnoscant, facile apparet quanta sit sacrarum literarum studii necessitas, ne ii, qui ad sacras confessiones audiendas, et concionibus populum edocendum ex sua professione adstricti sunt in errores labantur.

De numero collegiorum.

§. 200. 2. Idcirco ergo statuimus, ut in qualibet provincia nostri ordinis tria sint collegia, sive studiorum domus, quarum una sit philosophiae lectioni dicata, altera theologiae scholasticae, et expositivae, tertiaque theologiae morali, sacrisque canonibus excolendis dedita. Domus istae, seu collegia a capitule provinciali deputabuntur, ut in eis per praefata studia illaesa regularis disciplinae observantia, nostris, et proximis nostris opem ad salutem feramus.

De rectoribus collegiorum.

§. 201. 3. In his tribus scientiarum maxime curandum est, ut rectores, sive priores docti in literis versati, adeoque doctrina, et prudentia praestantes praeficiantur, ut gubernationi domus, lectionibus, ac scholasticis exer-

citiis modum praescribere valeant, et literarum studium cum pietatis ardore et regularis observantiae zelo conciliantes doctrinam in omnibus pariter, et exemplum praeseferant.

De designandis ad studium philosophiae.

§. 202. 4. De triennio in triennium provincialis cum suo definitorio tempore capituli scholasticos designabit bonis moribus, salute, et ingenio praeditos, qui collegium philosophiae adire debent, ut ibi per integrum triennium philosophicis disciplinis dediti omnino degant. Nullatenusque illuc mittantur quibus aliquid ex praedictis defuerit sub poena gravis culpae per quinque dies. Haec studentium designatio fiet, servato antiquitatis ordine a professione computandae, qui nulla ratione invertatur. Definitoresque secus facientes a successoribus privatione vocis, et loci per tres menses puniantur. Si quis vero sit aetate provectus et ante religionis ingressum in philosophicis facultatibus satis instructus, poterit antiquioribus praeferri, et prae aliis ad collegium mitti; immo si aequum definitorio videatur, poterit, philosophiae curriculo omnino praetermisso, ad theologiae collegium transferri.

De admittendis ad collegium theologiae scholasticae.

§. 203. 5. Transacto integro triennio, omnes qui peracto examine habiles inveniuntur ad theologiae scholasticae collegium pertranseant, ut per alios tres integros annos disciplinis theologicis pro dicto collegio in instructione studiorum designatis operam praestent. Inde ad collegium ad addiscendam morum theologiam, et sacros canones designatum transferentur, ubi per alios tres annos integros necessario huic scientiae penitus vacent, quin usque dictum tempus finitum valeant alio distrahi, nec in confessionibus excipiendis, aut praedicationis ministerio occupari.

De orationis assiduitate, cum studio copulanda.

§. 204. 6. Cavendum tamen est, ne scholastici orationis assiduitatem, et animi modestiam studiorum occasione praetermittant; sed ita unum alteri annectatur, ut emolumento sibi invicem esse possint; studeantque diligenter constitutiones, maxime ad vitam communem spectantes (exceptis iis quae in hoc capite peculiariter pro collegiis adnotantur) omni cura observare.

De aliis ministeriis conventuum.

§. 205. 7. Praeter rectorem, aut priorem, et superiorem sint in collegiis alii conventuales, tam pro communibus conventus ministeriis, quam pro confessionum, et praedicationis munere exercendo, ut scholastici studiis tantummodo vacent.

§. II.

De disciplina regulari in collegiis servanda.

De disciplina regulari in collegiis servanda.

§. 206. 1. Cum praecipuus collegiorum scopus sit literarum studium, aliter in eis, quam in aliis conventibus oportet communitatis actus distribuere, ut commodior studentibus ad munus suum implendum aditus pateat. Ideoque statuimus, ut in his tribus collegiis eadem sit regularis observantia, tam communium toti ordini constitutionum, quam peculiarium, quae pro ipsis hic designantur.

De oratione matutina.

§. 207. 2. Oratio matutina in eis omni tempore habeatur hora quinta, eaque finita statim recitentur quatuor divini officii horae minores; praeterquam prima in vigilia Nativitatis, tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis quae hora consueta canentur. Missa nunquam in collegiis canatur, nisi in dominicis, et festivis diebus, in solemnitatibus primae classis nostri ordinis (excepta dedicatione ecclesiae) in die titularis collegii, in feria quarta Cinerum; in triduo majoris hebdomadae, in commemoratione solemni defunctorum, in nocte Nativitatis Domini, matutino antea persoluto, hora duodecima missa canenda est, et singulis annis sabathis missa solemnis beatissimae virginis Mariae, quam in omnibus collegiis, sicut in aliis ordinis conventibus cani decernimus, nisi in sabatho occurrat solemnitas, in qua alia missa cani debeat; tunc enim missam diei canere sufficiet, quin ad duas canendas collegia teneantur. Prandium omni tempore fiet hora undecima cum dimidia.

De recitatione vesperarum.

§. 208. 3. Vesperae tempore cursus hora secunda, et extra illud secunda cum dimidia recitentur praeterquam in quadragesima, in qua dicentur ante prandium. Canentur autem primae, et secundae vesperae tribus primis diebus Natalis Domini, et aliis tribus Paschae, et Pentecostes, in Epiphania, Ascensione Domini, et festo corporis Christi, in Assumptione Deiparae, diebus sancti Joannis Baptistae, sanctorum Petri, et Pauli, et festivitate omnium sanctorum, nec non in commemoratione solemni sanctissimae matris nostrae Mariae de Monte Carmelo, in diebus parentum nostrorum sancti Joseph, et ejus patrocinii, sancti Eliae, sanctae Theresiae, et sancti Joannis a

Cruce, ac denique in festo titularis collegii. In reliquis autem diebus primae classis (excepta dedicatione ecclesiae in qua nil canitur) secundae tantum vesperae cum cantu fiant, et idem observetur in solemnitatibus secundae classis si in die festo incidant. Si vero praedictae festivitates in propria, aut designata die non celebrentur, nec missa, nec vesperae cani debent.

De antiphona beatae Mariae Virginis.

§. 209. 4. Singulis diebus canetur antiphona beatae virginis Mariae post completorium, sicut in aliis conventibus: item matutinum, et laudes cum cantu persolventur in nocte Nativitatis Domini, in Epiphania, in Circumcisione, in triduo majoris hebdomadae, in primis diebus Paschae, et Pentecostes, in Ascensione, in festo corporis Christi, in solemnitate virginis, et matris nostrae Mariae de Monte Carmelo, in Assumptione ejusdem beatissimae virginis, in festo sancti Bartholomaei, S. P. N. Joseph, sancti Eliae, sanctae matris nostrae Theresiae, S. P. N. Joannis a Cruce, et Conceptionis beatae virginis Mariae, eo tempore quo pro aliis conventibus in bis constitutionibus nostris canenda esse decernitur.

De oratione mentali.

§. 210. 5. Oratio mentalis vespertina a die sancti Hieronymi usque ad Resurrectionem habeatur hora quinta usque ad sextam; a Resurrectione autem, et deinceps a sexta usque ad septimam. Completorium a die sancti Hieronymi usque ad Resurrectionem Domini, exceptis diebus recreationis dicetur immediate post orationem, et postea per duas horas studio omnes vacabunt: finitoque studio, matutinum, et conscientiae examen persolvent, quibus absolutis refectiunculam sument.

De ultimo communitatis actu.

§. 211. 6. In diebus recreationis tempore cursus, et aliis a Resurrectione usque ad sanctum Hieronymum, finita oratione vespertina res ita disponentur, ut ultimus communitatis actus sit coena, aut refectiuncula, exceptis diebus, quibus coena sumitur extra refectorium, in quibus dicetur completorium post coenam, et matutinum tunc dicetur juxta provinciarum morem ad arbitrium prioris, et primi lectoris, qui diligentissime curent, ne studii tempus rebus inutilibus, ac otio insumant. Studiorum exercitia incipient in collegiis a die sancti Hieronymi, et finientur in vigilia Pentecostes; quin per hoc intelligatur quod collegiales exituri sint a collegiis respectivis non transacto integro triennio.

De tempore vacationum.

§. 212. 7. Tempore vacationum omnes lectores in suis respectivis collegiis permaneant, ut discipulos in aliquibus studiorum exercitiis ad arbitrium prioris quotidie exerceant; et nullatenus, nisi necessitas, aut provinciarum usus aliud ad arbitrium provincialis exegerit, et de ejus licentia in alios provinciae conventus lectores, et collegiales mittantur. Quando autem id necessum fuerit, conventus ad quem mittuntur vita, et regulari collegiorum disciplina fruatur.

De collegialibus e domo exeuntibus.

§. 213. 8. Collegiales e domo non exeant nisi cum rectore, vel pro literarum exercitiis, aut pro concione audienda, nec non otii gratia in agrum mittuntur, quod duodecim vicibus intra annum fieri indulgemus, idemque in conventibus, ubi vacationum tempore degunt proportione debita observabitur.

§. III.

De lectoribus, et literarum exercitiis in collegiis adhibendis.

De lectoribus.

§. 214. 1. Pro collegiis omnibus designentur lectores a definitorio provinciali, peracta prius coram ipso oppositione juxta formam in §. VI. hujus capitis stabilitam, qui literis, et virtutibus possint caeteros edocere, et omnibus inspectis digniores ex oppositoribus judicentur, quin umquam respectus ad collegia, aut nationes; sed ad solam condignitatem habeatur, super quod conscientias provincialis, et definitorum graviter oneramus.

De eorum numero.

§. 215. 2. Pro singulis philosophiae collegiis unus deputetur lector, qui quotidie, exceptis diebus festis per horam cum dimidia mane, et per aliam horam cum dimidia vespere ad gymnasium docturus discipulos accedet, ita ut primam horam matutinam in audienda, et explicanda lectione perficiat, et per aliam dimidiam discipuli, lectore praesente, in repetenda lectione, et dubiis preponendis, ac resolvendis exerceantur, servato in hora cum dimidia vespertina eodem ordine, eademque methodo, et occupatione.

De tempore lectionum signo campanae nunciando.

§. 216. 3. Ad has lectiones habendas conveniant lector, et discipuli ad signum campanae, quod mane fiet hora in singulis provinciis assueta, aut priori, et lectori bene visa; vespere autem hora tertia. Curent lectores, ut tempore lectionum, et conferentiae januae gym-

nasii ita pateant, ut videri, et audiri possint ab omnibus, nec scholasticos permittant alio tunc tempore distrahi, nec de aliis, quam de studiis loqui, et si aliter fecerint, tam lector, quam discipuli a priore graviter corripiantur.

De conclusionibus defendendis.

§. 217. 4. Praeter dicta literarum exercitia, conclusiones more solito in collegiis philosophiae defendantur, quae ab hora tertia postmeridiana usque ad sextam perdurent, eisque omnes religiosi choristae omnino intersint. Laici autem, aut quilibet alius, qui justa de causa, et de praelati venia, eis adesse nequeat, vespertinae orationi per integram horam in choro interesse teneantur. Theses ergo hujusmodi, sive conclusiones habeantur die dominica, aut alia ad arbitrium prioris, et lectoris semel in singulis hebdomadis Adventus, et a dominica prima post Epiphaniam usque ad infra octavam Ascensionis, exceptis hebdomadis, quinquagesima, quarta quadragesimae, Palmarum, Paschatis, et in Albis. Per totum primi anni Adventum in collegiis philosophiae omittantur conclusiones ita, ut eo anno a dominica prima post Epiphaniam incipiant haberi.

De exclusione saecularium in defensione conclusionum.

§. 218. 5. Conclusiones, et actus publici cum interventu saecularium nunquam apud nos defendantur; permittimus tamen, ut quatuor, aut sex religiosi aliorum ordinum, et duo aut tres personae graves saeculares conclusionibus nostris intersint. At ad studia quotidiana artium, vel theologiae in nostris domibus nullatenus admittantur, neque lectores, aut alii religiosi nostri in actibus publicis argumententur.

De sententiis amplectendis in quolibet studio.

§. 219. 6. Grammatica in collegiis, vel in aliis conventibus nunquam pro saecularibus doceatur. Studeant philosophiae lectores, ne inutilibus, et postea delendis opinionibus operam perdant, sed communes, et sacrae theologiae utiliores sententias amplectantur. Quod ut aptius fiat, tam in logica, quam in physica, et metaphysica, doctrinae sancti Thomae ita fideliter adhaereant, ut contra sancti doctoris opiniones nihil affirment, aut discipulos edoceant. Nullo modo in artium collegiis scholastici scribant, dictante lectore; sed iste discipulis praeleget auctorem Thomistam juxta novam methodum studiorum jam designatam a qua nunquam recedet, curabitque in triennii decurso, quando aptius ipsi videatur, rethoricam venerabilis fratris Ludovici Granatensis discipulis addiscendam tradere, et explicare.

De lectoribus pro collegio theologiae scholasticae deputandis.

§. 220. 7. Pro theologiae scholasticae collegio tres lectores a definitorio provinciali supposita oppositione designentur, quorum non modo ingenium, ac doctrinam, sed potissimum verae virtutis integritas spectabitur, ut caeteros ad salutem possint erudire. Horum duo theologiam scholasticam edocendum assument, tertii autem munus erit sacram Scripturam exponere, qui omnes operam dabunt, ut novitates fugiant, a sanctorum patrum doctrina nunquam recedant, et sanctum Thomam, tam in philosophicis, quam in theologicis, et in exponendis Scripturis omnino sequantur, et discipulos sequi procurent; sin minus officio lectorum priventur.

De divisione munerum inter lectores.

§. 221. 8. Duo scholasticae theologiae lectores summam d. Thomae inter se discipulos docendum divident, eam legent, et memoriter discendam, sequendamque tradent, necdum quoad sensum, sed etiam quoad literam, ita ut, si fieri potest, integrum angelici doctoris textum memoriae discipuli commendent, ejusque loquendi modo, stylo, ac verbis assuefiant.

Monitum ad lectorem sacrae Scripturae.

§. 222. 9. Lectori scripturae stricte injungimus, quod sacra Tridentina synodus ad coercenda petulantia ingenia sessione quarta super hac re decernit: ne scilicet, *suae prudentiae innixus* in rebus fidei, et morum sacram Scripturam ad suos sensus contorquens contra eum sensum, quem tenuit, et tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, aut etiam contra unanimem sensum patrum ipsam sacram Scripturam *interpretari audeat.* Quod ut exacte servet praecipimus, ut praeludia biblica per enchiridionem scripturisticum N. Didaci a sancto Antonio discipulis exponat, et loca theologica Melchioris Cani eis addiscenda tradat, legat, et explicet, servatis aliis quae in instructione studiorum eis praescribuntur.

De exercitiis literarum habendis in quolibet collegio.

§. 223. 10. In collegio scholastico exercitia literarum quotidiana tempore cursus, exceptis diebus festis, habeantur mane per duas horas cum quadrante hoc modo distributas: primus theologiae lector per integram horam lectionem tradet: postea lector Scripturae per tres horae quadrantes suam lectionem faciet, et deinceps per dimidiam horam scholastici in datis lectionibus exerceantur: cui aliquis ex lectoribus,

qui conclusionibus non praeest semper intersit, duobus aliis ad id inter se convenientibus.

De pulsatione campanae pro exercitiis literarum inchoandis, vel absolvendis.

§. 224. 11. Vespere secundus theologiae lector integram lectionis horam impleat, et postea per unam horam scholastici cum lectore conclusionum praeside, inibi exerceantur. Ad exercitia matutina pulsatio campanae fiet hora in singulis provinciis assueta ad arbitrium prioris, et lectoris; vespere semper uno ante horam tertiam quadrante pulsabitur. Conclusiones habeantur singulis hebdomadis sicut de collegiis philosophiae dictum est, incipiendo semper a dominica prima Adventus, quibus tres dicti lectores alternatim omnino praesidebunt.

De ordine, et forma regularis disciplinae in collegio theologiae moralis.

§. 225. 12. In collegio theologiae moralis idem ordo, et forma regularis disciplinae, ac in caeteris collegiis omnino, et indifferenter servetur; sintque in eo, sicut in collegio scholastico, tres lectores a definitorio provinciali per oppositionem eligendi, quorum duo primi morum theologiam saniorem, juxta formam in nova studiorum methodo jam praescriptam doceant, et tertius sacris canonibus exponendis per institutiones instructione studiorum assignandas incumbat. Qui omnes doctrinam sanctorum patrum, et praecipue d. Thomae in omnibus tradere, et opiniones probabiliores a probabilismo penitus remoti, semper sequi, et docere curabunt.

De exercitiis literarum, et conclusionibus.

§. 226. 13. Exercitia literarum, et conclusiones eadem hora, tempore, et ordine in eo habeantur, ac in collegio theologiae scholasticae, ita ut quod ibi faciunt duo scholasticae lectores, hic duo theologiae moralis lectores exequi debeant, et quod ibi lector Scripturae, faciat hic lector canonum sub forma, et ordine in nova methodo, et instructione studiorum praescriptis. Et insuper in ultimo anno omnes collegiales in munere praedicationis in choro, vel in refectorio exerceantur.

De onere lectorum interessendi orationi mentali.

§. 227. 14. Lectores omnes interesse teneantur orationi mentali tam matutinae, quam vespertinae, examini conscientiae, disciplinae, communi mensae, recreationi, capitulis, processionibus, officiis, tridui majoris hebdomadae. Salve omnibus diebus, in quibus in obsequium beatissimae virginis solemniter canendae, et matutinis in festivitatibus primae classis Domini Nostri, et beatissimae virginis, in tribus diebus paschatum, Nativitatis, Resurrectionis, et Pentecostes, in tota octava sanctissimi corporis Christi, nec non sanctorum parentum nostrorum Eliae, Joseph, ejusque patrocinii, Theresiae, Joannis a Cruce, et sancti Bartholomaei; item primis, et secundis vesperis dictarum festivitatum, et in omnibus diebus festivis, qui conclusionibus non praesunt vesperis, et missae conventuali. A reliquis vero communitatis oneribus (praeter officia verrendi, vasa mensae abstergendi, et humilitatis) praecise ratione suae occupationis accusatos volumus lectores.

De exclusione privilegiorum inter religiosos.

§. 228. 15. Districte prohibemus ne aliquis religiosus alicui cathedrae se opponat, cujuscumque facultatis sit, aut eum regat, vel pro aliis substituat, nec suffragium in illa ferat, neque possit aliquo gradu praesentati, magistri, aut alio quocumque titulo majori, vel minori laureari, neque ulla ratione possit studiorum causa, aut horum graduum, si forte aliquem ante susceptionem habitus fuisset adeptus, aliqua exemptione, libertate, aut privilegio gaudere; sed omnes communem, ac regularem vitam in omnibus pariter sequantur, sub poena in aliquo praedictorum deficientibus privationis vocis, et loci, et officii in perpetuum.

De dignitatibus non acceptandis.

§. 229. 16. Sub eadem poena interdicimus, ne religiosus aliquis sive praelatus absque licentia definitorii generalis, sive subditus sit, acceptare audeat extra ordinem dignitates episcopi, consultoris s. officii, aut alias quascumque ad instar Bullae Alexandri VII. hac de re editae 7. julii 1673. Declaramus tamen in hac prohibitione munus examinatoris synodalis non comprehendi.

§. IV.

De vicelectoribus, sive studentium magistris; et de collegiorum candidatis, qui vulgo Passantes dicuntur.

De electione et munere magistrorum.

§. 230. 1. Ne stabilita in collegiis literarum exercitia de facili interrumpi queant, atque studiorum profectui in eis plenius consulatur, statuimus, ut definitorium provinciale immediate post capitulum eligat, et disponat pro singulis collegiis unum religiosum ex iis qui studiorum curriculum laudabiliter compleverunt, literis, et virtute adeo praestantem, ut alios erudiendi dignus probetur, et studentium magister esse, et dici mereatur. Magistri hujus munus praecipuum sit lectoris, aut lectorum

in suo respectivo collegio absentias supplere, vices gerere, omniaque exequi quae lector, aut lectores, si adessent, jure exequi tenerentur. Qui philosophiae collegio, in quo unus tantum adest lector, praefigitur, ut ei in labore levamini sit, nec dum lectoris absentias implere teneatur, sed insuper singulis annis quatuor hebdomadariis conclusionibus praesidebit. In aliis vero collegiis, in quibus tres sunt lectores, quorum vices gerere debet, sat erit, si eorum absentias exacte, ut par est, penitus impleat. Quamdiu studentium magister lectoris vices gerit, et in hebdomada, qua conclusionibus praeest, lectoris exemptionibus gaudeat, sin aliter cunctis communitatis actibus, sicut caeteri conventuales interesse teneatur.

De scholaribus candidatis vulgo passantibus.

§. 231. 2. Ut studiorum zelus, et sacrarum literarum amor magis magisque in dies aemulatione plurium se invicem exercentium augeantur, decernimus, ut ultra lectores, et magistrum studentium in quolibet ex tribus collegiis sint alii duo scholares candidati (vulgo passantes dicti) qui lectoribus, et magistro studentium auxilio, et studentibus stimulo, et exemplo esse possint, et debeant.

Idem ut supra.

§. 232. 3. In fine ergo triennii collegii moralis, p. provincialis, prior, et tres illius lectores peracto examine omnium scholasticorum inibi existentium, de illis quos scientia, et virtute praestantiores omnino digniores, et ad alios in posterum edocendos aptiores invenerint, per secreta suffragia eligent; quos sic electos per iterata suffragia destinabunt duos ad moralis, duos ad theologiae scholasticae, duosque ad artium collegium mittendos, qui per triennium in muneribus et literarum exercitiis statim designandis occupentur.

Monitum ad electos.

§. 233. 4. Sciant tamen quod quamvis illuc ducantur, ut literis vacent, debent tamen in omnibus absque ulla exceptione, sicut alii collegii conventuales vitam regularem servare, nisi conclusionibus praesint, vel pro lectore suppleant; tunc enim prior tempus ad haec munera explenda conveniens eis concedet. Et licet exercitiis quotidianis assistere non teneantur; quaestiones tamen collegialibus lectas debent inter se conferre, et discutere, ut studentium dubiis respondeant, et in thesibus de more habendis arguere possint, ut decet.

De designatis pro collegio artium.

§. 234. 5. Designati pro artium collegio bis singulis annis conclusionibus praesint; qui vero in collegiis theologiae scholasticae, et moralis degunt, semel in unoquoque anno eas defendent, et ulterius omnes quatuor summam angelici doctoris defendendam ita inter se divident, ut in collegio scholastico unus primam partem, alius primam secundae, et in collegio morali, unus secundam secundae, et alius tertiam partem semel saltem in triennio coram omnibus propugnent, modo in instructionibus stabiliendo.

§. V.

De aliis ad studentes spectantibus.

De periculo faciendo a singulis studentibus.

§. 235. 1. Quotannis in omnibus collegiis exactissimum de singulorum studentium profecto periculum fiat a provinciali, priore, et lectore in artium collegio, et in aliis duobus a provinciali, et priore, et tribus uniuscujusque lectoribus, qui per secreta suffragia de eorum idoneitate decernant, et si aliqui fuerint inventi; de quibus ob defectum virtutis, observantiae, bonae valetudinis, literarum, aut cujuscumque alterius causae non speratur debitus in ordine profectus statim a collegio removeantur, et qui semel per secreta examinatorum suffragia fuit expulsus, nunquam in ullo ordinis collegio ad studia admittatur, nisi prius causas, ob quas examinatores ei studia denegarunt cessare sufficienter constiterit.

De iis, qui indigni approbatione reperti sunt.

§. 236. 2. Dum in examine, quod fit tertio anno collegii moralis inveniatur aliquis, qui quia remissius in studiis se gessit approbatione censetur indignus; si de illius profectu spes aliqua sit, poterit cum eo dispensari, ut per alium annum in collegio degat moralis theologiae studium prosequens, et omnibus aliorum scholasticorum exercitiis penitus adstrictus.

De admittendis ad collegia moralia.

§. 237. 3. Et quia morum scientia est valide necessaria, nec facile inveniri poterunt, qui theologiae scholasticae adjumento destituti, sufficienter, secure, et cum religionis laude, Ecclesiae sacramenta fructuose administrare possint, volumus, ut ad morale collegium nullus scholastica doctrina non instructus mittatur, nisi in aliquo casu raro, et extraordinario, quando scilicet aliquis aetate provectus, prudentia praeditus, alicujus scientiae principiis instructus, et ejus idoneitate jampridem probatus, professionem nostram emiserit; tunc enim inspecta materiae gravitate, praedictisque omnibus optime notis, si provincialis, et

prior conventus ubi hujusmodi religiosus commoratur, aptum, et idoneum judicaverint, praemissorum informatione peracta, eum ad patrem generalem mittent, cujus omnino erit hujus negotii judicium: nec aliter quisquam ad audiendas confessiones possit a praelatis approbari.

De poenis contra exercitantes officia saecularium.

§. 238. 4. Praeterea mandamus, et cum rigore praecipimus, ne religiosi saecularium favoribus, studia, ordines, conventualitates, officia, aut quidquam aliud procurent, sub poena inabilitationis, et privationis eorum; quae saecularium favore consequi desiderant, quam constitutionem volumus a praelatis summa cura observari.

De studio, et corona non concedenda choro non deputatis.

§. 239. 5. Fratribus vero choro non deputatis studium, aut corona nunquam ab aliquo praelato concedatur, nec definitorium possit super hoc dispensare.

De oratione, et assiduitate literarum copulanda.

§. 240. 6. Denique ne scholastici ab orationis, et literarum assiduitate, vel minime divertant, statuimus, ut collegiales, durante studiorum curriculo, et donec theologiae moralis studio finem imponant, voce careant activá in iis omnibus, quae a collegiorum communitatibus per secreta suffragia deliberanda sunt, quin per hoc ab officio zelatoris, vel facultate advertendi in capitulos, et visitationibus maneant exclusi.

§. VI.

De literariis oppositionibus ad lectorum lectiones praemittendis.

De forma electionis lectorum.

§. 241. 1. Quoniam probus rectusque magistrorum delectus origo est cujuslibet status felicitatis, sicut prava eorum electio professionum omnium inevitabilis ruina, ne nos qui a male divertere, et bonum facere tot tantisque oraculis edocemur in re hujusmodi momenti ignoranter errare, haud semel contingat, statuimus, ut nemo deinceps in nostro ordine in lectoris officium nisi praevia oppositione seu literaria exercitatione eligatur.

De electionibus ab definitorio provinciali faciendis.

§. 242. 2. Omnium lectorum electiones a definitorio provinciali fieri debere decrevimus, cujus erit immediate post capitulum, conventum, ad oppositiones pro lectoribus vacantibus faciendas, et diem quo oppositores conveniant per epistolam encyclicam designare.

De modo faciendi oppositiones.

§. 243. 3. Oppositiones ergo hac ratione fient. Statuto die definitorium ex summa theologica d. Thomae tot seliget quaestiones, quot sint oppositores, quae in totidem schedulis scriptae, et plicatae in quoddam vas aut urnam mittantur. Rebus sic paratis, vocatus accedet unus ex oppositoribus, qui ex vase schedulam extrahet, eamque aperiendam, et legendam tradet definitoribus, a quibus quaestionem sorte sibi obtentam agnoscens, elapsis viginti quatuor horis eam coram definitorio (invocato prius Dei nomine, sed inutilibus praefationibus, et ambagibus praetermissis) exponet, distribuet, et probabit per dimidiae horae spatium. Lectione finita duo competitores a definitorio designati contra quemlibet ex articulis propositae quaestionis argumentum, singuli per dimidiam horam tantum proponent, cui ipse intra idem temporis spatium pro modulo suo satisfaciet. Quod idem a caeteris fiet oppositoribus.

De examine subeundo.

§. 244. 4. His peractis exercitiis seorsim coram definitorio singuli oppositorum examen subibunt, in quo unusquisque per unam horam interrogationibus, et dubiis (circa omnes materias, quae in collegiis nostris versantur) ab examinatoribus propositis satisfaciant. Quibus expletis, qui prae caeteris digniores, inspectis omnibus coram Deo judicantur, eligantur in lectores, et per collegia distribuantur ad arbitrium, et judicium definitorii. Semel in lectorem electus nova non indiget oppositione, ut ad idem munus in alia facultate exercendum a definitorio destinetur.

De novis electionibus.

§. 245. 5. Si intra triennium aliquis ex lectoribus defecerit, eligetur alius a definitorio ex iis, qui in ultimis oppositionibus maiorem censuram meruit, et dignior aestimatur.

De jure magistrorum, et candidatorum unterveniendi oppositionibus.

§. 246. 6. Declaramus, quod omnes magistri studentium, et scholares candidati actuales (vulgo passantes) jus habeant, ut oppositionibus intersint, et qui his officiis functi jam fuere admitti poterunt ad arbitrium definitorii. Si autem aliquis, qui studiorum curriculum laudabiliter perfecit, quamvis, nec magister studentium, nec candidatus extiterit ad oppositiones accedere praetendat, poterit etiam a definitorio admitti.

CAPUT QUINTUM

De lectione casuum conscientiae.

De electione casuum conscientiae.

§. 247. 1. Jampridem juxta concilii Tridentini, et sanctorum pontificum decreta in

conventibus nostris habita est conferentia moralis, seu lectio casuum conscientiae; ut autem haec laudabilis praxis, et formandis confessoribus valde necessaria in dies augeatur, magisque perficiatur, statuimus ut definitorium provinciale nominet, et designet ad singulos suae provinciae conventus, exceptis collegio morali, et eremo, unum religiosum prudentem, et in morum scientia versatum, qui moralibus conferentiis praesit, dubia inibi occurrentia explicet, et juxta sanctorum patrum, praecipue d. Thomae mentem, et saniores probabilioresque resolvat. In collegio autem theologiae moralis unus ex lectoribus alternatim qualibet septimana extra cursus tempus huic conferentiae eodem modo adstantibus omnibus tam scholasticis, quam conventualibus praeerit.

De conferentiis habendis.

§. 248. 2. Conferentiae hujusmodi habeantur per horam, et dimidiam semel in hebdomada, exceptis hebdomada majori, nativitatis Domini, et Epiphaniae, Resurrectionis, et Pentecostes, et in duabus quas complectitur octava sanctissimi corporis Christi. Huic conferentiae interesse debent omnes religiosi choristae, etiamsi praelati superiores antea fuerint, super quod praelatus magnam curam habeat.

De materia conferentiarum.

§. 249. 3. Materia conferentiae erit unus casus practicus talibus circumstantiis instructus ut pro ejus resolutione necesse sit plures morum controversias in trutinam adducere, et varias doctrinas in memoriam revocare. Ne autem hoc perfunctorie exequatur p. provincialis in initio officii collectionem casuum conscientiae, vel per se, vel per alium faciet, quos semper per omnes provinciae conventus singulis annis distribuet, ut de illis, et non aliis in conferentiis agatur, et in visitationibus peculiarem de hoc rationem exquirat. Teneaturque praesidens, aut lector casuum per aliquot ante disceptationem dies casum examinandum publico in loco scriptum appendere, ut ab omnibus videatur.

De explicatione, et resolutione casuum.

§. 250. 4. Praesidens ergo statuto die casum propositum per dimidiam horam explicabit, et resolvet doctrina auctorum, qui jam in nova methodo designati sunt, quin umquam a s. Thomae mente recedat, et per aliam horam difficultatibus, quas religiosi contra ejus resolutionem suo ordine proponent, curabit breviter satisfacere.

De exhibitione resolutionum provinciali facienda.

§. 251. 5. Praeter dicta tenetur lector casuum lectiones ab ipso in singulis conferentiis habitas cum difficultatibus propositis, et resolutionibus scribere, et provinciali tempore visitationis eas exhibere, et regulariter ei cura bibliothecae commendabitur.

De exemptionibus concessis custodi bibliothecae.

§. 252. 6. Quod ut aptius implere possit, eum exemptum esse volumus ab actibus communitatis praeter capitulum conventuale, orationem matutinam, et vespertinam, vesperas, et completorium, examina conscientiae, disciplinam, communem mensam, matutina primae, et secundae classis Ecclesiae, vel religionis, missam majorem diebus festis cum hora, quae antecedit, et subsequitur; et missam beatissimae virginis singulis anni sabbathis, Salve, et responsoriis pro defunctis. Item exemptum eum volumus ab officiis tabulae, praeter officia verrendi, fricandi, et humilitatis: erit tamen cappellanus beatissimae virginis Mariae sicut caeteri conventuales; et si, dum actibus communitatis interest, deficit aliquis officialis, pro eo juxta ordinem suae antiquitatis supplere teneatur. Exemptus erit pariter ab examine confessorum, et praedicatorum per tempus sui officii, et si novem annos in eo complevit, exemptio erit perpetua, et in omnibus aliis sicut caeteri conventuales, praelati dispositioni continuo subjaceat: idemque intelligatur de praedicatoribus. Eadem examinum exemptione gaudeant lectores philosophiae, aut theologiae, Scripturae, et canonum, qui per tres annos sua officia obierunt, et praedicatores, qui cum assignatione per decem annos munus suum laudabiliter exercuere.

CAPUT SEXTUM

De communi bibliotheca, et librorum custodia.

De communi bibliotheca.

§. 253. 1. In omnibus nostri ordinis domibus sit bibliotheca communis, in qua libri omnes reponantur, et praelector casuum conscientiae ejus curam tamquam bibliothecarius regulariter habeat. In collegio autem morali magister studentium bibliothecarius sit; et in eremo religiosus a priore designatus, qui eam diligenter administret, et libros secundum eorum diversas facultates disponat, observatamque custodiat, faciatque inventarium de omnibus libris, quod semper in bibliotheca servetur.

De extractione librorum.

§. 254. 2. Omnibus religiosis de hac communi bibliotheca sufficienter provideatur; li-

berumque sit unicuique, cum facultate superioris, sciente id bibliothecario, et notatis in peculiari libro nominibus auctoris, et religiosi extrahentis, libros ab ea extrahere. Quod si quis studii causa bibliothecam intret, silentium omnino servet, neque cum alio ibi loquatur.

De libris in librorum officina servandis.

§. 255. 3. Studeant praelati, ut in librorum officina omnes libri necessarii, tam ad religiosorum profectum, quam ad proximorum salutem reperiantur; potissimum vero devoti, et spirituales libri, et tam isti, quam caeteri conserventur, in diesque augeantur; et emantur omnes libri auctorum gravium, qui denuo in lucem prodierint, inutiles vero commutentur, aut vendantur cum consensu communitatis, et licentia provincialis, et expressione librorum, qui commutantur, aut venduntur, quorum pretium in alios libros utiliores convertatur. Quare statuimus ne praelatus, etiam de sui capituli, et provincialis consensu possit librum aliquem donare, vel alienare sub gravi culpa: liceat tamen illi eos commodare religiosis nostrae congregationis, et tunc libri, et hi, quibus commodati sunt, scribantur.

De prohibita extractione, vel alienatione librorum.

§. 256. 4. Et ut omnia strictius serventur, et libri in dies conserventur, et augeantur: praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto, ne quis etiam praelatus quamtumvis superior suum faciat, det, commodet, a conventu extrahat, neque in alium transferat, vel quoquomodo librum aliquem, sive codicem manuscriptum ex iis, qui conventui, aut ejus communi bibliothecae deputati sunt, alienet, nisi servatis supradictis conditionibus. Insuper ut id ex omni parte firmatum maneat, attendendum est circa hoc decretum felicis recordationis sanctissimi Domini Nostri papae Urbani VIII, ne de caetero quivis nostrae congregationis religiosus, quavis auctoritate fungens illi contra ire praesumat.

De usu librorum religiosis concedendo.

§. 257. 5. Permittimus religiosos nostros in suum usum habere, et de uno in alium conventum secum ferre eos libros, quos cum licentia praelati, propria industria, aut gratiosa consanguineorum, aut benefactorum donatione adquisierunt. Quin per hoc intelligant, aliquod ipsis eorum dominium conferri, sed purum tantum usum a praelatorum voluntate omnino dependentem, ac proinde sciant oportet, ut eos omnes, aut eorum aliquos quorum usum habent commodatos aliis conventus religiosis, praelato ita disponente, tradere teneantur, quin eis nullatenus liceat, sub proprietatis poena, illos aliter mutuare, vendere, aut quovis alio modo alienare. Decernimus denique, et declaramus, quod libri a religioso, dicto modo adquisiti, et in usum habiti, ad conventum, in quo cum e vita decessit, erat conventualis, spectant, nisi ipse dum viveret, cum licentia generalis, vel provincialis, eos aliis conventibus cum annotatione in eis scripta applicuerit.

De vetita transcriptione librorum.

§. 258. 6. Nemini liceat exceptorios codices sine licentia provincialis, per se, vel per alium, transcribere, aut transcriptos emere, neque praelati, aut novitiorum magistri, nec quicumque alius, religiosus, etiam novitios in his transcribendis occupent.

CAPUT SEPTIMUM

De ordinibus recipiendis.

De ordinibus recipiendis.

§. 259. 1. Nemini religiosorum nisi post annum, et dimidium a sua professione diaconatus, aut subdiaconatus ordines conferantur, neque tribus post professionem emissam annis non elapsis ad sacerdotium aliquis promoveatur, nisi aliquo casu particulari, pater generalis, aut ejus definitorium aliud super his expedire judicaverint: neque antequam sacerdotii munere fungatur, habeat votum in capitulo conventuali, nisi in illis monasteriis, ubi non fuerint quinque capitulares. Nam tunc ex fratribus sacris ordinibus initiatis numerus debet suppleri: ita ut praeferatur diaconus subdiacono, et in eodem ordine antiquior professione. Si vero qui tempore susceptionis habitus sacerdotio jam fungebantur non admittantur ad capituli suffragia nisi duobus annis transactis a sua professione.

De examine ordinandorum.

§. 260. 2. Religiosi ad ordines promovendi a praelato, et duobus aliis a provinciali designatis de scientia examinentur, et ab eis per secreta suffragia approbentur, vel reprobentur et eodem modo capitulum judicium ferat de moribus, et vita ordinandorum; nec praelati literas dimissorias ad suscipiendos ordines religiosis concedant, antequam constet eis sufficienter de illorum aetate, et capituli approbatione.

De episcopo adeundo ad ordines recipiendos.

§. 261. 3. Religiosi pro suscipiendis ordinibus ad episcopum dioecesis illius monasterii tantum accedant. Illo vero ordines non conferente, liceat alteram adire dioecesim, dummodo locus ubi ordines conferuntur non distet plus-

quam viginti quatuor leucis a suo conventu sub poena gravis culpae per quinque dies eundi, et mittenti, et serveiur constitutio Benedicti XIV. quae incipit *Impositi Nobis*, diei 27 februarii 1747.

De ordinatis ad sacerdotium.

§. 262. 4. Ad sacerdotium promoti nulla ratione celebrent, antequam in missae caeremoniis judicio praelati, et aliorum duorum religiosorum, a quibus examinari debent, sint sufficienter instructi, et prius spiritualibus exercitiis per decem dies operam dabunt; ut convenienter sacrosancto ministerio se praeparent: neque extra domum nostram prima missa cantetur. In die solemnitatis primae missae omnia modeste, et religiose fiant: excessusque, tam in mensa, quam in aliis apparatibus evitentur.

CAPUT OCTAVUM

De confessariis.

De confessariis.

§. 263. 1. In eligendis sacramenti poenitentiae ministris, utpote in re tam gravi magnus delectus habeatur; neque ad id munus admittantur, nisi qui una cum doctrina, morum gravitatem, vitaeque integritatem conjunxerint. Quae ut rectius serventur, provincialis, simul cum priore conventus, et alio ex dignioribus religiosis examinata earum sufficientia eos per secreta suffragia approbent, vel reprobent.

De licentia obtinenda ad confessiones audiendas.

§. 264. 2. Omnes confessarii tam religiosorum, quam saecularium, licentiam habeant in scriptis, a suo provinciali. Pro saecularibus vero etiam a locorum ordinariis facultatem obtineant, et ne obtenta hujusmodi licentia in studiis remissius se gerant, singulis tribus annis ab eisdem examinatoribus de eorum sufficientia periculum fiat, et per secreta suffragia de eorum idoneitate, et sufficientia judicium ferant: nisi alias sint, aut fuerint priores, aut theologiae, canonum, Scripturae, vel artium lectores, aut conferentiarum praesides, aut praedicatores modo supradicto, vel praelatorum munere fungantur, sub functi sunt. Hoc igitur examen fiat a praelato secunda vice suae visitationis. Quinquagenariis minores sua inscitia, vel desidia facultate saecularium confessiones ultra duos menses in propria domicilio deinceps carentes, communia tabulae officia pluries subibunt, voceque in capituli deliberationibus erunt destituti.

Idem ut supra.

§. 265. 3. Nemo ab ordinariis confitendi licentias, aut earum extensionem obtinere, aut procurare praesumat absque interventu, et consensu praelati, et nisi prius pro quacumque vice examinatus, et approbatus fuerit intra ordinem; quod ut commodius fiat, provincialis in prima visitatione tres designabit pro singulis conventibus examinatores, sine quorum praevio examine, et approbatione nullus illius conventus religiosus dominis episcopis praesentare se audeat, ut pro audiendis confessionibus licentias, aut earum extensionem ab eis obtineat.

De confessionibus monialium non audiendis.

§. 266. 4. Nullus nostrorum fratrum confessiones cujuscumque instituti monialium audire possit, qui quadraginta annis non complevit: neque mulierum saecularium confessiones valeat excipere quamvis sit, aut fuerit superior qui triginta tres annos attigerit; nisi pro aliquo casu particulari, et necessario cum aliquo definitorio generali videatur dispensari debere.

De effectu licentiae ad audiendas confessiones.

§. 267. 5. Habita facultate administrandi poenitentiae sacramentum in una provincia, in omnibus aliis poterit quisque confessiones religiosorum audire, non vero monialium, nisi praeter ea, quae de jure requiruntur a proprio earum provinciali peculiarem ad hoc obtineat facultatem. Exponendi vero pro monialium, aut aliarum mulierum saecularium confessionibus audiendis, quamvis ad aetatem ad id requisitam pervenerint, et alias generali confitendi facultate, sine discriminatione gaudeant, specialem tamen pro foeminis, et monialibus obtineat; alioquin earum confessiones audire nullatenus valebunt.

Declaratio specialis quoad sacerdotes ordinis.

§. 268. 6. Innitentes tam juri communi, nostrisque statutis, atque antiquae consuetudini, quam pontificum privilegiis, declaramus sacerdotes simplices nostrae religionis (illos videlicet, qui provincialis, vel generalis licentiam et approbationem non habent) nullam habere jurisdictionem ad audiendas confessiones fratrum etiam sacerdotum. Et si forte ratione consuetudinis esset quoad hoc aliqua tacita licentia; illam praesenti decreto annullamus; decernentes, ut a nullo praelato praeter patrem generalem, et provincialem unquam licentia concedatur praevio examine jam dicto, alias sit nullius roboris, et momenti. Quod intelligi volumus, sive intra, sive extra conventum existant. (Extra conventum tamen, copia confessoris approbati proprii, et extranei deficiente,

religiosos nostros sacerdoti simplici nostri ordinis confiteri posse indulgemus. Proindeque nullus religiosus, etiam sacerdos alicubi eis aliter confiteri possit sub poena privationis vocis et loci tam confitenti, quam confessionem audienti per unum mensem infligenda. Insuper qui confessionem attentat audire, inhabilis permaneat in posterum ad confessiones audiendas.

De munere parochi absque licentia non assumendo.

§. 269. 7. Nullus frater officium parochi exequatur, vel pro eo suppleat, aut ejus vicem in aliquo gerat, absque praevia praelatorum, et parochorum licentia, et consensu sub poena suspensionis ab officio, vel privationis vocis, et loci per unum mensem.

CAPUT NONUM

De confessariis monialium.

De confessariis monialium.

§. 270. 1. Quia in monialium regimine apostolica nostra auctoritate commisso, quaecumque quantumvis maxima adhibeatur cura, ut ipsae magis magisque Deo adhaereant, et in sancta sua professione in dies sine intermissione proficiant, nunquam superest; et quia ad perfectionem tendi vix potest absque duce probo, et sapienti, nihilque ei magis obstat quam dux caecus, aut imprudens, qui vias Domini nesciat, aut declinet ab eis, admonemus patres provinciales, eorum conscientias onerantes, ut non nisi personas aetate graves, maturas, ac discretas, zelo plenas, religiosisque moribus ornatas, in monialium confessores praeficiant. Quod ut plenius compleatur operae pretium duximus, sequentes statuere regulas inviolabiliter observandas.

De requisitis confessariorum monialium.

§. 271. 2. Nemo religiosorum in confessarium, vel extraordinarium conventuum monialium designetur, qui sive praelatus, sive subditus sit, aetatem quadraginta annorum praeter caeteras qualitates, et exercitia literaria in prioribus requisitas non habeat.

Idem ut supra.

§. 272. 3. In confessariis ordinariis monialium pro locis ubi non est religiosorum conventus, ultra praedictas qualitates requiritur aetas quadraginta quinque annorum.

Idem ut supra.

§. 273. 4. Utque hoc exactius fiat definitorium provinciale catalogum religiosorum, quos ad dictum monasterium aptiores judicet, efformabit, quem p. provinciali tradet, ut ex eo monialium conventus de confessariis ordinariis provideat, et suo arbitrio distribuat.

Idem ut supra.

§. 274. 5. Provincialis singulis monialium conventibus designet ex nostris religiosis duos ad minus confessores ordinarios, qui earum confessiones audiant omnibus diebus, aut vesperis communionis, et quoties a praelato requirantur, et insuper alios duos ordinis confessarios extraordinarios, qui in tribus paschatibus ad audiendas earum confessiones accedant.

Idem ut supra.

§. 275. 6. Praeter dictos ordinis confessarios ordinarios, et extraordinarios designet provincialis singulis monialium conventibus unum, aut plures confessarios extra ordinem de clero saeculari, aut regulari, qui semel saltem in anno ad eas alloquendas, et earum confessiones audiendas accedant, quibus omnes moniales se sistere, et cum eis alloqui teneantur, libereque suas eis conscientias (si velint) aperiant, per tempus ad id necessarium, in quo confessarii ordinis illuc non accedent, caeteraque ad literam serventur, quae circa hoc praescribitur in constitutione Benedicti XIV. *Pastoralis curae* 2 februarii 1748. Et provinciales omni cura invigilent, ne in hac parte monialium libertas, verbo, aut opere, directe, vel indirecte per sorores, aut fratres, sive alia quacumque via, vel minime laedatur.

De personis gravibus extra ordinem deputandis in idem officium.

§. 276. 7. Insuper ultra praefatos confessarios ordinarios, et extraordinarios religionis, et ultra designandos ex extraneis ad instar constitutionis *Pastoralis curae*, provincialis in unoquoque oppido ubi monialium est conventus, duas ad minus praefiniant personas graves extra ordinem ab ordinario ad monialium audiendas confessiones approbatas, quarum saltem una (si servatis praedictis qualitatibus opportune fieri potest) sit de clero saeculari, cum quibus omnes illius oppidi religiosae, quando, et quoties ipsis placuerit, possint libere suas conscientias sine limitatione tractare, et aperire, quin praelata resistere queat; nec ob id molestiam ullam eis conferre. De quo provinciales in visitationibus specialem inquisitionem facient, et transgressiones, tam in monialibus, quam in fratribus deprehensas omni severitate corripient.

De aliis confessariis concedendis ad postulationem monialium.

§. 277. 8. Si non obstantibus praedictis petierit adhuc monialis alium confessorem ex conventu ordinis, qui est in oppido, vel ex viciniori, si non adest ibi conventus religiosorum, concedi illi poterit ad arbitrium praelatae, et si petierit etiam extraneum extraordinarium,

nec ei denegabitur cum notitia praelatae, et cum licentia provincialis, qui convenientibus circumstantiis ad formam citatae constitutionis Benedicti XIV., quae incipit *Pastoralis curae*, liberaliter eam concedet. Haecque libertas, quam sanctam matrem nostram Theresiam filiabus suis quasi in haereditatem reliquisse, et sacrosancti concilii Tridentini, summorum pontificum decretis optime congruere novimus, integra semper, illaesaque servabitur, qua nunquam religiosas contra sanctae matris mentem abusuras esse absque haesitatione speramus.

De emigrationibus, et peregrinationibus religiosorum.

§. 278. 9. Emigrationes, et peregrinationes religiosorum de uno in alium oppidum, etiam praelatorum, praetextu directionis, et confessionis monialium praeter casum gravis infirmitatis, vel periculi mortis religiosarum omnino probibemus, sicut etiam frequentes communicationes reciprocas per epistolas inter directorem, et directam, quia eorum, et earum observantiae, et quieti maxime nocent.

De reelectione confessariorum monialium.

§. 279. 10. In oppidis ubi adest conventus monialium, sed non religiosorum confessarii ordinarii, et praeses hospitii ultra tres annos non permaneant, nec ad idem officium pro eadem domo reeligantur tribus integris annis non transactis, super quod nullus ordinis praelatus valeat dispensare.

Declarationes speciales.

§. 280. 11. Nullus ex nostris religiosis praeter ea, quae de jure requiruntur, monialium ordinis confessiones sine speciali designatione provincialis ad conventum, et monialem, aut moniales in scriptis exhibita audire possit; sub poena inhabilitatis ad confessiones in posterum audiendas, et sub poena privationis vocis et loci per duos menses. Nemini in particulari praecipue confessariis liceat munuscula ad eas mittere, aut ab eis accipere, ne spiritus ad superna anhelans rebus his detineatur, nec eas quis possit alloqui absque eadem licentia in scriptis tradita. In die autem quo moniales sacram communionem accipiunt, nullus religiosus etiam ex iis, qui alias licentiam eas alloquandi habent, poterit eas alloqui, neque ad earum crates accedere nisi urgente adeo gravi necessitate, et inexcusabili, gravique negotio, quod in aliud tempus differri nequeat.

Monita salutaria.

§. 281. 12. Praeterea religiosorum omnium conscientias oneramus, ut, cum opus sit; cum monialibus alloqui, et tractare, eorum conversatio magnam animi modestiam, circumspectionem, morumque gravitatem, tam in sacramentorum administratione, et tradenda doctrina, quam in regimine, aut alia quacumque re agenda praeseferant. Hoc enim maxime interesse tam pro nostra et illarum salute, quam pro aliorum aedificatione, experientia teste compertum est.

De poenis contra comedentes in conventibus monialium.

§. 282. 13. Stricte etiam praecipimus religiosis omnibus, etiam praelatis ne in oppidis ubi sunt nostri ordinis monasteria, in monialium conventibus quacumque de causa comedant, sub poena gravis culpae per quinque dies, si enim ibi fratrum non fuerit monasterium, si in earum hospitiis forte fuerint diversati, ne graves, et onerosi illi sint, illis cibis communiter vescantur, qui earum communitati administrantur: maxime vero visitatores, provinciales, aliique ordinis praelati id studeant observare. Nec ullus ex religiosis hospitibus permanebit ibi ultra tres dies nisi propter assistentiam alicujus religiosae graviter aegrotantis. Et si aliter fiat praelata cum rigore a provinciali corripiatur. Strictiusque prohibemus, ne earum monasterii clausuram, quocumque titulo, etiam praetextu ministrandi infirmis sacramenta, aut alterius rei causa, nisi in evidenti gravique necessitate ingrediantur sub poena suspensionis ab officio praelatis, subditis vero privationis vocis et loci per sex menses infligenda. Ingressi autem recto tramite ad id tendant, cujus gratia ingrediuntur, neque alio divertant, peractoque negotio, cujus occasione fuerint ingressi, absque ulla mora exeant statim, neque intra monasterii clausuram, confessionis, aut Eucharistiae sacramentum ministrent iis, quae ad communionis fenestram vel confessionarii locum cum aliis possunt accedere, sub poena gravis culpae juxta qualitatem delicti applicanda quodlibet praedictorum transgredientibus. Intra conventum autem religiosi nulla ratione ab invicem separentur, sub eadem poena per quinque dies.

De officiis praebendis monialibus graviter laborantibus.

§. 283. 14. Si vero contingat monialem aliquam ita gravi, et periculoso morbo laborare, ut in periculo mortis sit constituta; tunc maxime intra monasterii septa, religiosis liceat pernoctare: sed debita sacramentorum administratione peracta, functique pietatis officio, ad sua celeriter redeant monasteria nisi aegrotans in tali sit dispositione, ut illo pietatis officio, quod in morientes exerceri solet, egeat. Qui secus fecerit, poenae gravis culpae per tres

dies subjaceat. Ea defuncta, dictoque responsorio more solito, sub eadem poena exeant statim, et ad conventum aliqua honorabili persona saeculari associati revertantur: si vero opportunitas redeundi non sit, in sacristia, vel simili alio loco, et honesto extra clausuram usque ad diem permaneant. Et ut in omnibus praedictis major cautio adhibeatur, volumus ut ultra a jure statutas poenas suprapositae etiam delinquentibus irremissibiliter applicentur. Priorissae, quae communionis fenestrellam quocumque titulo, exceptis iis, quae in earum constitutionibus declarantur, aperuerit, eadem poena suspensionis ab officio applicetur.

De confessariis ordinariis hospitiorum.

§. 284. 15. Decernimus quod in oppidis ubi non sunt nostri ordinis monasteria, si quae forte sint monialium conventibus juncta hospitia, eorum hostium omnino sit extra omnes januas conventus versus callem, neque in eis permittantur rotae (vulgo Jornos) quae ex aliqua parte clausuram attingant; praecipimusque provincialibus, ut hanc constitutionem sedulo executioni demandent. Confessarii ordinarii dictorum hospitiorum monialium, et eorum praeses retinent conventualitatem, quoad suffragia, conventus suae filiationis, debentque pro singulis illius defunctis tres applicare missas, et unam pro quolibet defuncto provinciae.

De petita allocutione cum monachis alterius ordinis.

§. 285. 16. Alterius ordinis monachas, praeter ea, quae de jure requiruntur sine licentia provincialis in scriptis nemo possit alloqui, neque earum confessiones audire, nisi alias sit definitor generalis, aut provinciae, vel sit provincialis, aut prior. Poterit tamen prior alicui licentiam praebere, ut semel, aut bis in anno ad matrem, aut sorores etiam alterius ordinis loquendi gratia accedat.

CAPUT DECIMUM

De officio concionatorum.

De officio concionatorum.

§. 286. 1. Evangelicae praedicationis munus magnam in ministris exigit probitatem, et scientiam. Quare divinum verbum praedicare nemo audeat nisi prius per tres annos philosophiae, per tres theologiae scholasticae, et expositivae, et per alios tres moralis theologiae, et canonum studio operam dederit, et a provinciali, et aliis designatis fuerit examinatus, et per secreta suffragia idoneus inventus. Oportet vero, ut antequam licentiam obtineat coram provinciali, et fratribus intra designatum sibi tempus concionem aliquam habeat, ut sic non solum de scientia, sed etiam de talento constet: maxime vero virtutis et morum testimonium habeat.

De forma concionum.

§. 287. 2. Concionatores nostri in suis concionibus potissimum studeant, ut auditorum mores probe informent, eosque ad divinum amorem, et timorem aliarumque virtutum functiones exciteot; ab inutilibus vero rebus abstineant, et juxta summorum pontificum institutiones in omnibus concionibus tam moralibus, quam panegiricis doctrinam christianam in solutione cathechistico, et non perfunctorie explicare conentur. Deumque prae oculis habentes, ad solam ipsius gloriam, et populi salutem attendant, et qui secus fecerint si a superioribus moniti non se correxerint praedicandi, facultate priventur. Teneantur provinciales ultimo anno suae visitationis praedicatores omnes, (exceptis praelatis, aut aliis evidenter peritis) tam in scientia, quam in modo exercendi ministerium sibi injunctum examinare, et inhabiles, aut populo Dei inutiles reprobare, illos vero adjuvare, et fovere, qui non se ipsos quaerentes, nec in sublimitate sermonis, sed in ostensione spiritus, et virtutis praedicaverint.

De praesentatione facienda, licentia, et benedictione obtinenda.

§. 288. 3. In ecclesiis nostris nemo praedicet, antequam ordinariis, ut Tridentinum praecipit, se praesentaverit, neque in aliis, nisi benedictionem simul, et licentiam prius acceperit, sub poena privationis vocis, et loci per sex menses.

De dispensatione a choro praedicatoribus indulgenda.

§. 289. 4. Tribus diebus ante concionem, praelatus concedat facultatem, ut praedicatores churo non intersint, dummodo ad orationis mentalis horam, tam matutinam, quam vespertinam cum caeteris conveniant. Concionaturis vero toto tempore quadragesimae, plus temporis arbitrio praelati concedatur, dummodo orationi mentali intersint.

De concionibus habendis in quolibet conventu, et collegio.

§. 290. 5. Statuimus, ut in omnibus conventibus, et collegiis, exceptis eremis, singulis anni dominicis tempore orationis vespertinae, concio ad populum habeatur, in qua per dimidiam horam cathechistice explicetur doctrina Christiana, ad quam omnes fratres laici, et famuli conventus accedant, quin umquam omittatur, etiamsi populi desit concursus.

De cathechisticis concionibus.

§. 291. 6. Statuimus etiam, ut in unoquoque conventu (eremorum domibus exceptis) sit deinceps unus ad minus praedicator domus a definitorio provinciali eligendus, et designandus, cujus praecipuum munus sit praefatas cathechisticas conciones habere, et deinde alios sermones a praelato ipsi commissos pro viribus implere. Si autem domus praedicator, vel ob infirmitatem, vel ob aliam justam causam nequeat aliquando exercitia dominicalia obire, tunc praelatus per lectorem casuum, vel per alium conventualem idoneum, illius vices supplere curabit.

De exemptionibus competentibus praedicatoribus domus.

§. 292. 7. Volumus autem, ut designatus in praedicatorem domus eisdem gaudeat chori, et officiorum exemptionibus, quae casuum lectoribus in his constitutionibus conceduntur, aliisque fruatur privilegiis ad praedicatoris officium specifice ibidem directis. Admonemus definitorium provinciae, ut juxta praedicatorum meritum, et domorum indigentiam, curet illos de uno in alium conventum transferre.

De aliis extraordinariis concionibus.

§. 293. 8. Ultra dictas conciones dominicales in monasteriis nostris sermo habeatur ad populum in solemnitatibus S. P. N. Eliae, sanctissimae matris Nostrae Mariae de monte Carmelo, S. P. N. Joseph, sanctae matris nostrae Theresiae, et S. P. N. Joannis a Cruce.

De aliis instructionibus popularibus.

§. 294. 9. Si praelatis expediens visum fuerit ad populos, ubi sunt nostri conventus, concionatorem aliquem aut quempiam alium fratrem egredi, ut populum doctrina Christiana possit instruere, aliaque mysteria fidei docere et ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem nunciare, id eis permittimus.

CAPUT UNDECIMUM

De eremi constitutionibus.

De constitutionibus eremi.

§. 295. 1. Cum eremiticae vitae institutum adeo sit perfectum, nostraeque professioni consonum, post diversa aliorum monasteriorum instituta, eremi exercitia, et constitutiones tradere, aequum nobis visum est. In primis igitur, ut pii Ecclesiae filii, declaramus hujus sanctae eremorum institutionis finem potissimum esse, ut religiosi ibi existentes assiduis precibus, et orationibus, indefessis vigiliis, continua corporis castigatione, aliisque exercitiis, et vitae operationibus Ecclesiae Sanctae opem ferant. Ideo praecipimus, ut in eis omnia sacrificia pro spirituali Ecclesiae augmento offerantur, neque ulla ratione pro missis persolvendis stipendium aliquod recipiatur, ubi, et quando ad congruam sustentationem necessaria juxta prudens judicium definitorii eremorum conventus habuerint. Sed semper dicantur, et offerantur missae pro propriis eremi obligationibus, pro Ecclesia Dei, pro religionis augmento, obligationibus, et necessitatibus, pro ordinis benefactoribus, et maxime pro sanctissimo papa nostro, et pro nostris catholico Hispaniarum rege, et regina, et pro suorum regnorum pace, conservatione, et augmento. Neque superior aliquis, neque etiam pater generalis cum definitorio possit aliquod missarum onus quocumque titulo dicendum imponere, neque in hac constitutione dispensare.

§. I.

De oratione continua.

§. 296. 1. Praeter assiduam, et jugem orationem ad quam unusquisque ex praecepto regulae adstringitur, omnes simul in choro, vel in ecclesia tribus horis orationi mentali vacabunt, quarum una semper primo mane, hora quinta, et altera vespere eadem hora habeatur: deinde per dimidiam horam ante prandium, et post matutinum per alteram dimidiam horam, et non ultra similiter orent. In octavis autem Paschae, et Pentecostes, matutino ordinaria pausa persoluto, et semi hora orationis habita consuetam horam non expectabunt. Post completorium fiat examen conscientiae, ut moris est in religione. Diebus autem, in quibus missa canitur, aut primo mane coram communitate dicitur, dimidia hora orationis ante prandium non habeatur, sed consuetum conscientiae examen tantum fiet. De oratione continua.

§. 297. 2. Divinum officium magna cum reverentia, devotione, et pausa ab omnibus persolvatur. Quare volumus, ut in matutinis sanctorum duplicium, aut semiduplicium una hora cum quadrante; in dominicis, et festivitatibus, in quibus propter ecclesiasticam solemnitatem habetur collatio extraordinaria, nec non in festo dedicationis ecclesiae, fere hora cum dimidia, et in simplicibus, et feriis ad minus integra hora, addita quarta parte alterius, regulariter consumatur. Prima vero, et comple- De recitatione divini officii.

torium ultra horae quadrantem, vespere autem fere per dimidiam horam; et tertia, et sexta, et nona singulae earum prope quartam horae partem perdurabunt. Officium beatae virginis, cum minori pausa, semper tamen devote recitari debet; in completorio officii majoris antiphona beatae virginis quotidie cum cantu fiat, ut in aliis conventibus.

De cantu adhibendo in recitatione officii divini.

§. 298. 3. Decernimus praeterea, ut in eremis solum canatur matutinum in primis diebus Nativitatis, Paschae, at Pentecostes, in quibus etiam vesperae primae, et secundae canendae suet. Idemque servetur in primis, et secundis vesperis Circumcisionis, Epiphaniae Domini, corporis Christi, in commemoratione solemni nostri ordinis, et in die Assumptionis beatae virginis, et patroni titularis, nec non s. Joseph, S. P. N. Eliae, et sanctae matris nostrae Theresiae, ac S. P. N. Joannis a Cruce. Fiatque officium cum cantu in matutino, et laudibus trium dierum majoris hebdomadae, et in vigilia Nativitatis prima, tertia in die Pentecostes, et nona in die Ascensionis. Hymnus *Te Deum* cum cantu dicatur in matutinis sicut in caeteris conventibus. Missa autem conventualis solum cantetur diebus dominicis, et in aliis festivis diebus, et in solemnitatibus sanctorum nostri ordinis, quae cum octava celebrantur, et in festo dedicationis ecclesiae. Quod si aliqua praedictarum festivitatum transferatur solemnitas, tamen cantus transferri non debet. Cantetur insuper missa de Spiritu Sancto in die, qua celebratur capitulum generale, vel provinciale, et in commemoratione solemni defunctorum, et in die obitus sanctissimi domini nostri papae, et regis, et reginae Hispaniarum, patrisque nostri generalis, definitorum, et provincialis illius provinciae, et in die obitus cujuscumque religiosi illius monasterii, et pro quolibet corpore praesenti. Die Natalis Domini, et in aurora Resurrectionis, tametsi primae missae cum cantu celebratae sint, hora consueta missa conventualis canatur.

De benedictionibus.

§. 299. 4. Praeterea sicut in aliis conventibus, benedictio, et missa in feria quarta Cinerum, in dominica Palmarum, et in feria quinta in coena Domini cum duabus sequentibus, solemniter cum cantu celebretur. Idemque servetur in benedictione candelarum, in die Purificationis, et singulis anni sabbathis per totum annum cantetur *Salve* cum eadem solemnitate, qua in caeteris conventibus, et psalmus. *Miserere mei Deus* in disciplina.

De processionibus faciendis.

§. 300. 5. Possit in missis solemnibus sacerdos non uti ministris nempe diacono, et subdiacono praeter quam in officiis majoris hebdomadae. Fiantque quatuor solemniores processiones, quae per annum in ecclesia celebrantur, nempe in die Purificationis, Palmarum, Resurrectionis, corporis Christi, et insuper in die commemorationis defunctorum: in diebus vero rogationum, et sancti Marci litaniae non canantur, sed in choro ante missam recitentur; et denique in secundis feriis recitentur responsoria in choro pro defunctis, prout in caeremoniali ordinis adnotatur. Qui in separatis cellulis fuerint, divinum officium eodem tempore, ac in conventu, devote, et reverenter persolvant.

De missa conventuali.

§. 301. 6. Ordinamus, ut missa conventualis tempore examinis, quando dimidia orationis hora ante prandium habeatur, quotidie omnibus adstantibus celebretur, et ante eam hora una canonica, et post eam alia, secundum temporis varietatem, recitetur, et haec missa nullatenus cantetur nisi diebus supra assignatis. In singulis vero sabathis praedicta missa conventualis primo mane in obsequium beatae virginis, et pro incremento ordinis, sicut, et in aliis conventibus, solemniter cum cantu celebretur.

§. II.

De silentio perpetuo observando.

De silentio perpetuo servando.

§. 302. 1. Silentium omni loco, et tempore absque ulla exceptione in eremis observetur, nec liceat alicui sine superioris licentia, quam sine rationabili causa praebere non debet, alterum alloqui. Loquendi facultatem cum religiosis hospitibus etiam nostri ordinis praelatus non concedat, nisi in sua praesentia, vel tempore collationis spiritualis. Cum extraneis vero, exceptis praesentibus, aut fratribus, et hoc semel tantum in anno loqui non permittatur, quamvis id superiori, aut procuratori conventus, licentia prioris praecedente, non prohibemus.

Idem ut supra.

§. 303. 2. Completorio dicto in cellula prioris strictissime silentium observetur, tantumque permittimus tunc de illis rebus tractari, quae minime in aliud tempus possunt differri, et hoc quam paucissimis verbis fiat, quod

etiam cum hospitibus praecipimus observari, nisi forte, completorio dicto in eremum pervenerint. Aliis vero temporibus omnibus religiosis liceat cum suo priore, quod opus fuerit pertractare, dummodo in choro, ecclesia, sacristia, claustro, dormitorio, et refectorio non fiat: in his enim locis priores etiam tenentur silentium observare.

De spiritualibus collationibus.

§. 304. 3. Quinto decimo quoque die in dominica ad imitationem sanctorum patrum pro spirituali collatione habenda omnes conveniant, quae per spatium duarum horarum cum dimidia duret. Idemque fiat in diebus festivis beatae virginis: nempe Nativitatis, Purificationis, et Conceptionis, nec non sancti Pauli primi eremitae P. N. Hilarionis, et in vigilia Resurrectionis, Nativitatis, et in dominica Palmarum. In aliis vero solemnioribus diebus, collatio extraordinaria habeatur, scilicet in die Nativitatis Domini cum tribus sequentibus, et tribus diebus Paschae, et Pentecostes, et in omnibus solemnitatibus primae classis, non quidem dioecesanis cujuslibet eremi, sed quae cunctis eremis communes sunt: inter quos dies sancti Jacobi apostoli Hispaniarum patroni, sancti Bartholomei, et sancti Joseph P. N., ac religionis tutelaris connumeratur. Excipitur autem dedicatio propriae ecclesiae. In die insuper Circumcisionis, et in commemoratione solemni nostri ordinis, et in die immediate praecedenti ante exaltationem sanctae Crucis, nisi feria sexta occurrat, nam tunc feria quinta fiat collatio, et denique in dominica quinquagesimae, et in adventu p. generalis. In his extraordinariis collationibus bis in die liberum sit praelato, omnes religiosos in unum congregare, in quibus recreatio praecedens, et subsequens coenam extraordinariam unus actus regularis aestimatur. Quod si forte aliquà praedictarum festivitatum, tum ex ordinariis collationibus, prope dominicam, in qua alias habenda foret ordinaria collatio ante, vel post occurrat, ita videlicet ut tres dies intra praedictam festivitatem, et dominicam non intercedant, tunc hujusmodi diei dominicae collatio relinquatur, et non nisi juxta praescriptum quindecim dierum ab illa in posterum habeatur. Item praeter dictas collationes tribus aliis vicibus per totum annum arbitrio prioris collatio ordinaria haberi possit: sed hoc nunquam fiat pro extraneis: hi enim cujuscumque dignitatis sint nunquam poterunt collationibus interesse, nisi de expressa licentia patris generalis. Poterunt etiam matutina dimidiari duodecim vicibus in anno.

De materia collationum spiritualium.

§. 305. 4. In his collationibus de rebus spiritualibus sermo instituatur, utpote de dignoscendis, et moderandis animi passionibus, et earum radicibus extirpandis, de tentationibus superandis, de variis virtutibus, et earum actibus, et exercitiis, de oratione mentali, et aliis variis rebus ad eremiticam vitam conducentibus. Cum collatio spiritualis habenda est prius per dimidiam horam pro temporis opportunitate ad arbitrium prioris oratio mentalis habeatur.

De adventu patris generalis, definitorum, vel visitatoris.

§. 306. 5. Conveniant etiam omnes religiosi in adventu P. N. generalis, definitorum generalium, aut visitatoris, quod fiat per aliquod breve spatium, et illi tantum, qui in eremi conventu morantur: nam eremitae qui in cellulis a conventu separatis vivunt, tantum pro p. generali, et eremi visitatore convenire debent.

De literis scribendis.

§. 307. 6. Dum religiosi, qui praelati alias non sunt, in eremis commorantur nemini scribant, nisi p. generali, definitoribus, tam generalibus, quam provincialibus, et visitatori: cum quibus etiam loqui, et ab eis epistolas accipere liberum sit, non tamen ab aliis. Quod si grave aliquod, et urgens negotium occurrat, in quo necessarium sit ad aliquem scribere, tunc fiet de licentia patris generalis, vel prior loco ejus epistolam mittat. Priori tamen libere liceat scribere: procuratori vero, non nisi de licentia prioris, et tantum pro negotiis sui ufficii.

Idem ut supra.

§. 308. 7. Tam officiales conventus, quam alii scripto, nutibus, ac signis pro rebus facilioribus exprimendis communiter utantur.

De honestate in conversatione servanda.

§. 309. 8. Praeterea quoniam ad viros religiosos, maxime eremitas spectat honestis spiritualibusque uti confabulationibus, curandum igitur omnino est, ut eorum conversatio sanctae eremitarum professioni respondeat.

§. III.

De inviolabili eremi clausura.

De inviolabili eremi clausura.

§. 310. 1. Omnes religiosi jugiter in cellulis suis (ut regula praecipit) maneant lectioni, orationi, aut operibus manuum vacantes.

De iis, qui ab eremo egredi possunt.

§. 311. 2. Nemini religiosorum in eremis commorantium, quacumque occasione, sive titulo liceat foras exire, nisi solum procuratori ad id specialiter deputato, qui tantum pro rebus monasterii omninoque necessariis egredi possit, non tamen solus, nisi de licentia p. generalis, studeantque praelati, ut ea, quae commode per saeculares, aut fratres laicos, vel donatos fieri possunt, nullatenus procuratori mandetur.

De idoneo procuratore adhibendo in pertractandis negociis.

§. 312. 3. Pater generalis provideat de sufficienti, et idoneo procuratore pro quacumque eremo: et prior etiam ad breve tempus non poterit aliquem ex eremi conventualibus in hoc officio occupare, nisi impedito procuratore in aliquo casu gravi, et raro, qui adeo urgeat, ut judicio prioris, superioris, et antiquioris, ex perpetuis differri, aut per donatum aliquem, vel alia via nequeat expediri. Sic autem designatus tantum durabit in officio, quousque p. generalis consulatur: quod quantotius fiat.

Quando priori liceat e deserto prodire

§. 313. 4. Prior nunquam e deserto prodeat. Quod si gravis, urgensque exeundi causa, sive occasio se obtulerit hoc fiat de licentia patris generalis. Permittimus tamen, ut si quis ex fratribus non sacerdotibus ibi existentibus, vigesimum quartum annum suae aetatis attigerit, et non antes possit in viciniorem dioecesim pro suscipiendis ordinibus mitti, et servetur constitutio Benedicti. XIV., quae incipit *Impositi Nobis* 27 februarii 1747.

De eleemosynis expetendis, et accipiendis.

§. 314. 5. Decernimus, ut in deserto ordinariae eleemosynae, sicut in aliis conventibus, nullo modo, (neque etiam saecularium interventu) postulentur: quamvis quae sibi erogata fuerint cum gratiarum actione, ut veri pauperes recipiant, omnem suam fiduciam in Domino collocantes, qui servos suos ei famulari cupientes, neque ad tempus deserit.

De exclusione saecularium ab eremis.

§. 315. 6. Et ne religiosi a sua quiete, et contemplationis otio perturbentur, stricte prohibemus, ne saeculares, nisi de licentia p. generalis, in eremis hospitentur, aut recipiantur, nisi alias sint ex ipsis personis, quae ibi suis expensis aliquam cellam aedificaverint, aut eleemosynam annuam pro alicujus eremitae alimentis largiuntur, aut confraternitatem habeant illius domus, vel denique ita sint viri digniores, ut sine ordinis dispendia rejici non possint, nam in hoc casu prior de consensu superioris, et antiquioris fratris poterit eos admittere: dummodo id non fiat singulis annis, nisi sex aut septem vicibus. Liceat tamen priori pro suo arbitrio saeculares admittere eo fine tantum, ut orent in ecclesia, sed hoc frequenter non fiat. Religiosi etiam nostri ordinis (exceptis definitoribus generalibus, et provincialibus, et provinciali illius provinciae) sine licentia in scriptis p. generalis, in eremo non recipiantur, liberum tamen sit religiosos alterius ordinis sine exceptione, et sine ulla licentia recipere. Hortamur vero, ut licentiae religiosis nostris mature, et raro, et cum magna limitatione per duos, aut tres dies concedantur, cum experientia testante ex hospitum frequentia in eremis magna incommoda sequantur.

Idem ut supra.

§. 316. 7. Nullus ex saecularibus, nisi inevitabili id causa fieri contingat pernoctet in eremis, neque p. generalis hoc nisi rarissime permittat: neque recreationis gratia, sive ad venandum, vel ad piscandum aliquis cujuscumque conditionis sit ad eremum accedat, ne domus luctus, et compunctionis, convertantur in domes delitiarum, aut dissolutionis. Religiosis tamen alterius ordinis justa, et rationabili causa per unam noctem in eremo liceat permanere.

De exclusione mulierum

§. 317. 8. Praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub poena excommunicationis majoris ipso facto incurrenda omnibus praelatis, et religiosis cujuscumque professionis sint, ne umquam mulieres cujuscumque conditionis, quocumque titulo, sive ratione processionum, sive aliqua alio, etiam a jure, vel privilegiis permisso, intra eremi terminos ingredi permittant. Et ut etiam ipsae mulieres praedictam censuram incurrant propter excommunicationem majorem a sanctissimo domino Nostro Clemente VIII. contra mulieres in hoc casu, et a Gregorio XV. contra mulieres in hoc casu, etiam in specifica forma, tam contra ipsas, quam contra omnes, qui illas introduxerint, seu qualitercumque auxilium, et favorem ad introeundum eis dederint, latam, declaramus omnem situm eremi, ut clausuram reputari. Insuperque prohibemus, ne p. generalis, aut definitorium possit in hac re quocumque titulo dispensare, aut licentiam praebere, etiamsi praedictae mulieres aliquod indultum, sive licentiam a Sede apostolica impetraverint, nisi alias obedientiam, aut mandatum contineat. Volumusque, tam priorem, quam superiorem, aut quemcumque alium religiosum, qui negligenter in ingressu mulierum impe-

diendo se gesserit, et officio, et eremi habitatione privari. Sub quibus etiam praecepto censuris, et poenis mandamus, ne quis noctu absque praelati licentia eremi clausuram egrediatur.

De licentia obtinenda pro ingrediendo alterius cellula.

§. 318. 9. Nemo in alterius cellam ingrediatur sine licentia, et qui nocte fuerit ingressus, graviter ad arbitrium prioris corrigatur. Si vero, qui in exterioribus separatis cellulis vivunt praedictam culpam commiserint, pro prima vice graviter puniatur, et pro secunda ab eremo ejiciatur.

§. IV.

De vita asperiori tam in victu, quam in aliis in eremo servanda.

De vita asperiori in eremo servanda

§. 319. 1. Cum abstinentia, cibique parcitas eremi incolis adeo sit propria statuimus, ut tam in quantitate, quam in qualitate ea cibi mensura sumatur, qua corporis necessitati tantum subveniatur, et illis cibis utantur, qui parare facile possint, et qui viliori pretio comparentur. Quare volumus, ut in victu servetur is ordo, ut regulariter tantum unum ferculum ex leguminibus comedatur, et alterum ex piscibus, qui viliori pretio comparentur, et veros pauperes deceant, vel ova loco piscium cum priori visum fuerit, sine pomo tamen, vel fructu aliquo nisi a Resurrectione usque ad exaltationem sanctae Crucis: quia tunc cum praelato placuerit fructus aliquis superaddatur. Diebus autem, in quibus collatio extraordinaria celebratur, licebit ejusdem praelati arbitrio, majorem indulgentiam, tam in qualitate, quam in quantitate victus concedere dummodo id fiat servata parcitate, quam paupertas, et vitae eremiticae status requirit. Post prandium vero omnes simul ad mensae vasa abstergenda conveniant. At in coena pisces, aut ova exhibeantur, regulariterque addatur fructus, vel olus aliquod. In diebus vero, in quibus missa cantatur, ratione solemnitatis, duobus praedictis ferculis in quocumque anni tempore de fructu aliquid ministretur, et si feria sexta sit.

De jejuniis extraordinariis.

§. 320. 2. Praeterea praeter jejunia Ecclesiae, et regulae, nempe a die exaltationis sanctae Crucis usque ad Resurrectionem Domini singulis feriis sextis per totum annum jejunent, nullumque obsonium, quod igne paretur comedant, sed tantum oleribus, aut fructu aliquo utantur, nisi dies festus, vel alicujus sancti nostri ordinis in eis venerit: inter quos beatissima virgo Maria, indulgentissima ejus mater, et singularis patrona, potiori, et primo loco est connumeranda, ac proinde in quavis ejus festivitate, nec non in dedicatione ecclesiae propter solemnitatem missae, in vigilia nativitatis Domini, et in die sancti Pauli primi eremitae, quamvis feria sexta sit, consueta refectio communitati ministretur. Diebus autem Coronae spineae, angeli custodis, et similibus, si feria sexta, et non in die festo occurrant praescripta obsonii abstinentia observabitur. Cum aliqua autem necessitate, aut causa semper praelatus poterit aliquid aliud addere, pro religiosis, quibus id conveniens judicaverit, praeter ea, quae in his sextis feriis communitati ministrantur. In die vero parasceves, et tertia feria ante diem Cinerum, nisi fuerit dies s. Mathiae in pane, et aqua omnes jejunent. Nunquamque religiosi extra refectorium comedant, nisi ad summum quatuor, aut quinque vicibus per totum annum in solemnioribus festis ad arbitrium praelati.

De corporis castigatione.

§. 321. 3. In aliis autem rebus, quae ad vitae arctitudinem, et corporis castigationem spectant, tam in babitu quam in lectulis, pedum nuditate, et corporis flagellatione serventur ordinis communes constitutiones, in paupertate tamen districtiorem regulam teneant. Quare tam in communi, quam in particulari omnia eremi utensilia, paupertatem altissimam redoleant, et in primis, rebus vilioribus, asperioribus, et parcioribus quoad fieri possit utantur. Ideoque praecipimus, ut in eremis ea non recipiantur, quae vel suo statui dissonant, vel quibus opus non habeant. Et praeterea visitatores omni cura scrutentur, an aliquid in eis, excepta congrua sustentatione, superfluum inveniatur, et quaecumque non necessaria repererint in conventus provinciae pauperiores, de consensu definitorii generalis distribuant. Stricteque oneramus tam priorum, quam religiosorum conscientias, ut p. generalem omni tempore de rebus superfluis, si quae fuerint, certiorem faciant.

De paramentis adhibendis in eremo.

§. 322. 4. Praeterea paramenta omnia divino cultui destinata nulla ratione, auro vel argento intexta, aut etiam plumata, neque serica etiam in pauca quantitate fiant, neque serico, aurove nullo modo ornentur, nec etiam gratis oblata recipiantur, sed tantum lanea aut

lineа sint, quamvis pro interiori sacrarii ornatu quilibet cultus permittatur.

De vasibus sacris usibus destinatis.

§. 323. 5. Praeterea vasa usibus sacris deputata ex auro, et argento, aut deaurata non fiant, exceptis calicibus, et eo vase, in quo sanctissimum Domini corpus reservatur, et in processionibus defertur, et alio pro infirmerum unctione, quae et si argentea, non tamen sumptuosa, aut pretiosa esse debent.

De paupertate aedificiorum.

§. 324. 6. In aedificiis etiam potissimum paupertas resplendeat, sintque humilia, et simplicia, tam in parietibus, quam in lignis. Utensilia vero simplicitatem, ac rusticitatem (uti vere eremitas decet) praeseferant, et quidquid curiosum est, quantumvis minimum, tam in communi, quam in particulari omnino rejiciatur. In ecclesiis, choro, et sacristia liceat aliquo ornatu religioso, et devoto uti.

§. V.

De religiosis qui in eremum mittuntur.

De religiosis, qui in eremum mittuntur.

§. 325. 1. Nullus religiosus in eremum, nisi de consensu p. n. generalis, neque aliquis invitus, nec discolus, aut poenitentia aliqua actuali, et praesenti punitus, vel ille de cujus profectu non est aliqua probabilis spes, mittatur. Quare ad eremiticam disciplinam tantum admitti debent viri orationis, et mortificationis studiosi, et regulariter ubi commode fieri poterit, p. generalis priorem eremi consulat, antequam aliquem in illam mittat.

De tempore permanentiae ad accedentium eremum.

§. 326. 2. Ad eremum accedentes, ibi per annum ad minus permaneant, finito vero hoc tempore, p. generali incumbat eos ad alios ordinis conventus remittere, nisi ipsi ab eo licentiam ultra commorandi obtinuerint, et prior eremi p. generalem, adimpleto anno, certiorem faciat. Omnino tamen provideat p. generalis, ut ad minus quatuor ibi perpetuo assistentes (volentibus, et petentibus ipsis) designentur, ut eorum exemplo, et ductu caeteri instruantur, et hi nulla ratione ab eremis extrahantur, nisi vel petentibus ipsis, vel ob salutis defectum, vel quia in alia deserta, justis de causis, transferantur, vel alia simili, gravique necessitate id exigente.

De dispensationibus concedendis pro receptione ad eremum.

§. 327. 3. Praeterea justa, et rationabili causa interveniente, liceat p. generali cum aliquo praelato, lectore, praesidente, aut alia simili persona dispensare, ut ad eremum Deo vacandi gratia duabus, aut tribus mensibus se recipiat: quod tamen raro fiat: ipsique hoc tempore vitae eremiticae exercitiis tantum occupentur, et in omnibus ac caeteri conventuales se habeant.

§. 328. 4. Religiosorum numerus in eremis non sit ultra viginti quatuor ad summum. Ex quibus viginti sint ex his, qui choro deputantur, inter quos quatuor fratres ex non sacerdotibus possunt admitti, et laici necessarii pro officiis obeundis, tresque, aut quatuor denati ad habitum, et edurationem, qui prima professione emissa in alios conventus mittantur. Oneramusque superiorum conscientias, ut ad minus tredecim ex choro addictis semper sint, inter quos non connumerentur, qui per aliquot menses, aut breve tempus in eremo commorantur.

De numero religiosorum in eremis.

§. 329. 5. Si ii, qui in eremis degunt ita remisse in assumpto proposito se gesserint, ut probabilis spes de eorum spirituali profectu non praesumatur, prior p. generali denuntiet, et ipse mature cognita causa, eos ad alteros ordinis conventus statim transferat, idemque faciat cum iis, qui habituali aegritudine ita afficiuntur, ut vitam communem in choro, et refectorio, et aliis communiter servare non possint.

De translatione non proficentium in spiritu.

§. VI.

De exercitiis eorum, qui in exterioribus, et separatis cellulis vivunt.

§. 330. 1. Ut exercitiorum varietate, spiritus magis foveatur, et ut tam in communi, quam in solitaria vita, vicissim omnes exerceantur, extra monasterium sint aliae separatae cellulae, in quibus vitae solitariae per tempus a priore designatum, et ipsis petentibus, aliqui studeant, qui in omnibus, exceptis iis, quae hic specialiter annotantur, communem cum aliis vitam servent, et eisdem horis ac in communi ecclesia divinum officium persolvant, factoque signo a communi cymbalo ad horas illud caeterae cellularum campanulae sequantur: negligentes vero in hoc corrigantur.

De exercitiis eorum, qui in exterioribus, et separatis cellulis vivunt.

§. 331. 2. Qui in his cellulis separatis morantur, severiori victu, quam in conventu utantur: et omnes tantum oleribus crudis, aut coctis faciliter tamen paratis, et fructibus, aut pomis communiter sustententur, nisi ob debi-

De victu ab eis adhibendo.

litatem, vel aliam justam causam praelatus aliquid aliud alicui mittere velit; minimeque eis concedantur libri scholastici, aut sermonarii, aut exceptorii codices, sed tantum libri spirituales, vel sanctorum patrum opera.

De capitulo conventuali, aliisque actibus communibus faciendis.

§. 332. 3. Singulis dominicis omnes eremitae ad capitulum conventuale conveniant; et postquam se de suis culpis accusaverint, celebrata cum aliis conventualibus missa post prandium, vel vesperas ad suas redeant cellulas, nisi collationis dies fuerit.

De congregationibus in ecclesia tempore quadragesimali.

§. 333. 4. Cum adventus, et quadragesimae tempus specialiter Deo deputetur, ordinamus, ut feria secunda post primam dominicam Adventus, omnes in ecclesia congregentur; factaque a praelato pro rei opportunitate exhortatione, omnes per aliquod spatium orationi vacent, et postea in solitarias aediculas a praelato sibi designatas usque ad diem praecedentem vigiliam Nativitatis, sex ad minus, aut plures recedant, ita ut in conventu ad divinum officium debite persolvendum sufficiens choriatarum numerus remaneat. Et idem fiat prima die quadragesimae, ubi imposito a praelato cinere, dataque benedictione, ad praedicta solitaria loca tendant: revertantur vero in dominica Palmarum, et non ante, nisi funus alicujus fratris, aut eremi visitatio occurrat: festivis hujus temporis diebus, liceat assuetam abstinentiam, tam in qualitate, quam in quantitate prioris arbitrio remittere. Liberumque sit praelato, cum sibi visum fuerit, aliquem, vel aliquos ex iis ad conventum revocare, eorumque locum alium, vel alios mittere. Praedicto tamen tempore in conventu capitulum, et collationes pro eis tantum, qui in eo assistunt, non omittantur. Curandumque maxime est praelato quantum possibile sit tempore Adventus, et quadragesimae majori cura quam per reliquum anni tempus saecularium congressus evitare.

De visitatione eorum qui commorantur in separatis cellulis.

§. 334. 5. Nemo ex conventualibus ad separatas cellas mittatur antequam ad minus dubbus mensibus cum aliis in eremi communitate permanserit; et prior, aut vicarius eremi, saltem semel in hebdomada visitabit omnes fratres, qui in his separatis cellulis commorantur.

§. VII.

De regimine circa eremi monasteria servando.

De regimine eremorum.

§. 335. 1. Eremi monasteria immediate p. n. generali subjiciantur, et ab eo tamquam a proprio patre, et pastore regantur, qui ob spiritualem fructum, qui ex eis toti ordini accrescit, et praecipue ob gloriam Dei hujusmodi domos fovere, ac tueri maxime curet, et idem caeteri praelati faciant; liceat tamen quando p. generali visum fuerit, provinciali illius provinciae suas vices conferre.

De prioribus eremorum.

§. 336. 2. Priores eremorum eligantur ex iis, qui in eremitica disciplina fuerint versati, et deficientibus his, et toto ordine, qui regulariter tribus annis officio suo fungantur, nisi aliud electoribus expediens videatur, quarum arbitrio relinquatur, eorum officia plus temporis protrahere. Ad officium prioris viri irreprehensibiles assumantur, orationis studiosi, et in spirituali vitiorum certamine experti. Habeant praeterea eas qualitates, quae in aliis ordinis prioribus requiruntur. Si quae vero ex iis desiderentur, dummodo praedictis ornetur, cum eo poterit dispensari. Superior autem a priore eligatur, et a p. generali confirmetur, et utriusque arbitrio perduret. In eremi temporalium bonorum administratione, et in numero claviorum, et forma eos eligendi, et in usu arcae trium clavariorum servetur omnino quod pro aliis conventibus in constitutionibus statuimus.

De cultura arborum.

§. 337. 3. Ne in eremis nimia agriculturae sollicitudine spiritus extinguatur, volumus, ut tantum illae arbores, vel agri colantur, quibus aliquorum fratrum donatorum, simul cum aliquo saeculari, labor regularis sufficiat, et ut ea loca semper arboribus consita sint, quolibet anno priores, agrestes, et frugiferas arbores teneantur plantare.

§. VIII.

De inviolabili harum legum observantia.

De inviolabili legum observantia.

§. 338. 1. Decernimus, ut nulla constitutionum harum legum mutari, extingui, seu quovis alio modo alterari, vel alia denuo addi possit, nisi eo modo, ac reliquae ordinis constitutiones. Loco autem consultationis, quae in capitulis provincialibus praecedere debet, pro harum mutatione, sive additione, similis alia fiat in eremis a visitatoribus, et eremitarum sententiam in capitulo generali referant.

De interpretatione legum.

§. 339. 2. Quoniam sinistra legum interpretatio omnem earum vim evacuare, et exi-

tenire solet, volumus et saepius imperamus, ut omnes eremi constitutiones simpliciter intelligantur. Quod si forte de earum sensu aliqua interdum dubitatio contingat, tunc ille sensus, sive declaratio eligatur, quae magis orationi, asperitati, et aliis hujus professionis observantiis favet. Studeantque non solum praelati, sed quivis alii religiosi (salva tamen animi pace) perfectam harum legum observantiam summo stadio zelare. Et pro hujus sancti instituti conservatione, et augmento maxima cura in omnibus eremis ad Deum speciales fundantur preces.

De lectione constitutionum in refectorio facienda.

§. 340. 3. In omnibus vero, aliisque, quae his constitutionibus non contradicunt, communes ordinis constitutiones custodiantur, et initio cujuscumque mensis hae constitutiones eremi in refectorio legantur, et omnes eremorum conventus, sicut et alii quotannis visitabuntur per patrem generalem, vel per religiosos idoneos, quos p. generalis ad id designabit. Quod regulariter per provincialem illius provinciae, cujus est eremus, fiat. Et tenebuntur visitatores statim de cujuscumque eremi statu, tam in temporalibus, quam in spiritualibus relationem ad patrem generalem mittere.

De numero eremorum.

§. 341. 4. Volumus tamen, ut in qualibet provincia sit aliqua ex eremorum domibus; quam praelati tota diligentia erigere, et augere conentur, propter uberes fructus, qui toti religioni proveniunt. Sed in nulla provincia poterit esse nisi unica tantum eremus, et definitorium nequaquam dispensare poterit, ut alicubi sint plures.

TERTIA PARS CONSTITUTIONUM

CAPUT PRIMUM

De electionibus in communi, et obligationibus suffragatorum.

De electionibus in communi.

§. 342. 1. Quia sancta synodus Tridentina in electione superiorum, et officialium regularium, quae omnia recte et sine ulla fraude fiant, stricte praecipit omnes supradictus eligi debere per vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Ut hoc salubre concilii decretum servetur inviolabiliter, ut par est, decernimus, electiones omnes superiorum, aut officialium in capitulis, aut definitoriis faciendas per secreta suffragia fieri debere, utque secretum istud arctius servetur, et libertati electorum plenius consulatur, fient in posterum electiones per schedulas scriptas non de manu electoris, aut alterius ad ipsius arbitrium, sed de manu praecise duorum fratrum, qui ad munus hoc destinabuntur. Caetera autem negotia per calculos albos et nigros determinentur. Ne ergo circa electiones vel minimus pateat aequivocationi aditus, sequens in eis forma servabitur.

De forma servanda in electionibus.

§. 343. 2. Capitulum, antequam ad electiones procedatur, duos designabit fratres, (in definitorio sufficit unus) qui non sint de corpore capituli, aut definitorii. Horum munus erit nomina eorum, quae electores ab ipsis petierint, in schedulis scribere manu propria, et ante omnia juramentum praestabunt coram capitulo vel definitorio de non revelandis nominibus traditis electoribus, et de secreto servando in omnibus, quae sigillum circa electiones, et electorum libertatem requisitum directe, aut indirecte frangere possint. Immediate post praestitum juramentum ambo pergent ad locum sibi designatum extra aulam capitularem, et parum ab ea distantem, ubi duo ita separati pro officio suo exercendo sedebunt, ut nequeat unus ab alio scripta videre, aut suscipere.

Idem ut supra.

§. 344. 3. Postea duo digniores de capitulo consedentibus caeteris ad amanuenses accedent singuli ad unum ex eis duo, aut tria ad minus eligendorum nomina petituri, quo facto simul ad capitulum redeant, schedulam sibi bene visam in vas ibi ad suscipienda suffragia paratum reponant, dilaceratisque superfluis, sedeant. Deinde bini, et bini suo ordine reliqui idem exequantur usque dum omnes suffragentur. Confestim post suffragationem peractam si electio fiat a capitulo, praeses cum duobus definitoribus, et secretario schedulas scrutentur, quas singuli legent, et secretarius cum alio ex scrutatoribus nomina in schedulis contenta, cum annotatione numeri suffragiorum cuilibet respondentia, seorsim scribent, duorumque scripta conferentur an inter se conveniant, ut nullus sit aequivocationi locus. Si electio fiat a definitorio, scrutatores erunt praeses cum duobus ex dignioribus definitoribus et secretario, qui in caeteris se gerent ut praescriptum est de scrutatione capituli a definitorio facta.

De canonica electione.

§. 345. 4. Omnes electiones canonice fient, eritque canonica electio, si quis plura habe-

rit suffragia, quam alii omnes simul, et si excessus ultra medietatem consistat in medio tantum voto, sicut si ex quindecim suffragia habeat octo, electio erit canonica. Si prima vice in nullo eligendorum conveniant suffragia ultra medietatem non est electio, et debet suffragatio iterari. Quod si secundo et tertio idem contigerit, qui tertia vice plura suffragia, quam quilibet aliorum seorsim habuerit, is censeatur canonice electus, et si tunc duo vel tres fuerint vocibus aequales, antiquior in professione, et si adhuc in hoc adsit aequalitas aetate major manebit electus.

De vetita publicatione suffragiorum. §. 346. 5. Ordinamus, ut facta electione minima suffragia talis electionis publicentur. Si vero pro secunda vice electores non convenerint, possit praeses, ut facilius suffragia conformentur, eos qui voces habent, et suffragiorum numerum manifestare. Decernimus, ut omnes controversiae in electionibus ortae a definitorio generali, vel provinciali respective decidantur. Si de electione p. generalis dubium aliquod occurrat definitorium teneatur illud omnino per majorem partem suffragiorum intra diem naturalem decidere (idem fiet a definitorio provinciae in dubio de electione p. provincialis) quorum resolutioni nemo contradicat, sub poena privationis officii, loci et vocis in perpetuum irremissibiliter incurrenda.

De libertate electionis. §. 347. 6. Nec p. generalis nec alius ordinis superior jus habeat nominandi personam aliquam ad electionem; quamvis aliquando cum expediens videbitur, definitorium poterit aliquas personas eligentibus ob oculos ponere: semper tamen ipsi liberi maneant ad electionem faciendam tam ex eis qui propositi sunt, quam ex quibusvis aliis.

De privatione vocis activae. §. 348. 7. Nullus ex electoribus per sex menses praecedentes ad capitulum generale, vel provinciale potest voce activa privari, nisi ratione suae culpae mereatur privationem officii, cui vox sit annexa. Si quis vero ob alias causas sit inhabilis aut voce careat, decernatur id a definitorio generali vel provinciali.

De delegatione vocis in electionibus. §. 349. 8. Nemo possit in electionibus vocem suam alteri delegare, nec simul duas voces habere quamvis pluribus fungatur officiis, nullusque ad sua officia incompatibilia eligatur.

De servando decreto Urbani VIII. in electionibus. §. 350. 9. Ut ergo omne vitium in electionibus vitetur, ut omnis officiorum ambitus praecludatur occasio, omnino servari volumus decretum ss. Urbani VIII. quod est tenoris sequentis »Caveant omnes a directa, vel indi» recta vocum seu suffragiorum procuratione, » tam pro se ipsis quam pro aliis, tum in capi» tulis locorum, tum in caeteris praesertim ge» neralibus capitulis, aut congregationibus, » seu alibi. Quicumque secus fecerint, propter » alias personas et censuras hactenus contra » hujusmodi ambientes inflictas, quas in suo » robore permanere volumus, in poenam pri» vationis officiorum, quae obtinent, eo ipso » incidant, et ad futura quaecumque pari» ter inhabiles habeantur: super quo cum eis » dispensari a nemine possit nisi a Nobis, vel » a successoribus nostris, et pro qualitate cul» parum gravius etiam plectantur ».

De juramento praemittendo in electionibus. §. 351. 10. In superiorum, et officialium omnium electionibus praemittent electores juramentum sicut idem ss. Urbanus VIII. praecipit, eligendi eos, quos secundum veritatem cujusque conscientiae probatiores, ac magis idoneos judicaverint. Utque electiones omnes possibili puritate fiant, praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto formali omnibus religiosis nostris, tam subditis, quam praelatis, ut nullus in tota congregatione umquam possit directe, vel indirecte per se, vel per alium procurare officium pro religioso nostro, aut moniali ex iis, quae per electionem conferuntur.

CAPUT SECUNDUM

De qualitatibus eligendorum.

§. I.

De qualitate eligendorum in communi.

De qualitatibus eligendorum in communi. §. 352. 1. Ad officia et praelaturas ordinis illi praecipue, ut in decreto ss. papae Urbani VIII. praecipitur, eligantur, qui possint, et consueverint regulas ordinis et constitutiones observare, praesertim quae pertinent ad servitium chori ac vestitum, et victum communem, propterea que ordinamus ut qui ratione alicujus aegritudinis non possit assidue choro interesse, vel a carnibus abstinere, eo ipso maneat inhabilis ad officium generalis, provinialis, prioris, aut superioris, et jam electus ob easdem causas ab officio removeatur. Poterit tamen in

definitorem vel generalem, vel provincialem eligi, si alias in eo caeterae qualitates ad munera ista desideratae conveniant.

De eligendis ad praelaturas. §. 353. 2. Neque eligi poterunt ad praelaturas, qui sacerdotes professi non fuerint nec a jure inhabiles, ne qui voce activa, et passiva privati sunt, ne qui semel expulsi ab ordine, aut apostatae fuerunt.

De praelatione in electionibus facienda. §. 354. 3. Volumus, ut in electionibus cunctis, sed maxime praelatorum digniores, ut dictum est, praeferantur, et in quo electorum conscientias graviter oneramus, optamusque maxime, et praecipimus, ut eligendi omnes sint qualitatibus ad munera in his nostris constitutionibus requisitis affecti, nec aliter eos eligi posse permittimus.

Monitum ad electores. §. 355. 4. Memores etiam sint electores nihil se ad Dei gloriam, et tuendam ordinis disciplinam utilius facere, quam si boni pastores, et ad religionem rite gubernandam magis idoneos ei studeant praeficere; pariterque superiores omnes electos, aut in posterum eligendos in Domino admonemus, ut prae oculis habeant rationem, quam in novissimo die reddituri sunt de grege sibi commisso, ac propterea omni studio invigilent, ut quae in regula, et in his constitutionibus sancita sunt, ea omnia et singula ad unguem observentur; super his enim fundamentis ordinis aedificium consistet, et in dies augebitur in gloriam Dei, decorem Ecclesiae, et salutem animarum.

§. II.

De qualitatibus eligendorum in particulari.

De qualitatibus eligendorum in particulari. §. 356. 1. Sollicite exquirendae sunt in eligendis integritas morum, prudentia, scientia, vita communis, puritas, et zelus regularis, ac inviolabilis observantiae, curandumque maxime ne in electione ejus, qui super omnes constitui debet, errare contingat, si quod desideratur in corpore deficiat in capite. Unde si qui toti ordini est praeficiendus, taliter debet supra caeteros praeeminere, ut ipse solus pastor, et caeteri ejus grex esse statim appareat.

De electione generalis. §. 357. 2. Generalis ergo qui toti ordini praeest sit aetate gravis, nec quinquaginta annorum minor, sapientia praestans, in theologiae, aut sacrorum canonum peritia excelsus, et in observantia, et regimine regulari adeo expertus, ut per sex saltem annos aliquos conventus, ut praelatus immediatus, rexerit, et ulterius per tres annos provincialis, vel definitoris generalis munere functus fuerit.

De electione definitorum generalium. §. 358. 3. In definitoribus generalibus, praeter virtutis prudentiam et consilii dotes requiritur aetas completa quadraginta quatuor annorum, et quod per quatuor annos theologiam docuerit, vel saltem tres annos philosophiam et per alios tres theologiam, et insuper per sexennium conventuum aliquorum prior extiterit.

De eligendo ad officium provincialis. §. 359. 4. Ad officium provincialis eadem aetas, quae in definitoribus, idem tempus lectionis theologiae et praelationis immediate desiderantur. Sed si quis per novem integros annos consultoris munus exercuit, quamvis non fuerit lector, poterit eligi in provincialem, dummodo caeteris supradictis qualitatibus ornatus sit.

De destinatis in visitatores generales. §. 360. 5. Qui in visitatorem generalem alicujus provinciae a patre generali, vel definitorio est destinandus, easdem debet habere qualitates, quae exiguntur in definitoribus generalibus.

De electione procuratoris generalis. §. 361. 6. Nemo in procuratorem generalem tam Romae, quam Hispaniae eligetur, nisi easdem omnino habeat dotes in provincialibus requisitas, et idem sit de secretario primo p. n. generalis, et de sociis, ac substitutis ad capitulum generale assignandis. Procuratores, et secretarius primus generales, possunt in generalatum quamvis nec provinciales, nec definitores generales extitissent, assumi, dummodo per quatuor saltem annos officia sua exercuerint: idem sit de visitatore generali qui integram visitavit provinciam.

De numero definitorum provincialium. §. 362. 7. Definitores provinciales sint quatuor, qui non tantum ex assistentibus in capitulo provinciali, sed ex tota provincia eligi poterunt, quicumque idonei judicentur, et scientia, prudentia, et zelo praediti habeant qualitates sequentes.

De requisitis necessariis in primo definitore. §. 363. 8. Eligendus in primum definitorem fuisse, necesse est, lectorem theologiae per tres annos, aut per novem consultorem, seu praesidem conferentiarum moralium, et insuper per sex annos priorem aliquorum conventuum.

De requisitis aliorum trium definitorum. §. 364. 9. Tres alii definitores sufficiet, si fuerint lectores theologiae per tres annos, aut praesides conferentiarum per sex, et quod prioris munus integrum triennium exercuerint,

nous autem ex his eligi poterit, et si non fuerit lector, nec conferentiarum praeses, dummode per integrum decennium evangelicae praedicationis munus cum designatione praedicatoris domus laudabiliter obierit, et alias fuerit prior per tres annos.

De requisitis ad prioris officium obtinendum.

§. 365. 10. Ad officium prioris assumentur spectatae vitae religiosi, qui trigesimum aetatis suae annum attigerint, quique per triennium lectores fuerint theologiae, vel finitis studiorum cursibus per sex annos literarum professionem exercuerint in officiis lectoris artium, consultoris, collegialis candidati (vulgo passantes) et magistri studentium, seu lectorum adjutores, sive ex anni simul in uno ex dictis officiis, vel partim in uno, et partim in alio aut in aliis transacti compotentur dum ob penuriam religiosorum omnibus praedictorum requisitis a constitutionibus praescriptis per eadem comitia provincialia non dispensetur ad hoc ut eligi possint, qui licet trigesimum septimum non compleverint, trigesimum vero secundum suae aetatis annum expleverint, ita tamen ut caeteris polleant qualitatibus, nec electio respiciat conventum cui alicujus monasterii monialium sit concredita directio.

De requisitis necessariis ad munus praedicatoris.

§. 366. 11. Item qui praedicatoris munere cum assignationem per decem annos alicujus ex dictis exercitiis literarum adjunxerit alios sex in munere secretarii secundi generalis, vel in officio superioris.

De electione magistri novitiorum.

§. 367. 12. In electione magistri novitiorum maxima cura adhibenda est, et omnino studendum, ut talis sit, qualis a ss. papa Clemente VIII. describitur, nempe, qui trigesimum quintum annum aetatis excedat, doctrina et anteactae vitae exemplo praestans, orationi, et mortificationi addictus, scientia, prudentia, charitateque praeditus, affabilis, gravis, zelum Dei cum mansuetudine praeseferens, ab omni cordis, et animi perturbatione praesertim indignatione longissime alienus, et talis denique qui in omnibus se ipsum bonorum operum, et regularis observantiae exemplum praebeat, ut ii, qui ejus curae subsunt illum non tam metuant, quam revereantur, quin illi umquam detrahere quidquam possint.

Idem ut supra.

§. 368. 13. Volentes ergo, ut apostolica ordinatio servetur ad unguem decernimus, ut magister novitiorum eligatur a capitulo provinciali, qui habeat omnes qualitates in prioribus requisitas, et rursus priori munus per triennium integrum exercuerit. Sicque ei tres magistri anni pro totidem annis in prioris officium insumptis, ut possit in generalem definitorem, vel provincialem eligi, dummodo habeat alias qualitates ad haec officia requisitas.

De electione socii magistri novitiorum.

§. 369. 14. Socius magistro novitiorum designandus sit sacerdos, qui trigesimum annum excedat, atque vita, et moribus, prudentiaque, quantum fieri potest, magistro consimilis, ut praescribit laudatus ss. papa Clemens. Quod electores prae oculis habere magnopere commendamus, ne in electione tanti momenti errare contingat.

De magistro professorum, et ejus socio.

§. 370. 15. Magister professorum, et ejus socius eligentur, habita ratione qualitatum quae pro magistro novitiorum, et socio ejus requiruntur, et prudenti electorum arbitrio applicandae ad magistros professorum, eorumque socios. Qualitates in superioribus, lectoribus, clavariis, et procuratoribus requisitae in propriis harum constitutionum capitibus designantur.

Declarationes speciales.

§. 371. 16. Pater generalis, et procuratores generales utriusque curiae eligendi sunt juxta formam capite sequenti praescribendam. Ad caetera autem officia assumentur religiosi ex filiis provinciae ad quam spectant. In provinciis denuo erigendis, libere ex toto ordine eligentur religiosi ad eorum munera exercenda pro tempore, capitulo generali bene viso.

CAPUT TERTIUM

De reelectionibus in ordine vitandis.

De reelectionibus in ordine vitandis.

§. 372. 1. Inter coelestia sanctae matris nostrae Theresiae monita unum est, et omni ponderatione dignum, quod in ordine *reelectiones priorum non fiant*. Tantae ergo magistrae praecepto obtemperantes, et vestigia sequentes decernimus, ut nullatenus fiant in ordine reelectiones, nec dum priorum verum potiori jure, nec praelatorum superiorum. Quod ut plenius impleatur, sequentia constituimus statuta inviolabiter servanda.

Idem ut supra.

§. 373. 2. Generalis, qui ultra tres annos munus suum exercuit, finito suo officio, in nullo eventu poterit iterum in generalem, aut vicarium generalem eligi in duodecim annis sequentibus, neque his transactis, nisi in casu necessitatis, et tunc non nisi convenientibus ad electionem in primo, et unico scrutinio plus

quam tribus ex quatuor partibus suffragiorum capituli, alias autem praelaturas generalato inferiores nunquam omnino in posterum obtinebit.

Idem ut supra. §. 374. 3. Ut generalatus dignitas omnes ordinis provinciis proportionabiliter pervadere semper possit, de caetero non eligetur generalis, nec vicarius generalis ex tribus ultimis provinciis, quae ultra tres annos hunc honorem habuerunt, nisi in casu necessitatis, aut magnae utilitatis, ob quam ultra tres ex quatuor suffragiorum capituli partibus convenirent in primo, et unico scrutinio in eligendo aliquam ex dictis tribus provinciis in generalem.

Sequitur ut supra. §. 375. 4. Definitor generalis si officium exercuit per majorem partem triennii, non potest eligi in idem munus in integro sexennio sequenti; et si eo transacto redeat ad idem officium, jam tertio illud obtinere non poterit, nec valet transire in provincialem per electionem regularem in dicto sexennio; poterit tamen transactis tribus integris annis a finito officio definitoris fieri provincialis per electionem irregularem, concurrentibus, in primo, et unico scrutinio plusquam tribus ex quatuor partibus suffragiorum capituli. Sed valebit eligi per electionem regularem in definitorem provinciae, vel in priorem transacto integro triennio post finitum definitoriatum generalem, et non antea.

Sequitur ut supra. §. 376. 5. Provincialis, qui per majorem partem triennii rexit provinciam nullatenus poterit idem officium habere in sex annis sequentibus, neque eis transactis poterit in illud redire, nisi per electionem irregularem, cum plus quam tribus ex quatuor suffragiorum partibus in primo, et unico scrutinio convenientibus. Poterit eligi in definitorem generalem per regularem electionem post integrum sexennium a finito officio provincialis, et non antea, et per electionem regularem cum plus quam tribus ex quatuor partibus in primo, et unico scrutinio fieri poterit definitor generalis transacto triennio, et post idem tempus, et non antea assumi poterit per electionem regularem in priorem, aut vicarium conventus, aut definitorem provinciae, et nunquam tertio possit eligi in provincialem.

Idem ut supra. §. 377. 6. Procuratores generales utriusque curiae durabunt per sexennium, et nunquam eligentur ex filiis provinciae, ex qua electus est generalis. Si autem contigerit generalem eligi, quando adhuc procuratores generales efficium non finiunt, et aliquis procuratorum sit de provincia generalis noviter electi, non ob id ab officio cessabit usque ad praefinitum tempus.

§. 378. 7. Non poterunt duo procuratores generales esse ejusdem provinciae, nec de provinciis duorum procuratorum, qui ipsos immediate antecesserunt in officio, ut sic officium istud valeat omnes provincias cum proportione percurrere, nec poterunt reeligi in officium procuratoris generalis ullius curiae, nisi in casu necessitatis, convenientibus ad eorum reelectionem duabus ad minus ex tribus partibus suffragiorum. Idem ut supra.

§. 379. 8. Electus in definitorem provinciae poterit in eodem capitulo eligi in socium, aut substitutum pro sequenti capitulo generali, si habeat qualitates praescriptas; similiter et definitor provinciae potest assumi in provincialem; nequit tamen simul esse definitor, et prior, aut aliam praelaturam obtinere una cum officio definitoris habendam; nec potest reeligi in definitorem provinciae immediate post finitum efficium idem, nec in toto triennio sequenti. Idem ut supra.

§. 380. 9. Priores minime reeligantur ad eumdem conventum, cui majori triennii parte praefuerunt: ad alios vero eligi poterunt nisi per quatuor annos sine interruptione munus prioris tantum, vel partim prioris, et partim provincialis, aut definitoris generalis, vel provinciae exercuerint. Priores enim, qui modo dicto per quatuor continuos annos praefuerunt, nequeunt in priores iterum admitti non transacto integro triennio, bene tamen ad officia majora, nempe generalis, definitoris generalis, vel provinciae, et in provinciales. Priores vero eremorum poterunt eligi, et reeligi ad eamdem eremum, aut ad alios conventus quin obstet prohibitio pro caeteris prioribus apposita. Idem ut supra.

§. 381. 10. Visitator designatus a p. generali pro aliqua provincia visitanda, si ejus capitulo praesideat, in eo voce activa gaudebit, non tamen poterit in eodem capitulo, cui praesidet, eligi in provincialem, nec in definitorem generalem, nec in socium aut substitutum pro sequenti capitulo generali, nec in definitorem provincialem; bene vero in priorem, nisi alias sit per has nostras constitutiones impeditus. Idem ut supra.

Regula generalis.

§. 382. 11. Denique sit regula generalis: qui nequit reeligi in generalem, in definitorem, in provincialem, aut in priorem, nec in vicarium respective, nec in praesidem hospitii eligi posse permittimus.

CAPUT QUARTUM

De capitulo generali.

§. I.

De tempore celebrationis, et de gremialibus ad illud accessuris.

De tempore celebrationis capituli generalis.

§. 383. 1. Capitulum generale nostri ordinis celebretur de sexennio in sexennium sabatho ante dominicam ultimam septembris, semperque, vel regulariter fiet in conventu sancti Petri de Pastrana, in quo tempore capituli nulli permittentur hospites praeter gremiales, et eos, qui pro illorum obsequiis deputentur.

Declaratio specialis.

§. 384. 2. Si circa tempus pro capitulo generali celebrando assignatum, patrem generalem, adeo infirmari contingat, ut ei assistere non valeat, poterit ipse per unum mensem, et non amplius capitulum differre. Si autem hoc, congregato jam capitulo, eveniat, capitulum decidet quid sit agendum.

De extraordinaria capituli celebratione.

§. 385. 3. Capitulum generale intra sexennium non celebrabitur, nisi pro extraordinaria electione p. generalis, et casu adeo gravi, et urgenti, ut arbitrio definitorii, et sex ex septem definitorii votis postulantibus pro casus determinatione capitulum generale congregare necesse sit.

De componentibus supremum tribunal ordinis in capitulo.

§. 386. 4. Gremiales, qui hunc generalem congressum, et supremum ordinis tribunal componere debent, et in eo suffragaturi erunt p. generalis, sex definitores, octo provinciales ex totidem provinciis, quae sunt intra Hispaniae peninsulam, singuli cum duobus suae provinciae sociis, et de provincia, quae non habet definitorem cum tribus sociis, ita ut ex singulis dictis provinciis, ut debita servetur aequalitas quatuor conveniant suffragatores in capitulo, et alterius duo tantum ex provincia s. Alberti apud Indos, nempe procurator dictae provinciae, et ejus socius, vel definitor generalis, quando juxta postea dicenda eam ex filiis suis habere definitorem generalem contigerit.

De juribus procuratoris generalis Hispaniae.

§. 387. 5. Procurator generalis Hispaniae assistet cum voce ad capitulum generale, tamquam socius natus suae provinciae, quin ob id conveniant ex ea plus quam quatuor vocales ad capitulum generale; et solum ex provincia unde fuerit p. generalis poterunt quinque suffragia concurrere.

Declaratio quoad generalem denuo electum.

§. 388. 6. Si generalis denuo electus non fuerit de corpore capituli, et ad illud ante ejus absolutionem pervenerit, praesidebit, et suffragabitur usque ad capituli consumationem.

De scamnis occupandis ab gremialibus.

§. 389. 7. Quod ad ordinem consessus gremialium spectat p. n. generalis primam sedem tenebit, et facta novi generalis electione si ibi adsit secundam, idemque si eligatur praeses capituli; postea definitores suo ordine, deinde provinciales, seu vicarii secundum antianitatem provinciarum, et ultimo eorum socii, etiam pro provinciarum antiquitate, et tam intra, quam extra capitulum sedebunt, et praesidebunt juxta dictum ordinem in conventu usque ad capituli finem. In gubernatione autem conventus minime immiscenntur.

De electionibus spectandis ad capitulum generale.

§. 390. 8. Electiones omnes ad capitulum generale spectantes sunt tres, nempe p. generalis, et duorum procuratorum generalium Romae, et Hispaniae, quas a toto capitulo fieri debere statuimus; coeterae vero electiones fient deinceps in capitulis provincialibus. Si durante capitulo electi in eo e vita decesserint, aut officia renunciaverint, spectat ad capitulum renunciationem admittere, et ad officia vacantia novas electiones facere.

§. II.

De agendis in congressu capituli.

De agendis in congressu capituli.

§. 391. 1. Per duos saltem menses ante celebrationem capituli, p. generalis epistolas mittet vocatorias ad omnes gremiales, ut in die, et loco designatis opportune conveniant. Si vero vocatoriae epistolae non pervenerint, gremiales eas non expectent; sed praestituto tempore; etiam non vocati ad capitulum accedant.

De precibus Deo effundendis.

§. 392. 2. Instante capituli celebratione curabit p. generalis, ut in omnibus conventibus congregationis, tam fratrum, quam monialium publice, et privatim enixe pro felici illius exitu effundantur ad Deum preces, atque

iis qui capitulo intersunt, divinam suam voluntatem misericorditer inspiret, et lumen e coelis emittat, quo omnia absque animi perturbatione ad omnipotentis laudem, religionis utilitatem, et perfectionis progressum pacifice, et recte possint ordinari.

De conventu gremialium.

§. 393. 3. Omnes gremiales feria sexta immediata praecedenti dictam dominicam ultimam septembris, et non antea sub poena arbitrio definitorii applicanda conveniant. Eodem die, electo a definitorio secretario capituli, qui juramentum fidelitatis illico praestet, et examinatis sociorum literis, interrogabit praeses omnes gremiales: an in aliquo ipsorum impedimentum noverint, propter quod non debeat in capitulo admitti? si reperiatur, et sufficienter probetur in aliquo ex eis adesse impedimentum, declaretur statim, illudque habens ejiciatur a capitulo. Neque omittatur in capituli generalis sessionibus lectio apostolicarum constitutionum, quae legi debent juxta Sanctae Romanae, et universalis inquisitionis diei 19 aprilis 1623. quod incipit — *Sanctissimus Dominus Noster* — quod fiet etiam in quavis alia electione prioris nostri generalis, aut vicarii generalis.

De absolutione gremialium a censuris.

§. 394. 4. Immediate post capituli praeses absolvet ad cautelam omnes gremiales a censuris, aut alio quocumque impedimento, vel inhabilitate per quod omnis timor nullitatis in actis capituli evanescat.

De literis ad capitulum missis.

§. 395. 5. Deinde definitorium designet duos ex gremialibus, qui literas ad capitulum missas legant, et fideliter ei opportuno tempore referant. Si tamen aliquae ex dictis literis sint procerum, aut similium personarum, et electionibus tractent, non nisi finitis electionibus manifestentur, ne libertas electorum arceatur.

De lectione praesentis capitis gremialibus facienda.

§. 396. 6. Postea coram omnibus gremialibus caput istud, et duo antecedentia a secretario legantur, attenteque a cunctis audiantur, ne quid memoria excidat, quod ad rectam in electionibus semitam sequendam desideratur.

De designatione diei ad electionem generalis, et procuratoris generalis.

§. 397. 7. Lectione peracta praeses designabit proximum sabathi diem ad generalem, et procuratores generales eligendos, hortabiturque suffragaturos, ut aliarum rerum cura penitus deposita, quod reliquum est temporis usque ad electionem orationi vacent, ac eligendorum mores considerent, ut sanctius, et securius in tanti ponderis actu se gerant.

§. III.

De electionibus in capitulo faciendis.

De electionibus in capitulo faciendis.

§. 398. 1. Sabatho igitur primo mane missa solemnis de Spiritu Sancto, in qua omnes conveniant pro felici capituli exitu, celebretur, idemque fiat eodem die in omnibus ordinis monasteriis.

De concione habenda pro bona electione.

§. 399. 2. Missa dicta absentibus amplius non expectatis, vocales omnes signo dato in aulam capitularem conveniant, ubi Dei auxilio prius implorato, et sedentibus cunctis p. generalis, vel ejus vicesgerens concionem habeat de bona electione facienda, et rei gravitatem, non expresso, nec subindicato ullius nomine summopere commendet. Concione finita procedatur statim in silentio ad eligendum generalem juxta formam, et modum in capite proximo hujus tertiae partis stabilita.

De praestatione obedientiae novo electo generali.

§. 400. 3. Electus generalis ipso jure manet confirmatus in praelatum, et caput totius congregationis, cui omnes obedire tenentur, ideoque statim post electionem, si generalis noviter electus adsit, canente praeside hymnum *Te Deum laudamus*, omnes capituli, et conventus fratres cum solemni processione ad ecclesiam tendent, ubi novo generali obedientiam, prout decet, humiliter, et devote praestabunt, quo facto statim redient omnes vocales ad capitulum, ut procuratores generales Romae, et Hispaniae ante prandium eligant, et si transactis viginti quatuor horis impedimentum non inveniatur a definitorio confirmentur.

De denunciatione electionis generali absenti.

§. 401. 4. Si generalis noviter electus absens sit statim ei electio denuncietur, et nihil usque ad ipsius adventum in capitulo fiat, dummodo intra octo dies commode accedere posse existimetur. Sin autem statim praeses a capitulo eligatur, qui loco generalis cum definitorio praesideat, et omnia in capitulo fiant, sicut si p. generalis adesset.

De caeteris agendis post electionem generalis.

§. 402. 5. Die dominica sequenti missa solemnis habeatur cum concione patrocinii S. P. N. Joseph ad quam omnes capitulares in ecclesia conveniant. Feria secunda immediata incipiet capitulum agere de aliis rebus occurrentibus, maxime de reformatione ordinis, de legibus firmandis, et si opus fuerit de formandis

statutis pro evellendis abusibus, aut relaxationibus.

§. IV.

De forma servanda in statuendis legibus, et ordinationibus.

De forma servanda in statuendis legibus.

§. 403. 1. Ad capitulum generale velnti ad supremam nostri ordinis potestatem, omnia ea spectant, quae in aliorum ordinum generalibus capitulis jure, privilegiis, consuetudine, aut alia quacumque via fieri possunt. Spectant insuper ad illud electiones facere, quae in his constitutionibus ei reservantur circa nostrorum beatificationes, et canonizationes quomodo, quando, et quo ordine tractandum sit, decernere; provincias dividere, dummodo quaelibet provincia de illis ex noviter erectis duodecim ad minus fratrum domos habeat jam fundatas, praecepta toti ordini juxta regulam imponere, ordinationes facere, et leges concedere; id tamen ultimum, quam rarissime, et fere nunquam fieri oportet, ne legum multitudo subditorum animos obruat, atque ideo nec jam stabilitae mutandae sunt, nisi evidentissima urgentissimaque causa superveniente.

De forma legum.

§. 404. 2. Quare leges, et statuta, sive acta in posterum parcius, maturiusque concedantur, stricte commendamus, quod sancta mater nostra Theresia per saepe monuit, et docuit nempe, quod leges sint paucae, et bene observatae, atque aut nulla sint, aut paucissima, ne legum, et statutorum multitudo, et inconstantia animos praemant, et observantiam regulae, quae se sola, satis gravis est, labefactent. Ideoque statuimus, ut deinceps non stabiliatur lex aliqua nisi prius per capitula tria generalia probetur hoc ordine.

De iis, quae in capitulo sunt omnino tractanda.

§. 405. 3. Quoties quinque ex gremialibus postulaverint, vel proposuerint aliquid super quod velint, ut capitulum tractet, et decernat, teneatur praeses capitulo proponere, ut decernatur: dummodo non sit de iis, quae mutationem, vel additionem legum spectant, quia de hoc nunquam tractabitur, nisi majori parte capituli postulante. Et semper graviora negotia de una in alteram sessionem differantur pro maturiore eorum discussione.

De novis legibus statuendis.

§. 406. 4. Cum igitur ad propositionem majoris partis capituli agitur in eo de nova lege statuenda, si capitulum cum plus quam tribus partibus ex quatuor, et non aliter propositionem approbet; quamvis non statim executioni mandabitur, neque servabitur, ut acta, seu statutum inchoationem tamen legis habebit, et exinde capitula provincialia immediata rem in examen adducent, et rationes sui judicii exponent, quas provinciales singuli deferent ad proximum capitulum generale, in quo si lex inchoata per plusquam tres ex quatuor partibus suffragiorum approbetur, statim obligabit non ut stabilis constitutio, sed ut simplex statutum, seu acta, de que iterum consulentur capitula provincialia, ut magis, ac magis examinatis, pensatisque rationibus, tertio in capitulo generali sequenti de lege statuenda maturius decernatur. Et si ibi concurrentibus plusquam tribus ex quatuor partibus comprobetur, tunc si sanctissimus pontifex quaesito ejus judicio probaverit, vim, et nomen constitutionis habeat.

De exclusione novarum legum, vel reformationum.

§. 407. 5. Si tamen in quocumque ex tribus capitulis generalibus non approbetur cum praefixo numero suffragiorum, statim eo ipso expiret, et maneat omnino extincta. Et idem volumus observari ad aliquam ex statutis legibus alterandam, aut mutandam, quod non nisi approbantibus tribus capitulis generalibus cum dicto suffragiorum numero in singulis, at consultis ad id capitulis provincialibus, spectatoque sanctae Sedis judicio fiet: sin aliter lex in suo robore maneat.

De subscriptione novarum legum.

§. 408. 6. Constitutiones de novo stabilitae, et jam approbatae scribantur in libro capituli generalis cum approbatione, et subscriptione omnium vocalium.

De Bullis apostolicis, vel regiis legibus ad religionem pertinentibus.

§. 409. 7. Statuimus praeterea quod omnes Bullae, literae, sive privilegia apostolica, aut regia ad religionem quoquomodo spectantia capitulo generali, vel definitorio exhibeantur, ut debitae ab eo mandentur executioni.

De modo computandi suffragia.

§. 410. 8. Declaramus, quod in qualibet re decernenda, in qua aequalis vocum divisio fieri non potest, quarta pars est sic computande, si vocales fuerint decem, aut undecim, quarta pars consistet in duobus, et sic proportionabiliter in caeteris.

De dispensatione a constitutionibus ordinis.

§. 411. 9. Solum capitulum generale valet dispensare constitutiones, quae ad ordinis regimen spectant, sed non nisi convenientibus tribus ex quatuor partibus vocalium, et hoc

pro aliqua tantum vice, et in casibus particularibus.

De facultatibus capituli edendi statuta communiter acta.

§. 412. 10. Potest etiam statuta quae communiter acta dicuntur, dum opus fuerit edere. Haec tamen quam raro fiant, et non nisi convenientibus ad eorum institutiones tribus saltem ex quatuor partibus suffragiorum. Acta ista, sive statuta vim obligandi habebunt usque ad sequens capitulum post sexennium celebrandum, in quo si non confirmentur extincta sint, si confirmentur in suo robore maneant per aliud sexennium. Eo autem transacto omnino cessant; nec umquam acta ultra duo sexennia possint persistere in posterum, nisi adeo sint necessaria, ut judicio trium partium, et amplius ex quatuor capituli debeant ex tunc inchoationem legis assumere, et in vi obligandi subsistere, usque dum per sequentia duo sexennia in leges exigantur, vel penitus extinguantur juxta formam, et modum, quae in numeris 1. et 5. hujus capitis pro statuendis novis legibus sancita sunt.

Monitum ad praelatos.

§. 413. 11. Monemus iterum praelatos, eorum conscientias onerantes, ne acta multiplicent, neque pro evellendis particularium, et alicujus conventus, vel provinciae abusibus, leges, et statuta faciant pro tota congregatione, sed ibi parent remedium, obi adest morbus; non enim opus est valentibus medico, sed qui se male habent: neque praecepta ad peccatum mortale obligantia imponant, nisi aut nulla, aut paucissima, maxime in illis ordinationibus, quae longo tempore sunt duraturae.

De poenis contra violatores legum, et constitutionum ordinis.

§. 414. 12. Ad majorem autem stabilitatem legum firmitatem, omnia quae in his constitutionibus statuta sunt, volumus, et praecipimus, ut sine contradictione, et inviolabiliter observentur, stricteque mandamus sub poenis excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, et privationis officii, loci, vocis, et aliis arbitrio definitorii infligendis, ut nullus religiosus, sive subditos, sive praelatus, nec per se, nec per alium directe, aut indirecte contra ea, quae in his constitutionibus circa ordinis regimen, tam in communi, quam in particulari sanciuntur, audeat pertinaciter debellare, aut temere, et contra jus attentare, sive machinari. Et religiosi ad quorum notitiam pervenerit, aliquem esse hujus mandati transgressorem, teneantur sub dicta censura statim illum definitorio denunciare.

§. V.

De absolutione capituli.

De absolutione capituli.

§. 415. 1. Expeditis omnibus, de quibus agendum fuit, interrogabit praeses a gremialibus an expediat finem capitulo imponere? Quibus annuentibus, et per majorem partem suffragiorum absolutionem capituli approbantibus, jam de capitulo actum esse declarabitur. Tuncque provinciales praesentabunt relationem scriptam, quam singuli afferre debent omnium defunctorum, qui in unaquaque provincia in toto illo sexennio decessere, ut coram capitulo publice commemorentur.

De missae celebratione pro defunctis

§. 416. 2. Die sequenti celebrabitur missa solemnis pro defunctis ordinis, pro confratribus, et benefactoribus, cum concione, et consueto responsorio post eam, quibus capitulares omnes intersint.

De confessione patris generalis, et aliorum gremialium.

§. 417. 3. Peractis defunctorum officiis omnes gremiales in aulam capitularem conveniant, ibique p. generalis, vel praeses genuflexus coram digniore capituli sedente, et aliis interea stantibus humilem sui confessionem faciat in aliorum aedificationem, et exemplum, in cujus imitationem idem exequantur et caeteri gremiales coram p. generali sedente genuflexi, ut verba salutis, quae ex parentis ore in eorum correctionem, et profectum, permanenter profluant, benigne audiant, humiliterque suscipiant.

De lectione, et subscriptione libri capitularis.

§. 418. 4. Deinde secretarius capituli leget clara voce quidquid ab initio capituli actum est, et jam ad capituli librum debet esse transcriptum, quodque omnes vocales propria subscriptione firmabunt. Absoluto sic capitulo, antequam capitulares discedant, de visitatione agetur p. generalis, procuratorum, et secretariorum generalium praecedentium, quae fiet statim modo in §. sequenti dicendo.

§. VI.

De visitatione p. generalis, et aliorum in capitulo facienda.

De visitatione facienda.

§. 419. 1. Pater generalis non est residentiae subjectus, durante suo officio, eo tamen finito visitabitur in capitulo a novo generali, et definitorio. Haec autem visitatio sic fiet. Pater generalis noviter electus, vel eo absente primus definitor praeceptum formale imponet

omnibus gremialibus; ut coram ipso, et secretario, qui sit unus ex definitoribus a definitorio electus, teneantur inter duos dies disponere quidquid circa mores, regimen, nostrarum constitutionum observantiam, aut debitam sui muneris executionem in p. ex-generali animadversione dignum cognoverint. Vocabit postea coram se, et secretario singulos gremiales, qui depositionem a secretario fideliter scribendam faciant, et suo nomine subscribant. Absoluto scrutinio rationem de eo reddent definitorio, ut ab ipso visitatus juxta causae meritum, vel absolvatur, vel corrigatur. Teneatur p. ex-generalis in ista sui visitatione rationem definitorio reddere de acceptis, et expensis. Haec autem omnia intra duos dies debent regulariter concludi, ut gremiales iter in suas provincias instituant. Quod si aliquo casu majori opus sit diligentia, nullatenus omittatur.

De inquisitione, et sententia ferenda contra correctione dignos.

§. 420. 2. Volumus etiam, quod si religiosus aliquis, vel monialis aliquid in p. generali (et idem sit in unoquoque alio in capitulis visitando) correctione dignum cognoverint, per epistolas ad generalem, vel definitorium via sibi benevisa, transmissas libere manifestet. Quod si forte a gremialium depositione, vel aliorum epistolis, definitorium judicaverit majorem inquisitionem fieri oportere: praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto formali, ut omni cura, secreto, et sine strepitu quantum res ferat, intra tres menses post capitulum generale per se ipsos, per provinciales, aut per alios religiosos suo arbitrio, tali munere idoneos teneantur eam facere. Conclusa vero ejus causa de illis prudentia comite, et rectitudine sententiam ferant. Et tam p. generalis, quam definitores, et secretarius, qui huic visitationi formandae, et judicandae interfuerint jure jurando ad servandum secretum circa deponentium personas, quin eas nec aliis gremialibus revelare valeant, penitus adstringantur.

Declaratio specialis.

§. 421. 3. Procuratores, et secretarii generales visitabuntur ibidem eodem tempore, ab eisdem, et sub eadem forma pro p. ex-generalis visitatione stabilita; facta prius a p. generali, vel de ejus commissione ab alio residentia procuratoris generalis in conventu Matritensi. De modo, quo patres provinciales, definitores generales, et definitores provinciae visitandi sunt, dicetur dum de hujusmodi officiis sigillatim tractabitur.

CAPUT QUINTUM

De definitorio generali.

§. I.

De componentibus definitorium, et de tempore, et ordine in celebrando servandis.

De componentibus definitorium.

§. 422. 1. Optima regiminis ratio exposcit, ut graviora negotia non quibusvis praelatis, sed superioribus resolvenda committantur, ut majori consilio, et maturitate ordinata, tutius in justitiae, et veritatis finem tendant, quo publicum communitatis bonum aptius promoveatur. Ideo apud nos sancitum est, ut pro rebus gravioribus judicandis definitorium generale statuatur, quod sit secundum totius ordinis tribunal, in quo post capitulum generale, suprema congregationis residet auctoritas, et potestas.

Idem ut supra.

§. 423. 2. Hoc ergo definitorium constat ex p. n. generali, et sex definitoribus, qui ex diversis provinciis eligi debent, ita ut singuli eorum natura, et filiatione ad eam provinciam pertineat pro qua juxta ordinem in his constitutionibus stabilitum eligendi sunt.

De provinciis contentis in congregatione.

§. 424. 3. Nostra congregatio novem continet hodie provincias, quae ad quinque, ut ita dicamus, matrices reducuntur, quatuor intra Hispaniam, et unam apud Indos in regno Mexicano. Quatuor Hispaniae provinciae dividuntur singulae in duas, quae communiter mater, et filia dicuntur, et octo provincias componunt in quatuor binarios redactas, quorum singuli binarii ex matre, et filia constant. Quatuor ergo ex sex definitoribus debent eligi ex quatuor binariis provinciarum alternantibus inter se matre, et filia, duo autem definitores, qui restant eligentur ex novem provinciis inclusa Mexicana, alternis vicibus cunctas novem circumeuntes juxta delineationem in fine harum constitutionum apponendam, et nunquam definitores senarium numerum excedent, quamvis provinciae multiplicentur, omnesque in potestate, et praeeminentiis erunt aequales. Si definitor generalis filius provinciae sancti Alberti, aut non accesserit tempore opportuno, aut deponatur, vel moriatur, durante suo officio, procurator illius provinciae substituet pro definitore donec proprietarius accedat.

De secretario

§. 425. 4. Ultra patrem generalem, et sex definitores requiritur secretarius ab ipsis eligendus, vel ex corpore definitorii, vel extra illud, qui sit tali munere dignus, et omnibus qualitatibus in provincialibus requisitis ornatus, qui statim post sui electionem coram definitorio fidelitatis juramentum emittat.

De secreto servando in definitorio.

§. 426. 5. Et quia maxime decet definitorii negotia sacratissimo secreti sigillo muniri; atque secretum stricte, fideliterque servetur, praecipimus, ut p. generalis, definitores, et secretarius in officiorum ingressu teneantur juramento fidem adstringere, eorum, quae in definitorio aguntur, secretum perpetuum servandi, quando major definitorii pars juramentum pro illo casu obligare statuerit, et si quis illud violaverit, a definitorio pro qualitate culpae dure corripiatur. Statuimus, ut quando in definitorio non adest filius provinciae sancti Alberti, negotia ad illam provinciam spectantia non decidantur, nisi vocato prius, et audito circa ea illius procuratore in Hispania degente.

De confirmatione definitorum generalium.

§. 427. 6. Quamvis definitores generales eligendi sunt, deinceps in capitulis provincialibus respectivis, eorum tamen confirmatio spectat ad definitorium generale excepto definitoro provinciae sancti Alberti, quando est filius illius provinciae, quem non solum in capitulo provinciali eligi, sed ab ipso definitorio confirmari volumus propter distantiam. Erit privativum definitorio generali loca sex definitoribus designare, et quis eorum sit primus, secundus, tertius, et sic de reliquis decidere, ut suo quisque ordine stabilito sedeat, et antiquitatem servet tam intra, quam extra definitorium.

De celebratione definitorii generalis.

§. 428. 7. Definitores sexto quoque mense etiam non vocati omni excusatione postposita, et nisi ob infirmitatem, vel aliam indeclinabilem causam praepediti, in conventum a p. generali de ipsorum consilio designatum, et die praefixa conveniant, nempe die decima quinta octobris, et maji. In his enim diebus semper definitorium generale ordinis celebrandum est, et p. generalis non poterit definitorem aliquem impedire, vel ita occupare, ut tunc accedere non possit, neque licentiam ad id praebere. Definitores, p. generali absente, aegrotante, vel impedito statim designata die definitorium inchoabunt, durabitque per tempus necessarium, et non amplius ad expedienda negotia per arbitrium ipsius definiorii, et tunc tertio quoque die, saltem per unam horam congregabuntur. Quando p. generalis definitorium sponte congregaverit, tunc ipse etiam dissolvere illud poterit. Volumus etiam, ut definitorium quoties p. generali visum fuerit congregetur, et si quatuor ex definitoribus postulaverint, teneatur etiam p. generalis illud celebrare, sed expectandi sunt definitores absentes, et nullatenus habebitur usque dum accedant. Et quando definitorium congregatur pro officiis tunc vacantibus (quorum electio ad definitorium spectet) personas idoneas eliget, quod de congregatione, quae fit tempore praefixo, et non de aliis extraordinariis intelligendum est. In his enim poterit definitorium, non tamen tenebitur praedictas electiones facere, sed quandocunque definitorium congregatur, tenebitur p. generalis omnia definitorii negotia usque tunc occurrentia ei proponere.

De iis, quae sunt proponenda in definitorio.

§. 429. 8. Agenda in definitorio a p. generali proponatur, et ipso absente, ab antiquiori ex definitoribus ibi assistentibus: quilibet etiam ex eis poterit postea proponere ea, quae ad definitorium spectant; et si tres petierint, ut aliquid eorum decidatur, tenetur praeses id exequi, seu decidere cum definitorio. Omnia vero negotia per decisiva, et secreta suffragia (nempe per calculos albos vel nigros) decidantur, exceptis electionibus, quae per schedulas (ut concilium Tridentinum praecipit) fieri debent, et nulla res, sive negotium, ut a definitorio decretum habeatur nisi prius, ut dictum est, per secreta suffragia fuerit decisum, nihilque decernant, nisi omnes simul in forma definitorii pro tribunali sedeant. In rebus autem gravioribus proposito negotio, judicium, et sententia in diem sequentem differatur, nihilque per epistolas, aut soluto definitorio decidatur.

De modo procedendi in gravissimis negotiis.

§. 430. 9. Definitores si negotium aliquod grave, et quod ad commune bonum ordinis attineat, id postulaverit, poterunt quatuor ex his concurrentibus, religiosum aliquem ad regalem curiam, et quinque suffragantibus ad Romanam mittere, et in re gravissima, hoc est si p. generalis (quod absit) cum magno scandalo procedat, vel religionem cum notabili relaxatione, aut regulae transgressione in rebus gravibus gubernet, vel aliqua via attentaverit regimen ordinis in his nostris constitutionibus praefixum in toto, vel in parte praetermisso ordine, et modo ab ipsis praescripto

mutare: aut si officii sui prolongationem quaesierit. In his enim casibus etiam quinque definitoribus concurrentibus, poterunt omnes Hispaniae provinciales coovocare, et ex his omnibus saltem undecim suffragiis concurrentibus, et non aliter contra eum procedere, ejus causam judicare, et si opus fuerit, eum ab officio deponere. In casu depositionis p. generalis, totius dictae congregationis, et non solius definitorii erit, vicarium generalem ex toto ordine eligere juxta regulas stabilitas de reelectionibus vitandis.

De commonitionibus faciendis generali cum scandalo procedenti.

§. 431. 10. Sed antequam ad id perveniant per definitores quatuor ex ipsis concurrentibus, et si opus sit etiam per epistolas inter se, negotio collato p. generalis iterum atque iterum modeste commoneatur, ut ab ipsis defectibus se abstineat, et emendetur. Et tunc poterit definitorium praecepta, censurasque in praedicto casu in toto ordine, vel quibus opus fuerit imponere; et tunc mandata a primo, et secundo definitore, et secretario subscripta, fidem faciant, et in hoc casu poterit definitorium p. generali praecipere, et adhuc per censuras, et quovis alio modo, si opus fuerit compellere, ut dum ejus causa concluditur, et judicatur, in conventu ab eis designato maneat, et munus suum non exequatur: et in hoc casu omnes definitores omnino adsint.

De substitutis nominandis in definitorio.

§. 432. 11. In electionibus vicarii generalis, et procuratorum generalium si tempore intermedio occurrant, et quando deponendus fuerit aliquis definitor, seu provincialis, et quando visitatio p. generalis, vel definitorum videnda, seu judicanda est, omnes definitores interesse debent, quin aliquis ex definitoribus possit substitutum mittere, nec definitorium eum admittere. Si autem definitor nec accedere valet, nec renunciare officium potest, nec religio valet eum deponere, tunc casus, ut sex voces in definitorio conveniant, potest definitorium illius substitutum nominare, qui sit filius ejusdem provinciae, et non sit actualis praelatus, nec praeses hospitii, quod intelligi volumus, dum pro longo tempore impedimentum duraturum esse intelligatur; si vero solum brevi tempore, aut pro aliquo casu particulari ejus praesentia desideretur, tunc ad definitorium pertinebit, religiosum gravem qui septem vocales a jure requisitos compleat, eligere; idemque fieri debet pro supplenda absentia definitoris, et procuratoris indiarum in similibus casibus occurrente. Extra hos vero casus definitorium poterit unum vel duos ex definitoribus (quando conveniens sibi visum fuerit) in aliquo intra Hispaniam accupare: dummodo semper sint in definitorio quatuor definitores et p. generalis, et ipso p. generali absente, sint saltem quinque ex ipsis definitoribus, in nullo enim alio eventu admittendus est substitutus aliquis pro definitoribus, neque umquam poterit aliquis definitor esse prior alicujus conventus.

De literis definitorio missis eorum omnibus legendis.

§. 433. 12. Epistolae ad definitorium missae nullatenus nisi praesentia omnium aperiantur, ibique communiter recitentur nisi aliud definitorio visum fuerit. Praecipimus tamen, ne res secretae definitorii ullo modo patefiant: et hortamur patrem generalem, definitores, atque alios superiores, ut sententiae expulsionum a definitorio latae, expulsorumque processus, si oporteat pro ipsorum vita tantummodo observentur: caetora vero scripta, et informationes cujuscumque sint, finita, conclusaque eorum causa, et post visitationem praelati, qui de ea sententiam tulit igni mandentur, nisi aliquando propter bonum religionis ea custodiri definitorium disponat: et tam hae scripturae, quam aliae informationes, sententiae, aut his similia, et maxime ex quibus alicui religioso infamia, aut detrimentum sequatur, secrato, fidelitorque in securo loco, et sub clavibus per p. generalem et secretarium serventur.

De custodia librorum, et scripturarum.

§. 434. 13. Et ne ordinis libri, bullae, privilegia, aliaeque scripturae temporum injuria pereant, ordinamus ut Matriti in nostro conventu sancti Ermenegildi constituatur tabularium, seu archivium ad scripturarum depositum, duabus clavibus obserratum quarum unam habeat p. generalis, et alteram prior domus.

§. II.

De rebus ad definitorium pertinentibus.

De rebus ad definitorium pertinentibus.

§. 435. 1. Primam definitorii nostri auctoritatem hanc esse volumus, ut de omnibus ad aliud spectantibus definitores simul cum p. generali sententiam ferant, quin aliquid ad definitorium attinens executioni mandetur, quod prius ab ipso per secreta suffragia decretum non fuerit.

Idem ut supra. §. 436. 2. Ad definitorium spectat, capitulum generale indicere, ejus tempus et locum designare, in eo praesidere, et dubia circa constitutiones exorta declarare: cujus declarationes quamvis ante capitulum generale, obligationem inducant; debent tamen illi suo tempore proponi, a quo si approbentur vim obligandi in posterum obtinebunt, et si reprobentur extinctae maneant.

Idem ut supra. §. 437. 3. Electiones intermedias facere, ad officia vacantia, quae juxta has constitutiones in capitulo generali fieri solent, et definitores generales in capitulis provincialibus electos confirmare, et eorum ordinem, et antiquitatem designare qui sit primus, secundus etc. decernendo.

Idem ut supra. §. 438. 4. Si pater generalis e vita decesserit, aut renunciaverit, et ejus renunciatio a definitorio admittatur, primus definitor statim alios definitores convocet, et simul provincialem vel vicarium provincialem illius provinciae, in qua generalis decessit, vel in qua erat dum renunciavit, et in ejus defectu immediatum illius antecessorem in provincialis officio illiusmet provinciae, ut congregatis sex definitoribus cum dicto provinciali definitorium ex septem istis compositum ex toto ordine juxta regulas de reelectionibus vitandis supra stabilitas, eligant vicarium generalem, qui eamdem auctoritatem, et jurisdictionem habeat, ac si esset p. generalis. Primus definitor, et quicumque alius ex definitoribus in hoc casu, et quovis alio simili, nullum alium actum praecedentiae, aut praesidentiae exercebit praeter dictam definitorii congregationem.

Idem ut supra. §. 439. 5. Vicarius generalis denuo electus, si transactus fuerit annus cum dimidio a capitulo generali praecedenti, perdurabit usque ad complendos tres annos ab ultimo capitulo generali, in quorum fine definitorium cum suo vicario generali congregabit capitulum ad electionem novi generalis, qui ex tunc sui officii incipiat sexennium.

Idem ut supra. §. 440. 6. Si vero mors, aut renunciatio generalis acciderit ante transactum annum cum dimidio ab ultimo praecedenti capitulo generali, tunc definitorium cum vicario generali noviter electo intra quatuor menses capitulum congregabit ad eligendum generalem, cujus officium durabit usque ad complendum sexennium generalis praecedentis, et non amplius.

Idem ut supra. §. 441. 7. In hoc capitulo pro electione generalis congregando vocem habebunt vicarius generalis (et si ex definitoris officio assumptus est, ejus substitutus) caeteri definitores, provinciales actuales, et alii omnes, qui pro aliis capitulis generalibus in his constitutionibus assignantur. P. generali ex Hispaniae finibus egrediente ab ipso, et definitorio eligatur vicarius generalis, qui in omnibus vices gerat generalis absentis.

Idem ut supra. §. 442. 8. Extra duos hos casus nunquam eligetur, aut designabitur vicarius generalis, nec a toto definitorio, nec a p. generali seorsim.

Idem ut supra. §. 443. 9. Ad definitorium spectat absolvere, et deponere praelatos in casibus in his constitutionibus expressis, et quando jus, et ratio id postulaverit, et si aliquando p. generalis ex commissione definitorii praelatum aliquem deposuerit, rationem suo tempore reddet definitorio.

Idem ut supra. §. 444. 10. Insuper est proprium definitorii renunciationes p. generalis, definitorum, et procuratorum generalium, provincialium, et sociorum capituli generalis extra capitulum factas admittere.

Idem ut supra. §. 445. 11. Item acta pro tota religione condere, at id rarissime, et non nisi ex quinque suffragiis concurrentibus quatuor, et sex de septem, nunquam fient pro toto ordine ad abusus peculiaris conventus, aut provinciae vitandos, nec quae nostrae regulae, aut constitutionibus contradicant: poterit etiam jam facta revocare, et dispensare. Oportet autem talia statuta absque gravissima necessitate non multiplicare, neque circa regimen commune religionis fieri, nisi consulto p. generali, et cum ejus approbatione juxta formam ad hujusmodi actorum institutionem in nostris constitutionibus praescriptam.

De decretis, et actibus gestis in capitulis particularibus. §. 446. 12. Decreta sive acta in capitulis provincialibus edita non habent vim obligandi, donec a definitorio approbentur; cujus etiam est dispensare in legibus ad mores tantum spectantibus, quod quam raro, matureque fiat, et non nisi in magna necessitate, et concurrentibus quatuor ex quinque suffragiis, et sex de septem; praecedenteque consensu definitorii provinciae, pro qua dispensatio exigitur, cum quatuor ex quinque illius definitorii suffragiis.

Declarationes circa dispensationes a definitorio concedendas. §. 447. 13. Circa constitutiones regimen ordinis concernentes, non valet definitorium di-

spensare, nisi contrarium pro aliquo casu fuerit in constitutionibus expressum, neque, ut monialis aliqua ullo casu, seu quocumque titulo ad habitum recipiatur ultra numerum pro singulis conventibus in suis constitutionibus praefixum. Si autem monialis aliqua in amentiam incidat; in qua per tres annos perduret, adeo ut amentia aestimetur perpetua poterit definitorium ejus sedem declarare vacantem, et permittere, ut alia ejus loco admittatur ex declaratione ss. Urbani VIII.

De admissione puellarum ad habitum monialis.

§. 448. 14. Nulla ratione ad habitum monialis admittatur puella, quae ad decimum septimum annum non pervenerit, nisi aliquo casu raro ex causa gravi, et urgenti, definitorium generale, vel p. generali cum aliqua, quae decimum quintum aetatis annum compleverit, et non ante necessarium duxerit dispensare. Et nullatenus saecularis aliqua ad convivandum cum monialibus admittatur.

De jure nominandi moniales

§. 449. 15. Praeterea jus perpetuum nominandi ad occupandam sedem unius aut plurium monialium in aliquo earum conventu, nulli concedatur nisi ratione fundationis, vel patronatus conventus, aut majoris cappellae unam, vel duas tantum sedes perpetuas aliquando concedere expediat, quod de consensu et licentia definitorii fieri poterit, quin ultra dictum numerum valeat definitorium dispensare. Dispensationes a definitorio in suo triennio concessae nisi a subsequenti confirmentur, extinctae maneant.

De admissione fundationum religiosorum, vel monialium.

§. 450. 16. Ad definitorium attinet fundationes omnes tam religiosorum, quam monialium admittere, aut deserere, et de uno loco in alium etiam intra idem oppidum transferre. In his autem consulatur provincialis illius provinciae. Deincepsque non fundentur in uno oppido duo monasteria monialium, nec religiosorum, etiamsi alterum sit collegium, neque in hoc possit definitorium dispensare. Potest tamen applicare conventus unius provinciae alteri, praecedente consilio provincialium ad quos spectat.

De jure corrigendi culpas gravissimas, et expellendi incorregibiles.

§. 451. 17. Potest etiam corrigere, et punire eam culpam, quae secundum nostras constitutiones reputatur gravissima: potest incorregibiles, et eos qui juxta ordinis leges talem promerentur poenam expellere, et eorum causas judicare. In causis nullitatis professionis servetur constitutio Benedicti XIV. quae incipit — *Si datam hominibus fidem* —. Volumus etiam, et quoties sufficienter apud definitorium constet, provinciales in recta sui muneris administratione, in morum honestate, aut sui officii debita executione deficere, aut alias remisse in rebus gravibus se gerere, tunc definitorium teneatur (quod stricte praecipimus observari, oneramusque super hoc tam patris generalis, quam definitorum conscientias) visitatorem idoneum, et qui non sit suae provinciae conventualis pro visitatione illius provincialis mittere, qui causam definitorio deferat, ut de opportuno remedio, et correctione secundum rei exigentiam, et culpae qualitatem provideat.

De jure concedendi religiosis facultatem ad missiones, congregationes, et monialibus licentiam transeundi de uno ad alium conventum.

§. 452. 18. Praebere facultatem religiosis eundi ad conversiones, seu ad missiones, nec non Romam; et ad Italiae, aut Lusitaniae congregationem; insuper moniales de uno conventu in alium in casibus a jure permissis, mutare, seu ad id licentiam praebere, quod in absentia p. generalis non fiet. Sed si in aliquo conventu, alia ex aliqua domo eligatur priorissa, provincialis de consensu p. generalis eam ad id munus mittere poterit: servatis tamen in his omnibus tam a concilio Tridentino praescriptis, quam a constitutionibus apostolicis erga clausuram monialium emanatis.

De concessione juris patronatus, vel sepulturae.

§. 453. 19. Jus patronatus conventus, vel majoris cappellae, aut cujusvis ejus partis, sive altaris collateralis, vel sepulturae in ipsa perpetuo habendae saecularibus, aut quibusvis aliis personis in ecclesiis religiosorum, vel monialium permittere, seu concedere. Et etiam nobilibus foeminis impetrantibus facultatem apostolicam ad ingrediendum monasteria monialium, quando in dicta facultate consensus praelatorum requiritur, et quando expressam obedientiam, et mandatum non continet, assensum praebere, id ipsum potest p. generalis. Tribunas vero, seu fenestras cum aditu ad aedes saecularium in conventibus, seu ecclesiis tam fratrum, quam monialium, nec capitulum, nec definitorium generale concedere potest non praecedente ad id indulto auctoritate apostolica concesso.

De facultate imprimendi libros.

§. 454. 20. Concedere facultatem imprimendi libros, sine qua nullus id audeat facere sub poena privationis ab officio, et vocis activae, et passivae per duos annos. Caeterum priusquam facultas concedatur, liber cum omnibus praelo mandandis definitorio exhibendus est; cui omnino erit, illum duobus con-

soribus ad minus secreto committere, qui maturo judicio et congrua doctrina pro libri materia polleant, quorum saltem unus sit in theologia scholastica peritus. Illis sub praecepto injungatur, ne censuram, aut castigationes, si quae sint alicui extra definitorium manifestent: nec non sub eodem praecepto tam ipsis quam auctori interdicendum est aliquod in libro post adeptam facultatem addere, minuere, aut quoquomodo mutare absque expressa licentia definitorii. Cui tandem jam typis excussus offeratur, ut judicet, an ab originali dissentiat nec ne.

De distributione expensarum in toto ordine. §. 455. 21. Distributiones in toto ordine facere pro expensis, quas se obtulerint tam p. generali quam definitorio, aut pro aliis ad commune bonum religionis spectantibus. Poterit etiam definitorium in toto, sive in parte provinciis ultra marinis, sive extra Hispaniae fines existentibus committere, ut provincialis, et definitorium illius provinciae servata forma et proportione definitoris generalis quoad fieri possit, negotia suae provinciae ad definitorium generale spectantia decernant. Haec et omnia, et alia, quae in nostris constitutionibus definitorio committuntur ad ipsum tantum spectabunt.

Monitum ad definitores, et ordinis superiores. §. 456. 22. Hortamur deinde definitorium, et omnes ordinis superiores, ut quoties ad ipsos religiosi de suis praelatis immediatis, aut de aliis quaerelas moveant, aut eis detrahant, imponantve aliquid, ne contra inauditam partem aliquid asseveranter credant, seu decernant, et religiosis ac monialibus ordinis tam subditis, quam praelatis praecipimus, ne in rebus ad alios praelatos pertinentibus ad definitorium recurrant. Si quis vere omissis debitis circumstantiis ad illud recurrerit pro qualitate culpae suae emaino puniatur.

De non faciendis a definitoribus. §. 457. 23. Stricte praecipimus omnibus, et singulis definitoribus ne per se, aut in definitorio aliquid agant, aut exequantur extra ea, quae hic, et in nostris constitutionibus expresse eis committuntur. Neque aliud umquam negotium, vel causam ad se advocare poterunt. Quod si secus fecisse constiterit, tempore visitationis juxta gravitatem defectuum dure corripiantur. Et quando aliquid in definitorio decretum fuerit non poterit iterum proponi, aut revocari, absente aliquo eorum, qui quando primum decretum fuit ibi adfuit. Imo neque adhuc si adsint omnes, qui in primo decreto fuerunt praesentes poterit illum iterum proponi, nisi concurrentibus tot suffragiis, quot ad dispensationem aliquam requiruntur.

Idem ut supra. §. 458. 24. Non poterunt definitores suas vices p. generali soli, vel ipsi cum aliis adjunctis, aut sociis absolute committere, nisi tantum pro peculiaribus casibus, quando tendant ad visitandam aliquam provinciam, vel domum, et juxta ejus exigentiam, et negotia, quae in ea evenire probabiliter possunt: exceptis conventuum fundationibus, aut eorum derelictione, depositione provincialis, fratrum ab ordinis expulsione, et etiam dispensatione legum, et ordinis constitutionum. Haec enim omnia et singula semper per definitorium decernenda sunt.

Monitum speciale. §. 459. 25. Monemusque tandem, ut tam p. generalis, quam ipse cum definitorio, quandocumque expedire judicaverit alicui provinciali, aut omnibus instructionem mittat de iis, quae ad spiritualem sui, vel subditorum profectum, quietem, et bonum regimen, suae reformationem spectant, commendans omnibus, ut quae in ea continentur, introducere, et exequi ubi, et quando opus fuerit, vel eis in dicta instructione injungitur tota conentur diligentia. Cum enim omnia in legibus includi nequeant expresse hoc convenientissimum judicamus.

De decretis definitorii in libro regestrandis. §. 460. 26. Definitorii decreta de quibus oporteat aliquam memoriam remanere, in libre definitorii scribantur coram omnibus, et in ipsa sessione in qua decreta sunt, aut antequam ad aliam deveniatur, subscribantur a p. generali, primo definitore, et secretario, quaeque executioni mandanda sunt per patrem generalem illico expediantur. Si vero in his exequendis p. generalis remisse se gerat, praemissa humili animadversione, si adhuc exequi omittat, duo ex primis definitoribus appositis suis subscriptionibus, et secretarii, et sigillo definitorii libere exequantur. Et tandem declaramus quod quandocumque in nostris constitutionibus nominatur definitorium absolute, et sine alio addito, definitorium generale ordinis intelligendum est. Idemque judicium sit de definitoribus: cum hoc nomen sine alio adjuncto in constitutionibus refertur.

APPENDIX

Ad paragraphum praecedentem.

Definitorii facultates super dispen- §. 461. Quia plures facultates definitorio generali commissae ultra relatas in praece-

tes in diversis capitibus harum constitutionum. denti §. per diversa harum constitutionum capita dispersae inveniuntur, eas in unum cogerere visum est, ut in ictu oculi omnes circumscriptae videantur, et nemo queat illarum terminos per aequivocationem transgredi, aut confusionem parere.

Imponere potest praeceptum toti, aut majori parti capituli generalis, sicut definitorium provinciale capitulo provinciali.

Ejus requiritur consensus ad admittendos in conventibus annuos redditus ratione fundationis, aut patronatus.

Potest dispensare, ut plures quam in lege permittuntur valeant e domo egredi.

Concedere licentiam ad admittendas confraternitates saecularium in conventibus.

Et veri praelati, et pastores debent paternale regimen exercere hortando per epistolas, et si opus fuerit, etiam avellare abusus, quorum cognitio definitorio per constitutiones committitur, eorum auctores deterrendo.

Admittere laicos ad habitum est privativum definitorii.

Admittere donatos ad solemnem professionem spectat disjunctive ad definitorium, vel ad patrem nostrum generalem.

Ad definitorium attinet licentiam concedere, ut in eremis recipere possint stipendia missarum, quando id necessarium existimet ad congruam eremi sustentationem.

Consensum praebere, ut eremorum visitatores bona eorum superflua in conventus pauperes distribuant.

Declarare, et decidere dubia circa habilitatem, vel inhabilitatem vocalium capituli generalis occurrentia.

Designare duos ex gremialibus capituli generalis ad aperiendas epistolas ad capitulum directas.

Congregare capitulum generale extraordinarium in casu necessitatis.

Confirmare electiones capituli praeter electionem generalis.

Declarare, et decidere dubia circa electiones occurrentia.

Electiones procuratorum generalium facere quando haec officia vacaverint intra sexennium.

Bullas, et privilegia Romae ordini concessas revisere, ut executioni mandentur.

Designare conventum in casu necessitatis, et ex urgenti causa ad celebrationem capituli provincialis.

Confirmare acta capituli provincialis.

Admittere renunciationem p. generalis, extra capitulum factam; eligere vicarium generalem in casu renunciationis, aut mortis p. generalis, et convocare tunc capitulum extraordinarium ad electionem novi generalis.

Eligere vicarium generalem casu quo p. generalis exierit de Hispania.

Inquirere etiam cum praecepto formali, quando opus fuerit de culpis p. generalis, aut definitorum.

Mittere visitatorem extraordinarium in provincias pro casibus a lege praeventis.

Instructiones, et patentes literas dare procuratoribus generalibus.

Admittere fundationes novorum conventuum, et antiquos deserere.

Approbare capitulum provinciae sancti Alberti in regno Mexicano, et visitationem illi provinciali factam examinare, et inspicere.

Concedere licentiam, ut aliquis religiosus provinciae sancti Alberti veniat in Hispaniam.

Definitivam ferre sententiam in causis a procuratore generali Romae contra apostatas formatis, et in visitatione dicto Romae procuratori a suo successore facta.

Haec sunt facultates definitorio generali commissae, quas transgredi nec decet, nec licet, foretque majori correctione dignum.

CAPUT SEXTUM

De officio, et authoritate patris nostri generalis.

§. 462. 1. Nostra congregatio ab uno debet superiore gubernari, qui generalis vocabitur: in capitulo generali eligetur: per sexennium in officio durabit, et dotibus in cap. 2. harum constitutionum in p. generali requisitis, ornatus sit. De patre generali, ejusque electione.

§. 463. 2. Huic reverendo admodum p. n. generali tamquam patri, ac universali totius ordinis pastori, volumus, praecipimus, et mandamus, ut omnes tam religiosi, quam moniales, omni cum subjectione, et humilitate obediant, et debitum exhibeant honorem, et reverentiam. De jurisdictione ejusdem.

§. 464. 3. Pater generalis in toto ordine universalem habet potestatem, tam jure, quam pontificum privilegiis, nostris, et aliorum re- De munere patris generalis.

ligionum generalibus concessis, dummodo nostris constitutionibus non limitetur, praecipuaque ad eum totius ordinis cura, et administratio spectat. Quare invigilare maxime debet, ut regularis disciplina eximie in omnibus vigeat. Unde ipse solus eam potestatem in toto ordine habet, quam provincialis in sua provincia, et prior in suo conventu; et insuper eam, quae ratione sui officii ex jure communi, ex privilegiis, et ex nostris constitutionibus ad eum pertinet. Sed sicut supra dictum est inferiorum ministerio non se immisceat, nisi vel ob eorum defectum, vel cum prudentia, et ratio id postulaverit. Semper tamen inferiores parere teneantur. Si vero in hoc excesserit cum omni reverentia definitores eum commonefaciant, vel tempore suae visitationis de hoc humiliter corrigatur. Nunquam tamen pater generalis insciis provincialibus contra ea, quae ipsi fecerint aliquid ordinabit.

De voto p. generalis in capitulis, et definitorio.

§. 465. 4. In omnibus capitulis, ac definitoriis provincialibus, ubi pater generalis inventus fuerit, cum voto decisivo praesideat, et in definitorio proponat etiam ea omnia, quae sibi visa fuerint ex his, quae ad illud definitorium pertinent: exequi tamen teneatur id, quod in eo fuerit determinatum, et adstringatur omnia alia servare, quae ad praesidentes capituli provincialis pertinent.

De visitatione ab eo facienda.

§. 466. 5. Pater generalis in suo sexennio debet omnes Hispaniae provincias semel saltem visitare per se, vel ipso impedito per visitatores ab eo designandos, qui qualitates habeant a nostris constitutionibus requisitas.

De jure transferendi religiosos de una in aliam provinciam.

§. 467. 6. Ad patrem generalem spectat religiosos de una in alteram provinciam transferre, et confraternitatis literas in toto ordine concedere, in eo praesidere, et similiter in definitorio, et quae ibi agenda sunt proponere, et quae decreta fuerint executioni mandare, et omnino alia, quae in nostris constitutionibus ordinantur, decernere, aut exequi.

Alias declarationes circa ejus potestatem.

§. 468. 7. Item licentiam praebere ut matronae nobiles habentes indultum apostolicum, clausuram monialium ingrediantur, quando indultum requirit consensum praelatorum, et praeceptum non continet, ut in ecclesiis fratrum, et monialium aperiantur tribunae temporales, et ut puella, quae expleto decimo quinto anno, ad decimum septimum non pervenit ad habitum religionis admittatur, eodem modo quo tria praedicta per nostras constitutiones conceduntur definitorio generali. Insuper potest generalis quidquid ei in nostris constitutionibus conceditur.

De conventu in quo residere debet pater generalis.

§. 469. 8. Conventus autem in quo (nisi negotia, aut provinciarum necessitas aliud exigat) pater generalis resideat, sit fere in medio ordinis, ut propter distantiam, et alias ejus circumstantias omnem religionem possit commodius inde gubernare; et omnes undecumque eum consulere, ad ipsumque licentia obtenta confugere valeant. Hortamurque patrem nostrum generalem, ne in regali curia diu immoretur, neque ad eam tendat, nisi propter manifestum religionis bonum propter inconvenientia, occupationes, et nimia negotia, quae ibi suboriri, ut in plurimum, et inevitabiliter solent.

CAPUT SEPTIMUM.

De definitoribus generalibus, et secretario definitorii.

De definitoribus generalibus.

§. 470. 1. Definitores generales nec numero plures, nec pauciores erunt quam sex. Eligentur in capitulis provincialibus uniuscujusque filiationis, et confirmabuntur a definitorio generali praeter definitorem filium provinciae sancti Alberti apud Mexicum, qui eligetur, et confirmabitur a capitulo suae provinciae, ut dictum est. Ordinem, et antiquitatem a definitoribus inter se servandam designare pertinet ad definitorium generale. De qualitatibus quibus definitores ornatos esse oportet, dictum est supra cap. 2. §. 2.

De subjectione definitorum.

§. 471. 2. Definitores ubicumque sint p. generali erunt immediate subjecti, et appellari debent patres nostri in tota congregatione: sunt enim vero praelati superiores. Proximam p. generali sedem occupant; et omnibus praesident tempore definitorii; extra illud autem si in conventu adest p. generalis praecedunt loco priorem domus, et provinciales, sed non habeant praesidentiam prioris, et absente p. generali sedebunt post priorem domus, vel conventus, cujus regimini se immiscere non possunt. Eorum residentia erit in conventibus a p. generali ipsis designatis, et a frequenti residentia p. generalis, non nisi duorum, vel trium dierum itinere distantibus, et ubi possint commode scribe-

re, et epistolas recipere pro ordinis, et sui officii negotiis.

De exemptionibus eisdem competentibus.

§. 472. 3. In capitulis conventualibus non assistent, quamvis p. generalis illi praesit, nec in aliis communitatis actibus, in quibus conventuales suffragaturi conveniunt, neque eis culpae in refectorio a priore, aut zelatore imponantur.

De eorum praesentia in actibus communitatis.

§. 473. 4. Nunquam absente priore (nec praesenta si tempus est definitorii) assistant definitores, nec praesideant, dum dicuntur culpae in refectorio. Absente priore ad definitorem spectat in communitatis actibus praesidere, et signum dare, non tamen praesidebit in conventu, neque illius regiminis in re, vel minima se introducet, sed neque aliquis praeter patrem generalem definitoribus ubicumque sint in communitatis actibus signum dabit.

De jure exeundi e conventu.

§. 474. 5. Definitores poterunt absente p. generali e domo exire cum socio sibi accepto, et cum sola notitia prioris, quin eorum exitus impediat, quod alii, qui secundum nostras constitutiones possunt exire a domo tunc egrediantur.

De jure scribendi literas

§. 475. 6. Liberum sit definitoribus, ubicumque fuerint, ad omnes sive religiosos, sive moniales, sive extraneos literas mittere, ad ipsosque missas recipere sine notitia, et recognitione praelatorum, et quin adhuc p. generalis eas aperire, aut impedire possit. In omnibus conventibus, tam pro tempore definitorii, quam extra illud in omnium religiosorum cellas ingredi possunt, et religiosi in suas, extraneumque quemcumque libere alioqui; sed tempore silentii nil horum licebit.

De reverentia eisdem debita.

§. 476. 7. Ubicumque definitores inveniantur, tam in absentia, quam in praesentia prioris conventus eadem venia, et reverentia ab omnibus religiosis exhiberi eis debet, quae priori domus tribuitur.

De specialibus commissionibus eisdem dandis.

§. 477. 8. Si aliquis definitor cum speciali commissione ad aliquod negotium mittatur, tunc ad definitorium spectabit, locum, et modum in omnibus servandum designare. Primus ex definitoribus in definitorio existentibus, absente p. generali in eo praesidebit, sed in tali casu, nec electio aliqua fiet, nec conventus alicujus fundatio admittetur, aut deseretur, nec expulsionis ab ordine contra aliquem feretur sententia.

De secretario definitorii.

§. 478. 9. Secretarius definitorii, qui, ut dictum est, easdem habere debet qualitates, quae in provincialibus desiderantur, durante suo officio, tempore definitorii sedebit immediate post ultimum definitorem; extra illud vero immediate post procuratorem generalem.

De visitatione definitorum.

§. 479. 10. Tam definitores, quam secretarius definitorii visitabuntur a novo definitorio in hunc modum: paulo ante finitum definitorum officium p. generalis per se, vel per alium in conventibus, ubi definitores, et secretarius commorati fuerint, de eorum vita, et moribus imposito praecepto formali diligenter inquirat. Et si ex depositione testium, aut ex literis a religiosis, vel monialibus super id libere missis, aliquid animadversione, aut correctione dignum deprehendatur, notum fiat definitorio novo, ut p. generali praesidente, judicium ferat, puniat, corrigat, aut absolvat, prout justitia, et aequitas postulaverit.

De cessatione definitorum ab officio.

§. 480. 11. Definitores, et secretarius definitorii ab officiis cessabunt, ex quo novi definitores electi in capitulis provincialibus die a p. generali assignato ad praefixum ab ipso conventum pervenerint, et suorum officiorum possessione donentur, quod totum fiat intra duos menses plus minusve post capitulorum provincialium celebrationem.

CAPUT OCTAVUM

De officio procuratorum generalium.

De numero procuratorum generalium

§. 481. 1. Duo sint in ordine procuratores generales pro expediendis communibus congregationis negotiis, unus Romae, et alius Matriti, eligendi ambo in capitulo generali, et per sexennium in officiis duraturi, nisi sponte illa dimiserint, aut culpas commiserint depositione dignas. De eorum dotibus, modo electionis, et reelectionis vitandae dictum est in capitibus 2, et 3. hujus tertiae partis.

De juramento ab eis praestando

§. 482. 2. Praefati procuratores juramentum fidelitatis coram definitorio praestabunt, a quo literas patentes in debita forma accipient, et unusquisque cum sufficienti potestate possit respective tum Romae, cum in Hispania, omnia negotia totius ordinis pertractare.

De iis, quae Romae praestare debent.

§. 483. 3. Romae procurator in rebus ad universale ordinis regimen spectantibus non possit a Sede apostolica Bullam, aut Breve

aliquod impetrare, vel favorem ad hoc praestare absque capituli generalis consensu, nec in caeteris ordinis negotiis ab instructione, et obedientia definitorii generalis discedat, aut sine ejus mandato impertinentibus ad religionem in communi aliquid faciat.

De iis, quae Hispaniae procurator servare tenetur.

§. 484. 4. Idem observet Hispaniae procurator, cui stricte, praecipimus, ne a principalibus saecularibus contra ordinis bonum, et statuta per se, aut per alium quaerat.

De praecedentia eidem debita.

§. 485. 5. Utriusque procuratoris literae, tam ab ipsis ad alios, quam ab aliis ad ipsos missae nequeant a praelatis, sive praesidibus conventuum, in quibus ipsi resident, legi aut aperiri. In sede, et loco uterque procurator, ubicumque sit, priores hospites antcibit, Romanus autem aliam provinciales hospites.

De visitatione procuratorum generalium.

§. 486. 6. Procurator generalis Hispaniae non subjicitur visitationi provincialis, nec tenetur capitulis conventualibus interesse, nec in eis vocem habet, est tamen conventualis Matriti quoad suffragia. Poterit e domo exire cum socio a p. generali assignato, et de ejus licentia sumpta a praelato domus benedictione; nunquamque praesidebit in conventu, neque negotia particularium religiosorum expediet, nisi a respectivo provinciali ei commissa; et nullo modo saecularium negotiis se immisceat, totius religionis bono unice intentus. In fine uniuscujusque triennii sui officii rationem generalem reddet novo definitorio de acceptis, et expensis, et de statu litium pendentium; excessusque rationum, si quis resultat in communis arcae beneficium relinquet, nec tempore sui officii ultra triginta annos (vulgo doblones) eosque nonnisi ex urgenti, ac gravissima causa absque licentia p. generalis mutare alicui poterit.

De jure absolvendi apostatas, a censuris.

§. 487. 7. Procurator generalis curiae Romanae poterit apostatas illuc accedentes ab excommunicatione, aliave censura, si forte incurrissent, absolvere, cui omnes religiosi nostrae congregationis illic commorantes, aut quoquomodo Romam declinantes obire teneantur. Si autem aliquis sine debita licentia Romam petivit, procurator curet eum in Hispaniam mittere nisi pro qualitate delicti eum in carcere detineri, aut aliquo opportuniori remedio uti oporteat.

Monitum speciale.

§. 488. 8. Quando, et quomodo procurator generalis visitandus est dictum est supra cap. 4.

CAPUT NONUM

De capitulo provinciali.

---

§. 1.

De tempore, gremialibus, et ordine capituli.

De tempore celebrationis capituli.

§. 489. 1. In unaquaque provincia celebrabitur capitulum de triennio in triennium die dominica tertia post Pascha quae dicitur: *Deus qui errantibus:* sitque in conventu a definitorio provinciali in capitulo antecedenti designato (nisi definitorium generale ex justa causa alium designaverit) qui quantum fieri potest a saecularium strepitu remotus sit. Provincialis tempore convenienti gremiales ad capitulum convocet, qui et si vocati non fuerint, teneantur nihilominus designato die ad capitulum accedere.

De gremialibus capituli.

§. 490. 2. Gremiales suffragaturi in eo sint p. provincialis, definitores provinciales, priores conventuum, vel vicarii canonice electi, aut superior, vel superiores in casu, quo prior, aut priores conventuum gravi infirmitate, vel morte praeventi non possint ad capitulum accedere; dummodo superior testimonium prioris, et clavariorum de infirmitate prioris, et si iste obierit, clavariorum de illius obitu deferat. Quando prior tendit ad capitulum provinciale, vel generale superior praesidebit in conventu, nisi provinciali ex justa causa aliud videatur, et superiore deficiente designabit prior unum ex sacerdotibus confessoribus conventus, ut praesideat: duo etiam socii electi ad capitulum generale, et quatuor eorum substituti, qui omnes vocem habebunt, quamvis in capitulo generali non steterint, nec sint priores. Ultra dictos nullus admittetur, nisi p. generalis, si adsit, aut visitator a p. generali ad visitandum missus, si tempore capituli ibi adest. Quo in casu, tam p. generalis, quam visitator vocem habebunt in electionibus, et in caeteris, quae in capitulo agenda sunt.

De ordine sedendi in capitulo.

§. 491. 3. Quoad sedem gremialium attinet, primo loco sedebit provincialis, secundo definitores, donec novus provincialis recenter electus. Primo loco provincialis officio functus secundo, definitores novi tertio juxta ordinem suae electionis sedebunt; quarto loco definito-

res praecedentes, quinto priores, seu vicarii juxta ordinem antiquitatis conventus, sexto duo socii capituli generalis, et eorum substituti juxta ordinem suae graduationis, et ultimo superiores si adsint. Omnes isti tempora capituli, tam intra, quam extra aulam capitularem eumdem servabunt ordinem, ante omnes conventuales sedebunt, et illis praesidebunt, sed gubernatio conventus non ad illos, sed ad proprium priorem pertinet.

De testimonio a prioribus praebendo in capitulo.

§. 492. 4. Singuli ex prioribus deferent ad capitulum, et in prima die offerent definitorio testimonium a tribus conventus clavariis signatum, et clausum, in quo sub juramento exponant, primo an prior missarum onera, tam perpetua, quam manualia adimpleverit, nec ne? secundo si gravavit aere alieno conventum, et qua de causa? tertio, si invenit illum gravatum; quanta summa, et a quo tempore? quarto qualiter in conventus administratione se gesserit, sive in conservatione bonorum, sive in providendo religiosis de necessariis, maxime aegrotis, et non augmenta aliqua de novo fecerit? quinto si munus suum juxta nostras constitutiones implevit? juramentum solum exigitur pro missarum adimpletione.

De poenis contra priorem qui missas non celebratas reliquit.

§. 493. 5. Si ex testimoniis deprehenditur legitime priorem aliquem tantas missas adimplendas reliquisse, quibus intra unum mensem satisfieri non possit, statim a definitorio ejiciatur de capitulo, et voce activa, et passiva juxta decretum Urbani VIII. privatus, aliis etiam poenis ad arbitrium definitorii puniatur.

De aliis culpis et poenis priori infligendis.

§. 494. 6, Quamvis autem missarum onere non sit gravatus, si tamen in aliis praedictis graviter deliquisse constet non ejiciatur a capitulo, sed corripietur, et poenam luet juxta qualitatem culpae, nisi jam de ea fuerit in visitatione correctus, et post visitationem non deliquerit.

De examine qualitatum religiosorum.

§. 495. 7. Priores, aut vicarii deferent etiam ad capitulum copiam religiosorum, qui eo triennio in suo conventu decesserunt, et omnium ordinis defunctorum, pro quibus in eo conventu facta sunt suffragia: omniumque religiosorum, tam professorum, quam novitiorum sui conventus cum eorum qualitatibus, et circumstantiis, scilicet, unde sunt oriundi, ubi professi; quot annos aetatis, aut professionis habent: si sint confessarii, aut praedicatores. Hanc rationem de omnibus religiosis suae provinciae secundum ordinem conventuum, provincialis ad patrem generalem tempore generalis capituli defert.

De praeside capituli.

§. 496. 8. Omnes vocales convenient ad conventum pro celebrando capitulo designatum, feria sexta praecedenti dictam dominicam: *Deus qui errantibus:* et non antea. Si provincialis, vel morte praeventus, vel ob aliam causam, statuto die non accesserit, definitorium provinciale eligat capituli praesidem, qui adveniente provinciali cessabit, et provincialis praesidentiam, vel locum tempore adventus sibi ex officio debitum assumet.

De electione secretarii capituli.

§. 497. 9. Vespera dictae feriae sextae provincialis cum suo definitorio aliquem ex vocalibus in capituli secretarium eliget, qui statim juramentum fidelitatis praestabit, sicut de secretario capituli generalis dictum est, deinde congregatis in unum vocalibus, a provinciali, et definitoribus examinentur, an omnes sint legitime gremiales; peractoque examine interrogabit praeses, a gremialibus an in aliquo ipsorum impedimentum noverint, propter quod non debeat capitulo interesse? Si reperiatur, et sufficienter probetur in aliquo ex eis impedimentum adesse canonicum, illico declaretur, et ejiciatur a capitulo; sin autem procedatur ad ulteriora, statimque a capitulo designentur duo fratres, qui schedulas pro eligendis scribant, et caetera serventur, quae super hoc praescripta manent in cap. 1. num. 2. hujus tertiae partis. Neque omittatur in capituli provincialis sessionibus lectio apostolicarum constitutionum, quae legi debent juxta decretum Sanctae Romanae, et universalis Inquisitionis diei 19 aprilis 1629 quod incipit — *Sanctissimus Dominus Noster* — quod fiet etiam in quavis alia electione patris provincialis, aut vicarii provincialis.

De lectione statutorum a secretario facienda.

§. 498. 10. Deinde alta voce a secretario legantur, et attente ab omnibus audiantur tria prima capitula hujus tertiae partis, ne quid memoria excidat, utque omnia in eis praescripta serventur in electionibus, et caeteris quibuscumque. Postmodum praeses exhortans omnes ad rectitudinem intentionis, et justitiam in electionibus servandam, et rei gravitatem sine ullius nomine expresso, nec indicato, ponderans, praestitoque ab omnibus juramento de eligendis, quos in conscientia judicaverint digniores juxta ss. Urbani VIII. decretum, sequentem designabit diem pro electione provin-

cialis, et quatuor definitorum, nec non et definitoris generalis, si tunc ad illam provinciam attineat.

De electione patris generalis. §. 499. 11. In his, et aliis electionibus faciendis idem ordo servabitur, qui pro electione p. generalis designatur in cap. 4. hujus tertiae partis, et quidquid in eo stabilitur, volumus, ut transferatur ad capitulum provinciale proportione servata.

De aliis electionibus in capitulo faciendis. §. 500. 12. Ex omnium consensu, et approbatione statuimus, ut deinceps fiant in capitulis provincialibus electiones sequentes. Provinciales, definitores generales, definitores provinciales, duo socii, et quatuor substituti ad capitulum generale, priores conventuum, et magistri novitiorum, eorumque socii.

§. II.

De provincialis, definitorum, et aliorum electionibus.

De electione provincialis. §. 501. 1. Sabatho primo mane missa solemnis de Spiritu Sancto, assistentibus cunctis gremialibus pro felici capituli exitu cum cantu celebrata, quod idem eodem die in omnibus provinciae conventibus fiet, statim non expectatis amplius absentibus, electores in aulam capitularem convenient, ubi dicto hymno — *Veni Creator Spiritus* — Praeses per se vel per alium brevem concionem ad capitulum habebit, absolvetque vocales a censuris, et impedimentis, ad cautelam; quo facto ad eligendum provincialem procedent, modo, et ordine pro electione p. generalis stabilitis. Suffragia scrutabuntur a definitorio juxta formam ibi praefixam, factaque electione, statim publicabitur, et praeses cum definitorio non expectatis viginti quatuor horis, et recedente paululum provinciali noviter electo, quaerenteque praeside sub praecepto a singulis gremialibus an noverint in provinciali noviter electo aliquod impedimentum canonicum, quod ejus obstet confirmationi: si nullum inveniatur, illico eum confirmabunt. Tuncque inchoante antiquiore cum cantu hymnum — *Te Deum laudamus*; provincialis electus in ecclesiam, aut chorum processionaliter deducatur, ubi omnes ei obedientiam praestabunt.

De electione definitoris generalis, et definitorum provincialium. §. 502. 2. Finito hoc actu, gremiales redeant ad capitulum, ut ante prandium eligant primo definitorem generalem si illa provincia habitura sit definitorem triennio sequenti, et immediate post quatuor definitores provinciales, qui eligentur seorsim, et primo electus erit primus definitor, secundo secundus, tertio tertius, et quarto quartus, et secundum hunc ordinem sedebunt, et se praecedent tam intra, quam extra definitorium.

De publicatione electionum factarum. §. 503. 3. Si definitor generalis electus fuit, publicetur ejus electio, sed non confirmabitur, quia ejus confirmatio spectat ad definitorium generale. Sed definitorum provincialium electiones publicabuntur, et confirmabuntur statim, confirmatioque fiet eodem modo quo confirmatio provincialis facta est.

De electione substituti definitorum provincialium. §. 504. 4. Si aliquis ex definitoribus provincialibus noviter electis sit absens, capitulum eliget ex gremialibus substitutum, qui ejus vices suppleat in definitorio ubi ultimum locum tenebit, donec definitor accedat; qui si durante capitulo pervenerit, locum sibi debitum occupabit, et in reliquis capituli actibus suffragabitur. Si provincialis aut alius quilibet ex electis a capitulo, ipso durante, officium renunciet, renunciationem admittere, et novam facere electionem spectat ad capitulum. Post definitorum electionem nihil superest illa die a capitulo agendum.

De caeteris electionibus faciendis. §. 505. 5. Dominica sequenti festum patrocinii S. P. N. Joseph cum missa solemni, et concione, assistentibus capitularibus, celebrabitur, et feria secunda agetur de caeteris electionibus faciendis, incipiendo a sociis, et substitutis ad capitulum generale designandis.

De electione sociorum mittendorum ad capitulum generale. §. 506. 6. In qualibet provincia eligentur duo socii ituri ad capitulum generale, praeter eam de qua sit procurator generalis Hispaniae, qui est primus socius natus suae provinciae, ac proinde haec non debet, nisi unum socium eligere.

De qualitatibus sociorum. §. 507. 7. Duo hi socii seorsim eligentur, qui qualitates habeant in cap. 2. hujus tertiae partis ad hujusmodi officium requisitas, servatis in eorum electione omnibus, quae ad electionem canonicam desiderantur. Primo electus erit primus, et secundo secundus. Idemque erit de quatuor substitutis, qui cum eisdem qualitatibus sunt immediate post socios seorsim eligendi, et juxta ordinem suae electionis graduationem servabunt primi, secundi, tertii, et quarti. Sociorum, et substitutorum electio statim publicabitur, nec indiget confirmatione.

Oe munere sociorum.

§. 508. 8. Sociorum munus est vocem totius provinciae ferre ad capitulum generale, et nomine illius tam in electionibus, quam in aliis quibusvis in capitulo agendis consilium dare, et suffragium. Substituti sunt eorum vicesgerentes, qui in defectu sociorum provincialis, vel definitoris generalis suae provinciae debent ad capitulum accedere cum plenitudine facultatum, quibus ille pro quo subrogetur esse sisteret.

De iis, qui ad capitulum generale venire debent.

§. 509. 9. Et quis ex unaquaque provincia ex octo, quae sunt intra Hispaniam, quatuor debent suffragio ad capitulum concurrere, decernimus, ut ex provincia, quae habet definitorem generalem proficiscantur ad capitulum provincialis, duo socii, et primus substitutus, qui in conventu itinere unius diei a domo capitulari distante morabitur, ut in defectu alicujus ex quatuor suffragiis suae provinciae possit opportune ad capitulum accedere. Si autem provincia definitore generali careat, venient ad capitulum, provincialis, duo socii, et primus, et secundus substituti, ex quibus substitutus secundus manebit in conventu a domo capitulari, ut dictum est dissito, et alii quatuor ad capitulum accedent. Si evenerit quod socii et substituti omnes alicujus provinciae defecerint, tunc definitorium provinciale providebit.

De literis testimonialibus eisdem concedendis.

§. 510. 10. Socii, et substituti ituri ad capitulum generale deferent literas testimoniales suae electionis, et commissionis ab omnibus gremialibus subscriptas, quae sint tenoris sequentis.

Tenor literarum potentialium.

§. 511. 11. Reverendis in Christo patribus, p. n. generali, et definitoribus generalibus capituli, anno N. et die N. in festo N. in conventu N. celebrandi ordinis Discalceatorum beatae Dei genitricis Mariae de Monte Carmelo, et cujusvis alterius generalis capituli; si ante vel post celebrari contingat usque ad capituli provincialis venturi congregationem, sui humiles filii, et subjecti, definitores, et caeteri, fratres de gremio capituli provincialis provinciae N. in conventu N. ejusdem ordinis, in festo N. anno N. et die N. celebrati, obedientiam debitam, et Sancti Spiritus consilium in agendis. Venerandae discretioni vestrae pateat evidenter, quod cum nos in dicto loco, et tempora pro praedicto capitulo nostro celebrando, ad electionem sociorum p. provincialis ituri ad capitulum generale supradictum, procederemus, nemine indebite excluso, vel admisso, p. frater N. primus, vel secundus socius, aut primus, vel secundus, vel tertius, vel quartus substitutus fuit canonice electus: cui sic electo damus licentiam, et auctoritatem nostram, atque potestatem eligendi, definiendi, ac omnia alia agendi pro nobis in dicto capitulo generali, quae facere possemus, si omnes praesentes essemus: ratum, et gratum habentes, quod per eumdem factum fuerit. Datum, et actum loco, temporeque quibus supra. In quorum testimonium sigillum commune nostrae provinciae praesentibus est impressum.

De copia a sociis exhibenda.

§. 512. 12. Portent etiam socii copiam a toto definitorio subscriptam, et capitulo generali exhibendam eorum, quae definitorium provinciale decreverit.

De electione priorum conventualium.

§. 513. 13. Post sociorum, et substitutorum electionem procedatur statim ad priores conventuum eligendos, incipiendo ab antiquiori domo, et deinceps suo antiquitatis ordine usque ad novissimum, servatis forma electionis, et qualitatibus eligendorum in capitibus 1. 2. et 3. hujus tertiae partis stabilitis.

De confirmatione electorum.

§. 514. 14. Facta ergo et publicata singulorum priorum electione, de illis confirmandis curabitur. Ad quod capituli praeses praeceptum capitularibus imponet, ut intra viginti, et quatuor horas ante definitorium denuntient si in recenter electis aliquod noverint impedimentum canonicum, propter quod non sint confirmatione digni. Si igitur de aliquo impedimenta hujusmodi legitime probentur, non confirmabitur, sed alius ejus loco eligetur.

Tenor confirmationis.

§. 515. 15. Hi vero, quibus nullum probatur impedimentum canonicum per secreta definitorii suffragia ad confirmationem de jure approbentur, statimque a praeside capituli confirmentur in hunc modum. Ego N. in nomine meo, et totius capituli confirmo te, vel vos heri in officium prioris electos. Qui confestim professionem fidei a concilio Tridentino praescriptam coram capitulo facient, idemque omnes in capitulo electi immediate post sui electionem, vel post confirmationem si ea indigent exequentur; et similiter omnes electi, tam in capitulo generali, quam in definitoriis si ibi adsint, sic minus tempore ipso quo officiorum possessionem assumunt. Peracta priorum electione, eligentur magister novitiorum, et ejus socius, canonice quidem sed absque confirma-

tione. Cum quo de electionibus a capitulo faciendis actum est.

De literis capitulo missis publice legendis.

§. 516. 16. Post electiones, et non ante literae capitulo directae publice aperiantur; idemque fiet cum epistolis ad definitorium provinciale missis, quae nonnisi in definitorio, et post electiones, si quae tunc ab ipso faciendae sunt aperientur. Quae autem subscriptione carent, caecae vulgo dictae, nullatenus legantur, sed coram capitulo illico minutatim dilacerentur.

§. III.

De statutis, et ordinationibus, et aliis a capitulo usque ad ejus absolutionem agendis.

De reformatione statutorum.

§. 517. 1. Absolutis electionibus, ad capitulum provinciale spectat de reformatione agere, et si opus fuerit, acta, sive sanctiones, toti provinciae, sive ad promovendam perfectionem, sive ad extirpandos abusus stabilire. Haec autem quam raro, mature, et nonnisi urgente necessitate, et concurrentibus tribus ad minus ex quatuor partibus suffragiorum, et non aliter fiant. Si quae autem facta fuerint statim ad definitorium generale mittantur, neque executioni mandentur, nec vim obligandi habeant, donec ab eo sint confirmata. Haecque durabunt usque ad sequens triennale capitulum ubi nisi expresse confirmentur, expirant.

De iis, quae in capitulo sunt proponenda.

§. 518. 2. Si aliqua alia in capitulo tractanda occurrant, p. provincialis per se, vel ad petitionem quatuor gremialium ea proponat. Ut vero maturius omnia decidantur, graviora dubia de una in aliam differantur sessionem. Omnibus persolutis negotiis, fiet publice a singulis prioribus distincta de praecipuis suorum conventuum benefactoribus commemoratio, et consentiente capitulo per suffragia secreta in illius absolutione, jam de capitulo provinciali actum est.

De designatione conventus pro nova celebratione capituli.

§. 519. 3. Postea definitorium designabit conventum, in quo sequens capitulum celebrandum sit, et facta a praeside, aut ab alio spirituali exhortatione, omnes humiliter coram ipso sedente genuflexi suas culpas dicent ad exemplum praesidis, qui prius coram digniore capituli sedente genuflexus, caeteris stantibus, idem facere debuit.

De absolutione a censuris accipienda.

§. 520. 4. Quibus peractis omnes a provinciali disciplinam, et absolutionem a censuris cum indulgentiarum concessione accipiant. Die sequenti missa solemnis defunctorum cum concione, et responsorio celebrabitur, sicut pro capitulo generali statutum est. Et tandem redeuntibus ad capitulum gremialibus, leget secretarius quidquid à capitulo actum fuit, et transcriptum est ad librum provinciae, quem omnes subscribent. Quo facto agetur de visitandis provinciali, secretario, et definitoribus praeteritis.

§. 521. 5. Visitatio haec est quasi appendix capituli, et fiet in hunc modum. Antequam capitulares discedant, provincialis noviter electus, vel si absit, primus definitor praeceptum gremialibus imponet, ut coram se, et secretario, qui sit unus ex definitoribus a definitorio eligendo deponant quidquid in provinciali praeterito noverint animadversione dignum, similiterque de secretario provinciali, et definitoribus officio functis. In his visitationibus servabuntur omnia, quae de visitatione p. generalis dicta sunt cap. 4. §. 6. nostrarum constitutionum; quod totum insertum hic esse volumus; ita ut, quae ibi a generali, et definitorio generali facienda praescribuntur, hic provincialis, et definitorium provinciale exequantur.

De speciali visitatione.

CAPUT DECIMUM

De definitorio provinciali; et de ejus auctoritate.

---

§. I.

De forma, et tempore illud celebrandi.

§. 522. 1. Definitorium provinciale, quod extra capitulum nullius hucusque apud nos erat roboris, et nullis fungebatur facultatibus, in tribunal stabile, et permanens, primam post capitulum provinciale, tam intra quam extra illud habens auctoritatem exigere, et committere operae pretium duximus, et decernimus ad instar definitorii provincialis, quod nosmetipsi pro nostra sancti Alberti provincia apud Indos semper probavimus, et ab initio ratum habuimus.

De auctoritate definitorii provincialis.

§. 523. 2. Hoc definitorium componi debet ex p. provinciali, ex quatuor definitoribus cui adsit secretarius ab ipsis electus, qui potest esse unus ex definitoribus, vel alius religiosus tali munere dignus, et juramento fidelitatis ad-

De componentibus hoc definitorium

strictus sicut de secretario definitorii generalis dictum est.

De congregatione definitorii provincialis. §. 524. 3. Nullus definitor sit simul prior, aut vicarius alicujus conventus, nec praeses hospitii, ut Deo, et sui officii adimpletioni tantummodo vacet. Definitorium bis in anno, sexto quoque mense a celebratione capituli computando congregabitur, nec durabit pro singulis vicibus ultra octo dies, nisi necessitas, aut negotiorum multitudo aliud exigat, ad arbitrium definitorii, concurrentibus quatuor ex quinque suffragiis, et celebrabitur in conventu a p. provinciali de consilio definitorum assignato. Haec autem designatio fiet de uno in alium definitorium, ut facile constare valeat, quo opportune possint omnes religiosi suos judices, et parentes adire.

De extraordinariis congregationibus. §. 525. 4. Provincialis ex urgenti causa poterit definitorium extraordinarium bis tantum in triennio congregare. Ultra duas has vices nullatenus definitorium celebrabitur, nisi in casu adeo urgenti, ut quatuor ex componentibus definitorium illius congregationem petierint. Si tempore ad definitorium ordinarium, aut extraordinarium assignato p. provincialis, aut aliquis definitor tempestive per literas a provinciali vocatus, statuta die non accedat, expectatis octo diebus, si id quatuor adstantibus videatur, sin autem statim substitutum eligant aliquem ex prioribus, qui vocem in definitorio ferat usque ad proprietarii adventum.

De numero suffragantium. §. 526. 5. Nullum declaramus definitorium, in quo non sint quinque suffragatores, et cui non adsit secretarius juramento fidelitatis ligatus. Quapropter nec provincialis, nec definitorium valeant aliquem definitorem ita occupare, ut nequeat omnino sessionibus assistere. Si autem tempore definitorii aliquis ex quinque vocalibus infirmari contingat, et urgeat sessionem habere, accedet ad definitorium prior domus, in qua celebratur, ut pro infirmo vocem ferat, et si duo, aut tres infirmentur, vocentur totidem priores ex vicinioribus conventibus juxta ordinem distantiae, et si distantia sit eadem praeferatur conventus antiquior.

De modo procedendi in suffragiis ferendis. §. 527. 6. Quidquid in definitorio decidendum est per secreta fiet suffragia calculis albis, et nigris exprimenda praeter electiones, quae per schedulas fient juxta formam in cap. 1. §. 1. praescriptam servando in caeteris quod de definitorio generali ibi dictum est, proportione servata, ita ut quando in definitorio generali requiruntur sex de septem suffragiis, in definitorio provinciali quatuor de quinque sunt necessaria.

De sessionibus habendis. §. 528. 7. Incepto definitorio singulis diebus una saltem sessio habeatur, quae per duas ad minus horas perduret, regulariter tamen sint duo sessiones in unoquoque die cum eadem duratione, ut citius definitoria finiantur, nullaque sit dies sine sessione, nisi rarissime ex justa causa p. provinciali indulgente.

De executione decretorum latorum a definitorio. §. 529. 8. Quod a definitorio semel sancitum fuit, iterum non proponatur, absente aliquo ex definitoribus qui resolutioni adfuerunt, etiamsi quinarius numerus aliunde, et quomodocumque suppleatur: et p. provincialis teneatur illud executioni mandare, vel ipso nolente, aut minus remisse se gerente, curabit definitorium per suum secretarium compleri.

§. II.

De facultatibus definitorii provinciae.

De juribus definitoris provinciae. §. 530. 1. Decernimus, et ratum fore praecipimus, ut definitorium provinciale sequentibus in posterum juribus, et auctoritate gaudeat.

Idem ut supra. §. 531. 2. Ad ipsum privative spectat praeelectores omnes tam philosophiae, quam theologiae pro omnibus provinciae collegiis praemissa oppositione pro his obtinendis officiis in nostris constitutionibus stabilita, eligere, et designare. Conscientiasque eligentium oneramus, ut omni respectu collegii, nationis, aut amicitiae penitus postposito eos eligant, quos in sua conscientia, et coram Deo digniores invenerint: insuper, et magistrum professorum, ejusque socium, ad quorum electiones memores sint electores eorum, quae in capit. 2. hujus tertiae partis §. 2 num. 13 ad haec munera requiruntur. Potest tamen provincialis causa mortis, vel infirmitatis alios in dictis officiis substituere usque ad primum definitorium provinciale.

Idem ut supra. §. 532. 3. Ad definitorium attinet magistros studentium, seu lectorum adjutores pro omnibus collegiis casuum resolutores, seu conferentiam monialium praesides, et unum ad minus praedicatorem pro singulis conventibus, excepta eremo, cum assignatione domus elige-

re, et quoad praedicatores praescribere singulis exercitia, quae pro sui ministerii adimpletione agere debent.

Idem ut supra. §. 533. 4. Omnes electiones intermediae praelatorum, sive officiorum vacantium, quae vel a capitulo provinciali, vel ab ipso definitorio in prima sui institutione fieri solent, spectant ad definitorium provinciale, excepta electione provincialis, quae semper debet fieri a capitulo; potest tamen definitorium, et debet eligere vicarium provincialem, quoties provincialis defecerit, vel renunciaverit. Renunciationem factam extra capitulum a provinciali, vel definitore generali admittere est proprium definitorii generalis, sicut aliorum officiorum renunciationem extra capitulum admittere, definitorii est provincialis, ad quos etiam attinet definitorem generalem in casu renunciationis, aut mortis tempore intermedio occurrentis eligere.

Idem ut supra §. 534. 5. Casu, quo p. provincialis e vita decidat, vel renuntiet, si id acciderit ante transactum annum cum dimidio a celebratione capituli definitorium provinciale eliget statim vicarium, et intra duos menses convocabit capitulum ad eligendum provincialem, qui durabit in officio usque ad capitulum triennale ordinarium, et non amplius.

Idem ut supra. §. 535. 6. Si autem mors, aut renunciatio provincialis eveniat post annum cum dimidio a celebratione capituli, definitorium eliget vicarium provincialem, qui cum omnibus facultatibus provinciali debitis provinciam usque ad capitulum triennale gubernabit.

Idem ut supra. §. 536. 7. Ad definitorium provinciale spectat dubia circa electiones provincialia occurrentia intra diem naturalem decidere simul cum provinciali antecedente, et si noviter electus erat definitor, ad decidendum dubium accedet antiquior ex gremialibus; et praecipimus, ut omnes definitorii decisioni acquiescant, et obediant sub poena privationis officii, vocis, et loci in perpetuum irremissibiliter applicanda.

Idem ut supra. §. 537. 8. Statuimus ut in posterum, antequam dispensatio aliqua in legibus ad mores pertinentibus petatur in definitorio generali a conventu, vel individuo cujuscumque provinciae debeat requiri consensus definitorii provincialis cum quatuor ex quinque istius suffragiis; et dispensationem a definitorio generali sine praevio dicto consensu traditam, nullam omnino, et irritam declaramus, et mandamus definitorio provinciali, ne illi uti permittat.

§. 538. 9. Insuper sine consensu definitorii provincialis, et conventualis capituli, non possunt priores in triennio ultra trecentos aureos, sive ducatos ex bonis communitatis consumere, expendere, vel alienare. Potest etiam definitorium distributiones facere, et praecipere in omnibus provinciae conventibus pro solvendis expensis in bonum commune provinciae factis, nisi alias definitorium aere proprio possit eas solvere. Idem ut supra.

§. 539. 10. Praeter facultates in hoc capite, aut forte alibi in constitutionibus definitorio provinciali expresse commissas, nullas alias illud habere volumus, et si quas praeter hic, aut alibi indubitanter expressas sibi arrogari praesumpserit, aut in regimine provinciae, vel alicujus conventus ultra eas se immisceat, vel a p. generali excessus definitorii conscio, vel tempore visitationis severe coerceatur, corrigatur, et puniatur juxta qualitatem excessus. Idem ut supra.

§. 540. 11. Si definitores advertant, provincialem munus suum non implere, vel, quod pejus est, officio suo abuti, eum humiliter commonefaciant. Quod si nec monitis acquiescat, re bene ponderata, patrem generalem, et definitorium generale conscium faciant, ut congruum apponant remedium, in his maxime, in quibus poena depositionis, vel suspensionis provinciali per constitutiones imponitur. Idem ut supra.

CAPUT UNDECIMUM

De officio provincialis.

§. 541. 1. Provinciali omnes fratres, et moniales tamquam patri, et pastori prompti obediant, et debitam subjectionem ubique exhibeant: et ideo provincialis totius provinciae curam sollicite gerat, et in ea poterit omnia facere, quae priores in suis conventibus: servato tamen ordine, ut dictum est in capitulo de obedientia. De officio provincialis.

§. 542. 2. Ad provincialem spectat ad habitum, et professionem tam fratribus, quam monialibus licentiam praebere juxta nostras constitutiones, literas confraternitatis suae provinciae concedere, fratres intra suam provinciam de uno conventu in alium transmutare, et extra provinciam intra triginta leucarum spatium aliquem religiosum, quando opus sit, Idem ut supra.

ad aliquod negotium, mittere, et religiosis professis pro ordinibus reverendas praebere, et nullus religiosus poterit scapularia ordinis benedicere, neque ad confraternitatem aliquem admittere, nisi de expressa licentia provincialis, nisi alias sit actu prior.

Idem ut supra. §. 543. 3. Ad provincialem etiam pertinet singulis annis suam provinciam visitare, ejusque reformationi incumbere, et usque ad graviorem culpam inclusive corrigere. Si infirmitate, aut alia urgente necessitate per se ipsum aliquem conventum non possit visitare, aut aliud ministerium sui officii peragere, poterit alicui religioso suae provinciae suas vices committere, et eamdem commissionem ad tres, aut quatuor conventus visitandos in singulis annis praebere: ei tamen non liceat, vicarium provincialem in tota provincia, aut in majori parte designare: nam hoc ad definitorium provinciale spectat. Provinciali etiam competit, superiores monialium confirmare, earum electioni assistere, suffragiaque cum secretario, et aliis duobus sociis regulare, admittere earum renunciationes; similiter, et in religiosis admittere renunciationem illorum officiorum, quorum electio, seu assignatio non fit a capitulo generali, vel provinciali, aut definitorio generali, vel provinciali. Item memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis religiosae pro conventibus admittere, servatis iis, quae circa hoc in nostris constitutionibus ordinantur.

Idem ut supra. §. 544. 4. Poterit etiam excommunicatos per manus violentae injectionem absolvere, et cum iis, qui in apostasia celebraverint, super irregularitate dispensare: et denique tam in censuris, quam in aliis eamdem facultatem habeat, quantam jure communi, quam pontificum privilegiis aliorum ordinum provinciales sortiuntur, nisi in casibus, in quibus ejus potestas nostris constitutionibus fuerit limitata.

Idem ut supra. §. 545. 5. Provincialis pro socio eligat aliquem sacerdotem, qui suo consilio, prudentia, laboreque in suscepto onere eum possit adjuvare, teneaturque statim post suam electionem quamprimum commode poterit omnes provinciae conventus visitare, et studeat omnia debite disponere, et religiosos in eis conventibus, ubi magis expedire viderit, accomodare, et ubi suaviter religionis jugum ferant; Deoque secundum suam regulam, et constitutiones perfecte famulentur. Hortamur vero in Domino, et praecipimus provincialibus, ne faciliter religiosorum mutationibus annuant: cum ex eorum cursu, et vagatione maximum detrimentum proveniat religioni.

§. 546. 6. Provincialis absque consensu sui definitorii, non possit distributionem in sua provincia facere, nisi ex licentia p. generalis. Poterit tamen prior cum consensu majoris partis capituli conventualis, et de licentia provincialis, alicui monasterio egenti opem ferre. Hortamurque omnes conventus, ut hac via mutuo se adjuvent, ut charitas magis, ac magis in omnibus augeatur. Idem ut supra.

§. 547. 7. Mortuo provinciali praesideat in provincia primus definitor provincialis, et in ejus absentia secundus, et sic de aliis, quousque a definitorio provinciali, vicarius provincialis eligatur: interim tamen definitor praeses neque aliquem conventum visitet, neque religiosos ab uno conventu in alium transferat, neque ad studia aliquem mittat, neque licentiam concedat ad praedicandum, aut confessarii munus exercendum, neque etiam alicujus priorissae electionem faciat, aut ei intersit, vel eam confirmet, neque aliud innovare, aut revocare eorum, quae provincialis defunctus ordinavit ullo modo audeat. Et prior domus, in qua provincialis decessit tenebitur statim p. n. generali ejus mortem denunciare. Idem ut supra.

CAPUT DUODECIMUM

De definitoribus provincialibus.

§. 548. 1. Definitores provinciales, nec numero plures, nec pauciores erunt quam quatuor, quorum muneris est definitorium cum provinciali componere, cum voto decisivo in omnibus, quae capite decimo praecedenti definitorio provinciali commissa sunt, et in aliis ad idoneam provinciae gubernationem convenientibus p. provinciali consilium dare dum ab eis petitur, vel etiam quoties prudentia, et charitas exigant, quorum consilio p. provincialis libenter utatur memor oraculi divini dicentis: *Salus autem populi, ubi consilia multa:* Prov. 11. v. 14. De definitoribus provincialibus.

§. 549. 2. Definitorum officium est triennale usque ad novorum definitorum electionem in capitulo provinciali faciendam. De qualitatibus in his definitoribus requisitis dictum est cap. 2 §. 2 sicut etiam, quod sunt seorsim eli- De officio definitorii.

gendi, et quod secundum ordinem electionis sit ordo ab eis servandus in dignitate, et sede; hic autem advertendum duximus, ut definitor provinciae non possit in idem officium tertio eligi in nullo eventu. Tempore definitorii p. provinciali proximi ubique assidebunt, et praesidebunt; extra definiturii tempus, si adsunt cum provinciali in eodem conventu immediate post provincialem, et ante priorem domus sedebunt, et praesidebunt. In conventu vero, a quo abest provincialis sedebunt post priorem, et non praesidebunt, nisi deficiente priore, tunc etiam coram superiore praesidebunt, et signum in communitatis actibus dabunt, quin umquam in regimen domus audeant, aut valeant se introducere.

De jure definitorum adsistendi in refectorio. §. 550. 3. Definitores non debent adesse capitulis conventualibus, quamvis eis praesit p. provincialis, nec primae mensae, quando in refectoriu culpae coram superiore dicuntur. Si autem prior praesens adsit assistent definitores in refectorio, at nec zelator, nec prior poterunt culpas eis imponere.

De jure scribendi literas. §. 551. 4. Possunt definitores libere literas scribere, seu recipere, quin a provinciae praelatis legantur, aut aperiantur, immo, et absque eorum notitia. Hortamur tamen definitores, ut parce admodum, et non nisi magna cum necessitate hac licentia utantur, ne forte ejus abusu provinciam potius destruant, quam aedificent, et paupertatis votum in animarum suarum perniciem violent. Ab officiis tabulae sint liberi, praeter quam ab eis, a quibus nec praelati eximuntur. Nec praecepta, quae a prioribus imponuntur definitores provinciales ligant, immo nec a provinciali imposita, nisi eos comprehensos vello expresso significet.

De exemptione a visitatione. §. 552. 5. Durante officio definitores provinciales non sint visitationi subjecti, sed eo finito visitabuntur in capitulo a novo provinciali cum suo definitorio, ut dictum est in cap. 9. §. 3. num. 5.

Declaratio. §. 553. 6. Ne ergo definitorum defectus maneant impuniti, decernimus, ut provincialis, antequam capitulum congregetur per se, vel per alium diligenter, et sub praecepto formali in his conventibus, ubi fuerint commorati, de eorum moribus, et vita inquirat. Quod si in aliquo, res animadversione digna fuerit depreheosa, novo definitorio causa tradatur, ut simul cum novo provinciali, qui in eo praesidebit de ea judicium ferat.

De suspensione definitorum. §. 554. 7. Si autem (quod absit) aliquis definitor tempore intermedio, adeo graviter delinquat, ut suspendi ab officio mereatur, hujusmodi culpae judicium, et decisio ad generalem cum suo definitorio spectabit. Quod si talis definitor suspendendus est, statim post sententiam latam, provincialis cum suo definitorio alium definitorem eligant loco suspensi, qui illius vices suppleat pro tempore suspensionis, et non ulterius.

CAPUT DECIMUMTERTIUM

De visitatoribus, de modo visitandi; et de sigillis ordinis.

De visitationibus. §. 555. 1. Cum totius ordinis ruina proveniat ex defectu debitae visitationis, visitatoribus, tam provincialibus quam aliis in suis visitationibus illud propositum esse debet, ut nostrae regulae, et constitutionum observantiam, et omnem nostri instituti rationem ubi non integre, et perfecte custodita fuerit, restaurent, errata corrigant, et omnem negligentiam puniant. In primis volumus, ut cum visitatores venerint ad conventus visitandos (regulariter primo mane) omnibus fratribus convocatis dicto hymno — *Veni Creator Spiritus* — cum oratione — *Deus qui corda fidelium etc.* — exhortationem aliquam coram omnibus ad observantism suae professionis, vel de aliis rebus ad visitationem pertinentibus pro rerum, ac temporum opportunitate habeant. Postea imponant praeceptum in hac, vel in alia forma *Auctoritate, qua fungor praecipio vobis virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto, ut si quid tam in praelato, quam in subditis dignum correctione vobis visum fuerit statim denuncietis pure, et veraciter, recluso omni odio, et amore, ac debitae charitatis, et justitiae legibus servatis.* Hujusmodi vero praeceptum ultra decem dies, nec minus, quam per tres integros in conventu religiosorum non extendatur. In monasteriis vero monialium, nec ultra octo, nec infra tres duret.

De praecipuis inquisitione. §. 556. 2. Visitatores primo de adimpletione legis Dei, et Ecclesiae inquirant, deinde de observantia regulae, trium votorum, et nostrarum constitutionum. Tertio, omnia scandala, aut speciem mali habentia, tam extra conventum, quam in conventu scrutentur. Quarto, de pace, et de quiete religiosorum,

sine qua vana est omnis religio, inquirant. Quinto, de regulari disciplina, nempe, de officio divino, de oratione, de silentio, de vita communi, et aequali, de clausura, et specialiter, an praelatus religiosis omnibus, praecipue vero infirmis de necessariis sufficienter provideat, et an forte aliquis abusus in vestitu, vel in aliis observantiis irrepserit. Quae omnia, ut exacte visitator exequatur, oportet, ut regulam, et constitutiones, ac ordinationes alias optime noscat; et de praecipuis statutis memoriale aliquod instituat summarium juxta quod possit singulos examinare. Praeterea studeat ea omnia, quae ad correctionem fraternam spectant in promptu habere.

De modo procedendi in visitatione.

§. 557. 3. Vocatis igitur ad se singulis religiosis solemniter professis, eos de praedictis diligenter, et prudenter interroget. Et ante omnia sanctissimum Eucharistiae sacramentum, et oleum infirmorum visitet. Similiterque antequam ultimam manum imponat visitationi, omnia vasa, et ecclesiastica vestimenta, quae munditie, et decore serventur, et omnes officinas sigillatim praescrutetur, earumque suppellectilem consideret, inspiciatque, an sint omnia necessaria pro usu fratrum, vel aliqua nostro statui indecora, aut superflua nec non omnia, quae religiosi in cellis, vel secum habent exploret, et si aliquod nostra professione fuerit alienum, omnino abdicetur, et rejiciatur. Si vero quid ex necessariis defuerit, diligenter faciat provideri. Et tempore visitationis, provincialis coram communitate, singulorum religiosorum habitum, et pallium diligenter reformet, curetque, ut in omnibus uniformitas, et id quod nostra disponit constitutio integre servetur: et qui in hoc excesserit ab eo puniatur, et illico ad mensuram constitutionis omnia reducantur: eamdemque curam prior conventus semper habebit.

De rebus temporalibus scrutandis.

§. 558. 4. Et quia non solum spiritualem monasteriorum statum visitare tenentur, sed etiam temporalem inquirere, summa cura incumbant, codices accepti, et expensi scrutari, visitatorque certior fiat de aliis omnibus, quae statum temporalem illius domus pertinet: debeantque priores, et clavarii de omnibus fideliter rationem reddere.

De spirituali sermone instituendo.

§. 559. 5. Quibus peractis, convocatis in unum fratribus, spiritualem sermonem instituat, in quo, quaecumque bene instituta viderit, approbet: quae secus, corrigat, vel in communi, vel in particulari. Dicantque omnes statim culpas suas incipiente priore genuflexo, interimque totus conventus stet, et ipso expedito, caeteri ordinate procedant. Si tamen in priore sit aliquis defectus, non omnibus, vel majori parti cognitus non publicetur, sed secrete in praesentia aliquorum, qui circa ipsum propensius affecti sunt, illum corrigat. Similiter et alia, quae occulta correctione indigent, secrete, et occulte corripiat: si vero publica sint, sive notoria coram omnibus publice corrigantur, ut qui alios exemplo suo ad malum provocavit, sua emendatione ad bonum reducat. Si autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, cum misericordia judicium exerceatur. Hortamur vero in Domino, ne impunita delicta remaneant, ne spes impunitatis majora inducat peccata.

De actibus, et statutis faciendis.

§. 560. 6. Si visitatori expediens videatur, acta aliqua, sive statuta facere, ea summa cum maturitate, et judicio, et non nisi gravi necessitate constituat, ne ob particulares defectus, communitas pluribus ordinationibus implicetur. Acta vero si quae remanserint, in arca communi serventur, et tantum perdurent de una visitatione in aliam ubi denuo non approbata expirent. Omnia vero praecepta, et censurae, terminato provincialium munere, cessent, tam in conventibus religiosorum, quam monialium, quamvis res praecepta, usque ad aliam visitationem, ut simplex mandatum vim habeat. Et quilibet provincialis in prima conventus visitatione diligenter inquirat, inspiciatque omnia acta, praecepta, mandata, aut censuras sui antecessoris, ut de eorum observantia, integraque adimpletione, et quid circa ea confirmare, aut revocare expediat, exactius judicare possit.

De suspensione priorum, seu vicariorum.

§. 561. 7. Provincialis poterit priores sive vicarios suae provinciae ab officio suspendere, tam in casibus a nostris constitutionibus expressis, quam ratione alicujus culpae, sive delicti ab eis commissi. Idem etiam efficiet, si re mature considerata, invenerit praelatum minus habilem, aut idoneum ad ministerium quod exercet, quodque continget, quando ex defectu naturalis talenti, omnes, vel major pars conventus irreligiose, sine pace, et observantia vivant, vel aliss, gravia alia, sive in in populo, sive in monasterio, incommoda sequantur. Et denique si talia sit, ut omnes fere fructus boni regiminis in eo desiderentur: tunc

quamvis alias praelatus sit religiosae vitae, provincialis arbitrio suspendatur: qui teneatur definitorium generale consulere, an in eo casu oporteat officio omnino privari.

De disciplina, et absolutione.

§. 562. 8. In capitulo culparum omnes disciplinam communem accipiant, et absolvantur a visitatore, sive sit provincialis, sive alius quicumque in hac forma. *Auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, qua fungor in hac parte, in quantum possum absolvo vos ab omni sententia excommunicationis majoris, vel minoris, suspensionis, interdicti, aut irregularitatis: et concedo vobis omnes indulgentias, quas possum concedere virtute Bullarum, et privilegiorum nostri sacri ordinis. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen*. Animadvertant autem religiosi, quod tunc ex nostri ordinis privilegiis plenariam indulgentiam consequuntur. Et cum visitationem praecipuus finis sit observantia, et pax (ut concilium Tridentinum expresse advertit) visitatores maxime curare debent in monasteriis fructus pacis, et observantiae post se relinquere: alias suo defuisse muneri arbitrentur.

De redditione rationum praebenda.

§. 563. 9. Provinciales visitatores, sive alii quicumque sint, postquam suam provinciam visitaverint, vel onus aliud eis impositum expleverint, rationem p. generali reddant de statu monasteriorum omnium, tam religiosorum, quam monialium. Si vero in aliquo conventu culpam aliquam, quae suam facultatem excedat deprehenderint, statim certum faciant definitorium generale, et si processum aliquem formaverint, aut aliquid aliud pro cognitione illius negotii in scriptis habuerint, illud definitorio mittant. Quod si in aliquo casu eorum facultatem excedente, de celeri remedio provideri oportet, illud adhibere possint; idemque praestare valeant praelati inferiores alii: confestim tamen superioribus, ad quos res attinet, denuncient.

Prohibitiones quoad monasteria monialium.

§. 564. 10. Inhibemus visitatoribus omnibus, ne apud monasteria monialium in sacristia, locutoriis, neque in aliqua parte simili comedant, aut dormiant, vel in alio cubiculo ubi videri, vel audiri possint ab ipsis, sub poena gravioris culpae. Sed si contingat non esse in illo loco nostrorum fratrum conventum, ad aliquam domum viciniorem se conferant, ubi conventus monialium provideat eis de victu communi, et regulari sui conventus, nec ulla ratione permittant sibi aliquid aliud conferri.

Idem ut supra.

§. 565. 11. Et ut circa ingressum intra clausuram monialium exactius serventur decreta sacri concilii Tridentini, et apostolicae ordinationes, statuimus, quod visitatores, et provinciales non possint earum claustrum ingredi, nisi tantum pro clausura monasterii visitanda, et tunc si visitator sit generalis, poterit secum introducere duos sui ordinis socios; si autem fuerit inferior generali, unum tantum secum deferet, et ante solis occasum e clausura egrediantur, nunquamque dum cellas monialium visitat a socio, seu sociis separetur, aut cum moniali aliqua loquatur, quod a sociis audiri non possit. Pro habendo autem capitulo de culpis pro electionibus, et pro audienda earum visitatione, aut etiam pro spirituali exhortatione, nullo pacto claustra ingrediantur: sed haec omnia ad crates ferreas fiant, sub poena privationis ab officio, et tam provincialis, quam quilibet alius, qui monialium electionibus intersit, nunquam admittat suffragium aliquod in confuso, vel sibi commissum, et suo arbitrio pro aliqua suffragium ferat, sed quaelibet illarum, quae voce gaudet, distincte, et expresse ejus nomen pro qua suffragium ferre intendit in schedula scribat.

De officio visitatorum.

§. 566. 12. Visitatores tempore, quo suo funguntur officio, omnibus religiosis illius provinciae, etiam ipsi provinciali praesideant, non vero in re alia regiminis se immisceant.

De instructionibus circa negotia.

§. 567. 13. Statuimus, ut omnes visitatores, et quicumque alii, qui jurisdictione aliqua subdelegata utuntur, teneantur suae commissionis literas manifestare: alias religiosi eis obedire non adstringantur. Et quia saepe oportet instructiones alias circa negotia eis commissa, a superioribus sibi conferri debeant, sub poena pro qualitate, et modo culpae infligenda eas exequi, et sub sigillo secreti servare.

De litibus, aliisque remediis juridicis.

§. 568. 14. Cupientes ex una parte ne religiosorum spiritus, qui ad altiora contendit, strepitu saecularis judicii, aliisque juris apicibus, appellationibus, litibus, aut nimia sui juris defensione obruatur, et extinguatur, et ex alia parte, ne correctio regularis justitiae, et rectitudo succumbat, ordinamus, neminem praelatorum teneri formare processum, aut uti aliis libellis in scriptis, nisi in casu gravissimae culpae, prout decernitur in Bulla ordini concessa a Gregorio XIV. et in graviori etiam culpa, in illis tantum casibus, in quibus

aliquis rigorosum supplicium in nostris constitutionibus pro graviori culpa decretum meretur, aut nisi agatur ad deponendum aliquem praelatum canonice electum, aut ad suspendendum ab hoc officio, vel privandum aliquem voce activa, vel passiva per sex menses, nisi quando haec poena in constitutionibus exprimitur, et simul casus est notorius. Sed in aliis rebus de plano sine processu, et sine judicii strepitu cognita veritate, aequitate servata, auditaque parte procedatur; ut sic efficaciter culpae, et defectus media charitate, et rectitudine corrigantur. Haec enim omnia pro regulari correctione inter nos existimanda, et acceptanda sunt. Si tamen aliquis ad visitandum vel ad aliquod negotium a superioribus mittatur, tunc teneatur juridice procedere, et causam in scripto superiori tradere. Praecipimus denda, ne umquam visitatores testium nomina, testimonia, aut numerum delinquentibus exhibeant nisi in casibus a Bonifacio papa VIII. expressis, nempe ubi, et quando in oppositione alicujus gravis, et infamatorii criminis justitia periclitatur, nam eo casu, si reus petat accusantium, et testium nomina sibi notificari debere, non est ei denegandum.

De sigillis ordinis. §. 569. 15. Ut in ordinis sigillis uniformitas servetur, ordinamus, ut p. n. generalis pro suo munere exequendo, duobus utatur sigillis: alterum sit parvum pro epistolis, et rebus ordinariis sui officii: alterum mediocre pro negotiis gravioribus. In utroque vero sint insignia ordinis sculpta, additis in circuito his literis (generalis) similibusque aliis omnibus sigillis, et ad eosdem effectus provinciales utantur: cum subscriptione, seu nomine suae provinciae. Pro definitorio generali fiat aliud mediocris magnitudinis cum hac subscriptione (definitorii generalis) idemque fiat pro definitorio provinciali, et quilibet ex definitoribus tam generalibus, quam provincialibus pro suis epistolis, et similiter visitatores, et procuratores generales curiae Romanae, et Regiae parvo sigillo utantur. Nec non omnes ordinis conventus pro negotiis tantum illius domus sigillum habeant peculiare cum usitatis religionis insigniis, et titulo illius conventus. In quibus omnibus sigillis tantum apponantur ordinis insignia, additis subscriptionibus praedictis. Neque religiosus aliquis, neque monialis utatur sigillo aliquo cujuscumque conditionis sit, sub poena gravis culpae.

CAPUT DECIMUMQUARTUM

De capitulo conventuali.

§. 570. 1. Ad tuendam regularem disciplinam plurimum confert, ut capitulum in conventibus suo tempore regulariter celebretur, in quo de custodia ordinis, et animarum salute, et de correctione culparum (ut regula praecipit) agendum est. Quare per priorem, subpriorem, aut vicarium qualibet hebdomada semel ad minus capitulum habeatur, sub poena gravis culpae. Et primo mane semper celebretur, nisi aliud ex rationabili causa praelato expedire videatur. Modus autem in ipso servandus praescribitur in ordinario. De celebratione capituli conventualis.

§. 571. 2. Praelatus sive praeses in conventuali capitulo exhortatione aliqua per se, vel per aliquem brevi, et opportuna subditorum mentes ad regulae quam professi sunt observantiam, vel ad aliarum virtutum functionem hortari debet. Qua finita si in communi aliquid illi, vel aliis advertendum occurrerit statim proponat, et postea omnes juxta formam in ordinario praescriptam devote, et humiliter dicant suas culpas. Declaramus tamen ad hoc capitulum laeves culpae tantum spectare, si enim aliae graviores invenientur, praelatus maturiori consilio secundum suam facultatem de ipsis debet judicare in capitulo, vel extra illud secundum earum qualitatem. De exhortatione a praesule facienda.

§. 572. 3. In hujusmodi culpis zelator, qui ad hoc officium qualibet septimana ex sacerdotibus est deputandus, cujus muneris est ordinis observantiam zelare, et in hac parte praelati curam adjuvare, defectus singulorum fratrum simpliciter, et sine aliqua exageratione unico verborum contextu proponat. Quod similiter faciant reliqui vocales, et maxime praeses, si aliquid adverterit, neque aliquis proferat culpam fratris, quam ipse confessus fuerit. De observatione ordinis curanda.

§. 573. 4. Accusatus humiliter, et patienter, quasi de ore Domini culparum animadversiones suscipiens, statim dicat *mea culpa*, et prosternat se terram osculans, donec jussus a praesidente surgat: et tunc tacens genuflexus maneat, et si a praesidente fuerit interrogatus, et non aliter, breviter et sincere excusationem suam proponat, et praesidens eo audito, charitate media, ut regula docet, imponat condignam poenitentiam, vel jubeat eum in loco suo De accusationibus, et poenis.

sedere: sit ergo in eo qoi praeest justitia, lacnis in admonitione charitas, et in admnnito humilitas.

Idem ut supra. §. 574. 5. Si quis rum accusatur, vel reprehenditur, impatienter, vel temere respondeat, graviter statim puniatur: aut praesidentis judicio ad tempus sedatae passionis differatur. Nullus etiam praesumat culpam suam, vel alterius in capitulo, vel alibi defendere, nec sine licentia praesidentis in capitulo loquatur, sub poena arbitrio praesidentis secundum qualitatem culpae infligenda. Neque aliquis conqueratur de culpis sibi in capitulo, vel in refectorio impositis sub poena jejunii in pane, et aqua. Honeramusque zelatorum conscientias, ut culpas, quas in religiosis cujuscumque conditionis viderint, eas cum charitate, et simpliciter in capitulo, vel in refectorio denuncient cum omni integritate, et absque personarum acceptione. Et similiter omnes sacerdotes hortamur in Domino, ut culpas, quas inter se cogneverint cum charitate, et humiliter sibi invicem advertant.

De secreto servando. §. 575. 6. Statuimus ut eorum, quae in capitulo agentur ab omnibus omnino secretum servetur. Si quis vero secreta capituli, quaecumque illa sint, si praelates ea celanda commiserit, saecularibus aut aliis extre secretum capituli, etiam religiosis revelaverit, ipso facto careat voce, et loco, et pensato scandalo, sive damno inde proveniente secundum suam culpam rigide puniatur.

CAPUT DECIMUMQUINTUM

De officio prioris, et superioris.

De officio prioris. §. 576. 1. Priori poenes quem totius monasterii peculiaris est administratio omnes conventuales, tamquam Deo studeant obedire, et ejus jussa in omnibus rebus adimplere. Primum tamen et principale prioris officium est, suae ipsius, et omnium subditorum saluti, et profectui spirituali invigilare, se simul, et creditum sibi gregem, secundum Deum ad regularem ordinis disciplinam in omnibus bene dirigere, et in vitam aeternam ordinare, et fratres tam exemplo, quam verbis admonere. Quare se priores, et nomini suo conformes in omnibus observantiis, tam in choro, quam extra illum, factis ipsis, et vitae actionibus ostendant. Et ut facilius, commodiusque sibi subjectos regere, et debite clausura continere possint, assidue in suis monasteriis studeant residere. Neque p. generalis poterit aliquem praelatum, aut subditum a communitatis actibus exonerare.

De jurisdictione prioris. §. 577. 2. Priores in suis conventibus ea omnia ordinare, et praecipere possunt, quae ad majorem observantiam, et suorum subditorum reformationem expedire judicaverint. Et ut aptius possint suos subditos in observantia, morum disciplina, et obedientia continere, in omnibus, quae ad correctionem subditorum suorum spectant, jus, et potestatem habeant, usque ad graviorem culpam exclusive; nam haec, et omnes illae, quae cum scandalo religiosorum, vel saecularium committuntur, provinciali, sive definitorio, ut suis locis annotatur, reservantur, quamvis ipse in iis, et aliis suam facultatem excedentibus, si opus sit aliquo opportuno, et celeri remedio poterit id tam in suis conventibus, quam in aliis locis in suo districtu diligentibus adhibere; statimque certiores facere superiores, ad quos talis causa spectat. Poterit insuper excommunicatos per quamlibet manus violentae injectionem, etiam enormem in fratres ordinis, nec non apostatas, etiam pro secunda, et tertia vice a censuris absolvere.

Idem ut supra. §. 578. 3. Prioris est, subditos suos frequenter admonere, capitulum omnibus septimanis celebrare, regulam omnibus fratribus exponere, et poenas a nostris constitutionibus taxatas, delinquentibus omnino, absque ulla exceptione personarum applicare. Et qui hoc remisse se gesserit, arbitrio provincialis gravius puniatur, juxta qualitatem delicti.

Idem ut supra. §. 579. 4. Prior a suo conventu recedens potest ex sacerdotibus illius (etiam superiore praesente) vicarium eligere, quod praestare non poterit si in conventu adsit, nisi ratione infirmitatis gravis, quae eum ab exequendo suo munere impediat.

Idem ut supra. §. 580. 5. Priores, aut vicarii, vel quilibet alius religiosus, minime possint litem aliquam incipere nisi de licentia provincialis; neque conservatoris judicis vice (nisi ex mandato expresso summi pontificis) fungi: neque testamentorum executores, sine licentia p. generalis, esse, sub poena privationis ab officio, et vocis, et loci per sex menses. Quod si urgens, inevitabilisque casus occurrat, poterit de prioris licentia id fieri; tenebitur tamen patrem

nostrum generalem certiorem prior illico facere; haud tamen talis executor pecunias, sivo alias res pretiosas apud se retinebit.

De onere conficiendi inventariorum.

§. 581. 6. Priores initio suae administrationis, conventus inventaria explorent, et omnia bona monasterii in praesentia clavariorum recipiant: et suorum officiorum fine nihil de bonis conventus, aut missarum eleemosynis inde extrahant, aut secum ferant praeter expensas itineri necessarias a clavariis donandas, sub poena proprietatis, et cum obligatione restituendi.

De officialibus ab eo eligendis.

§. 582. 7. Ad priorem spectat sacristam, et alios officiales sui conventus eligere, praeter clavarios; et procuratorem; qui a communitate per secreta suffragia eligi debent, et nunquam procurator ultra triennium absque licentia patris nostri generalis in officio perduret, et in provincia sancti Alberti provincialis. Studeat tamen viros idoneos, et quibus talia munera credi possint deputare. Qui cum officium suum terminaverit; clavariis omnia, secundum propria officiorum inventaria, tradat.

De vigilantia a priore praestanda.

§. 583. 8. Priores nulla ratione permittant, ut religiosi saecularia negotia tractent, sed potius a saecularibus semoti, rebus divinis, soli que Deo vacent.

De aere alieno non contrahendo.

§. 584. 9. Prior suo munere functus, monasterium aere alieno plusquam centum ducatis sine licentia provincialis gravatum non relinquat. Stricte vero praecipimus, ut omnes priores, aut vicarii statim post suam electionem teneantur debitis omnibus satisfacere, tam pro missarum stipendiis, quam pro quibuscumque aliis, non aliter ac si ipsi debita contraxissent. Neque excepto victu, et vestitu religiosorum, possint ante debitorum solutionem pecunias etiam pro aedificiorum erectione, vestibus sacris, libris, aut alia re consumere.

De adjutore prioris.

§. 585. 10. Prior simul cum provinciali eligat superiorem, virum prudentia, et consilio ornatum, qui possit priorem in ferendo onere adjuvare, et qui sciat, et valeat inter priorem, et subditos prudentis mediatoris vices praestare. Officium superioris duret tribus annis, et quamvis praedictum tempus non fuerit expletum; tribus mensibus a capitulo provinciali transactis expiret in omnibus ordinis superioribus. Poterunt tamen in eodem conventu reeligi, si per duos annos illud jam non exercuerint.

De observantia caeremoniarum in choro curando.

§. 586. 11. Praecipuum superioris munus est vigilare, ut ea quae pertinent ad cultum, et divinum officium exacte, et diligenter fiant, et ut unusquisque officium sibi injunctum perfecte exequatur, nevo absurde, praepostere, aut indecore quidpiam in choro fiat; ut caeremoniae, et ordinarium religionis exacte observentur. Ea quae a superiore circa chorum, altare, processiones, et similia circa cultum divinum fuerint ordinata, omnes debent adimplere, nisi praelatus aliud decreverit. Teneaturque qualibet hebdomada tabulam officiorum ordinare.

De jure superioris praesidendi in monasterio.

§. 587. 12. Superior in absentia prioris (nisi alius vicarius ab eo fuerit designatus) in monasterio praesideat. In absentia vero superioris praesideat antiquior ex conventualibus confessoribus, tam in choro, quam in convento, et tam hi, quam illi, qui absente priore ejus vices gerunt, nulla ratione aliquid innovare praesumant.

Declaratio specialis.

§. 588. 13. Nullus prior generalem sui conventus visitationem, imponendo praecepta aut censuras audeat facere. Hoc enim proprium est provincialis. Declaramus tandem, quod omnis vicarius canonice a definitorio electus eamdem potestatem, et praeeminentiam in omnibus habeat, ac si esset prior.

CAPUT DECIMUMSEXTUM

De officio trium clavariorum; et custodia communi bonorum conventus.

De clavariis, et eorum officio.

§. 589. 1. In omnibus conventibus sint tres clavarii, aut consiliarii, unus superior, et alii ex digniribus, a capitulo conventuali eligendi, quorum interventu, et consilio prior, vel vicarius disponat de rebus omnibus temporalibus monasterii. Sine horum vero determinatione non liceat priori expendere, alienarevo quidpiam, sivo alio modo contrahere in rebus gravibus monasterii. Quod si res adhuc majoris ponderis se offerant, nulla ratione priorum, et clavariorum arbitrio tantum, sed per majorem partem capituli expediantur. Et ut certa aliqua regula praescribatur juxta sacrosancti concilii Tridentini, et ss. Urbani VIII. decreta, sequentes ordinationes, quas stricte praecipimus observari statuimus.

De bonis conventus custodiendis.

§. 590. 2. Prima: Prior nihil omnino de bonis conventus potest apud se, aut alibi retinere, aut in nullos usus, quamtumvis licitos expendere, antequam quidquid accipit, in communem arcam, aut officinam reponat, et clavariis notum faciat. Secunda: Omnia, quae ad munus prioris sive per procuratorem, sive per alium religiosum, aut saecularem perveniunt, tenetur prior statim in arcam communem mittere: neque prior solus, sive alius quicumque eam aperiet, sed semper ad minus duo concurrent;

De libris asservandis.

§. 591. 3. Tertia: Sint duo libri, unus extra, et alius intra arcam trium clavium, in quorum primo accepta, et ingressa, in secundo expensa, et egressa ex arca fideliter adnotentur.

Idem ut supra.

§. 592. 4. Quarta: Quidquid prior in arcam mittit, illico adnotare faciet in primo libro, et quidquid extrahit in alio libro adnotabitur, subscribentibus clavariis.

De impensis faciendis pro victu, et vestitu.

§. 593. 5. Quinta: Prior in sumptibus pro victu, et vestitu religiosorum aere alieno solvendo, et de officinis conventus de necessario providendis impendere potest, et debet quidquid sibi justum videbitur, dummodo id faciat cum clavariorum scientia extrahendo de arca quantitatem ab ipso petitam, et in libro cum subscriptione clavariorum adnotatam. Ratio autem expensi a priore exhibita ex pecunia ab arca communi non extracta, et a clavariis ignota, ab istis nullatenus in computum admittatur, aut approbetur. Et potest similiter cum eadem clavariorum notitia, et sub eadem forma centum, et quinquaginta aureos, sive ducatos in toto triennio extrahere, ut suo arbitrio et voluntate in utilitatem conventus expendantur, et cum clavariorum consensu, et approbatione usque trecentos in triennio.

De licentia necessaria ad expensas faciendas.

§. 594. 6. Sexta: Non poterit prior nec in conventu, nec in ecclesia, nec in sacristia, nec alio quocumque titulo quamvis honesto, quantitatem dictos trecentos aureos excedentem expendere absque consensu communitatis in capitulo, et approbatione, et licentia definitorii provincialis; nec capitalia census consumere, nec novos census imponere, nec arbores in conventus fundis cedere absque consensu communitatis, et aliis in his constitutionibus requisitis, atque aliis de jure servatis.

De redditione rationum.

§. 595. 7. Teneantur priores, sive praesidentes conventuum simul cum clavariis, et procuratore, singulis mensibus computum de receptis, et expensis facere, omittentibus vero, tam priori, quam clavariis, arbitrio provincialis poena gravis applicetur.

De libro missarum, seu suffragiorum

§. 596. 8. Ordinamus praeterea, ut alius liber in arca trium clavium, ubi claro, et distincte status monasterii apponatur, praecipue ubi memoriae, et alia onera missarum, sive suffragiorum collocentur. Praeterea sit index, sive inventarium omnium scripturarum, et obligationum illius conventus, tam fundationis, patronatus, quam similium. Et ut clarior notitia de omnibus habeatur; tempus, et locus, et persona, sive scribae, a quibus scripturae fuerunt confectae, declarentur. Serventur etiam in arca trium clavium inventaria bonorum communitatis, et liber, in quo peculiariter de receptione, et solutione missarum fit mentio: alteri itidem, in quo apocharum omnium exhibitarum ratio cum offerentis, numeri missarum, et eleemosynae expressione distinctae, et perpetuo constet: et hos libros, sive in eis contenta omni diligentia visitet provincialis.

De administratione monasterii.

§. 597. 9. Statuimus, ut omnes officiales monasterii, res suae administrationi peculiariter commissas, tamquam sacras, et quasi pauperum patrimonium omni cura, et sollicitudine custodiant. Quod si prior, superior, clavarii, aut alii bonorum dispensatores de gravi negligentia in custodia bonorum fuerint convicti arbitrio prioris, sive provincialis pro modo suae culpae omnino puniantur.

De redditione rationum exhibenda ab omni praelato.

§. 598. 10. Volumus etiam, ut provinciales, procuratores generales, et quilibet alius praelatus reddant rationem, tam de receptis, quam de expensis circa suas personas, vel officia. Teneanturque visitatores (praecipue provincialium) inquirere ea, quae eis fuerint donata, ut ipsi requisiti explicent in quibus consumpta sunt.

Monitum ad praelatos.

§. 599. 11. Curent autem diligenter nostri ordinis praelati, ut in singulis conventibus, collegiis, hospitiis, eremis libri, instrumenta, aliaque omnia jura ad quoscumque nostri ordinis domus spectantia distincto, clauso, ac tuto loco serventur: eademque a probatis viris a conventuali capitulo eligendis fideliter, diligenterque custodiantur; omniaque fiant uti statuitur in constitutione Benedicti XIII., quae incipit — *Maxima vigilantia* — die 15 junii 1727.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM

De ordine, et loco tam a praelatis, quam a subditis servando.

De ordine, et loco tam a praelatis, quam a subditis servando.

§. 600. 1. Cum in domo Dei non deceat aliquid esse inordinatum in omnibus congregationibus prima sedes et locus p. o. generali debeatur. Definitores eamdem sedem, quae in primo loco ipsius assignatur, habeant, et idem sit de definitoribus provinciae, et secretario definitorii generalis. Visitator omnibus, quos tenetur visitare praesidebit, eosque praecedet durante tantum suae visitationis negotio. Provincialis in sua provincia primo omnium loco sedeat: in aliena vero post priorem conventus, non postulabit licentiam ad exeundum, et reliqua praestabit, prout caeteri conventuales. Finitis autem suis officiis nullus praelatus, etiam generalis aliqua loci praeeminentia gaudeat. Prior vero in sua quisque domo primum locum obtinebit. Procuratores generales Romae, et Hispaniae post priorem domus, et ante priores hospites, Romae procurator, etiam ante provinciales hospites sedem habeat. Si plures priores in ejus conventum convenerint, omnes post priorem domus, servata suorum domorum antiquitate, sedeant. Post priorem superior, et in alieno conventu immediate post superiorem domus sedebit. Post superiorem, et superiores hospites magister novitiorum, deinde magister professorum, et post istum procurator provinciae sancti Alberti sedebunt, et deinceps sacerdotes juxta professionis suae tempus, sive conventuales sint, sive hospites collocabuntur: et post illos reliqui professi habita ratione ordinis, ita ut diaconus subdiaconum praecedat, et sic deinceps. Si aequales sint in ordine, praecedat in professione antiquior. Deinde suo ordine sedebunt novitii, inter quos praecedant sacerdotes, si aliqui sint. Novissime laici, et donati pro antiquitate professionis.

De professione iteranda.

§. 601. 2. Ille, qui bona fide professionem emisit, si postmodum alicujus nullitatis supplendae causa illam iterare necessarium sit; ejus antiquitas a prima professione computetur. In itinere autem, qui antiquior fuerit in ordine, sive ratione officii, sive professionis, caeteros praecedat, et ipsi teneantur ei obedientiam praestare. Inter fratres vero itinerantes; poterit prior, vel praeses ob rationabiles causas suas vices, etiam non antiquiori commendare.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM

De regimine provinciae s. Alberti.

§. 602. 1. Nostra provincia sancti Alberti in regno Mexicano quamvis in omnibus communes ordinis constitutiones, quantum fieri potest, servare teneatur; propter ejus tamen nimiam distantiam, et peculiares ipsius conditiones, peculiaribus indiget ordinationibus, quas hic statuere, et decernere sub diversis paragraphis operae pretium duximus. De regimine provinciae s. Alberti.

§. I.

De facultatibus capituli provincialis, et de procuratore, et socio ad capitulum generale mittendis.

§. 603. 1. Provincia sancti Alberti celebrabit capitulum de triennio in triennium, dominica tertia post Pascha, dicta — *Deus, qui errantibus*—, sub eadem forma, et ordine: servatisque eisdem qualitatibus tam in electionibus, quam in eligendis, quae pro aliis capitulis provincialibus ordinis stabilita sunt. De celebratione capituli.

§. 604. 2. Decernimus, ut in dicto capitulo, sicut in caeteris totius ordinis, eligantur provincialis, et definitor generalis (quando juxta statuta nostri ordinis unus ex definitoribus generalibus debeat esse ex filiis illius provinciae) quatuor definitores provinciales seorsim eligendi, et juxta ordinem suae electionis, gradum, et praecedentiam habentes: priores omnium provinciae conventuum, etiam eremi, magister novitiorum, ejusque socio, et in capitulo proxime post electionem p. o. generalis celebrando, etiam illius provinciae procurator, et unus ejus socius cum tribus substitutis, qui easdem habeant qualitates, quae in sociis ad capitulum generale in his nostris constitutionibus desiderantur. De electione provincialis, et definitoris generalis.

§. 605. 3. Statuimus, ut deinceps provincia sancti Alberti duas habeat voces in singulis capitulis generalibus, unam procuratoris ab ipsa in Hispaniam missi, et alteram ejus socii, vel si adsit definitor generalis illius provinciae filius, iste cum procuratore ad capitulum generale accedat suffragaturi, socio tunc casus De vocibus competentibus provinciae s. Alberti.

extra capitulum manente, sicut de substitutis aliarum provinciarum dictum est, in tali tamen proportione, ut si definitor, aut procurator suae provinciae defecerit facile valeat illius in capitulo vicem gerere, et vocem ferre: ita tamen, ut nunquam in capitulo generali plures ex provincia sancti Alberti, quam duae voces conveniant, nec plures, quam duo, nempe procurator, et ejus socius, aut aliquo ex his deficiente, unus ex substitutis in Hispaniam ob dictum finem veniant; nec aliter ex provincia exeant, quam ambo associati iterum simul reversuri statim post adventum suorum successorum, et non antea, nisi ipsis sponte volentibus, qui pro navigationis, et itineris molestiis sublevandis unum fratrem donatum secum afferre possunt, quem in suo ad provinciam regressu secum pariter reducere teneantur.

De confirmatione definitoris generalis.

§. 606. 4. Definitor generalis ab ea provincia electus a definitorio statim post electionem confirmabitur eodem modo, quo confirmatur provincialis, et tam procurator, quam socius, et substituti literis patentibus capitulo donentur: istique nunquam in eadem reeligantur officia, nisi transacto integro triennio.

De peculiari privilegio hujus provinciae.

§. 607. 5. Capitulum provinciae sancti Alberti ultra ea, quae aliis capitulis provincialibus competit, potest in legibus ad mores pertinentibus ex justa, et urgenti causa dispensare, dummodo id rarissime fiat, et non nisi concurrentibus plusquam tribus ex quatuor partibus suffragiorum: potest statuta, et acta in bonum suae provinciae decernere, et ea statim executioni mandare, servata forma ad id in nostris constitutionibus stabilita, dummodo de his aliisque omnibus in capitulo peractis definitorio generali plena ratio reddatur.

§. II.

De peculiaribus p. provincialis, et definitorii provinciae sancti Alberti spectantibus.

De peculiaribus potestatibus provincialis, et definitorii provinciae s. Alberti spectantibus.

§. 608. 1. Ad hoc definitorium spectat quidquid caeteris definitoriis ordinis concessum est, et ulterius decernimus, ut possit quascumque renunciationes etiam provincialis admittere, convenientibus quatuor ex quinque suffragiis. In Dei gloriam pro animarum salute, et Indorum conversione religiosos charitate idoneos, prudentia, et zelo fidei catholicae praeditos ad missiones mittere, maxime si pro-rex, aut Indiarum praeses id postulaverint.

Idem ut supra.

§. 609. 2. Potest insuper in legibus ad mores spectantibus his; aut ter in triennio cum per urgenti necessitate, et cum quatuor ex quinque suffragiis dispensare: concedere provincialibus facultatem visitandi per commissarios, alios conventus ultra eos, quos in nostris constitutionibus permittitur aliis provincialibus committere. Jus patronatus ecclesiae, cappellae, aut conventus, ubi, et quando opus sit concedere servatis omnibus de jure servandis. Memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis religiosae admittere, servatis his, quae circa haec in nostris constitutionibus ordinantur. Tribunas, sive fenestras in ecclesiis nostris cum aditu ad aedes secularium, ad tempus tantum, supposito ad id apostolico indulto, concedere: distributiones imponere conventibus pro solvendis expensis in negotiis provinciae a definitorio factis, aut faciendis.

Idem ut supra.

§. 610. 3. Item licentiam ad recipiendum fratres laicos praebere, dummodo matura id fiat, et qui recipiendi sunt profectui religioni esse possint, et cum caeteris novitiis instruantur. Fratres donatos, qui laudabiliter per quinque annos in religione conversati sunt, ad solemnem professionem admittere; sed in duobus casibus, quatuor ex quinque, sicut in dispensationibus requiruntur suffragia.

Idem ut supra.

§. 611. 4. Potest insuper definitorium infirmos, et valetudinarios ad balnea mittere, et ad medendus in domibus saecularium eos, quibus inter septa monasterii subveniri non potest. Quae duo fieri valent de licentia p. provincialis: in utroque autem casu praelatorum oneramus conscientiam, ut nonnisi raro, et in urgenti necessitate praedicta facultate utantur.

Idem ut supra.

§. 612. 5. Spectat etiam ad definitorium ab officiis suspendere, vel privare, quos juxta leges nostras tali poena dignos invenerit: in poenis a se impositis infra medietatem dispensare cum iis, qui eas humiliter accipiunt, et exacte adimplent: incorrigibiles, et eos qui juxta ordinis leges expelli debent, expellere, assumptis ad hoc duobus viciniorum domorum prioribus, ut per majorem partem suffragiorum feratur sententia; sufficiet enim major pars in hoc casu, sicut etiam in definitoriis, aut prioris dispositione: deoique de gravissima culpa judicare, servando in causis nullitatis profes-

sionis constitutionem ss. Benedicti XIV. quae incipit: *Si datam hominibus fidem*; si vero in aliquo definitorum hujus provinciae personalis, et gravis culpa fuerit deprehensa, pro qua mereatur poenam privationis, aut suspensionis ab officio, hujusmodi culpae judicium; et decisio ad provincialem simul cum definitorio spectabit. Et tunc locum ejus, qui judicandus est, substituet in definitorio prior illius domos, in qua celebratur, et eo impedito prior vicinioris conventus, ita ut ad judicium hujus causae quinque adsint suffragia (et idem servabitur, ad admittendam renunciationem provincialis, vel definitorum). Si autem definitor suspendendus, vel deponendus sit, statim post latam sententiam alium definitorem eligent loco depositi, vel suspensi, qui illius vices suppleat pro tempore suspensionis, et non ultra.

Idem ut supra. §. 613. 6. Extra hos casus, et si alii in his constitutionibus exprimuntur non licebit definitorio illi aliud agere, vel exequi, sive in alterius causae cognitionem, aliamve quamcumque cum directe, vel indirecte regimen concernentem se intromittere. Quod si secus fecisse constiterit, tempore, quo circa officia sua visitantur juxta gravitatem defectuum corripiantur.

Idem ut supra. §. 614. 7. Si provincialis morte praeveniatur, renunciet, aut deponatur ab officio, tunc fiet in provincia sancti Alberti, quod pro simili casu stabilitur in his constitutionibus part. 3 cap. 10 §. 2 num. 5 hoc uno excepto, quod si pro electione novi provincialis capitulum extraordinarium sit congregandum, volumus, ut pro excusandis expensis, et itineris molestia ad dictum extraordinarium capitulum solum conveniant vicarius provincialis, quatuor definitores, et priores omnium conventuum, qui a domo capitulari triginta tantum leucarum spatio distant, cum quibus ritam fore electionem novi provincialis decernimus.

Idem ut supra. §. 615. 8. Statuimus, ut in provincia sancti Alberti provincialis sit semper filius illius provinciae, qui eligatur a suo capitulo provinciali, et nunquam a definitorio generali, quique ultra ea omnia, quae provincialibus totius ordinis competunt habebit facultates sequentes. Poterit memorias, seu pia legata cum missarum onere, aut alterius functionis religiosae pro conventibus admittere, servatis his, quae circa hoc in nostris constitutionibus ordinantur; parentes qui gravi egestate opprimuntur licentiam indulgere, ut eleemosynam pro eis accedis postulet, et similiter facultatem praebere, ad hoc ut quis in aliquo casu testamenti executor sit. Et quando aliquis donatus post emissa simplicia vota expulsus fuerit, ab obligatione votorum eum absolvere: concedere licentiam alicui eundi ad propriam patriam sine socio intra ipsam provinciam, ac denique cum illegitimis (hoc est filiis naturalibus et expositis) ut ad habitum recipiantur dispensare, dummodo tamen inter clericos non admittant, nisi a legitima potestate dispensationem obtinuerint.

§. 616. 9. Quando p. n. generalis dicto provinciali gubernationem eremi suae provinciae commiserit hujusmodi facultas, atque commissio tamdiu pro se, ac successoribus suis perdurabit, quamdiu ipsis minime revocabitur, vel a novo generali alia similis provinciali, aut alicui alteri concessa fuerit. Qui hujusmodi facultatem in literis suae delegationis expressam nunquam excedant. Talis autem delegatio regulariter committetur ei qui actu fuerit provincialis illius provinciae, aut visitatori a definitorio misso, appositis tamen ibi limitationibus, quae dicto p. n. generali bene visae fuerunt. Idem ut supra.

§. 617. 10. Statuimus, ut provincialis, et definitorum visitatio fiat in capitulo provinciali juxta formam pro visitatione aliorum provincialium, et definitorum stabilitam in nostris constitutionibus capite 9 §. 3 num. 5 hujus tertiae partis. Et cum ratio totius capituli ad definitorium generale mittitur, mittatur insimul transumptum visitationis p. provincialis, ut de statu illius provinciae certius definitorium generale reddatur. Idem ut supra.

§. III.

De visitatoribus, et aliis ad provinciam sancti Alberti spectantibus.

§. 618. 1. Quando definitorio generali expediens, et necessarium visum fuerit, poterit visitatorem ex Hispania ad illam provinciam mittere, qui eas vices, et praeeminentias in omnibus habeat, quae sibi fuerint a definitorio generali commissae, et si tempore capituli provincialis ibi adsit, praesidebit visitator in capitulo cum voce activa tantum, nunquam tamen passiva voce gaudebit. Et praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, De visitatoribus provinciae s. Alberti.

et sub praecepto, nec non sub poena excommunicationis majoris latae sententiae ipso facto incurrenda, ac privationis ab efficio, et vocis activae, et passivae in perpetuum omnibus, et singulis religiosis dictae provinciae, ut nullus eorum per se, vel per alium directe, vel indirecte dictum visitatorem a nostro definitorio missum sui efficii executionem impedire, aut perturbare quomodocumque attentet, aut procuret, et sub dictis praecepto, censuris, et poenis praecipimus, ut quicumque noverit, quod aliquis in quolibet praemissorum secus fecerit, teneatur ipsi visitatori statim manifestare, ut de celeri remedio efficaciter provideat. Et semper visitatori in literas suae commissionis expresse assignetur tempus pro ea exequenda, quo finito statim ab officio cessabit; nec antea finietur ejus commissio, et facultas, licet definitorium, a quo emanavit expiraverit.

De ordine procedendi in visitatione.

§. 619. 2. Quilibet visitator a generali definitorio missus, cum in illam provinciam pervenerit literas suae commissionis in conventu Mexicano sancti Sebastiani fratribus capitularibus illius in conventuali capitulo congregatis exhibebit, quae coram ipsis legantur. Quibus intimatis omnine absque ulla controversia, seu aliqua acceptione omnes ei obedientiam praestabunt, sub censuris, et poenis supradictis, et in eo conventu officium suum visitatoris exinde exercere incipiet. Convocabit tamen per epistolas provincialem, atque unum, aut duos ex definitoribus, hos scilicet, qui in vicinioribus conventibus commorantur, et si provincialis aegrotaverit, aut legitime impeditus fuerit, sat erit, dictos definitores vocare, certioresque eos facere de suo adventu. Quibus praesentibus suas literas eis manifestabit, obedientque ei tam provincialis, quam definitores ex illa hora sub eisdem censuris, et poenis, et ex tunc in tota provincia muneri suo operam dabit. At vero si intra quindecim dies, vel ad summum viginti vocati provincialis, et definitores non venerint dictus visitator ab Hispania missus huic satisfacere debito intelligitur; nec teneri aliquid aliud facere, nec sua manifestare rescripta, sed officium suum exercebit observans omnia, et singula, quae tam in his, quam in totius ordinis constitutionibus ordinantur. Ipsiusque visitatoris conscientiam oneramus, praecipimusque ei in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto, ut omni diligentia, seclusoque humano respectu, suae visitationi fidelem operam impendat.

De gravibus casibus, et extraordinariis.

§. 620. 3. Item ordinamus, quod in visitatione, correctione, punitione, depositioneve provincialis dictae provinciae tempore intermedio, et in gravibus, et extraordinariis casibus idem servetur, quod in nostris constitutionibus statuitur circa correctionem p. n. generalis; hoc excepto, quod loco provincialium, qui ibi ad id cum definitorio concurrere debent, accedant hic priores ex tribus antiquioribus conventibus, et si opus fuerit usque ad depositionem ipsius provincialis procedere poterunt in casibus, in quibus p. n. generalis juxta ordinis statuta deponi potest: concurrentibus ad id quinque suffragiis ex septem. Conclusa vero causa usque ad definitivam inclusive, et ea executioni mandata ejus fidele transumptum ad nostrum definitorium generale mittetur, ut in ipso de justificatione, ac rectitudine per judicum periculum fiat.

De religiosis ab Hispania mittendis.

§. 621. 4. Religiosi, qui ab Hispania ad conversiones mittuntur, nulla ratione poterunt ab aliquo Indiarum praelato impediri, aut detineri, nisi culpam commiserint, pro qua puniri, aut detineri ipsos oporteat: poterit tamen definitorium illius provinciae eis instructionem aliquam praebere, cui obedire teneantur, et juxta illam in tali missione se gerere dummodo non contradicant facultati, aut directioni a nostro definitorio generali concessae.

Idem et supra.

§. 622. 5. Praeterea statuimus, ut in illo eventu religiosi provinciae sancti Alberti, cujuscumque conditionis, et qualitatis sint, possint in Hispaniam pergere absque facultate a nostro definitorio generali obtenta, propter quam in casu supra posito, quod scilicet definitorium illius provinciae aliquem miserit. Quod si quis secus fecerit, et absque hujusmodi licentia in Hispaniam tetenderit, voce, et loco per sex menses privetur. Praelatus vero; qui eum miserit, per quatuor menses ab officio suspendatur.

De modo vivendi in conventu.

§. 623. 6. Item statuimus, ut in conventu, ubi noviter professi gramaticam docentur, idem ordo, ac in caeteris collegiis, modusque vivendi omnine servetur: praeterquamquod matutinum adstantibus omnibus media nocte recitetur. Expleta oratione mentali vespertina, et ante completorium per unam horam gramatici studio operam dabunt.

De suffragiis pro religiosis decedentibus

§. 624. 7. Provincia sancti Alberti pro religiosis decedentibus in Hispania non tenetur ad consueta suffragia nisi pro p. n. generali, et definitoribus generalibus, neque in Hispania fiant, nisi pro provinciali illius provinciae pro quo quidem eadem suffragia applicari debent, quae pro caeteris provincialibus Hispaniae fieri solent. Si vero contingat, ut aliquis religiosus illius provinciae moriatur in Hispania, praeter suffragia, quae juxta nostras constitutiones debent fieri pro eo in conventu ubi e vita migraverit celebrentur, pro illo in omnibus conventibus provinciarum totidem missae, et ipsamet suffragia, quae fieri debent pro religiosis in alia provincia decedentibus. Et similiter si in provincia novae Hispaniae aliquis religiosus caeterarum provinciarum ordinis vita finierit eadem suffragia pro eo fieri debent in omnibus conventibus illius, sicus fieri infra mandatur pro conventualibus momoratae provinciae, nec per nuper dicta excludimus ea suffragia, tam in uno, quam in altero casu, quae applicari debent pro illis in provincia, seu in illius conventibus pro officiis, quae in illa, seu in illis habuerunt. Pro unoquoque religioso conventuali decedenti in quolibet conventu dictae provinciae integrum officium defunctorum persolvatur, et tres missae conventuales canentur, et quilibet sacerdos quinque privatas missas dicat. In domo autem ubi religiosus obierit praeter supradicta sex aliae missae conventuales canantur, ita ut sint novem, totidemque privatas unusquisque sacerdos in illa domo dicat. Pro donatis, qui non sunt solemniter professi in suo conventu fiat officium integrum defunctorum cum missa conventuali, et quilibet sacerdos provinciae dicat unam missam; laici vero fratres atque donati easdem atque pro aliis religiosis offerant preces. Pro novitiis denique fiant, sicut in aliis ordinis provinciis fiunt.

De variatione constitutionum.

§. 625. 8. Tandem statuimus, quod si aliquid in capitulo generali de mutatione alicujus ex his constitutionibus in hoc capite expressa tractandum sit, id nullatenus fiat, nisi in capitulo, in quo adest procurator provinciae; servatisque circumstantiis, vel additionem alicujus ex ordinis legibus juxta nostras constitutiones requiruntur, nisi super hoc aliquando (sicut in aliis ordinis constitutionibus post capitulum generale dispensare juxta terminos jam praescriptos) concurrentibus suffragiis ad id necessariis, justis de causis dispensaverit.

CAPUT DECIMUMNONUM

De hospitio sancti Joachim, et Annae urbis Romae.

De hospitio s. Joachim, et Annae urbis Romae.

§. 626. 1. Religiosi hujus Hispaniae congregationis, qui in nostro Romano hospitio morantur: et si communes ordinis constitutiones servare debeant in omnibus, quae hic limitata, et expressa non sunt, tamen quia eorum exercitia, occupationes, et ministeria ab exercitiis caeterarum ordinis domorum in multis valde distant; pro dicti hospitii regimine aliquas peculiares sanciones statuere necessarium judicamus.

De procuratore generali ibidem praeficiendo.

§. 627. 2. Quare in dicto hospitio semper aderit procurator generalis, qui pro causis in illa curia tractandis juxta leges nostras a capitulo generali eligitur, et sub hoc nomine idem munus eamdemque jurisdictionem, potestatem, et auctoritatem ordinariam scilicet, quam habent omnes priores ordinis, habebit, tam in religiosos ibi commorantes, conventuales, et hospites, sive subditos, sive praelatos cujuscumque conditionis sint (quando temere, et sine licentia ad curiam accedunt) quam in reliquos fratres nostrae congregationis undecumque sint, et ubicumque fuerint extra Hispaniam vagantes cum potestate puniendi apostatas, et eos incarcerandi, et praeceptis, sive censuris ligandi: nec non, et absolvendi ab apostasia, et excommunicatione, et cum iis, qui in ea celebraverint super irregularitate dispensandi, et qualescumque causas eorum formandi usque ad definitivam exclusive, quas nostro definitorio generali remittere debent.

De duratione officii procuratoris.

§. 628. 3. Dicti procuratoris officium durabit per sexennium, et religiosi dicti hospitii conventuales sint ad summum septem (computato cum eis p. procuratore) et praeter hos, duo etiam fratres donati: et hic numerus non augeatur.

De subjectione domus.

§. 629. 4. Erit insuper illa domus p. n. generali immediate subjecta, atque ibi commorantes, sint simul conventuales conventus regalis curiae Hispaniarum, in quo conventu, et in ea provincia suffragia, et officia pro eis applicabuntur, sicut pro caeteris defunctis conventualibus. Dicti vero hospitii sacerdotes pro

intentione hujusmodi conventus Hispani, qui eis missarum eleemosynas mittere tenebitur, celebrabunt, hoc est fideliter, et integre tot sacrificia, quot fuerint pictantiae, cum supplemento tamen illius partis, quae ratione expensarum itineris diminuta fuerint: ita ut omnino dicantur missae, ac in dicta eleemosyna integre reciperetur, sub poena gravis culpae per tres dies a definitorio applicanda, et non omissa satisfactione missarum, quae pro integra eleemosynarum summa erant celebrandae.

De iis, quae ad chorum spectant.

§. 630. 5. Quod autem ad chorum attinet observabitur in dicto hospitio idem, quod pro nostri ordinis collegiis sancitum est: hoc excepto, quod nec missa ulla, nec horae canonicae, quantumvis solemnes sint, umquam canantur: praeter quam primam missam noctis Dominicae Nativitatis, et missam sanctorum Joachim, et Annae in eorum festivitatibus: et illam quae celebrabitur corpore praesenti alicujus religiosi ibi defuncti: quas ipse procurator generalis celebrare tenebitur, nisi sit legitimo impeditus. In communi vero flagellatione, psalmus *Miserere mei Deus*, dicitur sine cantu, devote tamen cum suis intervallis, addito etiam psalmo *De profundis* cum consuetis orationibus.

De mentali oratione matutina.

§. 631. 6. Mentalis oratio matutina omni anni tempore hora quinta habeatur, similiter, et vespertina, ot tempore vesperis, et in aestate matutinum noctis hora nona recitabitur: in hyeme vero hora octava, et post matutinum communis flagellatio diebus assuetis, et conscientiae discussio, et ordinaria refectio subsequeutur. Culpae tamen in refectorio tantum dicantur, secunda, quarta, et sexta feria, vel aliis quando procurator generalis dictis feriis a refectorio abfuerit. Denique animi remissio vespertina habeatur omnibus diebus usque ad diem s. Lucae Evangelistae.

De officio B. M. virginis.

§. 632. 7. Semper divinum officium, nec non parvum beatae Mariae, quandocumque juxta regulas ordinarii recitandum est, dicatur. Oratio mentalis habeatur coram sanctissimo Sacramento in choro, vel in ecclesia januis clausis, quamvis adsint tantum duo religiosi.

De expositione sanctissimi Sacramenti.

§. 633. 8. Feria quinta majoris hebdomadae, usque ad officium feriae sextae, sanctissimum Sacramentum aptae, et ornate debito loco, ut moris est, reponatur, absque nimia tamen praeventione, et ostentatione, et officia trium dierum a feria quinta inclusive sine cantu recitentur, et omnes ibi assistant, sicut assistere debent etiam officio missae diei Nativitatis Domini, atque beatae Mariae virginis, et omnium sanctorum. Quod sacrum a procuratore generali, legittime non impedito, his diebus omnino celebrandum est, sed sine cantu.

De responsorio pro defunctis in missa.

§. 634. 9. Singulis feriis secundis, quilibet sacerdos dicti hospitii, finita missa, responsorium pro fidelibus defunctis in eadem cappella, in qua sacrum fecit recitabit. Et si tunc dies festus occurrat, sequenti de hoc faciet. Ad officia vero communia defunctorum, quae ternaria dicuntur, religiosos dicti hospitii non obligamus, nec ad alia quaecumque suffragia pro fratribus alibi decedentibus: cum vero aliquis in ea domo animam egerit per novem dies reliqui sacerdotes, tam conventuales, quam hospites pro eo celebrare teneantur, et ultra hoc in diebus immediate sequentibus septuaginta sacrificia pro quolibet defuncto applicentur. Quorum pictantiam conventus regalis curiae persolvet pro sacrificiis a quolibet illius conventus sacerdote applicandis. Quod si major fuerit sacerdotum numerus iu dicto conventu regalis curiae, ea sacrificia, quae ultra septuaginta dicta superfuerint pro ipso hospitii defuncto, statim ac de morte ejus constiterit applicentur: de cujus obitu absque ulla mora p. n. generalis, et prior conventus regalis curiae certiores fiant, ut pro eo quamprimum suffragia offerantur. Et ut officium sepulturae decentius fiat, volentibus ultro charissimis in Christo patribus Italicae congregationis ibi adesse, fratres nostri cum interventu aliquorum ex ipsis, haec pietatis, et charitatis officia praestabunt. Similique modo, quando aliquis in conventibus urbis illius congregationis moriatur, fuueri ejus procurator generalis cum socio suo, vel alii duo assistent, ut harum congregationum mutua fraternitas, hactenus servata in dies conservetur.

De silentio in refectorio servando.

§. 635. 10. In refectorio semper silentium observetur, et quando quatuor ibi aderint, unus eorum lectionem communem legat. Si vero ob negotiorum, vel aegritudinum impedimenta non fuerint nisi duo, vel tres, tunc per aliquod breve spatium lectio habeatur, et facto signo a praesidente, lector ad mensam sedebit. Porro mortificationes solitae, tam ordinariae, quam extraordinariae nullatenus omittantur, maxime in adventu, et quadragesima.

De exclusione extraneorum a refectorio.

§. 636. 11. Nullus extraneus ad refectorium admittatur, nisi in aliquo raro casu, arbitrio procuratoris generalis; poterunt etiam admitti patres nostri discalceati Italicae congregationis.

De communi arca custodienda.

§. 637. 12. Arca communis trium clavium erit in dicto hospitio, sicut in aliis conventibus, cujus claves maneant apud procuratorem generalem, et duos clavarios a p. generali designatos. Deposita autem quarumcumque personarum, sive in pecuniis, sive in quibuslibet aliis rebus nullatenus admittantur, sub poena jejunii in pane, et aqua per tres dies. Nemini poterit toto integro sexennio procurator generalis mutuo dare, nisi ex urgenti, ac gravissima causa, ac tam benefactoribus, aut aliis gravibus, aut notae confidentiae personis: dummodo mutuum quantitatem trecentorum argenteorum non excedat, et tunc de consensu clavariorum. Quod non est intelligendum de nostris Italicae congregationis religiosis, quibus ultra quantitatem praedictam mutuare licebit.

De novis operibus faciendis

§. 638. 13. Non poterit procurator generalis fabricam aliquam de novo erigere, aut erectam in toto, vel in parte mutare, vel alterare: neque etiam in emendis libris, aut ecclesiasticis paramentis ultra quantitatem quinquaginta scutorum Romanorum insumere, et hoc tantum semel ei licebit in triennio quocumque: quod si aliter faciendum sit, consulatur p. generalis, et de ejus expressa licentia fiat.

De abstinentia ab dignitatibus, et officiis.

§. 639. 14. Ordinamus insuper, et stricte praecipimus in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto, ut nullo modo, nec ipse procurator generalis, nec alius ex religiosis dicti hospitii procurent beneficia ecclesiastica, dignitates, aut officia sibi, aut pro consanguineis, vel amicis, aut sibi commendatis, nec litem creare, aut creatam agere, sive religionis nostrae sint, sive non, exceptis iis, quae a generali injuncta fuerint, vel ad quae expressum assensum praebuerit. Teneatur etiam pater procurator quaslibet epistolas etiam ab ipso p. n. generali sibi missas definitorio generali manifestare, si contra ea, quae in nostris constitutionibus religiosis prohibentur, aliquid procurent, vel attentent.

De egredientibus ab hospitio ad negocia tractanda

§. 640. 15. Volumus, ut duo tantum religiosi a domo egredi possint ad negotia ordinis gerenda, praeter aliquem casum rarum, in quo omnes judicent fore necessarium pro aliquo gravi negotio, in quo est periculum in mora, duo poterunt egredi, si tamen quatuor semper domi maneant, et ad minus duo.

De mutua accusatione religiosorum.

§. 641. 16. Statuimus praeterea, ut unoquoque anno dicti nostri hospitii religiosi hoc modo visitentur. P. generalis mittet formale praeceptum sub quo omnes teneantur dicere, quae noverint esse correctione digna: defectus scilicet circa legem Dei, primitivam regulam, constitutiones, ac bonos mores in religione assuetos. Hoc praeceptum obligabit, etiam ad secretum observandum, circa ea, quae quis dicturus est, ita nimirum, ut nullus alteri aperiat aliquid, quo ille moveatur ad eadem dicendum: sed quod unusquisque animadverterit, ipse propria manu scribat, proprioque subscribat nomine, et epistolam claudat. Si vero aliquis donatus scribere nesciat, per manum alterius fratris fideliter scribentis, dicat quae noverit, et scribens sub dicto praecepto ad simile secretum tenebitur. Deinde convenientibus omnibus in suo capitulo, clausae omnes epistolae adnumerentur, et sub uno fasciculo tabullariorum, sive cursorum stationi tradantur, et in eodem fasciculo fidele totius anni ratiocinium veniet de acceptis, et expensis, tam ordinariis, quam extraordinariis, nec non de debitis contractis, et de residuis, tam pecuniae, quam aliarum rerum ad conventus provisionem spectantium. Quando vero novus procurator generalis ex Hispania missus fuerit, ipse pro visitatione facienda sui praedecessoris, et aliorum, secum literas commissionis portabit. Scrutinio expleto, si opus fuerit in aliquo casu processum testibus conficere, illum formabit juxta juris dispositionem, usque ad definitivam exclusive, et ad definitorium generale judicandum remittet. Pro ordinariis autem culpis, et earum poenis, aut correctione conventuale capitulum celebrabit, et eo anno procurator, qui officio functus est, (missis epistolis visitationis a novo procuratore, ut dictum est) testimonium ratiocinorum poterit secum afferre.

De archivio, et ejus custodia.

§. 642. 17. Sit in hospitio locus apto dispositus, clavibus, et seris sufficienter munitus, in quo omnia privilegia, indulta, Bullae, instrumenta, sive scripturae religionis tuto asserventur. Et de omnibus Bullis deinceps obtinendis duplex originale semper extrahatur, quorum alterum reponatur in archivio, alte-

rum in Hispaniam mittatur, sitque in praedicto archivio repertorium ordine alphabetico dispositum, quo facile omnia inveniri queant.

De vinculis pro apostatis, et aliis criminibus.

§. 643. 18. Tandem ordinamus, ut in secreto, et tuto loco carcer, vectibus munitus, necessariis vinculis praeparatis pro apostatis, et fugitivis rebellibus, et contumacibus deputetur. At vero si ipsi ultro comparuerint animo subjiciendi se disciplinae religiosae, et praelatorum debitae correctioni, recipiantur benevole, et si aegrotaverint cum charitate curentur. Qui sine mora in Hispaniam mittantur, et dum in urbe remanserint, non eis permittatur foras exire, nisi sacra loca visitandi, et ad stationes eundi causa, et tunc uno ex conventualibus associentur: cum vero inde mittuntur in literis dimissoriis pro itinere sibi tradendis, si p. procuratori conveniens visum fuerit, sub formali praecepto eis injungatur, ut via recta tendant ad superiores, id est ad patrem generalem, sive conventum sibi designatum, nunquam vero consensum, ut in alios ordines ingrediantur praebebit.

QUARTA PARS CONSTITUTIONUM

De poenis pro qualibet culpa infligendis.

De poenis pro qualibet culpa infligendis.

§. 644. 1. Cum vix fieri possit in communitatibus, quantumvis ad pietatem instructis, et optimis legibus gubernatis, ut aliqui a suae professionis observantia aliquando non deficiant, ideo sicut salutaribus praelatorum monitis, ita et debitis eorum objurgationibus, et poenis (ubi opus sit) regularis disciplina tuenda est. Impunitas enim, teste Bernardo, incuriae soboles, insolentiae mater, impudicitiae radix, et transgressionum nutrix esse solet. Ne ergo culpae impunitae maneant, nec poenae, vel nimia laenitate, vel acerbitate a justitiae regulis declinent, aut charitatem laedant, oportet, et qualitates culparum distinguere, et poenas culparum modo proportionatas stabilire. Quapropter quinque culparum genera distinguenda duximus, nempe: culpae laevis, mediae, gravis, gravioris, et gravissimae, et singulis debitas, ut fas, est taxare poenas.

CAPUT PRIMUM

De culpa laevi et de poena ei exhibenda.

De culpa laevi, et poena ei exhibenda.

§. 645. 1. Laevis culpa est, si quis in choro legendo vel canendo erraverit, et non statim coram omnibus prostratus, terram fuerit osculatus. Si quis festinanter non venerit ad omnes communitatis actus. Qui in locis prohibitis silentium non observaverit. Si verba otiosa loquatur, et his similia. Et quia culpae laeves laevi poena puniendae sunt, pro his, ac similibus culpis in capitulo, vel refectorio accusatis, aut veniam petentibus, injungatur a praesidente unus psalmus, aut aliqua ex ordinariis mortificationibus, ut fratrum osculari pedes, et similia.

CAPUT SECUNDUM

De media culpa, et de poena ei debita.

De culpa media, et de poena ei debita.

§. 646. 1. Media culpa est si quis in divinis officiis inordinate, aut minus decenter se gesserit. Si tempore silentii loquatur, aut vaniloquium in consuetudinem ducat: si in officio per tabulam deputato, aut in aliquo superioris mandato negligens fuerit. Si quis per monasterium, aut per hortos vagus incesserit. Si altaria, vel ecclesiae ornamenta, libros, aut aliquod utensilium negligenter tractaverit. Qui in his, et similibus culpabilis inventus fuerit unam recipiet disciplinam quando recitatur psalmus *De profundis*, vel psalmum aliquem genuflexus in refectorio dicat, aut humilibus officiis aliqua die addicatur, vel jejunium ei imponatur. Quod si culpa ratione alicujus circumstantiae augeatur, panis, et aquae jejunio, aut aliqua graviori poena puniatur: et idem proportionabiliter servetur in omnibus aliis culpis, quae quo graviores, eo acrioribus poenis erunt mulctandae.

CAPUT TERTIUM

De culpa gravi, et ejus poena.

De culpa gravi, et ejus poena.

§. 647. 1. Gravis culpa est, si quis in praesentia saecularium immodeste cum aliquo contenderit. Si sine debitis circumstantiis juraverit. Qui indumenta vel aliquid aliud alteri concessum, sine licentia acceperit, vel ex officinis communibus sibi applicaverit. Si quis silentium tempore prohibito, aut regulae mandatum non observare in consuetudinem duxerit. Si in aliquibus verbis malitiosis, aut inordinatis deprehendatur. Si aliquod opprobrium alicui dixerit, aut scripserit. Si sermonem tur-

pem pretulerit, vel cum mulieribus inordinate, aut immodeste loqui inventus fuerit, unde mala suspicie oriri possit.

Idem ut supra. §. 648. 2. Pro his, et similibus culpis delinquentes unam disciplinam in capitulo recipiant, et per unum diem in aqua, et pane jejunent, vel in cella arbitrio praelati per aliquos dies recludantur, acriorique aliqua objurgatione feriantur. Fratres autem in pane, et aqua jejunantes quando pro culpis similis poena eis imponitur, super nudam terram, et in praesentia communitatis panem, et aquam tantum (ut moris est) manducare debent.

Idem ut supra. §. 649. 3. Ad culpam gravem etiam pertinet si quis aliquod peccatum mortale (quod absit) sine scandalo commiserit, aut qui jejunium Ecclesiae, aut officium recitandum omiserit (dummodo hujusmodi peccato non sit aliqua poena in constitutionibus assignata, vel alias peccatum gravius non appareat) sequenti poena plectetur: jejunabit in pane, et aqua super nudam terram; flagellationem a praesidente in refectorio accipiet, ibidem extraordinariam mortificationem faciens; vel per decem dies exercitia spiritualia subeat; aut per quindecim in suam cellam recludatur, quin inde nullatenus exeat, nisi ad sacrum faciendum, aut audiendum, et ad omnes communitatis actus, excepta recreatione. Ex quibus tribus poenis unam, quae magis congruere videatur, prior irremissibiliter applicabit. Si vero delictum sit gravius; prioris erit de praesenti remedio illi previdere, et superiores ad quos spectat statim certiores facere, sub poena suspensionis per unum mensem.

CAPUT QUARTUM

De culpa graviori.

§. I.

De culpa graviori. §. 650. 1. Gravior culpa est, si quis ebrius aliquando deprehendatur. Si quis ludos a jure prohibitos, aut quid simile exercuerit; qui statim carcere per duos menses mancipetur, et voce, et loco per unum mensem privetur. Sed si absque scandalo id fiat, poena gravioris culpae per duodecim dies puniatur.

Idem ut supra. §. 651. 2. In primis graviori culpae inter alia supplicia poena carceris respondet. Quare praecipimus sub poena suspensionis per unum mensem, ut in quolibet conventu sit locus carceri deputatus, undique munitus, et tutus, non tamen inhumanus, ita ut religiosorum salus spiritualis, vel corporalis periclitetur: in quo sint instrumenta necessaria ad majorem securitatem, et poenam delinquentium. Teneanturque visitatores suae visitationis tempore, carcerem visitare, et omnino providere, ut haec constitutio executioni mandetur.

§. 652. 3. Si quis ob aliquod grave crimen in carcerem mittatur; in primis ordinis habitu exuatur: hoc est caputio, et scapulari privetur, et cum aliqua tunica remaneat quousque a carcere liberetur, et si oportuerit corona etiam privetur. Idem ut supra.

§. 653. 4. Quotiescumque per negligentiam, aut malitiam custodis carceris, vel alterius fratris incarceratus fugerit, ejus loco ipse in carcerem mittatur, et ibi secundum culpae gravitatem detineatur: si vero aliquis aliquod instrumentum incarceratis ad infrigenda, vel solvenda vincula tradiderit, sive alio modo eorum fugam procuraverit (etiam re non secuta) per viginti dies poenam carceris sustineat. Si vero reus effugerit, tamdiu in carcere permaneat, quamdiu delinquens fuisset permansurus. Carcerem tamen infrigentibus supplicium carceris duplicetur. Idem ut supra.

§. 654. Nullus fratrum sub poena gravis culpae per unum diem, sine superiorum consensu audeat incarceratos visitare, aut alloqui: curet tamen praelatus per se, vel per alium religiosum prudentem, et pium a se designatum alternis diebus oppressos carcere consolari, et ad patientiam commonere. Et ut fructum aliquem e suo labore, et conflictu percipiant, libri aliqui devoti, et spirituales eis conferantur. Idem ut supra.

§. 655. 6. Graviori etiam culpae alia poena poterit applicari: nempe, ut dum quis fuerit de simili culpa convictus, in capitulo coram praesidente denudatus, condignam suis demeritis disciplinam accipiat, vel a praesidente solum, vel ab omnibus secundum culpae gravitatem: qua accepta cellam vadat, et ab ea non exeat usque ad tempus prandii, et tunc ad refectorium accedens in terra super pavimentum nudum pane, et aqua humiliter vescatur, nisi ei a priore aliquid aliud per misericordiam impendatur: finitoque prandio ad cellam iterum redeat, et nullus audeat illi se Idem ut supra.

conjungere, vel loqui, neque ipse alteri, neque suo officio, vel ordine durante sua poenitentia fungatur.

Idem et supra. §. 656. 7. Graviori culpae alia etiam poena respondet: nempe, ut choristae corona priventur, et inter fratres laicos locum, et ordinem habeant. Laici vero et donati scapulari priventur. Hae, et aliae poenae similes a provinciali secundum modum, et qualitatem culpae inferri debent.

§. II.

De inobedientibus et contumacibus.

De inobedientibus, et contumacibus. §. 657. 1. Ad graviorem culpam reducitur quaelibet transgressio exterior votorum cum scandalo: cui secundum qualitatem culpae condigna poena erit applicanda. Et in primis statuimus, quod quicumque formali praecepto superioris in ejus praesentia non obedierit, aut inobedientiam suam defenderit; ut contumax, et rebellis carcere tradatur. Et idem statuimus de illis, qui contra ordinis superiores se erexerint eorum officium usurpantes, seu impedire conantes, et insuper hi voce, et loco, et officio inviolabiliter priventur.

§. III.

De incontinentibus.

De incontinentibus. §. 658. 1. Lapsi in peccatum carnis, si convicti, confessi, aut violenter suspecti deprehendantur, per dimidium annum incarcerentur, et disciplinis, ac jejuniis, et abstinentiis ad arbitrium praelati juxta gravitatem delicti puniantur; et per unum annum voce, loco, et officio careant. Si vero peccatum fuerit extraneis notorium integro anno in carcere permaneant, et disciplinam conventualem in praesentia eorum, coram quibus delictum fuerit commissum, accipiant, et insuper tribus annis voce, et loco priventur. Quod si in idem relabantur crimen, de eoque fuerint convicti, praedicta poena duplicetur. Et quia in hujusmodi peccatis raro plena probatio adhiberi potest, praecipimus praelatis, sive praesidentibus, ut statim ac aliquem judicaverint de mala familiaritate sufficienter suspectum illius saluti consulentes, denegent illi, quae aliis caeteris religiosis concedi solent, ut ordines suscipere, studere, legere, praedicare, confessiones audire, scribere, et e conventu exire. Oneramusque provincialium conscientias, ut in alium conventum ejusmodi suspectus transferant: quos praelati, ut ab illa familiaritate desistant, serio admonebunt.

§. IV.

De percussoribus.

De percussoribus. §. 659. 1. Si quis violentas manus alteri injecerit, aut animo irato minatus fuerit, vel lapidem, sive baculum ad percutiendum levaverit, graviori poena arbitrio provincialis feriatur. Si autem contra aliquem praelatorum praedicta instrumenta levaverit, considerata qualitate praelatorum, in carcere statim recludatur, et aliis poenis afficiatur. Qui malitiose alium percusserit, ipso facto maneat excommunicatus, et carceri per unum annum tradatur. Si vero enormiter, aut atrociter laeserit, ad definitorium generale, tamquam de gravissima culpa judicium spectabit.

§. V.

De diffamantibus.

De diffamantibus. §. 660. 1. Qui re notabili aliquem fratrem infamaverit, aut injuriis aliisque opprobriis, sive in absentia, sive in praesentia affecerit, secundum delicti mensuram, erit et punitionis modus; et ante omnia illius famam restituat.

De falso testimonio. §. 661. 2. Idem si quis falsum testimonium contra alium in re gravi protulerit, et convictus, vel confessus fuerit, indutus aliquo poenitentiae sacco, linguis ante et retro panni rubri aut albi consutis in terra quot diebus superiori videbitur in signum suae detestabilis linguae comedat, et insuper incarceretur: et deinceps ad ferendum testimonium nullatenus admittatur, vel si juxta delicti gravitatem oportuerit, arbitrio praelati iis poenis subjaceat, quas per summam injuriam insonti procuravit.

Poenae contra diffamantes. §. 662. 3. Statuimus, ut quicumque aliquem fratrem sive totum ordinem apud extraneum diffamaverit, per tres annos voce activa, et passiva privetur: et tamquam religionis abortivus filius deinceps ad omnia ejus officia inhabilis maneat; praedictoque sacco induatur.

§. VI.

De apostatis, et fugitivis.

De apostatis, et fugitivis.

§. 663. 1. Ad coercendam apostatarum insolentiam; declaramus in nostro ordine quoad poenas infligendas, eos censendos apostatas, qui contra superiorum obedientiam, vel sine eorum etiam licentia, cum habitu, vel sine habitu: cum intentione ad monasterium redeundi, sive non, quocumque praetextu extra suos conventus vagantur. Volumusque ut ipso facto (nisi infra octavam diem redierint) maneant excommunicati. Eadem etiam censura, et poena statim feriantur, extra monasterium nocte egredientes, et ut apostatae puniantur. Statuimus, ut priores, aut vicarii transactis octo diebus a die recessus apostatae, congregato capitulo conventuali cum apostatam, et excommunicatum publice denuntient, et ut caeteri timorem habeant, et Deum pro ejus spirituali salute deprecentur.

De carceratione apostatarum.

§. 664. 2. Habeant praeterea non solum priores, sed etiam alii religiosi in casu necessitatis auctoritatem apostatas cujuscumque provinciae apprehendendi, et in hac parte praelatorum conscientias oneramus, ut eos omni cura in carcere recludere studeant, sub poena suspensionis ab officio negligentibus inferenda. Si vero de aliquo constiterit ad superiores ordinis confugere, in capitulo ut excommunicatus non publicetur, voce tamen, et loco duobus mensibus careat, et quindecim diebus in carcere detineatur, vel si opus fuerit, juxta culpae mensuram poena, arbitrio praelati, augeatur vel minuatur, et simul si alia crimina in via vel alibi commiserit, condignis ea diluat poenis. Quare praecipimus, ut statim ac quis e conventu sine licentia exierit, prior certiorem faciat p. generalem, quam provincialem: diem exitus et occasionem recessus nuntians eis, ut ipsi judicent, an in via alio diverterit, et hoc non tantum cum ad superiores creditur tendere, sed in omni eventu, quo a domo quis abest absque licentia. Quod si recto itinere ad superiores non pervenerit, sit etiam excommunicatus.

De punitione apostatarum.

§. 665. 3. Apostatae sive fugitivi, pro prima vice juxta qualitatem delicti puniantur, pro secunda vero ordinis antiquitatem amittant, et per dimidium annum incarcerentur, ita ut a novo receptionis die antiquitas computetur. Pro tertia vice eadem poena plectatur, ut transacto anno sui regressus, et non antea incipiat antiquitatem obtinere, quasi tunc professionem denuo emitteret. Et tam in hac, quam in prima, secunda, et tertia fuga a priore possint absolvi. Quod si excommunicati celebraverint, tunc severius corrigantur. Et qui vere fuerit apostata, passiva voce sex annis careat, nec umquam poterit esse in ordine praelatus, quin super hoc valeat ab alio quam a capitulo generali dispensare. Declaramus autem religionem non teneri ad expensas fugitivorum, si quas fecerint, nisi a tempore quo ad praelatorum obedientiam redierint: tuncque eas sua respectiva provincia solvet.

Idem ut supra.

§. 666. 4. Similiter declaramus, fratres, et moniales nostri ordinis non posse ad quemcumque alium transire sine nota apostasiae, infamiae perpetuae, et excommunicationis latae sententiae poena, secundum tenorem indultorum apostolicorum: scilicet Gregorii XIII. in Bulla divisionis nostrae congregationis sub datum Romae apud sanctum Petrum die 22. junii 1580. pontificatus sui anno nono, et Sixti V. sub datum Romae apud sanctum Petrum die 27. junii 1587. pontificatus sui anno tertio, et sanctissimi domini nostri Pauli V. sub datum Romae apud sanctum Petrum die 3. aprilis 1610. pontificatus sui anno quinto cujus verba sunt haec » Sed nullus eorumdem fra» trum Discalceatorum post praemissam ab eo » praedicto ordine professionem regularem, » absque speciali pro tempore existentis Ro» mani pontificis licentia de praesentibus, eo» rumque data, expressam, individuam, ac » de verbo ad verbum mentionem faciente, ac » ex legitima, urgenti causa prius a praedictis » cardinalibus super regularium reformatio» ne, et visitatione deputatis, diligenter exa» minata, et approbata ad alium quemcumque » ordinem mendicantium, et non mendican» tium, monachalium, seu discalceatorum, » aut quarumcumque religionum erectarum, » vel erigendarum, etiam emissionis quarti » voti, seu perfectioris, et humilioris vitae » praesumptione, aut strictioris regulae, et » observantiae praetextu, vel contemplatione, » aut alia quantumvis justa, et probabili, et » legitima causa: sub apostasiae, et infamiae » perpetuae nota, ac excommunicationis latae » sententiae poena ipso facto per contravento» res incurrenda, se transferre audeat, seu

» praesumat (excepto dumtaxat ordine fra-
» trum Carthusianorum, quatenus ad illam
» transeundi licentiam a suis superioribus pe-
» tierint, et obtinuerint) et quicumque secus
» fecerit, cum primum desuper munitus fue-
» rit, nulla mora, aut excusatione, seu foren-
» si contentione, vel appellatione interpositis
» ad propriam suam congregationem redire,
» ac superiorum correctioni se submittere te-
» neatur. Nec praelati dictarum congregatio-
» num, ac aliorum ordinum, et religiosorum
» hujusmodi ipsos sic translatos, seu fugitivos,
» et apostatas retinere, sed eos etiam si novam
» professionem regularem emiserint, sub pri-
» vationis suorum officiorum, et munerum, ac
» similis excommunicationis poenis suis supe-
» rioribus, vel ab eis deputatis id requirenti-
» bus, et petentibus, statim absque judicis mi-
» nisterio tradere, et consignare debeant etc. »
Insuper ejusdem sanctissimi domini nostri Pauli V. de praedictis literis specialem, et individuam mentionem facientis, atque in eis etiam Camaldulensium ordinem comprehensum fore declarantis iis verbis videlicet: » Praedictum
» Camaldulensium ordinem comprehensum
» fuisse, et esse, ac comprehendi auctoritate
» apostolica praedicta, tenore praesentium de-
» cernimus, et declaramus. Et nihilominus
» auctoritate, et tenore similibus statuimus,
» et ordinamus, ac in virtute sanctae obedien-
» tiae districte praecipimus, ut nullus ex di-
» ctis fratribus Discalceatis ad praedictum or-
» dinem Camaldulensium, sub poenis in prae-
» dictis literis contentis nisi ex causa, ut su-
» pra examinata, ac approbata, ac de Roma-
» ni pontificis pro tempore existentis licentia,
» transire, recipi, et admitti valeat etc. » sub
datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 16. februarii 1616. pontificatus sui anno undecimo. Ac denique sanctissimus dominus noster Gregorius XV. praemissam Pauli V. prohibitionem, fratres conversos, seu donatos comprehendere his verbis decrevit, et declaravit » Supradictos conversos, seu donatos in
» praedictis apostolicis indultis comprehensos
» fuisse, et esse, neque illis antea licuisse,
» nec deinceps licere transitum ad quamcum-
» que aliam religionem facere absque praedi-
» cta speciali Sedis apostolicae licentia, teno-
» re praesentium decernimus et declaramus »
sub datum Romae apud sanctam Mariam Majorem pontificatus sui anno primo.

CAPUT QUINTUM

De gravissima culpa, et de poena ei exhibenda.

De gravissima culpa, et de poena ei exhibenda.

§. 667. 1. Gravissima culpa tantum a definitorio generali debet judicari. Ad gravissimam vero culpam ea delicta reducuntur, quae in jure atrociora censentur, ut si quis graviter alium percusserit, aut ea crimina propter quae de jure communi delinquentes ad mortem damnantur, vel in perpetuum ad triremes relegantur.

Idem ut supra.

§. 668. 2. Ad gravissimam culpam, etiam pertinet si quis libellum infamatorium protulerit, si scandalum gravissimum saecularibus praebuerit. Si superiorum sigillum, aut subscriptionem adulteraverit, vel eorum officium in re gravi usurpaverit: si post quam semel, et iterum propter peccatum incontinentiae correptus, aut punitus est, tertia vice labatur (idem sit de tertia apostasia) aut alia commiserit, pro quibus ab ordine expelli debeat.

Idem ut supra.

§. 669. 3. Pro his similibus, vel poena expulsionis, vel aliis gravissimis secundum delicti gravitatem coercendi sunt delinquentes. Quod si cum notabili saecularium scandalo praedicta scelera commiserint praelatus convocet honorabiliores ex his qui passi sunt scandalum, et publice coram illis, et toto conventu, genuflexo reo, facta hac, vel alia brevi monitione, dicat in hoc differre laudabiles religiones et reformatas a jam dilapsis, non quod nullus peccans in laudabilibus inveniatur (cum in coelo, et apostolorum collegio peccatores minime defuerint) sed quod nullus peccare sinatur, et incorrigibiles, et defectuosi ab eis rejiciantur: et statim omnes conventuales suo ordine delinquentem flagellis afficiant: et tunc sacro virginis habitu exuatur, si expellendus est, vel iterum in carcere recludatur.

CAPUT SEXTUM

De incorrigibilibus, et eorum expulsione.

De incorrigibilibus.

§. 670. 1. Incorrigibilis ille quidem censendus est, qui culpas graves, non veretur committere, et tamen poenas pertinaci animo ferre recusat, vel ille de cujus correctione non est aliqua probabilis spes propter obstinationem, seu inveteratam mali consuetudinem, vel de-

licii atrocitatem, vel alias circumstantias personae. Praeterea ille dicitor incorrigibilis, qui ter convictus, et punitus de aliquibus criminibus gravibus, etiam distinctis, nunquam fuit emendatus. Declaramus similiter, quod si aliquis praeter peccatum mortale sit per legitimam sententiam damnatus ad poenam gravioris culpae, et ipse recuset eam ferre, habeatur pro incorrigibili.

De expulsione incorrigibilium.

§. 671. 2. Incorrigibiles omnino expellendi sunt, post quam enim de eorum emendatione, et profectu nulla est probabilis spes, ad apostoli sententiam confugiendum est: *Auferte malum ex vobis:* auferatur ergo malus, ne males generet, et ovis morbida abjiciatur, et membrum putridum praesciudatur, ne sana inde inficiantur, aut corrumpantur. Oportet autem in re tam gravi maturo consilio p. generalis, et definitorum omnia fiant.

De apostatis pro quarta vice.

§. 672. 3. Statuimus, ut qui quarta vice apostataverit, vel fugerit, etiamsi propter alias priores fuerit punitus (et idem de eo qui in apostasia vel fuga ultra annum perseveraverit) expelli possit: et qui tertia vice peccatum incontinentiae commiserit; et idem judicamus de eo qui hoc peccatum semel cum notabili, et publico scandalo saecularium perpetraverit, quia hujusmodi publicatio, et scandalum signa sunt aliorum similium occultorum peccatorum, et vehementer praesumitur de ejus incorrigibilitate. Quare expelli potest juxta indultum felicis recordationis Pii V: ut sic satisfiat reipublicae scandalo, et detrimento nostrae religionis.

De poena peccati indicibilis.

§. 673. 4. Si aliquis in peccatum indicibile (quod Deus avertat) lapsus fuerit propter hujusmodi criminis gravitatem, et foeditatem, et quia maxime nocivum est communitati, de eoqua raro emendatio praesumitur, decernimus, ut qui de hoc peccato convictus, vel confessus fuerit ab ordine expellatur; quae poena non solum delinquentibus, sed etiam vere et proprie egredientibus idem delictum applicetur. Utrumque enim juxta regias leges aequale putatur. Et volumus, ut in hoc crimine singulares testes admittantur, dummodo sint ad minus tres, et etiam si sint complices. Si vero aliquis vehementer fuerit suspectus carceri perpetuo tradatur, nisi alias per definitorium generale, cum eo benigne fuerit dispensatum. Denique quoties quis aliquid delictum gravius, et atrocius perpetraverit, in definitorum arbitrio sit judicare, an ab ordine expelli debet.

De expulsione laicorum.

§. 674. 5. Decernimus ut in expulsione laicorum si solemniter fuerint professi idem servetur, ac in aliis religiosis. Si vero tantum simplicem professionem emiserint, si peccatum aliquod notorium contra unum ex tribus votis commiserint, vel aliquod notabile scandalum saecularibus, aut religiosis praebuerint, vel sua occasione, suo ministerio inutiles reddantur; a provinciali simul cum consensu prioris conventus, et trium clavariorum expellantur, servato ordine juris.

De poenis praemittendis expulsionis.

§. 675. 6. Ante incorrigibilium expulsionem, primum tribus mensibus incarcerentur, et aliis poenis secundum suorum scelerum gravitatem condignis afficiantur, nisi hoc reclusionis tempus definitorium diminuendum judicaverit, et omnino in his casibus juridice formetur processus, legitimeque conclusa causa adversus eos expulsionis sententia proferatur, et publice legatur coram conventu, et disciplina conventuali castigati habitu exuantur.

De nolentibus acceptare sententias superiorum.

§. 676. 7. Et ne impunitatis, et expulsionis spe, rebelles peccare contingat: si aliquis sententiam a superioribus latam acceptare recuset, nolens se eorum correctioni subjicere, contra eum expulsionis sententia proferatur; prius tamen quam executioni mandetur pro inobedientiae, et contumaciae delicto per dimidium annum in carcere retrudatur, ubi abstinentiis, disciplinis, et aliis poenis queusque ad se redeat affligatur. Si vero intra praedicti temporis spatium fuerit emendatus, cessante expulsionis poena, e carcere quando praelato visum fuerit extrahatur. Quod si pertinaciter perseveraverit transacto ad minus dimidio anno, et non antea ab ordine expelli possit juxta decreta sacrae congregationis Concilii ab Urbano VIII. anno 1624. approbata, atque decretum Innocentii XII.

De testimonio expulsionis.

§. 677. 8. Literae dimissoriae expulsis nunquam concedantur, sed tantum testimonium authenticum suae expulsionis, quo constet factam esse post quam fuerunt per dimidium annum in jejunio, et poenitentiae in carceribus probati. Et insuper in eo poena a religione eis specialiter imposita, et an ab illo regno, provincia, aut oppido ubi deliquerunt exilio mulctati sint, exprimatur. Et semel a religione expulsi, nullatenus, nisi a capitulo generali, et concurrentibus duabus ex tribus suffragiorum partibus, admittantur.

De poenitentia incorrigibilium. §. 678. 9. Caeterum, ut in posterum sententia expulsionis proferatur, et executioni mandetur, incorrigibiles censendi non sunt, etiam si omnia praedicta concurrant, quousque dimidii anni spatio juxta decretum Innocentii XII. in jejunio et poenitentia probati in carceribus non resipuerint, sed animo obdurato in sua pertinacia perseveraverint.

De appellationibus. §. 679. 10. In admittendis appellationibus de poenis a praelatis, tam paternaliter, quam judiciali sententia juxta constitutiones impositis, servetur omnino quidquid de hoc in concilio Tridentino, et aliis canonicis dispositionibus invenitur decretum.

APPENDIX

AD PARAGRAPHUM PRIMUM

De ordine, et distinctione jurisdictionum.

De ordine, et distinctione jurisdictionum. §. 680. 1. Statuimus ut prior sit judex ordinarius, ad quem prima spectat cognitio de omnibus, ad disciplinam regularem spectantibus, et ad alios superiores a jure communi, aut municipali non reservatis. Potest paternaliter cognoscere usque ad culpam gravem inclusive, et si opus fuerit, judicialiter procedere, et sententiam definitivam de illa ferre ex tertia parte nostrarum constitutionum cap. 15. n. 2.

Idem ut supra. §. 681. 2. De prioris sententia adest recursus ad patrem provincialem, et hinc ad patrem nostrum generalem.

Idem ut supra. §. 682. 3. Prior in casibus necessitatis, potest, et debet de remedio prompto providere in causis ad superiores reservatis, et summarium si opus fuerit, de officio formare, de quibus opportuno tempore certiorem reddet superiorem.

Idem ut supra. §. 683. 4. Provincialis cognoscere potest, et judicare in omnibus, quae ad provinciae suae regimen spectant, et superioribus suis non sint per constitutiones reservata circa delicta, et poenas ad eum pertinet in prima instantia de culpa graviori judicare, et per appellationem de omnibus sententiis a prioribus latis. De judicio provincialis adest recursus ad patrem nostrum generalem in omnibus causis tam civilibus, quam criminalibus. De judicio p. generalis, nunquam valet ad definitorium generale appellatio, sed tantum ad capitulum generale.

§. 684. 5. Ad definitorium generale spectat cognoscere, et judicare privative de omnibus quae in cap. 5. §. 2. tertiae partis nostrarum constitutionum commissa sunt, et super delicta, et poenas judicare in prima instantia de culpa gravissima, et de depositione praelatorum superiorum, nec non definitorum provinciae de cujus sententia nulla superest intra ordinem appellatio, nisi ad capitulum generale. Nunquam tamen in civilibus, aut criminalibus a sententiis seu decretis datis a provincialibus, vel prioribus ad definitorium generale interponenda est appellatio; nam in omnibus praeterea, quae definitorio generali expresse commissa sunt, et de quibus istud in prima instantia cognoscit, appellatio interponenda est ad patrem generalem in quo sistit et terminatur appellatio, ab eo interponatur ad capitulum generale. In causis autem, quarum cognitio in prima instantia ad definitorium generale spectat debet istud in locum ubi reus existit commissarium mittere, qui summarium efficiat, testium depositiones accipiat, rei confessionem, et defensiones audiat, caeteraque persolvat usque ad definitivam exclusive. Idem ut supra.

§. 685. 6. Totus ergo ordo appellationum sub his clauditur terminis: a priore ad provincialem, a provinciali ad patrem generalem, et a p. generali non interponitur appellatio nisi ad capitulum generale. Declaramus autem, quod si reus de sententia a p. generali, vel a definitorio generali lata, velit appellationem interponere, et in spectando tempus capituli generalis, ad quod juxta ordinem statutum interponenda foret, molestiam corporalem carceris, aut hujusmodi alteram corporis afflictivam patiatur, poterit jure suo uti, et extra ordinem causam mittere, quoties in religione competens appellationis tribunal non est expeditum. Idem ut supra.

CAPUT SEPTIMUM

De aliquibus declarationibus in dictis poenis servandis.

§. 686. 1. In primis declaramus quod cum in nostris constitutionibus poena privationis ipso facto imponitur, minime intelligendum sit ante judicis sententiam; et cum dicitur quis De aliquibus declarationibus in poenis servandis.

privari voce, tam activa, quam passiva intelligatur: voce vero privatus in capitulo post non sacerdotes suas culpas confiteatur, et statim recedat a capitulo. Privatus loco, in ultimo intra suum gradum collocetur: verbi gratia si sit sacerdos in ultima sacerdotum sede, vel si praelato visum fuerit in alia inferiori.

Idem ut supra. §. 687. 2. Circa has etiam poenas in communi, decernimus, ut fratribus assuetis laevi culpae, poena laevis mutetur in mediam, et media in gravem, et sic de singulis, ita ut semper crescentibus culpis augeatur et poena, donec emendentur, aut si opus fuerit expellantur. E contra vero, cum poenae harum constitutionum potissimum ad fratrum emendationem, et correctionem dirigantur, qui poenitentiam sibi injunctam humiliter adimpleverit, et emendationis indicia dederit, a superioribus, cognita veritate, pars poenae infra dimidiam totius poenae, vel poenarum cumuli, et non amplius, et hoc quando actu jam eam adimplet, relaxari poterit secundum virtutis signa ab eo exhibita: teneaturque inferior praelatus superiori a quo est posita poena fidem facere de adimpletione, executioneque earum poenarum, quae ab eo delinquentibus applicantur.

Idem ut supra. §. 688. 3. In casibus in quibus a nostris constitutionibus non est aliqua taxata poena, secundum qualitatem, et circumstantias delicti a superioribus suo arbitrio, poenae applicentur: servata tamen mensura, et proportione cum poenis in his constitutionibus taxatis.

Idem ut supra. §. 689. 4. In omnibus poenis illud etiam observetur, ut inspectis personis, delictis, et aliis circumstantiis poenae vel augeantur, vel diminuantur.

Idem ut supra. §. 690. 5. Cum in constitutionibus officii et vocis privatio imponitur, si quis officium, vel vocem non habuerit, aequalis in aliis ei poenitentia injungatur in quantum fieri possit: et idem fiat in similibus casibus. Suspensi vero ab officiis in suis conventibus, tempore suspensionis regulariter debent permanere.

Idem ut supra. §. 591. 6. Cum in nostris constitutionibus, simul tam praelato, quam subdito transgredientibus aliqua imponitur poena, id nullatenus intelligendum de subditis, qui expresso praelatorum mandato id fecerint.

Conclusio. §. 692. Haec sunt statuta, quae delegati apostolici infra subscribentes pro hujus congregationis bono, ac pace prodesse existimarunt. Utinam cedant ad majorem omnipotentis Dei gloriam, ad beatae semperque Virginis Mariae de monte Carmelo, ejusque sanctissimi sponsi honorem, ad sanctorum parentum nostrorum Eliae, Elisei, Theresiae, Joannis a Cruce, omniumque sanctorum laudem sempiternam. Matriti in hoc s. Ermenegildi coenobio kalendis augusti 1785.

Preces porrectae pro confirmatione constitutionum. §. 693. Cum autem dicti Petrus de Matre Dei, et Paulus a Conceptione definitorii generalis nomine, ac de mandato sui ordinis ac congregationis praedictorum, praeinsertas constitutiones, ut firmius subsistant, ac serventur exactius apostolicae confirmationis munimine roborari summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae. §. 694. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, illorumque, ac fratrum praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, cujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; praeinsertas constitutiones, omniaque in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenirí, seu intervenisse dici, vel censeri possit, vel poterit in futurum supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 695. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 696. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel qua-

vis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 31 martii 1786. Anno XII.

DXCII.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias fratrum ordinis sancti Francisci Cappuccinorum in provinciis Galliarum, et Hispaniarum, quo tempore erit expositio sacratissimi corporis Christi.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui orationi quadraginta horarum continuatarum, non autem nisi noctis tempore interpolatarum de licentia ordinariorum respective locorum, in ecclesiis fratrum ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum in provinciis, tum Galliarum, tum Hispaniarum existentibus semel in anno tamen etiam respective instituendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Declaratio specialis.

§. 2. Volumus autem, ut si alias Christifidelibus in quocumque alio anni die praemissa in aliqua ex dictis ecclesiis peragenda aliqua alia indulgentia similis perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata sit; prout per praesentes apostolica auctoritate revocamus; utque si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint.

Fides habenda transumptis.

§. 3. Insuper volumus, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXXI martii MDCCLXXXVI., pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 7. aprilis 1786. Anno XII.

DXCIII.

Imminutio festorum in nonnullis locis nullius dioecesis provinciae Lisbonensis.

Venerabili fratri episcopo Lamacensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae dubia fuerint, et obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ea propter apostolica haec sancta Sedes pro pater-

na erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte dilectorum filiorum abbatum de Salzedas, sancti Joannis de Tarouca, et sancti Petri das Aguias nullius dioecesis provinciae Lisbonensis Nobis nuper expositum fuit, in locis abbatiarum hujusmodi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illorum habitatores, et incolae, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime cogantur, quamvis animo invito, dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sobstinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: fraternitati tuae, qui (ut asseritur) ordinarius vicinior existis per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in locis, et territoriis dictarum abbatiarum existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac corporis Christi, et Ascensionis, nativitatis sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, ac Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium santorum: praeterea quinque dicatis B. Mariae virgini immaculatae, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci, pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus maneat integra praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) praeceptis, praescriptisque, audita missa laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas permittas ac statuas praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non locorum, et territoriorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DXCIV.

Dat. Romae 11. aprilis 1786. Anno XII

Confirmatio instrumenti inter advocatos consistoriales ex una, et Paschalem advocatum de Petro ex altera parte stipulati, ac super conditionibus, et pactis inter eos conventis quoad erectionem cathedrae obstetriciae in archigymnasio urbis vulgo — la Sapienza — nuncupato.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Ad supremum apostolatus fastigium ineffabili Dei clementia licet immerentes evecti, nihil potius habendum Nobis esse intelligimus, quam ut omne genus humanum pro cujus salute Dominus Noster Jesus Christus in ara Crucis hostiam pacificam se obtulit Patri, immensae hujus bonitatis effectum consequatur. Hinc intimo animi Nostri sensu semel, ac iterum de miserando illorum parvulorum infantium casu lugebamus, qui propter obstetricium inscitiam non raro prius quam in lucem edantur, ac in sacro baptismi lavacro sorde peccati purgentur, miserrime quotidie pereunt, unde si rerum vices sic tulissent tanto malo aliquod remedium adhibere exoptabamus.

Laudatur advocatus de Petro qui novam cathedram in archigymnasio instituit. §. 2. Ast, quod Nobis maxime in votis erat, dilectus filius Paschalis de Petro in Romana curia advocatus ultro, ac suis sumptibus perfecit. Siquidem nedum ipse Nobis annuentibus solertem chirurgum Lutetiae Parisiorum sustentavit, ut arti obstetriciae sedulo vacaret; sed etiam pro novae obstetriciae cathedrae erectione in almae Nostrae urbis archigymnasio studii generalis — la Sapienza — nuncupato fundum, seu dotem assignavit. Quapropter ad hujusmodi effectum inter dilectum filium Franciscum Rigaeti aulae Nostrae concistorialis advocatum, ac rectorem deputatum archigymnasii praedicti nomine, et de mandato dilectorum itidem filiorum advocatorum concistorialium, ad quos ejusdem archigymnasii regimen spectat, ex una, et eumdem Paschalem ex altera partibus nonnulla pacta, et conditiones fuerunt conventa, ac hisce desuper fuit subinde stipulatum instrumentum tenoris, qui sequitur.

In nomine Domini. Amen.

Tenor initae transactionis. §. 3. Praesenti publico instrumento cunctis ubique pateat evidenter, notumque sit, quod anno ab ejusdem Domini nostri Jesu Christi salutifera nativitate millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, indictione quarta, die vero vigesima septima mensis martii, pontificatus autem sanctissimi in eodem Christo patris, ac domini nostri domini Pii divina providentia papae VI. anno ejus duodecimo — Essendosi universalmente riconosciuta assai vantaggiosa l' istituzione delle cattedre di ostetricia tanto per la pratica istruzione delle levatrici, che per la più sublime, ed operativa delli professori, i quali dandosi di proposito a questa parte della chirurgia nei parti difficili felicemente preservano dalla morte le madri, ed i figli, che in tale guisa giungono almeno a poter conseguire il santo battesimo: l' illustrissimo signor avvocato Pasquale di Pietro cittadino Romano umilmente rappresentò alla santa memoria di nostro Signore papa Pio VI. la necessità di una simile istituzione qui in Roma, supplicandolo di destinare un giovane chirurgo da spedirsi a spese del detto signor avvocato all' università di Parigi per apprendere pienamente l' arte di ostetricia ad effetto d' insegnarla poi in questa capitale a pubblico beneficio, e la somma clemenza della Santità Sua intenta sempre al maggior bene spirituale, e temporale de' suoi amatissimi sudditi non solo si degnò di aderire all' istanza con prescegliere il signor Francesco Asdrubali, che portatosi in Parigi si è per più anni applicato ad apprendere la teorica, e la pratica dell' arte ostetricia, di modo che è ora in grado d' insegnarla pubblicamente; ma è inoltre venuto nella determinazione di erigere a pubblico vantaggio una cattedra perpetua per quest' arte nell' università della Sapienza di Roma col peso d' insegnare tanto agli uomini, che alle donne nei tempi, e luoghi, che si esprimono nel metodo, che s' inserirà nel presente istromento, come appresso, obbligando tanto le levatrici, che i giovani di chirurgia a frequentare le rispettive scuole nel modo, che per sovrano comando verrà ordinato nell' editto da pubblicarsi dall' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal camerlengo — In esecuzione pertanto delle amorevoli cure, e disposizioni della Santità Sua avendo il lodato signor avvocato Pasquale di Pietro stabilito di assegnare la dote, ed ogni altra cosa necessaria per la fondazione della espressa cattedra nella università della Sapienza con l' obbligo d' insegnare agli uomini nella stessa università, ed alle donne in quel luogo dello spedale di s. Rocco, che l' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinale Riminaldi protettore dello stesso spedale si degnerà di assegnare provisionalmente per ora, e stabilmente in avvenire a tenore del chirografo pontificio da dirigersi all' eminenza sua: dopo essersi proposta, ed accettata cotesta fondazione nel collegio degli illustrissimi, e

reverendissimi signori avvocati concistoriali rettori della stessa università con decreto collegiale del dì 20 marzo cadente facoltativo all' illustrissimo signore avvocato Francesco Riganti rettore deputato ad effetto di venire alla presente stipolazione.

Erectio cathedrae probata fuit a collegio advocatorum consistorialium.

§. 4. Avanti di me ec., e testimonj infrascritti presenti, e personalmente costituiti l'illustrissimo, e reverendissimo signor avvocato concistoriale Francesco Riganti rettore deputato della Sapienza in virtù delle facoltà contenute nel decreto collegiale, che a me ec. in copia pubblica si consegna, ad effetto d' inserirlo nel presente istromento del tenore seguente cioè — Testor ego infrascriptus collegii illustrissimorum, et reverendissimorum advocatorum consistorialium camerarius, quod coacto, praevia intimatione singulis transmissa re gravi, collegio in archigymnasio Sapientiae die 20 currentis mensis martii, fuit primo loco ab illustrissimis, et reverendissimis dominis collegialibus Bottini, Costantini, Capicio, Mariscotti, ac me infrascripto Benetti legitimum numerum constituentibus, totumque repraesentantibus collegium unanimiter acceptata erectio novae cathedrae scientiae obstetriciae, quam proprio aere, ac suprema intercedente auctoritate sanctissimi domini Nostri pp. Pii VI. feliciter regnantis facere intendit in archigymnasio Sapientiae illustrissimus dominus advocatus Paschalis de Petro civis Romanus: acceptatus praeterea fuit fundus scutorum quinque mille, et quingentum in pecunia numerata arbitrio, prudentiaque collegii investienda, quem pro eadem cathedra idem advocatus de Petro traditurus est, obligatione tamen per collegium, ac rectorem archigymnasii assumpta, quod in perpetuum persolvere faciet lectori scientiae obstetriciae annua scuta biscentum: tandem acceptatus extitit, et ab eodem collegio una cum domino advocato de Petro nominatus in primum hujus cathedrae lectorem dominus Franciscus Asdrubali, cum lege tamen, quod tam ipse, quam futuri lectores, qui praevio concursu a collegio de more seligendi erunt, adimplere punctim debeant ea omnia, quae tam in instrumento stipulando, quam in scripta methodo in eo inserenda, et per collegium jam approbata, praestituta sunt. Ut vero omnia haec in publicum redigantur instrumentum collegium idem deputavit in specialem suum procuratorem illustrissimum, et reverendissimum dominum advocatum consistorialem Franciscum Riganti, qui ipsius collegii nomine rectoratum archigymnasii Sapientiae modo exercet, omnes in eum transferens facultates necessarias, et opportunas: cujus quidem instrumenti confirmationem in forma specifica a sanctissimo domino Nostro implorabit illustrissimus dominus advocatus de Petro antequam cathedra aperiatur, prout latius cuncta haec patent ex camerariatus libro. In quorum fidem praesentes literas manu mea subscriptas, ac collegii sigillo munitas extradidi. Romae hac die 23 martii 1786.

Joseph Benetti collegii illustrissimorum, et reverendissimorum dominorum advocatorum consistorialium camerarius.

Loco ✠ sigilli.

E l' illustrissimo signor avvocato Pasquale di Pietro cittadino Romano figlio della bo: me:. di Domenico a me ec. cogniti colla riserva della espressa approvazione pontificia da riportarsi con un Breve, che in forma specifica autorizzi il presente istromento, e le cose in questo inserite, e contenute in ogni miglior modo ec., e di loro spontanea volontà ec. erigono, stabiliscono, e fondano nel detto archiginnasio della Sapienza di Roma una cattedra di ostetricia sotto le leggi, e stabilimenti soliti, e consueti della suddetta università, e con tutti gli onori, e pesi dei lettori della classe medica, alla quale questa nuova cattedra ascrivono, soggettando il professore pro tempore alle puntature consuete in caso di mancanza, e così pure dandogli diritto agli aumenti per anzianità nel modo, e forma, che è stabilito per gli altri professori della detta classe medica, coll' obbligo però di osservare letteralmente il metodo prescritto nei fogli, che qui s' inseriscono del tenore seguente cioè.

§. 5. Metodo da osservarsi non solo nella scuola dei giovani cerusici nella Sapienza; ma ancora delle donne nell' ospedale di s. Rocco — La nuova cattedra delle istituzioni ostetricie teorico-pratiche apparterrà alla classe medica della università della Sapienza. Quindi a riserva del signor Francesco Asdrubali, che sarà il primo professore, per l' avvenire tutti gli altri professori saranno prescelti per concorso da tenersi avanti l' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal camerlengo, ed il collegio degli illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati

Methodus servanda pro praeceptoris electione, onerario, et muneris exercitio.

concistoriali nella guisa, che si conferiscono le altre cattedre della Sapienza — La dote della cattedra ostetricia è perpetuamente ceduta al collegio degli illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati concistoriali, nel modo, e forma, e condizioni espresse nell' istromento di fondazione. Onde dal medesimo collegio, o dal rettore pro tempore della Sapienza, il professore conseguirà l' annuale onorario di scudi duecento, tanto per l' istruzione de' giovani cerusici, quanto per la scuola delle donne nell' ospedale di san Rocco, nella maniera, rate, e tempi, che prescrivono le leggi, ed usi della università — Il professore godrà di tutti i diritti, e prerogative, che godono gli altri professori della classe medica, e sarà nel tempo stesso soggetto a tutti i pesi, funzioni, e leggi, alle quali soggiacciono i medesimi professori. Ma prescelto, che sarà incomincerà subito ad insegnare l' ostetricia, senza fare il sostituto della classe, nè potrà mai passare ad altra cattedra diversa — L' oggetto dalla cattedra è l'istituzione nella scienza, ed arte ostetricia tanto dei giovani cerusici nella Sapienza, quanto delle donne nell' ospedale di s. Rocco. Quindi incominciando dai giovani cerusici, il professore pro tempore detterà loro ogni anno scolastico un intero, e compiuto corso di questa parte di medicina, e chirurgia, non meno teorico, che pratico, in guisa che per principj si rendano abili a curare i mali tutti della gravidanza, del parto, e del puerperio, e ad eseguire tutte le operazioni non solo manuali, ma anche istromentali — La scuola si farà in una delle camere, che il collegio de' signori avvocati concistoriali si compiacerà assegnare. Incomincierà il lunedì dopo la domenica in Albis, e terminerà alla metà di settembre. Le lezioni si faranno la sera alla seconda ora della Sapienza, cioè dalle ore 21 ½ alle 22 ½ in tutti i giorni descritti nel calendario, e nei tempi delle ferie estive, in tutti i giorni, eccettuati i festivi, ed i giovedì. La scuola durerà per lo spazio di un' ora intera, la quale ad arbitrio del professore sarà divisa parte nello scrivere, parte nella spiegazione, e parte nelle interrogazioni da farsi agli scolari — Per impegnare non meno il professore, che gli scolari all' adempimento de' proprj doveri in ogni anno circa la metà di settembre il rettore inviterà li lettori di medicina dell' università, e questi avanti il prelodato rettore coll' intervento del professore ordinario d' ostetricia, esamineranno tutti i giovani, che avranno compito il corso d' ostetricia: secondo il consiglio dei lettori esaminatori, il rettore ordinerà, che il professore dia l' attestato della frequenza, ed abilità a quelli soltanto, che si crederanno sufficientemente istruiti. A quel giovane poi, che a giudizio dei medesimi esaminatori sarà il più abile darà il premio di una medaglia d' oro, la quale nel dritto avrà l' effigie di sua Santità colla iscrizione — *Pio VI. Pontif. max. parenti publico* — e nel rovescio un professore, che presenta alla madre un putto nato di fresco, col motto — *usura vitae nascentibus asserta* — lo stesso professore istruirà anche le donne nell' ospedale di s. Rocco. La scuola si farà in quelle camere dell' ospedale, che si degnerà a tal' effetto assegnare l' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal Riminaldi protettore, al di cui savio discernimento è riservata la facoltà di destinare altro sito nel medesimo ospedale con tutti i comodi opportuni, allorquando sarà compita la fabbrica — Gli utensili necessarj, cioè banchi, tavole, e simili si faranno senza peso dell' ospedale — La scuola incomincierà nel principio di novembre ogni anno, e terminerà nel sabbato precedente la domenica delle Palme; osservandosi per la distinzione dei giorni scolastici, e feriali il calendario Italiano, che si affiggerà alla porta della scuola uniforme al calendario della Sapienza. Il professore salirà in cattedra tutti i giorni scolastici un' ora dopo, che sarà terminato il suono della campana della Sapienza, cioè la prima ora della stessa università la mattina solamente. La lezione durerà un' ora intera. Sarà tenuto il professore d' istruire le donne colla viva voce, e senza scritti, in lingua Italiana, e con uno stile chiaro, famigliare, e proporzionato alla loro capacità — Insegnerà loro quella parte di anatomia, e di fisiologia, che serve di fondamento all' ostetricia, sottoponendo ai loro sensi le parti del corpo umano, precedentemente preparate: tutta la teoria ostetricia, avuto sempre riguardo alla loro idoneità: i mali leggeri della gravidanza, e del puerperio co' loro rimedj: tutte le posizioni del feto nell' utero, e tutte le operazioni manuali, che corrispondono a ciascuna posizione, mostrando loro la maniera più propria, e facile di operare, ed assuefacendole ad eseguire nel fantoccio le medesime operazioni: i casi, nei quali

convenga chiamare il cerusico, e finalmente tutto ciò, che crederà necessario per l'intera loro istruzione — Affinchè le lezioni restino maggiormente impresse nello spirito delle donne, il professore impiegherà la prima mezz'ora nel far ripetere le lezione, o lezioni precedenti, facendo loro le necessarie interrogazioni, e spiegando di nuovo, e con maggior chiarezza ciò che qualcuna non avesse bene appreso; l'altra mezz'ora sarà destinata al proseguimento dell'istruzione — Sarà lecito a tutte le donne anche estere, ed anche Ebree d'intervenire colle Romane, e Cristiane alla scuola senza che possino da alcuno essere molestate, e colla sicurezza di esigere le medesime considerazioni, e trattamenti — La piena, e totale giurisdizione della scuola delle donne di san Rocco sarà dell'emimentissimo cardinal protettore pro tempore dello spedale. Avrà egli il diritto d'invigilare sul professore, affinchè con assiduità, zelo, e carità soddisfaccia a' proprj doveri, ed avrà anche il diritto di fare espellere dalla scuola quelle donne, che crederà non esserne degne — Per comando espresso di nostro Signore già comunicato, l'eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal camerlengo quanto prima con pubblico editto inabiliterà le donne a conseguire la matricola, e patente di mammana, se non avranno l'attestato del professore ostetricio della frequenza della scuola. Affinchè pertanto questo attestato si conceda colla dovuta maturità, ogni anno nell'ottava di Pasqua di Resurrezione si farà l'esame generale di tutte le donne, che avranno compito il corso, avanti l'eminentissimo signor cardinal protettore pro tempore dell'ospedale di s. Rocco, o di altro personaggio, che l'eminenza sua vorrà in sua vece delegare. Esaminatori saranno il lettore d'anatomia, e chirurgia della Sapienza, e gli lettori primarii degli ospedali di s. Spirito, e di san Giovanni, di s. Maria della Consolazione, e di s. Giacomo degl'Incurabili, e secondo il consiglio di questi cinque soggetti, o della maggior parte di loro, l'eminenza sua, o suo delegato ordinerà al professore ivi presente, che dia l'attestato d'idoneità, e frequenza a quella soltanto, che avranno ben soddisfatto alle interrogazioni, e questioni proposte. Alla più idonea poi darà la medaglia d'argento, simile in tutto alla medaglia d'oro già descritta, che si conierà ogni anno a spese della Sapienza, e sarà mandata dall'illustrissimo rettore pro tempore, che non potrà mai nei futuri tempi variarsi senza un decreto del collegio degl'illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati concistoriali munito della pontificia approvazione.

§. 6. Per fondo, e dote della detta cattedra, il detto signor avvocato di Pietro assegna, e costituisce la somma, e quantità di scudi cinquemila, e cinquecento moneta Romana, che attualmente paga, e sborsa con ordine diretto al sagro Monte di Pietà pagabile al collegio degli illustrissimi e reverendissimi signori avvocati concistoriali, come rettori della Sapienza, e per esso al signor Modesto Nobili esattore dello stesso collegio, ad effetto però di rilasciare la detta somma depositata nello stesso sagro Monte ad oggetto di rinvestirla come appresso a credito dell'archiginnasio della Sapienza, quale ordine detto illustrissimo signor avvocato rettore tira a se originalmente, restando presso di me ec. la copia collazionata ad oggetto d'inserirlo nel presente istromento del tenore seguente cioè — Signori provisori del sagro Monte della pietà di Roma. Li scudi cinquemila, e cinquecento moneta depositati a mio credito si compiaceranno farli pagare al collegio degl'illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati concistoriali, come rettori della Sapienza, e per essi al signor Modesto Nobili esattore dello stesso collegio, ad effetto però di rilasciarli contestualmente depositati in cotesto loro banco a credito dell'archiginnasio della Sapienza di Roma per rinvestirli. Che faccio pagare in conformità dell'istromento stipolato sotto questo giorno per gli atti del Mariotti segretario della Reverenda Camera Apostolica tra il detto collegio, e me infrascritto. Che con ricevuta ec. saranno ben pagati. Casa li 27 marzo 1786. — Pasquale di Pietro — scudi 5500 moneta — ed adesso per quando il detto ordine sarà esatto il detto signor avvocato Riganti nel detto nome ne fa al detto signor avvocato di Pietro quietanza finale in forma, restando a tutto carico del detto collegio, come rettore, ed amministratore dell'università di rinvestire la detta somma di scudi 5500 moneta nel modo, e forma, e con le sicurezze, che crederà opportune senz'altra cura, o pericolo del detto signor avvocato di Pietro, e con l'obbligo, che l'università medesima paghi perpetuamente annui scudi duecento moneta al professore pro

Assignatio bonorum pro honorario praeceptoris

tempore della detta cattedra ostetricia per suo onorario con ordini sottoscritti dal rettore deputato in tre oguali annue rate nelle solite scadenze della terziarie detratte le puntature nel modo, o forma degli altri professori, ed inoltre col peso di coniare a tutte spese dell' università medesima una medaglia d'oro, e l' altra di argento per li due premj da conferirsi ogni anno a tenore in tutto, o per tutto del metodo sopra inserto, nei quali termini, o non altrimenti, il detto illustrissimo signor avvocato concistoriale Riganti rettore deputato servandosi delle facoltà concessegli accetta la suddetta fondazione, e somma di scudi cinquemila, o cinquecento moneta con tutte le sue condizioni, e modi espressi nel presente istromento, perchè così ec. o non altrimenti ec. — Si riserva altresì il detto signor avvocato di Pietro di assortire per la prima volta solamente a tutte sue spese non solo li banchi, e tutt' altro occorrente per la scuola delle donne del venerabile ospedale di s. Rocco, ed il cugno per le annuali medaglie, ma altresì tutte le macchine, ed istromenti necessarj, tanto per l'istruzione delle levatrici, quanto per quella dei chirurgi professori di ostetricia, perchè così ec., e non altrimenti ec.

Electio primi professoris, et designatio aliorum in posterum eligendorum

§. 7. E finalmente per il primo professore della detta cattedra con tutti li pesi, onori, emolumenti, o condizioni espresse nel presente istromento, o nel metodo inserito coll' approvazione della Santità di Nostro Signore le parti contraenti nominano, o deputano alla nuova cattedra di ostetricia, come sopra fondata il signor Francesco Asdrubali figlio della bo. mem. dottor Gaetano della città di Loreto, come se fosse stato prescelto per concorso, coll' obbligo però di ricevere la patente da spedirsi dall' illustrissimo signor avvocato concistoriale rettore deputato nel modo, o forma di tutti gli altri professori — E siccome la scelta a questa cattedra chirurgica esige di sua natura un particolare concorso risguardante strettamente l' arte ostetricia, la di cui speciale perizia non può esigersi, nè pretendersi da quelli, che si esporranno ai concorsi da tenersi per eleggere il lettore soprannumero pro tempore della classe medica, perciò il detto soprannumero della classe medica non dovrà mai passare alla cattedra di ostetricia sia nelle vacanze, che occorreranno, sia in altra qualsivoglia circostanza, in cui si dovesse destinare un successore alla detta cattedra, ma in ogni uno di questi casi dovrà tenersi il concorso secondo le regole solite, e prescritte nell' inserto metodo per scegliere il nuovo professore, ferma rimanendo a favore del lettore medico soprannumero la sua anzianità, ed il diritto agli aumenti dal giorno della sua elezione — E per la stessa ragione il professore medico soprannumero non dovrà mai supplire alla cattedra di ostetricia, ma bensì nel caso d'infermità del professore, dovrà questi commettere le sue veci interinamente, ed a tutto suo carico ad altro professore chirurgo da approvarsi dal rettore dell' università, o nel caso di giubilazione dovrà il professore di ostetricia rilasciare dalla sua provisione annuale quella somma, che secondo le circostanze sarà giudicata opportuna dal rettore suddetto, purchè non sia minore di annui scudi sessanta da assegnarsi interinamente, o durante la giubilazione al nuovo professore esercente che si sceglierà per concorso nel modo, o forma espressa nell' inserito metodo, perchè così ec. — Promettono detti illustrissimi signori avv. Riganti, ed avv. di Pietro le premesse cose essere stato bene, o validamente fatte, e come tali avarle rate, grate, valide, e ferme, o sempre attenderle ed osservarle, o contro mai fare, o dire sotto qualsisia pretesto, e causa, altrimenti a tutti, e singoli danni, de' quali ec. — Pro quibus omnibus, et singulis observandis ec. dictus dominus advocatus Riganti bona, et jure dicti collegii, et archigymnasii, et dictus dominus advocatus de Petro seipsum ec. haeredes ec. bona ec. ac jura ec. in ampliori reverendae Camerae apostolicae forma solitis cum clausulis ec. citra ec. obligarunt ec. Reñtes ec. consensientes ec. unica ec. et sic tactis ec. juramento omni ec. — Super quibus omnibus, et singulis praemissis, tamquam rite, recte, et legitime gestis, et factis petitum fuit a me Reverendae Camerae Apostolicae secretario, et cancellario, ut unum vel plura, publicum, seu publica conficerem, atque traderem instrumentum, seu instrumenta, prout opus fuerit, et requisitus ero. Actum Romae in palatio solitae habitationis d. d. advocati Riganti sito in plateola e conspectu januae parvae venerabilis ecclesiae sanctae Mariae supra Minervam juxta ec. ibidem praesentibus, audientibus, ac bene intelligentibus dd. Carmine Antonio Celiemodio filio quondam Raymundi Neapolitano, et Antonio Pa-

cetti filio quondam Francisci Romano testibus ad praedicta omnia, et singula vocatis habitis specialiter, atque rogatis.

Ego Sylvester Antonius Mariotti Reverendae Camerae Apostolicae secretarius, et cancellarius de hujusmodi rogo etc. de praedictis rogatus praesens instrumentum subscripsi, et publicavi, signoque solito munivi requisitus.

Loco ✠ signi.

Preces porrectae pro confirmatione instrumenti.

§. 8. Cum autem memorati advocati consistoriales, ac Paschalis, ut praeinsertum instrumentum plenum suum sortiatur effectum, ac firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis.

§. 9. Nos igitur quanta religioni, et reipublicae commoda ex cathedrae praedictae erectione obventura sint prae oculis habentes, ac memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutes fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertum instrumentum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti archigymnasii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DXCV.

Dat. Romae 11. aprilis 1786. Anno XII.

Mandatur vocalibus ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini, ut disputent ante proximum capitulum generale super perpetuitate officii generalatus an conveniat sibi nec ne etc.

Dilecto filio Nostro Joanni Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Archinto nuncupato apud Nos, et sanctam Sedem ordinis fratrum eremitarum sancti Augustini protectori.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Memorantur providentiae ad rem captae a Sixto V. et Benedicto XIV.

§. 1. Postquam per alias Nostras in simili forma brevis die XV. mox transacti mensis martii expeditas literas te in praesidentem designavimus proximi futuri capituli generalis dilectorum filiorum fratrum eremitarum sancti Augustini, mente Nostra revelvimus, quod postquam felicis recordationis Sixtus pp. V. praedecessor Noster per suas in simili pariter forma Brevis die XIV. maji anni 1585. expeditas literas munus prioris generalis ejusdem ordinis ad sexennium contraxit, qua cum methodo processum est per longum centum no-

naginta annorum curriculum magno cum ejusdem ordinis decore, et utilitate, donec anno MDCCXLV. occasione capituli generalis dicti ordinis Bononiae convocati placuit felicis recordationis Benedicto pp. XIV. praedecessori itidem Nostro, ex tunc adductis causis per suas in simili forma Brevis die XXXI. martii MDCCXLV. expeditas literas fratribus vocalibus ordinis hujusmodi in dictis comitiis Bononiensibus conventis potestatem facere per suffragia secreta statuendi, num munus prioris generalis ejusdem ordinis a capitulo generali in posterum ad vitam explendum esset, ac quatenus prior generalis ad vitam fuisset electus definitorio generali, quoad officia vicarii generalis, procuratoris generalis, et assistentium, quidquid ei libuisset, providendi, decernendi, ac declarandi amplam, et plenam itidem facultatem concedere; hisce Benedicti literis suffulti vocales praedicti prioris generalis munus in posterum ad illius vitam protrahi decreverint; secus tamen de caeteris generalibus officiis praedictis definitorium dijudicaverit, cum adhuc etiam nisi ad sexennium procurator generalis, ac assistentes eligantur; cum discrepantia hujusmodi inter munus prioris generalis, et caetera officia generalia praedicta haud proficua eidem ordini comperta sit, immo ex ea de consilii maturitate, ac prudentia in dictis comitiis Bononiensibus anni MDCCXLV. capti ambigi possit.

Ratio et tenor novae legis. §. 2. Hinc, cum sicut accepimus, fratrum praedictorum generalia comitia per obitum bonae memoriae Francisci Xaverii Vasquez ultimi, dum vixit, dicti ordinis prioris generalis pro novi prioris, aliorumque superiorum generalium electione jam indicta, et in proximo mense junio habenda sint, ac interea plura, eaque praecipua ad Nos perlata fuerint adversus rationes, quae in dicto capitulo generali praevaluerunt ad perpetuitatem generalatus decernendam, quaeque revera in totius ordinis detrimentum, experientia teste, potius conversa sunt; ut praedictae Augustinianorum eremitarum sodalitati bono, et incremento prospiciamus, memoratas Benedictinas literas, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo, ad verbum insertis haberi volumus, harum serie annullantes, et nullius roboris, et momenti ad effectum infra dicendum dumtaxat esse declarantes, motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine circumspectioni tuae, qui apud nos, et hanc sanctam Sedem ordinis praedicti protector, ac imminentis capituli generalis praeses constitutus existis, de cujus prudentia, fide, religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes Nostras literas committimus, et mandamus, ut omnibus, et singulis fratribus dicti ordinis votum, seu suffragium in capitulo generali praedicto in hac alma urbe Nostra propediem celebrando habentibus, et ferentibus auctoritate Nostra apostolica praecipias, ut ipsi antequam ad electionem prioris generalis procedant, in unum, ut moris est, congregati, Deum, ac ordinis decus, illiusque bonum, et utilitatem prae oculis dumtaxat habentes, dissidiis prius, partiumque studiis procul amotis, hoc dubium examinent — An munus prioris generalis ejusdem ordinis in capitulo generali hujusmodi, aliisque similibus capitulis generalibus in futurum ad totius vitae cursum electi explendum sit — Ac deinde juxta eamdem methodum praescriptam a memorato Benedicto praedecessore Nostro, pro decernenda nec ne perpetuitate generalatus ad secreta suffragia procedatur; quibus initis, illisque collatis, si duae ex tribus suffragantium praedictorum partibus in affirmativam convenerint, pro continuatione perpetuitatis generalatus resolutum erit; si vero duae ex tribus partibus praedictis non convenient, perpetuitas rejecta intelligatur, et temporanea sex annorum dumtaxat durabilitas renovata.

Mandatum de observanda resolutione capituli praevia apostolica approbatione. §. 3. Praeterea tibi injungimus, ut eisdem vocalibus postquam praemissa impleverint, et propositum dubium uno, vel alio modo ab ipsis deliberatum fuerit, priorem generalem juxta captam resolutionem, et servatis alias servandis ad formam constitutionum dicti ordinis eligendi plenam, et amplam facultatem auctoritate praedicta concedas; utque omnia, et singula acta, et gesta in capitulo generali praedicto juxta praemissa in praesentibus Nostris literis contenta, ad Nos, quam citius transmittantur, ut illa approbemus, et confirmemus omnino cures, et studeas.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus praefatis Benedicti pp. XIV. Romani pontificis praedecessoris Nostri literis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et

consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 5. Caeterum si contingat priorem generalem ad tempus minime eligi, per praesentes non intendimus supradictis Benedicti praedecessoris praedicti literis in aliquo derogare, immo illas in suo robore in omnibus, et per omnia remanere mandamus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 19. aprilis 1786. Anno XII.

DXCVI.

Concessio favore Infantis regni Portugalliae segregandi nonnulla bona a tribus ecclesiis parochialibus de jure patronatus ipsius Infantis, in dioecesi Lisbonensi.

Pius episcopus Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Inclyta regiorum principum apostolicae Sedi fidelitate junctorum pietas, quae etiam in subditos provida simul, ac munifica redditur a Nostro pastorali munere exposcit; ut quae ad manutenendam, ampliandamque eorum magnitudinem, atque splendorem conferre noscuntur, etiam mediante fructuum ecclesiasticorum dispositione juremerito consequantur.

Exponuntur jura patronatus competentia super parochialibus ecclesiis. §. 2. Sane pro parte carissimi in Christo filii Nostri Petri Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipse Petrus rex, qui uti administrator domus, et status Portugalliae regni Infantis privilegio gaudet praesentandi ad nonnullas parochiales ecclesias in Portugalliae, et Algarbiorum regnis existentes, quae sicut accepimus, de regio jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione existunt, et super quarum aliquot respective fructibus, et redditibus, et proventibus (illarum respective rectorum pro tempore existentium congrua salva remanente) certae portiones, seu praestationes annuae personis eidem regio Infanti gratis, et acceptis ab eo distribuendae, et assignandae apostolica auctoritate alias constitutae reperiuntur, cum indulto eidem regio Infanti eadem apostolica auctoritate concesso, quod portionibus, seu praestationibus hujusmodi ex personis illas respective percipientibus quovis modo cessantibus durante cessatione hujusmodi, illarum respective fructus in ejusdem regii infantis pro tempore existentis favorem cedere debeant, perspectum habeat portiones, seu praestationes praedictas nedum minus sufficientes esse ad alias personas eidem regio infanti benevisas juxta earum respective conditionem, et merita eximii sui, et grati animi significationibus prosequendas, sed etiam ad augendum, prout decet, splendorem dilectissimi etiam in Christo filii Joannis dicti Petri regis secundogeniti, ac dicti regni domus, et status regii Infantis immediati successoris, ut sic majori decore suae magnanimitatis, ac pietatis actus exercere valeat impares existere. Aliunde vero consideret, quod si pariter super infrascriptarum parochialium ecclesiarum, quae ut etiam accepimus, de simili regio jurepatronatus ex pari fundatione, vel dotatione existunt, et ad quas eidem Petro regi uti administratori praedicto jus praesentandi ex donatione regiae coronae Portugalliae de dicto jure praesentandi eidem regio Infanti facta competit, respective fructibus, redditibus, et proventibus aliae similes portiones, seu praestationes annuae per Nos, ut infra, constituerentur; praemissis opportune consultum foret. Quare pro parte ejusdem Petri regis, ac carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae eorumdem Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae opportune Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in eisdem praemissis annuere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur dictum Petrum regem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volen- Tenor concessionis.

tes; ex unius sancti Jacobi de Sopo certo, quem praesentes haberi volumus pro expresso, modo ad praesens vacantis ex nunc, ac alius de Venade Bracharensis, et reliquae parochialium ecclesiarum villae de Cantanhaira respective nuncupatae Lisbonensis respective dioecesis respective fructibus, redditibus, et proventibus certis tantum cujuslibet earum ad trecentos, et quadraginta quinque ducatos auri de camera circiter annuatim, ut asseritur, ascendentibus ex nunc prout ex tunc, et e contra postquam tamen secundo, et tertio dictae ex posterioribus tribus parochialibus ecclesiis ex illarum respective rectorum personis quovis modo vacaverint, centum, et quatuordecim ducatos auri de camera hujusmodi, et julia quinque monetae Romanae praeter aliqua praedia, et incerta stolae vulgo Po da Altar nuncupata pro certa libera annua congrua cuilibet ex posteriorum trium parochialium ecclesiarum rectoribus pro tempore existentibus annuatim apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium perpetuo respective assignamus; illisque sic assignatis ex residualibus cujuslibet posteriorum trium parochialium ecclesiarum respective fructibus, redditibus, et proventibus praedictis tot portiones, seu praestationes annuas arbitrio dicti regii infantis, ejusque domus, et status hujusmodi successorum pro tempore existentium personis sibi gratis, et acceptis, et quoad portiones, seu praestationes hujusmodi ex secundo, et tertio dictarum ex posterioribus tribus parochialibus ecclesiis fructibus, redditibus, et proventibus praedictis, ut infra constituendis, postquam illae ex earum respective rectorum personis quovis modo vacaverint, ut praefertur, et non alias, nec antea respective distribuendas, et assignandas (residuales fructus, redditus, et proventus praedictos a posterioribus tribus parochialibus ecclesiis dicta apostolica auctoritate earumdem tenore praesentium perpetuo respective dismembrando, et separando) eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo respective constituimus. Eidemque moderno regio infanti, ejusque domus, et status hujusmodi successoribus praedictis, quod donec, et quousque portiones, seu praestationes annuae sic, ut praefertur, constitutae, aut aliqua illarum per dictum regium infantem distributae, et assignatae non fuerint, seu respective distributa, et assignata non fuerit; ac etiam portionibus, seu praestationibus annuis, ut praefertur, constitutis hujusmodi, aut aliqua earum ex personis, seu persona illas, seu illam percipientibus, seu percipiente quomodolibet cessantibus, seu cessante, illarum, seu illius fructus donec illas, seu illam de novo distribui, et assignari sibi placuerit, in favorem ipsius regii infantis pro tempore existentis ad formam praecedentis apostolici indulti cedere debeant eadem apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium pariter perpetuo concedimus, et indulgemus.

§. 4. Nec non easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de praestando consensum in pensionibus, ac etiam quatenus opus sit, constitutione felicis record. Benedicti pp. XIII. praedecessoris Nostri pensiones annuas super parochialium ecclesiarum fructibus, redditibus, et proventibus reservari prohibente, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in Derogatio contrariorum.

illis tradita observata, inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes; illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime hac vice dumtaxat ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis. §. 6. Volumus autem, quod ad illos, ad quos vel de jure, aut in vim contractuum, seu de consuetudine posteriorum trium parochialium ecclesiarum, aut cappellarum majorum nuncupatarum dumtaxat, ac sacrariorum reparationes spectant, ut antea spectare, ipsique etiam in posterum illas facere debeant, et teneantur. Volumus etiam quod in eventum, in quem dictas posteriores tres parochiales ecclesias ad nominationem regii infantis pro tempore existentis a praedicta Sede apostolica conferri contingat, illarum respective fructus certi, non obstantibus dismembratione, et separatione hujusmodi, diminui non possint.

Sanctio poenalis. §. 7. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae assignationis, dismembrationis, separationis, constitutionis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, sexto kalendas maji, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 26. aprilis 1786. Anno XII.

DXCVII.

Ampliatio facultatis perpetuae nominandi ad certas pensiones quascumque personas alias ecclesiasticas tantum, nunc vero etiam laicas favore regis fidelissimi.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Decet Romanum pontificem apostolica indulta piissimis regibus, ut se munificos exhiberent, alias concessa quandoque ampliare, ut hujusmodi medio eorum liberalitatis fontem in subditorum etiam laicorum sinum per amplius, ac facilius diffundere valeant.

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Petri Portugalliae, et Algarbiorum regis fidelissimi petitio continebat, quod cum alias super quarumdam parochialium ecclesiarum Bracharensis, ac Lamacensis, et Colimbricensis respective dioecesum, quae olim, sicut accepimus, de jurepatronatus laicorum nobilium, et illustrium familiae videlicet illorum de Menezes ex marchionibus de Villa Real ex fundatione, vel dotatione existebant respective fructibus, redditibus, et proventibus (debita illarum respective rectoribus congrua libera annuatim assignata remanente) nonnullae pensiones, seu assignationes annuae pro personis tamen ecclesiasticis dumtaxat arbitrio illorum de dicta familia tunc existentium nominandis apostolica auctoritate ex indulto apostolico ab immemorabili tempore perpetuo reservatae fuissent subinde pro eo, quod juspatronatus hujusmodi cum facultate ad pensiones, seu assignationes praedictas eodem modo personas ecclesiasticas tantum nominandi ad regiam Portugalliae regni coronam devolutum extitit, eidem Petro regi uti administratori domus, et status dilectissimi etiam in Christo filii Portugalliae regii infantis, ejusque in domo, et statu praedictis successoribus jus praesentandi ad dictas parochiales ecclesias pro tempore vacantes cum praedicta facultate ad pensiones, seu assignationes hujusmodi personas ecclesiasticas tantum, ut praefertur, nominandi ex dotatione dictae regiae coronae de jure praesentandi hujusmodi cum praedicta facultate eidem regio infanti facta modo spectat, et pertinet. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, attenta praedictae facultatis limitatione, nominandi scilicet ad dictas pensiones, seu assignationes personas ecclesiasticas dumtaxat idem Petrus rex personas laicas, quae in majori personarum ecclesiasticarum numero ejus servitio addictae reperiuntur, aliasque personas sibi gratas, et acceptas, sui magni, et grati animi significationibus per hoc medium prosequi praepeditus remaneat, proindeque plurimum cupiat sibi per Nos, et Sedem apostolicam benigne, ut infra provideri. Quare pro parte ejusdem Petri regis Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus sibi in praemissis opportune consulere de benignitate apostolica dignaremur.

Expositio precum porrectarum a rege fidelissimo.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eumdem Petrum regem amplioris gratiae favore prosequi volentes: eidem Petro regi, ejusque in domo, et statu regii infantis praedicti successoribus pro tempore existentibus facultatem, ut ipse Petrus rex, ejusque in domo, et statu hujusmodi successores pro tempore existentes praedicti dicta limitatione facultatis nominandi scilicet ad pensiones, seu assignationes hujusmodi personas ecclesiasticas tantum in indulto praedicto, ut praefertur, apposita, aliqua praescripta non obstante, quascumque personas sibi, et in domo, et statu regii infantis successoribus pro tempore existentibus praedictis gratas, et acceptas, tam ecclesiasticas, quam laicas indistincte ad pensiones, seu assignationes praedictas, servata tamen in reliquis ejusdem apostolici indulti forma, nominare, ac personae ad pensiones, seu assignationes annuas praedictas pro tempore nominatae, illas in quocumque statu retinere, et annuatim percipere, exigere, levare, ac in suos usus, et utilitatem convertere libere, et licite respective possint, et valeant plenam, et liberam licentiam, et facultatem apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium etiam perpetuo concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Ac easdem praesentes literas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere; sicque, et non aliter per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuntios judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula de non tollendo jure quaesito, ac quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime hac vice dumtaxat, ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide harum quoque serie derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae concessionis, et impertitionis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octogesimo sexto, sexto kalendas maji, pontificatus Nostri anno decimo secundo. Sanctio poenalis.

DXCVIII.

Dat. Romae 13. maji 1786. Anno XII.

Confirmantur constitutiones monialium B. M. V. de monte Carmelo excalceatarum Hispaniarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Posteaquam per alias Nostras in simili forma Brevis die XIV. mox transacti mensis martii expeditas literas statuta fratrum ordinis Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispaniae novissima summo studio, summaque diligentia a congregatione eorumdem fratrum Matriti ad hoc auctoritate Nostra apostolica specialiter deputata composita, Nostraque auctoritate ad sacros canones, et apostolicas

Exponitur quomodo constitutiones conditae a s. Theresia immutatae fuerint aliqua in parte additis declarationibus pro temporum circumstantiis.

ordinationes subinde aliquanto exacta eadem auctoritate confirmavimus, dilecti filii Paulus a Conceptione definitor generalis, ac Petrus de Matre Dei dictae apostolicae congregationis secretarius, utrique fratres ordinis, et congregationis praedictorum expresso professi, quique, ut Nobis inductas innovationes, et mutationes in statutis praedictis praestarent, fuerunt a dicta apostolica congregatione ad Nos delegati; Nobis nuper exponi fecerunt, quod licet constitutiones sanctimonialium ordinis praedicti in regnis Hispaniarum sub jurisdictione, ac gubernio eorumdem fratrum existentium, quas a sancta Theresia ejusdem ordinis restitutrice accepisse gloriantur, undique coelestem spirent, et redoleant sapientiam, ad coelum mentis intellectum attollant, in supernis collocent, atque coelestis cogant ignis calore corda succendi, nihilominus cum ex misera humanarum rerum conditione necesse fuerit a pluribus generalibus comitiis dicti ordinis varias declarationes ipsis constitutionibus superaddi, quae postmodum ob illorum varietatem, ac multiplicitatem in earumdem sanctimonialium animos multa scrupula, anxietates, et dubitationes ingesserunt. Quamobrem apostolica congregatio praedicta tum ad illarum mentes sedandas, cum etiam ut illarum constitutiones statutis fratrum dicti ordinis, ut praefertur, per Nos novissime confirmatis plenissime congruerent, abrogatis omnibus declarationibus a generalibus comitiis dictis constitutionibus, ut praefertur, superadditis, aliqua dumtaxat, et quidem pauca pro hisce rerum vicibus reformavit, aliqua adjunxit; quae cum ad Nos una cum caeteris ejusdem apostolicae congregationis actis fuerint transmissa, apostolicae confirmationis praesidio per Nos communiri summopere desiderant.

Novas constitutiones reformatas judicio subjecit pontifex cardinalis Salviati, qui illas melius in formam redegit.

§. 2. Ut itaque justis dictorum exponentium petitionibus maturo judicio concederemus, quemadmodum dilecto filio Nostro Gregorio Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Salviati nuncupato, ut de toties memoratis statutis fratrum ordinis, et congregationis praedictorum noviter elucubratis cognosceret, alias commisimus, sic nedum novas additiones, et mutationes, sed ipsas etiam sanctimonialium dicti ordinis constitutiones, quod nunquam fuerunt auctoritate apostolica confirmatae, ejusdem Gregorii cardinalis examini subjicimus. Quod Nos de summa sua sedulitate, ac studio pollicebamur, ille summa fide perfecit; siquidem nedum ipse accurata, diligentique lance constitutiones, ac addictiones praedictas perpendit, unde pauca quaedam adjunxit, aut clariori in luce posuit, sed etiam easdem additiones noviter iisdem constitutionibus inseruit, ac nonnulla ex declarationibus generalium capitulorum, ut praefertur, abrogatis, quae ad rectam earumdem sanctimonialium vitae institutionem per quam opportuna visa sunt, in eas retulit. Quae omnia cum a Nobis probata fuerint, hinc novarum constitutionum corpus compositum est, tenoris, qui sequitur.

CONSTITUTIONES

Pro monialibus discalceatis beatae Mariae virginis de monte Carmelo.

CAP. I.

De obedientia, et electione superiorissarum, nec non de visitatione.

De obedientia, et electione superiorissarum, nec non de visitatione.

§. 4. I. Praecipimus, quod provinciales congregationis Nostrae, quilibet in propria provincia, in spiritualibus, et temporalibus regat, et gubernet illius provinciae moniales, easque visitet, saltem semel quolibet anno, ac possit eas corrigere, et castigare cum, et absque processus constructione (prout justum, et aequum illi videbitur) pro qualibet culpa, illa excepta, quae in hisce constitutionibus gravissima appellatur, quaeque remittatur patri nostro generali, ac definitoribus, ut eam judicent voto decisivo omnium, vel majoris partis, prout declaratum est auctoritate apostolica in aliis Nostrae congregationis negociis.

De schedulis adhibendis in electionibus.

§. 5. II. Cunctae electiones ad tramites sacri Tridentini concilii fiant per parvas schedulas secretas. Electio cum matris priorissae, tum subpriorissae, vel quaelibet alia electio fiat per schedulas in scriptis non jam propria, sed aliena manu, et ad hunc effectum tres accipiantur schedulae cum nominibus trium monialium, quae ob aetatem, et ad tramitem juris ad munus, quo electio respicit, praefici possint, et illa, quae schedulas scribet (et poterit esse altera ex monialibus conversis) sub gravi in foro conscientiae ad secretum servandum teneatur, quin unquam directe, vel indirecte nomina hujusmodi petentium pandere valeat, quamvis ad con-

scribendas schedulas uti etiam possint opera alterius ex religiosis electioni praesentibus, et hi quoque ad idem secretum teneantur; et peracta electione coram omnibus monialibus schedulae comburantur. Animadvertendum hic tamen est, quod in nulla electione praelatus, qui illi praesederit, vel qui ad hujusmodi praesidentiam fuerit ab eo delegatus, nullum jus habet ferendi suffragii; poterit autem nominare, vel proponere universo capitulo nonnullas moniales, ut alteram ex his eligant, obligare autem eas minime queat ad necessario eligendam unam ex illis, quas proposuerit; quin imo libera eisdem erit facultas, et potestas, quamlibet, quae ipsis aptior videatur, eligendi. Provincialis vero, vel qui electioni praeest, suffragia cum secretario, vel cum alio, quem secum ducat, socio conferet, seu computabit. Et deinde superior, vel qui ejus vices gerat, hujusmodi electionem ad sacrorum canonum formam confirmare, aut irritam reddere. In priorissam vero eligi nequeat, nisi quae aetatis, et religiosae professionis annos habeat a sacra Tridentina synodo praescriptos.

De forma servanda in emittenda professione.

§. 6. III. Cum valde deceat, quod recenter professae omni alia cura seposita, cordi habeant tantummodo proprium progressum, mandamus, ut quae in posterum professionem emittent, in nulla vocem habeant electione, usque dum duos integros a professione annos non expleverint, at per hoc idem tempus secreto capituli conventualis minime intersint, sed dictis propriis culpis, post conversas discedant. In novis autem fundationibus, ubi septem non extent vocales, supplere poterunt ad hunc usque numerum etiam recenter professae, juxta earum antianitatem vocemque habebunt in electionibus, et capituli secreto intervenient, prout moris est in conventibus religiosorum nostrorum, quoad illos, qui in presbyteratus ordine jam constituti ingrediuntur. Et per annum a die emissae professionis computandum subjectae remaneant novitiarum magistrae, prout in anno probationis, illoque expleto, a novitiatu discedent, et uti caeterae communitatem sequentur cum omnimoda subjectione praelato.

De suffragiis ferendis a monialibus infirmitate aliqua praepeditis.

§. 7. IV. Ad excipienda suffragia monialium, quae aliqua praepeditae infirmitate ad crates se nequeant conferre, superior, qui praeerit electioni duas designabit moniales aetate, et moribus graves, quae tales infirmas adibunt pro excipiendis suffragiis, quae ab his capsulam clausam ad hunc effectum in quolibet monasterio conficiendam, et habentem in parte superiori fixuram angustam, per quam ingredi possit schedula, immittantur. Clavis hujusmodi capsulae teneatur in loco, ubi fit electio, et capsula adducta coram omnibus, haec aperiatur, et schedula complicata, quin inspici possit, una cum reliquis porrigatur praelato, qui electioni praeest.

De duratione officii priorissarum.

§. 8. V. Officium priorissarum per triennium durabit, nec rursus eligi queant in priorissas, neque in sub priorissas in eisdem monasteriis, ubi hujusmodi munera perfunctae sint, nisi post decursum alterius triennii. Monialis, quae per duo triennia, seu pro majori hujus temporis parte priorissae munere functa sit, nequeat tertio eligi nisi in unico scrutinio duae ex tribus omnium suffragiorum concurrant partes: ad hoc ut eadem monialis eligi quarto valeat, concurrant oportet in unico scrutinio cuncta suffragia, tribus, et proprio exceptis, et nequeat de hac quarta electione pertractari, nisi praevio effluxu sex annorum vacationis ab officio: attamen aliqua urgenti necessitate cognita a definitorio generali ipsam dispensationem impertiatur ad hoc ut eadem monialis quarto eligi possit, ea tamen sub lege, quod ab officio per triennium completum vacaverit, ejus autem electio methodo superius dicta fiat. Nulla expleto munere priorissae prosequi poterit regere monasterium tituli vicariae, vel praesidentis, nisi duobus, vel tribus ad summum mensibus; neque super hoc pater noster generalis, nec suum definitorium poterit dispensare.

De poena contra eas, quae sermonem instituunt de rebus in electionibus eventis.

§. 9. VI. Ut omnis praecidatur occasio, qua pax, et concordia inter moniales perturbetur, praecipimus, ut post visitationem, et electionem, nulla audeat sermonem instituere, nec pertractare de rebus, quae in electione hujusmodi acciderint, ita ut pax turbari queat; et quae secus se gesserit, si fuerit choro deputata, velo privetur, ac voce activa, et passiva per mensem; si autem conversa, per mensem itidem scapulare privetur, injuncto illi per duas sextas ferias jejunio in pane, et aqua.

De revelationibus praelatis faciendis.

§. 10. VII. Quemadmodum orationis continuatio, et spiritus, quo sit excellentior, eo magis subjacet fallaciis, et illusionibus, praesertim in mulieribus, strictae praecipimus cunctis nostris monialibus per meritum sanctae

obedientiae (conscientiam earum super hoc quantum possumus onerando) ut in visitationibus, vel extra illas, dum id contingat, denuncient patri nostro generali, patribusque provincialibus, et visitatoribus quemcumque spiritum peculiarem alicujus monialis, in qua apparerent revelationes, visiones, extases, raptus, vel alia id genus, extra vias communes, et ordinarias ad hoc ut se gerentibus cum sinceritate, et fidelitate debita suis praelatis, per quos lux, et erroris cognitio ad eas pervenire debet, evitentur magna damna, quae monialibus multum in oratione versantibus emergere possent. Et ad hoc strictius tenentur priorissae, quas si praelati in hoc negligentes invenerint, eas corrigant, et castigent.

CAP. II.

De receptione, et professione novitiarum, ac de numero monialium, in quolibet monasterio.

De receptione novitiarum.

§. 11. I. Per diligenter animadvertendum, quod admittendae ad habitum sint honestae, et solitudinis studiosae, ac ad religiosam perfectionem adspirent, et mundi illecebras aspernentur. Si enim non fuerint a mundo segregatae in suis desideriis, non ita facile poterunt observare leges, et regulas nostrae religionis, et idcirco expedit, ut ante illarum receptionem, quo animo sint, diligenter investigetur, potius quam deinde ejici debeant, et saltem in decimo septimo aetatis anno constitutae sint, neque quadragesimum annum excedant, sanae in corpore, instructae, et aptae ad horas canonicas persolvendas, et ad assistentiam choro, et nulla recipiatur in choristam, quae nesciat latinum idioma legere. Poterit autem pater noster generalis, intercedente justa causa, dispensare cum aliqua super excessu aetatis quadraginta annorum, et cum alia, quae decimum quintum suae aetatis annum expleverit.

De admittendis ad professionem.

§. 12. II. Nulla admittatur ad professionem, nisi per annum suae probationis in ipsa inspectae, et repertae fuerint omnes conditiones, et qualitates pro observantia requisitae: altera autem ex superius enunciatis qualitatibus in ipsa deficiente, nullimode professionem emittat, dummodo non videat adeo eximia virtute praedita, ac sit tantae utilitatis monasterio, cui nulla ex inde perturbatio sit oritura, ut in eo, praevia dispensatione praelati, ad quem juxta constitutiones nostras in hoc casu pertineret dispensare, ad professionem admitti poterit. Si vero omnibus superius dictis non adderetur divina vocatio, quae appareat in ardentibus ejus desideriis, nullimode ad professionem admittatur.

De admissione earum, quae dote necessaria carent.

§. 13. III. Concurrentibus in aliqua cunctis qualitatibus supradictis, licet illi deficiat integrum dotalitium monasterio assignandum, non idcirco ejiciatur, et monasterium dummodo ex hoc in majorem non incidat indigentiam, supplere possit redditibus, et eleemosynis ordinariis quidquid ex hac parte illi deficit. Judicium, et resolutio quoad admissionem alicujus religiosae (in qua omnes conditiones, et qualitates supradictae concurrant) absque ulla dote, aut adeo tenuis quantitatis, ut non attingat medietatem praestationis communiter recipi solitae in illo monasterio, ad definitorium spectabit, absque cujus licentia, et dispensatione admitti minime possit. Nulla monialis professionem emittat, nisi prius a monasterio cum effectu exacta fuerit dos, vel ipsi constituatur in fundo ad ejusdem monasterii, et patris provincialis beneplacitum.

De virtutibus novitiarum respiciendis in admissione.

§. 14. IV. In receptione novitiarum non tam quantitas dotis, quam virtus admittendae respiciatur, ne paulatim aliqua cupiditas irrepat, et videatur major respectus haberi ad eleemosynae quantitatem quam ad personae probitatem, quae praecipue est attendenda. Ipsis igitur semper ante oculos obversetur paupertas, quam in omnibus rebus profitentur, pro certo habentes, quod non tantum eleemosynae eas alere debent, quantum fides, et perfectio, ac spes in solo Deo reposita, et saepe legatur haec constitutio monialibus, et ab ipsis studiosissime, ac per diligenter observetur.

De suffragiis obtinendis pro admissione novitiarum.

§. 15. V. Nequeant praelati aliquam admittere ad habitum, vel professionem absque suffragiis majoris partis capituli conventualis: ac nullimode admittere valeant quascumque moniales alterius ordinis, licet sint ex illis, quae sequuntur regulam mitigatam ejusdem religionis de monte Carmelo. Pater provincialis non impartiatur licentiam pro admissione ad habitum, nisi de dote admittendae debite prius caveatur. Absque generalis definitorii licentia duae, vel plures sorores germanae, nec genitrix cujuscumque monialis in idem monasterium valeant admitti; si vero tres sorores germanae, vel genitrix, et filiae admitterentur,

duae primae in ingressu usque dum altera deficiat, vocem habebunt.

De examine novitiarum ab episcopo, vel vicario faciendo.

§. 16. VI. Mandamus, ut admissio novitiarum tum ad habitum, tum ad professionem fiat per suffragia secreta majoris partis capituli, quae suffragia ferantur per calculos albi, et nigri coloris, et ante professionem primo ab episcopo, vel ejus vicario, aut a quacumque alia persona per eos deputanda, ad tramites decretorum sacrosancti concilii Tridentini hujusmodi novitiarum voluntas inspiciatur, et examinetur.

De qualitatibus monialium conversarum, et de numero earum.

§. 17. VII. Moniales conversae recipiendae trinum non excedant numerum, et hae corpore robusto sint, et vehementer cupiant Deo inservire. Per annum permaneant in monasterio absque habitu religionis ad hoc, ut melius internoscatur, an sint paratae ad substinenda onera ipsius monasterii. Istis autem velum nigri coloris dari nequeat; ut absoluto integro anno a die receptionis habitus, admittantur ad professionem, et victus, ac vestitus ipsis aeque, ac caeteris charitative ministretur. Cum vero conversae admittendae erunt, non recipiantur nisi per secreta suffragia majoris vocalium partis; et si eo anno decurrente, quo habitum religionis non deferunt, essent ejiciendae, hoc etiam fieri debet per secreta suffragia, prout moris est quoad novitias: si autem anno elapso, aut infra illum vigore praeviae dispensationis alioquin conversa sacro habitu vestienda esset, etiam ad hunc admittatur oportet per secreta suffragia majoris partis, et deinde post sex, et post decem menses aeque, ac caeterae approbari debet.

Idem ut supra.

§. 18. VIII. In receptione novitiarum inspiciatur exacte salus, ingenium, et intelligentia earum, et an sperari possit ab illis, ut observantiae regularis onera facile valeant substinere. Cum autem post emissam professionem infirmis, et debilibus remedium absque magna difficultate nequeat afferri; hinc per annum earum probationis, hoc accurate animadvertatur, et nisi videantur tales, ut ab ipsis sperari possit incrementum, et utilitas religionis, ad professionem minime admittantur. Super quo priorissae, et magistrae novitiarum, caeterarumque monialium monasterii conscientiam oneramus.

De arbitrio genitorum, ac parentum visitandi, et interrogandi novitias, et professas.

§. 19. IX. Novitias aeque ac caeteras professas visitare poterunt genitores; ac parentes ad hoc, ut si aliquam experiantur molestiam, perturbationem, aut moestitiam facilius dignoscatur, quum in monasterio non debeant istae per vim a monialibus detineri, sed de earum pleno consensu, et voluntate; hinc nolentibus perseverare in religione, libera sit facultas, et licentia aperiendi, et significandi, cui decet proprii animi sensum.

De exclusione novitiarum semel ejectarum ab aliquo ex monasteriis ordinis.

§. 20. X. Novitia semel ejecta ab aliquo ex monasteriis nostrarum monialium in nullo ex illis excipiatur, nisi de voto, et consensu duarum partium suffragiorum monasterii, a quo, et majoris partis monasterii, ad quod ipsa transire intendit, et de licentia patris nostri generalis; causa ejus egressus bene perpensa: et nunquam admittatur in monasterio, ubi primo moram traxit, nisi constare faciat ex inde egressam fuisse ob infirmitatem, et non alia de causa, et tunc de licentia patris nostri generalis (quem oneramus, ut negotium bene discutiat) poterit in eodem monasterio rursus admitti, dummodo omnino convaluerit.

De numero monialium in quolibet monasterio.

§. 21. XI. Cum sancta Tridentina synodus praecipiat, ut in quolibet monasterio excipiantur plures moniales, quas alere possit, pro viribus redituum, et eleemosynarum, quas habeat, ad hoc ut in hujusmodi monasteriis cum majori tranquillitate, et minori rerum sollicitudine temporalium vivatur, mandamus ne in ullo monasterio moniales vigesimum excedant numerum, computatis etiam tribus conversis; nisi fortasse aliqua se praesentet, quae vim habeat singularis virtutis, et ferroris spiritus, quae si ab universo capitulo (nemine discrepante) fuerit per secreta suffragia approbata, superaddi poterit numero praefinito, ita tamen, ut oneri non sit monasterio, et secum ferat necessarium dotalitium. In nullo autem monasterio moniales numerum vigesimum primum excedant. Ac declaratur quod in receptione vigesimae primae omnia accedant suffragia; in reliquis enim approbationibus satis erit, quod habeat aeque ac caeterae majorem suffragiorum partem; neque recipi poterit vigesima prima nisi pleno numero monialium choro addictarum.

Declarationes speciales

§. 22. XII. Ut omnis removeatur dubitandi occasio, a quanam moniali incipiat numerus vigesimus primus, declaramus, quod hae viginti, et una non sunt omnes eae moniales, quae completo numero vigesimo ingrediuntur, sed prima tantum, quae supra numerum viginti recepta fuit, et usque dum haec e vivis

decedat) (vel alia de causa ex illis a jure permissis a monasterio discedat) non intelligatur vacasse vigesimam primam: ipsa autem obeunte; vel discedente (prout dictum est) quae in sui locum excipietur; haec rursus tamquam vigesima prima excipitur, ne pro sui admissione cunctis indiget suffragiis, quod successive intelligendum est de caeteris in ejus locum intrantibus; reliquae autem omnes, hac excepta, et illae, quae ipsi in ejus loco succedent, licet excipiantur expleto jam numero vigesimo, non sunt reputandae, tamquam vigesima prima, ad hoc, ut ingredi debeant omnibus suffragiis, sed habenda sunt tamquam loca ordinaria, pro quibus sufficit habere majorem suffragiorum partem. In illis autem monasteriis, in quibus nunquam completus est numerus viginti, et unius monialium, ea habeatur pro vigesima prima, quae primo in hunc numerum ingredietur, et post ejus obitum, vel egressum a monasterio, quae in ejus locum suffecta fuerit, et sic de reliquis eidem succedentibus, prout jam dictum est.

De eligendis in locum earum, quae in alio monasterio recipiuntur.

§. 23. XIII. Si intercedente aliqua ex justis causis a jure, et nostris constitutionibus permissis contigerit, quod aliqua monialis de uno transeat ad aliud monasterium, ut ibi ad vitam, vel saltem per decem annorum spatium permaneat, monasterium a quo discedet, poterit in ejus locum aliam monialem recipere. Cum aliqua monialis causis concurrentibus a jure dispositis transfertur ad aliud monasterium huic annui redditus dotis ejusdem monialis exsolvantur, dummodo in monasterii, ad quod transfertur, priorissam non eligatur.

Declaratio specialis.

§. 24. XIV. Volumus, quod in monasteriis nostrarum monialium, usque dum illa habeant redditus sufficientes pro substentatione monialium in suprarelato numero viginti unius, haberi nequeant, nec recipi possint ultra quatuordecim moniales, dummodo non admittatur ad habitum aliqua novitia, quae secum trahat sufficiens dotalitium pro majoris numeri substentatione. Nec pater provincialis, nec mater priorissa secus se gerere possint sub poena privationis ab officiis.

De propositione novitiarum facienda in capitulo generali ante professionem novitiarum

§. 25. XV. Antequam novitiae professionem emittant, bis a priorissa, vel ab illa, quae praesidis munere fungetur (consulta tamen prius novitiarum magistra), proponantur capitulo conventuali, ad hoc ut earum vitam, et mores perpendant, et an dignae sint, quae ad professionem, et ad monialium unitatem admittantur. Propositio autem hujusmodi pro prima vice fiat in sexto mense probationis, et decimo completo pro secunda vice, et singulis vicibus approbentur, vel reprobentur a majori parte per secreta suffragia. Et quatenus suffragia tam alba, quam nigra reperirentur paria, intelligatur reprobata, et exinde ejiciatur a monasterio, ubi habeatur liber, in quo notentur approbationes, sive reprobationes, quae fiunt novitiarum. Liber autem iste in arca, seu capsa trium clavium inclusus retineatur. In hisce approbationibus praecipue, et primo commune bonum attendatur, seposito quocumque non bene fundatae pietatis sensu, qui communitati magnum solet afferre detrimentum; si vero in hisce rebus incuria intervenerit, oneramus patrem provincialem, ut incuriam hujusmodi rigide corrigat.

De poenis contra cooperantes ad clausurae violationem

§. 26. XVI. Cum soleant nonnullae desiderio percitae religiosum institutum amplectendi, fraudulenter monasteria ingredi, quin praecedat necessaria praelati licentia, volumus, quod praeter alias ecclesiasticas poenas contra cooperantes ad clausurae violationem statutas, si sub-priorissa continuo non ejecerit a monasterio illam, quae ita ingrediatur, eamque inibi intus dormire permittat, per annum ab officio suspensa remaneat; ostiaria autem, cujus culpa illa ingressa est, etiam per annum voce activa, et passiva careat, et sic ingressa ad propriam domum reducatur, nec absque licentia expressa patris provincialis, qui certior fieri debet de eo, quod evenerit, admitti queat.

De dote, et aliis rebus novitiarum

§. 27. XVII. Juxta legem, et praescriptum concilii Tridentini stricte prohibemus, ne alla superiorissa recipere possit dotalitium novitiae, nec aliquam ejus partem mutui, aut alio titulo, nec disponere de ejus vestibus, aliisque rebus, quas secum traxerit, antequam ipsa professionem emittat, ad hoc ut tali methodo major adsit libertas ad eam expellendam, quatenus qualitatibus requisitis munita minime dignoscatur. Sequuta autem ejus professione, haec omnia in utilitatem monasterii cedant, et convertantur. Pater provincialis solertissime curet observantiam hujus constitutionis, et puniat pro modo culpae ejus transgressionem, super quibus conscientiam suam oneramus.

De professione emittenda in capitulo

§. 28. XVIII. Professio emittatur in capitulo, non autem in loquutorio ad crates in ma-

nibus praelatae, praesentibus tantummodo monasterii monialibus.

De loco pro novitiatu in singulis monasteriis eligendo.

§. 29. XIX. In singulis monasteriis sit locus pro novitiatu omnino segregatus cum cancello, ostio, et clave, et nocte ostio, et cancello hujusmodi clausis, magistra novitiarum, vel coadjutrix eamdem clavem apud se retineat, quae clavis deficientibus novitiis, in arca una cum aliis asservabitur, et novitiatus occlusus, vel apertus remaneat, prout expediens videatur praelatae.

CAP. III.

De clausura, et colloquiis habendis cum monialibus.

De clausura.

§. 30. I. Servent nostrae moniales perpetuam clausuram juxta sacrorum canonum dispositionem: poterunt autem de licentia patris nostri generalis, et definitorum, aliisque de jure servatis, egredi ad fundanda nova monasteria, et de hujusmodi licentia poterunt deinde ad prima sua monasteria redire.

Idem ut supra.

§. 31. II. Cum neque nostrae moniales juxta sanctiones concilii Tridentini, motusque proprios summorum pontificum, praesertim felicis recordationis Pii pp. V. e clausura egredi stricte prohibemus sub poenis, et censuris in supradictis decretis, et constitutionibus apostolicis contentis, et expressis, ne ulla monialis egredi possit e clausura ob quamcumque causam, etiamsi agatur de ingressu ad ecclesiam pro illius altaribus exornandis, et de exitu ad vestibulum pro claudenda illius janua: ideoque habeant sacristam, qui earum mereatur fiduciam, nec non mandatariam famulam virtute, et honestate praeditam, et uterque moretur extra vestibulum, et atrium monasterii, claudatque ejus, et ecclesiae januas competentibus munitas seris.

De custodia clavium.

§. 32. III. Claves januarum monasterii, et cratium, seu cancellorum chori, et loquutorii, uti etiam clavicula loci sacrae synaxi administrandae designati sint semper penes matrem priorissam. Cumque ingredi debebunt clausuram confessarius, medicus, aut chirurgus, vel aliae personae, quae in casibus necessitatis, et inevitabilibus ingredi possunt, juxta hasce constitutiones, hos semper comitentur duae moniales tamquam auscultatrices constitutae, nec ab illis recedant usque dum egrediantur. Cumque aliquis monasterium ingrediatur tintinnabulo signum detur ad hoc, ut moniales intelligant adesse intus in monasterio aliquam extraneam personam, et se in cellulas restituant. Duae erunt claves claustri januae, totidemque serae diversimode elaboratae, quarum una a matre priorissa, et altera ab ostiaria custodiatur, et quoties contigerit aperiri, duae moniales aperiant, unaquaeque cum sua clavi, et simili modo claudant, quin una clavem alteri tradat: et illa, quae secum trahet clavem matris priorissae (si in aliquo casu eam tradiderit) propria manu hujusmodi clavem priorissae continuo reddat. Omnes vero claves clausurae singulis noctibus ad matrem priorissam afferantur, propterquam una ex duabus clavibus portae monasterii, quam retinere debet penes se rotae assidens ministra; et auscultatrices, remanentibus extraneis in monasterio nullimode recedere ab illis poterunt; itaut possint invicem intueri sub poena privationis veli per mensem, et privationis ab officio, quoad praelatam etiam per mensem, dummodo pater provincialis non judicet adaugendam, vel diminuendam poenam esse pro modo culpae. Si vero, ut hoc perfectius observetur necesse esset, unam, vel duas alias auscultatrices a matre priorissa designari ad hujusmodi accessionem omnino deveniat.

De confessione infirmarum coram auscultatrice facienda.

§. 33. IV. Quoties aliqua monialis infirma sacramentaliter confiteri debebit, altera ex auscultatricibus prope illam consistat, quin audiat quid in confessione dicitur, intueri tamen possit confitentem, et confessarium, cum quo solo nulla ex monialibus, infirmis exceptis, alloqui poterit, nec etiam cum ejus socio, et conscientias earum oneramus, ut recte cum ducant, et nullimode cum ipso permaneant.

Idem ut supra.

§. 34. V. Confessarii nequam monasteria ingrediantur, nisi ad excipiendas sacramentales confessiones monialium male se habentium, quando de medici consilio constiterit necessitas, et ad administranda eisdem sacramenta Eucharistiae, tum extremae unctionis tempore opportuno. Et si infirma post sacramentorum susceptionem aliqua perplexitate agitatur, confessarius poterit eam adire reconciliandam, et eidem in extremis laboranti adesse; si vero aliqua infirma longo tempore decumberet, et nullimode ad locum pro confessionibus excipiendis designatum se conferre possit, tunc confessarius poterit confitendam adire, licet periculum mortis eidem non immineat.

De exclusione extraneorum a monasterio, et de poenis contra violatores clausurae.

§. 35. VI. Animadvertant serio praelati vetitum esse ex decreto concilii Tridentini, et constitutionibus felicis recordationis Gregorii pp. XIII. sub poena excommunicationis majoris latae sententiae, ne aliqua persona cujuscumque status, aetatis, et qualitatis etiamsi praelatus, aut superior, monasteria monialium ingrediatur, nisi intercedente necessaria, et urgenti causa, ac de licentia praelati in scriptis tradenda, et curent, ut hujusmodi decreta, et constitutiones apostolicae omnino observentur; nec decernant aliam esse causam necessariam, et urgentem, praeter eam, in qua moniales per se non possent operam suam impendere, nisi adjumento extraneorum ob aliquam inaluctabilem necessitatem, vel ob aliquod periculum, quod immineat, vel in introductione aliquarum rerum ad monasterii usum, et servitium, quae sint adeo magni ponderis, ut moniales non obstante alterno, et mutuo subsidio sibi praestito eas nequeant asportare, sicuti etiam ubi agatur de aedificiis, vel reparationibus monasterii, tunc enim ingredi poterunt caementarii, et operarii, ac ministri ad aedificandum necessarii: et idem servari debet quoad medicum, chirurgum, aliosque hujus generis. Nulli autem personae utriusque sexus, cujuscumque conditionis, ac aetatis permittatur, quod sub praetextu, seu colore introducendi aliquid, scilicet ligna, vel aliud (licet aliquis famulus necessario ingredi deberet ad rem hujusmodi asportandam) clausuram ingrediatur, sub poena quoad priorissam, quae id permitteret, suspensionis ab officio per sex menses; si vero contingeret, quod aliqua persona ingrederetur absque necessitate, vel ex necessitate palliata, ut supra, illico, et immediate superiorissa, et ostiaria eam ejiciant, neque ipsi permittant ingredi interiorem monasterii partem. Nulli pariter personae, licet qualificatae, et obsequio dignae permittatur colloquia habere, etiamsi per modicum tempus foerit, in claustri janua, sub poena suspensionis ab officio per mensem, quoad priorissam, quae partem in hoc habuerit, et privationis veli etiam per mensem quoad moniales rotae assidentes; quo vero ad illam, quae loqueretur, vel delinqueret sub poena privationis veli per duos menses. In aperienda claustri janua omnis possibilis cauthela adhibeatur, et nunquam aperiatur pro rebus, quae ingredi, vel egredi possunt per rotam; cumque pro introducendis rebus, praecise, et indispensabiliter necessariis sit aperienda, accedant diligenter auscultatrices, hisque simul adstantibus, et non aliter ostia aperiantur: ultra vero dictam claustri januam nec pro fabrica, nec pro hortalitio; nec ad aliquem finem; denique nec pueri cujuscumque aetatis, vel sexus in monialium clausuram introducantur.

Idem ut supra.

§. 36. VII. Injungimus praelatis, (salvo tamen jure, quod ex dispositione concilii Tridentini, et constitutionum apostolicarum super clausura competit dominis ordinariis, quod rite servare debemus) ne monialium monasteria ingrediantur, nisi omnimoda necessitate; pro rebus scilicet iis, quae in loquutorio, vel loco pro confessionibus excipiendis peragi, vel tractari nequeunt. Et insuper declaramus, pro ingredienda clausura haud justam praebere causam exhortationes, vel spiritualia colloquia, quae neque, ac capitulum culparum visitationis habebuntur in loquutorio, vel ad cratem chori: si vero praelatus praeciperet aliquam disciplinam, commendabit praelatae, quod intus eam applicet; intercedente autem aliqua justa causa ex illis ab hisce constitutionibus permissis, si oporteret ipsum ingredi clausuram, vel dum in fine visitationis ingreditur ad visitandum, et recognoscendum monasterium; secum semper ducat socium provectae aetatis, et probatae vitae, qui ab eo toto tempore suae inibi permanentiae non recedat; electiones autem ab ipso fiant in loquutorio, vel ad cratem chori, quin hac de causa clausuram ingrediatur, prout sacra Tridentina synodus praecipit, et superius est dispositum. Nullus religiosus, praelatus, vel subditus comedere poterit in monasteriis nostrarum monialium, nec intra illa (scilicet) in ecclesia, sacrario, monasterii vestibulo, seu janua, loquutoria, vel in quacumque alia ejusdem monasterii parte. Et hoc etiam omnibus a religione extraneis vetitum volumus, quibus nequeant moniales cibos praebere in aliqua ex dictis partibus. In hospitiis autem, quae habent moniales nostrae, nequeant inibi ullum a religione extraneum, nec virum, nec mulierem accipere, nec illis cibum ministrare; liceat nihilominus eisdem per unum diem, vel per biduum mittere cibum pro genitoribus, vel parentibus alicujus monialis, vel pro aliquo magno benefactore ad diversorium, in quo degunt. Id autem quoad religiosos, praecipimus

sub poena suspensionis ab officio per mensem, si praelatus; subditis vero sub poena gravis culpae per duos dies, et quoad moniales injungimus scilicet praelatae sub eadem poena suspensionis ab officio per mensem, et rotae praesidi sub poena privationis veli per idem tempus.

De allocutionibus habendis cum extraneis.

§. 37. VIII. Quoties monialibus nostris sit aliquid tractandum cum persona extranea, hoc fiat ad cratem loquutorii cum auscultatrice, quae inibi adsit, quin recedat, quaeque assideat oportet, ubi quidquid loquatur, valeat audire, nec in hujusmodi visitatione loqui possit, et hoc irremissibiliter servetur, licet in visitatione duae, vel plures moniales sermonem habeant, et semper moniales nostrae loquantur clauso velo, vulgo dicto *vastidor*, dummodo sermo non sit cum genitoribus, vel fratribus, vel in aliquo casu, in quo aeque ac in hisce justum videatur ex aliqua necessaria, rationi consona causa, et cum illis personis tantummodo, quae magis ad eas coadjuvandas in earum bonis exercitiis orationis, et in spiritualibus consolationibus, quam ipsarum recreationi inserviant: et hoc de licentia provincialis in scriptis. Poterunt etiam aperire velum coram actualibus definitoribus generalibus, moderatore provinciae, et definitoribus provincialibus, nec non ex definitore generali, et ex provinciali ejusdem provinciae, uti etiam priore actuali conventus illius loci, in quo monasterium consistit, vel ad cujus districtum pertineat, et subpriori districtus, dum praeses sit conventus, neque mercari possint per crates ecclesiae in locis pro confessionibus excipiendis praefixis, vel in janua claustri, et ad rotas plerumque non accedant, nisi illae, quae rotae assident. Totum id studiosissime injungimus patribus provincialibus, ut servare faciant, exequendo irremissibiliter poenam in contravenientes; quae sit suspensionis ab officio per octo dies pro qualibet vice quoad praelatam, quo vero ad monialem privationis veli per simile tempus.

De exclusione confabulationum tempore actorum communitativorum.

§. 38. IX. Non admittantur, neque excipiantur visitationes tempore cujuslibet actus communitatis, excepta justa causa quoad priorissam, et aliquo urgenti casu quoad reliquas, etiamsi adeuntes sint religiosi nostri, neque cum his loquantur diebus communionis, nisi de aliqua necessaria re, et per breve temporis spatium; similiter diebus, in quibus sacra sumitur synaxis, ut moniales vacare valeant gratiarum actioni pro tanto beneficio, non admittantur visitationes; nisi genitorum, vel fratrum, et sororum, qui aliunde veniant, et continuo debeant proficisci; si vero in hoc pater provincialis, aut visitator repererit defectum, illum corrigat pro modo culpae.

De brevitate in colloquiis servanda.

§. 39. X. Caveant summopere moniales a colloquiis prolixis etiam cum genitoribus, et consanguineis, quia praeter quam quod hujusmodi negotia multum animo adhaerent, ac in eo multum perdurant, difficillimum erit, quin cum illis prolixe loquendo, aliquid saeculi immisceant, et plerumque minus quam fieri possit cum extraneis, et cum parentibus, et affinibus, licet proximioribus sit, eis sermo (dummodo colloquia hujusmodi divina non respiciant) cumque illos alloquantur in casibus permissis, prout dictum est, brevissime se expediant.

De negociis saecularibus non pertractandis.

§. 40. XI. Moniales nostrae neque tractent, neque curent de negociis saecularibus, semperque satagant, ut ex earum verbis fructus trahatur, et tempus minime teratur in visitationibus illis, quae juxta nostras constitutiones, utique permittuntur, et super hoc accurate invigilet ausculatrix, et dignoscens hoc, prout juris est, minime observari, certiorem reddat priorissam, idque omittens, eamdem poenam incurrat aeque ac illa, quae in hujusmodi incidet culpam; poena autem sit novem dierum secessus in propria cella, omni prohibito egressu, nisi ad actus communitatis, excepta recreatione, et tertia die illi applicent disciplinam in refectorio: vehementer enim interest religioni, quod hoc summopere curetur.

De exclusione regularium a loquutoriis, rotis, et cancellis monasterii.

§. 41. XII. Prohibemus ne praelatae, sicut et caeterae moniales ullimode excipiant in monasterii loquutoriis, rotis, et cancellis, seu cratibus quemcumque regularem etiam nostri ordinis, nec sinant eos venire ad loquendum cum ipsis absque licentia patris provincialis earumdem monialium, qui licentiam hujusmodi elargiatur, accedente justa, et rationabili causa, et in scriptis, sub poena gravioris culpae. Cum illis tamen moniales in casibus a nostris constitutionibus permissis colloqui poterunt.

Idem ut supra.

§. 42. XIII. Cum in nostrae congregationis constitutionibus vetitum sit religiosis nostris adire monialium nostrarum monasteria iis in locis, ubi conventus fratrum nostrorum

consistunt, ad hoc, ut id perfectius observetur, mandamus cunctis nostris monialibus, tam praelatis, quam subditis, ne dictos religiosos sine licentia in scriptis patris provincialis admittant, et cum illis loquantur, sub poena suspensionis ab officio per mensem quoad praelatam, quae in hujusmodi incidat transgressionem, quo vero ad ostiariam, et sacrarii cujusdam ministram, quae cum illis se detineant, sub poena privationis vuii per simile tempus: si autem plures fuerint transgressiones, hujusmodi poenae ipsis adaugeantur, praecipimusque patribus provincialibus, ut hoc rigido perpendant, et quatenus reperiant, sive dignoscant in hoc defici, dictas imponant poenas. In hac vero constitutione comprehensos minime volumus religiosos, qui, ut supra dictum est sub numero octavo, colloqui valent cum eisdem monialibus velum non ferentibus, uti etiam earumdem confessarios actuales.

CAP. IV.

De horis canonicis, oratione mentali, examine conscientiae, et disciplina.

De celebratione divini officii.

§. 43. I. Divinum officium celebrabitur juxta sanctiones nostrae congregationis, attente, ac devote, et cum pausa majori, vel minori pro varietate festorum, et quidquid cum cantu peragitur, moniales canant, ut moris est in ordine.

De venientibus ad chorum incohato officio.

§. 44. II. Incohato officio, nulla sine licentia choro egrediatur, quaeque illum ingreditur genuflexa remaneat usque dum eidem signum detur, et dato signo osculetur terram, et surgat, et pariformiter se gerat in capitulo, et refectorio.

De matutini recitatione.

§. 45. III. Matutinum omni tempore semper hora tertia ante mediam noctem, nec ante, nec post dicatur, exceptis nocte Nativitatis Dominicae, tunc scilicet matutinum canatur hora opportuna, ad hoc ut media nocte missa, ut subinde laudes canantur; die festo Paschatis Resurrectionis, in quo hora tertia post mediam noctem; tota octava corporis Christi, in qua horis pomeridianis post orationem, et completorium, prout in more positum est in universa religione, respective persolvetur, et idem fiat per triduum majoris hebdomadae, non tamen quoad orationem mentalem, quae hisce tribus diebus non habetur horis pomeridianis, cum officia inchoantur hora quinta in puncto post meridiem, ac in pervigilio solemnitatis corporis Christi per dimidium horae oratio habeatur. Matutina vero nocte Nativitatis Dominicae, tribus diebus tenebrarum, primis diebus Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, et in solemnitate corporis Christi cum cantu sunt explenda, at hac die laudes recitabuntur, reassumpta cantu a capitulo usque ad finem. In die Ascensionis, et per totam octavam corporis Christi, et in Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, et Assumptionis beatae Mariae virginis, ac sancti Alberti, sancti Josephi, et nostrae sanctae matris Theresiae, beatae Mariae virginis de Monte Carmelo, patris nostri sancti Eliae, ac sancti Joannis Baptistae, et titularis ecclesiae monasterii festivitatibus, solemniter canatur invitatorium *Te Deum*, et a capitulo usque ad finem. In reliquis autem anni festivitatibus canatur saltem — *Te Deum laudamus* —.

De hora prima, tertia, sexta, et nona.

§. 46. IV. Prima, tertia, sexta, nona omni tempore recitentur immediate absoluta hora orationis mentalis matutinae, et omnes consecutive dicantur, nisi ex justis causis praelatae expediens videatur, quod una, vel duae ex illis linquantur absolvendae ante missam majorem, ita tamen ut expletae sint prius quam missa hujusmodi incohetur; hora solita canatur prima in pervigilio nativitatis Dominicae, et tertia in die festo Pentecostes, nona autem in die Ascensionis.

De vesperis.

§. 47. V. Vesperae dicantur omni tempore hora secunda pomeridiana, exceptis diebus jejunii quadragesimalis, videlicet a sabbatho ante dominicam primam, usque ad sabbathum majoris hebdomadae inclusive, in quibus dicuntur ante prandium primae, et secundae vesperae festorum primae classis ecclesiae universalis, et religionis (die dedicationis ecclesiae excepto) cum cantu persolvi debent, uti etiam in die sanctissimae Trinitatis, et Circumcisionis Dominicae, ac sancti Jacobi apostoli, et insuper hisce diebus antiphona Dominae nostrae, cum qua vesperae absolvuntur, cum cantu dicatur. Primae autem vesperae in festo solummodo secundae classis cum universa ecclesiae, tam religionis canantur, in reliquis vero anni diebus, etiam dominicis, et festis de praecepto ecclesiae semper recitentur.

De completorio.

§. 48. VI. Completorium omni tempore prope horam recreationis recitabitur, et pari-

ter omni tempore post completorium canatur antiphona Dominae nostrae exceptis festis simplicibus, et ferialibus diebus. Completorio autem absoluto, ad praescriptum regulae, silentium servabitur usque post expletam primam diei sequentis.

De missa conventuali.

§. 49. VII. Singulis dominicis, et festis de praecepto ecclesiae, dummodo sint classici, ac beatae Mariae virginis, sancti Josephi, et sanctorum primae, et secundae classis ordinis nostri, missa conventualis dicatur cum cantu, reliquis autem diebus legatur, et hujusmodi missae omnes religiosae, quae legitime non fuerint impeditae, intersint; eaque hyemali tempore dicatur hora tertia ante meridiem, et hora quarta tempore aestivo.

De licentia obtinenda pro abstinentia a choro.

§. 50. VIII. Religiosae absque licentia, et legitima causa choro minime desint: si quae autem monialis sero chorum ingrediatur, se prosternet, et ita persistat usque dum ab illa, quae praesidis munere fungitur, ei praecipiatur, quod surgat; in egressu autem a choro singulae proprio muneri incumbant.

De oratione mentali.

§. 51. IX. A die Paschatis Resurrectionis Dominicae usque ad festum exaltationis sanctae Crucis moniales hora quinta a media nocte surgant, et usque ad sextam per horam orationi mentali communiter vacent; a festo autem Exaltationis sanctae Crucis hora sexta a media nocte excursa surgant, et usque ad septimam orationi mentali per horam vacabunt; qua expleta, ut supra dictum est, quatuor horae minores persolvantur.

Idem ut supra.

§. 52. X. Ab hora quinta usque ad sextam vespertinam quocumque tempore per aliam horam moniales in communi orationi mentali vacent, et tam oratio hujusmodi matutina, quam vespertina incohetur ab antiphona *Veni Sancte Spiritus* cum sua oratione, et aliquod perlegatur punctum, quod mediationi praebeat materiam, et hora praetergressa, dicatur, prout moris est antiphona *Sub tuum praesidium* cum oratione *Protege Domine*. Rotae autem ministra ab hora quarta ad quintam pomeridianam orationi vacabit.

Idem ut supra.

§. 53. XI. Cum nequiverint officiis addictae, vel alia quaelibet monialis occupatione detenta, hora statuta se conferre ad orationi vacandum: hora minus occupata id expleant. Hoc tandem intelligatur oportet, dum per totam horam, vel majorem illius partem orationi vacare non valerent.

De examine conscientiae

§. 54. XII. Moniales pro quolibet die, praevio tintinnabuli sonitu per dimidium horae quadrantem peragant examen conscientiae. Primum examen fiat paulo ante prandium, et convenientes omnes in choro examinabunt defectus etiam tunc perpetratos, et constituent, prout de illis emandari; atque facilius hoc a Domino obtineant, dicant semel orationem Dominicam, et salutationem angelicam. Quae autem ob aliquam praecisam occupationem explere nequiverit hoc examen in choro cum reliquis, illud peragat ubicumque commorari contingat. Absoluto matutino, aliud agatur examen per idem temporis spatium, quo expleto, monialis, cui electionis onus incumbit, vernaculo idiomate leget aliquod punctum mysterii, super quo die sequenti meditandum est, et talis quoad tempus ad haec omnia insumendum modus servetur, ut hora undecima circiter signum detur, et moniales singulae ad quiescendum sese recipiant.

De lectione spirituali.

§. 55. XIII. Vacent moniales lectioni spirituali a vesperis absolutis usque ad horam tertiam, ita ut in illa, et in vesperis, vel solemnibus, vel lectis una hora insumatur: diebus autem jejunii quadragesimalis hujusmodi lectio perduret saltem per dimidium horae infra secundam, et tertiam pomeridianam totum hoc tempus insumendo; si vero spiritum, vel animum haberent per temporis effluxum orationi vacandi, fiat quod magis expedire videatur ad spiritus recollectionem, et animarum profectum.

De libris spiritualibus habendis in monasterio.

§. 56. XIV. Caret summopere praelata, ne in monasterio deficiant libri spirituales, videlicet Carthusiani, Albus sanctorum, Contemptus mundi, opera p. fr. Aloysii de Granada, p. f. Petri de Alcantara, patris Avila, et praesertim illa nostrae matris Theresiae a Jesu, et alia hujus generis; haec enim lectio aequa, ac cibus corporalis pro corporis conservatione necessaria est ad spiritum fovendum.

De disciplina, aliisque poenitentiae exercitiis.

§. 57. XV. Moniales in singulis feriis sextis, dummodo in eis non incidat pervigilium nativitatis Dominicae, nativitas ipsa, et tres sequentes dies, Circumcisio, et Epiphania, in communi sibi applicent disciplinam, et hoc poenitentiae exercitium, si cadat in dies solemniores praeponere illud poterunt, vel postponere die immediate antecedenti, et sequenti. Dictum poenitentiae exercitium per psalmum *Miserere mei* perdurabit, et in fine dicatur an-

tiphona *Christus factus est pro nobis*, ac orationes — *Respice quaesumus Domine etc. Protege Domine famulos tuos etc.*, et oratio pro rege — *Quaesumus omnipotens Deus, ut famulus tuus rex noster etc.* Tribus tenebrarum diebus hujusmodi exercitium per tres *Miserere*, unum cum cantu, et reliquos sine cantu protrahatur, et semper agatur in choro post matutinum, exceptis diebus tenebrarum, in quibus, si expleri debent in choro, primo ejiciatur populus ab ecclesia, et janua claudatur: feria autem quinta in coena Domini applicatio disciplinae fiat in capitulo. Hujus poenitentiae exercitium fiat pro propagatione sanctae catholicae fidei, et felici statu Ecclesiae, nec non pro rege catholico D. Carolo, ejusque successoribus, pro benefactoribus, animabus Christifidelium defunctorum, pro afflictis, et captivis, et pro illis, qui in peccato lethali vivunt.

De poenitentiis extraordinariis.

§. 58. XVI. Nulla monialis hac, seu alia qualibet peculiari poenitentia extra ordinem se se afficiat absque licentia praelatae.

CAP. V.

De confessariis, et cappellanis, ac de sacra communione.

De confessariis.

§. 59. I. Praecipimus patribus provincialibus, ut abunde moniales provideant confessariis ad praescriptum concilii Tridentini; et in locis, in quibus conventus religiosorum nostri ordinis consistunt, se conferant hi bis, et non ultra in qualibet hebdomada ad illarum confessiones excipiendas, et ubi conventus desunt, patres provinciales illis confessarios comparent, sicuti praescribunt constitutiones ordinis nostri, et nullus nostrae religionis, vel ab illa extraneus, illas in confessione audire possit sine licentia in scriptis nostri p. provincialis.

De electione cappellanorum.

§. 60. II. Cappellani eligendi pro nostris monialibus sint tales oportet, ut multum conferant ad earum profectum; volumus itaque, quod non admittantur in earum monasteriis cappellaniae, nisi apposita in earum institutione speciali clausula, quod scilicet cappellani nominari debeant a patre provinciali, et a matre priorissa, vel saltem quod hujusmodi nominatio sit ab eis approbanda, et non alias, uti etiam quod ipsis liberum sit cappellanos eosdem amovere, et admittere, cum in eis aliquod inconveniens animadvertant, nulla desuper assignata causa, vel ratione; quo vero ad cappellanias jam institutas curandum, ut quoad fieri poterit, attenta earum fundationis lege, ad terminos hujus constitutionis redigantur. Si autem nominatio quoad cappellanias jam institutas spectaret ad matrem priorissam, ad nominationem hanc non poterit ipsa devenire, inconsulto patre provinciali, et sine ejus consensu, ad hoc, ut magis circumspecta, et prudens sit electio. Praelata autem, quae secus se gesserit per sex menses ab officio suspensa remaneat. Et nulla praelata, vel alia monialis conferre valeat dictas cappellanias alicui, ut earum titulo ad ordines promoveatur, nec assentire possit, ut reddantur collativae, sed semper liberum sit praelatis cappellanos hos ad nutum amovere, et praelata, quae secus faciat per sex menses suspensa ab officio remaneat.

De exclusione religiosorum ordinis.

§. 61. III. Ad evitandam occupationem, et distractionem in nostris religiosis se conferendi ad monasteria monialium, ad sacrum peragendum, volumus, quod nullus nostri, vel cujuscumque alterius ordinis alumnus constitui possit earum vicarius, vel cappellanus ordinarius. Poterunt religiosi nostri se conferre ad celebrandas festivitates in ecclesiis nostrarum monialium, tantummodo in corporis Christi, nostrae sanctissimae matris de monte Carmelo, gloriosi nostri patroni, et patriarchae sancti Josephi, nostrae sanctae matris Theresiae, et titularis monasterii earumdem monialium respective solemnitatibus, et diebus, in quibus moniales velantur, et in singulis hisce diebus ii solummodo accedent, qui ad altaris, et pulpiti servitium necessarii comperiantur; quoad conciones in his diebus priorissa de licentia patris provincialis, et certiorato patre priore, poterit aliquando virum gravem extraneum, ut concionem habeat, eligere; at quoties concio habenda sit a religioso ordinis nostri in committendo patris prioris certioratio intercedat. Neque in eisdem diebus praelata, vel alia quaelibet monialis committere concionem intra, vel extra religionem valeat, quatenus eidem aliqui ad id se exhibeant sine expresso consensu patris prioris, aut praesidis conventus, qui mittit hos, vel illos ex religiosis, ut celebrent festum.

De sacra synaxi sumenda a singulis monialibus.

§. 62. IV. Cunctae nostrae moniales generaliter sacram sumant synaxim (nisi legitima impediantur) singulis dominicis, et in Domini

nostri Jesu Christi, ejusque sanctissimae genitricis, ac sancti Josephi, sancti Alberti, sancti titularis monasterii, patris nostri sancti Eliae, nostrae gloriosae matris sanctae Theresiae, festis diebus, nec non in solemnitate corporis Christi, ac feria quinta in coena Domini: et hoc fiat ab omnibus communiter in missa conventuali, dummodo ob infirmitatem, vel indigentiam alicujus monialis dispensatio non intercedat, vel quoad universam communitatem ob rationabilem causam priorissa anticipationem non decernat. Sacra autem sumpta synaxi, saltem per quadrantem horae in choro persistant pro gratiarum actione.

De refectione Eucharistica. §. 63. V. Poterunt etiam eucharistico refici sacramento singulis feriis quintis, si ad hoc spiritus, ot devotio eas alliciat, et quamvis haec communio obligatione careat, nihilominus eas hortamur, ne illam omittant. Cum autem ex neglecto accessu ad magnum hoc sacramentum aeque, ac ex nimio illius usu animae non modica damna obveniant, declaramus, quod occurrentibus per hebdomadam aliquibus ex illis festivitatibus, in quibus, ut supra dictum est, ad eucharisticam mensam moniales accedere debent, vel aliis solemnitatibus, scilicet apostolorum, vel similibus aliis, in hoc casu ex communionibus feriae quintae, vel dominicae omittent illam, quae proximior sit festivitati, in qua sanctam sumunt synaxim, ita ut nullimode plusquam duae habeantur communiones in singulis hebdomadis, et ab una ad aliam saltem duo, vel tres excurrant dies oportet; quo vero ad novitias hae praeter dictas communiones spirituali refici poterunt cibo die ipsa, in qua professionem emittunt, similiter die anniversaria vestitionis, et professionis moniales ad communionem accedere possunt, etiamsi die antecedenti, vel posteriori in communi sacram sumere debeant synaxim, et communio hujusmodi potest ab eisdem transferri cum communitas Eucharistiae sacramentum eisdem diebus sumere debeat.

De licentia obtinenda pro frequenti s. synaxis sumptione. §. 64. VI. Si quae monialis peculiaribus valde gravibus, urgentibusque de causis sacram synaxim sumere deberet pluries, quam bis in hebdomada, ut permissum est, expressum ad id intercedat mandatum, et licentia patris nostri generalis, cui committimus, ut illam valde raro elargiatur.

De confessione facienda a monialibus aegrotantibus. §. 65. VII. Si quae ex monialibus longa infirmitate laboraret, ob quam ad loquutorium, vel ad locum pro confessionibus designatum se nequeat conferre, poterit confessarius, quatenus id exigat infirmitas, aliquoties ingredi ad illius confessionem excipiendam, eique Eucharistiae sacramentum ministrandum, quamvis infirma in mortis periculo constituta minime reperiatur, dummodo hoc non fiat plusquam semel singulis quindecim diebus. Quod si octo, vel decem elapsis diebus, postquam delatum est infirmae sanctissimum Eucharistiae sacramentum, occurrat solemnitas corporis Christi, primi tres dies nativitatis Dominicae, Paschatis Resurrectionis, et Pentecostes, nec non festum sanctissimae nostrae matris de Monte Carmelo, patris nostri sancti Joseph, nostrae sanctae matris, et sancti patris, infirma, vel infirmae hisce diebus rursus eucharistico sacramento refici poterunt, ab hisce eisdem diebus computando quindecim dies pro communione constitutos: absque ulla autem limitatione sacramenta poenitentiae, et eucharistiae caeteris infirmis administrari valeant, dum sacramenta hujusmodi alicui administrentur. Et in hoc, et in quocumque alio casu, et in quo ipse monasterium ingrediatur, semper eum comitentur ambae moniales auscultatrices, ut jam dictum est, et peragat ad cellam infirmae, et ab ea recedat reate, idque praelata servet, et servare faciat perdiligenter sub poena suspensionis ab officio, quoties secus se gesserit.

CAP. VI.

De mensa, benedictione, et gratiarum actione, nec non de recreatione.

De victu monialium. §. 66. I. Victui necessario monialium dum bene valent, et dum infirmitate afficiuntur praelatae prospiciant. Provinciales autem in visitationibus perdiligenter invigilent quoad utrumque, et graviter defectum, vel excessum quem in hoc patrarent praelatae redarguant. Et si hoc non sufficeret, ut corrigantur, certiorem de eo reddant patrem nostrum generalem.

De refectorio communi. §. 67. II. Conveniant nostrae moniales, ut comedant in refectorio communi, quidquid Dominus noster eisdem largietur: et pro viribus cavetur, ut accedant ad primam mensam ad vitandam plurium mensarum confusionem; si autem in hoc defectus occurrat, rigide defectum praelata puniat.

De tempore quo comedatur.

§. 68. III. Diebus jejunio ordinis addictis omni tempore comedent hora ante meridiem, in illis vero, in quibus de praecepto Ecclesiae jejunatur, dimidia hora ante; aestivo autem tempore hora decima, vel undecima arbitrio praelatae comedatur.

Idem ut supra.

§. 69. IV. Tempore prandii, coenae, vel refectiunculae habeatur lectio spiritualis, et in principio prandii paragraphus constitutionum, et continuo liber spiritualis; in sextis autem feriis regulae fiat lectio.

De mortificationibus ante mensam permissis.

§. 70. V. Si priusquam mensa inchoetur, Dominus noster spiritum elargiatur alicui moniali ad peragendam aliquam mortificationem, eam amplexat, petita prius venia, ne amittat spiritum devotionis, qui secum trahit magnos animae fructus; breviter autem hoc fiat, ne lectio praepediatur. Hortamur praelatas, et subditas coram, ut sancta haec mortificationum ordinariarum, et extraordinariarum consuetudo servetur.

De aequalitate in cibis pro omnibus servanda.

§. 71. VI. In refectorio praestantur monialibus, sive sint praelatae, sive subditae aequales cibi, et quoad numerum, et quoad quantitatem, neque ministretur aliquid extraordinarii, vel aliter conditum, nisi peculiaris intercedat necessitas, et de licentia praelatae sub poena gravis culpae tam ministranti, quam accipienti: sub eademque poena idem servandum praecipitur illis, quae comedunt secunda mensa, illique inserviunt, quoniam nulli dandum aliquid aliud, praeter quam quod ministratum est in prima, et similiter conditum; et quae illi praeerit, nequeat licentiam impartiri ad hoc, ut absque licentia praelatae aliquid extraordinarii praebeatur.

De extraordinariis refectionibus extra refectorium permissis.

§. 72. VII. Non sinant praelatae communitatem prandere, coenare, vel refectionem sumere extra refectorium, nisi in aliqua ex praecipuis, vel solemnissimis festivitatibus, idque rarissime, et quae contra fecerit pro modo culpae puniatur. Nulla autem monialis, nec comedere, nec bibere etiam indicam potionem vulgo cocolatam valeat sine licentia, et quae in hanc inciderit transgressionem etiam pro modo culpae puniatur. Hortamurque praelatas, eisque committimus, ne praeter horas refectioni communi statutas aliquid comedendum praestent monialibus; hoc enim multum tam animae, quam corporis prodest saluti.

De querimonia pro cibo et potu non facienda.

§. 73. VIII. Nulla monialis conqueratur de cibo, potuque, nec de qualitate, vel quantitate, nec de condimento: curent autem priorissa, et illa, quae annonae praeest, scilicet obsonatrix, quidquid Deus suppeditat beneparari ad hoc, ut cum illo possint moniales substentari, dum aliud ipsis non suppetit, unde vivant.

De benedictione mensae, et gratiarum actione.

§. 74. IX. Benedictio et gratiarum actio in prandio, coena, vel refectione quocumque tempore recitentur prout adnotatur in fine breviarii; diebus vero jejunio consecratis, gratiarum actio concludatur in refectorio cum psalmo « *Laudate Dominum omnes gentes* », aliisque precibus, et progrediantur ad aulam immediatam, dicendo psalmum « *De profundis*, et absolvatur cum *Requiem aeternam*, et oratione « *Deus veniae largitor*. In illis autem, in quibus non jejunatur, finito prandio, se conferant ad chorum dicendo psalmum *Miserere*, vel illum, qui in ejus locum dici debeat, et inibi expleatur actio gratiarum, et exinde egrediantur recitando psalmum *De profundis*, qui ut supra absolvatur: gratiarum actio post coenam absolvatur in refectorio, et exinde egrediantur in silentio: diebus autem refectionis, in ejus fine dicitur, *Sit nomen Domini benedictum etc.*, et recitata oratione Dominica, ac salutatione angelica, in silentio pariter egrediantur.

De animi recreationibus post prandium, et coenam.

§. 75. X. Exemplis sanctorum patrum, et quotidiana experientia edocemur ad conservandum regularis vitae institutum, valde prodesse, quandoque monialibus aliquam honestam jucunditatem concedi, ut animus fatigatus a poenitentiae angustia relaxetur, et spiritus erigatur, ad reassumenda eo ferventius spiritualia exercitia. Volumus itaque, quod moniales omnes insimul congregatae quotidie, omni tempore, majori hebdomada excepta per unam horam post prandium, et per alteram post coenam, vel refectiunculam recreentur, et hora recreationis meridianae omni tempore, nocturnae autem in hyeme semper aliquid operis faciant. Liberum erit praelatae aestivo tempore horam recreationis meridianae breviare, et quidquid ab illa detrahitur superaddi poterit recreationi nocturnae; hae autem horae metiantur horologio ex arena: si non plus quam una, aut duae novitiae fuerint, recreationem sumant una cum professis, permanendo plerumque prope magistram, excedente autem hoc numero, seorsim cum magistra recreentur; festis primae, et secundae classis exceptis, in quibus ad hoc conveniant una cum communitate.

De confabulationibus monialium.

§. 76. XI. Magnopere decet confabulationes, et colloquia monialium spiritualia, et honesta esse. In recreatione igitur se abstineant a verbis detractoriis, et scurrilibus: dicacia autem verba efficaciter evitentur, nec sinant agi de genere, de patria, nec pertinaciter contendi, hoc enim animae aedificationem minime affert, neque oblectamentum, et illia, quae in hoc deficerent pro prima vice imponatur unius disciplinae applicatio, et secunda, aliisque succedentibus vicibus adaugeatur eisdem pro modu culpae poena, et dum altera loquitur, reliquae sileant, ut confusio praecidatur. Vehementer autem hortamur moniales, quod saltem una vice in singulis hebdomadis consoltatio habeatur spiritualis, in qua agatur de modo acquirendi aliquam virtutem, prout moris est in conventibus religiosorum.

De prohibitione ludorum.

§. 77. XII. Tempore recreationis et multominus extra illud nullimode permittatur aliquis ludus; Dominus enim ipsis dabit quomodo ad invicem pie, et religiose recreari, et consolari possint. Si ita se gesserint, hoc tempus bene feretur, curentque ne ad invicem sibi sint molestae, nugae autem, et verba modesto, et discrete pronuncientur.

De amplexibus, et contrectationibus vitandis.

§. 78. XIII. Nulla monialis aliam amplectatur, nec ejus vultum, et manus contrectet, nec peculiares inter se sint necessitudines, sed ad invicem se diligant, prout Jesus Christus pluries praecepit apostolis, cum enim paucae sint numero, hoc exequi facile poterunt imitando sponsum, qui pro nobis cunctis sacrificatus est, quoniam haec generalis ad invicem dilectio magnum profectum, et utilitatem ipsis affert.

De quiete post recreationem sumendo.

§. 79. XIV. Absoluta recreatione meridiana, omni tempore se se recipiant in cellas, et aestivo tempore per horam quiescere poterunt, quaeque quiescere nollet, se se recipiat, et servet silentium; excursa autem hora recreationis nocturnae, petant chorum ad persolvendum completorium, quo expleto, se se recipiant usque ad matutinum, et ad praescriptum regulae silentium servetur; duabus tamen in quolibet mense vicibus matutinum cum completorio praelatae arbitrio conjungi poterit.

CAP. VII.

De observantia sanctae paupertatis.

De paupertate monialium.

§. 80. I. Cunctae nostrae moniales vivant semper de eleemosynis, ac redditibus, quos sive jure haereditario, sive alio nomine habent. In conventibus autem, qui in oppidis, et locis amplis consistunt, ubi commode substentari possunt cum eleemosynis annui redditus parvi pendantur.

In locis autem, in quibus cum solis eleemosynis substentari nequeunt, sufficientes in communi redditus habere curent. Caeterum nullum sit discrimen inter monasteris sufficientes redditus habentia, et illa, quae redditus non habent.

De exclusione quaestus, non urgente necessitate.

§. 81. II. Ostiatim stips minima quaeratur; quatenus substentari possent, neque quaestus introducatur, nisi urgente gravi necessitate, imo substentari curent labore manuum suarum ad instar sancti Pauli apostoli, Dominus enim famulabus suis coelesti providentia necessaria elargietur, quoniam si moderate alantur, nec quaerant superflua, nihil de necessaria alimonia eisdem poterit deficere; et si totis viribus servire curent, et placere Deo, ipse (qui pater noster coelestis est) ita disponet, ut diurna merces operum manuum suarum, unde substentari possint, eis minime desit.

De rebus retinendis.

§. 82. III. Moniales absque licentia praelati nullimode aliquid in proprietate, et etiam pro usu possideant, neque ipsis licentia concedatur, ut aliquid habeant pro victu, et vestitu, neque ipsis sint arcae etiam parvae, praeter illas solummodo, quae necessariae sint in monasterii officinis, imo inter easdem moniales omnia sint penitus communia, quod valde decet: diabolus enim curat, ut perfectio paupertatis etiam in parvis infrangatur. Diligenter igitur priorissa inquirat, an aliqua monialis peculiaris rei, scilicet librorum, cellae, vel alterius rei studio teneatur, vel illis delectetur, et hoc cognito, statim rem hujusmodi ei auferet; volumusque hoc tam in monasteriis, quibus sunt redditus, quam in illis, quibus non sunt, districtius observari, et hoc superiorissa severe exequatur, neque sinat hanc constitutionem ullimode infringi. Si autem praelatus dignoverit, priorissam hoc negligere, severe eam puniat, et visitationis tempore pater provincialis, vel visitator omnes supellectiles, et quae devotioni inserviunt, quatenus monialibus sint, bene inspiciat, et quidquid reperit superflui, ipsis auferat: denique redditus, vel legata, quibus frui potest aliqua ex monialibus a priorissa, vel clavariis uti reliqua monasterii bona administrentur.

De vetita receptione rerum etiam minimi valoris.

§. 83. IV. Nulla monialis dare, petere, vel admittere rem ullam parvae vel magnae quantitatis possit, sine licentia priorissae, cui ostendatur quidquid monasterio, vel monialibus, etiam titulo eleemosynae affertur, et observantia hujusce constitutionis vehementer cordi sit patri provinciali. Insuper declaramus in nostra religione observantiam in materia paupertatis, circa quam communiter periti viri judicant quid liceat in illa facere in usu semper fuisse, et esse valde rigorosam; huic munera, quae quoad aliquas religiones non important culpam gravem, in nostro ordine important, et importabunt. Cum autem paupertas praelatos aeque, ac subditos adstringat, nequeat aliqua superiorissa praeter victum ordinarium pro monialibus, et cibariam annonam, praeter reparationes necessarias monasterii, ac sacrarii, et vestiarii, et reliquarum officinarum, toto triennii tempore ultra quinquaginta ducatos impendere (in monasterii utilitatem) sine expresso consensu sui capituli, et licentia patris provincialis. Si vero aliquid in eleemosynam impartiri deberet, singulae eleemosynae non excedant duodecim regalium summam sine consensu, et inconsultis clavariis, et si excedere deberet summam quinquaginta regalium cum consensu capituli fieri debet. Nequeat vendi, nec caedi aliqua arbor in hortis, et fundis monialium sine communitatis consensu per secreta suffragia praestando. Sic etiam nequeat praelata sine consensu communitatis eodem modo praestando, et sine licentia patris provincialis pecuniam ad censum, vel ad mutuum sumere, emere, vel vendere bona, nec aliquem censum imponere sub poena suspensionis ab officio per duos menses aliisque a jure statutis. Nec mater priorissa, nec communitates queant mandata procurae dare alicui personae extraneae ad exigendum earum redditus sine consensu patris provincialis, et sine fidejussione, quique quolibet anno vel per se, vel per aliam personam idoneam procuratorem hujusmodi ad redditionem rationis devenire faciat.

De oblationibus, et eleemosynis permissis.

§. 84. V. Oblatio, vel eleemosyna, quam Christifideles monasterio praestabunt, et quidquid ex suis redditibus percipiatur, vel monialibus quomodolibet pertineat, continuo in monasterium introducatur, nec remaneat extra illud aliquid, nec per modum depositi, nec mutui, et confestim deponatur in arca tribus munita clavibus, vel si illa haec omnia minime caperet, in alio loco tuto asservetur, certioratis clavariis, sub poena gravis culpae per tres dies, et exinde coram duabus saltem ex clavariis quidquid ad sumptus sit necessarium educatur, et dabitur procuratrici monasterii, ut id in necessarios eroget sumptus de priorissae mandato, et quidquid ei detur describatur in regesto ad hunc effectum constituto; procuratrix autem in fine cujuslibet hebdomadae, absoluta lectione vespertina, rationem reddet matri priorissae, et clavariis expensarum factarum, et in librum hoc idem referetur, ut desuper de hoc ratio reddatur etiam patri provinciali.

De censibus redimendis, et non insumendis.

§. 85. VI. Praecipimus, ut si contingat aliquem censum, vel jus monasteriorum nostrarum monialium redimi, illae non insumant, nec impendant aliquid in parva, vel magna quantitate sortis, sed majori, qua fieri poterit, brevitate, rursus tuto reinvestiantur; et etiam dotalis, quae recipient, statim reinvestiantur, quin impendantur, nec insumetur pars aliqua illorum, et si aliquando in aliquo gravissimo casu aliquid supradictorum jurium, censuum, vel dotalitiorum esset insumendum, hoc fiat cum licentia in scriptis patris nostri generalis, qui solus (consulto primum patre provinciali, et praestito per monasterium consensu) poterit illam impartiri; conscientiam autem ipsorum oneramus, quatenus per diligenter hoc inspiciant, atque perpendant, neque sinant hoc fieri praeter quam in aliquo urgentissimo casu ad majora alia damna evitanda. Superiorissa, quae in hoc defecerit, suspensione ab officio per majorem, vel minorem temporis effluxum, secundum quantitatem, quae insumpta fuerit, puniatur.

CAP. VIII.

De jejunio, et a carnibus abstinentia.

De jejunio servando.

§. 86. I. Moniales nostrae a die festo exaltationis sanctae Crucis usque ad festum Paschatis resurrectionis, dominicis exceptis, prout praecipit regula, jejunium serveat, exceptis nativitatis Dominicae ob immemorabilem consuetudinem ordinis, sanctorum Innocentium, Circumcisionis, Epiphaniae, et nostrae matris sanctae Theresiae festis diebus ratione hujusmodi dierum solemnitatis.

De abstinentia a carnibus.

§. 87. II. Carnibus non vescantur nisi in casibus a regula permissis: in mensis autem ordinariis, in quibus piscium est usus, carnes, jusculum, et cibos cum jusculo coctos minime comedant; erit enim ipsis ad hoc mensa statuta.

De tempore quadragesimali.

§. 88. III. Quadragesimali tempore moniales nostrae ovis, vel lacticiniis absque necessitate, et superiorissae, ac medici licentia minime utantur: in jejuniis tamen ordinis nostri licet ea sint vere ecclesiastica ex peculiaribus summorum pontificum privilegiis liberum erit superiorissis circa usum ovorum, et lactis, prout ipsis videatur disponere. In reliquis ecclesiae jejuniis aeque ac in feriis sextis, quoad hoc servetur dioecesum, in quibus monasteria consistunt, consuetudo, et tales cibi sumi poterunt in refectorio communi.

CAP. IX.

De monialium indumento.

De indumento monialium.

§. 89. I. Pro indumento moniales utantur panno villoso solocis lanae, et non tincto (et ex illa tam tunica, quam habitus conficiatur) habitusque, quo magis fieri potest sit angustior, et angustae sint etiam manicae, quae habeant aequalem latitudinem in principio et versus manum sine rugis, et totum earum indumentum sit rotundum, et in anteriori, et posteriori parte aeque longum ac usque ad pedes protractum.

De scapulari.

§. 90. II. Scapulare sit ex eodem panno villoso ejusdem coloris quatuor digitis habitu brevius, et velis superimponatur.

De pallio.

§. 91. III. Pallium sit ex eodem panno villoso albi coloris aequaliter respondens scapulari, et conficiatur minori qua fieri possit panni supradicti quantitate, parsimonia servata, et omni superfluitate remota.

De velo.

§. 92. IV. Vela alba sint ex cannabe, vel lino crasso sine rugis.

De tunicellis interioribus, muccinis, cervicalibus, et calceamentis.

§. 93. V. Tunicellae interiores, et muccinis, uti etiam cervicalia, et locus lectuli sint ex stamonia; cum autem infirmantur uti poterunt lineis. Calceamenta earum sint sandalia ex cannabe, vel sparto, et in cruribus (honestatis gratia) caligas ex panno villoso, vel stupa, vel alio hujusmodi generis portent.

De lectulis.

§. 94. VI. In lectulis non sint culcitrae, et pro ipsis utantur culcitra stramentitia, experientia enim edocuit hanc etiam pro infirmis sufficere.

Idem ut supra.

§. 95. VII. Lectuli autem, nec velo, nec alia re exornentur; urgente autem necessitate, poni poterit de licentia praelatae, aliqua storea ex sparto, vel cortina ex panno villoso, sive aliquid consimile parvi valoris.

Idem ut supra.

§. 96. VIII. Unicuique moniali sit lectulus separatus, nec retineant quaecumque tapetia, vel suppedalia, sive pulvinaria, praeter illa, quae necessaria sunt ecclesiae servitio; has enim supellectiles, non decent moniales.

Idem ut supra.

§. 97. IX. In indumento, et lectulis non sit colorum varietas etiam in minimis, nec vestibus utantur panno subsuto; si qua autem infirma majori aegeret praesidio, uti etiam poterit toga ex eodem villoso panno.

De crinis tonsura.

§. 98. X. Moniales crines habeant tonsos, nec frustra tempus in illis pectine deducendis, nec umquam sit eis speculum, nec aliquid aliud voluptuosum, sed in omnibus sui ipsius habeant contemptum: hic peculiaris sit de hisce omnibus mentio, quia respiciunt institutum religionis, et ideo uti talia servanda, nec ex relatione quid quid ad nostrum institutum pertinet, et ad quod tenemur, memoria excidat.

CAP. X.

De opere, et labore manuum.

De labore manuum exercendo.

§. 99. I. Per diligenter moniales nostrae recogitent regulae praeceptum, scilicet oportere, ut laboret, qui vult comedere, prout exequebatur divus Paulus apostolus operando opus manuum suarum.

De operibus elegantioribus non faciendis.

§. 100. II. Non conficiant opera elegantia ex auro, vel argento praeterquam necessaria pro earum sacrariis, et labores earum sint simplices; nec exquisita, vel alia similia peragant, quae non sint adeo eximia, ut intellectum earum occupent, et a divina meditatione removeant.

De compellendis monialibus ad laborem.

§. 101. III. Monialibus pensum minime statuatur, sed unaquaeque laborare curet, ut victum pro aliis lucretur; illasque hortamur, ut hoc perdiligenter agant, considerantes se esse pauperes, et otium spiritus adversari, et si qua monialis in hoc negligens reperiatur, praelata illam ad laborandum compellat, et corrigat.

De operibus faciendis.

§. 102. IV. Disponat praelata opera a monialibus conficienda, et cuncta in monasterii utilitatem convertentur.

De exstructione aulae communis ad laborandum.

§. 503. V. Nullibi sit aula pro communi labore, in quam omnes conveniant ad laborandum, ne illis insimul congregatis occasio praebeatur silentium frangendi.

De pretio operum.

§. 104. VI. Pertinaciter minime contendant de pretio operum manuum suarum, sed pacifice quidquid pro illis ministratur accipiant; si autem dignoscerent, illud sibi pro merito non persolvi, ab hujusmodi operibus se abstineant.

CAP. XI.

De silentio, et recessu in cellis.

De silentio.

§. 105. I. Silentium, absoluto completorio, usque ad primam ex horis canonicis expletam diei sequentis ad praescriptum regulae custodiatur; et hoc perdiligenter servetur. Reliquo tempore nequeant moniales ad invicem cum aliis colloqui, exceptis tantummodo officia habentibus in necessariis; tempore autem silentii tractari nequeat, nisi de re, quae sit necessaria in cella priorissae, et breviter se expediendo.

De mutuo colloquio.

§. 506. II. Tunc tantummodo priorissa licentiam impartiatur pro mutuo colloquio, dum ipsi videatur, quod hujusmodi colloquii causa aliqua ex illis magis magisque amore in Deum accendatur, vel aliud spirituale commodum ei obveniat; hoc autem intelligendum minimo est de unico tantum quaesito, vel responso, hoc enim etiam absque ulla licentia fieri potest.

De receptione in propria cellula.

§. 107. III. Toto tempore, quo moniales minime se occupant in communitate, vel in monasterii officin, seorsim maneant singulae in propria, vel eremitica cella, quam priorissa ipsis constituet, operantes aliquod opus manuum suarum, excepto die festo, et hoc pacto, quod regula praecipit, scilicet, quod seorsim singulae maneant, servabunt.

De vetito ingressu in cellulas aliarum monialium.

§. 108. IV. Nulla monialis cellam alterius ingredi valeat absque praelatae licentia, et ingredienti, si hoc din contingat una applicetur disciplina, et unum jejunium, si autem hujusmodi ingressus eveniat noctu, poena gravis culpae eidem irrogetur, et eamdem poenam, quae ab ingredientibus sine licentia cellas aliarum censurorum incurritur, subibunt etiam illae, quae quacumque hora cellam praelatae, ipsa absente, ingrediantur.

CAP. XII.

De vita humili, communi, et aequali servanda, et de aedificiis.

De vita humili.

§. 109. I. Priorissae, vel aliis monialibus non superaddatur aliqua praerogativa in nomine, quae aliquando honoris gratia praemittitur, scilicet *domina*, *vel domna*, sive alia similis, sed ad invicem verbis humilibus se habeant. Priorissa, et sub priorissa, et illa, quae priorissae munere perfuncta est, mater, et vestra reverentia appellentur, et reliquae moniales soror, et charitas, et idem in scribendo servetur.

Idem et supra.

§. 110. II. Officia tabulae committantur absque ulla exceptione singulis monialibus; officia vero humilitatis, scilicet verrere, et patinas detergere a praelata aeque ac a subditis in communi congregatis absolvantur.

De moniali vestiaria, et obsonatrix.

§. 111. III. Curent enixo monialis vestiaria, et obsonatrix monialibus pari charitate de mandato praelatae, et non aliter, quae ad victum, et vestitum necessaria sunt, et reliqua omnia comparare.

De priorissa, et aliis monialibus paribus comodis utentibus

§. 112. IV. Priorissa, et aliae moniales seniores nullo peculiari comodo gaudeant, sed omnes ad praescriptum regulae aeque habeantur; ratio solummodo sit de necessitate, et aetate, et primo de illa, quam de ista, plaries enim, quae aetate major est, minori premitur necessitate, idque magna cura ab omnibus generaliter servetur; hoc enim multis de causis decet.

De aedificiis sine elegantia extruendis.

§. 113. V. Non aedificentur eleganter nostrarum monialium monasteria (ecclesia excepta) et construantur secundum ichnographias, quas periti ordinis nostri describent, et non aliter, ac in aedificiis necessitati, et non superfluitati consulatur. Parietes majori, qua poterit, firmitate, erigantur, et sepimentum sit elevatum, ita ut a terrae superficie novendecim, vel viginti circiter pedibus saltem erigatur. Hortulitia sint ampla, ita ut locus non deficiat in quo eremiticae cellulae construantur, quo se conferant moniales; ut orationi vacent ad instar sanctorum patrum, quae cel-

lulae sepimento minime adhaereant, et nulla fenestra monasterii viae habeat aspectum, sed tantummodo interioris clausurae, et cunctae illae, quae hortalitium respiciant, cratibus muniantur.

CAP. XIII.

De infirmis.

De infirmis. §. 114. I. Infirmae magna charitate, et pietate, ac exquisite, juxta paupertatem nostram, omnino curentur; et propterea praelata constituat infirmariam, quae majori affulgeat charitate ad officii hujus partes explendas, et solerter ipsa curet priorissa, ut potius desit necessarium bene valentibus, quam pietatis officia infirmis, quas debent adire, et solari, reliquae moniales, quod semper peragant de licentia praelatae, praesertim dum infirmae sunt ex illis, quae pertinent ad novitiatum, quas nulla monialis absque praelatae expressa licentia alloquatur.

Idem ut supra. §. 115. II. Curent infirmae ostendere perfectionem, quam bene valentes lucratae sunt, patienter perferendo infirmitatem, et parum molestiae, vel importunitatis dando in levibus morbis infirmariae, eique obediant, ut tali pacto infirmitas eisdem prodesse possit, et convalescant cum lucro, et sororibus exemplo sint, et laudent Dominum, si necessaria abunde ipsis suppetant, si vero in earum infirmitatibus aliquid ipsis deesset, quo divites abundant, attamen non angantur, hoc enim compertum illis esse debet ab ingressu in religionem vere pauperes dici, quibus majori urgente necessitate, necessarium deficit.

De lineis, et lectulo adhibendo tempore infirmitatis. §. 116. III. Tempore infirmitatis moniales sindonibus, et cervicalibus lineis, et lecticulo cum culcitris utantur, et munde, ac benigne tractentur.

De necessitatibus detegendis. §. 117. IV. Teneantur moniales, priorissae, novitiae vero magistrae necessitates, quas habeant detegere quoad victum, et vestitum, et num aliquo praeter ordinarium egeant, licet magna non intercedat necessitas, praemissa tamen oratione ad Dominum, quia pluries mens nostra appetit superflua, et aliquando diabolus quoad se studet timorem afferre, ut a jejunio, et poenitentia amoveamur.

De sacramentis infirmis ministrandis. §. 118. V. Ministrentur infirmis in mortis periculo constitutis sacramenta ad praescriptum nostri caeremonialis; quo vero ad modum servandum in ingressu pro hujusmodi ministratione, et quoties ipsis ministrari debeant in longis infirmitatibus quidquid supra dispositum est, observetur.

De discessu confessarii post decessum monialis. §. 119. VI. Statim ac infirma monialis decesserit, confessarius, responsorio persoluto, discedat, et si noster sit religiosus decenter concomitatus ad suum redeat conventum, si autem inibi conventus non consistat, poterit extra monialium clausuram in sacrario, loquutorio, vel vestibulo, vel in alio simili loco, usque dum dies elucescat, remanere; et praelata curet, ut hoc servetur sub poena quinque dierum gravis culpae, et suspensionis per sex menses ab officio, quae irremissibiliter irrogabitur, et admonitas moniales volumus, quod dum ipsae tam gravi, et periculoso morbo decumbunt ab obligatione faciem velo obducendi exemptae censeantur.

CAP. XIV.

De monialibus defunctis, et funere, ac suffragiis pro illis a religiosis persolvendis.

De sepultura monialium defunctarum. §. 120. I. Sepeliantur moniales in loco ad hoc statuto, et officium sepulturae peragatur juxta ordinis caeremoniale. Nullus autem saecularis poterit intrare, et deponi intra clausuram absque licentia in scriptis patris nostri generalis.

De humatione monialium. §. 121. II. Ad humandas moniales nostras, si inibi conventus noster consisteret duodecim, et non ultra religiosi ordinis nostri ingredi poterunt, et tantummodo ad explendum sepulturae officium, et ubi conventus non existat, si inibi reperiantur religiosi nostri ingredi poterunt ad sepeliendam monialem defunctam, et illis deficientibus, moniales advocare poterunt duos religiosos ex conventu propinquiori, qui, comitantibus duobus aliis presbyteris, sepulturae corpus defunctae dare poterunt, et si deficiant religiosi, ingrediantur ad explendum hujusmodi officium presbyter pluviale superindutus, et quatuor alii presbyteri, et non ultra, et in nullo umquam casu saecularis aliquis, exceptis sacrista, et vespillone, ad hujusmodi ministerium ingrediantur, sub poena suspensionis ab officio per sex menses, quoad priorissam, quae ingressui saecularium assensum

praestaret, quaeque admonetur de summo legum rigore clausurae custodiam jubentium: si autem in reliquis ipsa defficeret, pro qualitate culpae arbitrio patris provincialis puniatur.

De officio recitando pro defunctis.

§. 122. III. Pro qualibet moniali in monasterio, ubi ipsa decesserit integrum defunctorum officium in communi persolvatur etiam missa cum cantu, nec non per novem sequentes dies dicatur missa cum cantu, et responsorio; si autem cani nequeat, legatur, et communitas illi adsistat; conversae vero die funeralis, ac in omnibus sequentibus novem diebus unam rosarii partem recitent. Itidemque moniales nostrae pro anima uniuscujusque ex illis celebrare faciant triginta missas consuetas majori, qua fieri possit celeritate, et viginti alias de requiem.

De missa canenda pro moniali ejusdem provinciae.

§. 123. IV. Pro unaquaque moniali defuncta in monasteriis monialium ejusdem provinciae canetur missa cum suo responsorio, et aliae duae lectae, et semel vesperae, ac nocturnus in communi recitentur, conversae autem tres rosarii partes persolvant.

De orationibus faciendis pro monialibus aliarum provinciarum.

§. 124. V. Pro monialibus aliarum provinciarum, et pro nostris religiosis totius ordinis recitabunt vigiliam in communi, et legetur missa cum responsorio (hoc enim pro illis peragitur in conventibus nostrorum religiosorum) et conversae triginta vicibus orationem Dominicam, et salutationem angelicam recitabunt.

De suffragiis pro patre generali, et definitoribus.

§. 125. VI. In quolibet monasterio pro patre nostro generali, et definitoribus generalibus actualibus, et pro procuratoribus generalibus Romae, et Hispaniarum, et pro provincialibus praeter jam dicta, canenda est missa cum responsorio, et integrum defunctorum officium communiter persolvendum, similiter conventus monialium nostrarum juxta funebria pro summo pontifice, eminentissimo protectore, rege, et regina solemni ritu persolvant.

De processionibus pro defunctis.

§. 126. VII. Qualibet feria secunda, excepto tempore Paschali, et majori hebdomada, et diebus, in quibus occurrit commemoratio defunctorum, Nativitas, dominica, et Corpus Domini, absolutis horis minoribus, ducatur per claustrum, quatenus existat, processio pro defunctis, prout constat in ordinario. Si vero in secunda feria occurreret aliquod festum de praecepto, ecclesiae processio ad sequentem diem transferatur; deficiente autem claustro, in choro responsoria canantur.

CAP. XV.

De obligatione, ratione munerum priorissae, caeterarumque monialium.

Priorissa.

De officio priorissae.

§. 127. I. Officium priorissae est curam, et diligentiam adhibere, ut regula, et constitutiones adimpleantur, et summopere zelari, et vigilare super honestate, et clausura monasterii, et inspicere quomodo officia exerceantur, atque consulatur necessitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus materno amore, cum quo satagat filiarum obedientiam sibi conciliare.

De jurisdictione priorissae.

§. 128. II. Priorissa constituat ostiariam, et sacrarii ministram, nec non auscultatrices cum consultatione patris provincialis, et cum eadem removeat: sint autem illae fideles, et omni exceptione majores, et mutentur, ita ut per multum temporis in officiis non permaneant, et sic adhaesionem illis non contrahant, et mutationi loco facto, ostiaria in sacrarii ministram immutetur, nec e contra, ut omni seposita occupatione, curent de proprio profectu, si aliter patri provinciali non videatur. Cunctae reliquae officiales constituantur pariter a priorissa, exceptis sub priorissa, et clavariis, quae per secreta suffragia eligi debent.

De progressu monialium priorissae patefaciendo.

§. 129. III. Omnes moniales semel in mense referant priorissae quomodo, et quantum profecerint in oratione, et quibus viis omnipotens, et misericors Deus illas ducat. Deus enim ita eas illuminabit, ut eodem opitulante, dirigantur, quatenus bene non incedant; hoc enim facere, humilitatis, et mortificationis est exercitium, et valde proficuum; quo divinum auxilium pro pluribus aliis rebus sibi conciliare mereantur. Ratio autem a monialibus priorissae, ut supra reddenda ita intelligatur, et peragatur, ut ex earum voluntate procedat, et ex illa aliquem spiritualem fructum percipere valeant, potius quam ad id per vim adstrictae videantur: praecipimus idcirco priorissis, ne ad hoc proprias subditas per multo adigant; hortamur tamen moniales, ut simpliciter, et veraciter omnino proprium spiritum praelatis pandant, ob magnum fructum, qui exinde percipitur.

Subpriorissa.

De subpriorissa. §. 130. IV. Erit subpriorissae curare de choro, ut divina officia devote, distincte, et cum pausa recitentur, et canantur, et in hoc magnam adhibeat diligentiam.

Idem ut supra. §. 131. V. Deficiente priorissa pro ea praeerit, semperque in communitatem se conferat, et defectus, erroresque, si qui sint, tam in choro, quam in refectorio, absente tamen priorissa, corripiet, ac ipsa etiam malo se habente, capitulum habebit.

Clavariae.

De clavaria. §. 132. VI. Clavariae quolibet mense, coram priorissa, ostiariae, vel obsonatricis sumptuarias rationes cognoscere debent, ideoque ad hujusmodi munus illae ex monialibus assumantur, quae, saltem duae, scribere, et calculare calleant.

Idem ut supra. §. 133. VII. In rebus gravioribus priorissa clavarias in consilium adhibeat, et earum sententiam exquirat.

De clavibus capsae in qua monasterii scripta servantur. §. 134. VIII. Sit capsa tribus occlusa clavibus ad custodienda monasterii scripta, et pecuniam existentem, et claves hujusmodi altera penes priorissam, et aliae duae penes clavarias seniores remaneant.

De depositis non recipiendis. §. 135. IX. Non accipiant deposita pecuniae, gemmarum, vestium, aliarumque rerum, sub poena quoad praelatam suspensionis ab officio per quatuor menses, quatenus pro admissione hujusmodi rerum claustri janua fuerit aperienda, si autem depositum sit alterius generis pro qualitate culpae arbitrio patris provincialis ipsa puniatur.

Novitiarum magistra.

De magistra novitiarum. §. 136. X. Novitiarum magistra, a priorissa, consulto patre provinciali, eligatur, sitque magnae prudentiae, orationis, et spiritus, et illa, quae huic officio praeficitur, caveat, ne aliquid negligat, et ne animo sit penitus remisso; agitur enim de instruendis animabus in quibus Dominus inhabitat.

De regulis novitiis perlegendis. §. 137. Saepissime regula, et constitutiones a magistra novitiis perlegantur, illaque easdem edoceant quidquid sit eis peragendum, et in animi motibus coercendis, et caerimoniis exequendis, ac magis de interiori, quam de exteriori, sit illi cura.

De ratione accipienda de fructu orationis. §. 138. XII. Quolibet die rationem a novitiis accipiat de oratione, et de fructu, quem ex illa percipiunt, illasque erudiat quomodo se gerere debeant in meditatione mysterii, cui vacabunt, et quemnam fructum ab ille percipiant, illasque admoneat, quomodo se gerere debeant tempore consolationis, et ariditatis spiritus, et in abnegandis, ac frangendis etiam in minimis propriis desideriis.

De culpis novitiarum tolerandis, et corrigendis. §. 139. XIII. Pie, ac benigne novitias tractet, et non turbetur, neque admiratione afficiatur pro earum culpis, quin imo curet paulatim singulas mortificare juxta earum spirituales vires pro mortificationibus hujusmodi substinendis, intelligatque magistra plus referre, interiores acquirere virtutes, quam exterius multam poenitentiam agere.

De quotidiana novitiarum redditione rationum. §. 140. XIV. Novitiae quolibet die ingenue, et fideliter omnino rationem reddant, magistrae de oratione, et tentationibus, ut melius eas regere valeat, hasque admonitas volumus, in hoc proprii profectus, et consolationis maximam partem consistere.

Declaratio quoad munus magistrae novitiarum. §. 141. XV. Si viderit praelata nullam ex monialibus idoneam esse, ut muneri magistrae novitiarum praeficiatur, munus hujusmodi ipsamet suscipiat, et libenter in re adeo gravi hoc opus assumat; praecipiatque alicui ex sororibus, ut in hoc ipsi praesto sit.

Sacrarii ministra.

De ministra sacrarii. §. 142. XVI. Muneris est sacrarii ministrae omnia ad ecclesiam spectantia custodire, animadvertendo, quod inibi Domino solertissime, atque concinne omnino inserviatur.

De ordine servando in incedendo ad confessiones explendas. §. 143. XVII. Curet etiam, ut moniales ad locum pro confessionibus explendis ordinatim, non jam permixte accedant, et dum duae propria fatentur peccata, aliae duae expectent, vel una, quatenus unus sit confessarius, et ita se conforment confitendo duobus religiosis, qui ad hoc venient, ne uni tantum sint molestae, curentque ita se accommodare, ut insimul si possibile sit, confessarii proprium munus expleant.

De rota sacrarii. §. 144. XVIII. Per sacrarii rotam nil agatur, nec introducatur, vel extrahatur aliquid praeter sacras supellectiles, nec nuncium aliquid referatur, nec epistolae ab iotus, vel extra sub poena gravis culpae, quoad illam, quae id perageret, vel huic assentiretur, et sacrarii mi-

nistra cum aliqua persona varios sermones minime habeat, excepta unica tantum petitione, ac responsione.

De fenestra s. communionis. §. 145. XIX. Fenestra sanctae communionis non aperiatur, nisi quando moniales sacram sumunt synaxim, illisque velum, cineres, palmae, ac candelae in die Purificationis distribuantur, et non aliter, et hoc mandamus sub poena privationis ab officio quoad praelatam illi irremissibiliter irroganda, et clavis ejusdem fenestrae semper ab eadem, non autem a sacrariae ministra, vel alia persona custodiatur.

De arca paramentorum. §. 146. XX. Ad porrigenda ornamenta, frontalia, vel alia id genus nullimode sit arca parieti incorporata, quae intra, et extra monasterium trahi possit, et si quae sint, statim removeantur, et haec omnia per rotam, quatenus istarum rerum capax sit, immittantur.

Rotae ministra, et depositaria.

De ministra rotae. §. 147. XXI. Ad rotae ministrae officium pertinet recipere, et referre inibi necessaries nuncios: loquatur autem submissa voce, paucisque, et aedificantibus se expediat verbis. Ad hoc ut monialis praefici possit rotae, octo saltem annos, et rotae ejusdem subministra quatuor a professione annos enumerare respective debeant, et prohibemus, ne consanguineae, vel affines priorissae usque ad secundum inclusive gradum rotae uti ministrae, et subministrae praeficiantur.

De custodia rotae. §. 148. XXII. Non sinat sororem aliquam absque praelatae licentia ad rotam accedere, et si qua de ejus licentia se conferat ad loquutorium, ut inibi sermonem habeat, priusquam ingrediatur, alteram ex auscultatricibus admoneat, ut inibi adsit.

De denunciationibus priorissae faciendis. §. 149. XXIII. Solertissime caveat nulli, sed tantummodo priorissae de eo, quod in rota fuerit pertractatum, neque monialibus referre, quidquid novi inibi resciverit.

De literis non tradendis sine licentia. §. 150. XXIV. Nec intra, neque extra monasterium literas, epistolas, vel nuncios sub poena gravis culpae tradat, et referat absque licentia praelatae, quae literas perlustrabit, et integre perleget sub eadem poena, exceptis illis praelatorum superiorum, scilicet patris nostri generalis, omnium generalium definitorum, et propriae provinciae moderatoris, quas quo eas aperiat, statim ac acceperit, tradet moniali, ad quam missae sunt, sub poena suspensionis ab officio per mensem.

De clausura rotae. §. 151. XXV. Ab examine conscientiae ante prandium rota claudatur, et usque ad vesperas minime aperiatur, nisi pro cibo subministrando famulis, et pauperibus eleemosyna, et etiam diebus, in quibus confessarii debent accedere ad monialium sacramentalem confessionem excipiendam. Claudatur etiam paulo ante communionem communiter sumendam, et quando spiritualis collatio habenda sit.

De rebus comparandis pro necessitatibus monasterii. §. 152. XXVI. Pertinet etiam ad rotae ministram providere quidquid pro monasterii necessitatibus sit comparandum, si Dominus dederit, unde hoc ematur. In hujusmodi autem parte explenda diligentissime se gerat, emendo et providendo quidquid pro communitate disponere eadem praelata putaret necessarium, et absque expressa illius licentia, nil etiam in eleemosynam detur, curetque sumptus, et lotroitum adnotare, et dum emit, non contendat, sed semel, aut iterum responso dato, rem comparandam emat, vel relinquat.

CAP. XVI.

De capitulo conventuali, et de culpis, quae post coenam, aut refectiunculam auscultantur.

De capitulo conventuali. §. 153. I. Capitulum conventuale semel in hebdomada habeatur ad regulae praescriptum, scilicet dominica, vel alia die, et plerumque de mane orationis tempore: et ejusmodi capitulo, quae illi praeerit, maxima charitate sororum culpas corriget.

De lectione regulae. §. 154. II. Dato igitur signo, omnibusque in capitulo congregatis, dicatur *Veni sancte Spiritus*, et a priorissa, vel ab illa, quae praeerit, dato pariter signo, monialis lectioni destinata, dicet — *Jube Domine benedicere* — et illa, quae praeest respondebit — *Regularibus disciplinis nos instruere dignetur magister coelestis* — et omnes dicant — *Amen*. Inde dicat — *In Nomine Domini Nostri Jesu Christi. Amen* — et perlegetur aliquid regulae, vel istarum constitutionum, et statim ac signum ipsi detur lectioni finem imponet, dicendo, *Tu autem Domine miserere nobis*, et omnes respondebunt, *Deo gratias*. Quatenus expediens sibi videatur, superiorissa aliquo modo moniales ad virtutem breviter hortabitur, et hujusmodi hortatio respondeat le-

ctioni, vel correctioni ab ipsa peragendae, et priusquam incohet, dicat, *Benedicite*, et omnes respondeant, *Dominus*, et continuo genua submittant, et ita permaneant usque dum, dato ipsis signo, surgant, et assideant.

De confessione culparum. §. 155. III. Absoluta collocutione, et ab illa, quae praeest, signo dato, si adfuerint novitiae, prodeant ad dicendas proprias culpas, et in medio capituli bino ordine flectant, et signo eis dato, surgant, et profunde inclinatis, antiquior dicat, *reverenda mater, de omnibus culpis, quas admisimus, vel quas admisi* (si una tantum adesset) *in choro, claustro, refectorio, dormitorio, et ubi petimus a Deo, vel peto veniam, et a reverentia vestra correctionem cum charitate*. Hinc genuflectat, et quae praeest zelatrici injungat, quod in propatulo ponat culpas, quas in illis inspexerit, illaque, cui impingitur culpa se prosternet usque dum signum eis detur. Completa zelatricis relatione, reliquae moniales habentes vocem in capitulo, jubente superiorissa, ipsas commonebunt de culpis, si quae sint, eisdemque correctis osculentur scapulare monialis, quae praesidis munere fungitur, et discedant, et hanc ipsam sequentur methodum caeterae moniales, quae prodirent ad dicendas proprias culpas, quae autem inculpata remaneat ex se poterit in medium proferre quas habeat culpas.

Idem ut supra. §. 156. IV. Post novitias prodibunt statim conversae, et servato suprarelato ordine, antiquior dicet, *reverenda mater*, et expleatur quidquid in praecedenti numero praescribitur, et deinde exibunt a capitulo.

Idem ut supra. §. 157. V. Deinde cunctae moniales choro addictae, et professae conjunctim se conferent in medium capituli, et subpriorissa (vel ipsa minime existente) antiquior inter illas, forma suprarelata, culpam dicat, et assideant. Si vero adessent aliquae vocem in capitulo minime habentes, genibus submissis proprias proferent culpas, et confestim zelatrix admonebit quidquid ipsi innotescat, et post illam caeterae; correctisque earum culpis supradicta methodo, et osculato scapulare monialis praesidis muneris fungentis, egredientur.

Idem ut supra. §. 158. VI. Hoc peracto, moniales chorales capitulares binae prodibunt, suasque dicent culpas, cumque de his eas admonuerit zelatrix, et reliquae moniales, et culpis hujusmodi correctis, assideant, praemisso tamen osculo scapularis monialis, quae praeest.

De observantiae regularis reformatione. §. 159. VII. Agatur inde de eo, quod majorem observantiae regularis reformationem respicit, et si qua novitis approbanda, vel recipienda foret, vel aliquid aliud a capitulo concipiendum, inibi de hoc sermo instituatur, et ad scrutinium deveniatur, et prius quam aliqua adloquatur, petat veniam dicendo, *Benedicite*. Ad quodcumque vero negotium a communitate, et per secreta suffragia pertractandum fiat praevis propositio per tres dies naturales.

De silentio servando. §. 160. VIII. Tempore capituli moniales non loquantur, nisi ut referant ingenue proprias, et sororum culpas, vel ut respondeant interrogationibus monialis, quae praeest.

De muneribus per zelatrices explendis. §. 161. IX. Zelatrices muneribus sibi concreditis diligenter quam maxime fungantur, illaque exerceant in multa charitate, prudentia et zelo pro bono, et emendatione sororis, et tam illa quam caeterae admoneant culpas ingenue, et aperte absque ponderatione vel diminutione, sed prout revera sunt, ac simul, et semel alicui plures conjunctim culpas maxime impingant.

De redargutionibus sine excusatione recipiendis. §. 162. X. Quae redarguta fuerit non respondeat pro se, neque se, neque aliam excuset, nisi id ei praecipiatur, et tunc primo dicat humiliter — *Benedicite*, si autem aliquid diceret aliquo modo impatienter, gravius puniatur pro discretione monialis, quae praeest, et si opus fuerit castigatio ad tempus, in quo passio jam sit sedata, differatur.

De criminatis. §. 163. XI. Caveat criminata, ne aliam accuset ex sola suspicione culpae in illa; et si secus se gesserit, poena debita culpae alterius ab ea accusatae eidem irrogetur. Hoc idem servabitur contra illam, quae alteri culpam objectet, pro qua jam satisfactionem expleverit, graviusque puniatur, quae falso sororem do aliquo accuraret, et ad famae redintegrationem, in quantum fieri possit, itidem teneatur.

De denunciationibus etiam extra capitulum faciendis. §. 164. XII. Ne defectus, et culpae ullimode occultentur, liberum etiam erit monialibus extra dictum capitulum, servata tamen lege fraternae correctionis, priorissae, vel praelatae quidquid ipsae viderint, et audiverint denunciare.

De correctione culparum. §. 165. XIII. Praelata, vel priorissa zelo charitatis, et amore justitiae, ac absque simulatione illas corripiat culpas, quae claro fuerint inspectae, vel monialibus fuerint impictae, sive quas eaedem ipsae confessae fuerint, dummodo illae non sint de reservatis superiori.

De mitigatione poenarum.

§. 166. XIV. Poterit praelata mitigare, vel minuere poenam debitam pro culpa sive malitia admissa; quo vero ad illas, quas reperiret ex malitia, vel vitiosa consuetudine delinquere (quatenus culpae hujusmodi suae subsint jurisdictioni) praeteritis graviores poenas, et poenitentias superaddet. Illae autem, quae leves solent admittere defectus majoribus premantur poenis, et generaliter omnibus illis, quae ex consuetudine deficerent, poenae, quas pro culpis mereutur, adaugeantur. Poenae autem, vel poenitentiae a priorissa pro culpis infligendae sint graviores, vel leviores, juxta culparum hujusmodi qualitatem, et quosd hoc poterit cum discretione, et charitate arbitrari, prout aequum erit.

De secretis capituli non divulgandis.

§. 167. XV. Caveant moniales, ne quomodolibet pandant, sive divulgent secreta capituli, et quidquid in illo praelata castigaverit, vel decreverit, nullimode extra illud per modum obtrectationis reassument; exinde enim dissidia oriuntur, monasterii pax perturbatur, exurgunt partes, et praelatarum officium usurpatur.

De culpis occultis.

§. 168. XVI. Nulla monialis aliam de culpis arguere praesumat, quatenus culpae gravitas id non exigat; si vero sit occulta, tunc sola benigne errantem commoneat; si autem admonita, servata lege fraternae correctionis non resipisceret, dicat priorissae, non autem alteri moniali; si vero culpa adversaretur communi religionis bono, et valde esset illi noxia, confestim de illa superior certior fiat, ne aliquod notabile damnum desuper oriatur; et cum non deficiunt zelatrices, quae aliarum culpas, et defectus non inspiciant, curam hujusmodi deponant quaeque viderint, praetermittant; curentque solum proprias culpas, et defectus corrigere.

De excusationibus vitandis.

§. 169. XVII. Magnopere caveant moniales semetipsas excusare, nisi necessitas id exigat, vel a praelata interrogentur, tali enim pacto in humilitate valde proficient.

De commemoratione pro benefactoribus.

§. 170. XVIII. Absoluto capitulo conventuali, commemoratio pro benefactoribus, et defunctis agatur, prout in fine harum constitutionum adnotabitur.

De denunciatione eleemosynarum.

§. 171. XIX. Post coenam, vel refectiunculam ostiaria eleemosynas illa die acceptas denuotiet.

De denunciationibus a zelatricibus faciendis.

§. 172. XX. Singulis diebus solemnioribus exceptis, zelatrix advertat quos in unaquaque inspexerit defectus et reliquae moniales, si vellent, expleta tamen denunciatione zelatricis, objectare eas sibi poterunt, et illa, cui culpa inferatur, confestim se prostrat, neque surgat, nisi signum datur ab ea, quae praeest, et haec breviter, et benigne illas corriget, illique pro modo culpae poenitentiam imponet, et harum culparum denunciatio a priorissa, sive vicaria, et a subpriorissa, prout jam dictum est, solummodo excipiatur.

Monitum ad praelatas.

§. 173. XXI. Praelatas hortamur, ut servent laudabilem, quae semper in ordine nostro viguit consuetudinem, applicandi disciplinas monialibus tam in capitulo, quam in refectorio, etiam pro culpis parvi momenti, ad hoc, ut humilitas servetur.

CAP. XVII.

De levi culpa, ac de poena pro ipsa infligenda.

De culpis, et poenis.

§. 174. I. Cum sit moraliter impossibile, quod in communitatibus, quantumvis reformatis, et optimis legibus rectis, non irrepant nonnullae transgressiones, et defectus, quoad observantiam earumdemmet legum, hinc, ut substineatur, et vigeat disciplina regularis non solum necessario requiruntur salutaria praelatorum monita, sed et redargutiones, et poenae, quia, prout asserit divus Bernardus: deficientia castigationis, et punitionis solet esse filia negligentiae, insolentiae mater, et legum transgressionum nutrix; oportet igitur statuere, et decernere aliquas poenas pro modo culpae monialibus deficientibus in salutarem suorum defectuum poenitentiam irrogandas.

De culpa leviori.

§. 175. II. Est levior culpa, si signo dato aliqua monialis cunctaretur se conferre ad chorum dispositam, et compositam, si vero ingrederetur, inchoato officio, sive legeret, vel caneret male, et si erraret, nec continuo submisso animo in genua provolota coram omnibus terram oscularetur.

Idem ut supra.

§. 176. III. Si priusquam expleat lectionem, illam non percurrerit, et si cui ex negligentia breviarium, cum quo officium recitare valeat, in choro desit, et si qua inibi rideret, et ad risum caeteras moveret.

Idem ut supra.

§. 177. IV. Si qua vero venit ad divina officia, vel ad opus manuum, et ad reliquos communitatis actus, et non exequeretur, prout

juris est, prostrationes, inclinationes, et alias coeremonias, vel constreperet in choro, dormitorio, et cella, et caeteris in hoc molesta esset.

Idem ut supra. §. 178. V. Si qua otiosa verba proferret, et negligenter tractaret, sive frangeret, vel deperderet aliquid ex iis, quae servitium, et usum monasterii respiciunt, vel ederet, sive biberet sine licentia.

Idem ut supra. §. 179. VI. Se accusantibus de hisce vel similibus culpis imponatur poenitentia alicujus precis, vel precum pro modo culparum, vel alicujus operis humilis, vel silentii peculiaris ob transgressionem silentii ordinis, vel abstinentiae ab aliquo cibo.

CAP. XVIII.

De culpa media, et poena pro ipsa statuenda.

De culpa media. §. 180. I. Culpa media est, si qua ad chorum non accessisset, dicto primo psalme, et cum tam sero venit, in genua provolvatur, et sic remaneat usquedum illa, quae praesidis munere fungitur, ei praeceperit surgere, prout superius dictum est.

Idem ut supra. §. 181. II. Si qua praesumeret canere, vel legere praeter consuetudinem: si ostenderet levitatem animi, oculos in choro elevando, et divino officio non attendendo, vel si parum reverenter altaris ornamenta contrectaret.

Idem ut supra. §. 182. III. Si qua non se conferat ad capitulum, vel concionem, vel opus manuum, vel non intersit in refectorio primae mensae, vel si consulto exequi omitteret, quod praecipitur peragi in communi, vel si reperiretur negligens in munere sibi concredito, vel si loquatur sine licentia in capitulo, vel choro.

Idem ut supra. §. 183. IV. Si qua accusata se excusaret, et si praesumeret aliam accusare de eadem culpa, de qua ipsa fuit accusata eodem die, vel si pertinaciter cum alia contenderet, sive aliquid proferret, quod non aedificationis caeteris monialibus foret.

De correctione dictarum culparum. §. 184. V. Suprarelatae culpae, vel aliae hujus generis corriguntur in capitulo, vel refectorio, applicata per vicariam illi, quae defecerit, disciplina. Animadvertendum hic est, quod disciplinae, quae imponuntur ad correctionem, propriis manibus a priorissa, vel subpriorissa applicari debent.

CAP. XIX.

De culpa gravi, et poena pro ipsa imponenda.

De culpa gravi. §. 185. I. Culpa gravis est si qua reperiatur injurias, et contumelias, vel redargutiones, sive verba indecora, et minus religiosa, vel irata proferre, si consulto mentiatur.

Idem ut supra. §. 186. II. Si qua objectaret alteri praeteritam culpam, et jam satisfactam vel naturales defectus ejusdem, vel parentum.

Idem ut supra. §. 187. III. Si defenderet proprias, vel alienas culpas, si detegeret actus occultos monasterii, si soleret silentium perfringere, si ordinis jejunia sine causa, et licentia violaret.

Idem ut supra. §. 188. IV. Si denegaret veniam, quam petit illa, a qua injuria affecta est, vel cum illa non loquatur.

Idem ut supra. §. 189. V. Si acciperet aliquid alterius monialis, vel communitatis sine licentia, vel commutaret cellam, sive indumenta sibi pro usu concessa.

Idem ut supra. §. 190. VI. Si qua se conferat ad rotam, vel loquutorium, adstantibus inibi saecularibus, sine licentia priorissae, vel si absque eadem licentia noctis tempore alterius cellam ingrederetur.

Idem ut supra. §. 191. VII. Si aliam iracunde minetur, vel si manum, sive aliquid aliud elevetur ad illam vulnerandam, poena gravis culpae dupliciter puniatur.

Idem ut supra. §. 192. VIII. Si qua juraret, vel (quod gravius est) jurare soleret.

De poenis infligendis pro dictis culpis. §. 193. IX. Illae, quae veniam peterent pro istis culpis, vel aliis hujus generis, quin de illis fuerint accusatae; in capitulo corripiantur, et mortificationem extraordinariam peragant in refectorio; illis autem, quae fuerint accusatae, superaddatur jejunium diei in pane, et aqua.

CAP. XX.

De graviori culpa, et poena pro ipsa infligenda.

De culpis gravioribus. §. 194. I. Culpa gravior est, si qua auderet contendere inurbane, vel aliquid inofficiosi dicere priorissae, vel illi, quae praesidis munere fungitur, si perjuraret, si consulto alias vulneraret, et haec monialis ob hujusmodi casum incurrit sententiam excommunicationis majoris latae sententiae, et ab omnibus est evitanda.

Idem ut supra. §. 195. II. Si qua superseminaret dissidia inter moniales, vel soleret male loqui de absentibus, vel alicui detrahere in re gravi: si absque licentia priorissae, et sine auscultatrice, quae sit testis, et clare eam audiat, praesumeret sermonem habere cum extraneis.

Idem ut supra. §. 196. III. Si qua convicta fuerit de contraventione alicujus praecepti formalis a superiore eidem singulariter, vel omnibus generaliter facti, vel de alicujus jejunii ecclesiastici fractura.

De poenis pro dictis culpis infligendis. §. 197. IV. Quae accusata, vel convicta fuerit de istis, vel aliis hujus generis culpis, humiliter confestim in genua provoluta veniam petat, et humeris denudatis substineat, uti poenam suis culpis condignam, disciplinae applicationem superiorissae arbitrio duraturam, cumque ei praecipiatur surgere, se conferat ad cellam, quae ipsi destinabitur, et nulla monialis cum illa loqui, nec ad eam aliquid mittere audeat, ut tali pacto se esse a monasterio segregatam, et unione consororum orbatam dignoscat. Durante autem hac poenitentia, sacram non sumat synaxim, nec ad aliquod officium assumatur, nec ulla illi obedientia committatur, nec aliquid illi praecipiatur, quinimo munere antea sibi concredito privetur, et vocem, et locum non habeat in capitulo, sed inibi proprias culpas solummodo dicat, et novissimum occupet locum inter caeteras, usque dum satisfactionem integraliter expleverit. Mensae cum aliis non assideat, sed in medio refectorii absque velo, et scapulare in terra nulla supellectili instructa panem, et aquam sumat, et nihil aliud, dummodo aliquid misericorditer ei non praebeatur a superiorissa, quae quantum in ipsa est, benigno illam prosequatur favore, et aliquam consororem pro ejus levamine ad illam mittat, et quatenus veram cordis humilitatem ostenderet, ejus bono proposito coadjuvent, et cunctae moniales omnem illi praestent favorem, neque recuset priorissa erga illam misericordia uti, citius, vel serius, plus minusve, prout quantitas, et qualitas criminis, ejusque resipiscentia, et humilitas exegerit.

Idem ut supra. §. 198. V. Si qua manifesto concitaretur contra superiorissam, vel proprios superiores, vel si moliretur, aut aliquid illicito exequeretur contra illos, supradictam poenitentiam agat quadraginta diebus, et voce, et loco in capitulo, ac quocumque munere, quo fungebatur, privata remaneat. Si autem in hujusmodi conspiratione, vel malitiosa unione se immiscerent aliquomodo saeculares in dedecus, infamiam, vel detrimentum monialium, vel monasterii, quae culpam hanc admitterent, in carcerem conjiciantur, et inibi pro ratione scandali gravitatis detineantur. Si vero hac de causa orirentur, et concitarentur in monasterio partes, vel factiones, tam illae, quae eas substinent, quam quae eisdem favorem praebent, puniantur poena excommunicationis, et in carceribus arbitrio patris provincialis detineantur.

§. 199. VI. Si qua studeret impedire quietem, et pacem consororum vel culparum correctionem, allegando contra superiores, illos procedere odio, sive favore, vel similibus pari poena puniatur aeque ac conspirantes, sive conjurantes adversus priorissam, prout supra statutum est. Idem ut supra.

§. 200. VII. Si qua auderet scribere, vel accipere aliquas literas absque licentia priorissae, ex quibus scandalum, vel notabile damnum oriretur, sive mitteret aliquid aestimabile ad personam extraneam, vel praesumeret detinere, vel sibi appropriare quidquid extranei ipsi dederint, uti etiam si ob excessum alicujus monialis aliqua persona saecularis scandalum pateretur, ultra poenam pro graviori culpa praefinitam, genuis submissis remaneat in janua chori, dum transeunt singulae moniales tempore horarum canonicarum, et gratiarum actionis post mensam. Idem ut supra.

§. 201. VIII. Si qua coram priorissa convicta fuerit se praebuisse falsum testimonium, vel soleret aliis monialibus infamiam inurere, poenitentiam agat tempore mensae absque pallio, superinduta sacco, in quo nonnullae sint linguae panni varii coloris; et in medio refectorii in terra sumat panem, et aquam ad hoc; ut inspici possit, ipsam ob grande vitium linguae hujusmodi poena affici, et exinde ad carcerem ducatur, a qua nemo poterit eam dimittere, nisi pater provincialis, cui hujus poenae applicatio pertineat. De poenis contra ferentes falsum testimonium.

CAP. XXI.

De culpa gravissima, ac poena pro ipsa infligenda.

§. 202. I. Incorregibilitas monialis, quae non timeat culpas patrare, nec poenitentiam De incorregibilitate.

pro illis debitam persolvere quaerat gravissima est culpa.

De apostasia et ejus poena. §. 203. II. Si qua monialis in apostasiam incideret, sive a limitibus monasterii discederet, ex hoc poenam ipsa incurrat excommunicationis majoris latae sententiae, et reliquas alias censuras, et poenas a decretis sacri concilii Tridentini, e a constitutionibus apostolicis summorum pontificum contra hujusmodi delinquentes comminatas. Quamobrem declarari ipsa debet, illas incurrisse, et cogi, ac graviter puniri, prout declarari, cogi, et puniri praecipitur.

De aliis gravissimis culpis. §. 204. III. Gravissima pariter culpa esset, si qua non obediret, et manifeste, et continua rebellione perseveraret, non parendo praeceptis a superioribus ipsi specialiter, vel cunctis generaliter factis.

Idem ut supra. §. 205. IV. Si qua (Deus autem, qui est fortitudo omnium in ipso sperantium, hoc avertat) impudicitiae peccatum admitteret.

Idem ut supra. §. 206. V. Si qua esset proprietaria, et hujusmodi proprietatem declararet: si vero in ejus obitu dignosceretur ipsam esse proprietariam, eidem ecclesiastica sepultura minime concedatur.

Idem ut supra. §. 207. VI. Si qua violentas manus injiceret in superiorissam, vel etiam in consororem cum gravi tamen laesione, vel dedecore.

Idem ut supra. §. 208. VII. Si qua quomodolibet detegeret extraneis aliquod crimen alicujus consororis, vel universi monasterii, ex quo infamia eidem possit inuri.

Idem ut supra. §. 209. VIII. Si qua sibi, vel cuilibet alteri personae compararet aliquid, quod ambitionem sapiat, vel munera, sive aliquid aliud constitutionibus ordinis contrarii, hujusmodi moniales in carcerem detrudantur, et inibi detineantur in jejunio, et abstinentia plus, vel minus pro qualitate culpae, et secundum priorissae, vel praelati prudentiam, reliquae autem consorores sub poena rebellionis, jubente priorissa, hujusmodi reas in carcerem detrudere teneantur, et nulla, excepta illa, quae custodis munere perfungitur, sub eadem poena monialem in carcere detentam alloquatur, nec illi aliquid mittat: curet tamen priorissa moniales quavis de causa in carcere detentas vel per se, vel per aliam consororem quolibet ferme die visitare, consolari, easque charitatis actibus prosequi. Si vero captiva carcerem dirumperet, et fugam arriperet, consoror illius custodiae constituta, vel quae hujusmodi fugae causam dederit, quatenus de hoc convincantur, in eumdem conjiciantur carcerem pro qualitate criminum reae, quae perfugit.

§. 210. IX. In quolibet monasterio sit carcer constitutus, ubi reae tuto, et competenter clausae remaneant. De carcere pro reis.

§. 211. X. Quae ob hujusmodi scandalosas culpas in carcere detineantur, dimitti nequeant, nisi a praelato, ad quem juxta hasce constitutiones, cognitio causae pertinet. De dimissione carceratarum.

§. 212. XI. Monialis apostata, quaeque impudicitiae peccatum, vel aliud quodcumque crimen, quod in saeculo poena ultimi supplicii punitur, patraret, et illae, quae humiliter agnoscere nollent proprias culpas, et ad frugem corrigi nequeunt, in carcerem conjiciantur, et nunquam dimittantur, nisi clare appareat, et apprime earum resipiscentia, et correctio comprobata remaneat, ita ut precibus, et intercessione omnium consororum e custodia a praelato superiore educi mereantur. De detentione in carcerem.

§. 213. XII. Quaelibet, quae in hoc carcere ob crimina in praecedenti numero expressa detineatur pro certo habeat oportet privationis vocis activae, et passivae, ac etiam loci, et cujuscumque legitimi actus, et muneris monasterii poenam perpetuo incurrisse. Quamobrem licet e carcere educta ad omnia supradicta redintegrata minime censeatur, nisi hoc ei post longam emendationis experientiam generalem definitorium impartiatur beneficium, et quamvis loco redintegretur, ad habendam vocem in capitulo redintegrata non habeatur, et quatenus vocis activae gratiam consequeretur intelligendum non est etiam passivam vocem fuisse assecutam, nisi hoc expresse, et specifice eidem elargiatur. Rea autem, quae in similia inciderit, nunquam habilitari valeat, et praeficiatur alicui muneri, vel in auscultatricem in loquutorio alibi constituatur. De privatione vocis activae, et passivae.

§. 214. XIII. Si superiorissa (quod Deus avertat) in aliquam ex culpis sub numero undecimo hujus capitis contentis incideret, continuo ab officio deponatur, et deinde graviter puniatur. De depositione superiorissae.

CAP. XXII.

Quomodo imponi debeant praecepta, et censurae, et quaenam ab hujusmodi constitutionibus obligatio inducatur.

§. 415. I. Prohibemus praelatis, et supe- De censuris.

rioribus monialium, ne praeceptis, et mandatis saepe saepius excommunicationis sententias, vel poenas superaddant, licet agatur de rebus a peccato minime disjunctis, quinimo poenas privationis vocis activae, et passivae, et alias hujus generis irrogent, ne quod excogitatum est pro medelis, in animum majores laqueos, scrupula, et perturbationes inducat, dummodo fortasse causa adeo gravis non sit, ut necessario expedire videatur impositio poenae censurae, vel excommunicationis (super quo superiorum conscientia onerata remaneat) ac etiam in hoc eventu poena excommunicationis latae sententiae non infligatur, nisi res prius accurate fuerit perpensa.

De obligatione a regulis manante.

§. 216. II. Declaramus primitivam nostram regulam, neque fratres nostros, neque moniales sub gravi culpa, sed sub veniali tantummodo obligare; item declaramus hasce nostras constitutiones, praecepta, et mandata a supradictis superioribus pro tempore universae communitati, sive aliquibus monialibus imponenda, nec in lethalis, nec sub venialis peccati vinculo obligare, dummodo talis non sit natura rei, vel si aliquid non fiat in spretum harum constitutionum, sive praelatorum, vel superior aliquid non injungeret in scriptis in virtute Spiritus Sancti, sanctae obedientiae, et sub praecepto, exceptis praeceptis, quae a visitatoribus tempore visitationis imponuntur, haec enim verbaliter tantummodo imposita obligationem inducunt.

De constitutionibus generalibus servandis.

§. 217. III. Mandamus, ut in omnibus, quae regimen, et gubernium, vel culpas, sive poenas, vel alia hujus generis in hisce constitutionibus minime contenta respiciunt, moniales nostrae servent generales constitutiones nostrae congregationis in quantum hisce constitutionibus non adversantur.

Idem ut supra.

§. 218. IV. Volumus praeterea, quod in cunctis rebus respicientibus officia, et divini cultus caeremonias, in hisce constitutionibus minime dispositis, moniales sequantur omnino proprium manuale, et caeremoniale in quantum hisce non adversetur constitutionibus; hoc novitiae perdiligenter, et majori, quo fieri possit, studio edoceantur, ad hoc ut tali pacto quoad caeremonias communes, et methodum in cunctis earum communitatibus uniformitas servetur; hoc autem perpendant patres provinciales, in visitationibus defectus, si qui in hoc irrepserint, corrigendo.

De exemplaribus quolibet in monasterio servandis.

§. 219. V. In monasteriis monialium sint plura exemplaria harum constitutionum, et legantur in refectorio, et capitulo, prout est praescriptum, et quaelibet monialis pluries illas perlegat, ut melius memoria ab ipsa teneantur, et serventur; magna enim utilitas eis ab hoc est profutura.

De visitatione monialium.

§. 220. VI. Ad hoc ut patres provinciales, et visitatores cum majori prudentia, et circumspectione in monialium nostrarum visitationibus, se gerant, volumus, quod tempore hujus visitationum perdiligenter inspiciant tractatum de visitatione a beata matre nostra Theresia conscriptum, ejusque methodum in visitatione sequantur, enixe commendando, quod in dicto tractatu injungitur, et bene perpendendo, an observetur, et quidquid in contrarium fiat corrigendo.

De poenis a priorissa infligendis.

§. 221. VII. Declaramus ad priorissam pertinere judicium ferre, et poenas infligere pro levi, media, et gravi culpa, judicium autem gravioris culpae, et gravissimae, ac poenas pro ipsis imponere ad definitorium generale spectare, et ad praecidendam occasionem confusionis in nostris monialibus ob multiplicitatem, et varietatem legum, constitutionum, et actorum, revocamus, annullamus, et abrogamus omnes, et quascumque leges, constitutiones, et acta, sive decreta quoad eas emanata tum in capitulis, cum in praeteritis generalibus definitoriis, quae omnia nullius sint roboris, et valoris, exceptis praesentibus hisce constitutionibus, quas volumus ipsae servent, et ad illarum tramites se regant, et gubernent.

Confirmatio apostolica.

§. 222. Nos igitur memoratas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praeinsertas constitutiones, omniaque in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenire seu intervenisse dici, vel censeri possit, vel poterit in futurum supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 223. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 224. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis, et congregationis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Petrum sub annulo piscatoris die duodecima maji millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 12 maji 1786. Anno XII.

DIC.

Impositio taxae favore nosocomii expositorum civitatis Viterbiensis.

Pius PP. VI.

Motu-proprio etc.

Memorantur providentiae captae a Clemente XII. pro erectione nosocomiorum in quibus expositi infantes recipiuntur.

§. 1. La provida carità, e beneficenza paterna di Clemente XII. Nostro predecessore per salvare da' pericoli, e dalla morte tante innocenti creature illegittimamente nate, e spesso abbandonate non solo, ma perfino private della vita, non che di ogni umano, e natural sussidio, si mosse a pietà delle medesime, e si determinò di erigere, e stabilire più conservatorii, ossia case di salvezza in quelle provincie, che sono più vicine a Roma, producendo quest' opera pia, e grande oltre il vantaggio, e salvezza di quest' infelici, il sollievo della pia casa dell' archiospedale di santo Spirito, quale dalla confluenza delle medesime restava oltre misura aggravata, e quasi oppressa. Fra gli altri conservatorii, che fece erigere in esecuzione di questo suo pensiere, uno fu quello, che si stabilì in Viterbo come centro di quattro vescovati, e respettivi loro territorj, quali sono: Viterbo, e Toscanella: Montefiascone, e Corneto: Sutri, e Nepi: Civita Castellana, ed Orte, e come più comode per alcuni luoghi delle diocesi di Bagnorea, Acquapendente, di s. Martino Nullius, e dell' Abbadia delle tre Fontane. Per abitazione delle fanciulle projette del medesimo assegnò, e diede l'antica Rocca fabbricata fin dal XIV. secolo dal cardinal Egidio Albornoz; la quale accresciuta, ed ornata de' papi, che di tempo in tempo successivamente per intervalli vi fecero soggiorno, e finalmente da Paolo III. fu resa nell' interno più maestosa, e comoda, e ciò deppoichè negli anni del pontificato di Clemente VII. era stata sede di refugio alla sagra, ed illustre religione Gerosolimitana dopo la perdita di Rodi, e fino al di lei stabilimento nell' isola di Malta. A questo primo beneficio, che assicurava una comoda, ed onorevole abitazione alle accennate alunne, fu d' uopo aggiungere de' provedimenti per la sussistenza, e mantenimento delle medesime, e pensare alle tante altre spese necessarie, e correlative non solo per quelle che dopo i dodici anni si alimentano nel conservatorio, ma per quelle ancora, che si danno ad allattare, ed educare fino all' età accennata, e per i maschj, ai quali si provede del pari presso a quei, che li richiedono, corrispondendo ai rispettivi educatori un mensuale assegnamento con l' occorrente, e convenevole vestiario.

Impositio taxae pro sustentatione nosocomii.

§. 2. Monsignor Innico Caraccioli destinato visitatore apostolico l' anno 1739 per unire, e formare un' annua competente entrata, impose varie tasse, e contribuzioni sopra i frutti, e redditi soprabbondanti di varj luoghi pii, e religiosi, e con essi si formò un annual provento capace di supplire al mantenimento, ed

ai bisogni del conservatorio, secondo lo stato di quel tempo. Nel decorso poi degli anni susseguenti sempre più crescendo il numero de' projetti dell' uno, e dell' altro sesso, ed essendo quindi mancanti, e difettive l' entrate, la chiara memoria del cardinal Innocenzo Conti da Noi destinato successore del cardinal Castelli nella visita apostolica del conservatorio suddetto si trovò in precisa necessità di chiederci un sussidio corrispondente all' accresciuto bisogno. Fu da Noi ingiunto al medesimo, che col consenso, a sentimento del magistrato della città di Viterbo, e dei deputati attuali del conservatorio ci accennasse quella tassa, o imposizione, che fosse al medesimi sembrata più giusta, e meno onerosa, riflettendo, che i luoghi pii, e religiosi non si dovessero aggravare più di quanto erano già stati tassati nella prima fondazione di questo luogo pio. Adempì una tal Nostra commissione il prelodato cardinale, e seguendo il parere degli accennati magistrato, e deputati, ci propose d' imporre una tassa, ossia contribuzione d' un bajocco per soma d' uva, o di mosto, che fosse raccolto ne' territorj delle quattro indicate diocesi, e degli altri luoghi a quelli adjacenti. Credendo noi questa tassa giusta, ed equitativa, e fondato il sentimento del magistrato, e deputati suddetti, ci appigliammo al medesimo, ed a quest' effetto con motuproprio fissammo, e stabilimmo l' accennata tassa. Quindi riconoscendo utile al conservatorio di dare in appalto l' esazione di detta tassa, fece il predetto cardinal Conti affiggere gli editti invitatorii per dare un tale affitto al più offerente con patti, e condizioni convenienti alla qualità del medesimo, o dei paesi, da' quali si doveva esigere. Fra le varie offerte migliore, e più utile fu dal medesimo creduta, e preferita quella di Timoteo Barnabei, il quale offerì scudi 1745. 25 all' anno, ed a di cui favore fu successivamente stipolato istromento sotto il dì 27 settembre dell' anno 1784 per gli atti del Barbacci notaro del conservatorio medesimo, e questo per tre anni, cioè 1784, 1785, e 1786. Entrato in possesso di detta esazione il Barnabei, potè egli far questa nell' anno 1784, dopo di cui in età fresca mancò di vita, lasciando un figlio maschio, e due figlie femmine in età pupillare sotto la tutela legittima di suo fratello canonico Antonio Barnabei, il quale intrapreso, e proseguì l' esigenza nell' anno 1785. Ma siccome l' accennata tassa fu ben presto riconosciuta mal distribuita, assai ineguale, e gravosa del pari, che fastidiosa; e molesta nei modi, con cui questa si esigeva dall' affittuario, venendo da essa gravato il solo genere dell' uva, e mosto, mentre ne restavano esenti, ed immuni tutti gli altri, quando non erano questi meno lucrosi di quello, e perchè si faceva prestare il giuramento nel dare le assegne, con l' ulteriore aggravio di dover pagare i scavalchi, ed anco le pene; quindi è che sempre più si andavano moltiplicando le querele, e le amarezze de' possessori delle vigne, e de' contribuenti per tal frutto.

§. 3. In questo tempo, ed in questa circostanza piacque a Dio di chiamare a se il detto cardinal Innocenzo Conti, a cui abbiamo creduto di surrogare in questa incombenza, e destinare di lui successore il reverendissimo cardinal Francesco Carrara. Eletto questi appena, gli si affollarono intorno le querele, le preghiere, e le vive istanze de' contribuenti, perchè fosse tolta, e abolita questa tassa sopra l' uva, e il mosto accusata qual fonte di spergiuri, di disgusti, e di molestie universali, e che rimosso il giuramento, fosse in sua vece sostituita altra imposizione, o tassa universale, e meno onerosa. Ci fece egli perciò una sincera relazione delle suppliche, e rappresentanze accennate, e desiderò di poter egli con la Nostra autorità abolire, e togliere del tutto il giuramento, con cui solevansi accompagnare le rispettive assegne. Noi di buon grado come a cosa tendente ad estinguere l' esecrabile abuso de' giuramenti falsi, acconsentimmo a questa prudente insinuazione, ed un tal Nostro assenso fu manifestato mediante una notificazione emanata sotto il dì 20 febrajo dell' anno corrente. Per poter poi prendere una matura, e stabile deliberazione circa la nuova tassa, che si dovesse fissare per la manutenzione, e bisogno del conservatorio subito che fosse annullato per il terzo anno il triennale affitto col Barnabei, o quello fosse consumato, e finito col raccolto dell' anno corrente 1786, pensò egli di portarsi a Viterbo per riconoscer lo stato, ed i bisogni dello stesso conservatorio, il reddito, e l' uscita per il mantenimento, la verità, o l' insussistenza delle querele contro l' antica tassa, e investigare con serio, e pesato esame qual' altra tassa convenisse, e fosse giusto di sostituire allorchè l' attuale si dovesse abolire per l' anno corrente, o questa si con-

Actus novae visitationis nosocomii.

sumasse con l'esigenza dell'anno stesso 1786. Si portò egli pertanto a Viterbo, ove giunto il dì 7 del passato mese di marzo, visitò il conservatorio, ed ivi rinvenne 140. projetto, e riseppe; che altri 281 tra maschi, e femmine, parte bambini, o bambine, parte fanciulli, e fanciulle si mantengono fuori di detto conservatorio a carico del medesimo; oltre quanto occorre per le paghe de' ministri, medicinali, ed altre indispensabili spese per il servizio, e mantenimento di tutti gli alunni, ed alunne dentro, e fuori del luogo pio. Osservò, e riconobbe dai registri, che nell'anno 1782 se ne educavano nel conservatorio 113, che ora sono moltiplicate al numero di 140, e che così in proporzione si è aumentato il numero de' maschi, e delle femmine educate fuori della pia casa; congetturando, che possa in appresso crescere il numero degli uni, e delle altre. All'incontro; che l'annua entrata fissa sia di pochi beni, sia di frutti di censi, sia di tasse assegnate fin dal principio non giunge; che alla somma di scudi 5228, e che la spesa ora divenuta necessaria supera i scudi 7700 incirca, non si potendo questa fissare nel preciso quantitativo, perchè dipendente dalla confluenza maggiore, o minore de' projetti, e projette.

Novae providentiae favore ipsius nosocomii.

§. 4. Da questo confronto d'entrata, e di spesa annua si ravvisa, e si conosca la necessità indispensabile di provvedere allo sbilancio, che d'anno in anno succederebbe quando non si pensasse di pareggiarlo con una tassa distributiva; e la più ragionevole sopra le città, e terre, che godono il beneficio di poter trasmettere i loro projetti al conservatorio predetto. Per questo fine, ed a questo effetto fu imposta la tassa sopra l'uva, e il mosto sopraindicata, e sopra i testamenti, e codicilli: fu fatto l'affitto ad triennium, ed ha continuato l'affittuario per due anni, quali sono 1784 e 1785, restando il solo anno corrente 1786. Ma avendo noi presenti i ricorsi fatti contro delle medesime per la distribuzione come ineguale, e per i modi, co' quali la stessa si fa, e di più riflettendo, che il censo promesso in somma di scudi 1745. 25 all'anno è insufficiente all'attuale bisogno del conservatorio; quando al rincontro calcolando il frutto, che in forza di detto affitto ha esatto, e potuto esigere l'affittuario, tutt'insieme ascende ad una somma eccedente un moderato lucro per il medesimo, ed eccessivamente maggiore della somma, che detto affittuario paga al conservatorio; per queste ragioni, e per desiderio di render meno grave il peso delle tasse, e per procurare la possibile quiete alle comunità, e luoghi contribuenti, ci siamo mossi a secondare le loro istanze con annullare il contratto stipolato tra il conservatorio, e Timoteo Barnabei sotto il dì, ed anno sarriferiti, riservando a Noi la facoltà di poture usare con esso qualche discreto compenso, che sarà da Noi determinato, conciliando con ciò il beneficio, e quiete de' Nostri sudditi, e l'equità, e beneficenza verso i pupilli Barnabei.

Abrogatio appaltus vectigalis pro anno 1786.

§. 5. Quindi è, che dichiariamo nullo, casso, irrito l'accennato affitto per quest'ultimo corrente anno 1786. Riflettendo Noi, che forse potrebbe lusingarsi, e portare opinione chi resta debitore per anco o in tutto, o in parte del pagamento dovuto per la raccolta degli anni 1784 e 1785, che con l'annullamento, che facciamo col presente motu proprio del terz'anno del contratto col Barnabei stipolato fosse tolto, ed annullato il debito procedente dai due accennati primi anni, lo che sarebbe contro la giustizia, e la sovrana Nostra volontà, perciò dichiariamo, che i debitori difettivi, e morosi devono pagare le rispettive loro residuali rate, o corrispondere quanto è di giustizia al tutore dei pupilli Barnabei.

Extinctio veteris taxae.

§. 6. Tolto di mezzo pertanto, ed abolito il precedente affitto stipolato col Barnabei per il terz'anno del medesimo, cioè per il corrente 1786, e considerando Noi essere state mal distribuite, ed ineguali le dette due tasse, e volendo provvedere alla quiete, e tranquillità de' Nostri sudditi, ed agli altri oggetti di sopra indicati, di moto proprio con la suprema Nostra pontificia autorità, aboliamo, ed annulliamo tanto la tassa sopra i testamenti, e codicilli, quanto l'altra sul prodotto dell'uva, e mosto dichiarandole abolite, ed annullate, e che tali debbano sempre da ciascuno riputarsi. Ora poi essendo necessario all'estinta tassa di surrogarne un'altra, siamo venuti in deliberazione di stabilirne una fissa, e permanente nella somma, e quantità di annui scudi 2500 moneta Romana da imporsi sopra le comunità delle dette due diocesi di Viterbo, e Toscanella, compresa anco la comunità di Montalto: di Montefiascone, e Corneto: di Sutri, e Nepi: di Civita Castellana, ed Orta; ed inoltre una tale imposizione cada ancora sopra le comuni-

tà di Chia, Bomarzo, Mugnano, Vitorchiano, Graffignano, Grotte di santo Stefano, Castel di Pietro, o sia san Michele, Rocca del Veccio, Sipicciano, Monte Calvello, Vallebona, Castel Cellese, luoghi tutti della diocesi di Bagnorea, nella diocesi di Acquapendente sopra quelle d'Ischia, Cellari, Canino, Onano; nella badia delle tre Fontane sopra le comunità di s. Oreste, Monterosi, e Ponzano; e finalmente sopra quella di s. Martino Nullius, riservandoci di aggiungere altri luoghi, se lo crederemo giusto, e necessario.

Impositio novi vectigalis.

§. 7. In esecuzione pertanto di questa Nostra suprema volontà con la presente Nostra cedola, in cui abbiamo per espresso, e di parola in parola registrato, ed inserito l'intero tenore di qualsivoglia privilegio di esenzione, che giammai avessero, o pretendessero avere i luoghi pii, e le persone anco ecclesiastiche sì secolari, che regolari, e di ogni altra qualunque cosa quanto si voglia necessaria d'esprimersi; benchè degna d'individua, speciale, specialissima menzione, di Nostro moto proprio, certa scienza, e con la pienezza della suprema Nostra pontificia potestà, ed autorità ordiniamo, comandiamo, ed imponiamo una fissa, permanente, ed annua tassa di scudi 2500. da contribuirsi da tutte le comunità di sopra indicate a misura della forza personale de' rispettivi luoghi estratta dallo stato della popolazione raccolto dalla Nostra congregazione de' Sgravj, e Buon Governo dell'anno 1782, al qual effetto approviamo fin da ora il ripartimento a Noi in foglio a parte esibito dal reverendissimo cardinal Carrara protettore, e visitatore apostolico di detto conservatorio.

Praefinitur modus solutionis cum privilegio manus regiae, favore nosocomii.

§. 8. E perchè alle comunità riesca meno gravoso il peso di detta tassa, vogliamo, e comandiamo, che le medesime debbano ascriversela al conto della tabella privilegiata, in guisa, che alla ridetta tassa siano tenuti contribuire tutti, niuno eccettuato di qualunque grado, qualità ec. anche privilegiato privilegiatissimo, quantunque richiedesse una speciale, ed individua menzione, nel modo stesso, in cui contribuiscono agli altri pesi privilegiali. Dichiariamo inoltre, che ciascheduna comunità per comodo del pagamento della presente tassa abbia due termini, cioè una metà per semestre, e che il primo termine del primo semestre s'intenda maturato al primo di novembre, e il secondo termine al dì primo di maggio, cosicchè le comunità pagando negli accennati due termini col far giungere il danaro in mano del cassiere del conservatorio di Viterbo, siano libere, ed esenti da qualunque spesa, ed interesse, come all'incontro quando siano morose, e difettive, possa il conservatorio procedere contro le medesime con la mano regia, e *more camerali*, ed altri privilegj accordati al conservatorio nell'antecedente Nostro moto proprio.

Deputatio judicis privativi, et executoris apostolici.

§. 9. Che se poi accadesse controversia, e disputa circa il pagamento della detta tassa, ed esecuzione del presente moto proprio, intendiamo destinato giudice privativo il protettore, e visitatore apostolico pro tempore à tenor del medesimo. Per gli effetti suddetti, e per la plenaria esecuzione della presente Nostra ordinazione diamo, e concediamo, come sopra, al ridetto reverendissimo cardinal Carrara visitatore apostolico, e specialmente a tal effetto da Noi prescelto l'autorità, e facoltà di fare, e publicare qualsisia opportuno decreto, e necessario editto, e notificazione, dare qualunque ordine, procedere, e far procedere per l'esigenza dell'enunciata, e fissata tassa anco alla spedizione, ed esecuzione della mano regia contro tutte, e singole quelle comunità, che saranno difettive, e morose nel pagamento della medesima; multarle con quelle pene, che egli crederà; qualora si scuoprissero ree d'artifizj, doli, e frodi per sottrarsi in tutto, o in parte dal pagamento della tassa predetta, e prendere finalmente qualsisia provedimento, e fare tutt'altro, che lo stesso reverendissimo cardinal visitatore per il vantaggio del conservatorio, e per il plenario adempimento del presente Nostro moto proprio crederà espediente sì al presente, che al futuro, e secondo le circostanze, che gli si presenteranno, senza che da persona veruna ecclesiastica, o secolare quanto si voglia privilegiata, e privilegiatissima possa giammai in qualunque modo, e tempo, e sotto qualunque titolo, o pretesto farglisi contradizione, nè opposizione alcuna, al che non dovrà arrestarsi per qualunque ricorso, inibizione, o atto, che fosse presentato, che dovrà egli onninamente sprezzare, fuorchè se fosse munito della pontificia Nostra soscrizione; il che intendiamo conceduto anco agli altri visitatori apostolici pro tempore di detto conservatorio, dichiarando Noi, che sotto la disposizione del presente Nostro moto proprio debbano restar

compreso tutte le persone delle suddette diocesi, e luoghi anche ecclesiastici secolari, e regolari di qualsivoglia ordine, ed istituto, vescovi, e reverendissimi cardinali, cavalieri di Malta, e d'ogni altro ordine militare, monasterj anche delle undici congregazioni, baroni, ospitali, vedove, pupilli e qualsivogliano altri, che per comprenderli fosse necessario fare di essi, e de' loro privilegii espressa, specifica, ed individua menzione.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Volendo, e decretando, che la presente Nostra cedola di moto proprio benchè non ammessa, nè registrata in camera, e ne' suoi libri, vaglia nondimeno, ed abbia sempre il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore con la Nostra semplice sottoscrizione, nè gli si possa mai opporre di surrezione, orrezione, nè di altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, che così, e non altrimenti debba sempre nelle cose premesse definirsi, decidersi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale, benchè collegiale, e composto di reverendissimi cardinali, ed eziandio da' legati a latere, togliendo loro, ed a ciascuno di essi la facoltà di definire, decidere, ed interpretare diversamente; dichiarando fin d' adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che scientemente, o ignorantemente si facesse, o tentasse di fare in contrario, ancorchè non vi siano stati chiamati, nè sentiti li vescovi delle dette diocesi, nè i procuratori fiscali delle loro curie, monsignor Nostro commissario generale della camera, li luoghi pii, gli altri magistrati, officiali, gli arcipreti, gli uomini, ed abitanti di tutti i sopraddetti luoghi, nè altri qualsisiano, che per qualunque titolo, e ragione anche di particolari, e specialissime esenzioni del pagamento di tasse vi fosse stato bisogno di sentire, chiamare, e citare.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non ostante il moto proprio di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, e qualsisiano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de' Nostri predecessori, leggi eziandio canoniche, statuti, riforme, ancorchè con apostolica autorità fatte, approvate, confermate, usi, stili, consuetudini, ed ogni altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario; alle quali tutte e singole, avendone il loro tenore qui per espresso, e di parola in parola inserito, e registrato, e supplendo Noi con la pienezza della Nostra suprema potestà, ed apostolica autorità a qualunque vizio, o difetto quantunque sostanziale, e formale, che nelle cose premesse potesse intervenire; per questa volta solamente, ed agli effetti premessi amplamente, ed espressamente deroghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Vaticano, questo dì 19 maggio 1786.

Pius pp. VI.

DC.

Dat. Romae 19. maji 1786. Anno XII.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Ariminensi.

Venerabili fratri episcopo Ariminensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro necessitate rerum, aut pro consideratione aetatum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum: eapropter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum, sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

Expositio precum.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Ariminensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime coguntur, quamvis animo invito, dies festos negligere, operi-

busque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humillime supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substentandam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Ariminensis existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, sancti Joseph, ac sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis beatae Mariae virgini Immaculatae scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica praedicta concedas, et indulgeas, permittas, et statuas, praecipias, ac mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona maji millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Derogatio contrariorum.

DCI.

Dat. Romae 19. maji 1786. Anno XII.

Mandatur, ut in posterum in generali capitulo ordinis eremitarum s. Augustini eligatur vicarius, seu visitator generalis pro provinciis Hispaniarum ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in provinciis Hispaniarum tam citra, quam ultra marinis fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini regularis disciplina refrixerit, hujus mali causa adscribenda est defectui unius superioris, qui proprius invigilet super succrescentes abusus, eosque in cunctis illis provinciis emendet, et tollat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut circa praemissa providere dignaremur, constituendo scilicet in memoratis provinciis religiosum aliquem ejusdem ordinis, vita, doctri-

na, et fama laudabilem, qui conventus, domos, et personas dictarum provinciarum non longo interjecto tempore visitet, et scrutetur.

Praefinitur modus electionis novi vicarii generalis.

§. 2. Nos igitur pro ea charitate, qua ordinem praedictum sincere prosequimur, ac pro desiderio, ut unusquisque digne ambulet in vocatione, qua vocatus est, expositis malis consulere, votisque antedicti Karoli regis catholici annuere opportunum existimantes, supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus; et mandamus, ut in imminenti, et deinde in quolibet capitulo generali ordinis praedicti, quoties de sexennio in sexennium habeatur, vel a priore generali, si ultra sexennium illius protrahatur cum voto suorum assistentium vicarius generalis, seu visitator ad sex annos duraturus ex iisdem provinciis assumendus, qui tamen Matriti fixam habeat Sedem, eligatur, seu deputetur.

Praecipitur sex consiliarios eidem vicario generali esse adjiciendos, et eorum munus declaratur.

§. 3. Huic vero vicario generali, seu visitatori pro tempore existenti, sex consiliarii, qui illi adsint, ex tribus provinciis Hispanicis citra marinis in capitulis provincialibus, duo scilicet ex qualibet provincia eligendi erunt, vel deputandi. Praedicto autem vicario generali, seu visitatori incumbet, provincias omnes ordinis praedicti, tam citra, quam ultra marinas regnorum Hispaniarum, tam per se ipsum, quam per alium, seu alios ab ipso deputandum, seu deputandos, illorumque superiores, fratres, et personas cujusvis status, gradus, qualitatis, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis existentes, nec non illarum conventus, ecclesias, domos regulares, et alia loca, et bona quaecumque ad dictas provincias spectantia, et pertinentia, tam in capite, quam in membris visitare, ac illorum statum, vitam, mores, ritus, disciplinam diligenter inquirere, nec non evangelicae, et apostolicae doctrinae, sacrorumque canonum, sanctorumque patrum traditionibus, regularibusque dicti ordinis institutis, constitutionibus, et ordinationibus generalibus auctoritate apostolica approbatis, confirmatisque inhaerendo, quaecumque reformatione, mutatione, correctione, et emendatione indigebunt, de dictorum sex consiliariorum suorum judicio reformare, corrigere, et statuere, ac sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis conformare; abusus quoscumque tollere, regulas, institutiones, et ecclesiasticam disciplinam, ubi collapsa sit, modis congruis restituere, et reintegrare, apostolicas constitutiones, ordinis leges, et statuta adamussim custodiri; quibus nunquam derogare, neque diversimode interpretari ab observantia hactenus usu recepta licebit; de repertis autem inobservantiis, et abusibus, ac de ab eo praestitis remediis priorem generalem, quam cito certiorari curabit; insuper idem vicarius generalis, seu visitator capitulis provincialibus dictarum provinciarum pro tempore habendis cum uno saltem ex designatis consiliariis praesidebit, causas, controversias, ac lites omnes inter fratres earumdem provinciarum exortas, et quomodolibet in futurum exoriendas in secunda instantia cognoscet, decidet, et definiet, ab ejus tamen sententiis in gravioribus causis divisionis provinciarum, subtractionis, et respective unionum conventuum ab una ad aliam provinciam, eorumdem suppressionum, privationum, provincialium, et priorum, et controversarum validitatum electionum, aliorumque hujusmodi, ad priorem generalem licebit provocare, et appellare, ita tamen, ut prior generalis, quoties opportunum ipse judicaverit, delegare valeat unum, aut plures religiosos in regnis praedictis commorantes, qui ejus nomine, et auctoritate causas praedictas in gradu appellationis examinent, et definiant. Controversiarum vero decisio per suffragiorum pluralitatem inter ipsum vicarium generalem, seu visitatorem, suosque consiliarios fiet, et ubi paritas incidat suffragiorum sententia praedicti vicarii generalis, seu visitatoris pluris habebitur; ad eumdem vicarium generalem, seu visitatorem spectabit proponere priori generali quatuor religiosos peritiores, et antiquiores pro examine promovendorum ad doctoratum, et magisterium, ut vocant, de *Cathedra*, facta prius ab eodem vicario, seu visitatore, ejusque consiliariis praeelectione examinatorum in definitorio uniuscujusque provinciae tam citra, quam ultra marinae; deinde prior generalis expediet literas patentes favore illorum, quos cum consiliariorum suorum assistentium digniores judicabit.

§. 4. Emolumenta vero solvi solita pro literis patentibus non excedent summam scutorum vigintiquinque monetae Romanae pro unoquoque novo magistro juxta disposita in apostolicis in simili forma Brevis a felicis re-

Praefinitur emolumentum solvendum pro literis patentibus.

cordationis Benedicto XIV. praedecessore Nostro expeditis literis pro magistris pruvinciae Castellae, easque deponentur penes vicarium generalem, seu visitatorem, a quo transmittentur priori generali; insuper aliae literae patentes magistrorum de pulpito, praesentatorum, et jubilatorum, licet expediendae sint a priori generali, nihilominus praecedere debebunt literae testimoniales, vel informativae vicarii generalis, seu visitatoris. Literae convocatoriae ad capitula generali expediendae a priore generali, vel a vicario generali totius ordinis mittentur vicario generali, seu visitatori Hispaniarum, uti ipse eas pervenire faciat ad provinciales sui vicariatus.

Statuitur locus concedendus vicario generali, et consiliariis, in capitulo generali, et numerus servandus pro assistentibus totius ordinis.

§. 5. Ulterius eidem vicario generali, seu visitatori pro tempore existenti locum supra provincialem, consiliariis praedictis vero immediatum post provincialem statuimus, et assignamus. Quod si durante sexennio sui officii ipse supremum vitae diem obierit, tunc, et eo casu, ut a priori generali pro tempore existenti dicti ordinis una cum suo generali definitorio novus vicarius generalis, seu visitator provinciarum Hispaniarum praedictarum non ultra quam ad integri sexennii exitum respective duraturus eligatur, et deputetur auctoritate, et tenore praedictis edicimus, et mandamus. Ad conservandum porro in toto ordine hujusmodi numerum quatuor assistentium generalium erit in quolibet capitulo generali eligendus assistens Hispaniarum, qui apud priorem generalem resideat, eumque comitetur cum omnibus juribus, et privilegiis eidem attributis a constitutionibus dicti ordinis. Quoties vero prior generalis visitabit provincias Hispanas secum habebit eumdem generalem assistentem, quo in casu ejusdam prioris generalis commorationne ibi duraete, suspensa erit oeconomica auctoritas vicarii generalis, seu visitatoris maxime in pertinentibus ad regularem disciplinam, et conventuum, ac domorum quarumcumque administrationem, non autem jurisdictio ordinaria, seu judicialis, exceptis casibus recursuum contra eumdem vicarium generalem, seu visitatorem, vel de revisione decretorum, seu sententiarum ab eo prolatarum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, et provinciarum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus pariter, quod earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur in judicio, et extra illud, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimanona maji millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCII.

Dat. Romae 19 maji. 1786. Anno XII.

Confirmatur transactio inter xenodochium sanctae Mariae de Morte civitatis Bononiensis, et comitem Hieronymum Legnani, ac equitem Joannem Antonium Sangiorgi Bononienses inita.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quoties a Nobis id petitur, quod ad tollenda litium jurgia, quibus plerumque christiana charitas turbatur, accomodum esse dignoscitur, nomino Nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii administratores xenodochii sanctae Mariae de Morte civitatis Bononiensis, nec non comes Hieronymus Legnani, et eques Joannes Antonius Sangiorgi de Simonioi cives Bononienses, quod cum alias per obitum bonae memoriae Hannibalis Fioravanti nobilis Bononiensis inter dictum Hieronymum haeredem fiduciarium, et administratores praedictos haeredes proprietarios dicti Hannibalis ex una, et memoratum Joannem Antonium ex altera parte, tum de ac super progressivitate nonnullorum fideicommissorum familiae Fioravanti, quae per obitum dicti Hannibalis sui favore purificata esse dictus Joannes Antonius ex dicta familia per medium femininum descendens contendebat; tum etiam de ac super detractionibus tum qualitativis, et quantitativis, quatenus constaret de dictorum fideicommissorum etiam in descendentes ex feminina progressivitate, quae haeredibus dicti Hannibalis competere arbitrabatur, plures, ac difficiles lites, et controversiae exortae sunt, quae nisi post longum articulorum examen ac partium definiri poterant. Quapropter exponentes praedicti ob incertum semper litium eventum omnem controversiam per transactionem dirimere consuetunt, quae de juris consultorum Bononiensium consilio die 11. currentis mensis maji fuit stipulata. Cum autem sicut expositio subjungebat, inter caetera in eadem transactione conventa, ut ea firmius subsistat, et servetur exactius pactum fuerit, ut eadem transactio apostolicae confirmationis robore esset munienda. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae. §. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, transactionem praedictam, ut praefertur, stipulatam auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, sanamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter respective observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima maji, millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo. Derogatio contrariorum.

DCIII. Dat. Romae 30. maji 1786. Anno XII.

Exemptio monasterii monialium sanctae Clarae ordinis sancti Francisci civitatis Bejensis a jurisdictione fratrum dicti ordinis.

Dilecto filio Nostro Vincentio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Ranuzzi nuncupato:

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Pastoralis officii humilitati Nostrae divinitus commissi sollicitudo Nos admonet, ut Prooemium.

paternam Christifidelium, qui sub suavi religionis jugo Deo proprius famulari susceperunt, curam gerentes ea, quae pro tollendis abusibus, et animorum studiis, stabiliendaque regulari disciplina, ac christiana charitate accommoda esse dignoscuntur, rerum prius, ac temporum vicibus mature perpensis, concedamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum a monialibus.

§. 2. Cum itaque dilectae in Christo filiae abbatissa, aliaeque sanctimoniales monasterii sanctae Clarae ordinis sancti Francisci civitatis Bejensis Nobis alias exponi fecerint, quod a minus recta fratrum ordinis sancti Francisci provinciae Algarbiorum de Xabregas nuncupatae, quorum jurisdictioni, ut gubernio ipsae subsunt, rei familiaris ad dictum monasterium spectantis gestione plura incommoda eis profecta sint, et quod maximum est, cum ex inde in gravissimas angustias adductae sint, ipsa etiam regularis disciplina prorsus quasi collapsa est; quodque huic malo opportunum, ac promptum adhiberetur remedium, si dictum monasterium ab eorumdem fratrum regimine, ac gubernio per Nos eximeretur, ac jurisdictioni episcopi Bejensis subderetur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Eximuntur moniales a subjectione fratrum ordinis, et subjiciuntur jurisdictioni ordinariae episcopi dioecesani.

§. 3. Nos igitur, audita prius de, ac super veritate expositorum, ac moderni episcopi Bejensis relatione, eoque consilio, cum maxime proficuum futuram fore eidem monasterio exemptionem hujusmodi intellexerimus, statui, ac utilitati earumdem sanctimonialium consulere volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati: circumspectioni tuae, de cujus fide, doctrina, vigilantia, et charitate, ac in gerendis negotiis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut dictum monasterium sanctae Clarae ordinis sancti Francisci civitatis Bejensis, ejusque sanctimoniales a quacumque subjectione, et regimine, ac gubernio dictorum fratrum ordinis sancti Francisci provinciae Algarbiorum de Xabregas nuncupatae auctoritate Nostra apostolica eximas, et liberes, ac exemptum, et liberum esse decernas, atque declares, omnimodae vero jurisdictioni moderni, ut pro tempore existentis episcopi Bejensis subjicias.

Derogatio jurium aliae fratribus ordinis competentium super praedictis monialibus.

§. 4. Eaque propter fratribus praedictis harum serie prohibemus, ne in iis, quae ad monasterium hujusmodi, et sanctimonialium praedictarum gubernium pertinent in posterum se ullatenus ingerere audeant, seu praesumant; declarantes tamen, quod licet sanctimoniales praedictas, quoad spiritualem etiam jurisdictionem a memoratis fratribus segregaverimus, ut praefertur, ac segregatas esse decreverimus, nihilominus gratiis, favoribus, indultis, ac privilegiis tam spiritualibus, quam temporalibus alias per summos pontifices praedecessores Nostros fratribus ordinis praedicti concessis uti, frui, et gaudere libere, et licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde, ac si ordini praedicto, ut prius unitae, et incorporatae essent.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et ex-

presse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima maji millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCIV.

Dat. Romae 7. junii 1786. Anno XII.

Confirmatio decreti archiepiscopi Firmani super applicatione bonorum cujusdam montis frumentarii oppidi sanctae Victoriae Firmanae dioecesis xenodochio ejusdem oppidi facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur erectio facta montis frumentarii in oppido s. Victoriae

§. 1. Quoties a Nobis id petitur, quod pietati, et religioni convenire dignoscitur, omnino Nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Nobis siquidem humiliter exponi nuper fecit dilectus filius Seraphinus Cornacchia oppidi Nostri sanctae Victoriae Firmanae dioecesis nativus, quod alias bonae memoriae canonicus Antonius Nicolaus Piccinini in supremis suis testamentariis tabulis voluit, ut in dicta terra sanctae Victoriae mons frumentarius rubrorum vigintiquinque ex suis bonis erigeretur, cujus administratio canonico camerario collegiatae ecclesiae ejusdem terrae, ac suis haeredibus concredidit, et quidem anno MDCCLXI. auctoritate ordinaria tunc existentis archiepiscopi Firmani ad formam testamentariae dispositionis praedictae mons frumentarius hujusmodi fuit erectus.

Tenor decretorum editorum ab archiepiscopo in actu visitationis ejusdem montis frumentarii.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, nuper venerabilis frater Andreas moderans archiepiscopus Firmanus, in actu suae pastoralis visitationis memorati exponentis haeredis dicti testatoris precibus annuens, quod in dicta terra sanctae Victoriae alia duo montia frumentaria jam pridem erecta fuere, quae pro oppidanis hujusmodi, sat quasi sunt capitale dicti montis frumentarii Piccinini xenodochio ejusdem terrae applicaverit per suum decretum tenoris sequentis. Cum autem idem illustrissimus dominus perpenderit, inutilem esse hunc montem, attenta existentia binorum montium, in quibus ea frumenti quantitas asservatur, quae satis est consulendae pauperum indigentiae, ideo reservavit sibi facultatem providendi in decretis generalibus.

In decretis vero generalibus habetur pariter, prout infra videlicet — Favore item ipsius domus charitatis, sive hospitalis applicavit, et concessit totam frumenti quantitatem, qua compositus est mons institutus a quondam reverendo canonico Antonio Nicolao Piccinini, postquam fuerit a mutuatariis exactus, ita tamen ut vendatur majori, quo poterit pretio, et retractus in toto, et fructifero capitali investiatur favore ejusdem domus. Hujusmodi autem applicationem faciendam statuit idem illustrissimus dominus ob inutilitatem ipsius montis attenta existentia aliorum, qui satis sunt pro populi indigentia, et attento consensu, ac instantia facta a dominis de Cornacchia haeredibus, et administratoribus a testatore vocatis. Quia vero canonicus camerarius capituli hujus loci jus habet in administratione hujus montis; statuta ejus favore ab ipso fundatore mercede in julio uno pro quolibet rubro, ideo non intendens idem illustrissimus dominus jus, et interesse tertii hac in re laedere, mandavit, ut ipsa domus, sive hospitale, postquam sui favore fuerit purificata applicatio, teneatur quotannis julios viginti praedicto domino canonico camerario rependere. Mandavit demum, quod in actu consignationis hujus frumenti fiat publicum instrumentum, in quo ipsimet dd. de Cornacchia praestitum consensum renovare sint obstricti.

§. 3. Hinc dictus Seraphinus, ut decretum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsi Seraphino gratiam specialem facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus. Confirmatio apostolica praedictorum decretorum.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissi- Clausula sublata, et decretum irritans.

me suffragari, et ab eis inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, memorati testatoris etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda junii anno millesimo septingentesimo octogesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCV.

Dat. Romae 2. junii 1786. Anno XII.

Sanatio nullitatum ex observantia antiquarum constitutionum sequutarum pro congregatione Portogalliae tertii ordinis sancti Francisci de Poenitentia.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus minister generalis, et definitorium generale fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Poenitentia nuncupatorum congregationis Portogalliae, quod ipsi, quia etiam postquam eorum ordo ab extero superiori generali per Nostras in simili forma Brevis die xxix. februarii MDCCLXXX. expeditas literas auctoritate apostolica exemptus, et in congregationem Portugalliae nuncupandam erectus fuit, antiquas constitutiones servarunt; propterea recursu habito ad dilectum filium Nostrum Vincentium Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Ranutium nuncupatum, ut nullitates ex observantia antiquarum constitutionum hujusmodi usque ad novarum constitutionum promulgationem sequutas sanaret, idem Viacentius cardinalis decretum edidit tenoris sequentis videlicet.

Tenor decreti editi a cardinali Ranutio pro sanatione nullitatum.

§. 2. Attentis expositis, oratorum conscientiae consulere volentes, auctoritate apostolica, qua suffulti sumus, et in hac parte fungimur, benigne concedimus petitam sanationem, provisionaliter tamen, et quoad praeteritum solummodo, nec non cum obligatione recurrendi quamprimum ad sanctam Sedem, eamdemque sanationem impetrandi.

Datum Lisbonae die xii. apr. MDCCLXXXVI.

Vincentius cardinalis Ranuzzi.

Julianus Cataldi secretarius

Loco ✠ Sigilli.

Tenor apostolicae sanationis.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti decreto hujusmodi obsequendo, sanationem praedictam a Nobis sibi concedi plurimum desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, ut favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, nullitates omnes, et singulas ex observantia dictarum antiquarum constitutionum sequutas, ut praefertur, auctoritate apostolica praedicta tenore praesentium supplemus, sanamus, et validamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacio-

ribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda junii anno millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secondo.

DCVI.

Dat. Romae 2. junii 1786. Anno XII.

Confirmatio legum pro bibliotheca Angelica conditarum cum institutione theologi assistentis eidem bibliothecae pro Augustino Antonio Giorgi vicario generali Eremitarum sancti Augustini.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quemadmodum ex publicis bibliothecis provida institutis, et prudenter administratis, non mediocris utilitas in Christianam rempublicam, et societatem ipsam promanat, ita Nos decet, ut ea, quae ad illas stabiliendas maxime conferunt, et ornandas, apostolica auctoritate cum se praebeat occasio firmemus, quo fructus exinde proveniant uberiores.

Expositio precum. §. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Augustinus Antonius Giorgi fratrum ordinis Eremitarum sancti Augustini expresse professus in sacra theologia magister, ejusdemque ordinis vicarius generalis, nec non publicae bibliothecae Angelicae nuncupatae conventus sancti Augustini de alma urbe bibliothecarius Nobis nuper exponi fecit, ipse de ejusdem bibliothecae incremento, et splendore apprime sollicitus, locum seu officium theologi assistentis eidem bibliothecae erigi, seu institui cupiat sub certis legibus videlicet.

Tenor legum conditarum pro gubernio bibliothecae. §. 3. I. Quod dictus theologus assistens omnem operam suam personaliter conferre debeat in ejusdem bibliothecae curam, sub directione tamen bibliothecarii pro tempore, a quo in exercitio sui muneris hujusmodi dependere teneatur.

II. Quod sit in sacra theologia magister per viam, ut dicunt, di regenzia, ac in disciplinis, et eruditione ita versatus, ut utilitatem etiam publicam possit afferre; insuper ad ejusdem bibliothecae decus, ut literariae reipublicae per aliquod opus in lucem aeditum, optimi ingenii sui praebuerit testimonium.

III. Quod decens honorarium, seu stipendium ex redditibus certae possessionis in territorio Ariminensi a dicto Augustino Antonio vigore quarumdem Nostrarum literarum in simili forma Brevis, quarum initium — *Commissa utilitati Nostrae* — die decima tertia februarii anni MDCCLXXXIV. expeditarum, acquisitae, annuatim ei praestari debeat.

IV. Quod futuris temporibus in cessum, vel decessum praedicti theologi, aut alias, dum hujusmodi munus vacare contigerit, juris sit bibliothecarii tunc existentis, tres ex qualibet natione, et provincia dicti ordinis professores et magistros priori generali ejusdem ordinis proponere, qui ex hisce quem voluerit, ad dictum munus valeat eligere.

V. Quod, et si in instrumento donationis dictae bibliothecae per bonae memoriae Angelum Rocca dum viveret episcopum Porphiriensem condito, expresse habeatur §. XXII. — Che nella libreria non si possano moltiplicare le chiavi, ma sia una sola, e quella sia sempre tenuta dal bibliotecario — nihilominus rationi magis consentaneum videtur, ut praevia abrogatione conditionis hujusmodi, duae posthac, nec plures sint hae claves, quarum unam debitis cum cauthelis theologo assistenti per ipsummet bibliothecarium tradatur; bibliothecarii autem obitu eveniente utraque cum expresso assensu prioris generalis a dicto theologo assistente servetur, usquequo novus bibliothecarius eligatur, cui, statim ac electus fuerit, coram electoribus debebunt consignari. Si autem contingat mori bibliothecarium, eique jam factum esse ex apostolico privilegio coadjutorem cum futura successione, tunc et eo casu huic coadjutori succedenti, clavim etiam suam theologus assistens debebit consignare, quam caeteroqui novus bibliothecarius die ipso, quo possessionem bibliothecae, et tituli adipiscetur, ei reddere teneatur.

VI. Denique, quod hic theologus adnumeretur in familia praedicti conventus sancti Au-

gustini, a quo tamquam filius alimenta suscipiat.

Petitio pro obtinenda dictarum legum confirmatione, et deputatione theologi assistentis.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Augustinus Antonius non modo praeinsertas leges a Nobis adprobari, et confirmari, verum etiam dilectum pariter filium Richardum Tecker praedicti ordinis expresse professum, in sacra theologia magistrum, ac publicum ejusdem theologiae professorem, nec non generalem assistentem Germanicae ejusdem ordinis, religionis zelo, doctrina, et prudentis satis commendatum, ad munus theologi assistentis hujusmodi obeundum cum annuo honorario scutorum triginta monetae Romanae, prout inter se, et dictum Richardum conventum est, pro prima vice a Nobis eligi: nec non dicto bibliothecario duos laicos, seu conversos praedictorum ordinis, et conventus, qui dum dicta bibliotheca de mane patebit, operam suam ad publicam commoditatem in ea impendere teneantur, absque tamen servitii dispendio, quod extra matutinas horas, et quando dicta bibliotheca clausa extiterit ratione munerum per superiores sibi demandatorum praebere debent, eligendi facultatem, cui a superioribus, et fratribus saepedicti conventus, adversari nequeat (praesertim cum vestiarium saltem pro medietate ab eodem bibliothecario illis suppeditabitur) per Nos concedi plurimum desideret. Nobis propterea dictus Augustinus Antonius humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur dictum Augustinum Antonium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: praeinsertas leges, seu statuta, auctoritate apostolica, tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus. Praeterea memoratum Richardum Tecker in theologum assistentem bibliothecae Angelicae praedictae, cum annuo honorario, seu pensione ex fructibus dictae possessionis sitae in territorio Ariminensi, usque ad summam scutorum triginta dictae monetae ei persolvenda, auctoritate apostolica, tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus; dictoque bibliothecario, suisque in eodem munere successoribus, ut duos dictorum ordinis, et conventus laicos, seu conversos, qui matutinis horis, et iis tantum diebus, quibus ad publicam commoditatem dicta bibliotheca aperietur, eidem bibliothecae deservire teneantur; in reliquis autem demandata sibi per superiores munera adimpleant, eligere libere, et licite valeant, facultatem, cui nemo, nequidem ipsi superiores adversari possint, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae omnibus, et singulis ordinis, et conventus praedictorum superioribus, fratribus, et personis, ut dictum Richardum in theologum assistentem bibliothecae praedictae recognoscant, eique in omnibus ad idem officium pertinentibus faveant, et assistant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et conventus, ac bibliothecae hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque; et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo

robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda iunii anno millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 2. iunii 1786. Anno XII.

DCVII.

Confirmatio electionis sanctorum martyrum Abdon, et Senen in patronos principales oppidi de Sarreal Tarraconensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus saecularis, et populus communitatis oppidi nuncupati de Sarreal Tarraconensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi, accedente etiam assensu dilecti filii moderni vicarii generalis venerabilis fratris archiepiscopi Tarraconensis, electionem sanctorum martyrum Abdon, et Senen in patronos principales dicti oppidi per eos factam a Nobis confirmari plurimum cupiant. Nos attendentes, quod electio hujusmodi servatis servandis, et juxta praescriptum in decreto felicis recordationis Urbani pp. VIII. praedecessoris Nostri desuper edito legitime facta fuit, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, et attenta relatione dilecti etiam filii magistri Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii: electionem praedictam de sanctis martyribus Abdon, et Senen in patronos principales dicti oppidi, ut praefertur, factam, auctoritate apostolica, tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus: praeterea festivitati praedictorum sanctorum martyrum Abdon, et Senen in patronos provinciales electorum, praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, atque concedimus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque clero, et populo in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die secunda junii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 11. junii 1786 Anno XII.

DCVIII.

Facultas deputatis seminarii clericorum Foroliviensium ineundi concordiam cum haeredibus bo. me. Josephi Viguoli dum viveret episcopi Foroliviensis, super lite inter eos orta quoad restitutionem cujusdam summae.

Venerabili fratri episcopo Foroliviensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii moderni deputati seminarii clericorum civitatis Foroliviensis, quod palatium episcopale Foroliviense tempore, quo bonae memoriae Josephus Vignoli dum viveret episcopus Foroliviensis ad eamdem ecclesiam promotus fuit, quia magnis indigebat reparationibus, idem Josephus episcopus in collegio olim clericorum regularium suppressae societatis Jesu, et ex tunc ad dictum seminarium spectante, suam habitationem elegit, ubi usque ad sui obitum commoratus est, relicto interim dicto palatio liberae dispositioni ejusdem seminarii ad suos alumnos inibi collocandos: postmodum vero, ex eo, quod anno 1781. ejusdem seminarii aedes vi terraemotuum gravia damna passae fuerant, quibus reparandis praedicti seminarii

redditus impares omnino erant, tunc existentes deputati dicti seminarii memorato Josepho episcopo supplicarunt, ut reparationes dictarum aedium magis necessarias propriis sumptibus fieri curaret, receptorus impendendae pecuniae repraesentationem ab ipso seminario: manus itaque ad hujusmodi reparationem admovit idem Josephus episcopus, et in ea quatuor centum, et duodeviginti scuta monetae Romanae, obnoxque vigintinovem, cum uno denario insumpsit. Vita demum functo dicto Josepho episcopo, capitulum, et canonici tunc existentes insignis (ut asseritur) collegiatae ecclesiae sancti Venantii Camerinensis tamquam haeredes a praedicto Josepho episcopo in suo sub quo ab humanis decessit condito testamento instituti, pro restitutione summae, ut praefertur, impensae penes dictos deputatos institerunt; deputati vero praedicti adduxerunt sibi deberi pensionem tum pro collegio a dicto Josepho episcopo habitato pro eo temporis spatio, quo certis de causis non retinuerunt alumnos in palatio praefato, tum pro mobilibus dicti collegii, quibus idem episcopus usus fuerat. Reluctantibus itaque haeredibus praedictis ea potissimum fulti ratione, quod nihil de hujusmodi pensione cum dicto episcopo tempore habili fuisset conventum, aliisque rationum momentis productis, lis inter utramque partem in curia episcopali Foroliviensi de mense januario anni proxime elapsi MDCCLXXXV. fuit introducta; cumque acriter utrimque disceptaretur, mox, perpendentes dubios esse litium eventus, sumptus insuper in eis faciendos graves admodum existere, ad amicabilem concordiam devenire statuerunt, cujus quidem concordiae tenor est qui sequitur, videlicet.

Tenor initae concordiae.

§. 2. Volendosi tanto dal venerabile seminario vescovile di Forlì per una parte, quanto dal reverendissimo capitolo dell'insigne collegiata di san Venanzio di Camerino come erede della chiara memoria di monsignor Giuseppe Vignoli patrizio Camerinese, e già vescovo di questa città di Forlì istituito nell'ultimo suo testamento consegnato in forma sigillata li 9. giugno 1781. al signor Vincenzo Milani notaro pubblico, e cancelliere della curia vescovile di detta città, per i di cui atti fu aperto, e pubblicato li 2 aprile 1782. dall'altra parte dirimere la lite, e causa pendente fra di loro in questo foro ecclesiastico, e togliere ogni altra questione, che potesse eccitarsi, ben consapevoli, che l'esito delle liti è sempre dubbio, ed incerto, ma certi peraltro sono i dispendj, i disturbi, e le inquietudini, perciò per questi, ed altri prudenti motivi hanno trattato, e fra di loro stabilito in voce, salvo però hinc inde il beneplacito apostolico, l'amichevole composizione, concordia, e transazione nella maniera, o forma diffusamente espressa nel memoriale, che per riportare detto beneplacito apostolico ha il suddetto venerabile seminario umiliato alla sagra congregazione de' Vescovi, e Regolari; il quale dall'istesso s. tribunale con suo benigno rescritto essendo stato rimesso a monsignore illustrissimo, e reverendissimo vescovo di questa città con facoltà di approvare detta concordia, perciò egli con suo decreto fatto susseguentemente ha in qualità di delegato della detta sagra congregazione approvata la medesima transazione, ed ha abilitato l'uno, e l'altro luogo pio ad effettuarla, esponendone pubblico, e giurato istromento in favore ec. e come meglio dal detto memoriale, e rescritto di essa s. congregazione, decreto esecutoriale del predetto monsignor vescovo, e di altri atti consecutivi fatti in questa curia vescovile, copia autentica de' quali attualmente mi si consegna per obbligare al presente istromento, ut sit pars etc. et ad omnem etc.

Prevalendosi adunque non meno il detto venerabile seminario, che il suddetto reverendissimo capitolo di s. Venanzio delle suddette facoltà loro attribuite, hanno deliberato di unanime consenso di venire alla stipolazione del suddetto istromento.

Laonde alla presenza di me notaro, e de' testimonj infrascritti ec. personalmente costituiti li signori ec. sponte ec. ac omni ec. in detti nomi ec. e con mutua stipolazione ec. approvano, e confermano per vera la detta narrativa; ed in seguito del convenuto, come sta espresso nel suddetto memoriale presentato alla sagra congregazione, dovendo il detto venerabile seminario in piena, e totale sodisfazione di tutto quello, e quanto andasse fin qui debitore coll' eredità di detto monsignor Vignoli pagare, e sborsare al suddetto reverendissimo capitolo come erede del medesimo scudi trecento cinquanta; perciò detti signori deputati ec. attualmente, ed in contanti pagano, numerano, e sborsano al detto signor Giacinto Masini come procuratore ec. scudi ducento in tante buone monete ec. dei quali così ricevuti ec. ne ha

fatto, e fa al detto venerabile seminario, per cui accettano, e stipolano li predetti signori deputati, una mecum ec. fine, a quietanza. In fede ec. E quanto agli altri scudi cento cinquanta residuali li medesimi signori deputati in nome, e per parte del predetto venerabile seminario hanno promesso, e promettono di pagarli al suddetto reverendissimo capitolo come erede antedetto nel tempo, e termine di tre anni da computarsi dal giorno di oggi, in fine di ogni anno la rata eguale, in denari effettivi ec. qui in Forlì ec. senza però verun corso di frutti durante dette respettive dilazioni, perchè così ec. alias ec. et ad omnia ec.

Di più detti signori deputati in nome, e per parte del predetto venerabile seminario hanno rinunciato, e rinunciano in favore dell'eredità del suddetto monsignor Vignoli, e del predetto reverendissimo capitolo come di lui erede non solamente alle pretensioni della pigioni, e del uolito de' mobili specificate nel ridetto memoriale, ma eziandio a qualunque altra pretensione, e ragione, che avesse, e potesse avere sin qui per qualsisia altro capo anche qui non dedotto contro il suddetto reverendissimo capitolo nel nome antedetto, perchè così ec.

Ed all'incontro il suddetto signor Giulio Santarelli come procuratore del detto reverendissimo capitolo, attese le cose suddette fatte per parte del detto venerabile seminario, ha rinunziato in detto nome, e rinunzia ampiamente, e per sempre ad ogni, e qualunque ragione, aziona, e pretensione, che detta eredità Vignoli, e per essa il suddetto reverendissimo capitolo ha, avesse, o potesse mai avere contro il detto venerabile seminario non solo per i risarcimenti di qualsivoglia sorta, e spese fatte dal detto monsignor Vignoli mentre viveva alla fabbrica dello stesso seminario, ma eziandio per qualsivoglia altro capo, titolo, e motivo anche qui non espresso, perchè così ec.

E finalmente in coerenza di tutto ciò l'una parte, e l'altra s'impongono reciprocamente perpetuo silenzio per tutte, e singole pretensioni, e ragioni sopraddette, con promessa vicendevole di non più dedurle, nè di molestarsi in giudizio, nè fuori, condonandosi hinc inde le spese giudiziali sinora fatte, così per patto ec. alias vicissim ec. et ad omnia ec.

Le quali cose tutte ec. singula singulis ec. e per la loro più ferma, ad inviolabile osservanza ec.

§. 3. Sacra congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praeposita, referente eminentissimo Salviati ponente, attenta relatione episcopi Foroliviensis, consult, si sanctissimo Domino Nostro placuerit per suas litteras apostolicas in forma Brevis committi posse eidem episcopo, ut veris existentibus narratis, et postquam compererit in evidentem loci pii utilitatem fore cessuram praefatam concordiam cum pactis, et conditionibus supra expressis pro suo arbitrio, et conscientia approbet, atque confirmet, ita tamen, ut Breve expediatur sumptibus communibus. Romae 12. maji 1786. *Relatio congregationis Episcoporum, et Regularium super utilitate concordiae.*

F. X. card. De Zelada.

Ph. adv. Zuccari subsecretarius.

Loco ✠ Signi.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes praedicti, qui probe norunt, concordiam hujusmodi, si fiat, in evidentem dicti seminarii utilitatem cessuram esse, eam idcirco per Nos adprobari, ac subinde publicum instrumentum desuper condere summopere cupiant. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praepositorum, qui tuam, nec non dilecti filii Nostri Gregorii ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis Salviati nuncupati ponentis, relationes attenderunt, consilio, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam compereris in evidentem loci pii utilitatem fore cessuram praedictam concordiam cum pactis, et conditionibus supra expressis, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia adprobes, atque confirmes. *Tenor apostolicae confirmationis.*

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique seminarii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel *Derogatio contrariorum.*

quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima julii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 14. junii 1786. Anno XII.

DCIX.

Unio cujusdam simplicis beneficii confraternitati sanctae Caeciliae civitatis Lucanae.

Venerabili fratri Martino archiepiscopo Lucano.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum ab officialibus confraternitatis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sub invocatione, ac titulo sanctae Caeciliae in collegiata, et parochiali ecclesia sanctorum Joannis, et Reparatae civitatis Lucanae erectae, quod ipsi juspatronatum unius simplicis beneficii, seu cappellaniae sub titulo sanctae Luciae a quodam Dominico Saminiati in dicta collegiata ecclesia fundati possideant, ea tamen lege, ut unum ex confratribus dictae confraternitatis caeteroquin capacem ad dictum beneficium, dum pro tempore illud vacare contingat, nominare, ac praesentare teneantur; beneficiato autem, seu cappellano hujusmodi inter caetera incumbit onus celebrationis quinque missarum in qualibet hebdomada, ac detractis hisce oneribus vix illi scuta triginta monetae Lucanae supersunt in suum usum, ac utilitatem convertenda. Cum sicut eadem expositio subjungebat, per mortem bonae memoriae Hippolyti Simonelli, quae nuperrime contigit, beneficium praedictum de praesenti vacet, ac memorata confraternitas adeo sit tenui censu, ut quotidianos sumptus propriis operibus, quae in dicta ecclesia exerceri solent, sufferre minime possit; huic vero defectui consuleretur, quatenus beneficium praedictum eidem confraternitati, ea tamen lege, ut ab ipsa omnia missarum, aliaque adnexa onera essent satisfacienda, uniretur, ac applicaretur, prout uniri, et applicari exponentes praedicti summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum consilio, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, religionis zelo, ac in negociis gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, adimpletisque omnibus oneribus enunciato beneficio adnexis, ac durante memorata confraternitate, beneficium praedictum in commodum, ac utilitatem dictae confraternitatis auctoritate Nostra apostolica applices, eique unias, ac adnectes, firma tamen remanente devolutione ejusdem beneficii ad dictam ecclesiam collegiatam sanctorum Joannis, et Reparatae in casu extinctionis toties memoratae confraternitatis; salva semper in praemissis dictae congregationis cardinalium auctoritate. — Tenor concessionis.

§. 3. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros affectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordina- — Clausulae sublatae, et irritantes.

rios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus de exprimendo vero valore in uninnibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes vocatis, quorum interest, et aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, et constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, memorati testatoris etiam per ultimam voluntatem dispositionibus, et testamentis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum non intendimus per praesentes juspatronatum praedictum in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta julii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCX.

Dat. Romae 19. julii 1786. Anno XII.

Indultum celebrandi missam sancti Josephi pro fratribus Carmelitis excalceatis provinciae Mexicanae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectus filius modernus procurator generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum nomine superiorum, et fratrum provinciae Mexicanae dicti ordinis Nobis nuper exponi fecit, provincia praedicta ad suae devotionis augmentum, missam propriam sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem, die decima nona cujuslibet mensis cum cantu celebrare posse summopere cupiat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris: ut in posterum a fratribus memorati ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo excalceatorum provinciae Mexicanae die decima nona cujuslibet mensis celebrari possit cum cantu missa propria sancti Josephi sponsi beatae Mariae virginis cum commemoratione desponsationis ejusdem cum sancto Josepho, exceptis duplicibus primae, et secundae classis, non omissa tamen missa conventuali de festo occurrente, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 3. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii pu-

blici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta junii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 16. junii 1786. Anno XII.

DCXI.

Ut confessarii collegiatae ecclesiae sanctorum Cosmae, et Damiani villae de Cavarruvia Burgensis dioecesis recitare valeant feria quinta post dominicam tertiam quadragesimae officium sanctissimi Sacramenti sub ritu duplici majori.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus, in ecclesia collegiata sanctorum Cosmae, et Damiani martyrum villae nuncupatae de Cavarruvia Burgensis dioecesis singulis annis feria quinta, et sexta post dominicam tertiam quadragesimae nonnulli presbyteri ad excipiendas Christifidelium sacramentales confessiones soleant convenire; cumque, attentis peculiaribus circumstantiis, summopere conduceret, ut presbyteri praedicti feria quinta praedicta officium sanctissimi sacramenti sub ritu dup. mai., et sequenti feria sexta officium de dictis sanctis martyribus recitare possent. Nos attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris, supplicationibus quoque desuper Nobis humiliter porrectis inclinati: omnibus, et singulis presbyteris, qui in posterum audiendis confessionibus in praedicta ecclesia collegiata sanctorum Cosmae, et Damiani operam dabunt, ut singulis annis feria quinta post dominicam tertiam quadragesimae officium sanctissimi Sacramenti sub ritu duplici majori: feria autem sexta sequenti officium sanctorum martyrum Cosmae, et Damiani sub ritu semiduplici: dummodo tamen dictis feriis quinta, et sexta non occurrat aliquod officium ritus duplicis, vel semiduplicis, recitare libere, et licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque collegiatae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta junii millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 16. junii 1786. Anno XII.

DCXII.

Indulgetur utroque clero civitatis, et dioecesis Mexicanae, ut recitare valeat officium, et missam beatae Mariae de Bethlehem.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut venerabilis frater modernus archiepiscopus Mexicanus in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad satisfaciendum piae devotioni, quae in suis civitate, et dioecesi Mexicana in Indiis erga beatam Mariam Virginem sub titulo de Bethlehem summopere viget, officium proprium cum missa ejusdem beatae Mariae virginis jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum recitandum dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori ad utrumque clerum praedictae civitatis, et dioecesis per Nos extendi summopere cupiat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum modernum archiepiscopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, su-

spensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris; ut in posterum officium proprium cum missa beatae Mariae virginis sub titulo de Bethlehem jam pro ordine Bethlehemitico adprobatum ab utroque clero civitatis, et dioecesis praedictae dominica tertia post Epiphaniam sub ritu duplici majori, servata tamen rubricarum dispositione, recitari libere, et licite possit, et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum. §. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictarumque civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus in judicio, et extra illud adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima sexta junii millesimo, septingentesimo, octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno XII.

Dat. Romae 16. junii 1786. Anno XII.

DCXIII.

Erigitur terra Corinalti Senogalliensis dioecesis in civitatem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Laudes terrae Corinalti. §. 1. Dum singularem fidei constantiam, et eximiae devotionis affectum, quos dilecti filii communitas, et homines terrae nostrae Corinalti Senogalliensis dioecesis erga Nos, et hanc apostolicam Sedem gessisse semper, et adhuc gerere comprobantur, vigili meditatione pensamus, dignum, quin potius debitum arbitramur, ampiioribus illis honoris, et decoris titulis eos prosequi, quae jam pridem, si rerum vices sic tulissent, a praedecessoribus Nostris in mutuae benevolentiae testimonium ipsis fuissent concessa; ut haec nova beneficia suam fidem, et studium erga Romanam ecclesiam illorum matrem, et dominam in dies impensius intendant, ac caeteri ad similis largitionis munera promerenda inducantur; alias siquidem sicut eadem communitas, et homines dictae terrae Corinalti Nobis nuper exponi fecerunt, fel. recordationis Leo pp. X. praedecessor Noster, quod oppidani praedicti in suis difficillimis temporibus, at dum pene tota provincia Marchiae ab Ecclesiae Romanae hostibus tenebatur, singularem fidem, atque constantiam ostenderunt, et asperam, atque longam obsidionem, et omnia pericula, atque damna pati, ac aequo animo ferre maluerunt, quam a Sedis apostolicae devotione, et solita obedientia declinare, in praemium laborum, et gravaminum, quae propterea ipsi perpessi sunt, nedum varias exemptiones, et gratias per suas in simili forma Brevis die sexta decembris MDXVII. expeditas literas eis concessit; sed etiam, ut asseritur, episcopalem cathedram in dicta terra erexisset, ac civitatis titulum, et honorem ad preces bonae memoriae Bernardi sanctae Mariae in Porticu, dum vixit, cardinalis de Bibiena tunc in ea provincia de latere legati ei donasset, nisi Corinaltensibus ipsis rogantibus, cum ob graves sumptus, quos tum pro moenils sui oppidi, seu terrae restaurandis, cum pro resarciendis immodicis damnis a bello eorum territorio illatis agere cogebantur; onera quae huic decori conjuncta erant, sustinere impares essent, hujusmodi favor, et gratia in aliud tempus fuisset rejecta, prout ex indubiis constat consilii dictae terrae actibus.

Ratio concessionis. §. 2. Cum autem, sicut eadem expositio

subjungebat; terra hujusmodi ex suorum incolarum industria ad primaevum statum sit jamdiu restituta; ac nedum aliqua aedificia reparata, ac nova intra moenia, quibus dicta terra cingitur constructa, sed alia etiam suburbana fuerint adjecta, ac illam intra, et extra septem millia hominum circiter colant, plures aedes sacrae elegantis formae sint constructae, inter quas saecularis ecclesia collegiata; cui inserviunt duae dignitates archipresbyter, scilicet et archidiaconus, ac duodecim canonici, quibus jus est, ut asseritur, utendi pallio, seu cappa magna, ac superpelliceo rocchetto nuncupato cum quatuor mansionariis, seu beneficiatis, aliisque clericis; extant pariter in ea tres domus, ac duo hospitia Coenobitarum, unum monasterium virginum Deo sacrarum, praeter scholas pias ad puellarum institutionem, octo piorum hominum sodalitates, duo montes frumentarii, ac mons Pietatis ad cujus administratores de infantibus expositis curam gerere pertinet, immo quatuor etiam professores, grammaticae videlicet, rhetoricae, philosophiae, et theologiae pro suorum civium utilitate, ac commodo sint conducti, ac tandem tum familiarum, ac virorum illustrium fama, ac copia, tum aedificiorum elegantia, ipsaque satis ampli agri ubertas a caeteris pontificiae Nostrae ditionis, et Piceni terris secernat, huic aequitati consonum videtur, ut pro terrae hujusmodi, nec non illius, ac sui territorii incolarum honore dictam terram civitatis titulo, ac nomine, quo alias memoratus Leo praedecessor, ut praefertur, in mutuae benevolentiae signum illam insignire destinaverat, condecoremus, prout condecorari exponentes praedicti summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, atque etiam motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine terram Corinalti praedictam in civitatem tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, eique civitatis titulum, et denominationem cum omnibus honoribus, juribus, praerogativis, ac decorationibus, quae caeteris omnibus ditionis Nostrae pontificiae civitatibus competere dignoscuntur, nec non magistratui ejusdem terrae in civitatem, ut praemittitur, erectae consuetis honoribus, et insigniis, quibus aliarum ejusdem ditionis civitatum magistratus, de jure, usu, et consuetudine gaudere, seu uti possunt, pariformiter, ac pari modo, et absque ulla differentia, gaudere, potiri, et uti concedimus pariter, et impertimur; ac ejusdem terrae incolas, et habitatores civium nomine decoramus, ita tamen ut nunc, et pro tempore existens episcopus Senogalliensis in dicta terra per Nos in civitatem erecta residere minime teneatur, sed illa ecclesiae Senogalliensi, ut prius subjecta remaneat, ac ex honore hujusmodi etiam in gubernium temporale nulla inducatur innovatio.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes has praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quicumque in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarint sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quantumvis justa legittima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae, ac totalis laesionis, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato, et inexcogitabili, individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci; aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari; seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato, quempiam in judicio, vel extra, uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus,

et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae praedictae camerarium, et alios cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit dictae terrae, aliisve quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac in aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima junii, millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 4. julii 1786. Anno XII.

DCXIV.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui die dominica immediate sequenti post vigesimam primam mensis augusti visitaverint ecclesias ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis.

Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti; omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae ubicumque existentem dominica immediate sequente post diem vigesimam primam mensis augusti a primis vesperis usque ad occasum solis dominicae hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Leges peculiares adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum, detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die IV. julii MDCCLXXXVI., pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXV.

Dat. Romae 4. augusti 1786 Anno XII.

Unio monasterii s. Sabini civitatis Placentinae provinciae Bononiensis ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiae monasterio sanctorum Bonifacii, et Alexii de urbe ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostrae nullo licet meritorum Nostrorum suffragio divinitus commissum postulat, ut inter multiplices apostolicae servitutis curas illam peculiari studio suscipiamus per quam Christifideles sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectissimus in Christo filius Noster Ferdinandus regius Hispaniarum infans, quod cum ad bonum, ac utilitatem monasterii sancti Sabini monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiae civitatis Placentinae provinciae Bononiensis, ac etiam ad illius regularem disciplinam magis magisque fovendam, conservandamque quam maxime spectaret, si praevia illius dismembratione, ac separatione a monasteriis ordinis praedicti, quibus usque adhuc unitum, ac incorporatum fuit, illud monasterio sanctorum Bonifacii, et Alexii hujus almae Nostrae urbis, nec non caeteris monasteriis ordinis praedicti in ditione Nostra pontificia existentibus uniretur, et incorporaretur, prout illud dictis monasteriis uniri, et incorporari summopere desiderat, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor unionis decretae. §. 3. Nos igitur piis memorati Ferdinandi infantis votis, quantum cum Domino possumus, annuere, dictique monasterii monachos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum monasterium sancti Sabini civitatis Placentinae provinciae Bononiensis, praevia illius dismembratione, ac segregatione a monasterio, seu monasteriis ordinis praedicti, cui usque adhuc addictum extitit, cum omnibus suis bonis, domibus, juribus, et actionibus quibuscumque monasterio sanctorum Bonifacii, et Alexii urbis, aliisque monasteriis ordinis, et congregationis praedictarum in ditione Nostra pontificia existentibus auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus, ac perpetuo unitum, conjunctum, adnexum, et incorporatum esse, et fore edicimus, et mandamus; ita ut monasterium hujusmodi deinceps cum aliis monasteriis praedictis unum dumtaxat corpus, seu provinciam efformet, ac ut servata promiscue cum aliis monasteriorum praedictorum monachis cujuslibet antianitate, et dignitate, dicti monachi legibus, ac superioribus ejusdem corporis, seu provinciae, qui disciplinae, et dictorum monasteriorum oeconomiae, nec non monachorum collocationi, gubernatorum, et officiorum distributioni praesidebunt parere omnino debeant auctoritate, et tenore praedictis pariter volumus, et decernimus.

Providetur eis qui novitiatum explere desiderant. §. 4. Utque insuper unio, et incorporatio hujusmodi cum omni possibili omnium monasteriorum hujusmodi in Domini progressu fiat, statuimus, ut unum ex totius corporis, seu provinciae hujusmodi monasteriis designetur, in quo ii, qui religionis desiderio tenentur, primi novitiatus curriculum explere, ac subinde professionem regularem expresse emittere libere, ac licite possint, et valeant.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, appro-

batis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 4 augusti 1786. Anno XII.

DCXVI.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super facultate celebrandi officium, et missam sanctae Catharinae, instante utroque clero, et populo terrae de Tacoronte Canariensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii clerus, et populus terrae de Tacoronte insulae de Tenerife Canariensis dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi quo devotioni suae erga sanctam Catharinam virginem, et martyrem melius consulatur, extensionem officii proprii, missaeque propriae ejusdem sanctae Catharinae jam adprobat. pro regnis Portugalliae, et Algarbiorum sub die XIV. maji MDCCXVIII. sibi per Nos concedi summopere cupiant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut desuper opportune providere, et indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris; ut in posterum officium proprium, et missa propria sanctae Catharinae virginis, et martyris jam adprobat. pro regnis Portugalliae, et Algarbiorum sub die XIV. maji MDCCXVIII. ab exponentibus sub eodem ritu, quo hactenus recitatum est, nempe de communi ejusdem sanctae virginis, et martyris recitari libere, et licite possit, et valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque terrae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresso derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

Dat. Romae 8. augusti 1786. Anno XII.

DCXVII.

Instante clero, et populo civitatis, et dioecesis Pacensis in Indiis confirmatur decretum congregationis Rituum super facultate celebrandi officia, et missas ss. Turibii et Francisci Solani.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. Cum, sicut venerabilis frater modernus episcopus de Pace in Indiis Nobis nuper exponi fecit, ipse ad augendum cultum, et devotionem, quae apud clerum saecularem, et regularem dictae civitatis, et dioecesis de Pace in Indiis erga sanctorum Turibii Mogrobesii archiepiscopi Limani, et Francisci Solani memoriam jamdiu viget, officia propria dictorum sanctorum cum missis in eorum respective festivitatibus recitandis, et celebrandis a clero prae-

dicto sub ritu duplici secundae classis recitari posse summopere cupiat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere, et indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine fidei promotoris: ut a clero saeculari, et regulari civitatis, et dioecesis de Paço in Indiis officia propria sanctorum Turibii Mogrobesii archiepiscopi Limani, et Francisci Solani cum missis in eorumdem festivitatibus recitandis, et respective celebrandis in posterum sub ritu duplici minori recitari, et respective similiter celebrari libere, et licite possint, et valeant, facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et elargimur.

Derogatio contrariorum.

§. 2. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque civitatis, et dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 29 augusti 1786. Anno XII.

DCXVIII.

Concessio indulgentiae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesias clericorum regularium Theatinorum, quo tempore exponitur Eucharistiae sacramentum.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis, cum suis legibus, et conditionibus.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui expositioni sanctissimi Eucharistiae sacramenti, de licentia ordinariorum respectivo locorum, in qualibet ex ecclesiis clericorum regularium Theatinorum nuncupatorum, ubicumque existentibus, in uno die cujuslibet hebdomadae, per eosdem ordinarios designando, faciendae, per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac sanctae matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam, semel in mense per unumquemque Christifidelem ad sui libitum eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, misericorditer in Domino concedimus. Insuper iisdem Christifidelibus, etiam vera poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, praedictae expositioni in reliquis diebus hujusmodi, ut supra in dictis ecclesiis faciendae, interessentibus, et ibidem orantibus, quo die ex praedictis id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis, in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes, et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes, etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino etiam indulgemus.

Derog. alio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 2. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint. Utque praesentium

literarum transumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XXVIII aug. MDCCLXXXVI pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXIX.

Dat. Romae 8 septemb. 1786. Anno XII.

Confirmatio decreti lati ab archiepiscopo Elborensi super concessione jurispatronatus cappellae sub titulo Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo sitae in parochia sancti Benedicti do Matto.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Quoties a Nobis id petitur, quod pietati, et religioni convenire dignoscitur Nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Martinus Lopez Lobo de Saldanha, quod alias nempe die decima quinta septembris anni MDCCLX. publicum stipulavit instrumentum confirmatorium cujusdam decreti tunc existentis archiepiscopi Elborensis, quod ei sub certis tunc expressis conditionibus concedebatur juspatronatum ecclesiae, seu cappellae publicae sub titulo beatae Mariae virginis de Monte Carmelo sitae in parochia sancti Benedicti do Matto, et praecise in possessione Arajucha nuncupata ad eumdem Martinum spectante, tenoris, qui sequitur.

In Nome di Dio. Amen.

Instrumentum concordiae.

§. 2. Sappiano tutti quelli, che questo pubblico istromento di obbligo vedranno, che nell'anno della Natività di Nostro Signore Gesù Cristo mille settecento e sessanta, ai quindici del mese di settembre di detto anno in questa città di Evora nell'abitazione di me notajo in appresso nominato, comparve presente il molto reverendo padre maestro fra Giuseppe di Saldanha, religioso del convento di Nostra Signora della Grazia di questa città, e dimorante nel medesimo convento, persona da me notajo riconosciuta, che atteso essere la propria, che a ciò intervenne in nome, e come procuratore di suo fratel-cugino Martino Lopez Lobo di Saldanha gentiluomo della casa di sua Maestà, e tenente colonnello d'infanteria in uno dei reggimenti della guarnigione della piazza di Olivenza, come fece costare per una carta di procura, che mi presentò, la quale in questo istromento anderà in appresso copiata. E subito dal detto reverendo padre maestro fra Giuseppe di Saldanha mi fu presentata una provisione, ossia decreto, che il detto suo costituente aveva ottenuto dal fu eccellentissimo, e reverendissimo arcivescovo di questa diocesi don fra Michele di Souza; del qual decreto il suo tenore de verbo ad verbum è il seguente.

DECRETO

Tenor decreti.

§. 3. Don fra Michele di Tavora per grazia di Dio, e della santa Sede apostolica arcivescovo metropolitano di Evora, del consiglio del re mio signore ec. A tutti coloro, che questo nostro decreto vedranno salute, e pace perpetua in Gesù Cristo Nostro Salvatore. Facciamo sapere come con suo memoriale ci mandò a dire Martino Lopez Lobo di Saldanha, gentiluomo della casa di sua Maestà, cavalier professo nell'ordine di Cristo; e capitano di granatieri nella piazza di Elvas, ch'egli era padrone, e pacifico possessore di un podere, chiamato Arajucha, nella parrocchia di san Benedetto do Matto di questo nostro arcivescovado; e dentro del medesimo podere si trovava una immagine della Beata Vergine del Monte Carmelo, recentemente venerata da molti fedeli di questa provincia, che a lei concorrevano con gran devozione, e con alcune limosine; ed egli supplicante in ossequio della medesima Signora pretendeva farle donazione di uno spazio di terreno conveniente dentro del medesimo podere, per ivi fabbricarsi una chiesa, o cappella, o casa sufficiente per l'abitazione di un romito, il quale abbia cura della mondezza, decenza, e decoro della tal chiesa, o cappella, esibendosi di più il supplicante di far tutta la fabbrica a sue spese, e costituire fondo competente per la fabbrica, e manutenzione della riferita chiesa, o cappella sopra le rendite del sopraddetto podere, nel caso, che manchino le

limosine de' fedeli; perchè avendole si applicarebbono per la detta opera pia, e quando avansino, o seguitino a concorrare, si unirebbero, e incorporarebbero al capitale della fabbrica: purchè a lui supplicante in riguardo della donazione, che fa del suolo per la detta chiesa, o cappella, e dell' obbligo con cui si assoggetta alla fabbrica, per essere le limosine contingenti, gli sia accordato il patronato di essa medesima chiesa, o cappella, con facoltà, che a lui sopraddetto supplicante Martino Lopez Lobo, o al fattore del podere siano consegnate le limosine, e con la sua direzione siano impiegate nella fabbrica, col carico di renderci conto dell' entrata, e della spesa, così di quelle, che già saranno radunate, come di quelle, che per il futuro andaranno sopravvenendo: e che essendo necessario esibirebbe in nostra presenza la pianta della chiesa, o cappella, e della casa del romito; ma siccome per tutto il sopra esposto era necessaria la nostra licenza, ed approvazione, ci pregava a compiacerci di benignamente concedergliela. Il qual memoriale essendo stato da noi veduto, con nostro dispaccio dei diciotto del corrente mese di novembre mandammo passar il presente nostro decreto, per il quale auctoritate ordinaria diamo il nostro consenso, e concediamo licenza al supplicante Martino Lopez Lobo di Saldanha, acciocchè nel suo podere di Arajucha parrocchia di san Benedetto do Matto di questa nostra diocesi possa erigere una chiesa, o cappella nella forma, che chiede, sotto l'invocazione, ed in ossequio della Vergine santissima del Carmine, che ivi si venera in una sua immagine; ed acciocchè per se, o per persone divote possa ricevere le limosine, con che i fedeli cristiani hanno principiato a concorrere, e per l' avvenire concorreranno: e nella stessa maniera concediamo al supplicante il giuspatronato della detta chiesa, o romitorio, per lui, e suoi successori in ricompensa dello zelo, col quale desidera di promuovere il culto, e venerazione della detta vergine santissima (di che molto lo lodiamo) con obbligo di dar suolo competente per potersi edificare la sopraddetta chiesa, o cappella, e l'abitazione per la residenza di un romito, che abbia cura della sua nettezza, e del culto della Madonna; e di far fare paramenti decenti per potersi celebrare il santo sacrifizio della messa nella medesima chiesa, o cappella, a sue proprie spese, quando le limosine dei fedeli non siano sufficienti; e di stabilire seimila reis (sei scudi romani) di rendita in ciascun' anno sul fruttato del riferito podere in pro della fabbrica della chiesa, o cappella, nel caso ancora, che le limosine non siano sufficienti; restando la detta fabbrica soggetta a noi, ed ai signori prelati ordinarj di questa arcidiocesi nostri successori; acciocchè per se, o per noi, e per li nostri, o per li loro reverendi visitatori si possano rivedere i conti così della medesima fabbrica, come ancora dell' entrata, e spesa delle limosine nell' atto di visita, o fuor di essa, affinchè esse limosine non si possano convertire, ed erogare in altri usi, che non siano l' edifizio della cappella, suo ornato, e culto della Madonna: delle quali cose tutte si farà pubblica scrittura, per la quale il supplicante si obbligherà a tutto il riferito, e nella medesima sarà inserto de verbo ad verbum questo nostro decreto. E la detta scrittura verrà custodita nell' archivio della nostra curia ecclesiastica, dove ancora resterà registrata una copia di questo nostro decreto, acciocchè in ogni tempo possa constare di questa nostra licenza, concessione, e consenso. Dato in Evora sotto la nostra soscrizione, e sigillo ai venticinque di novembre del mille settecento, e cinquantasei. — Luogo ✠ del sigillo — Per il sigillo un marco d' argento reis cinquemilla seicento — Registrato a fogli cinquanta verso — Cordeiro — Decreto di licenza per erigersi una chiesa, o cappella nel podere dell' Arajucha, parrocchia di san Benedetto do Matto, a favore di Martino Lopez Lobo di Saldanha, nella forma in esso dichiarata — Per essere da vostra eccellenza reverendissima veduto, e sottoscritto.

Acceptatio onerum injunctorum in decreto archiepiscopi.

§. 4. Il sacerdote Giuseppe da Fonseca di Azevedo scrivano della curia ecclesiastica lo fece scrivere, e lo sottoscrisse. Registrato nella curia a fogli settantadue — Fonseca — Ed altro non si conteneva nel detto decreto, che quivi bene, e fedelmente copiai de verbo ad verbum dall' originale, a cui mi riporto. E subito dal detto reverendo procuratore fra Giuseppe di Saldanha fu detto in presenza di me notajo, e dei testimonj in appresso nominati, e nel fine di questo istromento sottoscritti, ch' egli in nome del detto suo costituente, e dei suoi eredi, e successori, per questo pubblico istromento si obbligava a tutte le clausole, condizioni, e soggezioni, pene, ed obbligazioni contenute, o dichiarate nel detto decreto addietro, e sopra

traslato, e copiate, al che tutto si assoggettava, e prometteva di adempire, ed osservare nella forma del detto decreto, e che con tutte le clausole, condizioni, ed obbligazioni contenute nel detto decreto in nome del detto suo costituente, e dei suoi successori accettava il juspatronato della detta chiesa, e che per questo medesimo istromento, ed in virtù della sua procura obbligava, e consegnava per la fabbrica della detta chiesa sei scudi di entrata in ciascun anno perpetuamente pagati, ed assicurati sopra le rendite del detto podere di Arajucha, del quale il detto suo costituente è padrone, e possessore, caso che le limosine non siano sufficienti per supplire al bisogno della detta fabbrica; e che per l'adempimento di tutto ciò obbligava tutti i beni, e rendite del detto suo costituante in generale, ed in particolare il detto podere, e le sue rendite, con dichiarazione, che la speciale ipoteca non deroga all' obbligo generale di tutti i suoi beni, nè viceversa: e di tutte il contenuto in questo istremento, o in qualsivoglia parte di esso, rispondere davanti al dottor vicario generale di queste arcivescovado, per lo qual fine rinunciava fin dall' ora presente al tribunale del suo foro, e a qualunque legge, o privilegio che aver possa, poichè di niente intendeva valersi, o godere, o solamente in tutto, e per tutto eseguire, ed osservare questo istromento secondo la sua forma, e tenore.

PROCURA

Mandatum procurae relatum a Martino Lopes pro acceptatione juspatronatus cum adnexis oneribus.

§. 5. Martino Lopez Lobo di Saldanha gentiluomo della casa reale, professo nell' ordine di Criste, e tenente colonnello d' infanteria di uno dei reggimenti della guarnigione di Olivenza ec. Per la presente carta di procura faccio mie bastante procuratore a mio fratello cugino il molto reverendo padre maestro, e signore fra Giuseppe di Saldanha, religioso della Grazia, conventuale nella città di Evora, acciocchè per me, ed in mio nome possa sottoscrivere una scrittura, come patrono, che sono, della chiesa di Nostra Signora del Carmine di Valle di Fornalhas, sita nel mio podere dell' Arajucha, parrocchia di san Benedetto do Matto, come costa dal decreto di giuspatronato emanato dall' eccellentissimo, e reverendissimo signore arcivescovo don fra Michele di Souza, con le obbligazioni nel medesimo decreto dichiarate, per il che gli concedo tutte le mie facoltà, e quelle, che di diritto mi sono accordate: e tutto l' operato dal detto mio procuratore in bene della mia giustizia l' avrò per buono, fermo, e valido sotte l' obbligo delle mie rendite. Olivenza venti di giugno del mille settecento sessanta — Martino Lopez Lobo di Saldanha — Ed altro non si conteneva nella detta carta di procura, il cui carattere, e sottoscrizione riconosco per veri, e legittimi, la quale tornai a consegnare col detto decreto al detto reverendo procuratore, che per averli ricevuti, e per tutto il restante contenuto in questo istromento si sottoscrisse al piede di esso, e così lo stipulò, e mandò fare quest' istromento, che tutto gli fu letto, e dichiarato da me notajo, come in esso si contiene, che accettò: essendo presenti come testimonj Girolamo di Almeida mercante di sola, e Domenico Nunes acquavitaro abitanti in questa città a Porta Nuova, che qui sottoscrissero, ed io Antonio Giuseppe Marques di Campos Notajo pubblico, che lo scrissi — Ho ricevute il decreto, e procura — Il lettore fra Giuseppe di Saldanha — Girolamo di Almeida Rosa — Domenico Nunes —.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 6. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Martinus, ut praeinsertum instrumentum firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret. Nos ipsi Martino gratiam specialem facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum instrumentum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in iisdem quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 7. Decernentes has praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, memoratae dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXX.

Dat. Romae 19. septemb. 1786. Anno XII.

Indulgetur magistratibus de' Savj, e novanta Pacifici vulgo nuncupati civitatis Ravennatensis, ut ipsi cum suis ministris, et famulis nunc, et pro tempore existentibus sacram synaxim de praecepto paschali sumere possint in ecclesia sancti Sebastiani dictae civitatis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis. §. 1. Dum singularem fidei constantiam, et eximiae devotionis affectum, quos dilecti filii communitas, et cives civitatis Nostrae Ravennatensis erga Nos, et hanc sanctam Sedem gessisse semper, et adhuc gerere comprobantur; pensamus, dignum arbitramur in mutuae benevolentiae Nostrae testimonium illis concedere, quae ad illorum honorem, et decus quodammodo spectare dignoscuntur, ut ob haec nova beneficia suam fidem, et studium erga Romanam ecclesiam illorum matrem, et dominam in dies impensius intendant, ac caeteri ad similia largitionis munera promerenda inducantur.

Expositio precum. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus sapientium, seu de' Savj ejusdem civitatis Nostrae Ravennatensis, quod ab antiquis usque temporibus quolibet anno ipsi simul cum alio magistratu nonagintorum Pacificorum nuncupatorum, et suis respective ministris, famulis, ac militibus praetorianis in solemni apparatu ad ecclesiam sancti Sebastiani ejusdem civitatis, quae, ut asserunt, est de suo jurepatronatus in feria majoris hebdomadae ad solvendum praeceptum communionis Paschalis sese conferre, ac sacram synaxim e manibus superioris conventus fratrum ordinis servorum beatae Mariae virginis nuncupatorum dictae ecclesiae adnexi, et quibus cura ejusdem ecclesiae commissa est, sumere consueverant. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet ad haec usque tempora consuetudo hujusmodi invaluerit, nullum tamen reperiatur documentum, quo privilegium hujusmodi fuisse illis aliquando concessum demonstretur; ad tollendam in re tanti momenti omnem dubietatem, atque perplexitatem privilegium hujusmodi sibi per Nos concedi summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ac audita etiam prius venerabilis fratris Antonii archiepiscopi Ravennatensis informatione, tum sex publicis repraesentantibus, qui magistratum nonagintorum Pacificorum eodem tempore obtinent, ut ipsi pariter cum suis respective ministris, et famulis nempe quoad magistratum sapientum cum ministro a secretis, notario, cancellario, adjutore secretariae, et cancellariae, ratiocinatore, ac suo adjutore campienario, seu moderatore librorum catastri, rei familiaris curatore, seu *maestro di casa*, ac officiali praesidenti nitori, et manutentioni viarum urbanarum *Battifango*, nuncupat., duo-

bus decanis, quatuor famulis *deazelli* nuncupat., duobus buccinatoribus, ac bajulo, et quoad alium magistratum nonagintorum Pacificorum cum ministro a secretis ejusdem magistratus bedello, seu decano duce, et sex millibus praetorianis dicti magistratus, ac tympanista, ac cum aliis ministris, et famulis in posterum forsan assumendis, praevia tamen approbatione moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Ravennatensis in dicta ecclesia sancti Sebastiani sacram synaxim ad solvendum praeceptum paschale e manibus presbyteri ab eodem archiepiscopo Ravennatensi designandi, et deputandi, receptis tamen ab eo paschalis communionis tesseris, sumere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXI.

Dat. Romae 12. sept. 1786. Anno XII.

Indulgetur clero saeculari, et regulari civitatis, et dioecesis Quitensis in Indiis, ut recitare valeant officium et missam s. Joseph semel in mense.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur decretum latum a s. congregatione Rituum.

§. 1. Emanavit dudum a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis, videlicet.

QUITEN.

Tenor decreti.

§. 2. Ad magis promovendam devotionem, quae apud clerum, et populum civitatis, et dioecesis Quitensis in regno Peruano erga patriarcham sanctum Josephum beatae Mariae virginis sponsum maxime viget, reverendissimus hodiernus episcopus una cum clero saeculari, et regulari ejusdem civitatis, et dioecesis pro indulto recitandi semel in mense die non impedita officium votivum cum missa praefati sancti patriarchae sanctissimo domino Nostro Clementi pp. XIV. humillime supplicarunt; et Sanctitas sua ad relationem per me infrascriptum secretarium factam ex speciali gratia petitum officium cum missa a clero saeculari, et regulari praedictae civitatis, et dioecesis sub ritu semiduplici semel in mense die non impedita recitari, ac respective celebrari possint benigne concessit, exceptis tamen temporibus adventus, quadragesimae, quatuor temporum, et vigiliarum, sive cum jejunio, sive absque jejunio, nec non feria secunda rogationum, atque illis feriis, in quibus juxta rubricas sit reponendum officium dominicae, aut de festo duplici, vel semiduplici translato. Die 8. julii 1769.

H. card. Chisius praefectus.

V. Macedonius S. R. C. sec.

Preces porrectae pro confirmatione decreti.

§. 3. Cum autem sicut venerabilis frater modernus episcopus de Quito in Indiis, nec non clerus, et populus ejusdem civitatis, et dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 4. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: decretum praeinsertum auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac civitatis, et dioecesis praedictarum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die duodecima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXII.

Dat. Romae 12. sept. 1786. Anno XII.

Extensio literarum apostolicarum expeditarum die 18. aprilis 1776. super facultate extrahendi milites reos a locis immunibus instante rege Sardiniae.

Pius pp. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum porrectarum a rege Sardiniae, in quibus de veteribus apostolicis literis mentio excidit.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Victorius Amadeus Sardiniae rex illustris, quod alias illius precibus Nobis hisce desuper humiliter porrectis annuendo per Nostras in simili forma Brevis die XVIII. aprilis MDCCLXXVI. expeditas literas venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis civitatum, et dioecesum sub sui dominio existentium facultatem milites reos desertionis a quibusvis ecclesiis, et locis immunibus earumdem civitatum, et dioecesum sub certis tunc expressis conditionibus, et formis extrahendi, et consignandi suis respective praefectis tribuimus, et impertiti sumus; quodque cum facultas hujusmodi ad milites dumtaxat desertionis reos esset cohibita, satis non esset ad militarem coercendam arrogantiam, compescendamque, per alias Nostras in simili pariter forma Brevis die XI. decembris MDCCLXXIX. expeditas literas facultatem hujusmodi ad milites etiam aliorum excessuum reos, nisi tamen levis criminis essent noxii, extendimus, et ampliavimus; et quoniam milites desertionis reos, qui jam juxta primodictarum Nostrarum literarum tenorem fuerunt militaribus copiis in Sardiniae insula conscripti sub spe ecclesiasticae immunitatis nedum semel, sed iterum, ac tertio castra deserebant, aliaque committebant maleficia; ad retinendam illorum audaciam, in milites, qui desertionis, aut alio crimine recidivi forent, postquam denuo modis, ac formis in primodictis Nostris literis expressis fuerint ab ecclesiis, aliisque locis immunibus extra-

cti, juxta diversam patratorum criminum malitiam carcere, vel catena, sine tamen sanguinis effusione, et dummodo nec virgis, nec baculo plectantur, animadverti posse voluimus, et declaravimus, prout in eisdem literis, quarum tenorem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertо haberi volumus, fusius continetur.

Ratio concessionis novae.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, militum hujusmodi turmas in Sardiniae insula existentes memoratus Victorius Amadeus rex alias exauctoravarit, ac dimiserit; milites vero illis conscriptos ad alia agmina aggregare, aut ecclesiis, aliisque locis immunibus permittere a publica utilitate alienum fore intelligat; hinc in arces, seu fortalitia suae ditionis catenam, ut vocant, militarem pro militibus transfugis dumtaxat constituere intendit, ut illuc ab ecclesiis, et locis immunibus traduci per tempus juxta suorum criminum malitiam acriter custoditi, designandis operibus addicantur. Nobis propterea dictus Victorius Amadeus rex humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor novae concessionis.

§. 3. Nos igitur memorati Victorii Amadei regis votis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, utrasque Nostras literas per praesentes sufficienter expressas, et de verbo ad verbum insertas habentes, ac in ea parte, quae praesentibus literis non adversantur innovantes, venerabilibus fratribus Nostris archiepiscopis, et episcopis civitatum, et dioecesum sub dominio Victorii Amadei regis existentium facultatem cum debita licentia, ac interventu personae ecclesiasticae ab eisdem archiepiscopis, et episcopis respective deputandae milites, aut desertionis, aut aliorum excessuum reos juxta earumdem Nostrarum literarum formam a quibusvis ecclesiis, et locis immunibus dictarum civitatum, et dioecesum extrahendi, ac illos consignandi eorum respective praefectis, reportata tamen prius ab iisdem promissione, more nobilium, de non plectendis hujusmodi militibus morte, aut gravi poena corporis afflictiva sub poena excommunicationis latae sententiae adversus contravenientes Nobis, et pro tempore existenti Romano pontifici, praeter quam in mortis articulo reservatae, ut dein a dictis praefectis in arces, seu fortalitia suorum regnorum sub dicta catena militari inibi constituta traducantur, designandique operibus per tempus ab eodem Victorio Amadeo juxta patratorum criminum malitiam praefigendum addicantur, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur. Et cum jam dimissis turmis hujusmodi, quas vocant *franche*, aliqui milites rei interim ad earumdem Nostrarum literarum praescriptum fuerint ab ecclesiis, aliisque immunibus locis juxta praemissa forma extracti, qui tamen nunc separatim servantur, ut priusquam praesentes Nostrae literae suum sortiantur effectum, alii similiter extrahentur, ut hi, sicut caeteri in posterum extrahendi ad catenam praedictam militarem pariter traducantur, volumus, statuimus, et declaramus.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quinta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Derogatio contrariorum.

DCXXIII.

Dat. Romae 20. septemb. 1786. Anno XII.

Abrogatio taxae impositae a tribunali viarum super luctosis artibus in agro Romano, ac in provinciis Marittimae, et Campaniae, Latii, Sabinae, Umbriae, ac s. Petri Patrimonio.

Antonio del titolo di s. Maria ad Martyres della S. R. C. diacono cardinal Casali prefetto della sagra congregazione de'Sgravi, e Buon Governo.

Cardinalis praefectus s. congregationis Boni Regiminis refert eidem fuisse commissum onus publicandi literas apostolicas ad rem editas.

§. 1. Il vivo desiderio, che nutre sua Beatitudine di vedere ne'suoi felicissimi stati generalmente animata, ed estesa l'industria delle manifatture, e del quale ultimamente ha dato un luminosissimo contrassegno colla introduzione del nuovo regolamento delle dogane ai confini, per una maggiore perfezione del regolamento medesimo ha in oggi indotta la stessa Santità sua ad ordinare con paterna bontà, che dal giorno primo di gennaro del prossimo venturo anno 1787. in avvenire restino del tutto abolite, e soppresse le tasse, che nell'agro Romano, ed adjacenti provincie di Marittima, e Campagna compreso Velletri, del Lazio compreso Castel Gandolfo, della Sabina, dell'Umbria incluso il ducato di Spoleto, e del Patrimonio collo stato di Castro, Ronciglione, e Viterbo attualmente si esigono dal tribunal delle Strade, sopra tutti gli opificj, edificj, e lucrose industrie di ogni genere, e che poi la somma corrispondente all'annuo ritratto delle medesime tasse, ed effettivamente incassata dallo stesso tribunale netta da tutte, e singole spese occorse per l'esigenza, e da ragguagliarsi sull'ultimo triennio si riparta in ciascun anno dalla sagra congregazione del Buon Governo sopra tutte, e singole le riferite provincie con quelle regole di giusta proporzione, che saranno stabilite dalla medesima sagra congregazione, ad effetto di passarne poscia il ritratto al predetto tribunale delle Strade per il davuto compenso, come diffusamente rilevasi da speciale clementissimo moto proprio della stessa Santità sua segnato li 16. del corrente settembre, ed a noi benignamente rimesso per l'esecuzione, del seguente tenore, cioè.

PIUS PAPA VI.

Motu Proprio etc.

Tenor motus proprii.

§. 2. Fra le massime fondamentali del nuovo regolamento delle dogane al confini da Noi ideato unicamente in « vista di favorire l'in» dustria dei Nostri amatissimi sudditi, e del » quale ingiungemmo l'esecuzione con Nostro » speciale chirografo firmato li 26. aprile sca» duto, una delle principali si è, che le ma» nifatture stabilite, e da stabilirsi entro el » Nostro Stato Ecclesiastico si sgravassero non » solo da tutti li dazj, e gabelle, ma venissero » eziandio intieramente liberate dai vincoli, e » vessazioni, che si opponevano alla loro pro» pagazione, incremento, e perfezione: ed in » adempimento di un tal principio in tutta » l'estensione delle cinque provincie del pre» detto Nostro stato con somma soddisfazione » del paterno Nostro animo già sono rimasti » pienamente soppressi, ed aboliti li dazj, che » sopra le indicate manifatture nostrali per lo » passato esigevansi nelle dogane delle parti» colari comunità, e tesorerie provinciali. »

Ratio concessionis.

§. 3. Noi consideriamo però, che poco gio» verebbe di aver abolite queste male organiz» zate gabelle, e che le benefiche Nostre mire » dirette all'incremento, e perfezione dell'In» dustria non otterrebbero, che in parte il » loro effetto, se lasciassimo tuttavia sussiste» re un altro genere di contribuzioni, alle » quali essa soggiace in una parte non indiffe» rente del predetto Nostro stato, e sono quel» le, che nell'agro Romano, e circonvicine » provincie di Marittima, e Campagna, Lazio, » Sabina, Umbria, e Patrimonio si esigono dal » tribunale delle Strade per la tassa fissa delle » consolari generalmente sopra gli opificj, ed » industrie di lucro: perciò abbiamo risoluto, » che anche di queste debba seguire la totale » abolizione, tanto più, che elleno sono di » gran lunga più dannose delle altre, come » sopra già rimaste soppresse, mentre ferisco» no l'industria nella sua stessa sorgente, e » per consegnenza non possono non impedir» ne, ed arrestarne li progressi, conforme Noi » stessi con sommo Nostro rammarico abbia» mo avuta più volte occasione di conoscere » particolarmente in ordine all'industria del» l'acquavite: Noi fummo assicurati, che la » tassa di 50. bajocchi a barile imposta dal tri» bunal delle Strade sulla fabbricazione di » questo genere ha nelle predette provincie » pressochè del tutto annientata un'industria, » che prima dell'imposizione di essa tassa avea » incominciato ad introdurvisi, e che per le » medesime poteva essere un assai ricco capo » di commercio, stante la quantità grande di » vino, che in esse regolarmente sopravanza » al bisogno dell'interno consumo. »

Concessionis tenor.

§. 4. Pertanto colla presente cedola di moto » proprio, in cui abbiamo per espresso, e di

parola in parola inserto il tenore delle costituzioni, chirografi, ed altre disposizioni de' pontefici Nostri predecessori, e Nostre sulla imposizione, e respettivamente sopra la conferma di dette tasse degli opificj, ed industrie di lucro, come pure degli editti publicati dal tribunal delle Strade sul pagamento delle medesime tasse, e di qualunque altra cosa necessaria ad esprimersi, di certa scienza, e pienezza della Nostra supreme podestà ordiniamo; ed espressamente comandiamo, che continuando a restare nel suo vigore la tassa fissa delle strade consolari per le vigne, ville, canneti, orti, sodi, ed altri terreni di qualunque specie esistenti nell' agro Romano, debbano poi tanto nel suddetto agro Romano, quanto nelle surriferite circonvicine provincie di Marittima, e Campagna compreso Velletri, del Lazio compreso Castel Gandolfo, della Sabina, dell' Umbria compreso il ducato di Spoleto, e del Patrimonio incluso lo stato di Castro, Ronciglione, e Viterbo dal di primo gennaro del prossimo venturo anno 1787. in avvenire andare affatto esenti dalla medesima tassa fissa delle strade consolari le fabbriche di acquavite, del ferro, della calce, del tabacco, del rame, delle pelli, dei cuoi, di carte, e cartoni, mattoni, canali, vasi, porcellane, majoliche, cera, polvere, sale, e di altre robe vendibili, come pure osterie, bettole, vinarie, alberghi, poste, capanne di pescatori, e pescivendoli, porti, varchi, stagni di mare, laghi di terra, cave di travertini, e d'altri sassi, marmi, breccia, arena, e di tutt' altro, edifici ad uso di bagni, fienili, valche, forni, molini, ed ogni altro edifizio, opifizio, ed industria di lucro di qualunque specie, e natura tanto attualmente esistente, quanto che in appresso vi si potesse nuovamente introdurre; di maniera che dal suddetto giorno primo di gennaro del prossimo venturo anno 1787. in avvenire chiunque nel predetto agro Romano, e nelle surriferite adjacenti provincie eserciterà, o vorrà esercitare alcuno dei nominati generi d'industria, o di qualunque altro, che di nuovo si potesse introdurre non s'intenda più obbligato a pagare l'indicata tassa delle strade consolari, ma in questa parte, e rapporto a qualunque genere d'industria resti la sua imposizione affatto estinta, ed abolita, come se mai fosse stata fatta.

Compensationes concessa in correspectivitatem favore tribunalis Viarum.

§. 5. E perchè poi la cassa del tribunal delle Strade abbia la dovuta indennizzazione, e compenso della diminuzione di entrate, che sarà per soffrire, avuto che abbia il suo effetto la surriferita ordinata abolizione delle tasse su gli opificj, e industrie di lucro, ed in tal guisa possa il medesimo continuare a supplire alle spese occorrenti per l' importante oggetto del mantenimento, e conservazione delle strade consolari vogliamo, che la somma corrispondente all' annuo ritratto delle medesime tasse su gli opificj, e lucrose industrie, ed effettivamente incassata dallo stesso tribunal delle Strade netta da tutte, e singole spese occorse per l' esigenza, e da ragguagliarsi sull' ultimo triennio, si riparta in ciascun'anno dalla Nostra congregazione del Buon Governo sopra le surriferite provincie, cioè Marittima, e Campagna compreso Velletri, Lazio compreso Castel Gandolfo, Sabina, Umbria incluso il ducato di Spoleto, e Patrimonio collo stato di Castro, Ronciglione, e Viterbo nel modo, e forma, che dalla medesima congregazione si giudicherà più conveniente; e con quelle giuste proporzioni, che lodevolmente suol tenere nell' occasioni di simili riparti, ad effetto di passarne poscia il ritratto al predetto tribunale delle Strade nei tempi, e termini, che al medesimo la stessa congregazione suole passare il prodotto dell' antica tassa delle strade consolari, alla quale già si trovano sottoposte le medesime provincie.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. E l' esecuzione di questa Nostra disposizione commettiamo al reverendissimo cardinal Casali prefetto della predetta Nostra congregazione del Buon Governo, nell' attenzione, e vigilanza del quale confidiamo totalmente per le continue prove, che abbiamo sì del suo zelo, che della sua indefessa applicazione, ed al quale, oltre alle sue ordinarie, diamo per l' effetto del riparto di cui si tratta, tutte le più ample, ed estese opportune facoltà. E siccome dal pagamento delle anzidette tasse su gli opificj, ed industrie di lucro niuno veniva eccettuato sebbene privilegiato, privilegiatissimo, e di qualunque grado, stato, e condizione si fosse, essendosi dichiarati nelle medesime compresi, e ad esse soggetti sino la reveren-

» da camera, e palazzo apostolico, reverendis» simi cardinali, s. offizio, reverenda fabbrica » di s. Pietro, ed ogni altro luogo pio, e per» sona, di cui fosse bisogno fare speciale, ed » individua menzione, così nella stessa forma, » e colla medesima generalità niuno deva an» dar esente dal pagamento del nuovo riparto » da farsi come sopra sulle riferite provincie, » ad effetto d'indennizzare la cassa del tribu» nal delle Strade della diminuzione di entra» ta, che sarà per risentire, avuto che abbia » il suo effetto l'ordinata soppressione delle » tasse su gli opifizi, ed industrie di lu» cro, poichè tale è mente, o volontà Nostra » espressa. »

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 7. Volendo, e decretando, che la pre» sente Nostra cedola di moto proprio benchè » non ammessa, nè registrata in camera, nè » ne' suoi libri, a tenore della Bolla di Pio » pp. IV. Nostro predecessore *de registrandis* » vaglia nulladimeno e debba avere il suo pie» no effetto, esecuzione, o vigore con la No» stra semplice sottoscrizione, nè gli si possa » mai opporre di surrezione, orrezione, o al» tro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed » intenzione, o che così, e non altrimenti deb» ba sempre nelle cose premesse giudicarsi, e » definirsi, da qualunque giudice, e tribuna» le, benchè collegiale, e composto di reve» rendissimi cardinali, e degno di special men» zione, togliendo loro qualunque facoltà, ed » arbitrio di decidere diversamente; dichia» rando Noi fin da ora nullo, ed invalido tut» to ciò, che si facesse, o potesse farsi in con» trario, ancorchè non vi siano stati chiama» ti, citati, nè sentiti il commissario della No» stra camera, il tribunal delle Strade, e suoi » ministri, ed ufiziali, nè altra qualsivoglia » persona, che vi avesse, o pretendesse avervi » interesse: non ostante la detta costituzione » di Pio IV. *de registrandis*, la regola della » Nostra cancelleria *de jure quaesito non tollen*» *do*, le costituzioni, ed ordinazioni de' Nostri » predecessori, e Nostre sulla imposizione, e » respettivamente sopra la conferma delle sur» riferite tasse su gli opifici, e lucrose indo» strie, leggi, statuti, riforme, usi, stili, con» suetudini, alle quali tutte, e singole, aven» done il loro tenore qui per espresso, e di » parola in parola inserto, e registrato, per » l'effetto premesso in quelle parti, che non » concordano col presente Nostro moto pro» prio specialmente deroghiamo. Dato dal » Nostro palazzo apostolico Quirinale questo » dì 16. settembre 1786.

Pius pp. VI.

Executio chirographi.

§. 8. Per il puntuale adempimento di queste provide ordinazioni prescritte da sua Beatitudine nella riferita graziosissima cedola di moto proprio noi pubblicheremo in appresso le determinazioni, che già si stanno ideando dalla predetta sagra congregazione, acciò il nuovo riparto da farsi come sopra sullo riputate provincie in compenso delle indicate tasse da sopprimersi nel principio del prossimo venturo anno 1787., corrisponda pienamente alle regole della più esatta giustizia distributiva, e conseguentemente non riesca in veruna parte oneroso. Intanto abbiamo stimato di non esitare un sol momento a rendere a tutti palese, come facciamo col presente nostro editto, questa benefica legge, che al glorioso nome di sua Beatitudine sarà nelle provincie suddette ben degno oggetto di eterne benedizioni, affinchè gli abitanti delle medesime possano sino da ora prendere le opportune misure per introdurre nuovi generi d'industrie, e vieppiù maggiormente dilatare quelli, che già si trovano stabiliti, cosicchè alla prossima esecuzione della lodata provvidissima legge abbia la stessa Santità sua il gradimento d'incominciare a vedere effettuate le benefiche viste, che colla medesima si è proposte. Dato in Roma questo dì 20. settembre 1786.

DCXXIV.

Dat. Romae 3. octobris 1786. Anno XII.

Donatio alicujus partis corporis sancti Augustini.

Dilectissimo in Christo filio Nostro Ferdinando regio Hispaniarum infanti.

Pius PP. VI.

Dilectissime in Christo fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. **M**ulto gaudio mens Nostra exultat in Domino, et magna est Nobis ratio gratulandi, cum eximiam tuam in Deum, et in sanctos

suos pietatem, et religionem augeri per omnia dono gratiae coelestis agnoscimus; et incrementa tuae in hanc sanctam Sedem apostolicam devotionis, et observantiae experimur.

Ratio concessionis. §. 2. Itaque ut magis magisque qua benevolentia, quovo animi studio, et paternae charitatis affectu quotidie simus te amplexi, tibi innotescat; scientes speciali observantia, ac honore te colere, et revereri sanctum Augustinum, quamvis dudum Romani pontifices praedecessores Nostri quamcumque sacri corporis, et aliarum reliquiarum sancti Augustini, quae, ut pie creditur, in ecclesia sancti Augustini civitatis Ticinensis ordinis nunc fratrum Praedicatorum asservantur, portionem extrahi, vel asportari prohibuerint; nihilominus aliquam dicti sacri corporis particulam tibi donare constituimus.

Tenor concessionis. §. 3. Quocirca motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine venerabili fratri Bartholomaeo archiepiscopo episcopo Papiensi per praesentes committimus, et mandamus, ut in actu asportationis dicti corporis sancti Augustini a dicta ecclesia sancti Augustini nunc fratrum ordinis Praedicatorum ad ecclesiam fratrum eremitarum sancti Augustini civitatis Ticinensis aliquam neque maximam, neque exiguam venerabilis dicti corporis partem auctoritate Nostra apostolica pro hac una tantum vice extrahat, et asportet; tibique concedat, et impertiatur.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dictae ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Caeterum post extractionem, et asportationem hujusmodi quascumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum prohibitiones in omnibus, et per omnia innovamus, ac in posterum quamcumque etiam minimae dicti corporis, vel aliarum reliquiarum praedictarum particulae asportationem, et extractionem sub iisdem poenis in literis praedecessorum Nostrorum expressis, auctoritate praedicta tenore praesentium districte prohibemus, et interdicimus, ac per praesentes literas non intendimus supradictas reliquias in aliquo approbare. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia octobris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCXXV.

Dat. Romae 14. novemb. 1786. anno XII.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Goana in Indiis.

Venerabili fratri archiepiscopo Goano in Indiis.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; eapropter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, et ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Goana

adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolaeque, et praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissimo cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contingat ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus praedictarum civitatis, et dioecesis, Goanae, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natali Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac corporis Christi, Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, ac Jacobi apostolorum, et commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis Beatae Mariae virgini immaculatae, scilicet, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, et tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio, in reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita tantum missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, ac mandes.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illarumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbo insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta novembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXVI.

Dat. Romae 17. novemb. 1786. Anno XII.

Suppressio monasterii sanctimonialium ordinis Cisterciensis in loco Bersebruk Osnabrugensis dioecesis existentis, et applicatio bonorum in erectionem scholarum pro catholicis.

Venerabili fratri Maximiano Francisco archiepiscopo Coloniensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt,

humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore Nos inter caetera ad hoc esse constitutos plane intellexinus, ut scilicet catholicam religionem totis viribus promovere, eamque adjuvante Dei gratia adversus heterodoxorum praesertim conatus tueri impigre studeremus; quamobrem dum pastoralem fraternitati tuae vigilantiam in Domino commendamus, tuis petitionibus assensum praebendum esse arbitramur.

Expositio precum ad rem porrectarum ab archiepiscopo Coloniensi.

§. 2. Nuper quidem a te accepimus, quod cum nuper inter catholicos ex una, et heterodoxos confessioni Augustanae addictos dioecesis Osnabrugensis ex altera partibus de ac super scholarum privatarum numero exorta dissidia nuper composita extiterint, acatholici summum, quantum possunt, adhibent studium ut in transactionis, hujusmodi exequutionem undique suae scholae erigant; dum interim nullae, a catholicis ob necessariae dotationis defectum instituuntur; quod quidem in catholicae religionis detrimentum redundare necesse est. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, in dicta dioecesi Osnabrugensi in loco Bersebruk nuncupato extet monasterium sanctimonialium ordinis Cisterciensis, quarum numerus vix ad novem moniales praeter abbatissam pertingit, exiguaque sit spes, ut numerus hujusmodi augeatur, quinimo paulatim decrescet, et quatuor alia monasteria sanctimonialium in eadem dioecesi superextent, in quibus dictae novem moniales, et abbatissa recipi commode possunt; hinc ad catholicae religionis bonum quam maxime spectare videretur, si praevia ejusdem monasterii suppressione, bona ad illud spectantia in dotationem scholarum hujusmodi pro catholicis erigendarum addicerentur, et unirentur, prout addici, et uniri etiam nomine dilectorum filiorum canonicorum, et capituli cathedralis ecclesiae Osnabrugensis summopere desideras, ipsique non minus desiderant.

Eidem archiepiscopo committitur, ut monasterium supprimat, et bona concedat scholis instituendis, salvis missarum oneribus.

§. 3. Nos igitur animarum Christifidelium saluti consulere, tuisque, ac capituli praedicti votis quantum cum Domino possumus annuere volentes, fraternitati tuae, capituloque praedicto insimul per praesentes committimus, et mandamus, ut monasterium sanctimonialium praedictum ordinis Cisterciensis in loco de Bersebruk erectum Osnabrugensis dioecesis auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extinguas, ac suppressum, et extinctum esse constituas, atque declares; sanctimoniales autem in eo existentes ad alia monasteria ejusdem dioecesis ipsis benevisa praevio tamen monialium monasteriorum, ad quae erunt traducendae consensu, et assignata illarum cuilibet ea vitalitia pensione, quae juxta rerum vices tibi, capituloque antedicto congrua videbitur, ex bonis dicti sic suppressi monasterii persolvenda, eadem auctoritate transferas. Bona porro mobilia, et immobilia ad monasterium hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia, salvis tamen missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus in scholarum pro catholicis instituendis erigendarum dotationem dicta auctoritate addicas, unias, et incorpores. Nos enim tibi, ac eidem capitulo necessariam, et opportunam facultatem ad praemissa, et circa ea, quae ad optatum finem illa perducenda pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequi mandandi ea omnia, quae componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Omne remedium juris tollitur adversus praesentes literas.

§. 4. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae nullatenus fuerint; ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno inexcogitato, et substantiali; sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint; vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso,

vel impetrata quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committitendis ad partes vocatis, quorum interesset, et aliis Nostrae, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima septima novembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXVII.

Dat. Romae 14 novemb. 1786. Anno XII

Ut officium, et missa de communi Confessorum non Pontificum beati Nicolai Factor ordinis minorum sancti Francisci de observantia celebrari possit in regnis Hispaniarum.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectus filius eques Nicolaus de Azara carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici apud Nos, et Sedem apostolicam minister plenipotentiarius Nobis nuper exponi fecit, memoratus Karolus rex ob specialem devotionem, qua fertur in beatum Nicolaum Factor ordinis minorum sancti Francisci de Observantia, officium, et missam de communi Confessorum non Pontificum primo loco cum orationibus propriis, jam per Nos die XXIII augusti currentis anni in honorem ejusdem beati Nicolai adprobatis ad clerum saecularem, et regularem utriusque sexus omnium regnorum, et dominiorum eidem Karolo regi subjectorum per Nos extendi summopere cupiat. Nobis propterea dictus eques Josephus Nicolaus ejusdem Karoli regis nomine humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos itaque piis praedicti Karoli regis votis annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, attenta relatione dilecti filii Julii Mariae de Somalia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; supradictum officium, et missam de communi Confessorum non Pontificum primo loco cum orationibus propriis, jam per Nos, ut praefertur, adprobatis, ad clerum saecularem, et regularem utriusque sexus omnium regnorum, et dominiorum eidem Karolo regi subjectorum sub ritu duplici minori, servata tamen rubricarum dispositione, auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari,

et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios; et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictorumque cleri, et regnorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta novembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 24. novemb. 1786. Anno XII.

DCXXVIII.

Damnatio, et prohibitio libri Germanico idiomate editi, cujus titulus latine sonat « *Quid est papa* ».

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Super soliditate petrae fundatam a Christo Ecclesiam, Petrumque singulari Christi munere prae caeteris electum, qui vicaria potestate apostolici chori princeps existeret, totiusque adeo gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi, ac solvendi summam curam, auctoritatemque in successores omni aevo prorogandam susciperet: dogma catholicum est, quod ore Christi acceptum, perenni patrum praedicatione traditum, ac defensum, Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores summorum pontificum, conciliorumque decretis confirmavit. In hoc scilicet apostolicae cathedrae principatu firmum voluit Christus, constrictumque teneri unitatis vinculum, quo Ecclesia per universum mundum propaganda, ex membris quantumcumque dissitis, mutua omnium in uno capite consociatione in unam corporis compagem coalesceret, fieretque adeo, ut hujus vis potestatis non tantum ad primae Sedis amplitudinem, sed et maxime ad corporis totius integritatem, incolumitatemque valeret. Minime proinde mirum, quotquot omnibus retro saeculis extitere, quibus antiquus humani generis hostis hostile suum in Ecclesiam odium infudit, in hanc primam Sedem irruere consuevisse, qua unitatis firmitas continetur, ut disjecto, si fieri posset, fundamento, ac dirempta ecclesiarum cum capite conjunctione, qua potissimum nituntur, vigent, ac efflorescunt, ipsammet Ecclesiam, fractis viribus misere afflictam, ac dilaceratam, libertate spoliarent, qua Christus eam donavit, indignaeque servituti addicerent.

Detegitur impii auctoris consilium in editione libelli.

§. 2. Hos inter, paucos ante annos procacis vir ingenii, damnatis dudum opusculis, nimium jam notus *Eybel*, novo exemplo infesti sui in Nos et apostolicam hanc Sedem animi testimonium edidit: qui nempe audito nuntio itineris a Nobis religionis causa suscepti, libellum suis popularibus obtrudere properavit, hac inverecunda inscriptione: *Quid est papa?* Quo plenum illud pietatis studium, quod adventus Nostri expectatio commoverat, restingueret, ipsumque decus pontificiae dignitatis, in sacerdotalis ordinis invidiam, popularisque coetus contemptum adduceret. Non tamen passus est misericors Deus improbi eum voti compotem fieri: quippe tanta ipsorummet suorum, quos abalienare a Nobis studuerat, celebritate, et frequentia, tanta omnium ordinum gratulatione, ac plausu excepti sumus; prorsus ut perspicuum fieret, quamquam nullis Nostris me-

ritis in Petri Sedem, divina disponente providentia, evecti sumus, divino tamen numinis ejusdem consilio provisum esse, ne honori, qui Petro debetur, successoris indignitas obesset.

Illud spernere pontifex voluisset, sed melius duxit etiam damnare.

§. 3. Ac tum quidem abstinendum duximus a libello merito damnatione notando; primum ne suspicaciribus, qui non desunt, hominibus, dolori potius Nostro indulsisse, quam officio paruisse videremur: dein quod oblivione protinus obruendum videri poterat opusculum ejusmodi, quod tenue per sese nil momenti afferret praeter procaciorem quamdam in veteribus calumniis retexendis licentiam. Nuper vero cum acceperimus, levitate ipsa operis factum esse, ut, qui semper parati sunt superseminare zizania inimici homines, repetitis illud typis, nec patrio tantum sermone, sed et in alios plures, quin et in *Graecam* vulgarem linguam translatum longe, lateque divulgari curarent hoc nimirum consilio, eaque spe inducti fore, ut scripti jocularis licentia non paucos ad legendum alliceret, scriptoris in affirmando confidentia incautis, qui nec pauci sunt, illuderet; nullam Nobis moram interponendam novimus, quominus gliscenti malo in dies, quantum in Nobis est, occurramus, omnique studio et opera enitamur, ut qui pacem, et unitatem Ecclesiae scindere quaerunt (utinam non domestici hostes) ad saniora consilia revocentur, aut ne horum fallaciis irretiti bonarum etiam mentium fideles ab Orthodoxae fidei constantia in profanas insurgentium errorum novitates miserrime abducantur.

Absurditates memorantur, quae in eo relatae sunt.

§. 4. Et sane cum monente Augustino, in cathedra unitatis posuerit Deus doctrinam veritatis, contra infelix iste scriptor nil non molitur, quo hanc Petri Sedem modis omnibus vexet, ac oppugnet, qua in Sede constitutam patres unanimi sensu cathedram eam cuiuere, *Qua in una unitas ab omnibus servaretur; a qua in reliquas omnes venerandae communionis jura dimanant; ad quam necesse sit omnem Ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles convenire.* Non ille veritus est fanaticam turbam appellare, quam prospiciebat ad aspectum pontificis in has voces erupturam: hominem esse, qui claves regni coelorum, cum ligandi, solvendique potestate a Deo acceperit, cui non alius episcopus exaequari valeat, a quo ipsi episcopi auctoritatem suam recipiant, quemadmodum ipso a Deo supremam suam potestatem acceperit: eumdem porro vicarium esse Christi, caput Ecclesiae visibile, judicem supremum fidelium. An ergo, quod horribile dictu, fanatica fuerit vox ipsa Christi claves regni coelorum cum ligandi, solvendique potestate Petro pollicentis: quas claves communicandas caeteris, post *Tertullianum* Petrum solum accepisse *Optatus Milevitanus* profiteri non dubitavit? An fanatica dicenda tot solemnia; toties que repetita pontificum, conciliorumve decreta, quibus illi damnati sunt, qui negarent in beato Petro apostolorum principe successorem ejus Romanum pontificem constitutum a Deo caput Ecclesiae visibile, ac vicarium Jesu Christi, ei regendae Ecclesiae plenam potestatem traditam, veramque ab omnibus, qui Christiano nomine censentur, obedientiam deberi; atque vim eam esse primatus, quem *divino iure* obtinet, ut caeteris episcopis non honoris tantum gradu, sed et supremae potestatis amplitudine antecellat? Quo magis deploranda est praeceps, ac caeca hominis temeritas, qui tot decretis damnatos errores infausto suo libello instaurare studuerit, qui dixerit, ac per multas ambages passim insinuarit: quemlibet episcopum vocatum a Deo ad gubernationem Ecclesiae non minus quam papam, nec minori praeditum esse potestate: Christum eamdem per sese apostolis omnibus potestatem dedisse: quidquid aliqui credant obtineri, et concedi solum a pontifice, posse idipsum, sive a consecratione, sive ab ecclesiastica jurisdictione pendeat, perinde obtineri a quolibet episcopo: voluisse Christum Ecclesiam reipublicae more administrari: ei quidem regimini opus esse praeside pro bono unitatis, verum qui non audeat se aliorum, qui simul regunt, negotiis implicare; privilegium tamen habeat negligentes cohortandi ad sua implenda munia: vim primatus hac una praerogativa contineri supplendae aliorum negligentiae, prospiciendi conservationi unitatis hortationibus, et exemplo: pontifices nil posse in aliena dioecesi praeterquam extraordinario casu: pontificem caput esse, quod vim suam, ac firmitatem teneat ab Ecclesia: licitum sibi fecisse pontificis violandi jura episcoporum, reservandique sibi absolutiones, dispensationes, decisiones, appellationes, collationes beneficiorum, alia uno verbo munia omnia, quae singulatim recenset, atque velut indebitas, ac episcopis injuriosas reservationes traducit.

Refelluntur absurde collatis auctoritatibus ss. patrum.

§. 5. Atque ille quidem ad fidem suis hisce dictis non tam conciliandam quam quoquo modo surripiendam, nomina longa serie praetendit sanctissimorum patrum, quorum decerptis hinc inde, maleque adductis sententiis insigni fraude abutitur, dum ea loca recenset, quae faciunt ad commendationem episcopalis dignitatis, alia reticet, quibus illi singularem pontificiae potestatis praestantiam extulerunt. Qui, si adessent, impudentem hominis calumniam ea voce refellerent, qua Sedis apostolicae principatum, suumque in eam obsequium non praedicarunt modo, sed et immortalibus scriptis ad omnem futuri temporis memoriam testatum reliquerunt: *Cyprianus* ipse, cujus haec sunt verba: Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia, et cathedra una super Petrum Domini voce fundata: qui Petri cathedram profitetur Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ad quam perfidia non possit habere accessum.

Idem ut suprà.

§. 7. *Chrysostomus* aperte declarans, potuisse Petrum jure suo successorem in proditoris locum eligere. Quo jure ex primatu ducto, Petrus ipse deinceps, primique Petri successores usi sunt, dum per omnem occidentem ecclesias fundarunt, eisque vel ante omnem synodum episcopos praefecerunt, quibus gregis regendi portionem assignarunt, tum definitis regionibus unam Sedem designarunt, cujus antistes caeteris apostolica auctoritate praesidaret. De qua ecclesiarum institutione *Innocentius I.* velut de re manifesta testimonium edidit luculentissimum, quo intelligere quisque valeat, pontificiam auctoritatem non ex constituta ante per synodos disciplina prodiisse, sed constitutae per synodalia decreta disciplinae praeluxisse. Quam etiam pontificem, compertum est, Antiochenam ecclesiam, caput orientalis dioeceseos decretis suis ordinavisse.

Idem ut supra.

§. 7. *Epiphanius*, qui Ursacium, et Valentem poenitentia ductos testatur Julio Romano pontifici libellos obtulisse, quibus errorem suum deprecarentur, atque ad communionem, et poenitentiam admitterentur.

Idem ut supra.

§. 8. *Hieronymus*, cui profanus erat quisquis non cathedrae Petri communione consociaretur, super quam petram sciret aedificatam Ecclesiam, atque adeo ab uno Damaso in gravissimis concertationibus, ut loquendi, ita et communicandi auctoritatem sibi dari efflagitabat.

Idem ut supra.

§. 9. *Augustinus*, qui se in scripturis sanctis testatur didicisse, primatum apostolorum in Petro excellenti gratia praeeminere: illum apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum: Romanam Ecclesiam, Petri sedem, eam esse petram, quam non vincunt superbae inferorum portae. Quo alia refellitur scriptoris calumnia, dum petrae nomine, super quam Christus aedificavit Ecclesiam suam, non personam, sed fidem, aut confessionem Petri vult potius esse intelligendam, quasi patres ii, qui, pro mira fecunditate Scripturae, petrae vocabulum eo quoque retulerunt, literalem illum sensum, quo ad Petrum ipsum directe refertur, deseruerint, ac non etiam apertissime retinuerint. Sic et magister Augustini *Ambrosius*: « Ipse est Petrus, cui dixit: » *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo* » *Ecclesiam meam:* Urbi ergo Petrus, ibi Ec» clesia »: Haec una vox patrum, haec doctorum perpetuata traditio, quam ex majoribus collectam paucis hisce verbis complexus est, Eugenium alloquens *Bernardus* « Tu es » cui claves traditae, cui oves creditae sunt... » habent alii assignatos sibi greges, singuli » singulos: tibi universi crediti, uni unus: » Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus » omnium pastor ». Hoc lacte doctrinae nutriti sunt quotquot in Ecclesia Christi adoleverunt; hoc, si recordari volent, a pueritia imbuti, quotquot nunc omni vento doctrinae circumferri se patiuntur. Semper ex evangelio proditum, pascendas oves Petro a Christo commendatas, non item Petrum ovibus pascendum.

Conciliorum definitiones memorantur.

§. 10. Nec vero a patrum traditione synodi oecumenicae unquam recessere. *Chalcedonenses patres* Petro se audientes praebuere per os Leonis loquenti; nec a quovis antistite, sed ab Leone tanquam capite cum implorata confirmatione, actionum suarum firmitatem noverunt esse repetendam.

Idem ut supra.

§. 11. *Octava generalis synodus actione prima* perlectum libellum probavit, seu formulam, qua post praeclara multa de Romani pontificis auctoritate perscriptum erat, qui sequestrati essent *a communione Ecclesiae catholicae, idest non consentientes Sedi apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria*. Quin praeterea cum statuendum superesset de nonnullis dispensationibus, quas utilitas Ecclesiae exposcere maxime videbatur,

impartiendae veniae facultatem sumere sibi patres ausi non sunt: verum eam per patriarcham Ignatium implorandam duxere a Sede apostolica, quam proinde agnovere, non ipsos patriarchas, relaxandorum canonum potestate pollere.

Idem ut supra. §. 12. Magna *Lateranensis synodus* quarta c. 5. Romanam Ecclesiam tradit, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, utpote universorum Christifidelium matrem et magistram.

Idem ut supra. §. 13. In *Lugdunensi II.* edita est Graecorum fidei professio, qua se recognoscere testantur, Romanam Ecclesiam summum, et plenum primatum, et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, eumque ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe, sive vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse. Quas superiores synodos subsecuta deinceps Florentina catholicum primatus dogma celebri decreto sancivit.

Idem ut supra. §. 14. Divino eodem spiritu afflati Tridentini patres declararunt: *Pontifex maximus pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores potuisse peculiari judicio reservare.* Quam adeo potestatem per omnes ecclesias sese fundentem, atque ad alia ejusdemmodi munia, quae libelli auctor explodere perperam nititur, ex aequo pertinentem, non aliunde adscitam, non ab inferioribus ad pontifices delatam, sed primatui ordinario jure insitam, cuique fatendum est, qui coelestem synodorum sapientiam, humanae inscitiae disputationibus non dubitet longe praeponendam.

Exceptiones ab auctore propositae refelluntur. §. 15. Appellat Eybel *Constantiense concilium*. At meminisse ipsum oportuerat, damnatos in eo errores fuisse, cum Wicleffi sjentis non esse de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias, nec papam esse proximum et immediatum Christi vicarium; tum Johannis Hus, Petrum non esse, nec fuisse caput Ecclesiae sanctae catholicae. Quibus erroribus sanorum verborum formam opponens *Martinus V.* praescripsit interrogandos, qui de his suspecti essent, utrum credant, beatum Petrum fuisse vicarium Christi, habentem potestatem ligandi, ac solvendi super terram. Item papam canonice electum successorem esse beati Petri habentem supremam auctoritatem in Ecclesia Dei. Item papam omnibus Christianis posse concedere indulgentias; singulos porro episcopos suis subditis secundum limitationem sacrorum canonum. Quo plane refutatur istius error, dum perperam disserens de indulgentiis scribere ausus est, quemlibet episcopum, pari modo atque papam, posse indulgentias concedere. Quae patrum, synodorumve documenta, quisquis aequo, pacatoque animo paullo attentius introspexerit, sentiet profecto, longe praestantiorem auctoritatem comprehendere, quam quae aut meri directorii, ut vocant, finibus, aut hortandi, monendi, supplendi munere contineatur.

§. 16. Quin et ipsi Basileenses in synodali responso ad Tarentinum episcopum palam declarant fateri se, et credere, Romanum pontificem caput esse, et primatem Ecclesiae, vicarium Christi, et a Christo, non ab hominibus, vel synodis aliis praelatum, et pastorem Christianorum, cui datae sunt a Domino claves, et uni dictum *Tu es Petrus*, et solum in plenitudinem potestatis vocatum esse, alios in partem sollicitudinis. Quo magis pudere ipsum deberet impotentia sudaciae, qua eam potestatis plenitudinem infirmare aggreditur, quam Basileenses inter doctrinae capita referunt adeo nota et pervulgata, ut nec opus ferat ea percensere. Et sane quod supra dictum ab Augustino retulimus, in Romana Sede semper viguisse apostolicae cathedrae principatum, huncque apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum, cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur, quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis: caeteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cujus assignationis summam auctoritatem quisquis Romano pontifici abjudicare velet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto episcoporum successionem invadere, qui ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas a Romano pontifice missionem acceperunt; ut proinde sine ingenti Ecclesiae perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis

Sequitur ut supra.

discrimine tentari nequeant magnum hoc, et mirabile potentiae consortium, divina dignatione Petri cathedrae tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est, omnes proprie regat Petrus; quos principaliter regit et Christus; et si quid Christus commune cum Petro caeteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit.

Idem ut supra.

§. 17. Laudat Gallicanos praesules, Gallicanos doctores: frustra omnino. Quos etenim ex his cogitat ille sibi suffragatores adsciscere? Vetustiores ne, an aut qui medio aevo, aut recentiore memoria, in ea inclita ecclesia pietatis, doctrinaeve laude floruere? At inter veteres illos, ut paucos ex multis proferamus, audire illum non pigeat Caesarium Arelatensem, Avitum Viennensem, quorum ille supplici libello Symmachum papam alloquitur: « Sicut a » persona beati Petri episcopatus initium, ita » necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas Vestra singulis ecclesiis, quid observare » debeant, evidenter ostendat » *Avitus* vero ad Hormisdam « Quae summa ut quid filiis vestris » fratribus meis, idest Gallicanis, si consulant, » respondere debeam, instruatis; quia jam securus non dicam de Viennensis, sed de totius Galliae devotione pollicear, omnes vestram super statu fidei captare sententiam » *Aurelanienses patres*, qui canonicam formam in metropolitanorum electione servandam ex apostolicae Sedis decretis repetunt.

Idem ut supra.

§. 18. Audiat ex medio aevo *Hincmarum Remensem*, qui, cum testatur se erga Sedem apostolicam omnium ecclesiarum matrem, ac magistram, ejusque rectores fidelem semper, atque subjectum in omnibus extitisse, hoc ipso quod videri voluit, quid apostolicae Sedi debeatur, ac deberi sentiat, manifeste declarat: tum et *Ivonem Carnotensem* graviter eorum audaciam coarguentem, qui contra Sedem apostolicam caput erigunt, *cujus judiciis, et constitutionibus obviare, plane est haereticae pravitatis notam incurrere*: ad quam *principaliter, et generalissime pertineat tam metropolitanorum, quam caeterorum episcoporum consecrationem confirmare, vel infirmare, constitutiones et judicia retractare, suas vero inconcussas detinere, et nullius inferioris judicio retractandas, vel corrigendas concedere*. Quod idem Gelasii quoque auctoritate comprobat.

Prosequitur ut supra.

§. 19. Quod si ab illa vetustate ad propiora tempora progredimur, latere illum non debuere gravissimae censurae adversus famosum Spalatensem apostatam ab insigni theologica facultate Parisiensi latae, in quibus praeformatam libelli sui damnationem perspicere facile potuisset. Hi scilicet fuere Spalatensis errores, quibus illa haereticae, ac schismaticae pravitatis notam inurendam non dubitavit: « Disparitatem potestatis inter apostolos esse » humanum inventum, in sacris evangeliis, et » divinis novi testamenti scripturis minime subsistens: » (quam haereticam et schismaticam declarat de juridictione apostolica ordinaria, quae in solo divo Petro subsistebat, intellectam). « In Ecclesia non dari unum caput supremum, et monarcham praeter Christum » Episcopos omnes simul, et in solidum eamdem regere Ecclesiam singulos cum plena potestate » Romanam Ecclesiam praecipuam » fuisse, et esse nobilitate, existimatione nomine, et dignitatis auctoritate, non regiminis, et jurisdictionis principatu » (quam dicit haereticam et schismaticam, quatenus aperto insinuat, Romanam Ecclesiam jure divino auctoritatem in alias ecclesias non habere) » Unumquemque episcopum jure divino esse » universalem » Monarchiae formam non fuisse immediate in Ecclesia a Christo institutam » falsum esse, unionem Ecclesiae catholicae in » unitate rectoris visibilis consistere » cumque Spalatensis subjunxisset, Parisiensium doctrinam, enucleate intellectam, nihil a sua discrepare, impactam sibi calumniam continuo illi refutarunt *velut meram contra facultatem Parisiensem imposturam*.

Idem ut supra.

§. 20. Praeclarum etiam, atque ut allatae Parisiensium doctorum sententiae, sic et constanti majorum suorum traditioni plane consentaneum de Romani pontificis primatu testimonium edidere Gallicani praesules in comitiis anno 1681. « Caput est, inquiunt, Ecclesiae, » centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis, et jurisdictionis sibi a Christo Jesu in persona sancti Petri collatum: qui » ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo et haereticus esset ».

Idem ut supra.

§. 21. Quin et libelli auctori non prorsus ignota fuere, petita ex omni antiquitatis memoria de Romano primatu luculentissima documenta, quo magis prodit sese pertinax illius adversus Romanam Sedem contentio, qui cum splendida illa patrum testimonia obscurare, ac delere non posset, ea veritus non sit per sum-

mam impudentiam velut allegorias male intellectas traducere, indeque factum ex parte esse, ut longa saeculorum serie creditus sit papa is esse, qui non est; quasi sanctissimi patres, quos Ecclesiae suae Deus dedit pastores et doctores, in re gravissimi momenti, quae ad Ecclesiae constitutionem pertinet, communi sensu aut erraverint ipsi, aut errandi causam fidelibus objecerint, ac non potius nefarii erroris convictus teneatur, qui de Romano pontifice aliter credendum statuat, quam tot saeculorum continuata successione creditum sit.

Ratio cur haec omnia fuerint superius animadversa.

§. 22. Atque haec quidem praedecessorum Nostrorum paribus in causis exempla secuti paullo latius, ut muneris Nostri ratio postulat, exponenda duximus, non Nostra, sed animarum lucra quaerentes, solliciti servare unitatem in vinculo pacis; in id intenti, ut, patefactis eorum fraudibus, qui patrum nomine ad pervertendas patrum sententias abutuntur, omnes intelligant, nil patribus ipsis antiquius fuisse, quam ut unitas ab omnibus in ea cathedra servaretur, quae una est caeterarum omnium a Christo constituta mater et magistra.

Tenor damnationis libri

§. 23. Unum certe ovile Christi Ecclesia est, cujus unus supremus pastor, Christus ipse regnans in coelis, unum quoque sui vicarium supremum in terris visibilem pastorem reliquit, in cujus voce Christi vocem oves audirent, ne seductae alienorum vocibus in venenata quaeque, ac mortifera pascua dilaberentur. Quo igitur cautius fideles curae Nostrae concrediti profana, et vaniloquia devitent, quae proficiunt ad impietatem, constantesque maneant huic unitatis cathedrae devincti, in qua Petrus adhuc velut in propria Sede vivit, et praesidet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem, neve in hanc fraudem induci se patiantur, ut putent ambitione extortum, aut ignorantia, vel adulatione delatum, aut pravis artibus quaesitum, quod Christi est ordinatione constitutum. Nos memoratum opusculum a Germanico idiomate in latinum translatum, complurium in sacra theologia magistrorum examini subjici mandavimus, quorum habitis consultationibus, auditisque suffragiis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium in tota republica Christiana adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum coram Nobis adstantium, motu proprio, et ex certa scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, antedictum libellum, cujus titulus latine: « Quid est papa? » cum dispensatione Caesareae regalis censurarum commissionis ob appositionem nominis « Viennae apud Josephum Edlen de Kurzbeck 1782: Graece vero Τί ἐστιν ὁ Πάπας tamquam continentem propositiones respective falsas, scandalosas, temerarias, injuriosas, ad schisma inducentes, schismaticas, erroneas, inducentes in haeresim, haereticas, et alias ab Ecclesia damnatas reprobamus, damnamus, ac pro reprobato ac damnato in perpetuum haberi volumus, atque decernimus.

Poenae contra legentes, et retinentes librum damnatum.

§. 24. Praecipimus insuper, ne quisquam ex Christifidelibus cujuscumque gradus, et dignitatis, quamvis specialissima nota dignis, libellum praedictum jam typis editum, sive manu conscriptum, vel in suo originali, vel in quacumque alia versione legere, retinere, vel denuo imprimere, seu imprimi facere audeat, aut praesumat sub poena suspensionis a divinis quantum ad personas ecclesiasticas, quantum vero ad personas saeculares sub poena excommunicationis majoris ipso facto absque alia declaratione incurrendis, quarum absolutionem, et respective relaxationem Nobis, et successoribus Nostris Romanis pontificibus reservamus, excepto dumtaxat, quoad excommunicationem praedictam, articulo mortis, quo nimirum quilibet confessarius ab hujusmodi censura, ut praefertur, incursa absolvere poterit.

Praeceptum de tradendis exemplaribus ordinariis locorum.

§. 25. Mandamus quoque bibliopolis, ac typographis, caeterisque omnibus, et singulis cujuscumque gradus, conditionis, et dignitatis, personis ecclesiasticis, et saecularibus, etiamsi speciali, et individua mentione indigeant, ut quatenus praedictus libellus vel in suo originario, in quocumque idiomate impressus, vel etiam manuscriptus, ad eorum manus devenerit, statim deferre illum teneantur ordinariis locorum sub eisdem suspensionis a divinis comminatis poenis, ac respective excommunicationis.

Fides habenda transumptis.

§. 26. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam praetexere possit, volumus et mandamus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, et cancellariae apostolicae, nec non curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie campi Florae de urbe per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibi affixa relinqui. Sic vero publicatas perinde afficere omnes et singulos, quos concernunt, ac si unicui-

que illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent. Ipsarum autem literarum praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, et ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die 28. novembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

Dat. Romae 12. decemb. 1786. Anno XII.

DCXXIX.

Ampliatio seminarii Eugubini cum applicatione bonorum a diversis piis locis eductorum; reintegratio conservatorii puellarum erecti a Joanne Baptista Cristini, et reformatio paroeciarum ejusdem civitatis, et dioecesis.

Venerabili fratri
Octavio episcopo Eugubino.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem,
et apostolicam benedictionem.

Causae pontificem impellentes.

§. 1. Ut primum administrationem hujus tuae ecclesiae Eugubinae, quam tibi duobus nondum ab hinc annis commisimus, nactus es, ad promovendum Dei cultum, et ecclesiasticam disciplinam fovendam, ac ad animarum Christifidelium salutem curandam a Deo constitutum esse, plane intellexisti; quapropter omnia nedum studia, vigiliasque tuas Dei adjuvante gratia ad hoc usque adhuc impendisti, sed etiam pastoralem visitationem per tuam dioecesim illico suscipere non omisisti; ast, cum res ejusdem tuae dioecesis pessimo loco esse deprehensus sis; hoc ipsum Nobis et scriptis, et coram significare studuisti; Nobisque etiam interim alii supplices libelli dati sunt, e quibus conjicere facile erat plura in tua dioecesi adesse incommoda. Itaque Nos pro ea paterna charitate, qua ex apostolici Nostri ministerii officio omnes omnino Christifideles praesertim vero eos, qui etiam Nobis, et apostolicae Sedi in temporalibus subditi sunt, jugiter complectimur, tuo gregi consulere volentes, exquisito a te prius earum statu, deque illo pariter ab aliis certiores facti, plura intelleximus esse, quibus omnino aliquo modo erat occurrendum. Siquidem in primis compertum apud Nos fuit, quod licet alias temporibus fel. rec. Innocentii pp. X. praedecessoris Nostri, et dum ecclesiam Eugubinam regebat bo. me. Alexander Sperelli curatum fuerit, ut ad augendum divinum cultum in ista tua cathedrali ecclesia praeter canonicos, aliqui essent etiam beneficiati, quos vocant mansionarii, qui choro inservirent; nihilominus omne consilium in irritum cessit, unus quippe dumtaxat in dicta cathedrali nunc existit beneficiatus, seu mansionarius nuncupatus.

Comperit seminarium Eugubinum neque commoda aedes, neque satis amplo censu ditatum esse.

§. 2. Insuper seminarium neque aedem habet comodam, neque tali censu est ditatum, ut in ea congruens dioecesis alumnorum numerus sustentari possit; conservatorium quoque puellarum Refugii nuncupatum ex aedibus, et opibus esse plane destitutum; multae vero existunt paroeciae, praesertim in dioecesi inter quas nonnullae sunt, ut asseritur, de jure patronatus aliquorum ordinum regularium, quarum parochi tum ob summas rerum necessariarum angustias, quibus premuntur, tum etiam ob illarum incomodam positionem, quo minus suo gregi spiritualiter, aut temporaliter adesse possint praepediuntur.

Mature ea perpensa.

§. 3. Quae omnia cum per Nos ipsos fuerint mature, ac sedulo perpensa, adhibito etiam aliquorum, qui in rebus ipsius dioecesis versati sunt, opere; nonnulla disponere statuimus, quae utilitatem, ac bonum spirituale, et temporale tuorum subditorum latura fore arbitramur: sperantes fore, ut novum hoc paternae Nostrae sollicitudinis testimonium, tuam vigilantiam, tuique gregis fidem, ac erga Romanam Sedem illius dominam, et matrem studium magis magisque intendant. Nos igitur in primis cum sicut accepimus bo. me. Fabius Mancinforte, qui aliquandiu hanc rexit ecclesiam in pervigilio sui obitus, die scilicet XXVI februarii MDCCXXXIX. legaverit scuta mille, et quingenta monetae Romanae eclesiae cathedrali in ejus ornatum per congregationem Sperellam nuncupatam eroganda, quae summa postmodum ob multiplicem in transactione conventum ad dirimendam litem de ac super legati hujusmodi dispositione inter capitulum cathedralis ex una, et congregationem Sperel-

lam praedictam ex altera parte exortam auctoritate congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negociis praepositorum, aliorumque consilio stipulata ad summam usque scutorum trium millium, et quadringentorum, et ultra aucta est; hinc considerantes Nos aeque ad Dei cultum, ecclesiae praedictae splenderem spectare, quatenus ex dicta summa cum suo multiplico tot beneficia mansionariae nuncupata erigantur.

Pontifex procedit ex certa scientia, motu proprio, et ex apostolicae potestatis plenitudine.

§. 4. Fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine per praesentes committimus, at mandamus hujusmodi, ejusque multiplico tot beneficia mansionarias nuncupata cum onere servitii choralis juxta capitulares hujusmodi ecclesiae constitutiones, at consuetudines, quot assignata cuilibet in illarum dote summa, quae non minoris sit redditus scutorum quadraginta, nec excedat scutata quinquaginta monetae Romanae erigi poterunt, auctoritate Nostra apostolica erigas, et instituas; et quoniam intentio Nostra, ut quinque (si redditus cumulari poterunt) nova beneficia mansionariae nuncupata instituantur, quo insimul cum jam existente senarius constituatur beneficiatorum mansionariorum nuncupatorum numerus; si vero legatum Mancinforte ad hoc fuerit impar, tibi injungimus, ut in hunc finem nedum duo officia cantoratus in eadem ecclesia nunc existentia, sed etiam cappellanias cujuscumque qualitatis sint in eadem cathedrali erectas, praesertim quae sunt de jure patronatus capituli, applices, et unias; ita tamen, ut tantum ex missarum onere detrahas, quantum cappellanis ex servitio chori gravaminis additum esse juxta datam tibi a Domino prudentiam arbitraberis; ac servato favore capituli, seu aliorum patronorum, ex quorum cappellaniis nova haec beneficia erigentur, habita ratione ad quantitatem redditum, ex quibus haec beneficia coalescent, jure nominandi, at praesentandi, aut alternis vicibus, aut aliter juxta fundorum adjunctionem; ea vero quae ex legato Mancinforte constituentur, ad te, ac pro tempore existentes episcopos Eugubinos jure ordinarii, ac firmis remanentibus reservationibus apostolicis, ac cancellariae Nostrae regulis, spectare volumus, ac declaramus. Ex omnibus porro redditibus sex beneficiorum, seu mansionariorum nuncupatorum hujusmodi una constituetur massa communis, cujus administratio ab iisdem beneficiatis, seu mansionariis, seu alteri illorum detur, sub episcopi tamen Eugubini pro tempore existentis directione, et subjectione. Quantum porro ecclesiae, et reipublicae intersit juventutem a teneris annis, et antequam vitiorum habitus homines possideant, ad pietatem, et religionem, et literarum scientiam, bonasque artes in seminariis, aliisque collegiis, aut in orphanotrophiis instituere tot a praedecessoribus Nostris Romanis pontificibus, ubicumque erecta seminaria, collegia, ac orphanotrophia apprime demonstrant. Itaque cum tui seminarii episcopalis, ac conservatorii puellarum orphanarum, et miserabilium istius civitatis Eugubinae aedes, et census sint prorsus impares ad recipiendum, et sustentandum congruum alumnorum, et respectiva puellarum numerum.

Ampliatio seminarii episcopalis.

§. 5. Nos quoad seminarium spectat tibi per praesentes committimus, ut in primis, num tuo seminario conferat magis novas, ac commodiores aedes in alia civitatis regione coemere, an potius praesentem, quam occupat, domum in ampliorem formam laxare, sedulo, ac mature, factisque etiam necessariis calculis perpendas, ut dein quod utilius erit, efficias.

Interdictum monialibus s. Mariae Novae terrae Fratta ne imposterum admittant ad habitum novitias, neque chorales, et applicatio bonorum ven. seminario Eugubino

§. 6. Praeterea cum in monasterio sanctae Mariae Novae sanctimonialium Mantellatarum nuncupatarum in loco della Fratta tuae Eugubinae dioecesis erecto vix septem moniales nunc existant, ac prope adest, cum tenuis numerus hujusmodi decrescet, unde nec modo difficilime, multo minus in posterum regularis disciplina in eo custodiri potest; hinc tibi pariter mandamus, ut vetita, et interdicta in futurum in dicto monasterio quacumque novitiarum, aut choralium, aut sororum, seu conversae receptione, admissione, et professione, factaque de apostolica Nostra auctoritate sanctimonialibus inibi nunc existentibus facultate ad alia monasteria civitatis, seu dioecesis Eugubinae sibi benevisa transeundi, requisito tamen prius et obtento sanctimonialium monasterii ad quod erunt traducendae, consensu, bona mobilia, et immobilia, redditus, ac proventus quoscumque, jura, et actiones ad dictum monasterium quomodolibet spectantia, et pertinentia tuo episcopali seminario, suppertatis tamen ab eo om-

nibus, et singulis missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, siquae sunt, dicto monasterio adnexa, auctoritate Nostra apostolica applices, unias, et incorpores, prout eadem auctoritate, et tenore praesentis applicamus, unimus, et incorporamus; ita ut deputatis praesidibus seminarii praesentis illius nomine liceat ex nunc bonorum, redditLuum, et proventuum veram et realem possessionem apprehendere, suspensa tamen interim eorumdem fructuum, ac redditLuum integra perceptione; sed a deputato per te oeconomo bona hujusmodi administrentur, eorumque redditus in manutentionem ecclesiae dicti monasterii, ac sustentationem sanctimonialium inibi degentium erogandi erunt, donec communitas hujusmodi in quinque moniales chorales non comprehensis sororibus, quas vocant conversae, consistet, tunc quippe a te, aut ab episcopo Eugubino, pro tempore existente translatis sanctimonialibus, quae tunc erunt superstites, ad alia monasteria ejusdem ordinis si fieri poterit, congruis unicuique illarum assignatis alimentis a dicto seminario persolvendis, plenam, et liberam apprehendet eorumdem bonorum, et redditLuum possessionem, et administrationem.

Amotio canonicorum regularium congregationis Lateranensis s. Augustini ab ecclesia, et domo canonicali sancti Ubaldi, et applicatio bonorum supradicto ven. seminario.

§. 7. Volumus insuper, ut praevia amotione canonicorum regularium congregationis Lateranensis sancti Augustini ab ecclesia, et adnexa domo canonicali, seu monasterio sancti Ubaldi, quam nunc possident, et in qua nonnisi duo canonici regulares inhabitant, bona stabilia ad illos spectantia eidem seminario auctoritate praesentis unias, et incorpores, ac unita, et incorporata esse declares, cum onere eidem seminario subministrandi cuique ex canonicis amovendis annua scuta sexaginta, vita eorum naturali durante; nec non restaurandi, et resarciendi ecclesiam, et domum parochialem pene dirutam sancti Martini in Colle, quae alias ad dictum monasterium sancti Ubaldi pertinebat, ac illius parocho assignandi pro sua congrua annua scuta quinquaginta ab eodem seminario persolvenda. Volentes quoque, ut jus nominandi, et praesentandi parochos hujusmodi, quod alias dicti canonici obtinebant, deletum, cassatum, et ademptum esse censeatur; sed imposterum ecclesia parochialis hujusmodi ab episcopo Eugubino pro tempore existente ad formam Tridentinae synodus, et san. mem. Pii pp. V. praedecessoris Nostri constitutionum conferatur.

Subrogatio Clericorum Regularium discalceatorum passionis D. N. J. Christi in ecclesia et canonica s. Ubaldi.

§. 8. Ecclesiam vero, et domum, seu monasterium hujusmodi cum omnibus inibi existentibus mobilibus, suisque adjunctis, accitis clericis regularibus discalceatis Passionis Domini Nostri Jesu Christi, etiam non requisito aliorum regularium consensu, non obstante fel. rec. Gregorii pp. XV. praedecessoris Nostri decreto sub die XVII augusti MDCXXII. emanato, aliisque apostolicis constitutionibus ipsis haec omnia eadem auctoritate attribues, et concedes; quibus etiam, ut eleemosynas ex questuationibus colligendas, ac fidelium oblationes, quae in dicta ecclesia sancti Ubaldi imposterum percipientur pro illorum substentatione auctoritate, et tenore praesentis concedimus. Cum tandem, sicut accepimus, in terra, seu pago de Cocenrano Eugubinae dioecesis erectum existat xenodochium, cui cum sint tenues redditus, et impares ad stipendio conducendum medicum, et chirurgum, ac necessaria remedia suppeditanda infirmis, nullius est utilitatis incolis dicti pagi.

Suppressio hospitalis Cocenrani, et applicatio bonorum illius seminario Eugubin.

§. 9. Hinc bona omnia, redditus, proventus, ac jura omnia ad xenodochium hujusmodi spectantia, et pertinentia praevia illius suppressione, ac extinctione, seminario tuo episcopali unimus, attribuimus, et adnectimus: prout unitum, attributum, et adnexum esse statuimus, et declaramus; reservantes tamen favore haeredum bo. me. Julii Bigazzini, de cujus bonis magna ex parte xenodochium hujusmodi fuerat dotatum, jure nominandi duos juvenes requisitis a Tridentina synodo praescriptis pollentes, in seminarium, nulla soluta pensione, recipiendos, ac eisdem pariter haeredibus servato jure nominandi ad dotem, quae quolibet anno dari solet uni ex puellis dicti pagi di Cocenrano; volentes insuper ut sumptibus seminarii pauperes infirmi dicti pagi ad xenodochium magnum, seu *spedale grande* civitatis Eugubinae transvehantur.

Pensio sc. 150 annuatim persolvenda seminario a canonicis regularibus congregationis sanctissimi Salvatoris monasterii s. Secundi Eugubii non obstantibus privilegiis concessis etiam oneroso titulo.

§. 10. Praeterea praecipimus, et mandamus ut a monasterio sancti Secundi canonicorum regularium sancti Augustini congregationis sanctissimi Salvatoris solvatur seminario annua pensio scutorum centum quinquaginta, augenda ad majorem summam quoties in eodem monasterio non alantur continuo sex de familia regulari, non obstantibus privilegiis etiam titulo oneroso undecim congregationibus monasticis alias per summos pontifices praedecessores Nostros cessis.

Electio, et nominatio magistrorum grammaticae, rethoricae, ac professoris philosophiae pertinet ad consilium nuncupat. di Credenza una cum episcopo Eugubino.

§. 11. Tandem arbitrio tuo, tuorumque pro tempore successorum plenam, et amplam facultatem concedimus, et impertimur augendi annuam pensionem ab alumnis dicti seminarii persolvendam usque ad summam scutorum triginta ultra monetae Romanae. Ut vero tum alumni in seminario recipiendi, tum caeteri qui scholas publicas adeunt idoneis utantur magistris cum ex jure quo potitur consilium generale eligendi, et nominandi magistros grammaticae, rethoricae, et professorem philosophiae plura proveniant incomoda pro recta studiorum hujusmodi disciplina, hinc ut quodcumque jus hujusmodi, motu, scientia, auctoritate, et tenore praefatis revocatum, cassatum, ademptum, abrogatum, irritum, ac annullatum, viribusque, et effectu penitus, et omnino vacuum sit declaramus, et statuimus, ac propterea integrum, et plenum inscriptum, consilio nuncupato *di Credenza* ejusdem civitatis concedimus, et tribuimus, ut ipsum una cum episcopo Eugubino pro tempore existenti magistros, et professorem praedictos eligat, et nominet, prout illud ad consilium praedictum generale prius pertinebat.

Magistri, seu professores a congregatione Sperella electi non removeantur ab eorum officio per secreta suffragia nisi prius causa cognita ab episcopo pro tempore Eugubino.

§. 12. Caeterum licet per praesentes revocare non intendimus jus, quo congregatio Sperella potitur, eligendi magistros legendi, et scribendi, ac professorem institutionum juris civilis, et canonici. Cassamus tamen, et annullamus, ademimus, et abrogamus quamcumque consuetudinem, ac jus, quo eadem congregatio Sperella utitur, vel etiam dictum consilium Credentiae, eo uti praetendi posset, confirmandi scilicet quolibet anno per suffragia secreta magistros, aut professores ab eis respective electos; sed decernimus, et tenore praesentium mandamus, ut nisi dum justae causae ab episcopo Eugubino pro tempore existente prius examinandae, et approbandae ad id adducantur, scrutinium hujusmodi fieri possit.

Assignatur pro cathedra juris civilis, et canonici annuum stipendium sc. 150. ex reddit. praefatae congr. Sperellinae.

§. 13. Volumus praeterea, cum stipendium assignatum cathedrae juris civilis, et canonici sit in annuis scutis viginti, ut illud a congregatione Sperella praefata, ad quam spectat, ut praefertur, jus nominandi professorem, et a qua dicta scuta viginti ex suis redditibus persolvuntur, ad annua scuta centumquinquaginta de tui consilio augeatur.

Declaratur episcopus Eugubinus pro tempore, ac vexilliferum justitiae dictae civitatis semper ac solos, ac natos scholarum omnium praesides.

§. 14. Declarantes episcopum Eugubinum pro tempore existentem, ad vexilliferum justitiae ejusdem civitatis semper esse solos, et natos scholarum omnium praesides reservato tamen quocumque privativo jure episcopi quoad seminarium, et quoad uniuscujusque morum correctionem.

Applicatio conservatorio Pio inferioris portionis monasterii sanctae Clarae.

§. 15. Quoad vero conservatorium sancti Josephi Refugii nuncupat. orphanarum, cujus aedes pariter, ut praefertur nimis angustae, et arctae sunt, tibi per praesentes jubemus, ut eidem conservatorio inferiorem portionem monasterii sanctimonialium sanctae Clarae fere contigui cum de eodem monasterio alias disponendum esse, ut infra, censuerimus, et nunc portionem hujusmodi eidem conservatorio unias, et incorpores, prout unitam, et incorporatam esse auctoritate, et tenore praedictis statuimus, atque praecipimus. Nova porro opera, ac artes in conservatorio inducendae erunt texendi telas, et lanas, eas praesertim, quas vocant —*Saje*, et *scottini*—dividens per civitatem, et dioecesim Eugubinam cannabim, ac linum in fila ducere, lanamque trahere; ea propter eidem conservatorio baphia, et fullonia cum omnibus suis adjunctis jam ad universitatem sagariorum quasi penitus collapsam spectantia, auctoritate, et tenore praefatis unimus, et incorporamus; immo ut a magno hospitali Eugubino, dicto conservatorio aedificium vulgo — i *Tiratori* — ubi laneа opera explicantur, absque ulla compensationis, aut utilitatis spe nunc concedendum sit edicimus, atque mandamus.

Suppressio nonnullarum confraternitatum.

§. 16. Ut autem congruo censu conservatorium hujusmodi instruatur, cum plures in Nostra civitate Eugubina confraternitates laicales, quam spiritualis Christifidelium utilitas postulet, quarum aliquae etiam inordinatae sunt, tibi per praesentes injungimus, ut sex confraternitates laicales, quarum altera est nuncupata *de Bianchi*, altera sub invocatione sancti Bernardini *de Torchini* nuncupata sub titulo, et invocatione sanctae Mariae, tertia Confalonis quam vocant *della Piaggiola*, quarta sub invocatione sancti Francisci de Paula, quinta dicta de Conceptione sancti Francisci fratrum minorum Conventualium nuncupatorum erecta, ultima tandem Corporis Christi *de Rossi*, nuncupat., quae cum confratribus caret, et jamdiu sub curatione est; auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, easque suppressas, et extinctas esse declares, prout, auctoritate praefata tenore praesentium supprimimus, et extinguimus. Bona autem mobilia, et immobilia, jura, et actiones quo-

modolibet spectantia, et pertinentia conservatorio praefato, supportatis tamen ab eodem conservatorio, vel ab ejus administratoribus omnibus missarum aliorumque piorum legatorum oneribus, quibus bona, ac jura praefata gravantur, eadem auctoritate unias, incorpores, ac adnectes.

Concessio ecclesiae favore confraternitatis de Sacconi nuncupatae.

§. 17. Cum porro memoratae sic suppressae confraternitates, ac quaelibet illarum praeter illam, quae de Conceptione dicitur suas habeant ecclesias, tibi committimus, ut ecclesia sub invocatione, et titulo sanctae Mariae Confalonia *della Piaggiola* nuncupatae ad tollendas quascumque jurisdictiones, controversias anteactis temporibus inter episcopos Eugubinos ex una, et abbatem, et monachos ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae monasterii sancti Petri ex altera parte exortas eisdem abbati, et monachis libere omnino dicta auctoritate concedas; ecclesia sub invocatione, et titulo sanctae Mariae *de Bianchi* nuncupat. confraternitati laicali *de Sacconi* nuncupat., quae suam non habet ecclesiam, dones ecclesiam sub invocatione, et titulo sanctae Mariae de Prato, una cum suis adjunctis aedificiis, ac horto, quae alias ad confraternitatem sub invocatione sancti Francisci de Paula pertinebat clericis regularibus congregationis sanctissimi Redemptoris nuncupat.; ita ut simul atque aedes praefatas sibi aptaverint, ut eas inhabitare commode possint, statim praesentem illorum domum ad ecclesiam novissimis terraemotibus valde laesam tuo seminario episcopali cedant, attribues: ecclesiam tandem sancti Bernardini cum suis adjunctis, ubi non sit cui detur, tuo seminario cum facultate etiam illam servatis servandis profanandi, ac ad profanos usus convertendi, ac missarum, aliorumque onera, aut ad ecclesiam dicti conservatorii, ubi opportunus tibi videbitur transferas, applices, incorpores. Ast cum bona, ac redditus harum sic suppressarum confraternitatum haud sint magni valoris, ideoque satis non sint ad sufficienter ditandum conservatorium hujusmodi, aliae viae a nobis prosequendae sunt, quibus consilium nostrum assequamur.

Suppressio nonnullorum monasteriorum sanctimonialium.

§. 18. Novem, sicut accepimus sunt monasteria sanctimonialium in ista Nostra civitate Eugubina jamdiu erecta, quae in civitate quatuor millia circiter incolae dumtaxat inhabitant, immodica esse videntur. Itaque tria monasteria sanctimonialium, videlicet monasterium sancti Antonii ordinis sanctae Clarae, et monasteria sanctae Clarae, et sancti Martialis ordinis sancti Benedicti supprimere, et extinguere decrevimus. Quocirca eidem fraternitati tuae per praesentes mandamus, ut vetita, et interdicta in futurum in praefatis monasteriis quacumque novitiarum, aut choralium, aut conversarum receptione, et admissione, et facta de apostolica Nostra auctoritate sanctimonialibus nunc inibi degentibus facultate ad alia ejusdem civitatis monasteria sibi benevisa, requisito tamen prius sanctimonialium secundo dicti monasterii consensu transeundi, bona mobilia, et immobilia, redditus, ac proventus quocumque nomine nuncupatos, jura, et actiones ad eadem dicta tria monasteria quomodolibet spectantia, et pertinentia conservatorio praedicto eadem auctoritate perpetuo concedas, unias, et incorpores, prout in perpetuum concedimus, unimus, et incorporamus; ita ut administratores dicti conservatorii illius nomine liceat ex nunc bonorum, redditunm, ac proventuum hujusmodi veram, et realem possessionem apprehendere.

Applicatio bonorum spectantium suppressis monasteriis.

§. 19. Volumus tamen, ac edicimus, ut deputato per te oeconomo, bona dictorum trium monasteriorum administrentur, eorumque redditus in manutentionem ecclesiarum dictorum monasteriorum, ac sustentationem sanctimonialium inibi degentium erogentur, ita tamen ut supportatis oneribus ecclesiasticis dictorum monasteriorum adnexis, ac congruenter sustentatis dictis monialibus, quod reliquum erit in utilitatem cedat dicti conservatorii usquedum una, aut altera ex dictis communitatibus religiosis ad numerum quinque dumtaxat monialium choralium non comprehensis sororibus, quas vocant conversa, erit redacta, tunc tibi cui pro tempore episcopo Eugubino existenti superstites moniales ad alia monasteria ejusdem ordinis, si fieri possit unicuique assignatis alimentis, transferendi, plenam, et amplam facultatem facimus, et impertimur. Declarantes, ut dum per vices translationis bujusmodi perficientur, conservatorium praedictum, translatis prius ad suam ecclesiam omnibus missarum, et legatorum piorum, caeterisque oneribus, quibus monasterium ex dictis tribus, cujus unio et incorporatio completur, erat gravatum, bonis, redditibus, ac proventibus monasterii hujusmodi integre potiri debeat. Quoniam vero monasterium Poenitentium, seu

delle Convertite istius civitatis Eugubinae in maligno, et insalubri loco situm est, hinc jubemus, ut simul ac aliquod ex dictis monasteriis derelictum fuerit, ab inibi nunc existentibus monialibus, illico ad illud moniales poenitentes hujusmodi transferantur; harum vero monasterium in reclusorium pro faeminis discolis, et effrenibus erigendum; quae quidem loca pia a confraternitate sub invocatione sanctissimae Trinitatis—*della Misericordia*—nuncupata erunt sustentanda juxta arbitrium, et prudentiam episcopi Eugubini pro tempore; ita ut ex eleemosynis, quas confraternitas hujusmodi erogare solet primus congrua assignamenta ab episcopo taxanda erunt locis piis hujusmodi persolvenda, secus in eos erit animadvertendum poenis a te etiam auctoritate Nostra infligendis. Ad hoc autem ut puellis in dicto conservatorio pro tempore existentibus in saeculo nubere volentibus aliquo modo consulatur; Nos praevia cassatione, abrogatione, ac annullatione quorumcumque jurium, quibus capitulum collegiatae ecclesiae sanctae Christinae, quo in praesentiarum ob dispositionem bo. mem. Joannis Baptistae Cristini die XXVI. maji MDCXXXVIII. exaratam, et confraternitates laicales civitatis, et dioecesis Eugubinae, si quae tamen sunt respective utuntur, nominandi, et dotandi puellas ejusdem civitatis, et dioecesis, prout illud tenore praesentium cassamus, abrogamus, tollimus, et annullamus, ut imposterum omnes dotes hujusmodi in utilitatem, et comodum ejusdem conservatorii cedant, cum onere tamen eidem conservatorio solvendi cuilibet e puellis, quae in saeculum nubere intendant subsidium dotale, seu dotem in summa scutorum quadraginta monetae Romanae statuimus: tibique propterea omnes necessarias, et opportunas facultates haec exequendi, et exequi mandandi auctoritate, et tenore praefatis concedimus, et impertimur.

Reintegratio conservatorii puellarum erecti a Joanne Baptista Cristini.

§. 20. Immo cum memoratus Joannes Baptista Cristini praeter collegiatae praefatae institutionem in dicto suo testamento voluerit etiam ex bonis suis erigi puellarum conservatorium, prout revera auctoritate fel. rec. Urbani pp. VIII. praedecessoris Nostri, fuit aliss erectum, licet subinde ob tenues illius redditus fuerit ab Alexandro pp. VII. itidem praedecessore Nostro suppressum, et extinctum, propterea omnes redditus, ac proventus, qui ex bonis haereditatis Cristini a dicto capitulo administratis ad praesens superextant, et imposterum superextabunt, eidem conservatorio applicamus, et attribuimus, reservato tamen jure favore prioris, et canonicorum dictae collegiatae jure nominandi octo puellas ad dicti testatoris voluntatem in conservatorio hujusmodi recipiendas.

Providentiae captae pro paroeciis civitatis Eugubinae.

§. 21. Superest nunc, ut de paroeciis tum civitatis, tum dioecesis Eugubinae, quae Christifidelium utilitate, et divini cultus augmento statuere decrevimus, disponamus: equidem primum quoad paroecias civitatis, quae septem sunt, quarum altera est sanctae Mariae Novae, quae alias a fel. rec. Eugenio pp. IV. praedecessore Nostro ecclesiae, et conventui fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini per suas in simili forma Brevis anno MCCCCXL. expeditas literas fuit unita; verum cum sui redditus sint valde exigui, ac plures bisce desuper fuerint controversiae, idcirco tibi injungimus, ut paroeciam hujusmodi sanctae Mariae Novae auctoritate Nostra apostolica supprimas, et extinguas; eamdem suppressam, et extinctam esse statues, atque declares; populum vero eidem paroeciae subjectum inter tres proximiores, et circumstantes paroecias pro tua prudentia, et arbitrio dividas, eisque assignes; adeout imposterum sex remanebunt paroeciae, quae satis superque erunt ad spirituale praesidium populi civitatis.

Similes pro paroeciis dioecesis.

§. 22. Quoad paroecias autem in dioecesi, quarum aliquae, nempe sancti Martini della Serra, et Valdechiascio, sancti Aegidii de Colpalombo, sancti Angeli de Glomisci, sanctae Margaritae de Buotano, sancti Andreae de Calcinaro, sanctae Mariae de Burano, sancti Michaelis Archangeli de Sioli, sancti Joannis Baptistae de Goregge, sanctae Mariae de Carestello sine concursu, et ad nominationem, et praesentationem quoad primas quinque canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris, quoad alias tres monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae, et quoad dictam sanctae Mariae de Carestello monachorum ordinis Cisterciensis provideri respective solent, Nos pro salubriori animarum regimine sancimus, et mandamus, ut quoties imposterum quoquomodo vacare contigerit aliqua ex dictis paroeciis a pro tempore episcopo indicetur concursus ad formam concilii Tridentini, ac ex approbatis transmittentur nomina trium

ad respectivos abbates, vel ad eos, qui eorum vices gerunt, ut eum eligant, qui magis dignus eorum judicio existimabitur, ut deinde ab episcopo canonice instituatur. Si vero nec tres, nec duo, sed unus tantum vel ad concursum sese obtulerit, vel approbationem promoruerit, tunc episcopi nominatio, et canonicorum regularium, ac monachorum electio fiet de persona illius, qui unice idoneus fuerit in concursu reputatus. Volumus insuper, ut tres congregationes praefatae canonicorum nempe regularium sanctissimi Salvatoris, sancti Benedicti congregationis Olivetanae, et Cisterciensis dictis respective parochis, et illorum singulis annua scuta quinquaginta monetae Romanae, comprehensis tamen redditibus, quos nunc possident, in unam, aut plures solutionem, seu solutiones persolvere teneantur, nulla habita ratione emolumentorum stolae, quae parochis exercentibus superaccrescent, et pro hujusmodi effectu mandamus, ut pro solutione congruae parochialis hujusmodi bona omnia ad dictos tres ordines spectantia, semper, et in perpetuum obligata esse debeant, et censeantur.

Paroeciae de jurepatronatu vel de libera ordinarii collatione congruam recipiant in annuis scutis quinquaginta.

§. 23. Quoad paroecias vero, quae sunt de jurepatronatus, vel de libera ordinarii collatione, tibi harum serie injungimus, ut modis omnibus illarum congruam usque ad annua pariter scuta quinquaginta monetae Romanae non comprehensis incertis, aut plures insimul uniendo si commode fieri possit, aut cappellanias, vel ad eosdem patronos, si de ecclesiis de jurepatronatus agatur, spectantes, vel liberas, si paroeciae sint liberae collationis, translatio missarum, aliorumque piorum legatorum oneribus, praevia etiam quatenus opus sit illorum reductione, et unione ad parochiales ecclesias, quarum redditus sic amplientur, augeri cures, et studeas. Cum porro cura animarum collegiatae ecclesiae sancti Joannis Baptistae terrae Cantiani longe porrigatur in montes, qui Appenninos continuant, neque raro hyemalibus praesertim temporibus montani illi necessariis spiritualibus subsidiis destituantur.

Erectio novarum paroeciarum.

§. 24. Volumus idcirco, tibique committimus, ut in vicis da Palcano, et de Villano noncupatis; qui intra limites dictae paroeciae sancti Joannis Baptistae de Cantiano existunt, praevia illius portionis dictae paroeciae, quae ad duas infra erigendas paroecias, tibi videbitur necessaria separatione, dismembratione, segregatione, et divisione duas novas paroecias juxta formam a Tridentino concilio, et constitutione sa. me. Pii pp. V. praescriptam conferendas, cum omnibus, et singulis juribus, immunitatibus, privilegiis, gratiis, et indultis, quibus caeterae parochiales ecclesiae utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et frui poterunt quomodolibet in futurum auctoritate praefata erigas, et instituas; assignatis pro dote illarum parochis, et cuilibet illorum scutis annuis quinquaginta monetae Romanae, non computatis incertis a monachis congregationis sancti Benedicti de Monte Oliveto monasterii sancti Petri Eugubii ois persolvendis, qui in viciniis Cantiani quamdam Granciam sancti Michaelis Arcangeli de Chiaserma nuncupat. possident; praeterea volumus, ut ex nunc summam praefatam in restaurationem ecclesiarum, et domorum, nec non comparandam sacram necessariam suppellectilem erogandam persolvant, dilata parochorum nominatione, et electione, ut supra, usquequo ecclesiae, et domus parochiales erectae, et institutae fuerint.

Providentiae captae pro paroecia s. Erasmi in terra della Fratta.

§. 25. Insuper cum parochialis ecclesia sancti Erasmi in terra della Fratta, quae ad tuam mensam episcopalem pertinet sit prorsus indecens; parochialitates hujusmodi una cum fonte Baptismali, aliisque suis juribus, privilegiis, gratiis, oneribus, et indultis, ad ecclesiam confraternitatis sanctae Crucis ejusdem terrae, aucta etiam parocho sua congrua usque ad scuta quinquaginta, ut supra per eamdem tuam mensam episcopalem persolvenda, quam cito auctoritate Nostra praefata transferendi, eique aliam domum assignandi, ac praesentem ecclesiam sancti Erasmi servatis servandis profanandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praefatis tribuimus, et impertimur. Praeterea cum aliquae sint aliae ecclesiae, et domus parochiales in hac tua dioecesi penitus ruinosae, quae prompte omnino reparandae, ac restaurandae sunt.

Consulitur restaurationi omnium ecclesiarum.

§. 26. Tibi committimus, ut illos, ad quos spectare dignoscitur ad ecclesias hujusmodi intra certum congruum tempus pro tuo arbitrio, et juxta varias rerum conditiones praefigendum, reparandas omnimode auctoritate Nostra apostolica adigas, atque compellas, quo elapso termino si parere detrectent, volumus, ut ex officio, ac etiam tamquam delegatus apostolicus, et quavis appellatione remota, adver-

sus refractarios, et inobedientes ita procedas, ut citius quam fieri possit, et ecclesiae decori, et parochianorum utilitati consultum sit.

Aliae providentiae pro locis piis civitatis Pergulae.

§. 27. Inter caeteras terras, et oppida intra limites tuae dioecesis situm est oppidum civitas nuncupat. Pergulae, in quo jamdiu ecclesia collegiata sancti Andreae apostoli erecta existit, cujus capitulum in tribus dignitatibus, ac decem canonicia consistit, quorum plurimi ex illorum fundatione adnexum non habent onus sacerdotalis characteris; quod non raro in divini cultus detrimentum vertit. Hinc decernimus, ut in dicta ecclesia collegiata saltem octo imposterum semper sint acta in sacro presbyteratus ordine constituti, eaque propter earumdem dignitatum, seu canonicatuum patronis, nisi eas nominare, et praesentare posse, qui in sacro presbyteratus ordine, aut in eo sint initiati, aut infra annum ad illum commode promoveri possint, secus illorum nominatio, et praesentatio nulla sit, viribusque, et effectu penitus vacua, auctoritate, et tenore praefatis edicimus, et mandamus. Immo tibi mandamus, ut ex nunc canonicatus hujusmodi, ac dignitates, quibus ditior est praebenda designes, quibus imposterum ordo presbyteratus erit annexus, eisque respective onus hujusmodi imponas. Dum porro pastoralem visitationem, quam alias suscepisti, prosequens, inter caetera loca pia tuae ordinariae jurisdictioni subjecta visitabis etiam congregationem, quam vocant Spereliam, si quae sunt quarum nomina debitorum inexacta, ac impedita jaceant, et plura quidem esse accepimus; tibi committimus, ut auctoritate delegati apostolici debitores hujusmodi omnibus modis ad dissolvenda sua debita compellas, et cogas, caeteraque omnia disponas, quae pro majori ejusdem congregationis utilitate, ac divini cultus augmento expedire in Domino arbitraberis.

Beneficia collata favore mensae episcopalis.

§. 28. Reliquum tandem est, ut ad tuam quoque mensam episcopalem paternae Nostrae providentiae intuitum convertamus, cujus redditus ad conspicuas aedificiorum reparationes satis non esse accepimus. In primis igitur reliquam summam spolii bo. mem. Pauli Orefici immediati praedecessoris tui, quae camerae Nostrae apostolicae debebatur, et a te esset persolvenda, tibi liberaliter condonamus. Indeque praevia suppressione, et extinctione conventus, seu monasterii monialium sanctae Margaritae oppidi civitatis nuncupatae Pergulae ordinis sancti Augustini, ac translatis omnibus monialibus, in eo degentibus ad aliud monasterium, seu conventum sancti Jacobi ejusdem instituti, et oppidi, assignataque huic secundo conventui, seu monasterio ea annua pensione pro exhibitione dictarum monialium, quae post accuratum redituum calculum congrua videbitur, bona mobilia, et immobilia, jura, et actiones quomodolibet ad illud spectantia, et pertinentia eidem mensae episcopali; motu, scientia, auctoritate, et tenore praefatis unimus, et incorporamus, ac ex nunc unita, et incorporata esse statuimus, et declaramus; missarum tamen, aliorumque piorum legatorum onera, quibus dictum monasterium, seu conventus in praesenti gravatur, ut episcopus Eugubinus pro tempore existens ea omnino adimpleri curet, et studeat volumus, atque edicimus. Nos enim tibi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausulae salutares.

§. 29. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod praefatae communitates regulares, confraternitates, xenodochium, officiales, caeterique quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad eas vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt adductae, verificatae, justificatae nullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servata, et adimpleta non fuerint, vel quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clausa, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret notari, impugnari, invalida-

ri, retractari, in jus, vel in controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemque in judicio, vel extra illud uti, aut se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia in futurum inviolabiliter observari.

Clausula sublata et praegnantissimum decretum irritans.

§. 30. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresso commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus illis committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostrae, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus concilliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non confraternitatum, monasteriorum bujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, exprimerentur, et insererentur praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expressa derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexta, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXX.

Dat. Romae 12. decemb. 1786. Anno XII.

Imminutio festorum in dioecesi Compostellana.

Venerabili fratri Sebastiano archiepiscopo Compostellano.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sunt, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ecpropter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis.

§. 2. Quoniam sicut pro parte dilectorum filiorum capituli, et canonicorum tuae metropolitanae ecclesiae Compostellanae Nobis nuper expositum fuit, quod in nonnullis paroeciis, ac locis ejusdem capituli, et canonicorum jurisdictioni, ut asseritur subjectis, et intra limites tuae dioecesis existentibus calamitates

adeo excreverunt, propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persaepissime coguntur, (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis, cum suis reservationibus.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in paroeciis, et locis praedictis existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, ac Commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis beatae Mariae virgini Immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales istius civitatis, seu dioecesis Compostellanae, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statutas, praecipias; et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dioecesis, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCXXXI.

Dat. Romae 18 decemb 1786. Anno XII

Supprimitur monasterium de Wysoka canonicorum regularium ordinis sancti Augustini in parte Borussiae Gnesnensis dioecesis, et applicantur ejus bona seminario ecclesiastico in ea parte erigendo.

Venerabili fratri Michaeli archiepiscopo Gnesnensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum in quo versat

§. 1. Fraternitatis tuae studium, ac pro recta Christifidelium tuae curae commissorum in

memorantur ad gratiam concedendam moventes, et idoneae.

via Domini directione pastoralis sollicitudo, et Domino Nostro Jesu Christo cara, et omni laude digna est. Siquidem, sicut nuper a te accepimus cum in ea tuae dioecesis parte, quae sub imperio est regis Borussiae, plures numerentur paroeciae, quas ab eis maxime gerere oportet, qui illibatum, et incorruptum fidei depositum custodientes, ac nemini ullam dantes offensionem veluti ministros Dei in omnibus se exhibeant, hinc ad id quantopere mentem, et cogitationem convertisti; quapropter cum ad tuum desiderium hujusmodi nil conducibilius, nilque aptius esse videatur, quam ecclesiasticum seminarium illic erigere, in quo adolescentes subditi regis Borussiae in sortem Domini vocati, quibus per saeculares leges, ne ad extera seminaria conveniant, vetitum est, ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia efformentur, bonisque moribus imbuantur; id autem neque commodius, neque opportunius assequi liceat, quam si praevia monasterii de Wysoka canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini in ea tuae dioecesis parte existentis suppressione, in quo nedum ab ipsa sui fundatione anno MDCCXXIX. facta, cum a superioribus dicti ordinis independens esset, ipsius fundationis leges fuerunt contemptae; ac regularis disciplina plane nihil custodita; verum etiam cum observantiae hujusmodi neglectus eo pervenerit, ut vix quatuor canonici in dicto monasterio degant, quorum alter ob ingravescentem, alter juvenilem aetatem ecclesiastica ministeria obire impares sint, ac novissimis quoque temporibus ipsi non paucas praebuerint offensionis causas, bona, jura, et actiones ad illud quomodolibet spectantia, et pertinentia ad seminarii hujusmodi erectionem, et institutionem applicentur, et uniantur, prout applicari, et uniri summopere desideras. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Mandatum concessum pro suppressione monasterii, et concessione redditum favore seminarii.

§. 2. Nos igitur probe noscentes quantum utilitatis ex seminariorum institutione dioecesibus provenerit, ac Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, et integritate plurimum in Domino confidimus per praesentes committimus, et mandamus, ut monasterium praedictum de Wysoka canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini auctoritate Nostra apostolica supprimas, ac extinguas, ac suppressum, et extinctum esse constituas, atque declares; bona vero mobilia, et immobilia, jura, et actiones ad monasterium hujusmodi quomodolibet spectantia, et pertinentia, assignata cuilibet ex canonicis regularibus inibi nunc degentibus annua vitalitia pensione tuo arbitrio praefigenda, nec non constituta juxta synodales constitutiones certa, ac fixa annua congrua parocho, qui curam animarum in ecclesia dicti monasterii exerceat, ex bonis dicti sic suppressi monasterii respective persolvendis, ac salvis missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, erigendo dicto seminario, in quo tot alumni erunt recipiendi, quot annui illius redditus respondebunt, dicta auctoritate addicas, unias, et incorpores.

Aliae providentiae favore seminarii.

§. 3. Volumus praeterea, ut si redditus hujusmodi satis non sint ad sufficientem alumnorum numerum sustendandum ad formam Tridentinae synodus beneficia saecularia, ac simplicia dumtaxat, non autem curam animarum adnexam habentia eadem auctoritate unias, et incorpores. Nos tibi necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem illa perducenda pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequi mandandi, ea omnia, quae componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint; nec vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint; ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali,

sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato, quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostrae, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXXII.

Dat. Romae 15. decemb. 1786. Anno XII.

Dismembratio monasterii s. Martini de Bozzi Parmensis dioecesis a provincia Bononiensi, ejusque incorporatio provinciae Romanae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostrae nullo licet meritorum Nostrorum suffragio divinitus commissum postulat, ut inter multiplices apostolicae servitutis curas illam peculiari studio suscipiamus, per quam Christifideles suavis religionis jugo Altissimi obsequiis insistentes felicioribus in dies proficiant incrementis.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectissimus in Christo filius Noster Ferdinandus regius Hispaniarum infans, quod cum ad bonum, ac utilitatem monasteriorum sancti Martini de Bozzi Parmensis dioecesis, de Quartazola nuncupati, et Chiaravalle Columbae Placentinae dioecesis provinciae Bononiensis monachorum ordinis Cisterciensis, ac etiam ad illorum regularem disciplinam magis magisque fovendam, conservandamque, quam maxime spectaret, si praevia illorum dismembratione, ac separatione a provinciae Lombardiae, cui usque adhuc unita, et incorporata fuere, ea provinciae Romanae unirentur, et incorporarentur, prout illa dictae provinciae uniri, et incorporari summopere desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur piis memorati Ferdinandi infantis votis, quantum cum Domino possumus annuere, ac dictorum monasteriorum monachos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvendas, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati dicta tria monasteria ordinis Cisterciensis, monasterium s. Martini de Bozzi prope moenia Parmensia, ac monasteria de Quartazola nuncupata, et Chiaravalle Columbae Placentinae dioecesis provinciae Bononiensis, praevia illorum dismembratione, ac segregatione a provincia Lombardiae, cui ad haec usque tempora addicta erant, cum omnibus suis bonis, domibus, juribus, et actionibus quibuscumque provinciae Romanae ordinis praedicti auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus, ac perpetuo unita, conjuncta, adnexa, et incorporata esse, et fore dicimus, et mandamus, ita ut deinceps cum aliis ejusdem provinciae Romanae monasteriis una dumtaxat provincia Romana constituatur, absque nationum distinctione, et omnes monachi dictorum trium monasteriorum tamquam professi in dicta provincia censeantur, servata promiscue cum aliis ejusdem provinciae monachis cujuslibet antianitate, et dignitate, atque legibus et superioribus ejusdem provinciae, qui disciplinae, et dictorum monasteriorum oeconomiae, nec non monachorum collocationi, gubernierum, et officiorum distributioni consulent, parere omnino debeant, auctoritate pariter, et tenore praesentis decernimus, et declaramus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 4. Quocirca dilecto filio Nostro Andreae Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Negroni nuncupato, de cujus prudentia, fide, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut dicta tria monasteria provinciae Romanae unita, adnexa, et incorporata esse declaret, caeteraque superius disposita exequi studeat; Nos enim illi quaecumque necessaria, et opportuna ad praemissa omnia, et circa ea, quoad dictam unionem pertinent faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, seu exequi mandandi ea omnia, quae pro praesentium executione constituere, declarare, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexerit, plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praesentis tribuimus, et impertimur.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non provinciae, et monasteriorum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plenario, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima sexta septembris millesimo septingentesimo, octuagesimo sexto, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXXIII.

Dat. Romae 19. januarii 1787. Anno XII.

Ut in ecclesia monialium monasterii Cappuccinarum civitatis Limanae in Indiis missa votiva de sanctissimo Sacramento cantari possit conceditur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur decretum alias editum

§. 1. Alias emanavit a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae

a s. congregatione Rituum. Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis videlicet.

LIMANA.

Tenor decreti. §. 2. Precibus monialium ordinis sancti Francisci Cappuccinarum civitatis Limanae in regno Peruano per me infrascriptum secretarium relatis, sanctissimus dominus noster Pius VI. pontifex maximus benigne annuendo indulsit, ut primis diebus septemnarii praecedentis festum sancti Joseph sponsi beatissimae Virginis, quod in ecclesia dictarum monialium celebrari consuevit cum expositione sanctissimi Sacramenti in forma quadraginta horarum, missa expositionis, et repositionis, et diei intermediae cantari possit votiva de eodem sanctissimo sacramento pro re gravi cum commemoratione festi occurrentis, licet festum occurrens sit dominica quadragesimae, vel aliter privilegiatum, contrariis quibuscumque non obstantibus.

L. card. Archinto praefectus.

Julius M. de Somalia S. R. C. secretarius.

Loco ✠ Signi.

Preces porrectae pro confirmatione decreti. §. 3. Cum autem sicut dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii praedicti Nobis nuper exponi fecerunt, ipsae decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis. §. 4. Nos igitur dictas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati: decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque monialibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non praedictorum monasterii, ejusque ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona januarii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo secundo. Derogatio contrariorum.

DCXXXIV.

Dat. Romae 6. februarii 1787. Anno XII.

Reductio numeri familiarum consiliariorum civitatis Caesenatensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum singularem fidei constantiam, et eximiae devotionis affectum, quo dilecti filii communitas, et cives patriae civitatis Nostrae Caesenatensis erga Nos et Hanc sanctam Sedem gessisse semper, et adhuc gerere comprobantur, pensamus, dignum arbitramur in mutuae benevolentiae Nostrae testimonium illis concedere, quae ad illorum decus, et commodum quomodolibet spectare dignoscuntur, ut ob- Laudes civitatis Caesenatensis.

haec nova collata beneficia suam fidem, et studium erga Romanam Ecclesiam illorum matrem, et dominam in dies impensius intendant, ac caeteri ad similia promerenda inducantur.

Expositio precum et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii magistratus, et deputati consilii generalis ejusdem civitatis, patriaeque Nostrae Caesenatensis, quod cum numerus octoginta familiarum nobilium, quae in consilio locum habent nimius videatur, ex eo praesertim, quod perpaucae sint civium familiae, quae ie consulares allegi, ac in demortuarum consularium familiarum locum suffici possint, ne paulatim eximia coetus hujusmodi dignitas deficiat. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut ie praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Familiae reducuntur ad numerum sexaginta.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti; aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, numerum familiarum consularium hujusmodi ad sexaginta tantum auctoritate apostolica, tenore praesentium coartamus, ac deficientibus in dies consularibus familiis, eon alias familias, eisi cum eaedem familiae consulares in dictum praescriptum numerum erunt reductae, suffici posse auctoritate, et tenore praedicta statuimus, et mandamus.

Exclusio eorum qui disparia contrahent matrimonia.

§. 4. Ut porro avita consularium familiarem hujusmodi nobilitas, ac generis splendor in patria, ac civitate Nostra Caesenatensi magis magisque vigeat, atque ad omnia consecutura tempora pura, nitidaque maneat, cum aliquos, ut suis cupiditatibus, ac desideriis obsequantur, disparia matrimonia contrahere, seque vilibus affinitatibus jungere non pudeat, hinc ut hi ipso facto veluti si tacite locum consilii, aliaque publica munera; quibus funguntur, sponte abdicassent, a loco consilii, et a publicis muneribus decidant, ac nec ipsi, nec illorum etiam filii, vel in demortuorum parentum, vel in aliarum consularium familiarum locum suffici, minusque ad ea publica munera redintegrari possint auctoritate, et tenore praedictis statuimus, et declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis ie contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta februarii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXXV.

Dat. Romae 7. februarii 1787. Anno XII.

Indultum utendi privilegiis, ac indulgentiis, quibus alias fruebantur, dum sub obedientia fratrum ordinis sancti Francisci existebant, pro confratribus confraternitatis sancti Francisci de Ovar Portugallensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, quod religioni, et honestati conveniens dignoscitur, animo Nos

decet libenti concedere, et petentium desideriis congruum suffragium impertiri.

Expositio precum.

§. 2. Siquidem dilecti filii officiales, et confratres, quos vocant tertiarios ordinis sancti Francisci villae de Ovar Portugallensis dioecesis exponi Nobis nuper fecerunt, quod cum ipsi alias sub obedientia, ac regimine fratrum minorum ordinis sancti Francisci viverent, nonnullis privilegiis, ac indulgentiis, et peccaterum remissionibus utebantur, fruebantur, et gaudebant; verum licet postmodum ab obedientia, et regimine fratrum fuerint exempti, ac jurisdictioni, et guberniò episcopi Portogallensis pro tempore existentis subjecti, nihilominus iisdem privilegiis spiritualibus, ac indulgentiis uti, frui, ac gaudere posse summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eorumdem exponentium votis hac in re quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, confraternitati praedictae, seu ejus officialibus, et confratribus nunc, et pro tempore existentibus, ut iisdem privilegiis, gratiis, indultis, indulgentiis, ac peccatorum remissionibus, quibus retro, et dum fratribus ordinis praedicti erant uniti, et aggregati, utebantur, fruebantur, et gaudebant, deinceps pari modo, et absque ulla differentia, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant, de speciali dono gratiae auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausulae sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et aucteritate, judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis aucteritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo secundo.

DCXXXVI.

Dat. Romae 9. februarii 1787. Anno XII.

Ut religiosi Carmelitae excalceati provinciae Mexicanae, utriusque sexus tam in officio, et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis reciprocam eorum commemorationem facere valeant.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Nuper pro parte dilecti filii moderni procuratoris generalis fratrum ordinis beatae Mariae de Monte Carmelo Excalceatorum nuncupatorum in nova Hispania Nobis expositum fuit, quod ad magis magisque augendam erga beatam virginem Mariam, et sanctum Josephum sponsum, praecipuos dicti ordinis patronos devotionem, praesertim in Mexicana ejus-

dem ordinis provincia, summopere condoceret, ut ab omnibus utriusque sexus religiosis provinciae hujusmodi tam in officio, et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fieret reciproca eorum commemoratio, quoties officium de iis recitari contigeret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii: ut in posterum ab omnibus utriusque sexus religiosis ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum provinciae Mexicanae, tam in officio, et missa festivitatis sancti Josephi, quam in alia Desponsationis beatae Mariae virginis fiat reciproca eorum commemoratio, quoties de iis officium recitari contingat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque religiosis provinciae Mexicanae praedictae in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno duodecimo.

DCXXXVII.

Dat. Romae 13. februarii 1787. Anno XII.

Derogatio capitularis ordinationis a capitulo provinciali monachorum ordinis sancti Basilii Magni provinciae Castellae factae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Nec facilitati, nec inconstantiae adscribendum est, si quandoque pro rerum necessitate, diverso licet modo aliqua disponantur; ea est enim infirmitatis humanae misera conditio, ut raro contingat, tam scite, tamque prudenter, quae agenda sunt definire, quin cito ex rerum usu immutanda, aut penitus etiam sint revocanda.

Expositio precum a monachis porrectarum.

§. 2. Quamobrem cum dilecti filii monachi ordinis sancti Basilii Magni provinciae Castellae in capitulo provinciali anno MDCCLXXXVI. habito coacti Nobis nuper exponi fecerint, quod alias in capitulo provinciali eorumdem ordinis, et provinciae in mense maji anno MDCLXXX. habito de unanimi tum existentis abbatis generalis, commissarii, et visitatoris apostolici, aliorumque vocalium consensu inter caetera nedum magistro novitiorum pro tempore existenti monasterii Matritensis jus suffragii in capitulis provincialibus dictae provinciae concessum fuit, sed etiam constitutum, ut officium hujusmodi deinceps iis monachis dumtaxat concederetur, qui per solidum triennium munere abbatis laudabiliter functi essent, quae quidem capitularis ordinatio subin-

de per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negociis praepositorum sub die XXVII augusti MDCLXXXIII, fuit auctoritate apostolica confirmata, et ad haec usque tempora inviolabiliter observata; cum tamen in eadem provincia plurimis de causis ex difficillimis hisce temporibus emergentibus deficiant monachi, qui ab subeundum tam difficile munus idonei sint, eaque propter dicta capitularis ordinatio, qua numerus etiam monachorum ad id munus deputandorum magis magisque coarctatur, potius quam utilis, ac proficua, immo exitiosa, se noxia videatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor annullationis, et abrogationis. §. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, memoratam capitularem ordinationem dicti capituli provincialis anni MDCLXXX, in ea tantum parte, qua, ut monachus officio magistri novitiorum praeficiendus per solidum triennium munere abbatis functus sit, requiritur, auctoritate apostolica tenore praesentium annullamus, cassamus, abrogamus, et abolemus, viribusque, et effectu vacuamus; sicque deinceps a capitulo provinciali praedicto illi monachi erunt in magistros novitiorum dicti monasterii Matritensis eligendi, quos ad grave munus hujusmodi subeundum idoneos reputaverit, etiamsi nunquam in abbates fuerunt electi, aut triennium non expleverint.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate vel potestate fuogente scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non capitulari ordinatione praedicta etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decimatertia februarii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

ANNO DECIMO TERTIO

Dat. Romae 6. martii 1787 Anno XIII

DCXXXVIII.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui post diem festivitatis sanctae Franciscae viduae visitaverint ecclesias congregationis Olivetanae.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§. 1. Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac s. communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae ubicumque existentem, dominica immediate sequente post festum s. Franciscae viduae a primis vesperis, usque ad occasum solis diei hujusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur praesentes nullae sint; utque praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die v. martii MDCCLXXXVII. pontificatus Nostri anno decimotertio.

Dat. Romae 6. martii 1787. Anno XIII.

DCXXXIX.

Committitur episcopo Colimbriensi, ut transferat moniales e monasterio Louriçal ad novum erigendum monasterium.

Venerabili fratri episcopo Colimbriensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii capitaneus major, communitas, et nobilitas villae, seu loci de Pouca de Beira tuae dioecesis, quod cum alias, in antecacto nempe saeculo in civitate Ulyssipponensi sacrilegum furtum non sine gravi sanctissimi Eucharistiae sacramenti contemptu fuerit perpetratum, quasi in admissi reatus expiationem in loco de Louriçal ejusdem tuae Colimbriensis dioecesis novum sanctimonialium ordinis sanctae Clarae strictioris observantiae monasterium fuit e fundamentis extructum, ut ipsae praeter caetera statuta, ac stabilimenta apostolica auctoritate tunc confirmata, diu, noctuque vicissim sanctissimi Eucharistiae sacramenti adorationi insistere jugiter tenerentur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat in dicta villa,

seu loco de Pouca de Beira alias nempe anno MDCCXLIII. aliud sacrilegum furtum fuerit commissum, ob tantum crimen novum monasterium earumdem sanctimonialium in loco patrati delicti excitare fuit constitutum, illudque revera ex fidelium eleemosynis quasi penitus absolutum existit; quoniam tamen satis commodum, et amplum hospitium muris cinctum cum clausura, et ecclesia ad recipiendas novitias paratum jam sit; hinc dicti exponentes a praedicto monasterio de Louriçal dilectas in Christo filias Mariam Barbaram, Mariam a sancta Rita, et Mariam de Sancta Familia, ac aliam, seu alias duas prudentia, ac arbitrio tuo eligendas moniales expresse professas dicti monasterii ad hoc novum monasterium in dicto loco de Pouca de Beira erectum, seu erigendum una cum eisdem statutis, ac legibus, alias, ut praefertur, apostolica auctoritate confirmatis transferri posse summopere desiderant. Nobis propterea memorati exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae commissionis.

§. 2. Nos igitur piis eorumdem exponentium votis quantum cum Domino possumus annuere, eosque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praedictas tres sanctimoniales, ac aliam, seu alias duas, et quatenus una cum altera ex ipsis impedita legitime fuisset, alias moniales ejusdem monasterii in locum impeditarum suffectas ad praedictum monasterium in vilia, seu loco de Pouca de Beira, ut praefertur, erectum, seu erigendum, ut inibi novam faciant fundationem, sub iisdem tamen legibus, ac statutis dicti monasterii de Louriçal, a quo transferuntur honesto comitatu, quem sanctimoniales decet, debitisque adhibitis cautelis auctoritate Nostra apostolica transferas.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit, monasterii, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta martii anno millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCXL.

Dat. Romae 10. martii 1787. Anno XIII.

Confirmatio decreti congregationis Rituum super electione B. M. V. Angelorum in patronam principalem oppidi Puig Valentinae dioecesis.

Pius pp. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memoratur decretum nuper editum.

§. 1. Emanavit nuper a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris sequentis, videlicet.

VALENTINA.

Tenor ejusdem decreti.

§. 2. Ex parte cleri saecularis, et regularis oppidi Puig dioecesis Valentinae sac. Rituum congregationi pro confirmatione electionis beatissimae virginis Mariae sub titulo Angelorum in patronam principalem dicti oppidi humillime supplicatum fuit; sacra eadem congregatio, referente eminentissimo, et reverendissimo domino cardinali Archinto praefecto, et ponente, cum hujusmodi electionem rite, et juxta decretum sa. mem. Urbani pp. VIII.

legitime factam comperiisset, eamdem approbavit, et confirmavit, et B. M. V. Angelorum in patronam principalem electam festivitati praerogativas omnes sanctorum protectorum principalium festis competentes attribuit, atque concessit. Die 10. martii 1787.

J. card. Archintus praefectus.
D. Coppola S. R. C. secretarius.

Loco ✠ Signi.

Preces porrectae pro confirmatione decreti. §. 3. Cum autem sicut dilecti filii clerus saecularis, et regularis oppidi praedicti hodie Nobis exponi fecerunt ipsi decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae. §. 4. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: decretum praeinsertum hujusmodi auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 5. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec non utrique clero praedicto in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, dictique oppidi, ejusque cleri praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCXLI.

Dat. Romae 23. martii 1787. Anno XIII.

Seminario ecclesiastico Civitatis Castelli uniuntur nonnulla bona.

Venerabili fratri
Episcopi Civitatis Castelli

Pius PP. VI.

Venerabilis frater.
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Expedit quam maxime animarum Christifidelium saluti, ut ad ecclesiarum parochialium regimen, qui digni sunt, quorumque prior vita, et in sacris disciplinis exercitatio spem afferat, eos non mercenariorum, sed vigilantium, pastorum more sibi commissis ovibus sollicite consulturos, assumantur. Id autem tuto perficitur, si adolescentes, qui in sortem Dei sunt vocati, ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia in seminariis efformentur,

bonisque moribus imbuantur. Itaque cum pastoralem fraternitatis tuae vigilantiam, ac sollicitudinem, dum in omnibus ministerium tuum imples, in Domino plurimum commendamus, tuis justis petitionibus libenti animo assensum praebemus.

Refertur angustia seminarii episcopalis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod quoties alicujus parochialis ecclesiae vacatio, inter multas, quae in tua satis ampla dioecesi consistunt, contigit, admodum difficulter de idoneis rectoribus eis providetur, cujus incommodi originem in eo maxime statuendam esse jure arbitraris, quod tui dioecesani, cum tenuissimis, ac fere nullis opibus sint, suos filios in studia mittere nequeunt, ac episcopale tuum seminarium ut in aedibus magnificum, ita bonis, ac redditibus valde inops, cum ea singulo quoque anno vix scuta ducenta annui vectigalis, detractis oneribus, fundant. Quod si auctis ejusdem seminarii redditibus, major inde alumnorum numerus in eo recipi poterit, facile huic malo consultum itur; quandoquidem in seminario adolescentes, quorum indoles, et voluntas praeseferat ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, seu novellae plantae benigniori cura educati, et ad pietatem, religionem, ac literarum scientiam a teneris annis informati, cum postea ad laboriosa ecclesiae officia vocati erunt, tamquam boni Christi ministri enutriti verbis fidei, et bonae doctrinae, quam assecuti sunt, Christifideles exhortari in sana doctrina, et eos, qui contradicunt, arguere, utilesque se exhibere poterunt. Quocirca pro pastorali vigilantia, qua circa gregis tuae curae commissi spirituale bonum quotidie excubas humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Praecipitur omnes adolescentes convenire ad seminarium.

§. 3. Nos igitur, qui illorum curis, ac desideriis, qui in Nostros cooperatores in vineam Sabaoth vocati sunt, quantum in Domino possumus, adesse exoptamus, tuisque votis annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut, salvo jure, quo dilecti filii consilium, seu magistratus istius Nostrae Civitatis Castelli, ut asseritur, utuntur, potiuntur, et gaudent, nominandi scilicet, ac deputandi magistros grammaticae, humanitatis, rethoricae, et philosophiae, ac salvo pariter stipendio ab eodem magistratu antecessoribus praedictis solvi consueto, hi deinceps non amplius ad publicum gymnasium convenire, sed seminarium ad instituendos, quilibet juxta suam disciplinam, tum illius alumnos, tum caeteros adolescentes inibi convenientes adire debeant; auctoritate Nostra apostolica edicas, et statuas.

Assignantur seminario bona confraternitatis s. Antonii, et haereditatis Marruni.

§. 4. Insuper, cum sicut accepimus, in loco, seu oppido de Citerna tuae dioecesis erecta existat confraternitas saecularis sub invocatione, seu titulo sancti Antonii, cujus onus est per annum aliquas ecclesiasticas solemnitates peragere, ac etiam sit quaedam haereditas Marruni nuncupata, cujus redditus ab episcopo Civitatis Castelli pro tempore existente administrari in tres sacras missiones per dictam dioecesim explendas, et in spiritualia exercitia pro sacerdotibus in singulos annos facienda sint, erogandi harum serie tibi injungimus, ut praescripta, ac statuta annua redditumm, ac fructuum quantitate, quae pro onerum hujusmodi, aliorumque, si quae sunt, satisfactione, in Domino tibi congrua, ac conveniens videbitur, quidquid inde ex confraternitatis, ac haereditatis praedictarum proventibus supererit, tuo seminario auctoritate praedicta perpetuo unias, et incorpores, prout unitum, et incorporatum esse auctoritate, et tenore praedictis statuimus, ac mandamus.

Applicatio etiam bonorum ecclesiae parochialis del Vigone

§. 5. Tandem cum parochiali ecclesiae del Vigona nuncupatae haud valde dissitae ab hac civitate, licet vix quinquagenarum, aut sexagenarum animarum cura illi incumbat, nihilominus redditus, ac proventus annui valoris circiter scutorum tercentorum monetae Romanae sint; hinc quandocumque per cessum, vel decessum moderni rectoris dictae parochialis ecclesiae, aut alias quomodolibet ex illius persona parochia hujusmodi vacare contigerit, ex nunc pro ex tunc, et e contra illius congruam portionem ad annua scuta octoginta dumtaxat auctoritate, et tenore praedictis coarctamus, ac superextantes redditus eidem seminario addicimus, ac incorporamus. Quocirca deputa-

tis, seu administratoribus seminarii, ut vix secuto obitu moderni rectoris dictae ecclesiae, vel secuta alias quomodolibet ejusdem parochiae vacatione bonorum, et jurium quorumcumque ad illam quomodolibet spectantium possessionem, seu quasi possessionem cum onere tamen persolvendi in duas, aut plures ratas novo rectori dumtaxat annua scuta octoginta monetae Romanae, per se apprehendere libere, ac licite possint, et valeant eadem auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac statuere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris, facultatem, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 6. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac apostolicae Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 7. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus; nec non dictorum piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus; et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 27. martii 1781. Anno XIII.

DCXLII.

Assignatio bonorum pro erectione conservatorii in civitate Assisiensi, facienda pro puellis recipiendis.

Dilecto filio Nostro Philippo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Carandini nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Romanum decet pontificem tamquam fidelem servum, ac prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam non modo spiritualium providentiam Catholicae Ecclesiae, quantum divina bonitas largitur, jugi vigilantia exhibere, sed et temporalium circumspectione suorum, et Apostolicae Romanae Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodis indesinenter consulere, eaque de causa sollicitis studiis ea omnia curare, quae communis utilitatis rationi, et reipublicae saluti consentanea esse in Domino arbitrator.

Ratio concessionis. §. 2. Itaque cum sicut accepimus in maximam Assisiensis dioecesis utilitatem conferret novi conservatorii puellarum orphanarum fundatio, in quo ea lanea opera, tam crassa, quam mollia, quae vocant *Saje*, nec non telae lineae, et cannabinae pro mappis, mantilibus, ac stragulis texerentur, Nos mature, ac sedulo omnibus perpensis, quae ad haec conducibilia esse videbantur, nonnulla disponere statuimus, quae utilitatem, atque commodum civitati, et dioecesi Assisiensi allatura fore, speramus.

Assignatur domus pro erectione conservatorii. §. 3. Et quidem circumspectioni tuae congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super bono regimine communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici praefecto, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut in primis domum reclusorii orphanarum istius Nostrae civitatis Assisiensis una cum alia contigua domo, quam nunc magistrae piae Jesuitissae nuncupatae habent, in novi erigendi conservatorii domum auctoritate Nostra apostolica assignes; puellas vero orphanas in dicto reclusorio nunc degentes, easque magistras in eodem conservatorio recipias, magistris vero piis praedictis, et a saecularibus tertii ordinis sancti Francisci domus, qua in hospitio excipiendas mulieres tertiarias ejusdem ordinis sancti Francisci, aliosque ad civitatem Assisiensem die secunda augusti peregrinantes utuntor, absque ulla compensatione, ac utilitatis spe concedatur, ac donetur, edicas, et mandes.

Instituitur congruus census conservatorii. §. 4. Ut autem congruo censu conservatorium hujusmodi instruatur, tibi pariter per praesentes injungimus, ut bona omnia, reditus, jura, et actiones ad dictum reclusorium quomodolibet spectantia, et pertinentia eidem conservatorio auctoritate praedicta unias, et applices; deinde eximendo, et liberando infra exprimendas confraternitates laicales, ab iis oneribus, quae minus necessaria, ac utilia esse in Domino conspexeris, non obstantibus piorum testatorum, aliorumque dispositionibus, legatis, et testamentis, quibus expresse pro effectu praedicto tantum harum serie derogamus annuas infra exprimendas praestationes, quae ex informationibus per te prius diligenter captis, vires dictarum confraternitatum nullo modo excedunt, super fructibus, redditibus, ac proventibus earumdem confraternitatum dicto conservatorio in duabus, aut pluribus ratis arbitrio tuo praefigendis persolvendas imponas. Volumus quippe, ut confraternitas tertii ordinis saecularis sancti Francisci pro taxa hujusmodi annua scuta quadraginta persolvat; confraternitas sanctae Catharinae annua scuta triginta; confraternitas Stigmatum sancti Francisci annua scuta triginta; confraternitas vero sancti Stephani, sancti Crispini, Spiritus Sancti, beatae Mariae virginis Gratiarum in oppido de Palatio, et sancti Andreae in oppido de Bettona, et quaelibet illarum annua scuta decem praestent; confraternitas sanctissimi Sacramenti in ecclesia cathedrali erecta ex haereditate Paci annua scuta viginti pendat: sic pariter confraternitas Rosarii in castro turris de Betto ex haereditate Cioli annua scuta decem, et ab administratoribus xenodochii oppidi de Bastia dictae dioecesis, cum illius census major sit cultu ex superextantibus redditibus annua scuta centum viginti exsolvantur. Tandem cum in oppido de Cannara itidem dioecesis tres jamdiu erecti fuerint montes frumentarii, ac ad oppidanorum commodum, atque

utilitatem, ex rerum usu constet, unum dumtaxat montem frumentarium satis superque esse; propterea tibi mandamus, ut praevia duorum ex dictis montibus frumentariis abolitione, ac extinctione, sortes montium frumentariorum hujusmodi eidem conservatorio addicas, et incorpores.

Dotibus puellarum providetur.

§. 5. Ad hoc autem, ut puellis in eodem conservatorio pro tempore existentibus, ac in Domino, aut in saeculo nubere volentibus aliquo modo consulatur, cum, sicut accepimus ab ordinibus regularibus, ac confraternitatibus laicalibus istius civitatis Assisiensis subsidia dotalia pro summa scutorum ducentorum quolibet anno sorte distribuantur; hinc volumus, tibique mandamus, ut ex hisce dotibus, quae sive a regularibus, sive a confraternitatibus in singulos annos conferuntur, dummodo nulli certae personae debeantur, tot, quot constituant summam scutorum nonagintorum pro tuo arbitrio, et prudentia eligas, in quibus per electores puellas in conservatorio degentes esse praeferendas mandes, ac statuas. Praeterea, ut sumptibus pro necessaria supellectili, ac instructione dicti conservatorii fieri satis possit, tibi mandamus, ut ad annum suspensa dictorum subsidiorum dotalium distributione, summam exinde percipiendam in hanc causam eroges; ut insuper fructus superextantes, quos multis ab hinc annis habet haereditas Paci, qui ex testatoris voluntate in majorem ornatum, ac elegantiam cujusdam cappellae essent impendendi, nec non alias summas, quas in quaesta habet congregatio saecularis tertii ordinis sancti Francisci, aut in sustentationem adolescentum, qui studiis operam navent, aut in subsidia dotalia extraordinaria erogandas pro dicti conservatorii institutione eadem auctoritate applices, et attribuas.

Executores apostolici subdelegandi indigitantur.

§. 6. Tandem cum haec omnia nisi difficillime per te ipsum perficere poteris ob munera, quibus fungeris, hinc tibi dilectos filios marchionem Petrum Sperelli, comitem Josephum Bindangoli, et marchionem Alphonsum Sermattei cives nobiles Assisienses, qui tuo nomine omnia praedicta exequantur, subdelegandi, ac deputandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, atque impertimur. Volumus praeterea, ut rectae bonorum administrationi, et puellarum ad religionem, et artes institutioni consulatur, ut tres praedicti cives nobiles Assisienses, salva semper episcopi Assisiensi pro tempore existentis jurisdictione, eidem conservatorio praesint, quorum altero deficiente, ut superstites sibi socium, seu nobilem civem in locum defuncti eligant, eadem auctoritate, et tenore concedimus. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertineant faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi, ea omnia pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire coospexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

§. 7. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali; sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetexto, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Sublevetur omne juris remedium, contra executionem praesentium literarum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 27. martii 1787. Anno XIII.

DCXLIII.

Confirmatio decreti congregationis Rituum quo cappellanis ecclesiae monasterii regii Incarnationis nuncupati monialium ordinis sancti Augustini oppidi Matriti, Toletanae dioecesis conceditur indultum recitandi officia propria, et celebrandi missas illorum sanctorum, de quibus ipsi recitant officium.

Pius pp. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae priorissa, et moniales recollectae nuncupatae ordinis sancti Augustini regalis monasterii Incarnationis etiam nuncupati oppidi Matriti Toletanae dioecesis, quod ipsae pro sua, et cappellanorum ecclesiae dicti monasterii inservientium spirituali consolatione, et commoditate, licentiam recitandi officia propria missasque celebrandi illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium, cappellanis hujusmodi per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur easdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati; attenta relatione dilecti filii magistri Caroli Erskine fidei promotoris, modernis, et pro tempore existentibus cappellanis servitio ecclesiae praedicti monasterii addictis, ut ipsi in posterum officia propria recitare, missasque illorum sanctorum, de quibus dictae exponentes recitant officium, celebrare libere, et licite possint, et valeant licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insoli-

tis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo septingentesimo, octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 27 martii 1787. Anno XIII.

DCXLIV.

Indultum recitandi officium proprium, et missam sanctissimi Redemptoris pro utroque clero civitatis, et dioecesis de la Sierra in Indiis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater episcopus sanctae Crucis dalla Sierra in Indiis, quod ipse ad magis promovendam utriusque cleri suae civitatis, et dioecesis praedictae devotionem, quam jam viget erga sanctissimum Redemptorem, officium proprium, et missa ejusdem sanctissimi Redemptoris jam favore civitatis Venetiarum adprobata pro die vigesima julii ad dictum clerum per Nos extendi summopere cupit. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis providere, et indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem episcopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii; ut in posterum uterque clerus dictae civitatis, et dioecesis sanctae Crucis della Sierra in Indiis officium proprium, et missam sanctissimi Redemptoris jam pro civitate Venetiarum, ut praefertur, adprobat. pro die vigesima julii, ritu duplici secundae classis absque octava (demptis tamen a sexta lectione secundi nocturni sequentibus verbis — *Hanc igitur immensae largitatis ec. usque ad finem*) recitare, et celebrare libere, et licita possit, ac valeat licentiam, et facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictaeque civitatis, et dioecesis, ejusque cleri etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresso derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo, septingentesimo, octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 27. martii 1787. Anno XIII.

DCXLV.

Erectio conservatorii puellarum orphanarum in civitate Interamnensi.

Venerabili fratri Francisco Laurentio episcopo Nucerino.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex somma misericordia, et bonitate sua vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt, humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, inter gravissimas apostolici ministerii sollicitudines, quibus quotidie urgemur, de temporali quoque Romanae Sedis subditorum commodo, ac utilitate peculiarem curam a Nobis esse gerendam intelleximus. Hinc inter caetera, quibus eorumdem subditorum rationibus varie consuluimus, seminaria quoque, conservatoria, ac brephotrophia juxta rerum vices in aliquibus ecclesiasticae ditionis civitatibus, ac oppidis, et nunc in praedicta tua dioecesi Nucerina, vel ampliori censu auximus, vel etiam de novo instituimus.

Munus conceditur episcopo Nucerino, ob gravem infirmitatem episcopi Interamnensis.

§. 2. Quamobrem cum in civitate Nostra Interamnensi artes adjuvare, industriamque augere constituerimus, quum continuus quasi morbus, quo venerabilis frater Augustinus Felix episcopus Interamnensis detinetur, Nos impediat, quominus ei Nostri consilii executionem committamus, singularis fraternitatis tuae fides, ac prudentia, et in rebus gerendis dexteritas Nos inducunt, ut in hoc arduo negotio tua opera libenter utamur, tuaeque vigilantiae, ac sollicitudini, quod Nobis plurimum cordi est, concredamus.

Praecipitur visitatio montis Pietatis, et imminutio numeri ministrorum illius.

§. 3. Tibi itaque per praesentes committimus, ut civitatem hanc Nostram Interamnensem petas, ac montem Pietatis ejusdem civitatis auctoritate Nostra apostolica visites, illiusque administratores ab librorum dati, et accepti exhibitionem toties, quoties opus fuerit, ac eorum administrationis rationem reddendam modis omnibus, etiam per ecclesiasticas censuras compellas, et cogas; et cum, sicut accepimus, tot bona ipse possideat, quot illorum redditus ad annuam summam scutorum sexcentorum circiter ascendant; qui nedum satis superque sunt pro ministrorum stipendiis, sed etiam redundant, praesertim vero si, ut par est, illorum imminuatur numerus, quibus desuper tibi, quae utiliora fore in Domino arbitraberis, faciendi, et gerendi plenam, et amplam facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Dos ipsius montis constituitur in scutis viginti mille.

§. 4. Cumque insuper pignoribus acceptis, quae fere omnia nunc antiqua sunt satis grandem summam scutorum quadraginta mille commodaverit, tibi propterea mandamus, ut divenditis omnibus hisce pignoribus, firmis tamen remanentibus actionibus, ac privilegiis tum ipsius montis Pietatis, tum etiam proprietariorum, qui indebitas esse usuras contenderent, et probarent, quae in pignorum venditionibus ipsis quomodolibet competere dignoscitur, percipiendam inde summam in scutis pariter quadraginta mille circiter, pro quantitate scutorum viginti mille in ipsius montis dotem constituas.

Praecipitur ut pignora sine foenore accipiantur, sed scuta sex tantum pro quolibet pignore mutuentur.

§. 5. Volumus tamen, ut in posterum cum mons Pietatis hujusmodi sufficientes habeat redditus ad ministrorum stipendia pro commodatis pecuniis acceptis pignoribus nullum lucrum praeter sortem ab eodem monte excipi possit, et ne fraudibus via aperiatur major summa, quam scutorum sex pro quolibet pignore cujuscumque valoris sit, commodari nequeat, nisi de licentia episcopi Interamnensis pro tempore existentis, vel sui vicarii generalis, ac primae dignitatis capituli Interamnensis, quorum conscientiam hisce desuper stricte oneramus, et tunc summam dumtaxat scutorum duodecim, et non ultra juxta veteres ejusdem montis consuetudines commodatam dare fas esse eadem auctoritate, et tenore praedictis edicimus, atque mandamus.

Alia summa erogatur favore conservatorii erigendi, cui unitur aliud conservatorium s. Elisabeth nuncupatum cum suis bonis.

§. 6. Alia autem pars summae ex pignorum praedictorum venditione percipiendae, alia nempe scuta circiter viginti mille novo, ut infra erigendo in dicta civitate puellarum orphanarum conservatorio auctoritate praedicta unias, et incorpores. Et cum occupata hujusmodi summa, detractis sumptibus, ad institutionem, et instructionem ejusdem conservatorii necessariis tanti non valeat, quanti necessaria est ad illius congruam exhibitionem, hinc tibi pariter injungimus, ut conservatorium sanctae Elisabeth nuncupat. In quo una dumtaxat *beguina*, seu *pinzochera* commoratur, ac conservatorium puellarum pauperum, in quo nunc vix degunt septem personae auctoritate praedicta supprimas, ac extinguas, ac extincta, et suppressa esse decernas, atque declares: *beguinam* vero, seu *pinzocheram* praedictam, ac personas in alio conservatorio degentes in novum erigendum conservatorium recipias. Bona porro, mobilia, et immobilia,

jura, et actiones ad dicta duo conservatoria quomodelibet spectantia, et pertinentia novo erigendo conservatorio auctoritate praedicta applices, et adnectas.

Praevia derogatione testamenti Hippolytae Galeani applicatur conservatorio subsidium dotale ab ea relictum

§. 7. Praeterea, alias quaedam Hippolyta Galeani per suas testamentarias tabulas suum ex asse haeredem instituit confraternitatem laicalem sancti Nicandri, ut ex suorum bonorum redditibus constituatur dotale subsidium nobili puellae Interamnensi, quae habitum regularem in aliquo monasterio sanctimonialium Interamni susciperet, ibique professionem regularem emitteret; cum autem saepe saepius ab eadem confraternitate redditus hujusmodi in diversos usus deperdantur; propterea tibi committimus, ut praevia derogatione cujuscumque dispositionis dictae Hippolytae Galeani, prout auctoritate, et tenore praedictis derogamus, bona, proventus, ac redditus quoscumque quomodolibet ad dictam haereditatem Galeani spectantia dicto erigendo conservatorio concedas, et attribuas, ac concessa, et attributa esse statuas, atque declares.

Applicantur quoque nonnulla bona confraternitatis sancti Nicandri

§. 8. Insuper cum eadem confraternitas sancti Nicandri pluribus affluat bonis, ac redditibus, quam tibi injuncta onera valent; hinc tibi facultatem imponendi aliquam annuam praestationem, seu taxam super omnibus bonis redditibus, ac proventibus dictae confraternitatis auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Quo vero taxa, seu praestatio hujusmodi congruat superextantibus redditibus, quos usque ad summam annuorum scutorum quingentorum pertingere accepimus, facultatem pariter tibi concedimus sub poenis arbitrio tuo imponendis, ac etiam per censuras ecclesiasticas cogendi officiales, confratres, at administratores dictae confraternitatis ad exhibitionem librorum, et status redditunm, ac respective onerum, quibus eadem confraternitas gravatur, ad hoc ut introitus cum exitu, justa habita proportione comparari possit, indeque cognosci, qua in summa introitus exitum superet, ut annua praestatio dicto conservatorio exsolvenda in ea quantitate, quae viribus ejusdem confraternitatis conveniat, statuatur, et praescribatur.

Applicantur quoque bona haereditatis Jannucci, nonnullis piis operibus injunctis.

§. 9. Non solum autem haec omnia eidem conservatorio concedenda esse volumus ad annuum congruum redditum ei constituendum, sed etiam cum quidam Jacobus Jannucci per suum testamentum die VIII. sept. MDCCLXX. disposuerit, omnes suorum bonorum fructus, ac proventus in celebrationem missarum in animae suae suffragium esse erogandos, ac episcopos Interamnenses praeter duas missas quotidianas alia etiam celebrari sacrificia facere consuevisse feratur, tibi injungimus, ut bona, jura, et actiones ad dictam haereditatem Jannucci quomodolibet spectantia dicto conservatorio cum onere duarum missarum quotidianarum, nec non puellis in eo degentibus recitandi quotidie certas preces arbitrio tuo praefigendas in dicti testatoris animae suffragium auctoritate praedicta unias, et incorpores, ac unita, et incorporata esse statuas, atque decernas.

Concessio nonnullorum dotalium subsidiorum.

§. 10. Quo autem spe praemii puellae, ut bene se gerant, invitentur, ac facilius in Domino, aut in saeculo nubere ipsae possint; cum a nosocomio Narniensi solvantur episcopo Interamnensi alternis annis scuta octoginta quatuor, quae alias ab iisdem episcopis in quinque dotes fuerunt divisa; cum insuper monasterium sanctimonialium sancti Proculi quolibet sexennio tres dotes scutorum triginta in singulas dare teneatur; confraternitas sancti Hieronymi quolibet anno det dotem scutorum duodecim, ac tandem ab episcopo Interamnensi fructus, ac redditus haereditatis Castelli valoris scutorum circiter septuaginta sex in tot dotes, ac subsidia dotalia quolibet anno dividi soleant; Nos tibi committimus, ut has omnes summas, ac subsidia dotalia, ad hoc ut in orphanas in conservatorio pro tempore commorantes quolibet anno quatuor dotes, seu subsidia dotalis valoris scutorum triginta quinque in singula dividantur, eadem auctoritate applices, et adnectas, prout auctoritate, et tenore praedictis applicamus, et adnectimus.

Declarantur novae artes in conservatorio inducendae.

§. 11. Nova porro opera, ac artes inducendae in conservatorio erunt modo texendi lineas, et cannabynas telas, nec non opificia serica factitandi, dein etiam si Deo placebit, exercendi laneas artes; quoniam vero alias dicto conservatorio scuta vigintimillia circiter a venditione pignorum comparanda assignavimus, hinc tibi facultatem concedimus ex eadem summa quantitatem detrahendi pro instructione erigendi conservatorii necessariam. Tibi etiam quaecumque facultatem ea omnia, quae artes hujusmodi in eodem conservatorio fovere poterunt, disponendi, et constituendi plenam, et amplam facultatem concedimus,

et impertimur; ut tandem eidem erigendo conservatorio apta etiam domus assignetur, tibi per praesentes jubemus, ut conservatorio hujusmodi domum, quae alias ad nunc extinctam, et suppressam societatem Jesu pertinebat, cum omnibus suis adjunctis auctoritate praedicta unias, et incorpores, prout tenore praesentium unimus, et incorporamus, ac unitam, et incorporatam esse decernimus.

Ad majorem utilitatem seminarii, et conservatorii annuullae aedes commutantur.

§. 12. Episcopale vero seminarium a quo nunc aliqua domus bujusmodi portio inhabitatur, ad suam antiquam domum, quae satis superque videtur auctoritate praedicta transferas; scholas autem publicas, quae modo in eadem extinctae, ac suppressae societatis Jesu habentur in conservatorium puellarum orphanarum, ut praefertur, suppressum, ac novo erigendo conservatorio unitum, cujus domus, sicut accepimus, satis ampla, et capax est, eadem auctoritate aperias; quum vero erigendo conservatorio, opificiisque in eo constituendis longe aptius esset monasterium sanctimonialium clarissarum nuncupatarum sancti Proculi, iisdem e converso monialibus magis idonea esset amplior domus suppressae societatis Jesu, erigendo conservatorio, ut supra, assignata, prudentiae, ac vigilantiae tuae committimus, ut meliori, quo poteris modo easdem sanctimoniales sancti Proculi ad hujusmodi permutationem inducas; quod si id tibi beoe successerit, translationem hujusmodi cum necessariis cautelis auctoritate Nostra apostolica perficiendi facultatem concedimus.

Viri probi conservatorii regimini praeponuntur.

§. 13. Volumus denum, ut tres cives nobiles Interamnenses prudentia, zelo, ac patriae amore inter caeteros spectabiles auctoritate praedicta designes, quibus eidem conservatorio praeesse, ac suorum bonorum administrationem, salva tamen semper jurisdictione episcopi Interamnensis pro tempore existentis, concedas; horum altero deficiente duo superstites sufficiendum in locum defuncti designare possint dicta auctoritate concedas. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Omne juris remedium submovetur contra executionem praesentium literarum apostolicarum.

§. 14. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 15. Sicque et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae etiam de latere legatos, et apostolicae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 16. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse

commutamus, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii, millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCXLVI.

Dat. Romae 27. martii 1787. Anno XIII.

Confirmatio constitutionum ordinis Immaculatae Conceptionis beatae Mariae virginis clericorum regularium Marianorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Ex debito pastoralis officii, quo Ecclesiae Catholicae per universum terrarum orbem diffusae regimini divina dispositione praesidemus, ordines, seu congregationes Christifidelium christianae charitatis, et misericordiae operibus ad parochorum adjumentum, et juventutis in primis fidei, et literarum rudimentis instructionem laudabili studio incumbentium paterno charitatis affectu prosequimur, felicique illorum statui, ac ut personae, quae tam pium vitae institutum susceperunt, in ea vocatione, in qua vocatae sunt, perseverent usque in finem, opportunis rationibus, et favoribus providere studemus, sicut omnibus mature consideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, piorum operum incrementum, et animarum salutem expedire in Domino arbitramur.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Norbertus Golkowski ordinis, seu congregationis clericorum regularium Marianorum nuncupatorum procurator generalis, quod cum alias, nempe anno MDCLXX. a servo Dei Stanislao Papczynski ordo, seu congregatio praefata in adjutorium parochorum, et ad instruendam in primis fidei, ac literarum principiis juventutem in regno Poloniae, approbante tunc existente apostolico nuncio, fuerit instituta; subinde ordini fratrum Minorum sancti Francisci fuit aggregata, immo ab ipsomet Stanislao institutore fuerunt postmodum supplices preces fel. rec. Innocentio pp. XII. praedecessori Nostro oblatae, ut ipse ordinem, seu congregationem hujusmodi approbare dignaretur, quapropter ab eodem Innocentio praedecessore datae sunt apostolicae literae sub die XXIX. novembris MDCXIX., quibus tunc existenti apostolico nuncio in regno Poloniae Francisco Pignattelli commissum fuit, ut matura examinatis examinandis solemnem professionem, tum dicti institutoris, tunc adhuc in vivis agentis, tum aliorum clericorum regularium hujusmodi solemnem professionem exciperet, prout revera omnes hi in manibus dicti apostolici nuncii regularem professionem emiserunt, ab eodemque nuncio ordo, seu congregatio praefata auctoritate apostolica approbavit, prout in eisdem apostolicis die VI junii MDCCI. expeditis literis uberius dicitur contineri. Expositio precum in quibus refertur etiam origo congregationis apostolica auctoritate erectae

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Norbertus procurator generalis apud Nos institerit, ut suum ordinem, seu congregationem praedictam ab ordine fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum cui, ut praefertur, aggregatus, et conjunctus erat, segregaremus, ac dismembraremus, idque per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium a Nobis obtinuerit, ut ex ejusdem congregationis Suas obtinet constitutiones quas confirmari postulat.

decreto sub die decima mensis martii transacti anni MDCCLXXXVI. emanatum constat, nedum suum deinde institutum ab eadem congregatione approbari postularunt, sed etiam novas reformatas constitutiones tenoris, qui sequitur.

CAPUT I.

De fine, admissione, et educatione novitiorum.

De fine admissionis novitiorum.

§. 4. I. In primis finem vocationis suae quisque vestrum quotidie, diligenter, et devote expendat, nempe majus incrementum divinae gloriae, cultum, et venerationem immaculatae Conceptionis electissimae Dei genitricis virginis Mariae specialiter promovere, ac ejusdem virtutes in regula descriptas omni studio, mediante divina gratia, imitari, cum seria ad perfectionem tendente propriae salutis, et proximorum cura, praecipue quoad erudiendum in doctrina christiana rudem plebem quilibet incumbat, ac maxime animabus fidelium defunctorum piacularibus poenis addictis omni pietate, et orationum assiduitate suffragari conetur. Et quoniam a tyronum susceptione, et educatione totum instituti vestri decus, stabilitas, et sanctitas dependet, ideo quicumque vestrum, institutum amplecti voluerint, sint bene noti, aut digne commendati, nullis censuris, alioque canonico impedimento, aut litibus, vel debitis innodati, nullo gravi corporis morbo, vel religionis alicujus desertione notati, parentum, ni forte opem eorum jure non exigant, consensum, et legitimi ortus sui, ordinumque si quos habent, status liberi, ac probitatis vitae, morumque honestorum, secumferant testimonia authentica, alias non sunt admittendi, prout qui pertinaces, superbi, fastidiosi, et ficti ingenii esse videntur, nullatenus recipiantur; juxta formam concilii Tridentini, et constitutiones sanctorum pontificum, praesertim Sixti V. Clementis et Urbani VIII.

De spiritu, et voluntate admittendorum.

§. 5. II. Caute, et prudenter examinandi sunt de spiritu vocationis, et motivo, de voluntate libera non coacta, qua mente, et fine hujus regularis vitae genus elegerint: an zelo melioris frugis, ac perfectionis vitae, ut scilicet Deo liberius famulari possint? An potius levitate, vel humano aliquo affectu, vel inordinato animo ducantur, et praesertim in clericis bonae indolis, facilis ingenii, et capacitatis ad studia, nec non aetatis (quae non sit minor sexdecim jam inceptorum; nec major triginta sex, in coadjutoribus vero, seu conversis, alicujus artis mechanicae, et honestae, vel ad eam discendam habilitatis, aliaque obsequia conventus obeunda idoneis: non sit minor viginti uno, neque major quadraginta annis:) ratio attendatur, in omnibus autem, et singulis propensio ad bonum spirituale, et virtutes sectandas primario observetur.

De mittendis ad domum probationis, et de peragendis probationis tempore.

§. 6. III. Quicumque idonei per examen reperti, et immunes ab impedimentis fuerint, facultate tributa scripto a praeposito generali cum suffragio discretorum, ad domum annuae probationis mittantur, ibique per aliquod tempus, prout reverendissimo patri praeposito generali, aut ejus commissario videbitur, in proprio vestitu detineantur, tamquam hospites extra clausuram novitiorum, quo tempore, alicui patri spirituali, vel ipsimet magistro novitiorum consignati, cum nullo commercium habeant, sed soli secum, et cum Deo suam voluntatem, viresque proprias sedulo perpendant. Informentur serio, et sincere de instituto, et regula beatae virginis Mariae, atque in variis humilitatis, obedientiae, aliarumque virtutum actibus probentur, ut plenius agnoscere possint futurae vitae suae statum, et ipsos congregatio. Quod si hoc praecise probationis tractu evidentia spiritus boni, ac desiderii in perseverando dederint signa, superior praemissa communi omnium oratione, solito ritu, et caeremoniis consuetis, publice in ecclesia, vel oratorio, praesentibus religiosis, regulari vestro habitu, praevia confessione generali, et sacra communione, propter indulgentiam plenariam consequendam, induantur. Actus vero hujus admissionis, cum nomine, et cognomine cujuslibet admissi, atque parentum, ejusque patriae, et dioecesis, die, mense, et anno, in libro ad id parato adnotetur, cum subscriptione manus propriae, et duorum aliorum patrum; in altero vero libro res, et vestimenta, si quae secum ex saeculo portarent, manu sua descripta, fideliter, et integre custodienda usque ad professionem, asserventur. Noverint autem dicti admissi, primum habitum pro illo tempore, quo in probatione fuerint, debere eos sibi procurare, et religioni solvatur quidquid pro victu impenderit.

De educatione tyronum, et magistro novitiorum.

§. 7. IV. In educatione tyronum apostolicae constitutiones, et praecipue decreta fel. rec. Clementis pp. VIII. de refor. reg. et Sixti V. rite observentur. Ac proinde magister novitiorum sit maturus annorum circiter triginta sex, sacerdos, et decennio saltem professus; socius vero triginta ad minus excedat; ambo sint doctrina, prudentia, communis vitae, et religionis disciplinae observantia, aliarumque virtutum praestantia ornati; habeatque magister novitiorum plenam, et absolutam potestatem circa novitiorum educationem, ac novitiatus regimen; ita ut in illos nemine, exceptis superioribus majoribus, quovis colore, vel causa sese ingerere liceat. Ordinarie novitii suo magistro confiteantur, etsi possint etiam aliquando ex senioribus patribus a reverendissimo p. praeposito generali designatis pro suo libitu confiteri, plenariamque absolutionem obtinere.

De visitatione novitiorum.

§. 8. V. Ad locum novitiatus, qui segregatus a professis debet esse, nemini aditus pateat, cujus clausurae clavim magister apud se teneat, et si quando superior loci voluerit necessaria aliqua novitiis providere, tunc assumpto aliquo ex senioribus patre; (comite tamen magistro, cujus authoritatem semper tueri studebit;) cellas novitiorum visitabit, munditiem, et necessaria observabit, nihilque de illo eorum disponet, quod prius non communicarit magistro. Si quis autem alius ex novitiis quempiam alloqui voluerit, non aliter, nisi praesente, aut consentiente magistro alloquatur.

De exercendis tyronibus in omni genere virtutum.

§. 9. VI. Exerceantur suaviter tyrones in omni genere virtutum, maxime in abnegatione proprii judicii, ac voluntatis, amoris, honoris, aestimationis, contemptus saeculi, aliarumque passionum, et concupiscentiarum; humilia ministeria, honesta tamen, eis imponantur, non tamen fungantur officio publico communitatis conversationi externae annexo. Novitii culpas suas libenter coram magistro dicant, modum orandi, non solum vocalis, sed etiam mentalis orationis, addiscant. Divinis officiis diligenter assistant, missarum sacrificiis inserviant, doctrinam Christianam memoriter discant, in observantia regulae beatae Mariae virginis, et statutorum sincere instruantur, ut possint agnoscere divinae voluntatis, qua digni facti sunt, praesentiam et excellentiam, votorumque solemnium obligationem, ac nullo magis occupentur, quam lectione spirituali, talesque apud se praesertim retineant libros, ac quorum diligenti continua lectione firmius in sua vocatione stabiliantur. Quodque de educatione clericorum hic dictum est, idem sentiendum de conversorum, seu coadjutorum instructione, qui non solum corporalibus vacabunt laboribus, et ministerio conventus, sed etiam spiritualibus exercitiis, et meditationibus operam dabunt, et aeque de praestantia votorum solemnium, regulae beatae Mariae virginis, et statutorum obligatione, informabuntur, sciantque quod ad conversorum, seu coadjutorum statum recepti non possint transire ad statum clericorum.

De defectibus aut profectu novitiorum.

§. 10. VII. Quater in anno, invocato Spiritu Sancto fiant de unoquoque novitio per patres voces habentes scrutinia, in libro seorsivo notanda, ex quibus judicetur approbandus, vel reprobandus, perhibente magistro pro veritatis conscientia, de defectibus, aut profectu novitiorum suorum sinceram relationem. Quod si quis ob justas, et rationabiles causas mediETATEM votorum favorabilem in scrutinio non habuerit, reprobandus intelligatur, statimque a consortio novitiorum, communique dormitorio segregatus, placide, et cum solatio, ad saeculum absque molestia dimittatur, celatis omnibus, quantum fieri poterit, ejus defectibus. Qui vero in ultimo scrutinio vota favorabilia nactus fuerit, prius quam admittatur ad professionem, interrogabitur capitulariter de dispositione haereditatis suae, et rerum saeculi, juxta decreta concilii Tridentini, libere facienda, item de voluntate constanti perpetuo perseverandi juxta obligationem votorum solemnium, absque omni privato respectu. Quibus exploratis, et in contrarium non obstantibus, praevia recollectione spirituali, et confessione generali, publice in ecclesia, vel oratorio more solito emittat in manibus reverendissimi praepositi generalis, vel ejus delegati, solemnem professionem in forma consueta in regula descripta, cujus professionis copiam in libro ad id parato, ipsemet per se, vel si nescit scribere, per alium, subscribat tam neo professus, quam suscipiens, praesentibus aliis duobus testibus saecularibus, et presbyteris dignioribus patribus.

De exclusione professorum a conversatione saeculari per triennium.

§. 11. VIII. Facta professione, ut magis in eodem spiritu, et regulari observantia stabiliantur, et confirmentur, in eadem, vel alia domo a conversatione saecularium alieni, saltem per triennium sub directione patris spiri-

tualis humilibus exercitiis, et praesertim necessariis studiis applicentur, nec ad sacros ordines, nisi aliter reverendissimo praeposito generali visum fuerit, hoc tempore promoveantur.

CAPUT II.

De observantia religiosa, paupertate, et castitate.

De obedientia religiosa.

§. 12. I. Cum obedientia magis Deo placeat, quam victima, et gratissimum illi sit holocaustum propriae voluntatis abnegatio, sitque ea virtus excellentissima, in qua religiosus fundatur status, et regularis manutenetur observantia; proinde omnes cum ingenua promptitudine, humiliter, perfecte, ac perseveranter obediant suis superioribus, eorumque locumtenentibus, tamquam Christi vicariis, voces illorum, et mandata quasi ipsius Domini Nostri, et sanctissimae matris ejus, devote figurantes, memores illius moniti sancti Pauli, quod *omnis potestas sit a Deo, et qui illi resistunt, Dei ordinationi resistunt;* unde caveant, murmura, et querelas contra superiorum dispositiones excitare, easdemque impugnare, cum teneantur parere, pro merito suo, et vitae aeternae, etiam discolis, juxta illud divi Petri: *obedite praepositis vestris etiam discolis.*

Idem ut supra.

§. 13. II. Non solum superioribus majoribus, eorumque ordinationibus scripto, aut voce expressis, sed etiam aliis quibusvis officialibus, prompte, ac humiliter obediant; communis itaque sit omnibus regula, majorum ordinatio, a cujus nutu omnia procedant, nullumque negotium, aut curam ex proprio arbitrio suscipiant, vel se offerant, nisi id prius superioribus communicent. Caveant autem superiores, ne indiscrete imperent, quia alias in opprobrium redderetur eorum imperium, et bene perpendant, quid, et qua de causa, vel cui imperant, ne in destructionem hujusmodi sanctissimam virtutem vertant. Audiant libenter subditorum rationes, et si rectae, justaeque videbuntur, eis acquiescant, studeantque semper cum iis in omnibus paternum exercere affectum, nec agant ut dominatores, sed juxta illud sancti Philippi Nerii monitum se gerant: *imperantes parum, ut subditi faciant multum;* nec vi utatur in eorum naturis frangendis, sed quandocumque sese iis accomodent, sintque discreti, et prudentia bene instructi, quia magis sibi trahunt subditos charitatis vinculo quam formidinis.

De correctione superiorum.

§. 14. III. Nullum jus aliquis vestrum habere praesumat, superiores suos ad secularia subsellia, sive consistoria evocari, sed si quid controversiarum, aut defectuum acciderit, id intra domesticos lares, ordinario modo pacifice, in charitate, et juste componatur, ac corrigatur, salvo recursu ad sanctam Sedem, ejusque sacram nunciaturam. Quod si quis refractarius inter vos repertus fuerit, aut aliorum concitator iniquus, vel aliquid novitatis, regulari observantiae nocivum, introducens, puniatur; si vero resipiscere noluerit, de consensu omnium capitulariter praestito, de gremio vestro tamquam hostia congregationis, membrum putridum, ac pestiferum amoveatur, servatis tamen constitutionibus apostolicis, sacrarumque congregationum decretis, caeterisque de jure servandis. Si quis autem vere gravatus ab aliquo superiore fuerit, id aut patientissime pro merito vitae aeternae ferat, aut modeste eidem, quo prematur, per se, vel per alium aperiat, quatenus is debito moderamine utatur, aut, si mederi nolit, ad reverendissimum praepositum generalem recurrat, qui pro sua prudentia intra congregationem res componat, et in Domino remedium afferat.

De licentia obtinenda, ut aliquis extra conventum exire valeat.

§. 15. IV. Quotiescumque oportuerit religiosos, aut quempiam illorum extra conventum exire, semper teneatur a superiore pro tempore existente, vel ab alio in ejus locum subrogato, licentiam humiliter petere; nec umquam aliter exeant, nisi ex causa a superiore cognita justa, vel honesta. Advenientes etiam ad quoscumque conventus proprios, teneantur superioribus localibus literas obedientales, quas secumferant, ostendere, non solum si ex privato, verum etiam si ex ipsius conventus negotio, sive ad breve, sive ad longum tempus eos abesse contigerit.

De paupertate.

§. 16. V. Paupertatis vestrae in hoc essentia consistat, ut nullus quidquam absque superiorum consensu privatim habere, nec aliquid proprium habeat, nec audeat appellare; quae autem illis ad usum fuerint concessa, nitide, integre, et quantum fieri potest, diuturne conservent. Proventus omnes ad commnnem usum pertineant, sive sint ex eleemosynis, sive aliunde collecti; quorum colligendorum, servandorum, et dispensandorum ratio prorsus ea, quae

pontificiis decretis continetur, sub poenis ibidem contentis inviolabiliter observetur.

Idem ut supra.

§. 17. VI. Quidquid religiosi sua propria industria, vel labore, aut quocumque nomine et causa, etiamsi subsidia consanguineorum, vel piorum largitiones, adepti fuerint, seu intuitu cujuscumque causae, vel personae, eis donetur, totum in commune reponent, ut inde a superiore, cum opus fuerit, aequa portio cuilibet tribuatur; omnia illis sint communia, massa, et mensa. Ac proinde nullus religiosorum audeat apud se in cubiculo aliquem potum pro suo libitu, et superflua commoditate, vel ad tractandos hospites, sine superioris consensu retinere.

De habitu religiosorum.

§. 18. VII. Ad protestandum erga immaculatae conceptionis Deiparae virginis internum candorem, habitus religiosus sit simplicis panni, albique coloris, juxta formam ritualis praescribendam in proximo capitulo generali; munditiens religiosa procuretur, sordida enim paupertas nemini placere debet: qualitas panni, et uniformitas ab omnibus servetur. Possunt etiam, si quando necesse sit, in itinere uti super habitum regularem veste pluviali alterius coloris. Cavendum ergo omnibus, ne in aliquo loco domus, sine praescripto habitu regulari, maxime in praesentia hospitum, se videndos praebeant, secus si acciderit, superiores id serio redarguant. Tonsuram etiam clericalem uniformem omnes adhibeant, neque barbam, neque caput nutriendo.

De vita communi servanda.

§. 19. VIII. Ut igitur omnes, et singuli unius moris sint in domo, et tam in victu, quam etiam in conformi conveniant amictu, superiores locales de omnibus necessariis, praesertim clericis, secundum eorum statum, et professam paupertatem, tempestive singulis providere tenebuntur: et, ut modum taliter provideodi habeant, nemo sibi quidquam, sine licentia superioris appropriet. Quod si aliquis privata auctoritate ex suo arbitrio, pro commoditate sensuali, quidpiam comparaverit, totum id a visitatore recipiatur, et communitati applicetur. Atque adeo proprietarii, et votorum violatores, secundum sanctiones canonicas puniantur.

De castitate servanda.

§. 20. IX. Quoniam obedientia castitatem custodit, et paupertas nutrit, ideo studiosos puritatis animus in illis sedulo se exerceat; atque ad hanc angelicam virtutem possidendam et conservandam, plurimum quemque juvare poterit oculorum modestia, animique frequentissima ad Deum elevatio, fuga otii, confabulationum, inutilis lectionis, periculosae conversationis, prudens declinatio, cellae amor, clausurae aestimatio, Spiritus Sancti, Deiparae virginis, angeli custodis, divi Josephi, et sanctarum virginum ardens invocatio.

De amotione scandalorum.

§. 21. X. Diligenter advertant superiores, ne quemquam in tantae virtutis discrimen praecipitent, aut in eo positum negligant, quia sibi commissorum strictissimam Deo reddituri sunt rationem; hinc omnia vel minima scandala abscindant, et quosque in hoc genere suspectos, matura prius consideratione adhibita, quantocitius corrigant, amoveant, et alio mittant; bene tamen attendant, ne hac in re levibus suspicionibus moveantur.

De sociis concedendis a superiore.

§. 22. XI. Caveant etiam superiores, ne ullum e conventu (ubi numerosa familia extiterit) sine socio dimittant, nec ipsi audeant exire sine comite; nemo autem socium petat eumdem semper ex nomine, sed eo sit contentus, quem illi superior destinabit; et quando ad locum missum pervenerint, nunquam ab invicem ita recedant, ut mutuo priventur aspectu, sed in praesentia loquatur quisque; in loquendo etiam, vel maxime cum mulieribus, lubricos, et affabiles sermones, qui vanitatem saeculi, et pravi affectus, redolent, omnino devitent.

De clausura conventus.

§. 23. XII. Clausura conventus cum campanula ad januam pendente, ubique servetur, quae semper clausa sit, ad quam religiosus, vel alius honestus vir saecularis conversationis bonae pro custodia constituatur; claves vespere ad superiorem per eumdem janitorem deferantur, mane sumantur. Nemo itaque nisi consueta janua domum ingrediatur, vel inde egrediatur. Ad januam vero conventus sit cubiculum particulare, pro recipiendis hospitibus aptum, ne per cellas religiosorum cum strepitu divagentur; foeminae tamen nullatenus conventum ingrediantur, etsi paucissima sit religiosorum familia, sed in separato locutorio extra clausuram, praesertim benefactoribus, debitus exhiberi potest respectus.

CAPUT III.

De mortificatione.

De mortificatione.

§. 24. I. Ad internam mortificationem passionum, et concupiscentiarum, proprii judi-

cii, et voluntatis, sine qua vetus Adam nullo modo exui potest, plurimum conducet externa sui ipsius corporis mortificatio. Itaque omnes jejunia ecclesiastica, vigilias septem festivitatum beatae virginis Mariae, et sanctorum apostolorum observabunt; feriis quartis lacticiniis vesci poterunt, ferias autem sextas, et sabatha totius anni (excepta die Nativitatis Domini Nostri, si in iisdem inciderit) in honorem dolorum beatae Mariae virginis juxta regulam pariter jejunabunt; cum itinerantibus tamen, senibus, et infirmis, superior dispensare poterit. Possunt etiam, qui voluerint, a festo Praesentationis beatae Mariae virginis, exceptu die immaculatae Conceptionis ejusdem dominae nostrae, usque ad Natalem Domini jejunare.

De cibo ordinarie sumendo.

§. 25. II. Cibus autem omnis ordinarie moderatus sit, qui famem arceat, non ventrem satiet, cuilibet sua portio aeque tribuatur, nec ullus singulare quidquam habeat, nisi ratio laboris, infirmitatis, aut majoris necessitatis charitas expostulet. Tempore alicujus festivitatis, aut menstruae recreationis, duo fercula supra consuetam portionem addi possunt; pro discretione superioris. Quamlibet vero refectionem condire debet lectio spiritualis, et silentium (quod quandoque, sed raro per superiorem a media mensa ex aliqua honesta causa dispensari poterit) semper servetur. Quod si quis a prima mensa justa de causa abfuerit, ad secundam statim accedat, et idem cibus, eademque portio, et numerus ferculorum eidem apponatur. Extranei ad refectorium rarissime, nisi sint benefactores, admittantur, ne solvatur silentium, sed in cubiculo separato modeste, ac religiose tractentur, cum quibus nullus praesumet comedere, aut bibere, nisi de expressa licentia superioris, soli enim hospitium exceptori cum illis breviter conversari licebit.

De animi recreatione.

§. 26. III. Finita refectione, et facta solita gratiarum actione, ad oratorium se conferre, vel etiam in refectorio tempore hyberno remanere poterunt, partem rosarii dicturi; quo finito, adeant alium locum ad honestam animi recreationem, et utilem sermonem: sermo enim religiosus debet esse ad aedificationem, de Deo, ut rebus divinis, alienus a novellis mundanis, et curiosis, quae spiritum distrahunt. Ut vero inutilem conversationem evitare possint, ament cellam suam tanquam coelum temporaneum, nec ex illa prodeant, aut quemquam sine delectu admittant, nec aliorum cellam quis ingrediatur, quin prius pulset ostium, et antequam audiat responderi sibi: *Jesus*, vel *ingredere*: quod si necessitas, charitas proximi, vel obedientia jusserit prodire, studeant quantocitius ad eam redire.

De conferentiis spiritualibus.

§. 27. IV. Capitulum culparum die sabathi, cum conferentia spirituali, per superiorem localem, vel ejus locumtenentem, in loco capitulari semper habeatur. Communio etiam disciplina pro defunctis, et benefactoribus fieri poterit feriis secunda, quarta, et sexta, exclusis diebus Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, beatae Mariae virginis, et quibusvis aliis festis solemnibus, nec non diebus sacrae communionis; durabitque per psalmum *Miserere*, et *Deprofundis*, ac *Salve Regina*, cum orationibus *Deus qui culpa etc. Fidelium Deus etc.* et *Concede misericos etc.* Singulis item feriis quintis in fine mensae quaestiones casisticae, per unum ex patribus a reverendissimo praeposito generali destinatum, in quolibet conventu proponantur, et resolvantur a minimo usque ad superiorem; propterea studium saltem theologiae moralis, ubi commode fieri potest, ubique instituatur.

De otii fuga.

§. 28. V. Omnes quamdiu corpore valent, tam in spiritualibus, quam in exterioribus rebus, habeant, in quo occupentur, ne otium malorum origo locum habeat, quia difficile caro; et daemon hominem tentat, quem honeste occupatum invenit; itaque nemo tolleretur, qui non in disciplinis scholasticis extradendis, aut iisdem condiscendis, vel sacris dicendis concionibus sive domi, sive in missionibus, vel saltem, (ubi adest facultas) in erudienda juventute quoad prima fidei, et literarum principia, sese continuo exercitaverit, quisque demum pro virium suarum, et artis ratione, his, aut similibus exercitiis insistat, absque orationis, et devotionis, nec non corporis sanitatis detrimento.

CAPUT IV.

De oratione.

De oratione.

§. 29. I. In omnibus vestris ecclesiis, vel conventibus officium divinum juxta ritum breviarii Romani, distincte, ac devote, alternatim, voce unisona, et moderata, sine productione, quotidie, ab omnibus in communi persolvatur. Quod si, secundum frigidas regiones, in ecclesia, vel oratorio fieri non poterit,

saltem in loco capitulari tam matutinum, quam alias diei horas, mane simul omnes recitabunt; verum a festo Inventionis s. Crucis, usque ad exaltationem ejusdem, pridie post completorium, matutinum cum laudibus ordinarie persolvere tenebuntur.

Idem ut supra.

§. 30. II. Singulis diebus hora consueta convenient omnes de mane, et vespere, et post aliquas orationes vocales, per dimidium horae mentali orationi vacabunt, qua demum finita, faciant brevem reflectionem supra fructum ejus, atque deinde dicant, *Pater Noster, et Ave Maria* pro iis, qui in peccato mortali existunt. Post horas autem diei, litanias dicent de ss. Nomine Jesu, et in fine addent ter *Pater*, et *Ave* ad providentiam divinam pro indigentiis hujus sacrae religionis; sub tempus vero conventualis missae, cui semper tam clerici, quam fratres coadjutores devote assistere debent, litanias de beatissima virgine cum antiphona: *Sub tuum praesidium*, quotidie decantabunt. Qualibet etiam die post completorium coronam *decem beneplacitorum* in honorem Immaculatae Virginis recitabunt. Nemo itaque ex loco orationis sine legitima causa, vel licentia superioris, aut ejus locumtenentis, discedat, neque audeat quispiam cum hospitibus colloqui, aut conferentias facere orationis tempore, vel alium evocare ab ea, sine eadem licentia superioris. Si quis vero legitime impeditus in communi adesse non potest, privatim, quantum in Domino poterit, supplere non negligat, memorque sit, daemonem nihil magis conari, quam, ut homines ab oratione avertat, sciens hanc esse unicam, per quam sua lucra alibi quaesita perdat.

De festo Immaculatae Conceptionis

§. 31. III. Annuae per decem dies recollectiones in quolibet conventu, scilicet a medietate communitatis religiosae tempore quadragesimae, ab alia vero medietate tempore adventus persolvantur, et quoties clerici mittuntur pro presbyteratu ordinandi, per istiusmodi spiritualia exercitia ad primam missam celebrandam disponantur. Quolibet etiam anno in festo immaculatae Conceptionis beatae virginis Mariae fiat renovatio solemnium votorum in manibus superiorum. Ipsi vero eam facient in manibus dignioris, praemissa debita per sacramenta dispositione, et aeque meritorium erit, si quotidie privatim, praecipue in ss. missarum sacrificiis, Altissimo vota sua renovabunt.

De officiis quolibet sabatho distribuendis.

§. 32. IV. Quolibet sabatho distribuantur pro sequenti hebdomada per superiorem loci officia, videlicet, mane excitandi, pulsandi, mensae inserviendi, legendi, aliaque de more obsequia obeundi, nec non ordo missarum congruo tempore successive dicendarum disponatur, et per lecturem mensae praelegatur. Utque in omnibus conventibus uniformis ordo mane surgendi, orandi, studendi, prandendi, caenandi, et quaevis alia divina exercitia persolvendi exacte observetur, eique omnes facilius assuescant, conscriptus in loco capitulari habeatur; hinc etiam horologium exacte sonans pro temporis dimensione, et campana, qua detur signum pro omnibus communibus exercitiis, ubique procuretur.

De oratione post coenam.

§. 33. V. Post coenam solita hora audito signo silentii ad oratorium, vel ad alium decentem locum, congregabuntur, pro peragendo examine conscientiae, et dictis demum litaniis de omnibus sanctis cum suis orationibus, mox ss. altaria Sacramentum visitabunt, ubi pro consequendis indulgentiis quinquies *Pater*, et *Ave* cum totidem *Gloria Patri*, et sextum pro s. pontifice persolvent; indeque ad suas cellas in silentio redeant, et ad quietem se componant, in salvificis vulneribus Redemptoris nostri placide obdormientes. Quapropter silentium stricte in omni loco praecipue communitati designato, atque eo strictius de nocte servetur. Quod si necessitas exigat, subinde quempiam alloqui, id quam brevissime fiat, ipsique etiam officiales, et superiores eo tempore submissa voce loquantur.

CAPUT V.

De sacramentorum frequentatione.

De sacramentorum frequentatione.

§. 34. I. Quoniam omnes hujus congregationis Marianae tam patres, quam clerici, et fratres, puriori vitae, et virtutibus acquirendis incumbere debent, hinc est, quod poenitentiae, et Eucharistiae sacramenta omnes frequentare non desinent, majori, qua fieri potest devotione, et debita praeparatione: quo pacto etiam disponentur ad lucrandas indulgentias, vel generaliter ecclesiae, vel specialiter nostrae congregationi etiam per viam communicationis concessas.

De confessione, et sacra communione

§. 35. II. Singulis igitur dominicis, aut festis celebribus tam clerici, quam fratres coa-

adjutores, praemissa confessione sacramentali, et pia meditatione, ad sacram communionem summa reverentia accedant; quando vero expositiones sanctissimi Sacramenti fient, curent, ut quam decentissime circa eas se gerant, semperque unus, vel duo, alternatim flexis genibus, lumine nunquam in altari deficiente, coram assistant.

De celebratione missarum a sacerdotibus facienda.

§. 36. III. Sacerdotes etiam ut dignius ex parte sua missarum sacrificia peragant, nunquam cum labis alicujus conscientia ad altare accedant, unde bis saltem in hebdemada, vel quoties necesse fuerit, confessionem sacramentalem summa recollectione faciant. Missas vero omnes juxta applicationem superioris localis ad intentionem conventus celebrabunt, nisi aliter reverendissimo praeposito generali, aut superiori conventus justa de causa videbitur, duabus in qualibet hebdomada exceptis, quas ad suam intentionem dicere, et eleemosynam pro illis cum scitu superiorum suorum acceptare poterunt.

De administratione sacramenti poenitentiae

§. 37. IV. Ut autem confessarii sive domi, sive in missionibus fructuosius sacramentum poenitentiae administrent, ideo in confessionibus audiendis prudenti zelo suavitatem adjungant, nec quemquam dure redarguant, cautique sint in disentiendis poenitentium conscientiis, et discreti in satisfactionibus assignandis, nec ignari casuum reservatorum s. Sedi apostolicae, episcopis, et superioribus; ac proinde tales reverendissimus praepositus generalis, vel ejus vicarius seliget, pro excipiendis confessionibus approbandos, qui scientia theologiae moralis, probitate morum, et vita exemplari praestantiores fuerint; nulli tamen eorum licebit: (etsi fuerit jam approbatos:) sine praevio sui superioris consensu accedere ad confessiones audiendas.

De absolutione religiosorum.

§. 38. V. Ordinarie omnes religiosi confessariis sui ordinis confiteantur, qui sint deputati duo, vel tres, prout familiae numerus exiget, et habeant potestatem a reverendissimo praeposito generali absolvendi in foro interno a reservatis suae religionis; extraneis vero non confiteantur, nisi in itinere, quando proprium sacerdotem non habuerint comitem, cum tamen postmodum ad conventum redierint, suo ordinario confessario, si opus fuerit, conscientiam aperiant, ut melius eos in Domino possit adjuvare. Caveant tamen tam superiores, quam caeteri confessarii, ne habita ex confessione notitia de aliorum peccatis ad externum gubernium utantur.

De sacramentis ministrandis migraturis e vivis.

§. 39. VI. Migraturi e vivis omnibus sacramentis necessariis muniantur, et moribundis unus sacerdos assistat pro juvamine spirituali, datoque signo campanae omnes conveniant agonem eorum devote Domino commendantes. Stricte interim, et sub poena excommunicationis, suspensionis, et privationis vocis activae, et passivae omnibus et singulis prohibetur, ne quidpiam auferant e cubiculo aegrotantium, vel mortuorum, nequidem ipse superior, qui potius cum duobus discretis conventus res omnes conscribet, et ad dispositionem reverendissimi praepositi generalis, pro utilitate conventus residentiae, in qua defunctus obierit, conservabit, quem de tali obitu quantocitius certificabit, ut solitum suffragium pro anima defuncti omnibus quam primum demandare possit.

CAPUT VI.

De doctrina christiana, et missionibus.

De doctrina Christiana, et missionibus.

§. 40. I. Cum non solum in regno Poloniae, verum etiam in pluribus orbis christiani partibus sit magna multitudo hominum rudium, mysteria fidei ignorantium, et pauci subinde tales inveniuntur pro ipsorum instructione sacerdotes; quapropter patres Mariani studebunt ne dum in propriis, verum etiam in parochialibus ecclesiis, villis, et oppidis, quoties occasio contigerit, de licentia loci ordinarii homines rudes instruere, et doctrinam christianam docere, juxta catechismum Romanum, et formam sanctorum patrum, tanta facilitate, ut ab omnibus intelligantur, tantaque cura, ut quantum in se erit, et divina cooperante gratia, sine spirituali fructu nullus umquam recedat. Docebunt autem non sublimia mysteria, aut quaestiones scholasticas, sed ea tantum, sine quorum scientia salus haberi nequit, maxime Dei cognitionem, cultum, et amorem, et officia justitiae christianae; verbo, coeli viam omnibus pro cujusque status, et conditionis capacitate demonstrabunt.

De perfectione curanda, et scientia comparanda.

§. 41. II. Ut vero meliorem operam impendant saluti proximorum procurandae, omni studio propriae prius incumbant perfectioni, et scientiae necessariae comparandae; ac proinde virtutes viris missionariis necessarias

habere contendant, sint patientes in adversis, humiles in prosperis, mansueti ad omnes, mortificati in passionibus, assidui in orationibus, omnique data occasione proximum piis colloquiis, et salutaribus consiliis ad meliora promoventes. Unde statim a primo suo ad hanc sacram religionem ingressu circa praedictas qualitates in unoquoque requisitas prudenter informentur, et faciendis cathechismis, sacrisque concionibus dicendis tempestive applicentur, nec non in caeremoniis ecclesiasticis, et cantu Gregoriano diligenter instruantur.

De auxilio parochis praebendo.

§. 42. III. In sacris demum missionibus, sive in auxilio parochorum exemplariter se gerant, conversationem cum saecularibus incautam, vel quae secularem sapit, non habeant, quamlibet pravi exempli umbram fugiant, sed in omnibus, et apud omnes pro majori gloria Dei, et aedificatione populi bonum nomen studeant habere; omnibus fulgore temperantiae et sobrietatis praeluceant, secularium epulas devitent, et a potu calido tamquam a fomite peccati abstineant, ut per suam instructionem spiritualem tam in catechizando, quam sacramentum poenitentiae administrando, et cum aedificatione praedicando possint plurimum fructum animabus afferre.

De negociis non commissis non pertractandis

§. 43. IV. Denique patres missi extra conventum ad nulla loca, vel domos accedant, aut negotia quaecumque alia tractanda suscipiant, nisi quae specialiter illis fuerint commissa, et, si quando casus aliter attulerit, in reditu fideliter superiori suo indicent. Sed, neque in missionibus, aut juvamine parochorum ultra spatium trium mensium demorentur, neque superiores conventuum possint ulterius prorogare, sub poena suspensionis ab officio, nisi aliter ex justa causa reverendissimo praeposito generali visum fuerit.

CAPUT VII.

De mutua charitate, et correctione fraterna.

De mutua charitate.

§. 44. I. Ante omnia mutuam charitatem inter se semper studeant habere, sine qua nec propria, nec proximi salus obtineri potest. Sit igitur anima hujus instituti charitas mutua, a qua si quantulum recedent, tantum a vita, suoque salutis tramite declinabunt; memores ergo sint illius mandati Christi Domini toties repetiti: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*. Itaque ut evitent illum pestiferam luem invidiam, odium, rancorem, antipatiam, aliaque dissidii semina, et fomites, omnes se invicem honore, suosque superiores obedientia, et reverentia prosequantur, et officio eos nominantes, qui illud habent.

De cura infirmorum.

§. 45. II. Diligentem curam infirmorum quilibet superior habere tenebitur, et omnia necessaria eisdem providere studebit. Senioribus etiam ut infirmis compatiendum est, et providendum in omnibus necessitatibus, et iis praesertim, qui cursum vitae suae in laboribus religionis peregerunt; major honor a junioribus exhibendus est, eorumque defectus patienter sufferendi; nec patietur superior localis eosdem jocis, vel dicteriis juniorum irreverenter tractari.

De dilectione adversariorum.

§. 46. III. Externis etiam, quavis data occasione, omnem possibilem charitatem exhibere non negligant, neque illos tantum, quos benevolos sibi experiuntur, sed adversarios quoque, quos Dominus noster praecipit diligere, pio amore, et operibus misericordiae, quae ipsi Christo tamquam supremo capiti in membris exhibentur, et potissimum in districto ejus tribunali triumphabunt, merito prosequantur.

De fraterna correctione.

§. 47. IV. Quoniam fraterna correctio ex fonte charitatis scaturire debet, ideo in eadem correctione studeant omnes observare doctrinam sacrosancti evangelii, ne per vindictam, aut alium vitiosum motum contra ordinem charitatis, consodalium suorum, vel etiam aliorum peccata detegant. Superiores autem in ejusmodi correctione caveant etiam ab ira, et conturbatione propter peccata alicujus; nam ira, et conturbatio in se, et in aliis fructum impediunt, et abstineant nedum a verberibus, verum etiam a verbis laesivis, et injuriosis.

Idem ut supra.

§. 48. V. Superiores non negligant quamprimum errantes corrigere pro qualitate delicti, et conditione personae, de consilio discretorum, ne magis noceant per conniventiam, si lenitatem sequendo vitia pullulare permittant, et potius perdant, quibus parcere stulte videbantur, non enim mala sola punire debent, sed etiam prudenter providere, ne fiant. Periclitante autem alicujus fama, serie inquirant etiam per viam juramenti, non tamen a reis, et suspiciones judicentur suffragio discretorum; de suspectis vero consortiis notati, et juridice convicti gravioribus poenis coerceantur.

CAPUT VIII.

De suffragiis defunctorum.

De suffragiis defunctorum

§. 49. I. Quoniam vestra vocatio, et professio est, totis viribus suffragium praestare animabus fidelium defunctorum, ideo omnes qualibet die (exceptis diebus Domini Sabaoth, septem festivitatibus B. V. Mariae, et quibusdam etiam aliis solemnibus festis primae classis) officium pro defunctis unius nocturni cum laudibus in communi mane, finita oratione mentali, et vespere recitare obligantur. Singulis vero annis in die commemoratione omnium fidelium defunctorum, ac septem diebus praedictam diem immediate sequentibus, more solito camdem devotionem specialiter promovere studebunt.

De confraternitatibus erigendis sub titulo immaculatae Conceptionis.

§. 50. II. Ut quamplurimos clientes, et cultores immaculatae Conceptionis B. V. Mariae, et defunctorum suffragatores pariant, superiores locales pro suis respective ecclesiis serio insistent, ut juxta regulam, et constitutiones proprias, secularium utriusque sexus confraternitates decem Beneplacitorum beatae Virginis, praesertim sub *titulo Immaculatae ejusdem Conceptionis:* (ex concessione plurium summorum pontificum, et signanter venerab. Innocentii papae XI. pro universa congregatione:) sive etiam *sanctae Mariae de Suffragio* ubique introducantur, et erigantur, facultate prius a s. Sede apostolica obtenta, et loci ordinario praesentata; ac proinde promotores pro singulis ecclesiis deputentur, qui ad has confraternitates amplectendas quemlibet suaviter inducendo, munus sibi commendatum diligentissime exequi pro honore illius purissimae virginis, et suo merito omnibus modis adlaborabunt.

De suffragiis pro defunctis patribus, et fratribus ordinis.

§. 51. III. Defunctis patribus, et fratribus sui ordinis, sine mora omnem pietatem in dando suffragio exhibere debebunt omnes, nemine excepto; itaque praeter missam de requiem cantatam, et totum officium defunctorum, insuper singuli sacerdotes tres missas dicent pro cujuslibet anima defuncti: clerici vero, et coadjutores fratres tribus vicibus officium defunctorum, ac toties rosarium totum recitabunt. Superiori autem loci sola communitas illius conventus, vel domus, tota vero religio Mariana reverendissimo praeposito generali duplicatum suffragium praestabit.

De aliis suffragiis generalibus.

§. 52. IV. Quolibet etiam mense per annum, die non impedita festo duplici, celebrabitur una missa de requiem cum officio defunctorum pro defunctis patribus, et fratribus sui ordinis; secunda pro benefactoribus, et fundatoribus, clerici vero et fratres coadjutores praeterea totum rosarium recitabunt. Ac proinde curet etiam quilibet superior habere in sua ecclesia altare privilegiatum, ut in qualibet hebdomada ad illud missae de requiem celebrari possint.

CAPUT IX.

De capitulo generali, et electionibus superiorum.

De capitulo generali

§. 53. I. Reverendissimus praepositus generalis ante expirationem sexennii sui officii tempestive, secundum distantiam locorum, per suas literas circulares pro celebrando capitulo generali omnes patres vocales, ac praesertim emeritos, nempe qui praepositi generalis munere jam functi fuerint, utpote discreti perpetui, tum commissarium, et procuratorem generalem, nec non quatuor assistentes, ex quibus duo saltem semper habitabunt cum reverendissimo praeposito generali, ut eum consilio adjuvent in negotiis; et secretarium, omnesque, et singulos collegiorum superiores convocabit; nec non lectores, et praedicatores emeritos, qui praevio examine a definitorio electi duodecim saltem annis laudabiliter sacram theologiam docuerint, aut in insignibus ecclesiis quadragesimae tempore quotidie adventus verbum Dei praedicaverint, et de exantlato labore patentalibus literis definitorii absoluti fuerint. Utque hujusmodi capitulum recte, et fideliter ad Dei gloriam, Immaculatae Virginis honorem, et totius ordinis Mariani utilitatem dirigatur, et cedat felicius, supplicabit s. Sedi apostolicae, vel excellentissimo, ac reverendissimo de latere ejusdem s. Sedis nuncio apostolico, pro deputatione alicujus sibi benevisi praelati secularis, sive regularis in dignitate ecclesiastica constituti, qui ad electionem novi praepositi generalis nomine, et auctoritate sibi delegata praesideat. Capitulum durabit per octo dies, et non ultra, nisi ex justa aliqua causa, prorogandum visum fuerit delegato apostolico praesidi capituli, et consentientibus votis nec electum canonice nominet; et declaret.

De canonica electione superiorum.

§. 54. II. Electionem quamlibet canonicam praesidente semper eodem delegato apostolico, vel reverendissimo praeposito generali, praecedere debet inter vocales tractatus consultorios, duobus, aut tribus, vel pluribus diebus ante, in quo discutiantur merita, et qualitates eligendi, dummodo secum non determinent electionem, priusquam locum capituli ineant, et servent servanda. Debet autem fieri electio per vota secreta, seu per schedulas sigillatas, intus nomen electi, cum nomine itidem, et manu eligentis continentes. Satis tamen est, si concurrat major pars eligentium, nempe unius supra medietatem ad hoc, ut sit rata omnis electio. Quod si praestituta electionis die ab ortu, usque ad occasum solis, iteratisque scrutiniis suffragia non conveniant, ita quidem, ut nullus habeat unum votum supra medietatem, tunc post occasum solis absolutum erit capitelum, et electio ad reverendissimum nuncium apostolicum devolvatur. Praeses autem capituli duo vota in ejusmodi electione habebit.

De iis, qui vocem habere possunt in capitulo.

§. 55. III. Ut aliquis habeat in capitulis electionum vocem activam, et passivam, necesse est, ut sit sacerdos quinquennio, et professus decem annorum; ad solam vero activam sufficit justum tempus factae professionis, cum ordine sacerdotii conjunctum, dummodo requisitis polleat qualitatibus, et ex officio fuerit pro capitulo vocatus; ad praeposituram tamen generalem desiderantur in eligendo anni triginta sex. Nemo umquam per procuratorem, aut substitutum privata authoritate aliam quamcumque personam votum poterit ferre, sed requiritur uniuscujusque realis praesentia; ab infirmo tamen in domo capituli decumbente, et vocem habente excipiatur secrete suffragium per secretarium capituli. Ex tribus germanis, vel patruelibus, vel consobrinis fratribus, si illos ad capitulum simul venire contigerit, duo tantum seniores vocem habeant, minimus excludatur, vel alter ex senioribus recedat, si junior officii, aut dignitatis gradu excellat. Quod si quis sine legitima, et evidenti causa voci suae renuntiare, vel non accedere ad capitulum ausus fuerit, voce utraque ad triennium privetur. Si quis vero, aut sibi dedisse suffragium, vel ad id quoquomodo alium induxisse compertus fuerit, remaneat perpetuo ad utramque vocem, et officia inhabilis. Nullus excommunicatus, suspensus, irregularis, aut voce privatus, debitis alienis, litibus, aut aliquo alio impedimento innodatus, ad electionem tam activam, quam passivam admittatur, etsi sublato quocumque obice. Atque ideo praevie, et statim in primariis sessionibus quaerelae omnes, quaecumque oblatae aliquando fuerint, audiantur; dissentiones, et quaevis materiae odiosae praeprimis judicentur, et prudenter componantur; caetera vero omnia negotia, aut honesta alia desideria ad posteriores sessiones remittantur.

De electione praepositi generalis.

§. 56. IV. Incoepto demum, ac terminato omnium vocalium scrutinio in ipso pervigilio electionis praemonebit d. praeses omnes vocales ad dirigendam novi praepositi generalis hujusmodi electionem, atque die sequenti hora matutina post imploratam devote Spiritus Sancti lumen, et sacrum solemniter celebratum, dato signo campanae, omnes vocales templum ingressi, et proprio nomine vocati, suis in locis consideant; interim vero reverendissimus praepositus generalis, praemisso brevi sermone, sese officio abdicabit, et assistente sibi secretario, sigilla ordinis in manibus domini praesidis reverenter deponet. Mox facta ab omnibus vocalibus confessione generali, et absolutione impetrata, seligantur duo vel plores disquisitores, atque collectis omnium vocalium schedulis, ac per d. praesidem in eorum praesentia detectis, declarabitur nec electus; quam electionem d. praeses firmam, ratamque omnino, et authoritate sibi delegata pronuntiabit, eidemque cum disquisitoribus manu propria subscribet. Ac denique concrematis schedulis, apertisque templi januis solemnis fiat hujus canonicae electionis publicatio; postea hymno *Te Deum* pro gratiarum actione solemniter decantato neo electus praepositus generalis flexis genibus ad altare sanctissimi Sacramenti tenens regulam, et constitutiones ordinis juramentum praestabit in manibus d. praesidis capituli hoc modo — Ego NN. juro, et promitto coram Deo, Conceptionem Immaculatam beatae Mariae virginis tueri, ac defendere; nec non meae religionis regulam, et disciplinam propagare, et s. Sedi apostolicae cum omnibus meis religiosis fidem, et obedientiam semper praestare. Postea faciet professionem fidei juxta formam praescriptam a s. Pio V. Denique d. praeses capituli tradet sigillum, et dabit locum neo electo, cui vocales, et caeteri religiosi obedientiam, et reverentiam per osculum manus contestabuntur.

De electione aliorum superiorum. §. 57. V. Peracta electione reverendissimi praepositi generalis, mox die sequenti, praesido ipso neo-electo in loco capitulari, modo quo supra, per vota secreta fiat electio a. r. p. commissarii, et procuratoris generalis mm. rr. pp. assistentium, et secretarii ordinis, quorum omnium electiones legitime factae publicentur. In proxima deinque sessione eligantur rr. pp. praesidentes conventuum, nisi forte aliquando in provincias dividantur. Ac deinde etiam reliqui officiales, inter quos procurator provinciae, magistri novitiorum, vice-praesidentes, lectores, aut professores, praedicatores, confessarii, et singuli omnes ad alia quaevis munia recte obeunda pro suo merito, et capacitate, de consilio, et consensu assessorii, per reverendissimum praepositum generalem deputentur; qui vero promovendi sunt pro officio lectoratus, aut praedicationis verbi divini, prius omnino ante promotionem de capacitate sua examinentur; et sic etiam qui ad excipiendas sacramentales confessiones deputantur tam pro ordine nostro, quam ut praesententur ordinario pro secularibus, nec tam facile, (nisi aliquando necessitas, vel alia causa justa postulaverit) in suis officiis distrahantur; aut aliquam mutationem locorum subeant; sed tam ipsi praesidentes, quam alii officiales conventuum, saltem per triennium, majores vero officiales per totum sexennium munia sibi commissa digne administrabunt. Caetera tandem serventur de more, et jure servanda.

CAPUT X.

De superioribus.

De munere praepositi generalis. §. 58. I. Universam reverendissimus praepositus generalis cum consilio discretorum, et majorum officialium reget congregationem, immediate ipse cum tota sua congregatione subjacens semper sanctae Sedi apostolicae, et ejus respective legatis, caeteri autem omnes eidem et aliis canonice electis superioribus, et officialibus, sine confusione regiminis, fideliter obediant. Visitare conventus aut domos semel in anno, vel quoties opus fuerit, sive per se, sive per sui ordinis commissarium, praesertim ante quodlibet capitulum generale, pro vigore instituti, et observantiae regulae, statutorum, aliarumque constitutionum, et ordinationum capitularium in flore retinendo ad eumdem reverendissimum praepositum generalem spectabit, et in fine sexennii dabit rationem sui regiminis venerabili capitulo generali.

Idem ut supra. §. 59. II. Ipsius etiam muneris erit novitios admittere, eosque ad professionem per se, vel per alium suscipere, ad ordines promovendos, et confessiones secularium excipiendas illustrissimis, ac reverendissimis locorum ordinariis praesentare, missiones instituere, fundationes acceptare, servatis servandis, caeteraque omnia, quae superioribus generalibus de jure competunt cum consilio suorum discretorum, et officialium ordinare, agere, et exequi, atque congregationis Marianae augmento sedulo insistere, et in omnibus debitae observantiae, ac regulari disciplinae invigilare. Quapropter quolibet triennio habebit congregationem, seu intermedium capitulum pro aliquo bono statuendo, aut malo avertendo; quaecumque autem alias ordinaverit, solum tempore ejus officii durare, ac valere debent, nisi per capitulum generale in perpetuum recipiantur.

De archivio congregationis. §. 60. III. In ea domo, vel conventu, ubi fixe reverendissimus praepositus generalis residebit, habeatur archivum, in quo scripturae ad congregationem pertinentes, acta capitulorum, decreta, ordinationes, fundationum erectiones, admissiones, professiones, dimissiones, obitus religiosorum sui ordinis, ac benefactorum, et quaevis alia statum congregationis concernentia, per secretarium fideliter adnotata conserventur. Quod si contingat, reverendissimum praepositum generalem intra tempus sui officii, aut mori, aut resignare, aut deponi, (de resignatione autem, aut depositione servatis servandis videbit commissarius cum definitorio generali) praedicta omnia adimplebit commissarius, seu vicarius generalis; qui absque nova electione usque ad capitulum, plenum congregationis regimen retinebit.

De superioribus localibus. §. 61. IV. Denique superiores locales sint moribus, et observantia regulari praediti, non solum spiritualium, sed etiam secularium negotiorum, et rei familiaris peritia bene instructi, charitate paterna, ac vigilantia in omnibus, tam ad corpus, quam ad spiritum erga subditos suos se gerant, domum suae curae commissam, et animas fratrum cum consilio duorum discretorum semper gubernent. Bona etiam conventuum non per se, sed per coadjutores fratres administrent. Archivum conventus bene ordinatum teneant, in quo inven-

taria ecclesiae, domus, et aliarum officinarum diligenter conscripta, et quaevis alia monumenta ad illum conventum pertinantia ordinate conservent. In omnibus demum conventibus habeantur decreta reformationis regularium fel. rec. Clementis pp. VIII. bis omni mense in loco capitulari legenda.

De depositario.

§. 62. V. In quolibet conventu sit depositarius, apud quem pecuniae deponantur, dispensaturus pro necessitatibus ejusdem conventus ex mandato r. p. praesidentis, uterque tandem tam perceptarum, quam expensarum, quovis mense, et anno in praesentia discretorum calculum facturus; ac proinde in singulis conventibus duo, vel plures ex dignioribus patribus discreti eligantur, quorum consilio, et assistentia rr. pp. praesidentes ad gubernium sui conventus utantur.

Monitum ad superiores.

§. 63. VI. Caveant superiores, ne aggravent suos subditos rigidis poenitentiis, aut mandatis, sed conformia viribus, talentis, qualitatibus cuique imponant; cum enim teneantur subditi caeca, et voluntaria obedientia, parere; providendum est imperanti, ut talia injungat, quibus cum gloria Dei, et suo merito quisque satisfacere possit. Quilibet superiorum meminerit illius divini Spiritus moniti: *Rectorem te posuerunt? Noli extolli. Esto in illis tamquam ex ipsis: Curam illorum habe.* Non dominator igitur, sed forma gregis effectus, prius faciens exemplo, quod imperaturus est verbo, idem in omnibus legum servator, non tantum custos; pietate, discretione, prudentia praeditus, zelum lenitate, lenitatem zelo attemperans, ut neque per conniventiam, neque per nimium rigorem magis obsit instituto, quam prosit. In omnibus igitur se suis subditis ita exhibere curent, quales ipsi libenter etiam alios erga se habere vellent, si essent subditi. Diligenti circumspectione ad eorum necessitates attendant, et tempestive easdem providere studeant, ut qualibet etiam hora promptam benefaciendi voluntatem accedentes experiantur; sit superiorum cum caeteris religiosis conversatio viva cunctis praedicatio, diligant omnes absque partialitate in Christo, nam personarum acceptio nunquam fit sine scandalo, sed cum maximo semper communis vitae detrimento. Vitium autem proprietatis omnino abscindant, nec permittant aliquem habere aliquid sine praevie obtenta ab eis licentia, sed nec ipsi secum dispensare audeant, quocumque exquisito colore, memoresque sint illius prohibitionis quam s. concilium Tridentinum ses. 25. cap. 2l. de regular. indixit, a cujus observantia, et a poenis ibidem inflictis nullus eximitur. Propterea non patiantur se respectibus privatis induci, ut horum intuitu ea admittant, quae contra instituti disciplinam, ejusque felices progressus pugnant. Curent itaque omnes esse seduli in observantia non minus mandatorum Dei, quam regula decem Beneplacitarum beatae Mariae virginis, nec non praedictorum statutorum, (quae tamen non obligant sub gravi peccato essentialibus exceptis, nisi contemptus adsit) et in eorum exacta adimpletione usque in finem perseverent, ut salvi fiant.

Decretum s. congregationis Episcoporum, et Regularium pro confirmatione constitutionum.

§. 64. Emanavit deinde a congregatione eorumdem cardinalium, re undique mature discussa, decretum tenoris, qui sequitur — Sacra congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praeposita, referente eminentissimo domino cardinali de Zelada ponente, censuit rescribendum, prout rescripsit. Attenta reformatione constitutionum facta juxta modum insinuatum a dominis praesulibus revisoribus ad formam rescripti die XI augusti proxime praeteriti, pro approbatione earumdem reformatarum constitutionum, at instituti, facto verbo cum Sanctissimo Romae XV. septembris MDCCLXXXVI. Quare praefatus Norbertus procurator generalis nomine etiam dilecti filii Raymundi Nowicki praepositi generalis, aliorumque clericorum, et coadjutorum ordinis, seu congregationis praefatae Nobis humiliter supplicari fecit, ut suum institutum, ac praeinsertas constitutiones apostolicae confirmationis patrocinio communiri de benignitate apostolica dignaremur.

Confirmatio apostolica.

§. 65. Nos igitur ipsius praepositi, ac procuratoris generalis, aliorumque clericorum regularium praedictorum votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, at poenis, a jure, vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes,

supplicationibus hujusmodi inclinati; tum institutum praefatum, tum praeinsertas constitutiones, ac in eis contenta quaecumque auctoritate apostolica, tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 66. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et spectabit, quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos, dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et authoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 67. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinis, seu congregationis hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 17. martii 1787. Anno XIII.

DCXLVII.

Privilegia a Pio papa VI. ordini Marianorum concessa.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Injuncti Nobis coelitus pastoralis officii ratio postulat, ut paternam sacrarum religionum, et congregationum christianae charitatis, et misericordiae operibus ex professo laudabiliter incumbentium curam gerentes, pium illarum exercitium, et institutum, quo labores expeditius suscipiendo, illud alacrius continuant, ferventius exequantur, liberalibus gratiarum, et privilegiorum muneribus confoveamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Norbertus Golkowski ordinis, seu congregationis clericorum regularium Marianorum nuncupatorum regni Poloniae in Romana curia procurator generalis Nobis nuper exponi fecit, clerici regulares dicti ordinis, seu congregationis nuper a Nobis de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negociis praepositorum consilio fuerint ab ordine fratrum minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum sejuncti, et dismembrati, cumque etiam de ejusdem congregationis, pariter consilio per alias Nostras desuper in simili forma Brevis hac die expeditas literas eorumdem clericorum Marianorum nuncupatorum constitutiones, et institutum fuerint confirmata, et approbata, ac tria substantialia vota in illo ad instar caeterorum ordinum, et institutorum a Sede apostolica confirmatorum emittant, aliaque multiplicia, ac insignia pietatis, et misericordiae opera pro parochorum adjumento, ac juventutis in fidei, ac literarum rudimentis instructione exercuerint, et in dies exercere non desinant; ut autem illa semper impensius, et indefessi obeant, et continuent, ipse Norbertus gratias, et privilegia ordinis mendicantium, quam non mendicantium utriusque sexus suo ordini, seu congregationi a Nobis communicari, et concedi plurimum cupiat.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos eorumdem ordinem, seu congregationem clericorum regularium Marianorum, et pia illius instituta confovere, et promovere, ac proinde dictum Norbertum, et dilectos filios clericos, et coadjutores ordinis, seu congregationis hujusmodi specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effe-

ctum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus a dicto Norberto hisce desuper humiliter porrectis inclinati: attentis narratis omnia, et singula privilegia, praerogativas, concessiones, favores, facultates, declarationes, conservatorias, immunitates; et exemptiones, libertates, caeterasque gratias, praeeminentias, et indulta cujuscumque generis existentia, spiritualia, et temporalia, qualiacumque illa sint, dummodo tamen sint in usu, et non sint revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, ac sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis, et apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, vel memoratis clericis regularibus dicti ordinis, seu congregationis non adversantur praedictis ordinibus mendicantium, et non mendicantium, eorumque conventibus, domibus, et aliis locis regularibus, ac ordinum hujusmodi generalibus, praesidentibus, et quibusvis aliis superioribus praelatis; et capitulis etiam generalibus, provincialibusque, seu intermediis, eorumque definitoribus, prioribus, novitiis, fratribus, conversis, donatis, et quibusvis eorumque regularibus personis, tam in urbe, quam etiam in quibuscumque mundi partibus existentibus, et illorum intuitu, aut alias quomodolibet per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, aut alias auctoritatem habentes concessa sunt, et conceduntur, ac quibus de jure, usu, vel consuetudine, privilegio, sive concessione apostolica, in genere vel in specie, ac tam conjunctim, quam divisim, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt in futurum ad praefatum ordinem, seu congregationem clericorum regularium Marianorum nuncupatorum, et singulos illius conventus, domos, et alia loca regularia, illorumque superiores, praelatos, et quascumque regulares personas auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo extendimus, illaque ei communicavimus, et denuo concedimus, ac suffragari volumus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice-legatos dictaeque Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Commissio pro executione literarum apostolicarum.

§. 5. Quocirca venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et episcopis, aliisque locorum ordinariis quibuscumque, nec non dilecto filio causarum curiae camerae apostolicae generali auditori per praesentes committimus, ac mandamus, quatenus quilibet eorum per se vel per alium, seu alios praesentes literas, et in eis contenta quaecumque ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte generalis, et clericorum regularium dicti ordinis, seu congregationis fuerint requisiti solemniter publicantes, eisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistentes faciant auctoritate Nostra easdem plenum earum effectum sortiri, et obtinere, illosque omnes, quos concernunt, pacifice frui, et gaudere; non permittentes quemquam desuper contra illarum tenorem sub quovis praetextu, et causa, etiam defectu intentionis Nostrae, per quoscumque quomodolibet indebite molestari; quinimo quidquid in contrarium attentari, vel fieri contigat, omnino semper in pristinum reponi; contradictores quoslibet, et rebelles, etiam per quascumque de quibus eis videbitur, censuras, et poenas ecclesiasticas, et alia opportuna juris, et facti remedia, appellatione postposita compescendo, legitimasque super his habendis, servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii saecularis.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac fel. record. Bonifacii pp. VIII. praedecessoris Nostri de una, et in concilio generali edita de duabus, dummodo ultra tres dietas, aliquis vigore praesentium in judicium non trahatur, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet, concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro sufficienti il-

lorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque; aut si aliquibus communiter, aut divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis, seu congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 30. martii 1787. Anno XIII.

DCXLVIII.

Erectio conservatorii in civitate Interamnensi.

Venerabili fratri Laurentio episcopo Nucerino.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudatur episcopi consilium in curanda conservatorii erectione.

§. 1. Quam vigilanter, quamque sollicite nedum pro spirituali, sed etiam pro temporali gregis tuae curae commissi utilitate fraternitas tua quotidie excubet, inter multa haec ipsa tua petitio ostendit. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod in tua dioecesi nullum conservatorium existit, in quo puellae orphanae recipi caeteraeque adolescentulae a pudicitiae discrimine, in quo interdum versantur, eripi possint, ut inibi ad religionem, ac pietatem efformentur, ac ad muliebres artes instituantur. Quo itaque spirituali, et temporali bono, earumdem puellarum consulas, conservatorium hujusmodi tuis sumptibus constituere intendis; verum nisi etiam congruo vectigali instruatur, omne tuum inceptum, ac consilium, quod in irritum cesset, necesse prorsus erit. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur mutuam tuo consilio opem, ac praesidium prout in Domino possumus, praestare volentes, omnibus mature, ac sedulo perpensis, sic ut infra eidem conservatorio providere statuimus.

Eidem propterea erectionis cura committitur ex bonis ad mensam episcopalem pertinentibus.

§. 2. Fraternitati itaque tuae, de cujus prudentia, fide, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut in primis agellum quemdam in hac Nostra civitate Nucerina existentem, et ad tuam mensam episcopalem spectantem, in quo commode novum orphanotrophium erigi, aptaque, ac necessaria aedificia, et hortus constitui potest, auctoritate Nostra apostolica eidem orphanotrophio cedas; ut insuper conservatorium hujusmodi, et apta supellectili, et opportunis praelis textoriis instruatur, cum ad id haud tenues requirantur sumptus, tibi omnes arbores, quae in tuae mensae episcopalis bonis superfluae, ac inutiles sunt, caedendi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Conservatorio assignantur bona relicta a sororibus Giuntoli.

§. 3. Praeterea, sicut accepimus, Thecla, et Anna Maria sorores Giuntoli sub die decima nona januarii 1779 sibi mutuam exararunt donationem, qua disponitur, ut ultima ex donatricibus quandocumque deficiente ex bonis ad illarum patrimonium spectantibus nova domus presbyterorum saecularium congregationis sancti Philippi Nerii in oppido Validi Nucerinae dioecesis erigatur; quatenus vero domus hujusmodi institui nequeat, ut domus magistrarum piarum sub directione, ac electione vicarii foranei, et prioris congregationis presbyterorum ejusdem oppidi Validi instruatur, et hac quoque deficiente dispositione, voluerunt, ut ex suis bonis orphanotrophium pro

pauperibus puellis dicti oppidi sub cura, ac regimine eorumdem vicarii foranei, et congregationis constitueretur. Itaque praeterquam quod superior congregationis praedictae Nucerinae huic dispositioni jam renunciavit, cum insuper redditus, ac proventus dicti patrimonii Giuntoli vix ascendant ad annua scuta centum vigintiquinque, eaque propter necessariis sumptibus tum pro aedificatione ecclesiae, et domus, tum pro congrui presbyterorum ejusdem congregationis numeri substentatione impares omnino sint, puellarum vero educatio utilius in orphanotrophio, quam a magistris piis assequi possit: hinc tibi injungimus, ut bona omnia, jura, et actiones ad dictum patrimonium spectantia eidem erigendo conservatorio auctoritate praedicta unias, et applices, prout auctoritate, et tenore praedictis unimus, et applicamus, et unitum, et applicatum esse volumus, ac declaramus; ita tamen ut prae caeteris quatuor puellae orphanae, seu periclitantes dicti oppidi Validi in eodem conservatorio semper recipiantur et superstiti Theclae alteri ex dictis sororibus Giuntoli, quae annum agit octogesimum quartum, omnia ad ejus exhibitionem necessaria subministrentur, quinimo tibi permittimus, ut quandocumque ipsa decesserit de omni dumtaxat supellectili in suam famulam, familiamque pauperem elargiri libere, ac licite possis, et valeas; ex redditibus porro, ac proventibus dicti patrimonii, qui interim, et usque ad conservatorii praedicti institutionem percipientur, multiplicum in ejusdem patrimonii augumentum, ac conservatorii utilitatem erit constituendum.

Super bonis mensae annua pensio scutorum bisentum vigintiquinque imponitur favore ipsius conservatorii.

§. 4. Quippe autem sicut a te accepimus, ex tua industria, tuaque recta bonorum mensae episcopalis administratione sui redditus valde adaucti sint, super fructibus, redditibus, et proventibus ejusdem mensae ad hoc quippe sponte asseveris, perpetuam annuam praestationem, seu taxam ducentorum viginti quinque scutorum eidem conservatorio in duabus, aut pluribus ratis a te, et ab episcopis Nucerinis pro tempore existentibus in futurum persolvendam auctoritate, et tenore praedictis reservamus, constituimus, et assignamus.

Item praestatio decernitur imponenda super bonis confraternitatum.

§. 5. Tandem cum in hac tua dioecesi plures sint confraternitates, quae multis redditibus affluunt, hinc facultatem tibi imponendi aliquam praestationem in perpetuum super bonis, fructibus, redditibus, ac proventibus earumdem confraternitatum favore dicti erigendi conservatorii auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et impertimur. Quoniam vero praestatio hujusmodi ita statuenda erit, ut conveniat quantitati redditunm earumdem confraternitatum; Nos quatenus opus sit, facultatem quoque tibi impertimur, sub poenis arbitrio tuo imponendis, ac etiam per censuras ecclesiasticas cogendi rectores, priores, confratres, et administratores confraternitatum hujusmodi ad exhibitionem librorum, et status redditunm, ac respective eorum cujuslibet ex dictis confraternitatibus ad hoc, ut introitus cum exitu, justa proportione habita, comparari possit, indeque praestatio in ea quantitate, quae viribus cujuslibet ex eis conveniat, statuatur.

Puellis in conservatorio degentibus praelatio conceditur in assignatione subsidiorum dotalium.

§. 6. Ut autem puellis in conservatorio praedicto pro tempore degentibus aperiatur via, unde facilius in Domino, aut in saeculo nubere valeant, secus enim in eodem conservatorio cum publicae utilitatis detrimento consenescent, tibi propterea injungimus, ut quoad Nucerinas puellas in dicto conservatorio degentes coofratres confraternitatis, seu societatis *delle Pupille* nuncupatae ad unum annuum subsidium dotale scutorum vigintiquinque puellas ejusdem conservatorii caeteris praeferre teneantur, auctoritate praedicta edicas, et mandes; sicque pariter quoad dotes oppidi de Fossato, quae ab haeredibus Serafini, Fioravanti, et Bocchini dantur favore puellarum ejusdem oppidi, suique districtus in conservatorio degentium quoad unam ex dotibus, quae ab eis singulo quoque anno dantur, statuas; volumus etiam, ut episcopi Nucerini, quibus jus competit eligendi puellam ex oppido Saxiferrati oriundam ad dotem scutorum vigintiquinque, alteram ex puellis dicti oppidi in conservatorio commorantibus ad eamdem dotem singulis annis nominare teneantur. Et cum puella ad dotem hujusmodi nominata ex pii testatoris dispositione certas expressas ecclesias in certis designatis diebus visitare deberet, quod commoda a puella in conservatorio commoranti exequi haud potest, hinc tibi mandamus, ut pro ecclesiis praedictis alias in hac civitate Nucerina ecclesias, quas ad formam dictae fundationis in praescriptis diebus puellae praedictae visitare omnino teneantur, designes: Nos enim pii disponentis voluntati in hac parte expresse, et ad praedictum effe-

ctum tantum barum serie derogamus. In oppido Validi cum quolibet triennio dari soleat dos scutorum quinquaginta, haec dos in duabus pro puellis oppidanis bujusmodi in conservatorio commorantibus erit dividenda. Quoad orphanas vero oppidi Sigilli, et Domus Castaldae, et Fabrianensis, cum nulla sint ibi assignanda subsidia dotalia, tibi injungimus, ut a confraternitatibus dicti oppidi Sigilli quolibet anno ex superextantibus suis redditibus, vel subsidium dotale pro suis oppidanis praestetur, vel etiam fundus ad dictam summam edendam idoneus paulatim assignetur, omnino cures, et studeas; orphanas autem dictae Domus Castaldae, et Fabrianensis ad obtinenda omnia subsidia, quae, ut praefertur, ad alia oppida tuae dioecesis pertineant, quatenus nulla existat in eodem conservatorio ex suis oppidanis, quae capax sit dictae dotis, auctoritate praedicta habilites, ac capaces facias, atque declares. Quod si interdum oppidanae in locum aliarum pro hujusmodi affectu subingredi nequeant, harum serie decernimus, ut ex emolumentis ab opificiis in conservatorio factis percipiendis alteri illarum qualibet vice, et anno dotale subsidium in summa scutorum viginti ei constituatur.

De vestibus puellis suppeditandis.

§. 7. Quoad vero vestes puellis praedictis suppeditandas, aliaque hujusmodi, tibi facultatem omnia ea, quae pro tua prudentia utiliora futura erunt arbitraberis, disponendi auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et impertimur; Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Omne juris remedium submovetur contra executionem praesentium apostolicarum literarum.

§. 8. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali; sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, vel impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et for-

mis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 30. martii 1787. Anno XIII.

DCIL.

Conservatorium in civitate Asculana erectum bonis, ac redditibus ditatur, dotes puellis in eo recipiendis assignantur, ac mandatur, ut cannabinae xylinae telae inibi texantur.

Dilecto filio Nostro Philippo Sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali Carandini nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Licet ex apostolici Nostri ministerii officio omnes omnino Christifideles paterna charitate prosequi teneamur, quos tamen Nostros, et Romanae Ecclesiae etiam in temporalibus subditos esse dignoscimus, quasi Nostros peculiares, eximieque caros, et acceptos, ac prae caeteris dilectos filios speciali quadam, et propria paterni amoris praerogativa complecti aequum esse censemus; eaque propter nedum de spirituali, sed etiam de illorum temporali commodo, et utilitate singularem curam semper a Nobis esse gerendam intelleximus.

Ratio concessionis. §. 2. Quamobrem cum in variis ecclesiasticae ditionis partibus modo una, modo altera ratione defectas artes revocare, ac civium industriam fovere conati simus, Nostrae paternae providentiae intuitum ad civitatem Nostram Asculi in Piceno convertendum quoque esse duximus, ac conservatorium sancti Josephi alias in eadem Nostra civitate Asculana erectum nedum bonis, ac redditibus, sed etiam novis legibus augere constituimus, ut ex profitendis in eo artibus novus commercii ramus ad bonum civium solertiam patefiat: sperantes fore ut novam hoc paternae Nostrae sollicitudinis testimonium suam fidem, ac erga Romanam Sedem illorum dominam, et matrem studium magis magisque intendat.

Commissio pro restauratione conservatorii. §. 3. Circumspectioni itaque tuae congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super Bono Regimine communitatum, ac universitatum status Nostri ecclesiastici praefecto, de cujus prudentia, et zelu, ac summa in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, in primis ut aedes dicti conservatorii sancti Josephi, in quo nunc vix quinque foeminae nuncupatae moniales aetate provectae degunt, restaures, ac ad plures in eo recipiendas puellas praesertim orphanas, telae lineae, cannabinae, et xylinae textrices adaptes.

Applicatio bonorum haereditatis Josephi Conti, sub certis legibus, et conditionibus. §. 4. Ut autem congruo vectigali conservatorium hujusmodi instruatur; cum alias quidam Jacobus Conti civis Asculanus per suas testamentarias tabulas anno MDCCXXX. exaratas per Nicolaum Taddei notarium Florentinum origi voluerit cathedram sacrae theologiae in eadem civitate Asculana, illique assignaverit annuum stipendium scutorum sexaginta ex suorum bonorum redditibus persolvendum; eumque insuper tres administratores constituerit suorum bonorum, inter quos priorem pro tempore existentem fratrum ordinis praedicatorum conventus sancti Petri martyris Asculi, cui quidem annua scuta triginta, aliis vero duobus administratoribus, et cuilibet illorum annua scuta quindecim monetae Romanae assignavit, ac demum annua summa scutorum circiter sexagenorum ex ejusdem haereditatis Conti redditibus ad solemnem novendialium diei festo sancti Aemigdii praecedentium celebrationem dicto testatore exoptatam impendi soleat; tibi per praesentes injungimus, ut cum jampridem aliae duae cathedrae sacrae facultatis fuerint in dicta civitate erectae, quarum

professores alter a seminario, alter publico stipendio sunt conducti, ac redditus dictae haereditatis Conti variis emergentibus de causis valde imminuti facilis sint exactionis, quod in LL. MM. consistunt, ideoque unus satis superque sit administrator, nempe prior dicti conventus, cui annuam stipendium scutorum dumtaxat quindecim injuncto oneri congruum videtur, praevia suppressione, ac extinctione cathedrae sacrae theologiae ab haereditate Conti, ut praefertur, institutae, nec non praevia declaratione, quod in posterum unus dumtaxat sit dictae haereditatis Conti administrator, prior scilicet dicti conventus fratrum ordinis Praedicatorum, qui pro scutis triginta sibi legatis, annuis scutis quindecim dumtaxat contentus erit, tum assignatum stipendium dictae cathedrae professori, tum legatum dictis duobus administratoribus, tum annua scuta quindecim, quae ex legato assignamento priori praedicto superextant, tum demum dictam summam ad celebranda novendialia diei festo sancti Aemigdii praecedentia, ut praefertur, impendi solitam dicto conservatorio auctoritate Nostra apostolica unias, et incorpores, ac unita, et incorporata esse statuas, atque declares. Ne porro sancti Aemigdii cultus tantulum imminuatur, tibi mandamus, ut praevia exemptione ab onere distribuendi quotannis in pauperes tritici mensuram, quam vocant rubbio, quo gravatur cappellanus pro tempore existens cappellaniae Felici, jus exigendi pretium mensurae tritici hujusmodi ab eodem cappellano in dilectos filios canonicos, et capitulum ecclesiae cathedralis Asculanae ad hoc ut novendialia hujusmodi diei festo sancti Aemigdii praecedentia quotannis, quo poterit modo, solemniter celebrare teneantur, dicta auctoritate transferas.

Concessio praedii relicti a canonico Palucci, et aliorum piorum legatorum.

§. 5. Volumus praeterea, ut eidem conservatorio tum praedium a canonico Palucci in suo sub die XXXI. januarii MDCCLXXXV. exarato testamento legatum, ut illius redditus in eleemosynas panis pauperibus erogentur, tum aliud legatum, quo summa scutorum triginta sex parochianis viae Chiama di s. Angelo nuncupatae in pauperes, ac in possidentes aeque dividitur, tum legatum eleemosynae unius rubbio tritici, quo capitaneus Ferrucci solvit, tum summam annorum scutorum decem, quae a domo extinctae, ac suppressae societatis Jesu pauperibus loci de Appignano ex testamento cujusdam Alexandrini quotannis praestatur, tum fructus quinque LL. MM. ex oblationibus mirificae Iconi alias factis emptorum; tum bona haereditatis Cornacchia cum onere tamen exhibendi in omnibus etiam intra septa dicti conservatorii valitudinariam haeredem usufructuariam, quae quidem bona ex testamento die XVII. novembris MDCCLXIX. ex codicillis diei XI. septembris MDCCLXXII. per acta Paschalis Christophori rogato post dictae haeredis usufructuariae cessum, vel decessum primum in constructionem urnae, seu thecae ad tegendum venerabile corpus sancti Aemigdii essent eroganda, deinde publico Asculano xenodochio applicarentur; quibus, et singulis dispositionibus per praesentes auctoritate apostolica derogamus, et derogare intendimus, tum legatum Pellini ex testamento anno MDCCLVI. notario Paschali Christophori dobitum in missiones, aliaque pia opera erogandum, cum onere tamen in singulo quoque anno celebrationis decem missarum, tum summam, quae ex legato Francisci Parisani Liverotti in testamento anni MDCCLXXXIII. per acta Seraphini Relucenti in exponendo singulis dominicis diebus sanctissimo Eucharistiae sacramento, duobus triduis celebrandis impendenda esset, tum demum legatum unius rubbio cum dimidio tritici in pauperes in die festo sanctae Margaritae a comite Petro Saladini praestandum auctoritate praedicta attribuas, atque concedas.

Concessio juris imponendi taxam, super bona confraternitatum

§. 6. Insuper facultatem quoque favore dicti conservatorii imponendi aliquam annuam praestationem, seu taxam super omnibus bonis, fructibus, redditibus, ac proventibus inscriptarum confraternitatum laicalium, scilicet sancti Erasmi scutorum quindecim, Icona nuncupat. scutorum pariter quindecim; confraternitatis Charitatis nuncupatae scutorum decem pro duobus mensuris tritici rubbia nuncupat. quas in pauperes quotannis dividit, a qua erogatione per praesentes eximimus, et liberamus, ac exemptam, et liberatam esse auctoritate praedicta decernimus, et declaramus; confraternitatis Suffragii scutorum quinquaginta eam, quatenus opus sit, ab onere, quo gravatur in quatuor anni temporibus exponendi Christifidelium adorationi sanctissimae Eucharistiae sacramentum, etiam liberando, ita tamen, ut episcopus regulares in eadem civitate Asculana degentes hortari studeat; ac curet, ut huic devotioni suppleant; a confra-

ternitate vero Rosarii praeter scuta septendecim, quae quinque, aut sex ab hinc annis ad ea deponenda essent in dotem nobilis puellae, quae in Domino nubere exoptaret, alia etiam scuta quadraginta sex, et obol. quinquaginta erant pro taxa, seu praestatione hujusmodi solvenda, quae ab ex fratribus ordinis Praedicatorum conventus sancti Petri martyris Asculi praestari solent. Nam cum eadem confraternitas ad suam ecclesiam nuper constructam una cum sua sacra supellectili praevia renunciatione altaris, quod in dicta ecclesia sancti Petri martyris retinet, sit transferenda, contributio praedicta, quae pro suffragiis a dictis fratribus ad sepulchrum confraternitatis semel in mense fieri solitis, ac cera, oleo, aliisque sumptibus in die festo beatae virginis Mariae sub invocatione sanctissimi Rosarii faciendis exsolvebatur, post translationem hujusmodi non erit amplius debita: super bonis tandem ad congregationem presbyterorum saecularium sancti Philippi Nerii Asculan. taxam scutorum centum ad annos viginti dumtaxat, eos ab onere reintegrationis summae scutorum duorum millium, ad quam alias tenerentur, absolventes, auctoritate et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Concessio praestationis in venditione lini, et cannabis.

§. 7. Non solum autem praestationem, seu praestationes praedictas per te imponi posse volumus ad constituendum annuum redditum eidem conservatorio, verum etiam ut nova opera, ac artes texendi telas, tum lineas, et cannabinas, cum etiam xylinas in conservatorio facilius induci possint tibi facultatem, quo ditiores possidentes ad subministrandum per singulos annos linum, ac cannabim jam netam pro quantitate tua, ac praesidum dicti conservatorii prudentia praefigenda ad prela textoria sustendanda necessaria sub spe exigendi ab eodem conservatorio soluto manupretio alteram tantum telam, quam aut in suos usus convertere, aut alteri vendere pro arbitrio eis licebit auctoritate praedicta cogere, ac compellere valeas auctoritate, et tenore praedictis pariter concedimus, et impertimur.

Praelatio conceditur etiam puellis in conservatorio degentibus in distributione dotium.

§. 8. Praeterea cum in hac civitate Nostra Asculana a dilectis filiis canonicis, et capitulo cathedralis ecclesiae quolibet biennio dos, seu subsidium dotale scutorum triginta, a presbyteris saecularibus congregationis sancti Philippi Nerii quolibet pariter biennio, altera dos, seu subsidium dotale scutorum quatuordecim, a confraternitate della Morte nuncupata, et a familia Arpini alternatim quolibet anno dos scutorum quindecim, ac ab administratoribus legati Morgantini quolibet anno duae dotes scutorum viginti in singulas respective, distribui soleant, ut puellae in conservatorio pro tempore degentes facilius in Domino, aut in saeculo nubere possint, tibi committimus, ut in harum dotium distributione puellas hujusmodi semper praeferendas esse, ac inter eas vero praesertim illas, quae juxta praesidum consilium digniores sunt, licet semel, ac iterum easdem dotes fuerint adeptae auctoritate apostolica edicas et mandes, prout auctoritate, et tenore praedictis edicimus, et mandamus.

Concessio juris imponendi census super bonis conservatorii

§. 9. Ut tandem impensis, ac sumptibus, qui ad haec omnia perficienda erunt necessarii fieri satis possit, tibi facultatem super bonis ad conservatorium praedictum quomodolibet pertinentibus unum, aut plures census pro summa scutorum duorum millium vendendi, cum onere tamen illum, aut illos redimendi, ex quaestu, qui in opificiis dicti conservatorii erit faciendus auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Domum enim nimis grave, ac ob munera, quibus apud Nos fungeris, difficile nimis tibi erit civitatem ipsam Asculi, ut omnia tuae vigilantiae, ac prudentiae a Nobis commissa perficias adire, hinc tibi dilectos filios advocatum Lazzari praeceptorem, seu commendatorem Saladini, et marchionem Brutum Odoardi, qui tuo nomine omnia praedicta exequantur, subdelegandi, ac deputandi plenam, et amplam facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Consulitur rectae administrationi bonorum, et institutioni puellarum.

§. 10. Volumus praeterea, ut rectae bonorum administrationi, et puellarum ad religionem, et artes institutioni consulatur, ut tres praedictos cives nobiles Asculanos, salva semper episcopi pro tempore existentis jurisdictione, eidem conservatorio praesint; quorum altero deficiente, jus eligendi nobilem civem in locum defuncti sufficiendum superexstantibus eadem auctoritate concedimus. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertineant, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire

conspexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Omne juris remedium submovetur adversus praesentes apostolicas literas.

§. 11. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad eas vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali: sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam talis, quae, ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato, quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 12. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari; et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum piorum locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCL.

Dat. Romae 30. martii 1787. Anno XIII.

Numerus aromatariorum urbis praefinitur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Si quam in promovendis artibus hominum societati proficuis curam, et sollicitudinem huc usque impendimus, ut ampliora inde commoda, et ornamenta populis temporali Nostro dominio subditis promanarent, eamdem multoque majorem impendere aequum ducimus, cum de iis artibus agitur, quae ad tuendam corporis sanitatem maxime sunt necessariae. Hinc est, quod Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum vestigiis insistentes, qui aromatariorum artem, praeparandis, componendisque medicamentis destinatam, variis gratiis cumularunt, et privilegiis, ipsam

Nos quoque benigno favore prosequimur, ejusque professores quandocumque protectionis Nostrae opem implorant, paterna charitate complectimur.

Expositio precum.

§. 2. Exposito siquidem Nobis alias pro parte dilectorum filiorum collegii, et aromatariorum almae urbis Nostrae, eorum artem in deterius abiisse, partim ob nimium aromatariarum numerum in eadem urbe existentium, quibus inserviendis, et administrandis nullius ingenii, studiique homines adsciscebantur, partim ex eo, quod medicamentis ab ipsis ut plurimum alienae fidei traditis, si in judicium eorum credita deducerentur, post quinquennii lapsum praescriptioni subjecta erant, ideoque nulla amplius ratione exigi poterant: Nos eorum precibus annuentes sub die septima augusti proxime elapsi, auditis relatione, et voto dilecti filii Nostri Karoli Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Rezzonico nuncupati apud Nos, et Sedem apostolicam dicti collegii protectoris, nec non visitatoris apostolica auctoritate deputati, hujusmodi preces remisimus ad eumdem Karolum cardinalem cum facultatibus necessariis, et opportunis, ad effectum, ut in posterum, aromatarias almae urbis Nostrae ad numerum quadragiata tantum, modo, et forma in hujusmodi reductionibus usque adhuc servatis, reducere; ac insuper, ut quinquennii tempus ad exigenda credita in libris tam praedictorum exponentium, quam aliorum aromatariorum status Nostri ecclesiastici, descripta, praefinitum, ad annos decem in totum extendere, et ampliare libere, et licite respective posset, et valeret; qui quidem Karolus cardinalis re mature perpensa rescriptum edidit, tenoris sequentis videlicet.

Decretum cardinalis Rezzonico, qui numerum cohibuit ad quadraginta, et praescriptio decennalis praefinivit pro creditis aromatariarum.

§. 3. Utendo facultatibus etc. aromatarias hujus almae urbis ad petitum numerum quadraginta tantum reducimus, servata tamen in reductionibus hujusmodi in posterum faciendis forma praescripta in cap. LI. statutorum ab eodem sanctissimo per literas in forma Brevis sub annulo piscatoris die II. augusti MDCCLXXXV. expeditas approbatorum. Item quinquennii tempus ad exigenda credita tam oratorum, quam aliorum aromatariorum status ecclesiastici in ipsorum libris descripta juxta formam motus proprii sanctae memoriae Julii pp. III. et cap. LIII. statutorum ad annos decem extendimus, atque ampliamus. Datum Romae ex aedibus Nostris prope basilicam ss. XII. Apostolorum hac die 5. decembris 1786.

C. card. Rezzonico protector, et visitator.

Loco ✠ Signi.

Preces porrectae pro confirmatione decreti.

§. 4. Cum autem sicut iidem collegium, et aromatarii nuper exponi fecerunt ipsi, quo rescriptum hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae Nostrae confirmationis patrocinio communiri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor confirmationis apostolicae.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, praeinsertum rescriptum memorati Karoli cardinalis cum omnibus, et singulis in eo contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictisque exponentibus, et collegio in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus felicis recordationis Gregorii XIII. Clementis VIII. et Pauli V. Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et con-

suetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis. §. 8. Volumus autem, ut earundem literarum transumptis, etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die trigesima martii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 8. aprilis 1787. Anno XIII.

DCLI.

Separatio septem parochialium ecclesiarum a dioecesi Faventina, illarumque addictio Ravennatensi dioecesi.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Incumbens Nobis pro summi apostolatus officio sollicitudo quotidiana omnium ecclesiarum postulat, ut pro locorum, temporumque ratione sic ecclesiarum earumdem statui, ac finibus moderemur, ut venerabilibus fratribus Nostris episcopis expeditior fiat functio muneris, et animarum eorum curae creditarum saluti quam commodissime consulatur.

Ratio separationis, et respectivae addictionis. §. 2. His pridem Nos moti causis ecclesias parochiales nonnullas, quae ad Ravennatensem dioecesim pertinebant ab illius archiepiscopi sede Ravenna urbe longius dissitas inde abstraximus, et dioecesi Caesenatensi, cui propinquitate adhaerebant adjunximus, easdemque nunc ob causas parochiales item ecclesias aliquot Ravennatensi territorio comprehensas, illique adjacentes, quas Faventina late dispersa dioecesis hactenus amplexa est; vacante modo episcopali sede Faventina, priusquam novus ei a Nobis praeficiatur episcopus, inde divellere, et praefatae vicissim Ravennatensi dioecesi multo commodius contribuere decrevimus.

Declaratio ecclesiarum dismembratarum, et respective unitarum. §. 3. Nos itaque motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine septem parochiales ecclesias unam videlicet sancti Michaelis in Lacimago, alteram sancti Joannis Evangelistae in Villa Nova Ravennae, tertiam sancti Stephani de Godo, quartam sanctae Mariae di Piangipane, quintam sancti Xisti in Sauterno, sextam sancti Christophori in Mezzano, ac septimam sanctae Mariae de Savarna respective nuncupatas; earumque circuitus, et ambitus parochiales per integros eorum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis, si qua infra limites ipsarum parochialium ecclesiarum existant, nec non earumdem parochialium ecclesiarum rectores, et quoscumque presbyteros, clerum omnem, et populum infra eosdem limites commorantes, quae et qui ante Faventini episcopi ordinariae jurisdictioni subjectae, et subjecti, atque de ejus dioecesi fuerunt, ab omni episcopi Faventini jurisdictione, et ab illius dioecesi penitus apostolica Nostra auctoritate harum vigore praesentium perpetuo dismembramus, sejungimus, separamus, ac dividimus, atque ab episcopi Faventini superioritate, jurisdictione, potestate, subjectione, visitatione, correctione, et quibusvis aliis juribus Faventinae ecclesiae etiam decimas quascumque, et proventus, aliaque jura persolvendi omnino perpetuo pariter eximimus, et liberamus.

Concessio jurisdictionis pro archiepiscopo Ravennatensi. §. 4. Iisque, ut praefertur, dismembratis, septem enunciatas parochiales ecclesias, earumque circuitus, et ambitus per integros ipsarum limites cum omnibus, et singulis aliis ecclesiis, oratoriis, conventibus, hospitiis regularium, piisque locis infra limites earumdem ecclesiarum parochialium, si qua modo sint, vel in futurum existent, itidem modernos, et pro tempore existentes praefatarum septem parochialium ecclesiarum rectores, et quoscum-

que presbyteros, ac omnem clerum, et populum inibi nunc et pro tempore degentes Ravennatensi metropolitanae ecclesiae, illiusque venerabili fratri Nostro moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Ravennatensi, et illius ordinariae jurisdictioni, auctoritati, et potestati, collationi quoque, ac visitationi, et correctioni, nec non quibusvis omnibus, et singulis actibus, qui episcopalis ordinis sunt, et episcopi in sua quilibet dioecesi de jure, usu, consuetudine, aut alias quomodolibet agere, facere, et quibus uti solent, et possunt, nec non etiam cum quibuscumque juribus, decimis, et proventibus ex memoratis ecclesiis ab antedicto episcopo Faventino hactenus percipi solitis etiam perpetuo assignamus, subjicimus, subponimus, et plenarie concedimus, praefatisque septem parochialium ecclesiarum rectoribus, presbyteris, clericis, et incolis quibuscumque, ut ipsi moderno, et pro tempore existenti archiepiscopo Ravennatensi tamquam proprio eorum ordinario in omnibus pareant, et obediant praecipimus pariter et mandamus. E converso vero eidem venerabili fratri Nostro archiepiscopo Ravennatensi clerum, populumque ipsius spirituali regimini, et curae a Nobis in praesens addictum specialiter in Domino commendamus magnopere exoptantes, ut ipse eo, quo flagrat cleri disciplinae, et animarum salutis zelo, ac in dioecesanos suos paterno amore novos itidem hosce subditos peramanter excipiat, sibique in fratres, ac filios adsciscat.

Derogatur cuilibet juris remedio, quod competeret adversus praesentes literas.

§. 5. Praesentes autem literas etiam ex eo quod quicumque in praemissis interesse habentes, vel habere praetendentes ad id vocati, et auditi non fuerint, seu etiam ex eo, quod Faventina ecclesia modo pastoris solatio destituta existit, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam revocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quae fierent, comprehendi, sed tanquam ad prosperum populorum spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, sicque ab omnibus censeri; ita quoque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et vice legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Et omnibus aliis in contrarium facientibus.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et de unionibus, et dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de praestando consensu in similibus unionibus, et dismembrationibus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis ac etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, ecclesiaeque Faventinae privilegiis, indultis quoque, et literis apostolicis, illique, ejusque praesuli, ac capitulo, et canonicis, ac civitati Faventinae etiam specifica, et expressa, atque individua mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu simili, ac consistorialiter in contrarium praemissorum forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia quaevis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium et singulorum tenores, formas, et clausulas praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, atque specialiter, et expresse auctoritatis Nostrae plenitudine harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur,

quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae dismembrationis, sejunctionis, separationis, divisionis, exemptionis, liberationis, assignationis, subjectionis, suppositionis, concessionis, praecepti, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire, si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, quarto nonas aprilis, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 21. aprilis 1787. Anno XIII.

DCLII.

Prorogatio muneris commissarii generalis pro monasteriis s. Mariae Cryptae Ferratae, s. Mariae Inviolatae Veliternensis, et s. Basilii Magni de urbe, favore procuratoris generalis ordinis sancti Basilii.

Pius PP. VI.

Dilecto filio Josepho Muscari monacho, et abbati ordinis s. Basilii magni expresso professo.

Dilecte fili
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a procuratore generali.

§. 1. Religionis zelus, vitae, ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, ac virtutum merita, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod tu, qui (ut asseris) monachus ordinis s. Basilii magni expresse professus, ac abbas procurator generalis ejusdem ordinis existis, in capitulo generali tui ordinis praedicti propediem celebrando tum munus procuratoris generalis, tum officium commissarii generalis quoad monasterio s. Mariae de Crypta Ferrata, et s. Mariae Inviolatae Veliternensis, quod quidem officium muneri procuratoris generalis a Nobis alias per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negotiis praepositorum per decretum diei XXVII. februarii MDCCLXXXIV. fuit perpetuo unitum, et adjunctum deponere debes, eaque propter a te, ac dilecto filio, Joanne Baptista Nicolotti monacho tui ordinis expresse professo, qui usque adhuc munus officialis a secretis procuratoris generalis laudabiliter exercuit, tuisque duobus laicis, seu conversis vestra provincia esset concedenda.

Ratio concessionis.

§. 2. Verum cum ob heu nimium notas calamitates, quibus Calabria ultra novissimis temporibus, et adhuc etiam conflictatur, tria vix monasteria ex quatuordecim, quae in ea provincia tuus ordo obtinebat, supersint, eaque adeo diruta, ut nisi post sumptuosissimas reparationes ea habitare fas erit: hinc ne tu in tua satis provecta aetate, tuique consocii ad alterius provinciae monasteria adire cogemini, tibi, tuisque sociis aliquo modo per Nos consuli summopere desideras; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur te, tuosque socios praedictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes; ac vestras singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi non obstan. memorato decreto dictae congregationis die XXVII. februarii MDCCLXXXIV. emanato, cui per praesentes ad infrascriptum effectum tantum derogamus, et per praesentes derogare intendimus, tum meritorum, ac religiosorum laborum tuorum intuitu, tum etiam ob monasteriorum Cryptae Ferratae, et Veliternensis, ac s. Basilii magni de urbe utilitatem munus commissarii generalis quoad dicta monasteria s. Mariae Cryptae Ferratae, et s. Mariae Inviolatae Veliternensis, nec non gubernium monasterii s. Basilii magni Nostrae almae urbis tamquam visitator apostolicus, prout usque adhuc gubernium hujusmodi gessisti, adeo ut tibi, dictisque tribus tuis sociis in eo residere liceat, etiam expleto munere procuratoris generalis ad Nostrum, et Sedis apostolicae beneplacitum, et usque dum mo-

nasteria tuae provinciae erunt reparata, auctoritate apostolica tenore praesentium prorogamus, extendimus, et ampliamus, teque, quatenus opus sit, in commissarium generalem, et apostolicum visitatorem hujusmodi de novo constituimus, et deputamus, tibique propterea ut omnibus, et singulis juribus, privilegiis, honoribus, et gratiis, quibus alias veluti commissarius generalis ac visitator apostolicus hujusmodi usus, gavisus, et potitus es, ac uti, frui, et gaudere potuisti, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possis, et valeas in omnibus, et per omnia, perinde ac si adhuc munere procuratoris generalis fungeris, auctoritate apostolica tenore praesentium de speciali dono gratiae concedimus, et indulgemus.

Poenae contra inobedientes.

§. 4. Mandantes in virtute sanctae obedientiae, ac indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis, omnibus, et singulis abbatibus, prioribus, ac superioribus quibuscumque, caeterisque monachis, et personis, ad quos spectat, et spectabit in futurum, ut te in veluti commissarium generalem, et visitatorem apostolicum hujusmodi durante tempore praedicto recognoscant, in dictis muneribus juxta earumdem tenorem praesentium continuare, et perseverare sinant, et permittant, tibique in omnibus eadem munera concernentibus faveant, et assistant, pareantque, et obediant.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac tibi, tuisque consociis praedictis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sedis apostolicae nuncios, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima aprilis MDCCLXXXVII. pontificatus Nostri anno decimotertio.

DCLIII.

Dat. Romae 20. aprilis 1787. Anno XIII.

Instante congregatione Oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Bracharensis, reducuntur onera missarum eidem congregationi incumbentium.

Venerabili fratri archiepiscopo Bracharensi, seu dilecto filio ejus officiali.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater, seu dilecte fili Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus, et presbyteri saeculares congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Bracharensis, quod ipsi ad caetera charitatis officia, quae ex instituto ejusdem congregationis exercent, addidere sacrarum missionum exercitia, praedicationem divini verbi in festis diebus, morientium tutelam quos adeunt quandocumque vocati, lectionem denique publicam tum in rethoricis, ac philosophicis facultatibus, tum etiam in gravioribus theologiae speculativae, atque moralis disciplinis, ideoque haud pauci necessarii sunt ministri, qui nomen eorum congregationi dantes, hujusmodi exercitationibus alacri animo ad christianae societatis bonum praesto sint.

Ratio concessionis.

§. 2. Verum exiguum patrimonium quique ex eo parvus redit census, insufficiens ad alimoniam congregatorum reperitur, si considerentur missarum onera, quae antiqui ejusdem congregationis alumni susceperunt, ac, stipulatione contractuum, ferre promiserunt; quibus si addantur infortunia temporis, ac victualium caritas, haec omnia in unum collecta ef-

ficiunt, ut eorum domus aes alienum quolannis contrahere cogatur, ita ut aliquando eamdem congregationem fore interituram non sine gravi spirituali damno timendum sit. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut ad occurrendum hujusmodi malis, reductionem missarum, qualem felicis recordationis Benedictus XIV. praedecessor Noster fratribus ordinis sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum regni Lusitaniae per suas in simili forma Brevis die XII. martii MDCCXLIV. expeditas literas impertitus fuit, Nos quoque ipsis elargiri de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati; attentis tua, fili officialis, ac dilecti etiam filii magistri Julii Gabrielli congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum secretarii relationibus, perpensoque voto dilecti filii Nostri Hyacinthi Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis de Gerdil nuncupati ad hujusmodi negocium examinandum deputati: fraternitati tuae frater archiepiscopo, seu discretioni tuae, fili officialis, per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, petitam reductionem quorumcumque onerum missarum eidem congregationi incumbentium, in omnibus juxta formam praedictarum literarum Benedicti pp. XIV. nec exceptis iis, quae per contractum acceptata fuere, iisdem exponentibus auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia gratis indulgeas; ita tamen, ut applicatio sacrificii specialiter fiat pro iis benefactoribus, quorum bona ab aliis secreta reperiri, seu discerni possunt; generice autem, seu collective quoad eos, quorum fundi commixti, et confusi possidentur, et dummodo quoad futurum missae non acceptentur, nisi recepto fundo sufficienti pro celebratione missarum ad taxam eleemosynae perpetuae; et fundi missarum onere gravati non alienentur, sub poenis contra alienantes bona ecclesiastica inflictis.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus quorumcumque testatorum etiam ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut quoniam iidem exponentes in scientiis tradendis operam suam utiliter impendunt, ipsos in Domino, tu venerabilis frater archiepiscope, seu dilecte fili officialis, horteris, et pro eo, quo in Deum amore flagrant, vehementer obsecres, ut discipulos suos, caeterosque Christifideles pascant salutari alimonia Christianae doctrinae, dum illos erudiunt, et verbum Dei festis diebus annuntiant, atque ita fiat, ut fidei, et sanctitati morum servientes inveniantur, ac benefactoribus, qui facultates suas ad sacrificia celebranda contulere, suffragia salutarium operum piissimo ministrent. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLIV.

Dat. Romae 24. aprilis 1787. Anno XIII.

Constitutio ad tollendas quaestiones circa jurisdictionem monasterii sanctae Susannae de urbe.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Status controversiarum.

§. 1. Ubi primum protectore caruit per obitum cardinalis Joannis Baptistae Rezzonico monasterium Benedictinum, quod sancti Bernardi nomen accepit, utpote erectum a confraternitate sancti Bernardi in ecclesia sanctorum Viti, et Modesti, ex qua ecclesia translatum deinde fuit ad ecclesiam sanctae Susannae una cum collegio puellarum, et viduarum sub cura, et regimine, ac libera administratione, tam in temporalibus, quam in spiritualibus cardinalis protectoris, prioris, custodum, et officialium, juxta literas in forma Brevis sanctae memoriae Sixti papae V. Nostri praedecessoris datas die XIII feb. anni MDLXXXV., et diebus x julii, ac v octobris MDLXXXVII., opportunum duxit venerabilis frater Noster cardinalis Marcus Antonius Colonna episcopus Praenestinus, quam urbis vicarius ad Nos eas omnes difficultates referre, quas ratione

muneris sui proponendas sibi esse necessarium putavit. Fatebatur ille quidem, fuisse per literas Sixtinas confraternitatem, monasterium, et collegium declaratum exemptum ab omni jurisdictione, superioritate, visitatione, correctione, dominio, et potestate pro tempore existentis in eadem urbe vicarii, et illius vicesgerentis, ac locumtenentium, et officialium quorumcumque, nec non abbatum, visitatorum, et superiorum totius ordinis sancti Benedicti. Fatebatur quoque Sixtum V. concessisse regimen temporale confratribus, spirituale vero tribus sacerdotibus auctoritate, et rerum gerendarum experientia, pietateque gravibus, eligendis per ipsos confratres ad triennium, aut ad aliud tempus pro ipsorum arbitrio, et confirmandis, aut per summum pontificem, aut per cardinalem protectorem, qui visitatores nuncupentur, et Nostras, dicti vicarii, vicesgerentis, locumtenentium, et illius officialium hujusmodi vices gerant. Animadvertebat tamen, privilegium hujusmodi, *sub certa forma* confraternitati indultum, extinctum videri posse, semel ac confraternitas, cui datum fuit, dici potest extincta; utpote quae modo non amplius confraternitatis, sed cujusdam congregationis speciem exhibet, quae ex paucis quibusdam officialibus, et deputatis coalescit; cum praesertim, qui nunc visitatores eliguntur pro spirituali regimine, et qui oeconomus pro temporali administratione constituitur, si non a confratribus, seu a cardinali protectore constituantur, et eligantur. Illud quoque addebat, quod vigente etiam privilegio jurisdictionis in temporalibus, et spiritualibus penes cardinalem protectorem, et praesentes visitatores, ac deputatos, non posset tamen vicario denegari exercitium *jurisdictionis ordinariae* in iis, quae concernunt curam animarum eidem monasterio, licet exempto, adnexam per literas in forma Brevis san. me. Pauli pp. V. datas die XXI maji anni MDCX. attenta dispositione tam juris communis, quam Tridentinae synodi juxta veriorem opinionem, quam praevio voto rotali, sequuta est congregatio Concilii in Firmana jurisdictionis sub die VII julii, et XVIII augusti anni MDCCIII. Item non posset denegari eidem vicario super monasterio, collegio, personis, et bonis exercitium *jurisdictionis delegatae*, quae spectat ad ordinarios super locis, et personis exemptis in omnibus casibus expressis a Tridentino concilio, et in constitutione Gregorii XV. commemoratis, quae incipit *Inscrutabili*, data die v feb. anni MDCXXII., nec non in decreto generali sanctae memoriae Alexandri pp. VIII. diei XXIX septembris anni MDCLX., et in aliis constitutionibus apostolicis, et in decretis congregationum Concilii, Episcoporum, ac Regularium, et Visitationis: quae quidem delegata jurisdictio si semper favore ordinariorum praeservata intelligitur, quotiescumque non fuerit eidem peculiari indulto derogatum, multo sane magis in hoc casu salva, et intacta remansisse censeri debeat, in quo Sixtus V. expresse declaravit, velle se salvam in omnibus supradictis jurisdictionem urbis vicarii in casibus, in quibus episcopi, tamquam Sedis apostolicae delegati, auctoritate concilii Tridentini in monasteria, quantumvis exempta, et praecipue circa clausuram, jurisdictionem exercent; absque eo, quod opponi, objicique possit quaecumque contraria observantia, utpote quae attendi minime debeat, cum in memoratis constitutionibus consuetudo quaelibet etiam immemorabilis, abrogetur, ac de medio tollatur.

Providentiae a cardinali vicario postulatae ad tollendas ambiguitates

§. 2. Quemadmodum autem haec a cardinali vicario proponebantur non contendendi animo, sed ut per Nos quaecumque ambiguitas tolleretur super validitate actuum jurisdictionis, qui modo a congregatione sancti Bernardi exercentur, ita postulare non praetermisit, quod a Nobis declararetur, ad eum, et successores suos pertinere totius monasterii curam, quoties, et quamdiu protector desit. Haec autem a cardinali vicario exposita, cum Nobis digna visa essent Nostro judicio, et deliberatione, jubendum duximus congregationi, et monialibus, ut scripto consignarent, quae vel ad sua tuenda jura, vel ad jura cardinalis vicarii quoquomodo elevanda, aut avertenda conducere posse arbitrarentur; nec non mandavimus, ut titulum exhiberent, quo putant jus sibi esse seligendi cardinalem protectorem, petita solummodo a sancta Sede ejus confirmatione.

Deductiones propositae a congregatione, et a monialibus.

§. 3. Ex iis vero, quae a congregatione, et a monialibus allata sunt in medium, satis intelleximus, eorum, quae a cardinali vicario exponuntur, quaedam autem ultro admitti. Negant extinctum dici privilegium posse, tum quia confraternitas sancti Bernardi extincta non est, semel ac existit congregatio, quae illam re, et nomine repraesentat, et in qua pauci

nunc officiales eadem obeunt munera, quae olim sodales frequentiores obibant; quod quidem privilegii continuationi non adversatur, cum notum sit, jus universitatis, vel capituli remanere etiam in uno; tum quia privilegium non uni confraternitati datum, sed aeque, ac principaliter fuit collegio, et monasterio tributum, ut verba literarum apostolicarum praeseferunt. Et quamvis jusserit Sixtus V., ut a confratribus fieret electio trium visitatorum, qui auctoritate pollerent in spiritualibus, ex literis tamen ipsis perspicue liquet, non id a pontifice tamquam pro lege fuisse praeceptum, ita ut electio aliter facta inanis, et irrita esset; idem enim pontifex statuit, ut jurisdictio tam spiritualis, quam temporalis praecipue penes cardinalem protectorem resideret, utque ab ejus penderent auctoritate, tam qui in curam rerum temporalium, quam qui in curam rerum spiritualium incumberent, utque demum eidem facultas esset approbandi visitatores a confratribus electos, vel, quoties » sibi videbi» tur, finito triennio, seu alio tempore depu» tationis hujusmodi, illos prout tempus, et » necessitas expostulaverit, confirmandi, ac » etiam amovendi, et illorum loco alios colle» candi, et deputandi » Hinc congregatio, et moniales perspicuum esse ajunt, quod si cardinalis protector independenter a confratribus elegit modo visitatores, ea utitur facultate, quam in illum Sixtus V. expresse contulit, ita ut visitatores ab eo electi sint legitimi superiores non secus, ac legitimi erant, qui a confratribus eligebantur, uno tantum inter utrosque intercedente discrimine, quod qui a protectore eliguntur, nulla indigent confirmatione, cum e contra, qui a confratribus eligebantur, tunc tantum pro legitimis haberentur, et essent, cum vel a cardinali protectore, vel a sancta Sede confirmabantur. Et ne quidem vera pergunt congregatio, et moniales animadvertere, confraternitatis redactionem in eum statum, in quo nunc est, non recenter factam sed antiquissimam esse, ita ut jam inde ab anno MDCXCIV. necesse eidem fuerit, ecclesiam suam apud Columnam Trajanam, in qua fuerat canonice erecta, emphyteusis titulo cedere archiconfraternitati, quae a sanctissimo Mariae nomine nuncupatur, in qua alienatione jus sibi reservavit accedendi semel in anno ad dictam ecclesiam in pervigilio diei festi sancti Bernardi, ibique sacrum in ara ejusdem sancti per sacerdotem ab ea deputandum celebrandi. Hac autem antiqua immutatione non obstante, integrum semper mansit exemptionis privilegium, et sub oculis summorum pontificum, scientibus, et acquiescentibus cardinalibus vicariis, ea omnia a cardinali protectore, et a congregatione jurisdictio ad hunc usque diem exercita fuit, quae ab initio exercebatur. Firmo itaque manente exemptionis privilegio ultro concedunt congregatio, et moniales exclusam non esse jurisdictionem delegatam, quae cardinali vicario in eodem privilegio praeservatur, sed contendunt delegatam hanc jurisdictionem coercendam esse ad solam custodiam clausurae, et ad confessarii, et parochi approbationem; eo quod Sixtus V., dum illam favore cardinalis vicarii praeservavit, praecipuam fecit de clausura mentionem, et eo etiam, quod longo duorum saeculorum intervallo nullam cardinales vicarii jurisdictionem exercuerunt super monasterio, sed illius regimen tam in temporalibus, quam in spiritualibus pleno jure exercitum a cardinali protectore, et a congregatione fuit approbatum a Gregorio XIV. sub anno MDXCI., cum confraternitatem sancti Bernardi in archiconfraternitatem erexit, a Paulo V. cum sancti Sebastiani curam monasterio adjunxit, et ab Urbano VIII., cum exorta lite inter cardinalem Ginnettum urbis vicarium, et cardinalem Franciscum Barbarinum monasterii protectorem, restitui jussit visitatores, qui pridem suspensi fuerant, praecepitque, ut quo in statu res antea fuerant, in eodem permanerent, quemadmodum habetur ex antiquo commentario Joannis Baptistae confalonerii in archivio monasterii asservato. Quae omnia simul juncta vim obtinere possunt peculiaris Sedis apostolicae indulti. Illud praeterea impugnant congregatio, et moniales, quod deficiente cardinali protectore, donec novi protectoris deputatio fiat, monasterium jurisdictioni cardinalis vicarii subjici debeat; si enim deest tunc cardinalis protector, non desunt tamen pro regimine spirituali visitatores, et oeconomus pro regimine temporali, aliique ministri a Sixto V. ad sua quaeque obeunda munera expressa facultate donati; eo vel magis, quia prior, seu praelatus monasterii solet a sancta Sede facultatem expetere, et impetrare, quo ipse protectoris vice fungatur. Ad titulum vero, quod spectat, quo foveri se putant congregatio, et moniales circa sui prote-

ctoris electionem, illud quidem affirmant ex eo jure manasse, quod omnes confraternitates habent suum sibi protectorem eligendi, quo jure suffulta confraternitas sancti Bernardi ab ipso suae erectionis initio, usque ad Bravium Sixtinorum tempora ad instar aliarum suum sibi elegit protectorem ab ulla confirmatione, aut approbatione pontificis; haec enim impiorari coepta est tempore cardinalis Rusticucci, qui in locum successit cardinalis Alexandrini, et implorata postmodum semper fuit ad tempora usque cardinalis Joannis Baptistae Rezzonico ultimi protectoris, ad confirmandum, atque auctorandum in cardinali electo jurisdictionis temporalis, et spiritualis exercitium, quam in eum literae Sixtinae contulerant.

Tenor apostolicae declarationis favore cardinalis protectoris congregationis

§. 4. Nos itaque sedulo perpensis his, aliisque, quae utrinque allata sunt, cuicumque controversiae volentes finem imponere, hisce Nostris literis perpetuo valituris decernimus, et declaramus, privilegium exemptionis indultum a Sixto V. aeque principaliter confraternitati sancti Bernardi monasterio ejusdem nominis, et adnexo collegio viduarum, ac puellarum, ob immutationem confraternitatis, et ejus reductionem ad formam, et statum congregationis non cessasse, sed in suo robore mansisse, et manere, adeoque omnia, et singula jura per literas Sixtinas concessa in personas, et bona, rite, recteque exerceri posse a cardinali protectore, et ab hodierna congregatione, et signanter jus esse ad formam earumdem literarum cardinali protectori, cui principaliter jurisdictio collata fuit, et cui caeteri subesse debent, eligendi independenter a confraternitate visitatores pro spirituali, oeconomum, et alios ministros pro temporali regimine, eosque prout tempus, et necessitas postulaverit, et quoties ei videbitur, amovendi, et alios in eorum locum subrogandi; qui visitatores, oeconomus, et ministri respective pro legitimis moderatoribus, et administratoribus habendi erunt, non secus ac si ab eadem congregatione electi essent.

Declarantur jura cardinalis vicarii super monasterio, et congregatione.

§. 5. Ita declaramus, et decernimus sub ejusmodi exemptionis privilegio comprehensam non esse curam animarum eidem monasterio unitam, adeoque competere cardinali vicario *ordinariam* jurisdictionem in iis omnibus, quae ad dictam curam, et sacramentorum administrationem pertinent, reservato tantum deputatis congregationis sancti Bernardi jure nominandi parochum, ab eodem vicario tamen approbandum, juxta dispositionem Brevis Pauli V. Pariter declaramus salvam esse debere cardinali urbis vicario pro tempore jurisdictionem *delegatam*, quae ab ipso Sixto V. expresse praeservata fuit, ut cui obnoxia sunt etiam monasteria urbis exempta, tametsi sub protectione sint cardinalium juxta generale decretum Alexandri VIII. superius commemoratum. Quo vero ad casus jurisdictionis delegatae, cum hujusmodi ex parte congregationis, et monialium allata fuerint monumenta, quae consuetudinis alias abrogatae, ut minime hac in re attendendae vires excedunt, et fere aequipollent peculiari indulto sanctae Sedis, post Sixtinas literas supervenutn; cumque pro omni graviori indigentia facilis sit, et promptus pateat ad Nos, et successores Nostros recursus, ita hisce, et aliis justis, et peculiaribus de causis statuimus, jus tantummodo esse eidem vicario tamquam Sedis apostolicae delegato, custodiendi clausuram, praecipue illi commendatam a Sixto V. juxta Tridentinum concilium, ut dictam constitutionem Gregorianam, iisdemque modo, et forma, quibus clausurae praeest, ut de jure praeesse debet in aliis monasteriis exemptis, et regularibus subjectis; ita ut licentiae in scriptis concedendae pro egressu, et ingressu obtineri debeant tam a vicario, quam a protectore secundum decreta congregationum Concilii, et Episcoporum, nec non jus approbandi confessarios, sive regulares, sive saeculares, tam ordinarios, quam extraordinarios ad formam saepius dictae constitutionis Gregorianae, et constitutionis Benedictinae, quae incipit — *Pastoralis curae* — diei v augusti MDCCXLVIII., omnibus aliis casibus delegatae jurisdictionis exceptis, ut exclusis, confirmantes quoad reliquos casus exceptos, et exclusos favore cardinalis protectoris, congregationis, et monialium peculiare privilegium, seu indultum, ut illud quatenus opus sit, eis de novo concedentes, prout concedimus; declarando tamen, et decernendo, ut haec Nostra confirmatio, seu nova concessio trahi nequeat in exemplum, nec quidquam obesse valeat juri cardinalis vicarii, et aliorum ordinariorum quoad caetera monasteria exempta in omnibus, et singulis casibus praescriptis a Tridentino concilio, et constitutionibus apostolicis, et a congregationum decretis. Declaramus praeterea, et decernimus

tempore, quo monasterio deest protector, ejus regimen spectare ad cardinalem vicarium, et visitatores praedicti monasterii ab eo dependere debere eodem modo, quo dependere debent a cardinali protectore; quamvis deficiente cardinali protectore, prior, seu praesul monasterii consueverit ejus vices gerere; id enim factum est ex speciali induito in casibus vacationum a sancta Sede impetrato, ex quo jus non oritur pro futuris vacationibus. Tandem decernimus, titulum productum a congregatione, et a monialibus sancti Bernardi pro electione protectoris, jus scilicet, quod singulae confraternitates habent eligendi eum, qui illarum patrocinium suscipiat, inane prorsus esse, ubi non agitur de protectore honorifico, cujusmodi sunt protectores aliarum confraternitatum, et qualis erat ante Sixtinas literas protector confraternitatis sancti Bernardi, sed agitur de protectore cum jurisdictione; idque aperte adversari etiam menti, et voluntati Sixti V., qui confraternitati tantum concessit electionem visitatorum, quoties eorum deputatio, cardinali protectori pariter concessa, ab eo non fieret; neque jus hujusmodi, concessione, vel privilegio deficiente, desumi posse ab observantia, cum jus nullum tribuant confirmationes cardinalium electorum per supplicem libellum petitae, et a sancta Sede ex gratia concessae, adeoque electionem cardinalis protectoris ad eamdem sanctam Sedem pertinere, a qua, veint a fonte, omnis manat jurisdictio.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 6. Ut autem haec omnia perpetuo firma sint, volumus praesentes Nostras literas nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut alind quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutione Pii IV., aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, aliisve etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis

autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 24. aprilis 1787. Anno XIII.

DCLV.

Derogatio capitularis ordinationis anni 1680 qua statuitur, ut eligendi in magistros novitiorum per triennium munere abbatis functi sint.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Nec facilitati, nec incostantiae adscribendum est, si quandoque pro rerum necessitate diverso licet modo aliqua disponantur: ea est enim infirmitatis humanae misera conditio, ut raro contingat, tam scite, tamque prudenter, quae agenda sunt definire, quin cito ex rerum usu, immutanda, aut penitus etiam sint revocanda; quamobrem cum dilecti filii monachi ordinis sancti Basilii Magni provinciae Castellae in capitulo provinciali anno MDCCLXXXVI. habito coacti Nobis nuper exponi fecerint, quod alias in capitulo provinciali eorumdem ordinis, et provinciae in mense maji anni MDCLXXX. habito de unanimi tunc existentis abbatis generalis commissarii, et visitatoris apostolici, aliorum vocalium consensu inter caetera nedum magistro novitiorum pro tempore existenti monasterii Matritensis jus suffragii in capitulis provincialibus dictae provinciae concessum fuit, sed etiam constitutum, ut officium hujusmodi deinceps iis monachis dumtaxat concederetur, qui per solidum triennium munere abbatis laudabiliter functi essent, quae quidam capitularis ordinatio subinde per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negociis praepositorum sub die XXVII. augusti MDCLXXXIII. fuit auctoritate apostolica confirmata, et ad haec usque tempora inviolabiliter observata; cum tamen in eadem provincia plurimis de causis ex difficillimis hisce temporibus emergentibus deficiant monachi, qui ad subeundum tam difficile munus idonei sint, eaque propter dicta capitularis ordinatio, qua numerus etiam monachorum ad id munus deputandorum, magis magisque coartatur potius quam utilis, ac proficua, immo exitiosa, ac noxia videatur, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor derogationis.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, memoratam capitularem ordinationem dicti capituli provincialis anni MDCLXXX. in ea tantum parte, qua, ut monachus officio magistri novitiorum praeficiendus per solidum triennium munere abbatis functus sit, requiritur, auctoritate apostolica, tenore praesentium annullamus, cassamus, abrogamus, et abolemus, viribusque, et effectu vacuamus; sicque deinceps ab abbate provinciali cum definitoriis, ac in casu obitus, caeterorumque hujusmodi a solo abbate provinciali per modum provisionis usque ad capitulum definitorium illi monachi erunt in magistros novitiorum dicti monasterii Matritensis eligendi, quos ad grave munus hujusmodi subeundum idoneos reputaverit, etiamsi nunquam in abbates fuerunt electi, aut triennium non compleverint.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non capitulari ordinatione praedicta etiam, ut praefertur, auctoritate apostolica confirmata, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quarta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

DCLVI.

Dat. Romae 27. aprilis 1787. Anno XIII.

Confirmantur decreta circa controversias super nonnullis praeeminentiis inter linguam provinciae hospitalis s. Joannis Hierosolymitani ex una, et alias linguas dicti hospitalis ex altera partibus exortas edita.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Memorantur privilegia tributa singulis nationibus, seu linguis ad publicam quietem servandam in ordine.

§. 1. Militaris ordo sancti Joannis Hierosolymitani, in quem variarum nationum milites probata generis nobilitate illustres recipiuntur, ab antiquis temporibus optime novit, quam consonum justitiae, quam fovendae, conservandaeque tranquillitati opportunum foret, si certis magno magistro attributis praerogativis, et praeeminentiis, praecipua alia officia, et munia ita inter ipsas nationes, seu ut vocant, linguas partirentur, ut inde singularum etiam praeeminentiae constitutae censerentur. Rebus ita dispositis, adeo sollicitus, adeo studiosus quisque eorum fuit in tuendis propriis praeeminentiis, ut nil revera magis publicam ordinis quietem turbare potuisset, quam si de aliqua mutatione circa eas facienda actum esset. Hinc Romani pontifices praedecessores Nostri, qui modis omnibus testatam fecerunt paternam in Domino charitatem erga inclytum hunc ordinem de christiano nomine optime meritum, nedum ratam habuerunt hujusmodi providam regiminis rationem, sed etiam ne quid contra eam a quopiam fieret, opportune praecavere, et prohibere, obortasque quandoque difficultates, et dubia conciliare, et dirimere studuerunt. Et Nos ipsi initio Nostri pontificatus decretum de habendo generali capitulo apostolica quidem auctoritate approbavimus: ut Nostris literis in forma Brevis motu proprio die xxi. octobris MDCCLXXV. editis inhibuimus, ne de linguarum, aut magni magistri, et magisterii praerogativis, et praeeminentiis in illo tractaretur, aut quidpiam omnino statueretur, et mandavimus ut quidquid de iisdem praerogativis, et praeeminentiis tractandum esset, aut si quid circa eas novi, aut dubii, seu difficultatis incidisset, ad Nos, sanctamque Sedem apostolicam quamprimum deferretur.

Referuntur controversiae novissime exortae, et dubia decidenda.

§. 2. Pari igitur studio, et auctoritate cognoscendas, et decidendas esse censuimus controversias nuper exortas circa praeeminentiam linguae provinciae, cujus magnus commendatarius est pro sui praeeminentia administrator bonorum communis aerarii; itaut ab eo munere amoveri non possit; congregationesque pro tractandis negociis ad idem commune aerarium spectantibus, ab ipso, seu ejus locumtenente convocantur. Cum enim nonnulla dubia inter eos, qui hisce congregationibus intersunt, excitata fuissent circa administrationem bonorum ordinis sancti Antonii Viennensis ordini sancti Joannis Hierosolymitani a Nobis perpetuo uniti, cumque dilecti filii magnus magister, et consilium post relationem commissariorum, quos deputaverant ad hoc negotium examinandum, decrevissent; ut iidem commissarii una convenirent cum procuratoribus communis aerarii, et collatis consiliis deliberarent, ac referrent, qua potissimum ratione minui possent onera peculiaris eorumdem bonorum administrationis, aliaeque communis aerarii expensae, diem praemissae sessionis indixit bajulivus aliis dignitate antiquior, putans id juris sibi competere ratione

suae antianitatis; at dilectus filius bajulivus Despennes locumtenens magni commendatarii inde laesam arbitratus istius praeeminentiam imploravit magni magistri auctoritatem: verum re delata ad consilium, declaravit, commissionem, de qua agebatur, esse congregationem status; at deinde semel atque iterum decrevit, interpositae a lingua provinciae ad consilium completum appellationi non esse deferendum. Cum autem eadem lingua protestationem apud acta dilecti filii inquisitoris Melitensis fecisset, et ad Nos, sanctamque Sedem appellasset, magnus magister, et consilium obsequentem eorum voluntatem erga Nos, ferendumque a Nobis judicium patefecerunt, et in eam devenere sententiam, ut subsequentes sessiones ab ipso magno magistro convocarentur in suo palatio magistrali, ne praeeminentiis linguae, aliorumque, quorum intererat, quidquam praejudicii irrogaretur, et deputarunt in procuratorem ad hoc negotium, nomine totius ordinis apud Nos tractandum, dilectum filium bajulivum Sagramoso, qui demandato sibi munere solerti diligentia incumbere non omisit, ejusque petitionibus, quantum lex Nobis imposita a Deo optimo maximo jus suum unicuique tribuendi pateretur, annuentes, modum, et tempus praefinivimus linguae provinciae ad deducenda sua jura, pariterque, ne lis protraheretur, causam avocavimus a quocumque judice, et tribunali, et ad eam cognoscendam, et Nobis referendam deputavimus congregationem particularem compositam ex dilectis filiis Nostris Andrea sanctae Agathae in Suburra Negroni nuncupato Nostro pro-datario, Ignatio sanctae Mariae ad Martyres Boncompagni pariter nuncupato Nostro secretario status, Carolo sancti Hadriani Livizzani pariter nuncupato congregationis Aquarum praefecto Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus diaconis, ac magistro Paulo Aloysio Sylva in utraque Signatura Nostra referendario.

Judicium congregationis specialis deputatae pro cognitione controversiarum praedictarum

§. 3. Cum autem eadem congregatio, omnibus accurate perpensis, totius causae relationem Nobis fecerit, cumque Nos ipsi, quae hinc inde a partibus scripto proposita fuerunt, expenderimus, non solum, ut quale sit Nostrum circa expositam controversiam judicium, sed etiam, ut quid in posterum observandum sit ab omnibus decernamus, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, ac de consilio praedictae congregationis quamcumque litem, seu controversiam inter linguam provinciae, ac bajulivum Sagramoso, uti procuratorem a magno magistro, et consilio deputatum; motam, seu pendentem supprimimus, et extinguimus, ac suppressam, et extinctam esse declaramus, perpetuumque causae hujusmodi silentium imponimus; ac motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, volumus, praecipimus, et mandamus, ut omnino serventur decreta tenoris, qui sequitur videlicet.

Decreta lata pro definitione controversiarum praedictarum.

§. 4. Cum a statutis, aliisque ordinis legibus pro tractandis quibuscumque negociis, statum etiam quomodolibet respicientibus major, vel minor jurisdictio, et cura concessa, et concredita fuerit, linguis magistratibus, et congregationibus cujuscumque sint denominationis, et creatus senatus, seu consilium, quod censeri potest consilium status, nunc divisum in ordinarium, et completum, designatique viri consulares, seu consiliarii, quibus una cum magno magistro superior auctoritas pro iisdem negociis definiendis attributa fuit; hinc provida hujusmodi methodus pro recto totius ordinis regimine, et gubernio, jam legibus constituta, vel legitimis consuetudinibus probata omnino servetur, omniumque auctoritas, jurisdictiones, praerogativae, et praeeminentiae firmae, et illaesae maneant. Magnus vero magister, et consilium, quoties hujusmodi negocia (vel quia aliorum magistratuum tribunalium, et congregationum jurisdictioni, et curae non sunt commissa, vel quia jam praedicti magistratus, tribunalia, et congregationes suo sunt munere functae, vel alia a statutis, caeterisque ordinis legibus praescripta ratione) ad ipsos deferuntur, seu devolvuntur, poterunt commissarios, seu commissiones, quae quandoque ratione peculiaris negotii, de quo agitur, commissiones status dicuntur deputare ad ea examinanda, et consilio referenda; quae quidem commissiones si ita constitutae fuerint, ut omnino sejunctae ab ordinariis magistratibus injuncto muneri incumbant, sola praerogativa praeeminentioris inter nominatos commissarios attendenda erit. At si electi commissarii convenire debuerint cum aliquibus ex ordinariis magistratibus, ad quos juxta leges ordinis, legitimasque consuetudines pertinet circa eadem negocia jurisdictio, et cura, hujusmodi commissarii adjuncti censeantur, et

habeantur iisdem ordinariis magistratibus, ut nullum illatum sit istorum praeeminentiis praejudicium; sed omnia peragantur juxta consuetudinem camerae, tribunalis, seu congregationis, quorum magistratibus adjunguntur. Licitum nihilominus erit magno magistro, si id opportunum aliquando judicaverit, tum commissiones, tum cameram, tribunalia, et congregationes, cum ipsorum magistratibus adjuncti sunt commissarii coram se in palatio magistrali convocare, et pro sui praeeminentia dies, et horas sessionum indicere. Quibus ita sancitis nunquam propterea contra praeeminentias linguarum magistratuum, tribunalium, congregationum, et nominatim contra praeeminentias magni commendatarii, ipsius locumtenentis, et linguae provinciae circa administrationem bonorum communis aerarii, et convocationem sessionum diebus, et horis ab eodem magno commendatario, vel ipsius locumtenente designandis adduci poterunt, quae quandoque, et praecipue occasione istius controversiae acta sunt, tamquam earumdem praeeminentiarum laesiva; sed hujusmodi praeeminentiae, et praerogativae juxta legitimas consuetudines, statuta, ordinationes, et decreta omnino servandae erunt.

Clausulae salutares, et derogatio contrariorum.

§. 5. Decernentes has praesentes literas, ac praeinserta decreta, et quaecumque in eis contenta semper, et perpetuo ab omnibus inviolabiliter observari debere, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 16. maji 1787. Anno XIII.

DCLVII.

Approbantur lectiones propriae beati Sisebuti abbatis per monachos monasterii de Cardena, et universum clerum civitatis, et dioecesis Burgensis recitandae.

Pius pp. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Decretum sacrae congregationis Rituum editum super lectionibus recitandis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit venerabilis frater Josephus episcopus Burgensis, quod cum a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum usque a die xxx. aprilis anni MDCCLXXXV. officium, et missa de communi confessorum non pontificum cum oratione propria beati Sisebuti sancti nuncupati abbatis ordinis sancti Benedicti regii monasterii sancti Petri de Cardena ritu dup. min. pro monachis dicti monasterii, et ritu semiduplici pro universo clero dictae Burgensis civitatis, et dioecesis recitanda singulis annis die xv. martii in festo ejusdem beati Sisebuti fuerint concessa, et subinde per apostolicas in simili forma Brevis expeditas literas adprobata, et confirmata, idem Josephus archiepiscopus ad fovendam magis magisque devotionem erga dictum beatum Sisebutum in illis partibus vigentem, sequentes lectiones proprias secundi nocturni ejusdem beati Sisebuti, a dilecto filio Nostro Joanne Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Archinto nuncupato congregationis eorumdem cardinalium praefecto, et dilecto etiam filio magistro Karolo Erskine fidei promotore examinatas, et revisas, per dictos monachos, et clerum recitandas a Nobis approbari summopere cupiat, quarum quidem lectionum tenor est, qui sequitur videlicet.

In festo beati Sisebuti abbatis.

LECTIO I.

§. 2. Sisebutus Hispanus, relicta domo, rebusque patris Deo militaturus, coenobium sancti Petri de Cardena (quod religione, antiquitate, et ducentorum monachorum martyrio, et sepultura etiam hodie spectatissimum est,) petiit, ibique sub sancti Benedicti regula solemnem professionem emisit. Regularis disciplinae exactissimus cultor, sui ipsius, mundique contemptor, eam virtutis laudem fuit adeptus, ut in Gometii abbatis locum monachorum suffragiis suffectus fuerit. Abbas factus nil admodum in vitae ratione mutavit, sed caeteris omnium virtutum exemplar se ipsum exhibens, fratres ad perfectioris vitae studium verbo, et exemplo provocabat; quare sub Sisebuto abbate adeo monasticae vitae observantia viguit, ut non modo reges, sed proceres, caeterique fideles, certatim ad monasterium confluerent, seseque, ipsius, ac monachorum orationibus commendarent, eisque bona sua pro sustentatione fratrum, pauperum, et peregrinorum largirentur.

Lectio prima.

LECTIO II.

Lectio secunda.

§. 3. Itaque ex ipsius monasterii monimentis constat, nullum annum (ex vigintiquinque, quibus eidem praefuit Sisebutus) extitisse, in quo fideles haud parvam donationem non conferrent. Suspiciebant siquidem in eo, praeter virtutes reliquas, morum innocentiam, effusissimam erga pauperes largitatem, atque in omnes inexplebilem charitatem. Hujus vero nobile exemplum dedisse fertur, quum magnum illum virum, catholicae religionis clypeum, Rodericum Diaz de Vibar, id vulgo appellatum, ab Castellae, et Legionis rege Adelfonso exulare coactum, atque a regno suo pulsum, benigne recepit, ipsumque, et suos omni charitatis officio fuit prosecutus. Quare sub Sisebuti tutela, et cura uxorem Scemeriam, et filias in palatio, monasterio proximo, linquere non dubitavit. Verum ad majora intentus Sisebutus, utque Deo liberius serviret, praesulatu se abdicavit, sibique Sebastianum coadjutorem abbatem praeficiendum curavit.

LECTIO III.

Lectio tertia

§. 4. Sed, eo ad Legionensem sedem provecto, regimen abbatiale resumere cogitur, illudque per annos quinque sancte obivit. Tandem post plura virtutum insigna, sanctitatis fama illustris, ad coelestem patriam, quam unice optaverat, migravit anno Domini millesimo octogesimo sexto. Quae miracula vivens ediderit haud constat; quanti tamen illius aetatis monachi, et fideles ejusdem sanctitatem fecerint, plane testati sunt, dum ipsum in sepulcro lapideo, a caeteris discreto, atque in arcu cappellae sancti Jacobi postmodum collocato, condiderant. Mox ad ipsius sepulcrum magnus fieri coepit hominum concursus, sanitatis petendae causa propter crebra miracula, quae per servum suum operabatur Deus, inter quae illud literis commendatum extat, quod Maria Francha, quae paralysi laborabat, dum ad sepulcrum ejus devote preces funderet, mirabiliter fuerit sanitati restituta. Haec, ut acceptum beneficium advenientium oculis etiam repraesentaretur, cappellae sancti Jacobi, in qua tunc temporis sancti viri corpus colebatur, porticum adjunxit, pictisque imaginibus, miraculum exprimentibus, ornavit, redditus pro lampade, quae ante corpus ejusdem perpetuo arderet, assignavit.

LECTIO IV.

Lectio quarta.

§. 5. Pluribus ab ejus obitu transactis annis ipsius reliquiae translatae fuerunt, atque in ara maxima collocatae: postque varias earumdem translationes demum in cappella sub ipsius Sisebuti nomine Deo dicata, sub arae mensa in urna ex ligno ebeno, cristallo in antiqua parte ornata conditae magna fidelium veneratione coluntur. Jampridem, nondum translato corpore, ac deinceps multo tempore, quaqua die sabbathi ad vesperas monachi ad colendum Sisebutum cantu antiphonae, et orationis propriae conveniebant, atque nunc singulis diebus, quibus Salve Regina in honorem Deiparae solemniter decantatur, idem cultus beato abbati tribuitur. Quibus rite probatis sanctissimus Dominus Noster Pius Sextus missam, et officium die decima quinta mensis martii quotannis recitandum benigne indulsit.

Approbationis tenor.

§. 6. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur dictum Josephum archiepiscopum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, attenta relatione dilecti filii magistri Karoli Erskine praedicti, lectiones praeinsertas auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, illasque in posterum tam a monachi monasterii praedicti, quam ab universo clero civitatis, et dioecesis Burgensis die XV. martii in festo ejusdem beati Sisebuti recitari libere, et licite valeant, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, dictique monasterii monachis, et clero plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici audi-

tores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 8. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non monasterii, et civitatis, ac dioecesis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava maji millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLVIII.

Dat. Romae 22. maji 1787. Anno XIII.

Confirmatio donationis alicujus monasterii favore patriarcharum Antiochenorum Syrorum pro tempore existentium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum. §. 1. Exponit Nobis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum congregatio per dilectum filium magistrum Stephanum Borgia suum secretarium, quod venerabilis frater Ignatius Michael Giarve Antiochenus Syrorum patriarcha comparavit, acquisivitque sibi in Monte Libano, in loco Daraon nuncupato, monasterium, cui nomen sanctae Mariae Liberatricis imposuit, ibidemque nova construxit aedificia, eo animi sui proposito, ut tam monasterium, quam haec omnia in perpetuo sint, ac remaneant usu, tam suo, quam eorum, qui sibi deinceps succederent in Antiocheno Syrorum patriarchatu. Idcirco ab eadem congregatione postulavit, quo apud Nos suis verbis ageret a Nobisque imploraret, voluntati huic suae robur Nostrae auctoritatis adjungeremus.

Tenor concessionis. §. 2. Nos igitur praeter caetera ejusdem de catholica religione merita, ac etiam piae liberalitatis causa magnopere in illum propensi, ut ejusdem preces benigne excepimus, ita ipsas hujus sanctae Sedis gratia prosequendas esse non dubitamus. Itaque per hasce Nostras in forma Brevis literas apostolica auctoritate decernimus, volumus, ac mandamus, ut dictum sanctae Mariae Liberatricis monasterium, caeteraque bona ipsi annexa, et attributa ex ejusdem Ignatii Michaelis mente, tam praesentia, quam futura in superius memoratorum patriarcharum usu, et commodo in perpetuum esse, censerique debeant, ipsumque propterea monasterium cum caeteris bonis, quo magis in hac firmitate consistat, in sanctae hujus Sedis, Nostraeque de Propaganda Fide congregationis patrocinium recipimus, receptumque esse declaramus.

Poena imposita contra alienantes bona monasterii. §. 3. Deinde vero omnibus, et singulis personis, ne ullo umquam tempore quidquam ejus monasterii, et bonorum distrahere, et alienare sub quovis praetextu, causa, et quaesito colore audeant, vel praesumant, sub poena excommunicationis latae sententiae, a qua nemo, nisi a Nobis, seu Romano pontifice pro tempore existente absolutionis beneficium, praeterquam in mortis articulo constitutus obtinere valeat, per contrafacientes eo ipso absque alia declaratione, incurrenda, auctoritate apostolica interdicimus, et prohibemus.

Derogatio contrariorum. §. 4. In contrarium non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda maji millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLIX.

Dat. Romae 22. junii 1787. Anno XIII.

Declaratur patentatos quoscumque tribunalis sacrae Inquisitionis in insula Melitae uti non posse privilegio fori in causis mercimonia, naufragia, et decoctiones concernentibus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. §. 1. Decet Romanum pontificem, qui aequitatis, et justitiae est summus assertor, ac vindex privilegia, quae alias a praedecessoribus suis justis de causis certis personis fuerunt concessa, quatenus ea ob nonnullorum fraudes, et abusus in perniciem reipublicae, et status convertantur, ea, aut interpretare, aut moderare, aut etiam aliquando penitus abolere, ac tollere, prout pensatis rerum, ac temporum vicibus, in Domino expedire dignoscitur.

Expositio precum, et ratio declarationis. §. 2. Exponi nuper fecit dilectus filius Emmanuel de Rohan magnus magister hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani mercatores in civitate, et insula Melitae sibi subjectis commorantes gravissimis incommodis affici ex eo, quod illorum debitores, caeteriquae sui contradictores cum plerumque sint privilegiati, et patentati tribunalis sacrae Inquisitionis Melitae etiam in causis commercii ad nectendas in limine, ut in progressu judicii inutiles moras privilegium fori alias a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris patentatis hujusmodi concessum allegare, ac tribunalia ad causarum hujusmodi promptam decisionem, et definitionem, prout controversiae qualitas exigere videtur, Melitae erecta declinare solent. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat publicae utilitati, ac mercatorum tum nationalium, tum exterorum utilitati quam maxime intersit, ut causae hujusmodi citius, quo fieri potest, juxta illarum indolem, et naturam finiantur; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Declaratio-nis tenor. §. 3. Nos igitur, ut eidem Emmanueli magno magistro paternae Nostrae charitatis, qua illum in Domino prosequimur, testimonia identidem praestemus, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut in posterum, ac futuris perpetuis temporibus privilegiatis, seu patentatis hujusmodi cujuscumque generis sint, etiamsi de illorum specialis mentio esset facienda, ac nemini illorum in causis, et negociis mercimonium, naufragia, et foro cessionem concernentibus, cum illarum annexis, connexis, emergentibus, incidentibus, et dependentibus fori privilegium eis, ut praefertur, quomodolibet concessum allegare, ac a tribunalibus ordinariis Melitae erectis declinare minime liceat, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus, constituimus, atque mandamus.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod generalia, et alii inquisitores, caeterique praedicti, et alii quicumque etiam specifica, et individua mentione, et expressione digni, in praemissis jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, vel audlti, neque causae propter quas praesentes emanariut, sufficienter adductae, specificatae, verificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque etiam quantumvis legitima, juridica, pia, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali, individuamque expressionem requirente, ac inexcogitato, et inexcogitabili defectu notari, impugnari, modificari, limitari, infringi, retractari, vel invalidari, ad terminos juris reduci, sive in controversiam vocari, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, vel intentari, seu impetrato, aut etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, vel emanato quempiam in judicio, seu extra illud uti, seu se juvare nullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac sibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis, ad quos spectat, et in posterum quandocumque spectabit inviolabiliter, et inconcusse observari. Derogatur cuilibet remedio juris, quod invocari posset adversus praesentes literas

§. 5. Sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam Clausula sublata, et decretum irritans.

de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, nec non generalem, caeterosque inquisitores praedictos, et alios quoslibet quacumque praeminentia, et potestate fungentes, et functoros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis etiam in favorem sancti Officii Melitae, illiusque, inquisitorum etiam generalium, ac officialium, et ministrorum quorumlibet, per quoscumque Romanos pontifices praedecessores Nostros, ac Nos, et Sedem praedictam sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, ac consistorialiter, et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et quantiscumque vicibus approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda junii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLX.

Dat. Romae 10 julii 1787. Anno XIII.

Facultates ad perficiendum nosocomium Imolense cardinali Chiaramonte episcopo Imolensi tributum.

Dilecto filio Nostro Gregorio Barnabae Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Chiaramonte nuncupato ex indulto, et dispensatione apostolica episcopo Imolensi.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Laudes cardinalis Bandi episcopi Imolensis qui nosocomium pro infirmis erexit.

§. 1. Inter multa, eaque splendida pietatis, religionis, ac pastoralis sollicitudinis monumenta, quibus de ista ecclesia Imolensi, ac gregi sibi credito, Joannes Karolus dum vixit, Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Bandi nuncupatus ex indulto, et dispensatione apostolica episcopus Imolensis bene, optimeque meritus fuit, animi sui charitas, et misericordia in aegrotos, ac infirmos praetereunda profecto non est, qua petentibus omnium ordinum civibus nosocomium, seu valetudinarium Imolense, quod nimis angustum, incommodum, ipsique infirmorum saluti perniciosum esset, in ampliorem, ac salubriorem locum transferre constituit.

Facultates concessae pro colligenda pecunia ad inceptum opus perficiendum necessaria.

§. 2. Cum autem Nos, veti, ac consilii sui hujusmodi participes fecerit, ut ea facile ad exitum producere posset opem gravissimis sumptibus fere non recusavimus, eaque propter per Nostras in simili forma Brevis diei decimae aprilis MDCCLXXXI. expeditas literas plures, atque plures facultates ei impertiti sumus, prout in eisdem literis uberius continetur. Ast morte praeventus, tam utile, ac pium incoeptum consummare non potuit; itaque cum circumspectionem tuam interim eidem ecclesiae Imolensi in episcopum praefecerimus, tuum hinc erit nosocomium, seu valetudinarium hujusmodi, quo memoratus Joan-

nes Karolus modo aggressus fuerat, perficere licet longe grandior summa in id requiratur, quam a primo calculata fuerit, utque facilius opus hujusmodi a te perfici possit, Nos de tua prudentia, integritate, fide, religionis zelo, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confisi, supplicationibus tuo Nomine hisce desuper humiliter porrectis inclinati; circumspectioni tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut omni cura, ac sollicitudine nosocomium, seu valetudinarium hujusmodi omnino absolvi, et adimpleri studeas. Nos enim amplam tibi facultatem concedimus, ut foenebrem peculam ea de re libere, ac licite contrahas, et accipias, totque in praediis, fundisque veteris nosocomii, quod vocant sanctae Mariae de Scaletta alios passivos census imponas, quot scilicet necessaris totius perficiendi, absolvendique valetudinarii ratio exigere videatur.

Conditiones adjectae. §. 3. Praecipimus tamen, ut annui passivorum censuum fructus quam diligenter persolvantur, et non nihil etiam quotannis adhibeatur in sortis, capitisque diminutionem. Potes quoque delegata auctoritate Nostra, quatenus jam a dicto Joanne Karolo cardinali factum non fuerit, fundos ejusdem loci pii sanctae Mariae de Scaletta permutare cum aliis, quos ad novum aedificium, ejusque aream, ambitumque construendum, perficiendumque opportunos esse cognosces, atque ipsum potes vetus nosocomium distrahere, ecclesiamque ejus, servata sacrorum canonum forma, prophanare, quin tenearis ullam in his omnibus veniam, et placitum impetrare.

Omnes sodalitates, et loca pia dioecesis, et civitatis subjiciuntur taxae imponendae pro erectione nosocomii. §. 4. Insuper omnimodam tibi potestatem facimus, ut sodalitia, et loca pia civitatis, et dioecesis Imolensis ad aliam annuam contributionem cogas, quae in expensas, sumptusque aedificationis, vel in fructus censuum, aerisque alieni restitutionem cedere debeat. Nulla sodalitia, et loca pia (exceptis regularibus) immunia esse volumus ab eo tributo, licet posita sint in oppidis, ubi propria existunt valetudinaria, modo tamen haec ipsa extraordinariis subsidiis non egeant. Si quae vero loca pia, et sodalitia, illudque praesertim, quod nomine sanctissimae Crucis in civitate Imolensi, et in parochia sancti Ægydii, quatenus jam suppressum non sit, supprimenda, atque aliis unienda tibi videbuntur, id sane facias permittimus pro arbitrio, et prudentia tua. Curatores denique vero operi, aut jam a memorato Joanne Carolo cardinali deputatos confirmes, vel alios praeficias, quos magis putabis idoneos quia eos debeas a coetu, et collegio eorum adsciro, qui veteri praepositi erant nosocomio. Nos enim tibi omnes, et singulas facultates, quas alias dicto Joanni Karolo cardinali in dictis Nostris literis impertiti sumus, ac quamcumque aliam necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad opus praedictum perficiendum pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et exequendi, ac exequi mandandi facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectiva inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. *Clausulae roborate, et decretum irritans.*

§. 6. Non obstantibus iis omnibus, quae in dictis Nostris literis non obstare voluimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima julii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio. *Derogatio contrariorum.*

DCLXI.

Dat. Romae 24. julii 1787. Anno XIII.

Confirmantur quaedam articula ab apostolico nuntio apud Helvetios conventa de ac super provisionibus canonicatuum ecclesiae collegiatae sancti Petri, et Stephani de Berinzona Comensis dioecesis.

Dilectis filiis magistratibus pagorum Switensis, et Sottoselve.

Pius PP. VI.

Dilecti filii
Salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Romanus pontifex commisso sibi pastoralis officii debito, ubi ob exortas christianam *Prooemium.*

charitatem controversias inter fideles perturbatam esse animadvertit, ut ea omnia tollantur, quae animorum abalienationibus occasionem praebuere, curare tenetur. Quid porro si interdum aliqua adversus jura Romanae Ecclesiae meditentur? tunc Jesu Christi Domini Nostri mandata sectans, petenti tunicam, ei et pallium dimittit, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Memorantur contentiones subortae circa distributionem provisionum inter capitulares.

§. 2. Quamobrem simul ac ad audientiam Nostram pervenerunt turbae, ac contentiones, quae circa provisiones dignitatis archipresbyteralis, ac praebendarum, seu canonicatuum collegiatae ecclesiae sanctorum Petri, et Stephani de Berinzona Comensis dioecesis, tum ab illis capitularibus, tum a vobis, et a magistratu pagi Uraniensis dicti loci de Berinzona condominis eo excitatae sunt, quod vacanti canonicatui dictae ecclesiae per obitum bonae memoriae Francisci Sereni in mense maji anni MDCCLXXXII. de persona dilecti filii Bernardi Rusconi providimus, licet capitulum dictae collegiatae ecclesiae, cui nominatio canonicatuum in quatuor mensibus ordinariis dumtaxat spectabat, dilectum etiam filium cognominatum de Cusa illegitime nominaverit, cumque etiam in dicti canonicatus possessionem immiserit, ex eo tempore nihil Nobis potius fuit, quam ut motus hujusmodi, ut fieri a Nobis poterat cohiberemus, et penitus extingueremus.

Mandatum concessum nuncio apostolico de re componenda.

§. 3. Hinc in mandatis dedimus venerabili fratri Joanni Baptistae archiepiscopo Iconensi tunc Nostri, et Sedis apostolicae in dominio Helvetiorum, et Rhetorum nuncii munere fungenti, ut de re componenda sedulo ageret, et cum interim memoratus Joannes Baptista archiepiscopus in Nostrum, et Sedis apostolicae apud carissimum in Christo filium Nostrum Josephum archiducem Austriae Romanorum Bohemiae, et Hungariae regem apostolicum, et imperatorem electum nuncium designatus fuerit, venerabili fratri Josepho archiepiscopo Berytensi in locum dicti Joannis Baptistae archiepiscopi suffecto omnes facultates etiam plenipotentiarias tribuimus, et impertiti sumus, ut tandem susceptam concordiam perficeret, et quidem sub die decima quarta mensis aprilis anni millesimi septingentesimi octuagesimi sexti a vestris deputatis articula praeliminaria conventam pactionem concernentia, inter quae praesertim pactum fuit, ut memoratus Bernardus Rusconi in possessionem canonicatus, de quo fuerat a Nobis provisus, deduceretur, utque vobis de caetero, et magistratui pagi Uraniensis dicti loci de Berinzona condominis jus esset nominandi, ac praesentandi Nobis, et Romanis pontificibus pro tempore existentibus successoribus Nostris ad canonicatus, seu praebendas vacaturas dictae collegiatae ecclesiae sanctorum Petri, et Stephani, subscripta utrinque fuere, quae sunt tenoris, qui sequitur:

§. 4. I. Che sia a carico dei signori lodevoli cantoni di dare il pieno possesso al canonico Bernardo Rusconi nel canonicato conferitogli dalla santa Sede, rimettendolo in grazia dei suoi sovrani.

Tenor initae conventionis

II. Che Sua Santità si degni conferire al signor canonico Sacchi la vacante arcipretura; e i restanti canonicati, che vacano, siano di libera collazione de' tre lodevoli cantoni condomini.

III. Che l'arcipretura come dignità principale della collegiata sia sempre riservata alla santa Sede; ma essendovi un soggetto capace in quel capitolo, venga questi prescelto dalla Santità Sua, altrimenti sia eletto un cittadino di Bellinzona.

IV. La Santità di Nostro Signore cederà graziosamente gli otto mesi apostolici a lui riservati, alla libera collazione degli illustrissimi tre lodevoli cantoni, Urania, Snitto, e Sottoselva.

V. Che li nominandi alli canonicati da vacare in appresso, e da conferirsi dai tre lodevoli cantoni condomini debbano esser forniti delle testimoniali dell' ordinario, e debbano spedir le Bolle nella Dateria Apostolica, e per minorare la somma di detta spedizione dei canonicati, non meno, che dall' arcipretura, si accorda l' espressione nella supplica di ducati d' oro ventiquattro di camera di fruttato.

VI. Si eccettua però nella graziosa cessione, che fa la Santità di Nostro Signore ai tre lodevoli cantoni i casi di affezione, o di morte in curia.

VII. Che non nominando i detti tre lodevoli cantoni ai canonicati da vacare nello spazio di quattro mesi, s' intenda devoluta liberamente la nomina de' medesimi alla santa Sede.

VIII. Le coadjutorie, o rassegne di qualunque canonicato non si ammetteranno dalla santa Sede, senza il pieno consenso dei tre lo-

devoli cantoni, e del capitolo, o della maggior parte di esso.

IX. Che gl' illustrissimi signori deputati de' lodevoli due cantoni Soitto, e Sotteselva qui presenti a nome delle rispettive loro supremo, si obblighino di garantire il presente trattato, seguita che ne sia l'approvazione delle suddette supreme.

X. Che in termine di due mesi debbano li signori deputati qui sottoscritti riportare l' approvazione delle prelodate rispettive loro supreme, come altresì monsignor nunzio dovrà riportare quella di Sua Santità.

Dato in Lucerna nel palazzo di residenza di S. E. R. monsignor nunzio li 24 aprile 1786.

G. arcivescovo di Berito, e nunzio apostolico.
F. L. V. Weber
T. V. H. Gedlinza
C. R. Kezsot.
Franc. Ant. Wyrschyra.

Confirmatio apostolica pro observantia conventionis.

§. 5. Quapropter cum Nos articula hujusmodi rata itidem habere, stabilique firmitate subsistere, et inviolabiliter servari cupiamus, motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praeinserta articula a vestris deputatis subscripta, ut praefertur, tenore praesentium ratificamus, ac rata habemus, ac promissa per ipsum Josephum archiepiscopum, et nuncium Nostrum, et apostolicae Sedis plenipotentiarium in articulis praedictis sincere, et inviolabiliter ex Nostra, ejusdemque Sedis parte adimpletum, et servatum iri in verbo Romani pontificis promittimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Decernentes praesentes literas nullo umquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quocumque quantumvis magno, et inexcogitato defectu notari, et impugnari posse, sed semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac inviolabiliter observari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus Nostris, et apostolicae cancellariae de jure quaesito non tollendo, aliisque regulis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum specialiter, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXII.

Dat. Romae 24. julii 1787. Anno XIII.

Ad restituendam pacem in congregatione sancti Mauri Galliarum ordinis sancti Benedicti mandatur, ut extraordinarium capitulum non servatis statutis dictae congregationis cogatur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Francorum regis christianissimi Nobis expositum fuit, quod, cum dissidia, quae jamdiu ordinem sancti Benedicti congregationis sancti Mauri Galliarum in plures partes miserrime scindunt, eo pervenerint, ut regularis disciplina in eo penitus collapsa jaceat, in summum propterea congregatio hujusmodi, caeteroqui optime de Ecclesia merita, ruinae discrimen versatur, nisi prompte, ac efficaciter huic malo consulatur. Hinc cum hisce temporibus, nisi difficillime capitulum generale juxta praescriptum statutorum, ac ordinationum dictae congregationis pacifice convocari, et omnibus numeris absolutum haberi posset, cumque insuper, quae ad tranquillitatem restituendam hucusque adhibita sunt remedia in irritum cesserint.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos pro paterna charitate, qua congregationem praedictam in Domino prosequimur, illius conservationi, et augumento consulere, ac piis memorati Ludovici regis christianissimi votis annuere volentes, motu proprio, ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium constituimus, ac mandamus, ut hac vice dumtaxat, et in exemplum non trahenda extraordinarium capitu-

ium generale, non servatis constitutionibus, et statutis congregationis praedictae cogatur; utque in qualibet provincia dictae congregationis in domo ejusdem provinciae designanda capitulum provinciale ex omnibus alumnis dictae provinciae sacerdotibus habeatur, qui jam ab octo annis regularem professionem emiserint, cui antiquior professione praesidere debeat; in capitulo autem hujusmodi eligentur octo deputati, qui suffragium in proximo dicto capitulo generali ferant, fuerint nec ne, vel actu sint priores, dummodo tamen eorum electioni dictae constitutiones aliter non adversentur.

Praefinitio numeri vocalium admittendorum in capitulo.

§. 2. Cum primum omnes hi deputati insimul congregati erunt ab antiquiori professione capitulum generale aperietur, quod ex quadraginta octo vocalibus per sex provincias dictae congregationis, ut praefertur, deputandis erit constitutum, quin aliquis quocumque jure, aut privilegio, vel praetextu suffultus in eo jus suffragii haberi possit. Volumus praeterea, ut dilecti filii modernus superior generalis, nec non sui assistentes, ac visitatores actuales dictae congregationis ad locum, seu domum, in qua capitulum generale extraordinarium hujusmodi fuerit indictum, accedere omnino teneantur; ita tamen, ut eis capitulum ingredi minime fas sit, nisi sint ex deputatis, aut fuerint ab ipso capitulo acciti, ut de congregationis generatim, aut de provinciarum singillatim statu capitulum instruant. Tandem, ut in eodem capitulo generali sic coacto omnia regulariter fiant, ipsi omnes, et singulas facultates, quae a dictis constitutionibus capitulis generalibus attribuuntur motu, scientia, auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et impertimur.

Cavetur ne novae reclamationes excitentur pro administratione habenda usque ad convocationem novi capituli.

§. 4. Et ne ex juris, vel facti defectibus, qui circa guberuium, et administrationem spiritualem usque ad dictum proximum capitulum generale forsan intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, aut praetendi poterit, novis reclamationibus occasio praebeatur: Nos, certa scientia, et auctoritate paribus tenore praesentium supplemus, ac penitus sanamus; volentes, ut postquam dictum capitulum generale fuerit absolutum, constitutiones ejusdem congregationis iterum vigeant, utque futura comitia, ac capitula juxta dictarum constitutionum praescriptum omnino convocentur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae congregationis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta julii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo; pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXIII.

Dat. die 27. julii 1787. Anno XIII.

Unio bonorum seminario ecclesiastico civitatis Castelli.

Venerabili fratri Petro episcopo civitatis Castelli.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Expedit quam maxime animarum Christifidelium saluti, ut ad ecclesiarum parochialium regimen, qui digni sunt, quorumque prior vita, et in sacris disciplinis exercitatio spem afferat, eos non mercenariorum, sed vigilantium pastorum more sibi commissis ovibus sollicite consulturos, assumantur. Id autem tuto perficitur, si adolescentes, qui in sortem Dei sunt vocati, ad pietatem, et sacrarum doctrinarum studia in seminariis efformentur, bonisque moribus imbuantur. Itaque quum pastoralem fraternitatis tuae vigilantiam, ac sollicitudinem, dum in omnibus ministerium tuum imples, in Domino plurimum commendamus, tuis justis petitionibus libenti animo assensum praebemus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod quoties alicujus parochialis ecclesiae vacatio inter multas, quae in tua satis ampla dioecesi consistunt, contingit, admodum difficulter de idoneis rectoribus eis providetur, cujus incommodi originem in eo maximo statuendam esse jure arbitraris; quod tui dioecesani, cum tenuissimis, ac fere nullis opibus sint, suos filios in studia mittere nequeunt, ac episcopale tuum seminarium, ut in aedibus magnificum, ita bonis, ac redditibus valde inops, cum ea singulo quoque anno vix scuta ducenta annui vectigalis, detractis oneribus, fundant. Quod si auctis ejusdem seminarii redditibus major inde alumnorum numerus in eo recipi poterit, facile huic malo consultum itur, quandoquidem in seminario adulescentes, quorum indoles, et voluntas praeseferat ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros, ceu novellae plantae benigniori cura educati, et ad pietatem, religionem, ac literarum scientiam a teneris annis informati, cum postea ad laboriosa Ecclesiae officia vocati aruot, tamquam boni Christi ministri enutriti verbis fidei, et bonae doctrinae, quam assecuti sunt, Christifideles exhortari in sana doctrina, et eos, qui contradicunt, arguere, utilesque se exhibere poterunt. Quocirca gregis tuae curae commissi spirituale bonum quotidie excubas, humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui illorum curis, ac desideriis, qui in Nostros cooperatores in vineam Sabaoth vocati sunt, quantum in Domino possumus adesse exoptamus, tuisque votis annuere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, integritate, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut salvo jure, quo dilecti filii consilium, seu magistratus istius civitatis Nostrae Castelli, ut asseritur, utuntur, potiuntur, et gaudent, nominandi scilicet, ac deputandi magistros grammaticae, humanitatis, rethoricae, et philosophiae, ac salvo pariter stipendio ab eodem magistratu antecessoribus praedictis solvi consueto, hi deinceps non amplius ad publicum gymnasium convenire, sed seminarium ad instituendos, quilibet juxta suam disciplinam, tum illius alumnos, tum caeteros adolescentes inibi convenientes adire debeant, reservato tibi dumtaxat, et episcopis civitatis Castelli successoribus tuis pro tempore existentibus privativo jure scholas hujusmodi visitandi methodum a praeceptoribus in suis institutionibus tenendam praescribendi, ac horas, et dies, in quibus erunt habendae praelectiones assignandi auctoritate Nostra apostolica edicas, et statuas. Insuper, cum sicut accepimus, in loco, seu oppido de Citerna tuae dioecesis erecta existat confraternitas saecularis sub invocatione, seu titulo sancti Antonii, cujus onus est per annum aliquas solemnitates ecclesiasticas peragere, ac etiam sit quaedam haereditas Marrani nuncupata, cujus redditus ab episcopo civitatis Castelli pro tempore existente administrati in sacras missiones per dictam dioecesim explendas, et in spiritualia exercitia pro sacerdotibus in singulos annos facienda sunt erogandi, harum serie tibi injungimus, ut praescripto, praefinitoque numero sacrarum missionum, ac spiritualium exercitiorum, quae juxta dicti testatoris dispositionem in singulos annos per hanc tuam dioecesim erunt explenda, assignataque ea annua fructuum quantitate ad dictorum, aliorumque onerum satisfactionem, quibus dicta confraternitas gravatur, quae tibi in

Domino congrua, ac conveniens videbitur, quidquid inde ex confraternitatis, et haereditatis praedictarum proventibus supersit, tuo seminario, auctoritate praedicta perpetuo unias, ac incorpores, prout unitum, et incorporatum esse auctoritate, et tenore praedictis statuimus, ac mandamus. Tandem cum parochiali ecclesiae del Vignone nuncupatae haud valde dissitae ab hac civitate, licet vix quinquaginarum, aut sexagenarum animarum cura illi incumbat, nihilominus redditus, ac proventus annui valoris circiter scutorum tercentorum monetae Romanae sint, hinc quandocumque per cessum, vel decessum moderni rectoris dictae parochialis ecclesiae, aut alias quomodolibet ex illius persona parochia hujusmodi vacare contigerit, ex nunc prout ex tunc, et e contra illius congruam portionem ad annua scuta octoginta dumtaxat auctoritate, et tenore praedictis coarctamus, ac superextantes redditus eidem seminario addicimus, ac incorporamus. Quocirca deputatis, seu administratoribus seminario, ut vix sequuto obitu moderni rectoris dictae ecclesiae, vel sequuta alias quomodolibet ejusdem parochiae vacatione bonorum, et jurium quorumcumque ad illam quomodolibet spectantium possessionem, seu quasi possessionem, cum onere tamen persolvendi in duas, aut plures ratas novo rectori dumtaxat annua scuta octoginta monetae Romanae, per se apprehendere libere, ac licite possint, et valeant eadem auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Nos enim tibi quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, aut quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac confraternitatis, et parochialis ecclesiae, aliorumque etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum

quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima septima julii millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 3. augusti 1787. Anno XIII.

DCLXIV.

Declaratur obtinentes canonicatus, quibus juxta indultum san. mem. Pauli pp. III. adnexa est cathedra medica absque irregularitatis ecclesiasticae in cursu artem medicam profiteri posse.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrosancti apostolatus officium superni dispositione consilii humilitati Nostrae nullo licet meritorum Nostrorum suffragio, impositum salubriter exequi, adjuvante Domino jugiter satagentes, quae a Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris concessa fuere, quatenus ea dubia sint, declarare, vel etiam ea extendere, et ampliare non recusamus, ubi praesertim, et summorum principum vota, et Christifidelium utilitas accedant, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Memorantur constitutiones ad rem editae a Paulo III et Leone X.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Stanislai Augusti regis Poloniae illustris Nobis expositum fuit, quod alias felicis recordationis Paulus pp. III. praedecessor Noster precibus Sigismundi, dum vixit, regis Poloniae illustris annuens indultum alias a felicis recordationis Leone pp. X. praedecessore itidem Nostro ejusdem Sigismundi regis votis suffragans capitulo metropolitanae ecclesiae Gnesnensis, et illius suffraganearum Cracoviensis, Uladislaviensis, Posnaniensis, et Plocensis ecclesiarum concessum, quod, scilicet, de canonicatibus, praebendis, ac dignitatibus, personatibus, administrationibus, vel officiis earumdem ecclesiarum nemo in posterum provideretur, nisi qui de nobili genere ex utroque parente procreatos, et de legitimo matrimonio natos esse docerent, exceptis tamen quatuor canonicatibus, seu praebendis cujuslibet capituli hujusmodi, quos duobus in theologia magistris, et duobus in utroque jure, vel altero jurium doctoribus, et peritis, ac ad magisterii, et doctoratus gradus in aliqua universitate studii generalis promotis etiam non nobilibus reservavit, declarando, et ampliando voluit, ut aliem etiam canonicatum, seu praebendam non nobili, sed in facultate medicinae magistro in singulis capitulis conferri deberet, prout in literis hisce desuper in simili forma Brevis die decima sexta oct. MDXLIII. expeditis, quarum tenores praesentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

Preces porrectae a rege Poloniae pro obtinenda executione praedictarum constitutionum apostolicarum.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, licet indultum hujusmodi in regnis Poloniae vigeat, ac eo consilio concessum fuisse videatur, ut, nempe quemadmodum caeteri quatuor praebendati, seu canonici ad formam dictae concessionis a memorato Leone praedecessore factae, suas facultates docere tenebantur, sic etiam canonicus medicus in proximi utilitatem medicinam profitere deberet, nihilominus factum est, ut canonici hujusmodi scientes a sacris canonibus, et ecclesiasticis sanctionibus facultatem hanc exercere sine speciali Nostra, et hujus sanctae Sedis dispensatione clericis districte esse interdictum, ab illius professione se abstinuerunt; verum cum in regnis Poloniae admodum rari sunt medici, ut Christifideles accersere medicos haebreos cogantur, a quibus ut plurimum illuc ars hujusmodi profitetur, hinc cum incommodo hujusmodi aliquod opportunum remedium memoratus Stanislaus Augustus rex per Nos afferri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis op-

portune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis, cum suis adnexis conditionibus.

§. 4. Nos igitur ejusdem Stanislai Augusti regis precibus, quantum cum Domino possumus, annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, canonicis, seu praebendatis, nunc, et pro tempore existentes canonicatus, seu praebendas medicas, ut praefertur, a dicto Paulo praedecessore institutas in singulis dictis capitulis obtinentibus, ut ipsi perpetuis futuris temporibus artem medicam juxta illius praecepta (citra tamen membrorum incisionem, et adustionem, ac in regnis Poloniae dumtaxat) exercere, ac medicamenta, et alia necessaria praebere, et adhibere libere, ac licite, ac sine ullo conscientiae scrupulo, vel irregularitatis, alteriusque poenae, et censurae ecclesiasticae incursu possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictarum cathedralium ecclesiarum, quatenus opus sit, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus tamen, ut canonici, seu praebendati hujusmodi, quoties ipsi artem medicam hujusmodi profiteri contingat, nihil petant, sed a sponte dantibus dumtaxat, et a pauperibus vero admodum nihil recipiant, secus praesentes literae nullae sint, eique minime suffragentur. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die tertia augusti millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXV.

Dat. Romae 14. augusti 1787. Anno XIII.

Privilegium exemptionis a jurisdictione parochiali, sacramenta ministrandi, et cadavera sepeliendi alias universitati Sartorum civitatis Tudartinae concessum confirmatur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii universitas Sartorum, civitatis Tudertinae, quod ad caetera privilegia eidem universitati a diversis Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris alias concessa, accessit etiam illud, ut eorum ecclesia sub invocatione sancti Jacobi apostoli una cum domo, et hospitale pauperibus peregrinis excipiendis destinato a jurisdictione parochialis ecclesiae exempta esset, data insuper eisdem facultate, ut cum approbatione pro tempore existentis ordinarii in eadem ecclesia cappellanum retinerent, qui Christifidelibus in dicta domo habitantibus, nec non peregrinis praedictis sacramenta cum in vita, tum in morte administraret, ac cum jure in ipsa ecclesia cadavera sepeliendi. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ipsi exponentes, quo supradictum privilegium firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desiderent.

Tenor confirmationis privilegiorum.

§. 2. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, praedictum privilegium exemptionis videlicet, ut praefertur, a jurisdictione ecclesiae parochialis, sacramenta administrandi, et cadavera sepeliendi, dummodo ea omnia sint in usu, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro

tempore quandocumqoe spectabit pleuissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta augusti millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 24. augusti 1787. Anno XIII.

DCLXVI.

Confirmatio statutorum civitatis Trebii

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur quomodo publicum regimen male esset pertractatum in Trebensi territorio.

§. 1. Nil decet magis, quam ut quae oppida civitatis honore, tituloque cohonestata sunt, civili quoque cultu, certoque ordinum discrimine, ac politici regiminis distributione in reipublicae ornamentum, atque in rectam publicorum munerum administrationem componantur. Hinc cum primum per Nostras in simili forma Brevis die XXVIII. sept. MDCCLXXXIV. expeditas literas oppidum Trebii ad antiquum quo olim splenduit, civitatis honorem restituimus, visum est Nobis non modo opportunum, verum etiam necessarium novam methodum praestituere, qua in publica negocia, concinna quadam consensione cuncti collimarent, recto quidem uniuscujusque ordinis constituto discrimine. Nam cum antea nulla caetuum, nulla ordinum instituta distinctione cuncti tum et civitatis indigenae, cum et accolae pagorum; qui in Trebiensi territorio versantur, turmatim ad publica comitia confluerent, adeo perturbata erant omnia, et caeco quodam impetu pertractata, ut vix publici regiminis, concinnaeque rerum publicarum moderationis vestigium reperiretur; quod non modo dedecori erat civitatis, sed et maximo etiam detrimento, cum omnia perturbatione potius animorum, quam certo, maturoque consilio perficerentur.

Memoratur quanto maturo consilio processum fuerit in componendo novarum legum codice.

§. 2. Huic idcirco avertendo dedecori, incommodeque animum sedulo intendentes mandavimus dilecto filio Nostro Romualdo Sanctae Romanae ecclesiae diacono cardinali Braschio de Honestis, dum adhuc sac. palatii apostolici praefecti munere fungebatur, et ejusdem oppidi civitatis nuncupat. Trebii patrono, ut auditis probe singulis ordinibus, quibus coalescit tum oppidum, tum et territorium Trebanum institutaque recta; ac consentanea ratione jurium, quae in rebus publicis ad singulos spectarent, eam Nobis proponeret concinniorem methodum politici regiminis ipsius civitatis, quae cum quantum fieri posset minus laederet eadem jura, tum vero averteret incommoda, ac vitia inordinati illius, perturbatique systematis, quo res publicae Trebani populi agebantur. Cum vero memoratus Romualdus cardinalis, ut commisso sibi munere rectius faceret satis, geminos coraverit in publicis comitiis eligi actores, alterum ab incolis civitatis, alterum ab accolis territorii, qui eorum jura tuerentur, atque pro re nata exponerent, assiduam, vigilemque deinceps praestitit operam, ut illis, post iteratos saepe congressus, auditis, specimen enuclearet publici regiminis, quod commodius, atque utilius videretur. Opere tandem perfecto multo studio, exquisitaque diligentia, illud Nobis proposuit. Ne tamen quid in re adeo gravi praetermissum esset, dilecto filio magistro Philippo Campanelli auditori Nostro injunximus, ut specimen publici regiminis Trebani populi ita concinnatum, digestumque examini iterum, auditis denuo actoribus electis a civibus, et paganis, subjiceret, atque animadverteret, si quid esset, ex quo respublica detrimenti aliquid capere possei. Rebus probe rimatis, accersitisque saepe tum actore accolarum territorii, cum etiam dilecto filio Camillo de nobili familia de Valentibus a civitate ad urbem misso, ut haec negocia procuraret, idem Philippus auditor Noster retulit Nobis quidquid ipse ex diligenti, solertique pervestigatione animadverterat, ex quibus omnibus pro recta reipublicae administratione novarum legum codex compositus est tenoris, qui sequitur.

Tenor novissimarum municipalium legum.

§. 3. Lo stabile mantenimento di un lustro proporzionato all' onore di città, cui l' antica terra di Trevi è stata per beneficenza di Vostra Santità reintegrata, e le funeste conseguenze ivi sperimentate fino ad ora della niuna distinzione de' ceti, e della promiscua, e tumultuo-

sa ingerenza di tutti nell' amministrazione degli affari pubblici, hanno dimostrato la necessità di un nuovo sistema di polizia. La Santità Vostra si è degnata di commettermi che formassi il piano, imponendomi nella combinazione di esso tre condizioni. La prima di sentire le parti; la seconda di avere un proporzionato riflesso ai diritti dei nobili, dei cittadini, e degli abitatori delle ville; la terza di non ledere la giurisdizione di quei, che presiedono al regime sì ecclesiastico, che secolare. Avendo sempre presenti questi venerati comandi della Santità Vostra, dopo intese in voce, ed anche esaminate in scritto le riflessioni esibitemi, non solo a nome degli abitatori della città, e del contado, ma eziandio degl' individui, e dopo aver considerato l' antico sistema di polizia, ed il di lui stato attuale, ho creduto necessario di cominciare dal fissare in prima stabilmente gli ordini, ed i ceti diversi per proporzionare a ciascuno l' influsso nella polizia, e negli affari pubblici, in coerenza della provida legge della Santità Vostra di non privare affatto alcun ceto della partecipazione delle pubbliche cose.

CAPITOLO PRIMO.

Divisione generale dei ceti.

Divisio civium in tres classes.

§. 4. Mi sembra a questo proposito assai fondata la massima preliminare, approvata in ogni sistema di ben regolato governo, di formare cioè tre ceti primario, medio, ed ultimo, il primo dei quali sia composto di patrizj, o sia di primari cittadini, il secondo di cittadini semplici, ed il terzo di contadini, o sia abitatori delle ville.

Exceptio proposita contra praedictam distributionem.

§. 5. Si è fatta per altro da taluno qualche rappresentanza contro questa divisione, pretendendosi, che avendo da prima la terra, ora città di Trevi formato un solo corpo politico, ed una sola comunità con le sue ville, dovesse anche al presente considerarsi nella stessa maniera, e perciò senza distinguere il ceto dei contadini, ed abitatori dei castelli dagli altri, soli due ceti formare si dovessero di tutto il complesso degli abitanti della città, e del contado: il primo di patrizj ammesso alle magistrature, il secondo di consiglieri semplici, col restringere il numero di questi a sessanta, per evitare il tumulto dell' antico sistema, in cui tutti avevano luogo in consiglio.

Solvitur objectio.

§. 6. Io per altro crederei di non dovere in alcuna guisa valutare queste riflessioni, e di non abbandonare il piano della divisione dei tre ceti: primo perchè non dovendosi ora Trevi considerare come una terra, ma come una città, quantunque riguardo agli effetti territoriali, ed economici seguiti a formare un corpo con le ville; non ostante riguardo alla polizia, ed agli effetti civici, viene ad essere distinta, e separata da quelle. Secondo perchè sarebbe cosa mostruosa l' ammettere al godimento delle prerogative nobili, e civiche gli abitanti delle ville, e di considerare in sì fatta guisa per città egualmente, che Trevi, anche tutto il contado. Terzo: perchè questa promiscuità distruggerebbe quel sistema di polizia, di decenza, e di nobiltà, che si è avuto anche in vista d' introdurre in Trevi, con sublimarla al grado di città. Quarto finalmente, perchè la divisione di due soli ceti porterebbe l' immediato passaggio dall' ultimo al primo, senza passare per un grado intermedio troppo necessario al buon' ordine, ed all' equilibrio del sistema politico. In vista di ciò mi sono confermato nell' idea della necessità dei tre ceti di sopra accennati, sottoponendo peraltro sempre questo mio sentimento ai lumi della Santità Vostra.

CAPITOLO SECONDO.

Del ceto dei patrizj.

De patriciis.

§. 7. Per quello, che riguarda il presente stabilimento del primo ceto, cioè de' patrizj, ho creduto di fissare le seguenti massime del presciergli cioè.

Primo. Che dovessero trovarsi già domiciliati, e stabiliti con decorosa abitazione, e trattamento nella città.

Secondo. Che le loro famiglie avessero una possidenza in Trevi, o anche altrove rispettabile, e sofficiente per continuare un decoroso trattamento lungi dall' esercizio di qualunque professione non liberale.

Terzo. Che avessero per lo passato esercitate le pubbliche magistrature, e li primarj impieghi, e che si fossero distinti dagli altri, o perchè decorate di titolo feudale, e per l' esercizio d' illustri impieghi, o perchè di già ascritti alla nobiltà, e primaria cittadinanza di altre città.

Fattomi presentare l' elenco delle famiglie domiciliate in Trevi, ho trovato, che questi

requisiti si verificano bastantemente, e con giusto compenso di qualche accidentale mancanza in quelle che sono descritte nel seguente elenco, onde crederei opportuno per ora di formare con esse il ceto primario, e patrizio della città, cosicchè li gentiluomini di essa famiglie descritti nel medesimo elenco s' intendano al primario ordine predetto attualmente, e contemporaneamente aggregati.

Cathalogus familiarum patriciarum.

§. 8. ELENCO DELLE FAMIGLIE.

grado, e nomi.

Amici dottore Giuseppe.
Amici tenente Domenico.
Bovarini Michele.
Bovarini dottore Anton Maria.
Brunamonti Angelo.
Carrara Rodiani conte Innocenzo.
Carrara Rodiani conte Francesco.
Carrara Rodiani conte Mariano.
Cristallini dottore Mariano.
Cristallini Tommaso.
Mannarini tenente Carlo.
Natalucci Giuseppe.
Paglioni dottore Paolo.
Paolelli dottore Luigi.
Parriani dottore Francesco.
Petroni capitano Flaminio.
Piccini Angelo.
Piccini capitano Luigi Asdrubale.
Tonj Venturini capitano Anton Maria.
Valenti Alfonso.
Valenti capitano Pio.
Valenti conte Gio. Battista.
Valenti conte Filiberto.
Valenti conte Francesco.
Valenti conte Bolghero.
Valenti conte Tommaso.
Valenti conte Gio. Paolo.
Valenti conte di Rio Secco Paolo.
Valenti conte di Rio Secco Cammillo.
Valentini Arredi Antonio.
Valentini Arredi Giovanni.

De requisitis exhibendis ab iis, qui sunt recipiendi in ordinem patriciorum.

§. 9. Stabilito per ora sì fattamente il ceto nobile, per provvedere alle aggregazioni, che si dovranno in avvenire fare al medesimo ordine, credo necessaria l'osservanza esatta delle seguenti condizioni:

Primo. Che quello, il quale domanda di essere aggregato all'ordine patrizio giustifichi di aver compiuta l'età di anni venticinque.

Secondo. Che li suoi antenati non abbiano esercitata arte infame, nè contratta nota alcuna ignominiosa, o disonorante.

Terzo. Che esso non solo non eserciti alcun mestiere infame, ma nemmeno eserciti verun' altra professione non liberale.

Quarto. Che sia attualmente domiciliato in Trevi; che viva, vesta, e si tratti al pari delle altre famiglie del ceto patrizio.

Quinto. Che oltre il domicilio debba giustificare, che la sua famiglia per lo spazio di anni cinquanta sia dimorata in Trevi, ed ivi abbia goduto il grado di consigliero, o sia di cittadino del second' ordine, avendo esercitato i pubblici offizj a detto grado corrispondenti, senza permettere, che alcuno del terzo ceto, o sia degli abitanti del contado possa essere aggregato al primo, senza passaggio all'ordine intermedio, cosicchè niuno di essi possa essere ascritto al patriziato, se prima la di lui famiglia non sia stata ascritta all'ordine civico, ed ivi abbia esercitati gli uffizi per il suddetto spazio di anni cinquanta.

Sesto. Finalmente, che dovrà giustificare di possedere in qualunque sia luogo un capitale fruttifero non minore di scudi cinquemila, oltre la casa di propria abitazione.

De aggregatione alienigenarum.

§. 10. Riguardano queste condizioni gli stessi cittadini Trevani, che volessero passare all'ordine patrizio. Rispetto ai forestieri poi, che parimenti volessero domiciliarsi in Trevi, ed aspirare a questo grado, oltre i tre primi requisiti, ed il sesto comune a tutti, dovranno giustificare primieramente di avere acquistata una conveniente, e nobile abitazione nella città di Trevi, ed ivi essersi trasferiti; ed in secondo luogo, che la loro famiglia goda il grado di nobiltà, o almeno di cittadinanza continuata per lo spazio di anni cinquanta in quella città, da cui deriva, e derivando da una terra illustre, che sia una delle primarie famiglie della sua patria.

Consilio nuncupato di Credenza concedi-tur jus concedendi patriciatum.

§. 11. L'esecuzione delle suddette aggregazioni, osservando inviolabilmente l'enunciate leggi, apparterrà al consiglio di Credenza, come che composto di soli nobili, come si dirà a suo luogo, ed il medesimo avrà anche la libertà di concedere le aggregazioni meramente onorarie alle famiglie forestiere, le quali per tali aggregazioni di onore saranno esenti dalla prova del quarto, e del quinto requisito, dovendo però giustificare gli altri unitamente a

quello di esser nobili, o cittadini, quando siano domiciliati in città; e primarj della loro patria, quando questa sia una terra illustre, come si è detto di sopra delle famiglie, che in Trevi si trasferissero.

Quomodo ordo patriciorum augeri possit.

§. 12. Potrà siffattamente l'ordine patrizio accrescersi in appresso a qualunque numero, osservando gli accennati requisiti. Gl' individui per altro delle famiglie ascritti a quest' ordine (non intendendo mai di parlare delle onorarie, le quali niuna parte possono avere nelle cose pubbliche) non potranno essere ammessi all'esercizio se non arrivati all'età di anni venticinque, e con che proseguano a vivere, ed a trattarsi nobilmente, ed al pari degli altri del medesimo ordine patrizio.

Monitum ponderare.

§. 13. È da riflettersi per altro prima di terminare questo capitolo, che oltre le famiglie descritte nell'elenco de' patrizi, ve ne sono delle altre, le quali hanno fatta istanza di essere fine da ora ammesse a questo primario ceto. Ad alcuna però di esse manca il requisito di abitare in città, ad altre si contrastano gli altri requisiti. Sarebbe a queste grave la legge di aspettare cinquant' anni prima di potere essere ammesse al suddetto primario ceto. Perciò sembra opportuno di abilitarli a potere, senza aspettare questo lasso di tempo, essere immediatamente ammesse a quest' ordine, qualora si portassero ad abitare la città, e rispettivamente dimostrati quei requisiti, che loro si contrastano, al potessero spurgare da quelle objezioni, che loro si oppongono. Sono queste famiglie, che ambiscono a siffatto onore di un numero assai ristretto, e qualora piacesse a Vostra Santità, per evitare qualunque disordine, sarebbe opportuno, che desse facoltà al protettore della città di potere cotai famiglie, verificati i suddetti requisiti, aggregarle, anche dopo l'esecuzione di questo piano, immediatamente al primario ceto, con accrescere l'elenco delle suddette famiglie patrizie di sopra riferite.

CAPITOLO TERZO

Del secondo ceto dei cittadini.

De civium ordine.

§. 14. Nel formare questo secondo ceto si è avuto in vista di non ammettere al medesimo, se non quelle famiglie della città, che se bene lontane dall'esercizio di arti vili, a provvedute di un mediocre censo, abbiano goduto nel sistema passato l'onore delle pubbliche magistrature, non hanno per altro o quel lustro, o quella possidenza, e quella specchiata, ed antica politezza, di cui sono fornite le famiglie di primo rango, ed ho ritrovato esser le seguenti, che però ad oggetto di formare ora il ceto medio si riferiscono nel seguente elenco.

Cathalogus familiarum civium ordini adscriptarum.

§. 15. *Famiglie prescelte nel formare l'ordine dei cittadini consiglieri della città di Trevi.*

Bartolini notaro Emidio.
Bartolini dottore Luigi.
Catasti Vincenzo.
Ciccaglia Antonio.
Ciccaglia Salvatore.
Ciccaglia Crispolte.
Ciccaglia Angelo.
Corradi Giacomo.
Natili notaro Pietro.
Pariani notaro Loreto.
Pariani Domenico.
Palura Innocenzo.
Passarini notaro Gio. Battista.
Passarini Domenico.
Rossi Giuseppe.
Rossi Francesco.
Rossi alfiere Donato.
Tetti Giuseppe.
Tetti Antonio.
Tetti Vincenzo.
Ubaldi Francesco.
Velletrani Angelo.

Reservatio jurium favore eorum qui ad primam classem pertinere debere contendunt.

§. 16. Siccome per altro tra queste famiglie alcune ve ne sono, che allegando delle ragioni, contrastate per altre d'altronde, le quali non si sono potute peranche appurare, e richiedono come si è accennato di sopra, di essere ammesse al primo ceto; perciò senza derogare niente ai loro diritti si potranno riservare al più maturo esame le loro ragioni, ed i loro meriti, a quando da questo esame risulti la ragionevolezza della loro petizione, in conformità dei principj stabiliti si potranno, come si è detto nel fine del capitolo precedente, immediatamente trasportare nella classe dei patrizi togliendoli da questa, nella quale per ora si collocano.

De requisitis exhibendis ab eis, qui

§. 17. Fissate in simil guisa per ora le famiglie, e gl' individui componenti il secondo

Inter cives recipi cupiunt.

ceto, per ciò, che riguarda l'aggregazione da farsi in avvenire al medesimo di novi soggetti, si potranno stabilire le seguenti condizioni da osservarsi inviolabilmente dal generale consiglio, a cui apparterranno le suddette aggregazioni.

Primo. Di avere l'età di anni venticinque.

Secondo. Di non discendere da genitori poco onorati, ed infami.

Terzo. Di non esercitare personalmente arti meccaniche, ed abbiette, e di vivere, e trattarsi decentemente.

Quarto. Di essere domiciliato in Trevi, o almeno di avere ivi una comoda abitazione abitata da qualche individuo della famiglia.

Quinto. Finalmente di possedere dovunque siasi un capitale di scudi duemila almeno.

Gl'individui poi delle famiglie ascritte a questo secondo ceto, non potranno essere ammessi all'esercizio degl'impieghi annessi al medesimo, se non avranno l'età di anni venticinque, e non proseguiranno a trattarsi, e vivere onoratamente, e civilmente.

CAPITOLO QUARTO

Del terzo ceto degli abitanti nelle ville.

De tertio abitatorum coetu.

§. 18. Secondando in questa parte il passato sistema si è creduto di escludere da ogni pubblica rappresentanza quei, che esercitano arti meccaniche, e mestiere, e di formare perciò un terzo ceto cogli abitanti delle ville, e del contado Trevano, ad oggetto anco di non spogliare affatto quest'ordine di persone, dell'influsso che ha avuto finora nella polizia, ed economia pubblica.

Ratio constitutionis tertii coetus hujusmodi.

§. 19. L'oggetto fondamentale nello stabilire questo terzo ceto dei contadini, è stato di escludere quella moltiplicità d'individui, che tanta perturbazione ha prodotto nell'antico sistema, e di restringere il numero di quelli, che al consiglio generale, ed alle magistrature potessero aver luogo. Quindi si è creduto opportuno di formare questo terzo ceto di quei soggetti, che i quindici comuni, o siano castelli, e ville del territorio di Trevi crederanno espediente di scegliere, o presentare ad effetto d'intervenire alli consigli generali di Trevi, e ad occupare il quarto posto nella magistratura di cui si ragionerà a suo luogo.

Communitates et castra Trebensi territorio adnexa.

§. 20. Quindici sono li comuni, o sian castelli, e ville del territorio di Trevi, e sono.

Primo Fabbri. Secondo Fratta. Terzo Picciche. Quarto s. Lorenzo. Quinto Cannajola. Sesto san Luca.	Castelli
Settimo Pigge. Ottavo Bovara. Nono Pettino. Decimo Coste. Undecimo Ponze. Duodecimo Manciano. Decimoterzo s. Maria in Valle. Decimoquarto Parrano. Decimoquinto Matigge.	Ville

Eorum jus in consiliis generalibus.

§. 21. Questi quindici castelli, e ville avranno parte nei consigli generali, e nella magistratura della città di Trevi, e perciò manderanno due deputati per ciascun comune, ad oggetto di assistere a loro nome ai consigli generali, ed esercitare la magistratura.

De peculiaribus conventibus ab eis habendis.

§. 22. Ognuno degl'indicati castelli, e ville due mesi innanzi, che dalla città di Trevi si venga alla rinnovazione del bussolo dovrà adunarsi nella maniera che è stata solita da essi castelli praticarsi sino ad ora negli affari riguardanti il loro comune. Ad oggetto però di facilitare questa adunanza, dovrà il segretario pubblico della città, prima del tempo suddetto notificarlo ai massari di ciascun comune, e questi poi dovranno intimarla agl'inidvidui di esso. Quest'adunanza particolare dovrà tenersi, come appunto si è usato per lo passato, avanti il governatore di Trevi, coll'intervento del segretario pubblico di essa città, li quali *ex officio* presteranno la loro assistenza senz'alcun particolare emolumento.

De iis, qui activam vocem habent in peculiari conventu.

§. 23. In questa avranno luogo tutti i capi di famiglia, o pure uno per ciascheduna famiglia non minore dell'età di anni venticinque, purchè dimorino nel distretto del respettivo castello, o villa che costituisce l'adunanza suddetta. Interverranno eziandio non solo tutti quelli che sono originari di esso castello, o villa, ma ancora tutti quelli, che da cinque anni almeno sono in esso castello, o villa sta-

biliti. Non potranno bensì aver luogo quelli, che sebbene abitino nel distretto, pure non posseggono nè casa, nè terreni, ma sono semplici coloni, a pigionanti; come ancora restano esclusi dall' adunanza suddetta coloro, che esercitano mestieri infami.

De electione deputatorum

§. 24. Formata, che avranno la loro adunanza, la quale sarà valida allorchè sarà composta almeno della metà di coloro, che hanno diritto d' intervenirvi, i loro nomi verranno imbussolati, ed estraendone a sorte due, questi avranno il diritto di presentare i due deputati, quali dovranno intervenire ai generali consigli, ed esercitare la pubblica rappresentanza. Presentati in questa guisa i soggetti uno dopo l' altro si porranno a partito, e qualora vi sia chi o tenga più della metà dei voti, questi si avrà per legalmente eletto; qualora poi non vi sia chi ottenga i voti necessarj, o che uno, ovvero ambedue i nominati non voglino accettare, dovranno i nominati proporre altri soggetti, fintantochè si ottenga l' inclusiva. In caso poi che fra di loro nell' adunanza suddetta non convenissero nella scelta dei soggetti, e sia giunto il tempo della rinnovazione del bussolo, senza che l' adunanza suddetta sia venuta alla scelta dei deputati, sarà in libertà per quella volta soltanto del governatore di scegliere *ex officio* quello, o quei deputati, che gli sembreranno più idonei all' esercizio dei pubblici offici.

Conditiones servandae pro validitate electionis.

§. 25. Affinchè per altro la nomina, e la scelta dei soggetti sia valida, dovranno i comunisti suddetti le seguenti prescrizioni osservare.

Primo. Che non possa essere nominato chi è minore di anni venticinque.

Secondo. Che il nominato possegga almeno un capitale di scudi cinquecento.

Terzo. Che sia domiciliato nel territorio della città di Trevi, dando la libertà a ciascuna villa, di eleggere il deputato, o deputati anche di un altro castello, o villa, purchè nella medesima persona non concorrino più deputazioni.

De exercitio muneris deputatorum.

§. 26. Scelti in tal guisa legalmente i deputati, saranno subito all' incominciare degl' uffici abilitati ai loro rispettivi impieghi, o partando dei consigli generali, tutte le volte che questi dovranno adunarsi, ognuno di essi deputati sarà intimato, per ordine del magistrato *pro tempore*, in sequela di che dovranno i rispettivi deputati ritrovarsi nel palazzo priorale all' ora, che loro verrà prescritta nel suddetto intimo, ed ivi dovranno intervenire colla maggiore possibile decenza; ed adunato il consiglio generale, allorchè saranno proposte le materie avranno diritto di dare il voto, come ancora se ad essi piacerà di dire il loro sentimento, con buon' ordine, e senza far confusione, dopo però che gli arringatori avranno parlato. Le deputazioni dureranno due anni soltanto, vale a dire per tutto il tempo che durerà il bussolo della città. Terminato il biennio i rispettivi comuni si aduneranno di nuovo, e verranno alla scelta di altri deputati, ovvero confermeranno, qualora ad essi piaccia, i medesimi rispettivi soggetti.

De subrogatione deputatis defunctis, vel impeditis.

§. 27. In caso poi che durante il biennio alcuno dei deputati o per morte, o per inabilità di vecchiaja, malattia, o altro legittimo impedimento venisse a mancare, sarà in libertà del rispettivo comune lo scegliere nella maniera descritta, un nuovo deputato da supplire a quello, che manca fino alla rinnovazione del bussolo.

Monitum speciale.

§. 28. Questi diritti, e questa prerogative, che apparterranno per ora a ciascuna delle quindici descritte comunità del territorio di Trevi, potranno ancora appartenere a qualunque altro castello, o villa, che in appresso per qualunque altra ragione, o accidente potesse esser compreso nel territorio suddetto.

CAPITOLO QUINTO

Della magistratura.

De magistratu.

§. 29. Fissati i ceti componenti il corpo della città, il primo oggetto dove esser quello di stabilire la magistratura, che presiede alli medesimi ceti, ed al buon regolamento delle cose pubbliche comunitative. Per compire quest' oggetto secondo le viste manifestate nel provido rescritto della Santità Vostra, ho fissato per regola preliminare che ognuno delli suddetti tre ceti dovesse aver parte in questa pubblica rappresentanza; perlochè ho creduto di proporre il seguente piano.

De prioribus

§. 30. Il corpo priorale verrà costituito da quattro soggetti; li primi due saranno indispensabilmente dell' ordine patrizio, il terzo dell' ordine dei consigliei, o siano cittadini, il quarto ed ultimo sarà dell' ordine de' contadini. Quello dei due priori patrizi, che sarà il

primo nella rappresentanza, verrà distinto col nome di gonfaloniere, il quale godrà di tutti gli onori, e distinzioni, che al capo della rappresentanza convengono: gli altri tre pubblici rappresentanti verranno chiamati secondo, terzo, e quarto priore, ed il loro ufficio durerà un trimestre.

De juribus magistratus. §. 31. Apparterrà al magistrato dei mesi di ottobre, novembre, e decembre il diritto di proporre nei consigli di credenza, i soggetti che crederà idonei all' esercizio dei pubblici uffici per l' anno venturo, nominando uno, o più soggetti a suo arbitrio, li quali per altro dovranno avere l' approvazione del consiglio minore detto di credenza per esser ammessi, di modo che, se li nominati non otterranno due terzi de' voti, s'intenderanno esclusi, e il magistrato suddetto avrà il jus di nominare degli altri, e variare anche più volte, fintantochè si ottengano i voti necessarj per la inclusione, come meglio si specificherà in appresso, parlandosi dei consigli generali, e di credenza.

Idem ut supra. §. 32. Alli pubblici residenti *pro tempore* apparterranno eziandio tutti gli onori, emolumenti, e privilegi; ed altresì incomberanno tutti i pesi, ed uffici che godono, ed incombe alle magistrature di altre città, e che sono stati soliti di godere in passato, purchè alcuna delle dette cose non si opponga al presente sistema, il quale dovrà a qualunque altra consuetudine preferirsi.

Idem ut supra. §. 33. Da essi immediatamente, e non da altri dipenderanno tutti i famigli al loro servizio addetti, come ancora essi avranno il diritto privativo della convocazione dei consigli generali e di credenza per tutte quelle volte che il bisogno lo esiga, e che essi crederanno espediente di convocarli, dovendosi una tale convocazione fare per organo dello stesso magistrato, quando anche il consiglio generale, o di credenza dovesse convocarsi per ordine supremo; conchè per altro volendosi dal sig. governatore convocare un consiglio debbano i medesimi magistrati ciò immediatamente eseguire.

De loco in quo magistratus convenire debet. §. 34. Dovrà il magistrato adunarsi continuamente nel publico palazzo, ed ivi attendere di tutto ciò, che sarà di utile, e di decoro del pubblico, eseguendo le determinazioni dei consigli tanto generali, che di credenza, ed invigilando sopra i pubblici ministri, officiali, e proventieri, o sopra qualunque altro oggetto della polizia, ed economia pubblica affine di fare le opportune relazioni ai consigli generali, e di credenza, i quali dovranno rimediare a tutto quello, che col decorso del tempo potesse insorgere di disordine, dentro i limiti per altro dell' autorità, che può competere ad una comunità suddita, e dei suoi rappresentanti.

CAPITOLO SESTO

Del consiglio di credenza.

De consilio nuncupato Credenza. §. 35. Resta dopo tutto ciò a determinare la maniera di risolvere gli affari comunitativi nelle pubbliche adunanze. È sembrato a questo oggetto necessario di stabilire due consigli; uno minore per gli affari correnti, e che esigono sollecite determinazioni, chiamato perciò consiglio di credenza: l' altro maggiore, o sia generale per la risoluzione degli affari più interessanti. Il consiglio di credenza sarà composto di soli patrizi, aggiuntivi i quattro del magistrato, ed il governatore. Sarà esso formato di diciotto soggetti, dodici dei quali interverranno attualmente al consiglio, gli altri sei saranno gli spicciolati, che serviranno di supplemento in mancanza di qualcuno dei primi. Per la prima volta dopo la pubblicazione del presente piano, si crede opportuno di formare il consiglio di credenza coi seguenti soggetti da durare un biennio.

Conte Paolo Valenti.
Dottor Anton Maria Bovarini.
Giuseppe Natalucci.
Capitano Pio Valenti.
Dottore Giuseppe Amici.
Dottore Gaetano Cristallini.
Conte Gio. Battista Valenti.
Michele Bovarini.
Capitano Anton Maria Toni Venturini.
Conte Innocenzo Carrara Rodiani.
Capitano Asdrubale Piccinini.
Angelo Brunamonti.

Gli ultimi sei che potranno supplire, allorquando il consiglio minore non possa in sufficiente numero adunarsi, saranno i seguenti.

Dottor Paolo Paglioni.
Carlo Mannarini.
Dottor Francesco Parriani.
Dottor Luigi Paolelli.
Conte Cammillo Valenti.
Antonio Valentini Arredi.

De electione consiliariorum.

§. 36. In tutti gli altri bienni successivi però, si dovranno essi consiglieri prescegliere nel modo che segue. Nell'ultimo trimestre di ogni biennio si adunerà il consiglio di credenza: si nominerà dal magistrato, e consiglieri presenti un soggetto per ciascheduno, e dallo stesso magistrato si nominerà il resto dei soggetti fino al compimento di diciotto, tutti dell'ordine patrizio: questi si dovranno mettere in un bussolo, poi si estrarranno tutti a sorte; li dodici che sortiranno i primi saranno i credenzieri del biennio prossimo futuro, da incominciare sempre dal mese di gennajo; gli altri secondo l'ordine col quale saranno estratti, subentreranno in detto biennio nell'officio di credenzieri a quello, o quelli dei dodici che non potessero esercitare o per morte, o per inabilità di malattia, vecchiaja, o altro legittimo impedimento, per cui il detto consiglio non potesse in sufficiente numero adunarsi; si avvertirà per altro che in ogni biennio successivo, debbano essere nominati fra i diciotto primieramente quelli, che non hanno avuto luogo nel biennio passato, e rispetto agli altri che rimarranno sia in libertà la nomina come sopra. Si avvertirà inoltre che qualora mancasse il numero dei diciotto, allora si potrà restringere quello del supplemento, con fare che in vece di sei spicciolati ve ne siano di meno.

De excludendis a consilio.

§. 37. A questo consiglio non potranno essere imbussolati due fratelli, o altri di una istessa casa che vivono *pro indiviso*, ma se avranno formalmente diviso, potranno due, o più fratelli, ed altri essere contemporaneamente credenzieri, e considerarsi come individui di differenti famiglie.

De legitima consilii congregatione.

§. 38. Il detto consiglio di credenza non s'intenda legittimamente congregato, nè possa prendere determinazione alcuna, se non sarà in numero di dieci almeno, compresovi in detto numero il magistrato *pro tempore*, ed il governatore; e niuna cosa s'intenda legalmente risoluta, se da due terzi dei voti non sarà stata approvata. Bensì anche il governatore che presiede al detto consiglio avrà la facoltà di dare il suo voto, come si è costumato fino ad ora.

De juribus competentibus consilio.

§. 39. Apparterrà al detto consiglio l'elezione dei soggetti che si giudicheranno idonei alle seguenti deputazioni, come di revisore de' conti, avvocato, grascieri, maestri di strade, deputati dei sgravj. Queste deputazioni potranno essere comuni anche alli cittadini. Saranno privativi però dell'ordine patrizio li due officj di capocaccia, e di capitano della fiera, quali officj dureranno secondo il solito.

Idem et supra.

§. 40. Al detto consiglio di credenza sarà addossata l'immediata cura sopra il sagro monte di Pietà; ed essendo questa una delle cose più importanti, che interessa particolarmente il pubblico, la di cui amministrazione verrà affidata a due deputati o del primo, o del secondo ceto, da proporsi dal consiglio di credenza a nomina del magistrato, e da approvarsi in seguito dal consiglio generale, con due terzi de' voti, in guisa che non venendo approvati da questo, il consiglio di credenza ne debba proporre altri finchè si abbia l'inclusiva. Questi deputati poi o si obbligheranno solidalmente per la sicurezza del monte, prestando anche idonea sicurtà, oppure ciascuno di essi si obbligherà particolarmente, e darà una idonea sicurtà per il suo rispettivo dipartimento. Il loro officio durerà un biennio, e goderanno di quegli onori ed emolumenti, che hanno sempre goduto; proibendo per altro di confermare nel soddetto impiego la medesima persona per due bienni successivi. Nel fine poi del biennio saranno tenuti render conto della loro amministrazione, non escludendo per questo, che il consiglio di credenza non possa invigilare su di essi con chiamarli alli conti, prima ancora che spiri il detto biennio, e quando ve ne fosse bisogno.

De electione praeceptorum, et concionatorum.

§. 41. Lo stesso metodo indicato rispetto alla nomina, e rispettive elezioni dei deputati del monte di Pietà, dovrà osservarsi riguardo alli maestri di scuola, predicatori, come ancora riguardo alli pubblici salariati, ognuno dei quali verrà proposto dal consiglio di credenza, per esser quindi approvato dal consiglio generale.

De negociis in consilio pertractandis.

§. 42. Ed affinchè resti pienamente provveduto a tuttociò che può contribuire al buon regolamento ed ordine degli affari publici, potrà stabilirsi, che nella prima settimana di ciaschedun mese debba adunarsi il consiglio di credenza per esaminare tutti gli affari correnti, e vedere se i ministri, agenti, procuratori, ed altri subalterni abbiano adempiuto esattamente alle incombenze loro addossate, ed al dovere che seco porta il rispettivo officio di ognuno, e specialmente per quello riguarda alle liti, ed altri affari che bene spesso per in-

doleaza sono trasandati. Perciò in ognuna di queste congregazioni dovrà darsi sfogo dell'adempimento di qualche incombenza addossata nella precedente congregazione, per il quale effetto si dovrà formare un libro particolare, nel quale ogni volta venga registrato tutto ciò che si propone di fare, e ciò che si è fatto in esecuzione di quanto nella precedente congregazione erasi stabilito. Dovrà ancora in essa congregazione l'istesso magistrato render conto di avere eseguite tutte le risoluzioni consiliari, e darà sfogo dell'adempimento esatto dell'officio, che gli è addossato; avendo riflesso a tutto ciò che riguarda l'economia, la polizia, e buon servizio del pubblico, quali cose tutte dovranno esaminarsi in detto consiglio, e prendere in seguito le corrispondenti determinazioni.

Idem ut supra. §. 43. Sarà ufficio altresì di questo consiglio l'esaminare, e stabilire tutte le materie da proporsi nei generali consigli, ed in oltra avrà la facoltà di risolvere tutte quelle cose, che sono di poco momento, o che esigono un temporaneo, ed istantaneo provedimento.

Idem ut supra. §. 44. A questo medesimo consiglio apparterrà non solo l'esame dei requisiti di quelli, che domandano l'aggregazione all'ordine patrizio, e di aggregarli trovando il tutto ben giustificato in un processo da formarsi da due deputati a quest'effetto scelti, e destinati dal medesimo consiglio; ma ancora goderà della facoltà di accordare l'aggregazione puramente personale a qualche soggetto, al quale sebbene mancasse alcuno dei prescritti requisiti tuttavia si giudicasse cosa onorevole, e vantaggiosa lo aggregarlo per i suoi meriti personali, o per qualificazioni ecclesiastiche, civili, o militari ed altri titoli onorevoli, e decorosi, giacchè in questi casi un requisito luminoso equivale a tutti gli altri.

Idem ut supra. §. 45. Incomberà finalmente ai credenzieri di venir prima, che termini il biennio all'elezione ancora degl'imbussolatori. A questo effetto li credenzieri col magistrato, e col governatore *pro tempore* nel consiglio di credenza, che dovranno radunare dentro l'ultimo trimestre precedente ad ogni biennio, procederanno all'elezioni per voti segreti di sei gentiluomini dell'ordine patrizio dei più abili, e distinti. Sarà questa la forma dell'elezione. Ognuno delli priori nominerà successivamente un soggetto, il quale ottenendo l'inclusiva delli voti sarà imbussolatore, e così proseguirà finchè si venga a compire il numero di sei.

Idem ut supra. §. 46. Se poi alcuno, o più di uno rimanesse escluso, dovrà il priore nominante, venire alla nomina di altro soggetto, fintantochè si giunga alla legittima elezione dei sei imbussolatori suddetti.

De ordine servando in electionibus faciendis. §. 47. In queste nomine dovrà sempre cominciarsi dal gonfaloniere, e quindi si farà gradatamente passaggio agli altri secondo l'ordine di precedenza che ad ognuno compete, avvertendo che terminato il numero dei quattro del magistrato, si dovrà ricominciare collo stess'ordine, lo che si osserverà in tutte le nomine di questa specie.

CAPITOLO SETTIMO

Del consiglio generale.

De consilio generali. §. 48. Questo consiglio sarà costituito primieramente da tutti li patrizi abili per l'età ad interloquire ne' pubblici affari con la legge, che vivendo più d'uno di una istessa famiglia *pro indiviso*, uno solo possa intervenire, e dare il voto in detti consigli generali; se poi avranno formalmente diviso, sebbene più fratelli abitino la medesima casa, si considereranno come tanti individui di famiglie separate, e potranno tutti intervenire a detti consigli, e dare il voto. Interverranno ancora a detto consiglio tutti li cittadini, che a quest'ordine saranno stati aggregati, serbando però lo stesso regole, come si è detto di sopra, stabilite per li patrizi, che a detto consiglio generale devono intervenire. Finalmente avranno luogo in detto consiglio generale i trenta deputati, o siano li rappresentanti che saranno stati prescelti dalli rispettivi castelli, e ville del territorio di Trevi, come di sopra si è specificato.

De deputatis ecclesiasticis. §. 49. Finalmente per le sole materie, che appartengono al loro ceto, interverranno eziandio due deputati ecclesiastici dell'uno, e dell'altro clero, e prima di tutto dovranno proporsi le materie su di cui potranno i medesimi avere interesse, e se di esso avranno il voto consultivo secondo il solito, e terminato l'esame di esse dovranno dal detto consiglio partire, affinchè questo possa liberamente di tutte le altre materie da proporsi discorrere, e deliberare.

De numero eorum qui in generali consilio sunt admittendi. §. 50. Il numero degli ascritti a quest'ordine, compresi i trenta rappresentanti del con-

tade di Trevi, non dovrà esser minore di quaranta, bensì potrà accrescersi senza prefinizio ne alcuna, purchè nelle aggregazioni si osservino gli ordini sopra enonciati, e però incomberà al detto generai consiglio nelle occasioni, che vi saranno di coloro che faranno istanza per essere aggregati al ceto de' consiglieri, o sia dei cittadini, lo scegliere due deputati, i quali esaminino i loro requisiti, e riconosciutili conforme a quanto su tal proposito si prescrive, ne faranno l'opportuna relazione al general consiglio, da cui si prenderà, in vista della medesima relazione, la corrispondente risoluzione.

De legitima consiliorum generalium congregatione.

§. 51. I generali consigli non s'intendano validamente congregati, se li consiglieri non saranno almeno in numero di ventiquattro compresi li prieri, ed il governatore pro tempore, il quale dovrà sopraintendere a tutti li consigli, ed avrà in essi il solito voto in ogni preposizione, e risoluzione; e nessuna cosa s'intenda legittimamente risoluta, se prima non avrà riportato due terzi dei voti favorevoli.

De negotiis in generalibus consiliis pertractandis.

§. 52. Nei generai consiglio si risolveranno gli affari pubblici tanto nell'economico, quanto nel politico; ed affinchè le cose tutte procedano con buon ordine e metodo, e non nascano tumulti, e confusioni, ogni consiglio generale dovrà essere preceduto dal consiglio minore, o sia di credenza, ed in esso si proporranne, e discuteranno gli affari ordinari da risolversi in detto general consiglio, con che per altro ad ognuno del magistrato, sia lecito di fare nel consiglio generale qualunque proposta *super publica utilitate*. Dal numero dei credenzieri si estrarranno ancora due arringatori, cioè il primo ed il secondo, e questi comincieranno i loro arringhi nel consiglio generale: dopo li medesimi potrà ognuno dei consiglieri fare un'altra arringa, e dire il suo parere sulla materia proposta, bensì un dopo l'altro con ordine, e senza tumulto, al che dovrà singolarmente provvedere il governatore.

CAPITOLO OTTAVO.

Del bussolo, e degl'imbussolatori.

De bussolo efformando pro magistraturis.

§. 53. Dovrà formarsi il bussolo da servire per la magistrature di un biennio, e gl'imbussolatori saranno come si è detto sei gentiluomini dell'ordine patrizio, o sia de' gonfalonieri, fra li quali per questa prima volta, si nominano li seguenti.

Conte Cammille Valenti.

Conte Innocenzo Carrara Rodiani.

Conte Gio. Battista Valenti.

Capitano Antonio Maria Toni Venturini.

Dottor Giuseppe Amici.

Dottore Antonio Maria Bovarini.

In mancanza poi di alcuno degli sei indicati imbussolatori, si surrogheranno altri da estrarsi a sorte dal suddetto ordine patrizio nella già divisata maniera.

De interventione superiorum pro legitima bussoli compositione.

§. 54. Dovranno intervenire alla formazione del bussolo quei superiori che sono stati soliti intervenirvi per lo passato, e singolarmente il governatore di Perugia, o per se stesso, o per mezzo di un suo deputato. Tutti gl'intervenienti per altro, e principalmente il segretario, dovranno prestare il giuramento di mantenere il segreto e di non palesare mai nè ciò che si fa nella congregazione bussolare, nè i soggetti che sono stati imbussolati, e ciò a fine di evitare qualunque litigio, a motivo di gravame a quelli, che in qualunque maniera non avranno avuto luogo negli impieghi da distribuirsi in detta formazione di bussole.

De duratione bussoli.

§. 55. La durata di esso bussolo sarà di due anni, e la magistratura, o sia pubblica rappresentanza varierà ogni tre mesi. Ad effetto però di ben regolare le magistrature, e provvedere al maggior vantaggio della comunità dovranno gl'imbussolatori distribuirle in guisa, che il secondo priore del primo trimestre passi sempre ad essere gonfaloniere nel secondo trimestre, e così procedendo in infinito di trimestre in trimestre, sempre il secondo priore del trimestre antecedente sia gonfaloniere del trimestre che segue. In questa guisa vi sarà tra i pubblici rappresentanti sempre almeno uno, che sia inteso degli affari, che si erano incominciati a trattare, e non si correrà il rischio, che questi venghino trascurati, per non esservi alcuno tra i nuovi priori, che ne sia pienamente informato. Ed ecco (oltre la convenienza di qualche prerogativa per cui distinguasi il primo ceto dagli altri) il motivo pel quale si è proposto di formare di quattro persone il magistrato, e due di queste sceglierle tra i patrizi.

De vexillifero et prioribus.

§. 56. E siccome si è avvertito nel capitolo delle magistrature, che il corpo priorale deb-

ba essere costituito di quattro soggetti; vale a dire del gonfaloniere, e secondo priore dell' ordine patrizio, del terzo priore preso dall' ordine de' cittadini consiglieri, e del quarto preso dall' ordine de' contadini, così gl' imbussolatori devranno aver presente l' elenco di tutti i patrizj, che avendo l' età richiesta possono essere imbussolati per gonfalonieri, e secondi priori; come ancora l' elenco dei cittadini, che hanno i requisiti per essere imbussolati, ed occupare il terzo posto delle magistratura, e finalmente l' elenco dei contradini presentato dai respettivi comuni del contado di Trevi ad effetto di occupare il quarto, ed ultimo posto della magistratura.

De numero priorum.

§. 57. Per compiere il numero dei priori, che nello spazio di due anni ripartitamente di trimestre, in trimestre devono costituire il corpo priorale, si richieggono ventiquattro soggetti sciegliendone otto dal ceto patrizio, otto dal ceto de' consiglieri, o sia cittadini: otto finalmente dal ceto de' contadini, che per l' appunto formano il pieno di ventiquattro soggetti.

De distributione priorum.

§. 58. Questi ventiquattro soggetti devono essere ripartiti in otto distinte palle, in ognuna delle quali dovranno esservi descritti tre soggetti, vale a dire secondo priore del ceto dei patrizi, il terzo priore del ceto de' consiglieri cittadini, il quarto priore del ceto dei contadini, e formate in questa guisa le otto palle resteranno per un biennio impiegati ventiquattro soggetti, come si è di sopra avvertito.

De primo priore.

§. 59. Nelle palle suddette non si troverà registrato il gonfaloniere, o sia primo priore, e la ragione si è che il gonfaloniere, secondo ciò che si è detto, sempre sarà il secondo priore del trimestre antecedente.

Monitum peculiare.

§. 60. Dovranno per altro avvertire gl' imbussolatori, e sommamente invigilare nella distribuzione, e ripartimento de' soggetti che formano le otto palle, ed avere in vista la capacità, ed idoneità dei medesimi, ripartendoli con un tale equilibrio, relativamente all' abilità rispettiva di ciascheduno dei componenti, onde per ogni trimestre resti ben provveduto al vantaggio, e convenienza del pubblico.

De ordine servando in nominationibus peragendis.

§. 61. Rispetto alla nomina dei soggetti da imbussolarsi, ed alla rispettiva precedenza fra gl' imbussolatori, dovrà serbarsi l' ordine che siegue cioè: quello fra gl' imbussolatori, che nel consiglio di credenza sarà stato il primo ad essere nominato, ed approvato, incomincierà a nominare li soggetti da imbussolarsi, e secondo l' ordine con cui gl' imbussolatori sono stati nel consiglio di credenza scelti tutti ed approvati, faranno ancora le rispettive nomine, nominando un soggetto per cadauno, ed incominciandosi a scegliere i primi otto che dovranno essere gonfalonieri, si passerà poi alla nomina degli otto cittadini, e finalmente degli otto contadini, i quali tutti uniti compiono il numero dei ventiquattro. I nominati resteranno approvati tutte le volte, che fra li sei imbussolatori non ci sia chi faccia opposizione; ma se alcuno di essi si opporrà alla scelta di qualche soggetto, allora si porterà a partito il soggetto controverso, e dandosi un voto dal governatore di Perugia presente, o dal sei imbussolatori, se il nominato otterrà la pluralità dei voti, cioè quattro voti resterà approvato, in caso diverso sarà per quella volta escluso, ed il nominante dovrà indispensabilmente venire alla nomina di altro soggetto, senza ammettere perciò ricorso, appellazione, ed altro, volendosi che l' affare resti terminato nell' istessa congregazione, e se mai il nominante, al quale non si è approvato, ed ammesse un soggetto da lui proposto, non volesse perciò venire alla nomina di altro soggetto, allora il governatore *ex officio* nominerà per quello, che in qualunque maniera non vorrà nominare, non potendo assolutamente restar sospesa sotto qualsivoglia pretesto la rinnovazione del bussolo suddetto, la quale dovrà effettuarsi, non ostante tutte le opposizioni, che potessero nascere, rimettendo però alla saviezza, e prudenza di chi presiede, prendere nei casi che potranno darsi quei temperamenti economici, che si crederanno più espedienti.

Nominatio primi magistratus.

§. 62. Per rendere vieppiù chiaro il presente sistema si potrà nominare fin da ora il primo magistrato, che dovrà esercitare la pubblica rappresentanza per quel tempo che vi resterà dal momento in cui si dà esecuzione al presente sistema, fino al termine del corrente anno 1787., dichiarando che il corpo priorale per il tempo soddetto sarà costituito dagl' infrascritti individui cioè:

Alfonso Valenti. *Gonfaloniere*.
Cammillo Valenti de' conti di Rio Secco. *Secondo priore*.
Innocenzo Palura. *Terzo priore*.
Giuseppe Bonilli. *Quarto priore*.

Nominationes subsequentes.

§. 63. Volendosi poi, che il nuovo bussolo coll' incominciare dell' anno 1788 abbia il suo effetto, perciò per questa prima volta, quanto più presto si potrà si adunerà la congregazione bussolare, e colle regole enunciate si formeranno le otto palle, dalle quali una se n' estrarrà, ed i soggetti in essa descritti eserciteranno la pubblica rappresentanza nel trimestre di gennajo 1788. in compagnia del conte Cammillo Valenti, il quale essendo stato secondo priore nel trimestre antecedente passerà allora ad essere gonfaloniere.

De trimestralibus electionibus.

§. 64. Formate le otto palle suddette dovranno queste chiudersi dentro un bussolo, dal quale se ne dovrà estrarre a sorte una ogni tre mesi, cioè un mese in circa avanti che cominci ogni trimestre, e gl' individui in essa palla descritti eserciteranno la pubblica rappresentanza del trimestre prossimo futuro. Se mai accadesse che estraendosi una palla in essa venga descritto in qualità di secondo priore un fratello, o altro simile congiunto di quello, che nel medesimo trimestre deve essere gonfaloniere, per avere esercitato antecedentemente l' officio di secondo priore, affine di non vedere due fratelli, o simili congiunti in primo grado esercitare simultaneamente la magistratura, dovrà la detta palla riporsi nel bussolo, e venire all' estrazione di un' altra: se poi questo caso si desse nell' ultimo trimestre in cui non vi è altra palla da surrogare, in quel caso dal bussolo de' spicciolati dovrà estrarsi altro soggetto in luogo di quello che non potrà esercitare per essere il suo congiunto nel grado di gonfaloniere.

De admissione fratrum de eadem familia.

§. 65. Se in una famiglia istessa vi saranno due, o più fratelli, che vivono *pro indiviso*, o altri stretti congiunti sia in libertà degl' imbussolatori, se vorranno, includerli nel bussolo, bensì in palle distinte, bastando per la magistratura, che il nominato sia di quelle famiglie aggregate al ceto patrizio, e respettivamente quello de' consiglieri, e de' contadini.

De subrogationibus faciendis in coetu consiliariorum.

§. 66. Se nel decorso del tempo si desse il caso, che nel ceto de' cittadini consiglieri mancassero le famiglie, e per conseguenza de' soggetti abili all' esercizio della magistratura, cosicchè non si trovassero fra essi degl' individui abili ad occupare il terzo luogo della magistratura suddetta, si potrà in quel caso avere riflesso prima di tutti alle famiglie di campagna, acciò vengano prescelte quelle, che avendo una possidenza di scudi due mila non esercitano altro mestiere, che quello di coltivare i propri terreni, e questi in mancanza di famiglie di cittadini siano anteposti ancora ad altre famiglie, benchè dimoranti in Trevi, le quali però esercitando qualche mestiere abbietto, perciò non hanno ottenuto l' aggregazione a detto secondo ceto.

De bussolo nonenpalorum spicciolatis.

§. 67. Tutti quei gentiluomini poi, e consiglieri, e contadini che nel bussolo della magistratura non avranno avuto luogo, dovranno essere in bussoli separati tutti inclusi per spicciolati, facendo tanto il bussolo de' spicciolati dell' ordine patrizio, quanto quello de' consiglieri, e dei contadini da estrarsi rispettivamente secondo le occasioni, e le occorrenze. Ciò che è detto del bussolo risguardante la pubblica rappresentanza, dovrà parimente dirsi di tutti gli altri officj pubblici, per i quali oltre li soggetti nominati nelle debite forme di sopra indicate, dovranno eziandio esservi i spicciolati per supplire a quelli, che per legittime cause non potranno esercitare, ed i nomi di essi spicciolati verranno racchiusi in tanti bussoli separati, relativamente ognuno alli proprj officj, e tutti questi ben custoditi nella solita cassa potranno all' occorrenze essere estratti.

Monitum speciale.

§. 68. Terminato in questa guisa il bussolo, e chiuso nelle solite forme, come si è praticato per lo passato dovranno conservarsi gli atti del medesimo; e siccome per l' introduzione di questo nuovo sistema è necessario, che si formi il nuovo bussolo, per li due anni avvenire, perciò al consiglio di credenza, ed al magistrato per la prima volta nominato, si potrà dare la facoltà di adunarsi, e venire alla nomina di tutti gli officiali, come di sopra si è avvertito nella maniera, e forma già enunciata per il biennio avvenire, come ancora agl' imbussolatori si potrà concedere la medesima facoltà di potersi adunare nelle debite forme per la creazione del nuovo bussolo coll' assistenza del governatore di Perugia, o di qualunque altro verrà per questa prima volta delegato.

Conclusio.

§. 69. Questo è il sistema politico, che io ho creduto di sottomettere al purgato discernimento della S. V., da cui dipenderà di stabilire in appresso ciò, che crederà più opportuno. Avverto soltanto, che qualora piacesse alla S. V. di approvare il presente piano, gio-

verà il primo stabilimento, e la prima esecuzione del medesimo faria in maniera, che tutti i pubblici ufficj soliti a durare un biennio, ancorchè nelle divisate maniere si conferiscano prima dell' entrante anno, debbano peraltro portarsi fino al termine dell' anno 1789. Nè sarà meno necessario il dare anche, a chi si crederà dalla S. V. più opportuno, la facoltà per provveder sul principio alla convocazione dei consigli, ed a tutte le altre cose necessarie per la prima introduzione del medesimo sistema; come altresì potrà qualora lo creda la S. V., dare le medesime facoltà ad oggetto di aggiungere, e di moderare qualche cosa di minor momento, che potesse ravvisarsi necessaria per l' attuale esecuzione del presente sistema.

R. BRASCHI ONESTI

Confirmatio apostolica.

§. 70. Cum vero ex antedicta adeo accurata, novaque inquisitione perspexerimus rite, recteque cuncta fuisse digesta, atque enucleata, quibus consultissima publici regiminis methodus constitueretur, si modo ea in divisione ordinum, in magistratuum electione, in publicis comitiis, caeterisque hujusmodi rebus spectantibus ad publicum regimen servarentur, quae in praeinserto specimine fuerunt proposita, ut haec firmius subsistant, ac serventur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communienda esse arbitramur. Nos igitur motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine praeinsertum novarum de publica administratione legum specimen, et quaecunque in eo contenta tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabile apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus. Quocirca memorato Romualdo cardinali motu, scientia, auctoritate, et tenore praefatis mandamus, ut eamdem methodum publici regiminis per se, vel per alium ab ipso deputandum exequutioni committat. Quoniam vero animadvertimus non ita omnia posse animo praeverti, atque praemeditari, quin aliqua sint, quae elabantur, nonnulla etiam, quae vel cum res exequutioni committitur, vel temporum vicissitudinibus, aut minus opportuna, aut noxia, aut moderatione dignissima videantur, hinc eidem Romualdo cardinali, quae in eadem methodo proposita sunt, si opportunum videbitur, augendi, minuendi, et pro rerum, temporumque circumstantiis moderandi, excepto tamen numero consiliariorum castrorum, et villarum territorii, nec non excepto jure consilio generali attributo confirmandi ministros mercede conductos, ac demum excepta conservatione, et custodia actuum, qui in electione magistratuum peraguntur, in quibus nullam volumus fieri posse in posterum mutationem, plenam, et amplam facultatem motu, scientia, auctoritate, et tenore praefatis concedimus, et impertimur.

§. 71. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. — Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 72. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non oppidi civitatis nuncupat. praefatae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo, ad verbum nihil penitus ommisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. — Derogatio contrariorum.

§. 73. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam im- — Fides habenda transumptis.

pressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, ea prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta augusti MDCCLXXXVII. pontificatus Nostri anno decimotertio.

Dat. Romae 6. augusti 1787. Anno XIII.

DCLXVII.

Approbatio, et confirmatio nonnullorum decretorum editorum a cardinali Migazzi archiepiscopo Vacciensi pro meliori guberuio suae dioecesis.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Ex injuncto Nobis apostolicae servitutis officio super universas orbis ecclesias intuitum Nostrum extendentes, iu eis libenter, quae a praesulibus ecclesiarum hujusmodi pro eorum dioecesum utilitate, ac catholicae religionis incremento provide ordinata, et ad effectum pariter demandata esse comperimus, ut firma semper, et inconcussa persistant apostolicae approbationis, maxime si in iis personarum regia potestate fulgentium vota adjungantur, firmitatem adjicimus, prout in Domino conspicimus expedire.

Expositio precum porrectarum a regina Bohemiae, et Hungariae. §. 2. Cum itaque Nobis nuper charissima in Christo filia Nostra Maria Theresia imperatrix vidua, ac Boemiae, et Hungariae regina apostolica per suas regias literas exposuerit, quod dilectus filius Noster Christophorus Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Migazzi nuncupatus, ac ex concessione, et dispensatione apostolicis modernus archiepiscopus Viennensis Austriae, et ecclesiae Vacciensis administrator apostolica auctoritate deputatus, undequaque perspectis uberrimis fructibus, et suscepto studio praedictae Mariae Theresiae reginae apostolicae in procurandis, et respective factis ab apostolica Sede nonnullorum in Hungariae regno, illiusque annexis provinciis consistentium archiepiscopatuum, et episcopatuum dismembratione, et novarum respective cathedralium ecclesiarum erectione meliori quadam circa eas in orthodoxae religionis bonum desuper facta ordinatione, et attendens, quod in sua dioecesi Vacciensi nonnulla fieri desunt, quae ad illius decorem, promovendamque concrediti sibi Dominici gregis animarum salutem, et ad meliorem ipsius Vacciensis dioecesis administrationem plurimum conferrent, ac praesertim, quod capitulum cathedralis ecclesiae Vacciensis haud sufficienti canonicorum ad ministeria dictae dioecesis rite peragenda necessariorum numero fundatum sit, et in ipsa Vacciensi dioecesi multi reperiantur pauperes, et omni spe destituti orphani majori ex parte ab haeresi ad orthodoxam religionem conversi, cathedralis ecclesia vero praefata magnifice, licet opere per ipsum Christophorum cardinalem archiepiscopum, et administratorem constructa, congrua tamen dote destituatur, et seminarium ecclesiasticum junioris cleri civitatis et dioecesis Vacciensis educandi causa institutum, nec non emeriti in curae animarum exercitio eorumdem civitatis, et dioecesis parochi amplieri subsidio, respective indigeant, ac necessitatem denique inspiciens numerum parochialium ecclesiarum in dicta Vacciensi dioecesi heterodoxis admodum referta adaugendi nec non xenodochio, et collegio nobilium Theresiano nuncupato, ac scholae vernaculae Vacciensis respective, ut infra providendi pro suo eximio, quo de catholicae religionis incremento fertur zelo ex redditibus, et proventibus mensae episcopalis Vacciensis quamdam fructuum partem summam quatuordecim millium florenorum Rhenensium constituentem in infrascriptas ratas dividendam, ac per eumdem Christophorum cardinalem, ut praefertur modernum, et pro tempore existentes administratores, seu praesules Vacciensis ecclesiae in infrascripta pia instituta singulis annis impendendam ordinaria ejus auctoritate perpetuo dismembravit, illaque sic dismembrata in eadem cathedrali ecclesia Vacciensi alios sex canonicatus, totidemque praebendas pro aliis sex clericis, seu presbyteris idoneis futuris ejusdem cathedralis ecclesiae Vacciensis canonicis, qui omnia, et singula officia ad dioecesanam administrationem spectantia arbitrio ordinarii Vacciensis eis pro tempore imponenda prompte suscipere, ac respective adimplere, et exequi teneantur, prout in instrumento fundationis, seu erectionis infrascriptae desuper confecto clarius dicitur ex-

plicari itidem perpetuo fundavit, et erexit; ac cuilibet ex dictis sex canonicis pro sui respective canonicatus, sic fundati, et erecti praebenda, seu congrua substantatione, ac praedictorum, et aliorum eis pro tempore incumbentium onerum supportatione annuam summam mille florenorum Rhenensium hujusmodi praeter gratuitum hospitium in domo eatenus aedificanda, insimul summam annuam sexmillium florenorum hujusmodi conficiendam perpetuo respective attribuit. Ac insuper in constitutionem, seu institutionem novius suae domus, suis loco, et tempore faciendam pro duodecim ex supradictis adolescentibus pauperibus, et orphanis, seu ad fidem catholicam, ut praefertur, conversis in ea alendis, atque educandis, qui praeter studia per eos frequentanda ab obsequiis etiam dictae cathedralis Vacciensis juxta tenorem fundationalium praestanda applicentur, et teneantur annuam quoque summam duorum millium florenorum hujusmodi perpetuo solvendam esse destinavit, et statuit, eamque respective eidem domui, ex nunc pro tunc postquam tamen illa erecta fuerit perpetuo applicavit. Eidemque cathedrali ecclesiae, sive illius fabricae annuam quoque summam mille, et quingentorum florenorum similium dispositione tamen de illa, scilicet circa modum, seu rationem eam impendendi sibi, suisque successoribus ecclesiae Vaciensis praedictae praesulibus, seu administratoribus pro tempore existentibus juxta saepedictam declarationem in eodem fundationis, et institutionis praedictarum instrumento factam reservata similiter perpetuo univit. Seminario autem praedicto, ut junior clerus hujusmodi commodius educari valeat, et praedicti parochi amplius quoddam subsidium obtineant annuam pariter summam millium florenorum parium perpetue adjunxit, et respective assignavit. Ac praeterea ad hoc, ut in eadem Vacciensi dioecesi parochiales ecclesiae augeri, earumque melior subsistentia procurari possint eisdem parochialibus ecclesiis sic augendis ex nunc, prout ex ea die postquam tamen auctae, seu erectae fuerint summam itidem annuam duorum millium florenorum similium perpetuo quoque addixit, et appropriavit. Ulteriusque supradicto xenodochio in illius subventionem quingentos, ac praedicto collegio pro meliori illius professorum subsistentia, et augmento octingentos, ac praedictae demum scholae vernaculae ducentos respective florenos pares ultra praehabitas fundationes, annuatim respective concessit, et adjecit. Ac deinde ab eadem Maria Theresia regina apostolica Nobis fuerit subjunctum, quod ipsa summopere in votis habeat, ut tam pia haec instituta firmitatem obtineant, et praedictum onus antedictas summas annuatim solvendi, illasque, ut supra, ad formam praedictae fundationis impendendi pro tempore existenti ejusdem ecclesiae Vacciensis praesuli, seu administratori in hujusmodi redituum dismembratione a praedicta mensa episcopali Vacciensi a praedicto Christophoro cardinali archiepiscopo, et administratore, ut praefertur, facta impositum omni tempore observetur, et adimpleatur, proindeque ipsa Maria Theresia regina apostolica, Nobis humiliter supplicaverit, quatenus dismembrationem, unionem, applicationem, et alia praemissa ab eodem Christophoro cardinali archiepiscopo, et administratore ordinario, ejus auctoritate, ut praefertur, facta, ut firma semper, et inconcussa persistant perpetue per Nos, et Sedem apostolicam, ut infra approbare, et confirmare dignaremur.

§. 3. Nos igitur habita prius super hoc matura deliberatione prospicientes, quod ex praemissis omnibus divini cultus honor, ac praedictae Vacciensis dioecesis spiritualis, et temporalis utilitas, ac varia commoda erunt in Domino uberius obventura, votis, et supplicationibus praedictae Mariae Theresiae reginae apostolicae hac in parte annuere volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine dismembrationem redditunm hujusmodi, nec non fondationem, et erectionem dictorum sex canonicatuum, totidemque praebendarum supradictarum, ac attributionem, destinationem, applicationem, unionem, assignationem, appropriationem, concessionem, et adjectionem supradictorum fructuum sic dismembratorum portionum ab ipso Christophoro cardinale archiepiscopo, et administratore ejus auctoritate respective, ut praefertur, factam cum omnibus, et singulis, jam tamen inde legitime sequutis, et sequendis quibuscumque apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo approbamus, et confirmamus, illisque perpetuae inviolabilis, et infragabilis apostolicae firmitatis robur, vim, et efficaciam adjicimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti, et solemnitatum, alios- Tenor apostolicae confirmationis.

ve quantumvis substantiale, defectus si qui desuper in eisdem dismembratione, fundatione, erectione, attributione, destinatione, applicatione, unione, assignatione, appropriatione, concessione, et adjectione, ut praefertur, factis principaliter, vel accessione, aut alias quomodolibet intervenerint, aut intervenisse dici, censeri, intelligi; aut praetendi possent in eisdem supplemus, et sanamus, ac penitus, et omnino tollimus, et abolemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque integros, et plenarios effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, etiam ex eo quod causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt adductae, verificatae non fuerint, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, seu quovis alio quantumvis magno substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirante defectu, seu ex eo quod in praemissis, eorumque aliquo solemnitates, et quaevis servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel ad similium gratiarum praedictarum revocationibus, suspensionibus, simulationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quoscumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, et si in eis de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et in posterum edendas comprehendi, sed semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam caussarum sacri palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere; irritum quoque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus, si opus sit, Nostra, et cancellariae praedictae regula de jure quaesito non tollendo, ac de unionibus, earumque confirmationibus ad partes committendis, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis, quibusvis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis

Derogatio contrariorum.

decretis in genere, vel in specie etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis, et concedendis; quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent eisdem praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod ratione dismembrationis praedictae taxa praedictae ecclesiae Vaccienzis in libris camerae apostolicae ad praesens descripta nullatus minuatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, roboris adjectionis, defectuum suppletionis, sanationis, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, octavo idus augusti, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXVIII.

Dat. Romae 24. augusti 1787. Anno XIII.

Suppressio canonicorum regularium ordinis sancti Antonii Viennensis in Hispania.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Compertum est regulares ordines diversis inter se disciplinis in Ecclesia Dei militanti, ideo susceptos, et institutos fuisse, ut eorum varietate non solum illi ornamento, et praesidio essent, verum etiam, ut pro diversis eorum propositis christianae charitatis officiis sese mancipantes Christifideles ad virtutes suo exemplo provocarent, iisque ad salutem assequendam opitularentur. Ast cum ex misera rerum humanarum conditione non raro eveniat, ut quod optimum ab initio fuit, tractu temporis perturbetur, ipsi quoque regulares ordines rerum humanarum cursu interdum pertracti statutos sibi fines adimplere, aut exequi nequaquam valeant; hinc quemadmodum Romanus pontifex regulares personas in prioris vitae candore persistentes suo patrocinio fovere, ita ab instituto aberrantes, ne quod ad ornamentum fuerat excogitatum in dedecus, quod ad salutem in offensionem convertatur, aut ad suam regularem disciplinam modis omnibus revocare, aut si fieri nequeat illorum aliter statui consulere tenetur, prout omnibus rerum, ac temporum mature pensatis circumstantiis in Domino salubriter expedire conspicit.

Expositio precum, et ratio decernendae suppressionis. §. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Carolus Hispaniarum rex catholicus, quod licet alias canonici regulares ordinis sancti Antonii Viennensis, praeter aliarum virtutum exercitium charitatem egenis pauperibus praesertim igne sauciatis in nosocomiis ad id erectis, cum summa Christifidelium utilitate juxta illorum institutum in Hispaniarum regnis impendere non destiterint, nihilominus postmodum factum est, ut in eisdem regnis defervescente hominum erga dictum ordinem studio, ac devotione paulatim ita noscatur imminutus, ut illius professores, qui cum plerumque laici sint, seu conversi, longe ab eorum domibus, seu monasteriis mendicandi causa totum fere annum vivunt, viginti tres domos, seu monasteria, quae in regnis Castellae, et Legionis, et alia quatuordecim, quae in regnis Aragoniae, et Navarrae comprehenso romitorio, seu recessu de Oribuela, ac domum, quae in regno Mexicano obtinent, habitare, ac ibi regularem disciplinam retinere, haud satis habeantur, praesertim cum ordinis praedicti redditus, ac fidelium oblationes adeo decreverint, ut domibus, seu monasteriis regnorum Castellae, et Legionis sit annuum vectigal, detractis detrahendis, scutorum duorum millium quingentorum septuaginta trium monetae Romanae, quae quidem tenuis summa vix sat esse videtur ad congruam

exhibitionem unius dumtaxat domus, seu monasterii dicti ordinis, in quo regularis disciplina, ac hospitalitas eidem ordini propria sit servanda, nedum ad viginti tres domos, seu monasteria sustentanda; redditus vero ad alias domos regnorum Aragoniae, et Navarrae, qui tum ex eleemosynis, tum ex bonis quotannis percipiuntur, vix constituant summam circiter scutorum unius de viginti millium quingentorum octogintaduorum ejusdem monetae; et quamvis alias ipsimet praeceptores, seu commendatarii majores ordinis praedicti cum ad deserviendum hospitalibus, aliaque munera juxta illorum institutum obeunda, dictasque triginta octo domos, seu monasteria sui ordinis incolenda numero impares sese agnoscerent earumdem domorum, seu monasteriorum numerum ad duo de viginti dumtaxat monasteria, seu domos contrahere cogitaverint, nunquam tamen consilium hujusmodi executioni commissum fuit, quod usque dum eaedem vigerent causae, quae confusionem, et regularis disciplinae, et instituti neglectum dicto ordini intulerunt; paucitas nempe professorum, ac tenuitas census, irritos fore in id quoscumque conatus intellexerunt. Cum itaque, sicut eadem expositio subjungebat, ex hisce omnibus constet, tum ob valde imminutum alumnorum numerum, tum praecipue ob tenues redditus, ac proventus, quos dictus ordo in regnis Hispaniarum obtinet, sui professores ab instituto jam descivisse, ac nisi frustra adhiberentur remedia ad revocandam inter eos pristinam regularem disciplinam, restat, ut eorumdem alumnorum statui aliter consulatur; et quoniam salubrius, ac reipublicae utilius foret, quatenus, praevia dictarum omnium domorum, seu monasteriorum in ditione eidem regi catholico subjecta existentium suppressione, bona, jura, et actiones ad dicta monasteria spectantia, et inibi existentia in alios pios, ac proficuos usus applicarentur, hinc ut ea sic applicare, ac unire posset, memoratus rex catholicus sibi a Nobis concedi plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor suppressionis ordinis, et monasteriorum, in Hispaniis existentium.

§. 3. Nos igitur serio perpensis, consideratisque omnibus rerum, ac temporum circumstantiis; cum ex supraenarratis causis, nulla spes restituendi in dictis domibus regularem vivendi rationem, ac orthodoxorum principum votis quantum in Domino possumus, annuere volentes, omnesque, et singulas personas, quarum favore praesentes Nostrae literae concernunt a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovismodo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, dictum ordinem canonicorum regularium sancti Antonii in regnis Hispaniarum existentem, nec non triginta octo domos, seu monasteria ab illo dependentia, nempe viginti tria in regnis Castellae, et Legionis, et quatordecim in regnis Aragoniae, comprehenso remitorio, seu recessu de Oribuela, et domum in regno Mexicano respective erecta auctoritate apostolica tenore praesentium supprimimus, atque extinguimus; sicuti pariter praeceptores, seu commendatarios majores definitorium, seu definitores dicti ordinis, caeterosque praeceptores, seu commendatarios, aliaque officia, seu munia ejusdem ordinis quomodolibet nuncupata; et singula illius decreta, et consuetudines, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quacumque firmitate munita, et pariter privilegia, et indulta generalia, et specialia, quorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur praesentibus, habemus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, nec non irritantibus, aliisque decretis, clausulis, et vinculis roborata tollimus, et abolemus.

Superiores privantur omni jurisdictione, et administratione bonorum.

§. 4. Praeterea praeceptorem, seu commendatarium majorem, vel aliter nuncupatum superiorem generalem aliosque superiores, seu generales, seu locales, ac officiales, et canonicos regulares ordinis praedicti omnibus officiis sibi demandatis, ac auctoritate, superioritate, nec non administratione quorumcumque bonorum per dictum ordinem, seu illius respective domos, et monasteria possessorum, in quibusvis rebus consistentium, ac ecclesiis, domibus, seu monasteriis, et locis quibuscumque immobilibus, et mobilibus, ac semoventibus, ubicumque intra dicta regna constitutis, ac censibus cujuscumque speciei, qualitatis, et quantitatis, sacra quoque, et profana, ac communi suppellectili, ipsorumque omnium usu, usufructu, possessione temporali, et spirituali, et administratione, sive per statuta, sive alias

quomodolibet pertinentibus, et ad dictum ordinem, seu illius domos, et monasteria quomodolibet spectantibus auctoritate pariter, et tenore praedictis privamus.

Bona, et jura ordinis in alios pios usus eroganda concedantur regi Hispaniarum.

§. 5. Quae quidem omnia bona, jura, et actiones universas ad dictum ordinem in eisdem regnis spectantia cujuscumque generis, et speciei sint, in alios pios, ac utiliores usus a memorato Karolo rege catholico pro sua prudentia, et religione designandos, cujus conscientiam hisce desuper oneramus; ita tamen ut missarum, aliorumque legatorum piorum onera, quibus eadem bona gravantur, ex fructibus eorumdem bonorum sint prius satisfacienda, auctoritate, et tenore praedictis applicamus, et assignamus.

Monachi in habitu presbyterorum subjiciantur jurisdictioni ordinarii dioecesani.

§. 6. Quoad vero omnes, et singulos dicti ordinis sancti Antonii hactenus alumnos, et professores, qui in dictis Hispaniarum regnis solemnem emiserunt professionem ipsis, vel permanendi, quoad vixerint in domibus, seu monasteriis dicti sic suppressi ordinis ad instar communitatis in habitu presbyterorum saecularium, et sub obedientia dioecesani domus, seu monasterii, in quo pro tempore eos commorari contigerit cum congruo assignamento, et cum onere usque dum in dictis domibus degant satisfaciendi oneribus eidem domui, seu monasterio adnexis, vel etiam si alter eorum, quatenus sit presbyter, vel sacris, aut minoribus ordinibus initiatus regularis vitae studiosus ad aliam religionem convolare mavit, quam in dictis domibus, seu monasteriis permanere, ad illam transeundi, et quatenus laicus sit, seu conversus, si ei in dictis domibus, seu monasteriis commorari non arrideat, in saeculo in habitu saeculari cum congrua pensione ei ex dictis bonis persolvenda vivendi, plenam, liberam, et amplam facultatem dicta auctoritate harum serie concedimus, et indulgemus.

Consulitur collationi duarum commendarum de Olita in regno Navarrae et s. Antonii Viennensis in civitate Majoricensi.

§. 7. Ad amovendam tandem quamlibet dubitandi causam, quae circa collationem duarum praeceptoriarum, seu commendarum, quarum altera de Olite in regno Navarrae, altera sancti Antonii Viennensis in civitate Majoricensi consistunt, et quarum collatio juxta formam concordati inter fel. rec. Benedictum XIV. praedecessorem Nostrum, et clarae memoriae Ferdinandum VI. regem catholicum stipulati, et per literas sub plumbo die nona junii 1753 confirmati ad apostolicam Sedem pertinet, exoriri in posterum posset praevia earumdem praeceptoriarum, seu commendarum saecularizatione, et exemptione a quavis jurisdictione, seu superioritate regulari harum serie declaramus. Deinceps easdem praeceptorias, seu commendas conventionibus, ac pactis in dicto concordato statutis subjectas esse, et fore, ita ut ceu caeterae quinquaginta dignitates in eodem concordato expressae, nisi a Sede apostolica eaedem praeceptoriae, seu commendae provideri posse, ita tamen, ut illae ecclesiasticis saecularibus juxta canonicas regulas non autem regularibus in futurum sint conferendae. Quocirca venerabili fratri Hyppolito archiepiscopo Corinthiensi Nostro, et apostolicae Sedis apud eumdem Karolum regem catholicum nuncio per praesentes committimus, et mandamus, ut primum eisdem praeceptoribus, seu commendatariis majoribus, aliisque superioribus, caeterisque omnibus, et singulis professoribus, seu alumnis dicti, sic suppressi, ordinis sancti Antonii Viennensis in Hispaniarum regnis existentis presbyteris, et laicis, seu conversis, aliisque quibusvis personis dicti ordinis notum faciat, declaret, et indicat ordinem hujusmodi per Nos suppressum, et extinctum, eosque ad statum vel presbyterorum saecularium, vel laicorum respective juxta earumdem praesentium tenorem translatos fuissé, esse, et fore; deinde ut omnia bona mobilia, ac immobilia, et semoventia, annuosque redditus, et proventus, aliaque quaecumque in ditione eidem regi catholico existentia, et ad ordinem, et domos, ac monasteria, sic per praesentes suppressa quomodolibet spectantia ibidem Karolo regi catholico in alios pios, ac utiles usus eroganda concedat; ita tamen ut memoratus rex catholicus missarum, aliorumque piorum legatorum satisfactionem, nec non ecclesiarum ejusdem ordinis, quae nec profanari, nec aliis concedi posse existimabuntur, manutentionem omnino curet, et studeat.

§. 8. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet

Omne remedium juris submovetur quod retardare possit executionem literarum apostolicarum.

legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensu, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros affectus sortiri, et obtinere; ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 9. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, et quosvis alios quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac fel. rec. Benedicti XIV. de divisione materiarum, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo roboro permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima quarta aug. anno millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXIX.

Dat. Romae 25. augusti 1787. Anno XIII.

Confirmatio erectionis confraternitatis beatae Mariae virginis de monte Carmelo in villa sancti Joannis del Rey dello Mine cum concessione indulgentiarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pietatis, et christianae charitatis opera, quae Salvator, et Dominus Noster Jesus Christus, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, fidelibus suis instanter commendavit, ubique cum divini cultus incremento, et erga augustissimam coeli reginam beatam virginem Mariam veneratione, atque animarum salute exercere cupientes spiritualibus gratiarum muneribus prosequimur, ut inde ferventius ipsi Deo inservire, atque immarcescibilem aeternae beatitudinis gloriam sibi valeant comparare.

Expositio precum porrectarum a sodalibus congregationis.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum officialium, ac confratrum confraternitatis, seu congregationis, vel societatis sub titulo beatae Mariae virginis de monte do Carmo nuncupatae in villa sancti Joannis del Rey della Mine do Rio das Montes intra limites paroeciae Nostrae Dominae do Pilar nuncupatae Marianensis dioecesis expositum fuit, quod ut cultus beatae Mariae virginis magis magisque augeatur, dicti exponentes unam virorum non autem unius specialis artis, ac mulierum confraternitatem sub invocatione beatae Ma-

riae virginis de monte Carmelo tertii ordinis nuncupatae in loco praedicto de consensu venerabilis fratris episcopi Mariannensis erectam, seu erigendam, quamvis in dicta villa forsan alia similis confraternitas canonice erecta reperiatur per Nos confirmari, et approbari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut erectioni, et institutioni praedictis apostolicae firmitatis robur adjicere, ac alias in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur, qui devotionem, et piorum operum, ac divini cultus incrementum, nec non animarum salutem sinceris desideramus affectibus, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, licet in praedicta villa alia forsan similis confraternitas canonice jam erecta existat, ut praefertur, nihilominus erectionem, et institutionem unius confraternitatis sub invocatione beatae Mariae virginis de monte de Carmo nuncupatae utriusque sexus, non tamen unius specialis artis praedictis, quatenus canonice de licentia moderni episcopi Mariannensis praedicti factae fuerint, vel faciendae sint, auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, illisque apostolicae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos, tam juris, quam facti defectus, si qui desuper in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus, ac pariter nihilominus in praedicta villa unam confraternitatem sub invocatione ejusdem beatae Mariae virginis de monte de Carmo cujus confratres processionaliter incedere, divina officia decantare, sese congregare, et caetera, quae per confratres aliarum confraternitatum fieri solent, facere libere, ac licite valeant, sine alicujus praejudicio, et dummodo ordinarii loci ad id accedat assensus auctoritate, et tenore praedictis perpetuo erigimus, et instituimus.

Privilegia concessa.

§. 4. Nec non confratribus dictae confraternitatis sive erectae, seu erigendae pro tempore existentibus, ut quaecumque capitula, statuta, decreta, et ordinationes, pro salubri eorum, et dictae confraternitatis gubernio, et directione necessaria, et opportuna, licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et concilii Tridentini decretis non contraria, ac per ordinarium loci examinanda, et approbanda facere, et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, et expediens fuerit, praevia tamen examinatione, et approbatione hujusmodi mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac insuper omnia, et singula legata relicta, res, et bona quomodolibet qualificata, mobilia, et immobilia per quoscumque Christifideles dictae confraternitatis data, et relicta recipere, illaque per ejus officiales, seu deputatos regere, et gubernare, ac administrare, et in ipsius confraternitatis, et illius piorum operum usus convertere, ita tamen, ut de receptis, et administratis per eos ordinario loci juxta decreta concilii Tridentini rationem reddere teneantur, libere, ac licite possint, et valeant auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Indulgentiae pariter concessae.

§. 5. Ac insuper, ut dicta confraternitas sic erecta, seu erigenda majora in dies suscipiat incrementa confratribus, vel consororibus vere poenitentibus, et confessis, qui in festo principali commemorationis beatae Mariae virginis die XVI mensis julii, aut juxta ritum nonnullorum locorum die dominica immediate sequente celebrari solito sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint plenariam: iisdem confratribus, et consororibus praedictis, qui in articulo mortis poenitentes, et confessi, ac sanctissima communione refecti nomen Jesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam plenariam: insuper confratribus, et consororibus memoratis, qui poenitentes, et confessi, ac sancta communione refecti processioni in una dominica cujuslibet mensis per dictam confraternitatem de ordinarii loci licentia faciendae devote interfuerint, et ibi, ut praefertur, oraverint, plenariam; insuper quoque confratribus, et consororibus, qui ab esu carnium iis diebus, in quibus confratres dictae confraternitatis ex illius instituto vesci non solent, abstinebunt, tercentum dies, et qui qualibet die septies orationem Dominicam, et toties salutationem angelicam ad ho-

norem gaudiorum ejusdem virginis recitaverint, quadraginta dies; et qui ex confratribus ejusdem confraternitatis poenitentes, et confessi semel in mense sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumpserint, et ut praefertur, oraverint, quinque annos, et totidem quadragenas; praeterea qui vere poenitentes, et confessi in qualibet ex festivitatibus ejusdem beatae Mariae virginis sanctissimum Eucharistiae sacramentum in ecclesia, seu cappella dictae confraternitatis devote sumpserint, ut supra dictum est, oraverint tres annos, et totidem quadragenas; nec non qui cum intimine sanctissimum Eucharistiae sacramentum, quando ad infirmos defertur comitati fuerint, et pro eisdem infirmis pias ad Deum preces effuderint; quinque annos, et totidem quadragenas; insuper qui corpora defunctorum quorumcumque ad sepulturam associaverint, et pro eorum animabus ad Deum oraverint centum dies; et qui officium beatae Mariae virginis devote recitaverint pariter centum dies; qui vero missis, et aliis divinis officiis in ecclesia, seu cappella confraternitatis hujusmodi pro tempore celebrandis, recitandis, seu congregationibus publicis, vel privatis ejusdem confraternitatis ubivis faciendis intervenerint, aut pauperes hospitio susceperint, aut eis in eorum necessitatibus, et periculo peccandi existentibus auxiliati fuerint, aut eleemosynas temporales, vel spirituales eis dederint, vel pacem cum inimicis propriis, vel alienis composuerint, seu componi fecerint, aut devium aliquem ad viam salutis reduxerint, aut ignorantes Dei praecepta, et ea quae ad salutem sunt, docuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum piorum operum centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; omnesque supradictas indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse pariter concedimus. Ac praeterea, ut confratres, et consorores dictae confraternitatis sic erectae, qui processioni in una dominica cujuslibet mensis ab ipsis fieri solitae commode interesse non potuerint, si vere poenitentes, et confessi, ac sancta communione refecti cappellam praedictae confraternitatis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, eamdem plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem, illis, qui processioni hujusmodi intersunt, concessam pariformiter consequantur, et similiter infirmi, captivi, et peregrinantes, qui cappellam hujusmodi dicta dominica visitare nequiverint, si officium parvum beatae Mariae virginis, aut quinquies orationem Dominicam, et salutationem angelicam recitaverint; et saltem contriti fuerint cum proposito confitendi, et sacram communionem recipiendi, quam primum potuerint; quod adimplere omnino teneantur, praefatam plenariam indulgentiam, et peccatorum remissionem etiam consequantur.

Consulitur magis decorosae celebrationi festi principalis B. M. Virginis.

§. 6. Insuper ut festum principale commemorationis beatae Mariae virginis die XVI mensis julii, vel dominica immediate sequenti quotannis celebrari solitum, ob majorem devotionem, et commoditatem Christifidelium, quando eadem die occurret alia solemnitas in aliam dominicam ejusdem mensis transferri possit, indulgemus. Ad haec facultatem rectori, sive cappellano, sive quomodocumque aliter nuncupato sacerdoti primario dictae confraternitatis, ejusque successoribus, benedicendi sacrum scapulare, et illud imponendi utriusque sexus Christifidelibus (quorum nomina describi debeant in libris confraternitatis hujusmodi) ipsisque in mortis articulo constitutis absolutionem, et indulgentiam plenariam impertiendi; cum facultate substituendi quemcumque alterum sacerdotem sibi benevisum, in casu quo ipse legitime impedimento detineatur, tribuimus, et elargimur. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Derogatio contrariorum.

§. 7. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Volumus autem, quod si dicta confraternitas alicui confraternitati aggregata jam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur priores, et quavis aliae litterae apostolicae quoad indulgentias illis nullatenus suffragentur, sed ex tunc eo ipso nullae sint. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima octava augusti anno millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 31. augusti 1787. Anno XIII.

DCLXX.

Statuuntur nonnulla pro bono regimine conventus terrae Corinaldi Senogalliensis dioecesis ordinis minorum Conventualium sancti Francisci,

Pius PP. VI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Tenor precum porrectarum.

§. 1. Alias pro parte dilecti filii Francisci Antonii Porfirii ordinis minorum sancti Francisci Conventualium nuncupatorum expresse professi, in sacra theologia magistri, definitoris perpetui, et filii conventus fratrum ejusdem ordinis oppidi civitatis nuncupat. Corinaldi Senogalliensis dioecesis supplicationo Nobis humiliter porrecta, et per Nos ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum remissa, exposito; conventum praedictum diversis ex causis, etiam ex deficientia alumnorum habilium, et necessariorum non modicum cum in temporalibus, tum in spiritualibus subjisse dispendium; ejus enim familiam ad praesens nonnisi ex viginti alumnis constare, comprehensis etiam studentibus, et laicis, eumdemque filiationes duodecim tantum tribuere, ex quibus novem pro presbyteris, reliquos pro laicis, nunc vero (excepto guardiano, lectore, cum quatuor clericis studentibus, nec non confessario, et tribus laicis exteris) sex tantum presbyteros in eo degere, laicos tres, et unum supranumerarium, eosque omnes aetate nimis graves, et valetudinarios; et in eadem expositione subjecto, praedictum conventum, in quo cum sui ordinis, dictique oppidi lauda studia semper floruerunt, licet redditibus ad hujusmodi familiae substentationem satis superque instructum, nihilominus debito decore, ejusque ecclesiam, ac fideles, ad eam confluentes spirituali servitio fere destitutos reperiri, nec melius hujusmodi incommodis occurri posse, nisi cum augmento duarum filiationum pro presbyteris, et unius pro laicis, itaut in posterum quatuordecim filii ejusdem conventus numerentur, decem nempe presbyteri, in hisce comprehenso dilecto filio itidem Francisco Giacomini presbytero ejusdem ordinis expresse professo, et a conventuali capitulo inter filios jam cooptato, quatuor vero laici; ablato jure pro hac vice tantum dicto conventuali capitulo nominandi ad novas filiationes hujusmodi, eoque collato vel moderno generali ministro ejusdem ordinis, vel provinciali ministro provinciae Marchiae, adjecta insuper lege, ut in hujusmodi sacerdotum familia, quatuor semper existant ad fidelium sacramentales confessiones excipiendas idonei; atque in praedicto conventu studium pro clericis professis ejusdem ordinis omni tempore retineatur; ac subinde humiliter supplicato, ut ad saepedicti ordinis splendorem, fidelium aedificationem, divinique cultus augmentum proposita remedia hujusmodi approbarentur perpetuo, et confirmarentur; eadem cardinalium congregatio, re mature perpensa, decretum edidit tenoris sequentis.

Tenor decreti editi a sacra congregatione episcoporum, et regularium.

§. 2. Sacra congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium praeposita, ad quam sanctissimus dominus Noster supplicem libellum remisit, referente eminentissimo Salviati ponente, ac attenta relatione patris procuratoris generalis, censuit rescribendum, prout rescripsit. Pro gratia, et ad patrem provincialem Marchiae pro executione aggregationis, de qua in precibus, cum facultate sacrae congregationis; ita tamen ut provincia Lauretana exempta sit ab omni pecuniarum contributione. Romae 15. junii 1787.

F. Card. Canoxa praefectus.

Cum autem, sicut idem Franciscus Antonius Nobis nuper exponi fecit, ipse decretum hujusmodi quo firmius subsistat, et servetur exactius, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret,

Confirmatio praedicti decreti sacrae congregationis.

§. 3. Nos igitur dictum Franciscum Antonium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, hujusmodi supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, decretum praeinsertum auctoritate apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, illique perpetuae, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjici-

mus, omnesque et singulos juris, et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper, et perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque et non alias in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis et conventus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatorio die trigesima prima augusti millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

Dat. die 7, sept. 1787. Anno XIII.

DCLXXI.

Una ex principalibus dignitatibus patriarchalis ecclesiae Lisbonensis perpetuo addicitur muneri inquisitoria generalis contra haereticam pravitatem civitatis praedictae.

Pius episcopus Servus servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Cum apostolatus officium humeris Nostris licet immerito a Christo Domino impositum a Nobis exigat, ut ad omnes officii hujusmodi partes adimplendas, nulla ex iis praetermissa, nulla neglecta, curas Nostras dirigere debeamus, atque omnibus occurrentibus in vinea Domini necessitatibus manum praebere opportunam. Cumque harum partium inter praecipuas postrema non sit ecclesiasticis illis viris, qui pro tuenda catholica religione, eademque vinea Domini pro excolenda solummodo, sed et infestis in ea succrescentibus herbis convellendis, atque extirpandis strenuam operam impendunt, firma, stabilique mercedis assignatione alacritatem addere, et animum landabilibus proinde personarum regia potestate fulgentium, votisque cuivis in id operis viribus propensius student incumbere, apostolicae Sedis gratia favere summopere in Domino obtectamur.

Preces porrectae a regina Portugalliae, et Algarbiorum.

§. 2. Sane pro parte dilecti filii Josephi Pereira Santiago equitis ordinis sancti Jacobi de Spatha carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae apud Nos, et Sedem apostolicam suis regiis negociis praepositi, ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod cum ipsa serio perpenderit, quod pro tempore existentibus generalibus inquisitoribus tribunalis sacrae Inquisitionis contra haereticam pravitatem in Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi regnis existentis ad hoc ut ipsi, tam conspicuum ecclesiasticum munus decentius substinere valerent per pro tempore existentes eorumdem Portugalliae, et Algarbiorum reges fidelissimos ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae praedecessores ex propriis regiis redditibus gratuitas subventiones subministrari hactenus oportuisse, proptereaque, ac ob ejus commendabilem religionis zelum, et pro ea, qua erga ecclesiasticos viros praesertim in tam insigni dignitate constitutos fertur benignitate summopere cupiat infrascripti moderni, et pro tempore existentium generalium inquisitorum hujusmodi statui decenter, et firmiter providere, et ad hunc effectum perspectum habeat, quod si ex nunc deinceps una ex

dignitatibus principalibus nuncupatis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, quae, sicut accepimus, prout etiam aliae ejusdem patriarchalis ecclesiae dignitates praelaturae similiter nuncupatae, ac omnes canonicatus, et praebendae, caeteraque beneficia ecclesiastica in dicta patriarchali ecclesia existentia de jurepatronatus praedictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae ex fundatione, vel dotatione existunt, muneri inquisitoris generalis pro tempore existentis hujusmodi perpetuo addiceretur, et hoc profecto illius statui, et decenti substentationi juxta ejusdem muneris exigentiam, ac tam pia dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae vota opportune consuleretur. Quare pro parte dicti Josephi ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae nomine supradicto Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius Mariae Franciscae reginae fidelissimae justis, ac piis votis praedictis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur, qui regias dispositiones ad stabilimentum status personarum ecclesiasticorum provide factas benigno favore prosequi studemus, specialem gratiam facere volentes, quod ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus una ex dictis dignitatibus principalibus, ut praefertur, nuncupatis dictae patriarchalis ecclesiae pro tempore quovis modo vacans muneri pro tempore existentis generalis inquisitoris contra haereticam pravitatem hujusmodi in eisdem regnis vere, et realiter, et cum effectu addicta, et affecta existat, ita ut venerabilis frater Noster Ignatius a sancto Cajetano moderans archiepiscopus Thessalonicensis in partibus infidelium moderans, et pro tempore existens generalis inquisitor praedictum dignitatem praedictam muneri hujusmodi sic addictam, et affectam cum omnibus, et singulis privilegiis, honoribus, indultis, praerogativis, praeeminentiis, fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus, et emolumentis hujusmodi dignitatibus principalibus, ut praefertur, nuncupatis quomodolibet competentibus, et debitis, ac per illas pro tempore obtinentes percipi solitis, pari modo et absque ulla prorsus differentia, aut immiuutione, prout eadem Maria Francisca regina fidelissima provide statuit, ex nunc deinceps, ac semper, et perpetuo, praevia tamen in illa desuper habenda canonica institutione, assequi, et retinere debeat apostolica auctoritate perpetuo declaramus.

§. 4. Ac easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, nec ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem et individuam mentionem, aut expressionem requirente defectu, aut ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel etiam in corpore juris clausa occasione, vel alia causa, etiam quantumvis justa, rationabili, juridica, legitima, pia, privilegiata etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra, aut aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari non posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, retardari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu proprio, et ex certa scientia concesso, et impetrato, aut emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, et extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus etiam per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eamdem etiam motu, et scientia similibus etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, ut decretis etiamsi in eis de eisdem praesentibus, eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, pro tempore factis, et faciendis; ac concessis, et concedendis minime comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse, et fore. Submovetur omne remedium juris quod officere posset executioni praesentium apostolicarum literarum.

§. 5. Sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum Clausula sublata, et decretum irritans.

palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes in quocumque judicio, et in quacumque instantia judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, et scientia similibus pro tempore concessis, et concedendis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, illarumque omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissimo, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae declarationis, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, idus septembris, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXXII.

Dat. Romae 1. septem. 1787 Anno XIII

Erectio cappellaniae curatae pro hominibus nonnullarum villarum Cingulanae dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Decet Romanum pontificem ex pastoralis officii sibi commissi debito ea, quae pro animarum Christifidelium salute, divinique cultus augmento provide, ac maturo consilio statuta sunt, si id praesertim petatur, approbationis suae munimine consolidare, iisque robur adjicere, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Exponitur per conventionem initam inter episcopum Cingulanum, et abbatem commendatarium s. Crucis erectam iniese novam cappellaniam curatam

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii homines villarum Fluminis, sanctorum Victoris, et Coronae, Marcianelli, Taviniani, et Codardae respective nuncupatarum adjacentium ecclesiae abbatiae sanctorum Victoris, et Coronae Cingulanae dioecesis, quod cum ipsae, et parochialis ecclesia sancti Joannis de Strada intra cujus limites sitae sunt vel duo, vel tria, vel etiam quatuor millia passuum circiter itinere respective dirimantur, tum etiam pro viarum, ac trajectionis amnis Musonis nuncupati hyemali praesertim tempore difficultate pluries spiritualibus subsidiis, ac ecclesiae sacramentis dum magis ipsa necessitas urget, orbati fuerint, dilectus filius Noster Guido Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Calcagninus nuncupatus ex indulto, et dispensatione apostolica episcopus Auximanus, et Cingulanus pro grege sibi commisso jugiter excubans, ac populorum villarum hujusmodi clamores, ac quaerelas paterne excipiens, dilectum itidem filium Nostrum Leonardum Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Antonelli nuncupatum dictae abbatiae sanctorum Victoris, et Coronae modernum abbatem commendatarium, quae intra fines dictae paroeciae sancti Joannis de Strada sita est, institit, ut in ecclesia ejusdem abbatiae cappellaniam curatam in subsidium parochi dictae paroeciae de Strada erigi, et institui si permitteret, qui cum pro sua pietate, ac religionis zelo, quibus apud omnes commendabilis est, nedum lubenter erectioni cappellaniae curatae hujusmodi in abbatiali ecclesia sanctorum Victoris, et Coronae consen-

sum praestiterit, verum etiam moderno emphyteutae bonorum dictae abbatiae Paschali Schelini, accedente apostolica auctoritate, onus solvendi quotannis cappellano curato hujusmodi scuta quadraginta, eique decentem habitationem in aedibus abbatialibus assignandi, aliaque ei praestandi, prout in instrumento hisce desuper die IX. maji anni MDCCLXXXIV. stipulato uberius dicitur contineri, injunxerit, dictus Guido cardinalis, et episcopus in realem dictae cappellaniae erectionem descendit per suum decretum tenoris, qui sequitur.

Tenor decreti ad rem editi ab episcopo Auximano, et Cingulano.

§. 3. Guido miseratione divina tituli sanctae Mariae Transpontinae Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Calcagninus episcopus Auximanus, et Cingulanus.

Quum nobis curiae nostrae episcopalis promotor fiscalis exposuerit, parochiam villae de Strada in hac dioecesi Cingulana sitam sub titulo sancti Joannis, et capitulo cathedralis ecclesiae a sanctae memoriae Clemente VII. cum jure decimandi, et decimas ipsas a parochianis effective percipiendi unitam, et incorporatam satis amplam, et populosam, ut ad octo fere millia passuum extendatur, uno tantum parocho ab eodem capitulo cathedralis nominando, et praesentando cum denominatione vicarii perpetui, unoque cappellano curato esse provisam, qui universis animarum sibi commissarum necessitatibus partim locorum, et viarum longe dissitarum, et byemali potissimum tempore asperarum, coenosarumque incommodo, partim interjecti fluminis Musonis impedimento vetiti absque maxima difficultate, et vitae propriae discrimine occurrere nequeunt, unde plurima in parochianos ipsos efflorescunt detrimenta, in eos praesertim, qui vicos fluminis sanctorum Victoris, et Coronae, Marcianelli, Taviniani, et Codardae nuncupat. incolunt, a dicta ecclesia parochiali sancti Joannis ad duo, tria, et quatuor respective millia passuum distantes.

Accessit in erectione consensus eminentissimi abbatis sanctae Crucis assignato etiam congruo stipendio pro cappellano.

§. 4. Quumque eminentissimus, et reverendissimus dominus cardinalis Leonardus Antonellius abbas commendatarius ecclesiae sanctorum Victoris, et Coronae intra fines ejusdem paroeciae de Strada sitae, de ejusdem nimia amplitudine per nos edoctus, ac propterea requisitus, ut in eadem ecclesia sanctorum Victoris, et Coronae cappellaniam curatam erigi, ac constitui permittatur in auxilium, et solatium parochi de Strada, cumque etiam eidem eminentissimus cardinalis abbas jam in praedicta ecclesia sacrosanctum missae sacrificium singulis diebus festis totius anni celebrari facere consueverit in commodum agricolarum, qui bonis ejusdem abbatiae operam suam impendunt; idcirco pro ea, qua praestat pietate, ac zelo salutis animarum non modo erectioni praedictae cappellaniae curatae in ecclesia sanctorum Victoris, et Coronae consensum suum libentissime praestiterit, verum etiam, ut ipse quoque pro sua liberalitate aliquo modo novi cappellani curati substentationi consuleret in instrumento emphyteusis bonorum ejusdem abbatiae cum domino Paschale Schelini stipulato die IV. maji anni MDCCLXXXIV. pactum inierit, quod idem emphyteuta, ejusque successores scuta quadraginta singulis annis cappellano curato, quatenus praefata cappellania curata canonice erecta fuisset, persolvere, et habitationem in aedibus abbatialibus assignare, ac praestare tenerentur, cum aliis conditionibus, et pactis prout liquet ex eodem instrumento emphyteusis apostolicis literis confirmato, ad quod, et quum propterea idem procurator fiscalis apud Nos institerit, ut in supradicta abbatiali ecclesia sanctorum Victoris, et Coronae sacerdotem aliquem cum qualitate cappellani curati in adjutorium parochi villae de Strada decreto nostro constitueremus, et quatenus opus sit, pro spirituali bono omnium, et singulorum quadraginta familiarum, quae nunc existunt, et aliarum, quae tractu temporis existere poterunt in repetitis vicis Fluminis, sanctorum Victoris, et Coronae, Marcianelli, Taviniani, et Codardae cappellaniam curatam amovibilem non ab ecclesia parochiali sejunctam, sed ab ea perpetuo dependentem, et subordinatam erigeremus sub infrascriptis legibus, declarationibus, et conditionibus.

Tenor, et leges erectionis peractae ab ordinario.

§. 5. Nos idcirco quum omnia per promotorem Nostrum fiscalem superius exposita veritate fulciri invenerimus, animarum commodo incumbentes pro divini cultus augmento, et praesertim pro bono spirituali quadraginta familiarum, quae nunc existunt, et aliarum, quae in posterum existere poterunt in vicis Fluminis, sanctorum Victoris, et Coronae, Marcianelli, Taviniani, et Codardae auctoritate nostra ordinaria, et Sedis apostolicae delegata per sacri concilii Tridentini cap. IV. ses. XXI. de ref. ac omni meliori modo etc. attento consensu nedum capituli cathedralis ecclesiae Cin-

gnianae jam praestito, verum etiam moderni parochi villae de Strada in subsidium istiusmodi paroeciae erigimus, et constituimus in praefata ecclesia abbatiali sanctorum Victoris, et Coronae cappellaniam curatam amovibilem, non vero ab ecclesia parochiali villae de Strada sejunctam, sed ab ea dependentem, et subordinatam, et pro erecta, et constituta haberi volumus, et mandamus, cum qualitate cappellani amovibilis, et cum adjectis legibus, conditionibus, et declarationibus hic inferius expressis, ac omnino observandis, et non alias etc.

Conditiones adnexae.

§. 6. Volumus itaque, ut cappellani pro tempore existentes, et nominati diu noctuque ad instar parochorum in designata habitatione teneantur residere, missas celebrare, easque diebus festis in satisfactionem onerum, quae sunt ejusdem abbatialis ecclesiae applicare, evangelium praememorato populo explanare, doctrinam christianam docere, sacramenta administrare, assistentiam infirmis, et morti proximis praestare, sine tamen onere associandi cadavera ad ecclesiam parochialem, sanctissimum Eucharistiae sacramentum, et oleum sanctum in eadem abbatiali ecclesia semper retinere; matrimoniis inter personas praedictorum vicorum contrahendis cum intelligentia parochi villae de Strada, et praeviis publicationibus in ecclesia matrici sancti Joannis semper peragendis, cum perceptione emolumentorum pro medietate tantum, assistere; de contractis in faciem ecclesiae publicam ad eumdem parochum sancti Joannis fidem quam primum transmittendam proprio charactere exarare; benedictionem domorum in saepedictis vicis sitarum, praevia pariter ejusdem parochi intelligentia, cum perceptione incertorum paschali tempore peragere, ac iis, qui fuerint legitime impediti communionem paschalem de mandato parochi administrare, salvo semper, ac reservato favore capituli cathedralis ecclesiae jure decimandi, ac decimas ipsas percipiendi, ac salvo pariter favore parochi villae de Strada, consentiente eminentissimo abbate commendatario, jure peragendi functiones ecclesiasticas, si quas in dicta abbatiali ecclesia solemniter celebrari contigerit, nec non percipiendi eleemosynas pro hujusmodi functionibus largiri solitas.

Reservatio juris patronatus favore abbatis commendatarii.

§. 7. Reservamus autem moderno, ac pro tempore existentibus abbatibus commendatariis liberum jus nominationis, et praesentationis cappellani praedicti juxta tenorem praecitati instrumenti emphyteusis, et nobis, et successoribus nostris jus approbationis, expeditionis literarum patentialium pro audiendis confessionibus, et in omnibus, et singulis vacationibus (donec nova fiat alterius cappellani praesentatio) deputationis oeconomi, cum facultate percipiendi proportionabiliter pro rata mensium emolumentum, et cum expressa declaratione, quod cappellanus praedictus debeat esse semper amovibilis tam ad nutum abbatum commendatariorum, quam ad nutum nostrum, ordinariorumque pro tempore, praevia tamen in quibuscumque casibus remotionis mutua eorum intelligentia.

Stipendii assignatio favore cappellani.

§. 8. Pro praedicti autem cappellani amovibilis annua congrua substentatione praeter usum habitationis in aedibus abbatialibus eidem ab eminentissimo abbate commendatario sine tamen ullo sui, aut suorum successorum onere manutentionis assignandae, et ab emphyteuta ejusdem abbatiae praestandae juxta pactum num. 7. instrumenti emphyteusis, ad quod, et praeter etiam usum praedictae ecclesiae sanctorum Victoris, et Coronae ab eminentissimo domino cardinali Leonardo Antonellio moderno commendatario benigne concessum (praeservata tamen sibi, ejusque in eadem abbatia successoribus ejusdem ecclesiae proprietate, juribus, ac praeeminentiis quomodocumque de jure competentibus) assignamus quadraginta scutata monetae Romanae quotannis ab eodem emphyteuta persolvenda juxta ejus obligationem emissam in supradicto instrumento emphyteusis die IV. maji MDCCLXXXIV. ad quod etc. Et cum declaratione, quod praeter praefatam summam nihil ultra persolvere teneatur etiam in casu, quo dicta congrua scutatorum quadraginta pro ejusdem cappellani substentatione impar esse comperiatur.

Assignatio redditus annui pro suppellectilibus ecclesiae

§. 9. Pro suppellectilibus vero ecclesiae idem eminentissimus abbas eas, quae nunc extant, novo cappellano curato, praevia earum descriptione, et quandocumque de illis rationem reddere teneatur, tradere mandabit; pro earumdem vero conservatione, et renovatione, nec non pro lampadis, et cerarum subministratione summam assignamus scutatorum decem quotannis persolvendam venerabili societati sanctissimi Sacramenti in dicta abbatiali ecclesia auctoritate nostra ordinaria jam erectae per capita domorum in locis, ut supra

descriptis, existentium juxta eorum obligationem per publicum instrumentum firmatam, ad quod etc.

Decretum. §. 10. Et ita erigimus, et constituimus cum omnibus, et singulis supra recensitis honoribus, oneribus, emolumentis, legibus, conditionibus, et reservationibus, salva tamen nostra, nostrorumque successorum auctoritate.

Executio decreti. §. 11. Exequutionem autem praemissorum omnium, ac publicationem praesentis committimus vicario nostro generali Cingulano cum facultatibus necessariis, et opportunis peragendi, et exequendi, quan vigore praesentis nostri decreti statuimus. Et ita etc. omni etc.

Datum Cinguli ex nostro episcopali palatio hac die octava augusti 1787.

G. Card. episcopus.
Joannes Franciscus Torretanus cancellarius episcopalis.
Loco † Sigilli.

Lat. datum, lectum, et promulgatum fuit praesens supradictum decretum per eminentissimum, et reverendissimum dominum cardinalem episcopum Auximanum, et Cingulanum die, mense, et anno supradictis etc.

Ita est Joannes Franciscus Torretanus de Cingulo notarius, et cancellarius episcopalis rogatus.

Concordat praesens copia publica cum decreto origiuali in hac cancellaria episcopali Cinguli existente, salva semper etc. in fidem etc. Cinguli ex cancelleria praedicta hac die 16. augusti 1787.

Ita est Joannes Franciscus Torretanus de Cingulo notarius, et cancellarius episcopalis rogatus.

Preces porrectae pro confirmatione erectionis. §. 12. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut praeinsertum decretum firmius subsistat, ut servetur exactius memorati exponentes apostolicae auctoritatis patrocinio communiri summopere desiderent; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 13. Nos igitur piis petentium votis annuere, ac memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praesens insertum decretum, ac omnia, et singula in eo contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 14. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque planarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, aliosve quoslibet quacumque praeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 15. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae ecclesiae Cingulanae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus; et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die septima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 11. sept. 1787. Anno XIII.

DCLXXIII.

Confirmatur erectio confraternitatis s. Philippi Nerii in parochiali ecclesia s. Antonii abbatis oppidi civitatis nuncupatae la Valletta Melevitanae dioecesis de licentia ordinarii alias facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Pietatis, ac Christianae charitatis opera, quae Salvator, ac Dominus Noster Jesus Christus, cujus vices, licet immeriti, gerimus in terris, fidelibus suis instanter commendavit, ubique cum divini cultus incremento, atque animarum salute exercere cupientes, spiritualibus gratiarum muneribus prosequimur, ut inde ferventius ipsi Deo inservire, atque immarcescibilem aeternae beatitudinis gloriam sibi valeant comparare.

Expositio precum. §. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum officialium, ac confratrum confraternitatis, seu congregationis, vel societatis sub titulo, ac invocatione sancti Philippi Nerii in parochiali ecclesia sancti Antonii abbatis la Vittoria nuncupat. oppidi civitatis pariter nuncupat. la Valletta Melevitanae dioecesis expositum fuit, quod alias ab anno nempe MDCXLVIII. aliqui familiares fratrum militum hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, qui tunc numerum sexdecim non excedebant, ut devotio erga sanctum Philippum Nerium magis magisque augeretur, unam virorum, non autem unius specialis artis, ac mulierum confraternitatem sub titulo sancti Philippi Nerii in parochiali ecclesia praedicta de consensu ordinarii loci erigi curarunt; verum cum postmodum devotio erga eumdem sanctum Philippum exardescerit, ac numerus etiam confratrum, et consororum valde adauctus sit, quo devotio hujusmodi in dies ad Dei gloriam, et animarum salutem crescat, erectionem hujusmodi per Nos confirmari, et approbari plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut erectioni, et institutioni praedictis apostolicae firmitatis robur adjicere, ac alias in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis. §. 3. Nos igitur, qui devotionem, et piorum operum, ac divini cultus incrementum, nec non animarum salutem sinceris desideramus affectibus, ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, erectionem, et institutionem dictae confraternitatis sub invocatione sancti Philippi Nerii utriusque sexus, non tamen unius specialis artis in parochiali ecclesia sancti Antonii Abbatis la Vittoria nuncupat. oppidi civitatis pariter nuncupat. la Valletta Melevitanae dioecesis, quatenus canonice de licentia ordinarii dictae parochialis ecclesiae factae sint, auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, ei confirmamus, illisque apostolicae, et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in praemissis quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus; nec non confratribus dictae confraternitatis pro tempore existentibus, ut processionaliter incedere, divina officia in suo oratorio recitare, et pro ipsius confraternitatis negotiis se congregare, ac quaecumque statuta, capitula, et ordinationes, ac decreta pro salubri dictae confraternitatis regimine, et directione necessaria, et opportuna, licita tamen, et honesta, sacrisque canonibus, et concilii Tridentini decretis, ac constitutionibus apostolicis non contraria per suam ordinarium examinanda, et approbanda, facere, et edere, illaque pro tempore, prout eis videbitur, ac expediens fuerit, praevia simili examinatione, et approbatione, mutare, alterare, corrigere, et in melius reformare, ac insuper omnia, et singula legata relicta, res, et bona mobilia, et immobilia per quoscumque Christifideles dictae confraternitati per viam testamenti, donationis, aut alias quomodolibet pro tempore elargita, et relicta recipere, illaque per eorum officiales, at deputatos regere, gubernare, et administrare, ac in ipsius confraternitatis, et ejus piorum operum usus convertere libere similiter, et licite valeant, ita tamen, ut de receptis, et administratis per eos suo ordinario juxta decreta concilii Tridentini rationem reddere teneantur, auctoritate et tenore praedictis concedimus, et indulgemus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die undecima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

Dat. Romae 14. septem. 1787. Anno XIII.

DCLXXIV.

Suppressio trium conventuum ordinis Servorum beatae Mariae virginis in regno Sardiniae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Expedit quammaxime animarum saluti, ut qui in sortem Domini sunt vocati, quique caeteris Christifidelibus dum in clerum erunt assumpti verbo, et exemplo praeire tenentur a teneris annis ad pietatem, et religionem efformentur, ac ecclesiasticis studiis instituantur, his siquidem ab adolescentia talibus instructi disciplinis nemini dabunt ullam offensionem, sed exhibentes semetipsos sicut ministros Dei, ac recte tractantes verbum veritatis, laicos, quoties id opportunum erit, de ipsorum vitiis redarguere, ipsosque libere, ac fortiter corripere poterunt. Hoc sane consilio sancta oecumenica Tridentina synodus seminariorum erectiones episcopis, caeterisque locorum ordinariis in suis singulis dioecesibus tantopere commendavit, ac Nos, praedecessoresque Nostri Romani pontifices, quoad integrum Nobis fuit, apostolicae, providentiae partes in illorum utilitatem, ac incrementum collocare non destitimus, prout in Domino salubriter expedire arbitrati sumus.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Victorii Amadei Sardiniae regis illustris expositum fuit, quod ipse non ignorans quantum ex pia institutione, ac recta educatione illorum, qui divino cultui se mancipare desiderant, in Ecclesia Dei splendoris, atque in Christifideles utilitatis oriatur, in ea parte dioecesis Papiensis, quae sibi in temporalibus subjecta est, scilicet in oppido civitate nuncupat. Fori Fulvii nedum annuente, sed in id suadente etiam venerabili fratre Bartholomaeo archiepiscopo episcopo Papiensi, novum episcopale seminarium pro suis subditis erigere, ac instituere constituit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo erigendum seminarium hujusmodi congruis ditetur redditibus, tum ad inibi excipiendos, sustentandosque alumnos, tum ad magistros conducendos, aliisque inservientibus danda stipendia considerans memoratus Victorius Amadeus, quod in eadem dioecesis Papiensis parte, quae sub suo imperio est, tres exigui reperiuntur conventus religiosorum, quorum alter est fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis sub titulo sanctissimae Annuntiatae de Monte, in quo vix unus sacerdos cum suo laico, seu converso commoratur; alter fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum sub titulo beatae Mariae de Tinella loci de Costigliole di Asti Papiensis dioecesis, ubi tres tantum sacerdotes cum suis laicis, seu conversis resident; tertius demum fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Poenitentia nuncupati sub titulo beatae Mariae virginis de Gratia loci di Borgo Franco ejusdem Papiensis dioecesis, ubi pariter nisi qualuor sacerdotes, et duo laici, seu conversi degunt, in quibus omnibus conventibus vel ob tenuem individuorum numerum, vel etiam maxime ob incommodam, ac pene desertam illorum positionem regularis disciplina minime custoditur, imo etiam potius quam aliquid commodi, aut utilitatis finitimis populis afferant, ipsis non raro offensionis causas praebent, quodque propterea neque commodius, neque utilius eidem seminario consuli posset, quam si praevia eorumdem trium conventuum suppressione, quorum secundus, et tertius, ut asseritur, retroacto saeculo vigore constitutionis felicis recordationis Innocentii

Expositio precum per rectorum regem Sardiniae.

pp. X. incipien. *Instaurandas* — apostolica auctoritate primum perpetuo suppressi, deinde vero ad pristinum statum restituti, atque hucusque ex apostolicae Sedis indulgentia permissi respective fuerunt, bona, jura, et actiones ad illos quomodolibet spectantia, et pertinentia in seminarii hujusmodi erectionem, et institutionem applicentur, et uniantur, prout applicari, et uniri memoratus Victorius Amadeus rex plurimum desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Supprimuntur tres conventus praedicti ordinis.

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Sardiniae regis votis annuere volentes, omnesque, et singulas personas, quarum favorem praesentes Nostrae literae concernunt, a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, tres dictos conventus; nempe sanctissimae Annuntiatae de Monte fratrum ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, sanctae Mariae de Tinella loci di Costigliole di Asti fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum; et beatae Mariae virginis de Gratia loci di Borgo Franco fratrum tertii ordinis sancti Francisci respective nuncupat. auctoritate apostolica tenore praesentium supprimimus, et penitus extinguimus, illorumque omnem conventualitatem, ac regularitatem tollimus, ac abolemus.

Bona applicantur piis usibus.

§. 4. Bona vero mobilia, ac immobilia, et semoventia, annuosque redditus, et proventus, jura, et actiones quomodolibet ad dictos conventus spectantia, et pertinentia, salvis missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, quibus gravantur, salvaque ecclesiarum eisdem conventibus adnexarum manutentione, erigendo dicto seminario auctoritate, et tenore praedictis unimus, atque applicamus, et unita, et applicata esse, et fore statuimus, atque decernimus.

Consulitur professoribus suppressorum conventuum.

§. 5. Omnes porro dictorum trium ordinum professores cujuscumque gradus, et qualitatis existentes, et quocumque officio, et superioritate fungentes, in hisce sic suppressis conventibus commorantes, quoad sacerdotem, ac laicum, seu conversum conventus sanctissimae Annuntiatae de Monte fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis ad alium conventum sancti Antonii ejusdem ordinis loci sancti Salvatoris in Monte Ferrato; quoad tres vero sacerdotes cum suis laicis, seu conversis conventus sanctae Mariae de Tinella loci di Costigliole di Asti ad alium conventum sancti Francisci ejusdem ordinis civitatis Alexandrinae provinciae Mediolanensis; demum quoad alios quatuor sacerdotes, ac duos laicos conventus beatae Mariae virginis de Gratia ad alium conventum, seu conventus ejusdem ordinis a superiori generali eligendum, seu eligendos etiam extra ejusdem Victorii Amadei ditionem existentem, seu existentes, ea tamen conditione, et lege, ut unicuique ex professoribus dictorum trium conventuum annua congrua vitalitia pensio conventibus, ad quos erunt ipsi translati ex bonis, ex redditibus dictorum suppressorum conventuum, ut praefertur, seminario praedicto applicatis ab illius administratoribus persolvenda assignetur, auctoritate, et tenore praedictis transferimus.

Deputatio executoris apostolici.

§. 6. Quocirca dilecto filio Horatio Cavalli de Sale utriusque juris doctori et archiepiscopi, episcopi Papiensis in ditione memorato Victorio Amadeo regi subjecta generali in temporalibus vicario per praesentes committimus, et mandamus, primum, ut praedictos tres conventus, nempe sanctissimae Annuntiatae de Monte fratrum ordinis servorum beatae Mariae Virginis, sanctae Mariae de Tinella loci de Costigliole d'Asti fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupat., et beatae Mariae Virginis de Gratia loci Borgo Franco fratrum tertii ordinis sancti Francisci respective nuncupat. fuisse, esse, et fore suppressos, atque extinctos auctoritate Nostra apostolica statuat, atque decernat; deinde ut translationem, seu translationes dictorum fratrum in dictos conventus faciendam assignata eis annua vitalitia pensione arbitrio suo, ac prudentia praefigenda, re ipsa juxta formam, ac tenorem praesentium fieri, et exequi curet, et faciat; ac tandem, ut omnia bona mobilia, atque immobilia, et semoventia, jura, et actiones ad eosdem conventus quomodolibet spectantia, et pertinentia, ita tamen, ut administratores pro tempora existentes dicti seminarii omnia missarum, et legatorum piorum onera, quibus dicti conventus ac adnexae ecclesiae gravantur, adimplere, ac decentem manutentionem, et earum ecclesiarum decorem studere teneantur,

tur, auctoritate, et tenore praedictis uniat, et applicet, ac unita, et applicata fuisse, esse, et fore mandet, atque declaret. Nos enim eidem Horatio omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere pro sua prudentia magis in Domino salubriter expedire arbitrabitur, facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Submovetur omne remedium juris, quod impedire posset executionem literarum apostolicarum.

§. 7. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima quarta septembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

DCLXXV.

Dat. Romae 14. sept. 1787. Anno XIII.

Supprimuntur nonnulla hospitia, et conventus nec non canonicatus, et beneficia cathedralis Belemensis, et eorum bona applicentur seminario, et collegio.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ingeniosa reginarum illustrium, ac praesertim harum, quae apostolicae Sedi sunt fidelitate conjunctae pietas iterum iterumque perspecta modo in divini cultus honore undique promovendo, quandoque vero in populorum eis subjectorum, quibus jugiter spiritualiter

aeque, ac etiam temporaliter flagranti animo adlaborant, et student felicitate modis omnibus pro curanda paterna viscera Nostra adeo allicit, atque in Domino oblectat, ut ipsis ad Nos postremo recurrentibus, et nova piorum locorum maxime pro adolescentium humanarum, divinarumque literarum scientia imbuendorum, tum etiam puellarum respectiva educatione, infirmorumque demum cura, et solamine institutionum concepta vota, et opportuna media exhibentibus Nos junctis Deo manibus, qui tam sanctas cogitationes excitat, gratulanter annuentes obviam ire non immoramur ea concedentes, quae et petitioni Nobis factae respondeant, ac caeteros etiam Christianos principes ad tam utilia catholicae religioni opera fovenda, ac pertractanda sub harum exemplo benedicente Domino efficacius accendere valeant.

Ratio concessionis. §. 2. Cum itaque sicut accepimus per dilectum filium Josephum Pereira Santiago equitem ordinis sancti Jacobi de Spatha apud Nos, et Sedem apostolicam carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae regaiibus negociis praepositum populus Belemensis de Parà civitatis, et dioecesis in parte magis septentrionali Americae meridionalis, et Brasiliae regni sub dominio tamen dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae consistens adeo considerabili numero modo adauctus reperiatur, ut illis stabilimentis, et mediis indigeat, quae ad religiose, civiliterque vivendum sunt necessaria, dicta Maria Francisca regina fidelissima pro eximia ejus, et quod optimum principem decet, spiritualis, et temporalis suorum subditorum utilitatis procurandae vigilantia, unum seminarium, seu collegium, ubi pueri pie, et religiose educari, ac bonis moribus, humanioribusque literis imbui valeant, ac unum xenodochium pro pauperibus infirmis inibi curandis, nec non unam piam domum pro recta puellarum educatione in dicta civitate, vel dioecesi Belemensi de Parà respectiva fundanda, atque instituenda, et fundandam, atque instituendam fore duxit valde proficuum, et opportunum, proindeque hac salutari per dictam Mariam Franciscam reginam fidelissimam super praemissis capta deliberatione ad procuranda media magis accomodata, et ad optatum finem facilius conducentia animum suum adjecit. Cumque pro constituenda firma, stabilique dotatione ejusdem seminarii, seu collegii, ac praedicti xenodochii, et dictae piae domus sic, ut praefertur, respective fundandorum, atque instituendorum aeque firma, et stabilia requirantur subsidia; provide idcirco dicta Maria Francisca regina fidelissima considerans, quod in praedicta civitate Belemensi de Parà unus adest conventus religiosorum ordinis fratrum calceatorum beatae Mariae virginis de Mercede redemptionis captivorum nuncupatorum, ac unum in villa de Camerà, et alterum in villa de Vigia dictae dioecesis parva fratrum ejusdem ordinis existunt hospitia, quorum individui in eis degentes regularia negligunt sui ordinis instituta, adeo ut non solum nihil utilitatis, et commodi christiano populo afferant, sed etiam (prout ex habitis informationibus certo constat) gravaminis sint intollerabilis. Capitulum vero majoris ecclesiae Belemensis de Parà quatuor dignitatibus; et decem canonicatibus, totidemque presbyteratos, ac sex aliis canonicatus totidemque diaconatibus, et quatuor etiam aliis canonicatibus, totidemque subdiaconatibus respective nuncupatis praebendis, et sexdecim perpetuis simplicibus personalem tamen residentiam requirentibus beneficiis ecclesiasticis, beneficiatibus etiam nuncupatis, nec non viginti et una perpetuis sine cura, dictam tamen residantiam requirentibus, cappellaniis, ac decem pueris choro dictae majoris ecclesiae addictis, aliisque illi inservientibus constat; quae quidem dignitates, nec non canonicatus, et praebendae, ac beneficia praedicta, et cappellaniae praedictae, ut etiam accepimus, de jurepatronatus dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae, ejusque Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi successorum regum fidelissimorum pro tempore existentium ex fundatione, vel dotatione existunt; optime intellexerit, quod si conventus hujusmodi, et duo hospitia praedicta, prout etiam quatuor ex canonicatibus, et presbyteratibus, ac duo ex aliis canonicatibus, et diaconatibus respectiva nuncupatis praebendis hujusmodi; nec non octo ex praedictis beneficiis ad praesens si qui, et quae sint quovis modo respective vacantes, et vacantia, seu primo loco, et quovis modo respective vacaturi, et vacatura per Nos, ut infra respective supprimerentur, et extinguerentur, ita ut dictae majoris ecclesiae canonicatus, et praebendae ad quatuordecim, beneficia vero hujusmodi ad octo respective

numerum pro exacto ipsius majoris ecclesiae servitio, atque in ea sacris functionibus, divinisque officiis decenter peragendis, et celebrandis sufficientem reduci debeantur, firmis tamen remanentibus, et in hujusmodi reductione non comprehensis quatuor dignitatibus, ac viginti, et unam cappellaniis praedictis: nec non ejusdem conventus, et duorum hospitiorum, nec non canonicatuum, et praebendarum, ac beneficiorum sic per Nos, ut infra supprimendorum, et extinguendorum hujusmodi respective bona, fructus, redditus, et proventus seminario, seu collegio, ac xenodochio, et piae domui praedictis, ut praefertur, respective fundandis, et instituendis, ac pro aedificiis ad hujusmodi effectum aptis, et necessariis construendis, illorumque manutentione, prout etiam praeceptorum, aliorumque ministrorum, et inservientium stipendiis, aliisque stabilimentis aeque necessaria modo, et forma infrascriptis applicarentur, id opportunum sane foret medium, quo ad seminarii, seu collegii, ac xenodochii, et piae domus praedictorum respective fundationem, et institutionem praedictas, ac fundorum pro illorum respective subsistentia, et dotatione necessariorum, aliorumque stabilimentorum hujusmodi constructionem facilius posset deveniri. Ad quem suppressionis, et applicationis effectum dictus Josephus ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae nomine Nostram, et Sedis apostolicae auctoritatem desuper imploravit.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur tam piis ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae votis obsecundare volentes, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine ex nunc supradictum conventum, et duo hospitia praedicta cum omnibus illorum officiis, ministeriis, omnique conventualitate, eorumque respective titulo, essentia, et denominatione, ac etiam ex nunc, si qui, et quae quovis, quem Nos praesentibus haberi volumus pro expressis, modo vacantes, et vacantia existant, seu ex nunc prout ex tunc, et e contra quatenus tamen illi, et illa ad praesens vacantes, et vacantia minime existant, postquam tamen illi, et illa ex personis eos, et ea ad praesens respective obtinentibus quovis modo respective vacaverint. Quatuor canonicatus, totidemque presbyterales, ac alios duos canonicatus, totidemque diaconales respective nuncupatas praebendas ex supradictis viginti canonicatibus, et praebendis, nec non octo ex beneficiis praedictis, illorumque respective titulos collativos, nomina, denominationes, naturas, et essentias canonicatuum, et praebendarum, ac beneficiorum collativorum, ita quod illi, et illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativi, et collativa esse desinant, et de caetero uti tales, et talia in titulum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo etiam ad nominationem dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae, ejusque successorum regum fidelissimorum praedictorum pro tempore existentium nullatenus umquam disponi possit, et si illos, et illa deinceps ullo umquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illis pro tempore quomodolibet respective factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo respective supprimimus, et extinguimus.

Assignatio bonorum suppressis conventibus, et hospitiis pertinentium.

§. 4. Illisque sic suppressis, et extinctis, ex nunc omnes, et singulos conventus, et duorum hospitiorum, ac si qui, et quae ad praesens vacent, seu quatenus illi, et illa minime vacantes, vel vacantia existant in eventum praemissum tantum, et non alias canonicatuum, et praebendarum, ac beneficiorum, sic ut praefertur, suppressorum, et extinctorum respective fructus, redditus, proventus, res, proprietates, obventiones, et emolumenta quaecumque, dictique conventus, et duorum hospitiorum respective bona mobilia, et immobilia, tam sacra, quam profana, domos, vineas, praedia, canones, responsiones, introitus, et jura quaecumque ubicumque locorum existant, seminario, seu collegio, ac xenodochio, et piae domui, aliisque stabilimentis praedictis, ut praefertur respective fundandis, atque instituendis, ita quod liceat illorum futuris oeconomis, seu deputatis pro tempore extituris per se, vel alium, seu alios eorum, ac seminarii, seu collegii, ac xenodochii, et piae domus sic, ut praefertur, fundandae et instituendae nomine ex nunc conventus, et duorum hospitiorum, ac vacantium, et statim ac casus illorum respective vacationis evenerit, minime ad praesens vacantium respective canonica-

tuum, et praebendarum, ac beneficiorum praedictorum sic, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum, illorumque respective rerum, bonorum, proprietatum, bonorum, vinearum, praediorum, canonum, responsionum, introituum, et jurium praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, dictaque bona, res, proprietates, domos, vineas, et praedia hujusmodi respective locare, dislocare, arrendare, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones, et emolumenta, canones, responsiones, et introita hujusmodi respective percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per seminarii, seu collegii, ac xenodochii, et piae domus sic, ut praefertur, fundandae, atque instituendae oeconomos, seu deputatos pro tempore extituros praedictos manutentionis ecclesiarum, conventus, et duorum hospitiorum, ac canonicatuum, et praebendarum, et beneficiorum per Nos, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum hujusmodi, ac piarum fundationum respective oneribus, et detracta quoque prius ex illis congrua portione convertenda in tot annua assignamenta favore individuorum conventus, et duorum hospitiorum per Nos, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum hujusmodi per infrascriptum exequutorem discrete, praevia ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae approbatione, et prout indigentia postulabit, constituenda, et per oeconomos, seu deputatos praedictos pro tempore extituros individuis praedictis ad alium conventum ejusdem ordinis in praefectura, vulgo capitania do Maranhao nuncupata sancti Ludovici de Maranhao civitatis, vel dioecesis sub ditione dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae etiam consistente, et infra, transferendis, quatenus tamen conventus secundo dictus sufficientes non habeat redditus pro dictorum individuorum, ut praefertur, transferendorum alimonia, et manutentione, seu etiam in eventum, in quem aliqui ex individuis praedictis indultum vivendi in saeculo in habitu presbyterorum saecularium a Sede apostolica impetraverint ad eorum respective vitam, et non alias persolvendi apostolica auctoritate praedicta etiam perpetuo proportionabiliter applicamus, et appropriamus. Ac propterea fratres primodicti conventus, et duorum hospitiorum per Nos, ut praefertur, suppressorum, et extinctorum hujusmodi ad secundo dictum alium conventum dicti ordinis eadem apostolica auctoritate transferimus.

§. 5. Decernentes praesentes Nostras literas apostolicas etiam ex eo, quod fratres primodicti conventus, et duorum hospitiorum per Nos ut praefertur suppressorum, et extinctorum hujusmodi, eorumque ordinis praedicti superiores, et caeteri quicumque in praemissis interesse habentes, seu quomodolibet habere praetendentes illis non consenserint, nec ad id vocati, et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae nullatenus fuerint, ullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali; sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, vel a quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso; sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, etiam talis, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, vel gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, et impetrato quemquam uti, seu se juvari posse, neque debere, ac easdem praesentes semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari; sicque, et non alias in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios, aliosve quoscumque quavis facultate, auctoritate, potesta-

Clausulae salutares, et irritantes.

te, praerogativa, et privilegio fungentes, ac honore, et praeeminentia fulgentes; sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, judicari, et definiri debere, irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero annuo beneficiorum, aliorumque fructuum, reddituum, et proventuum ecclesiasticorum valore in suppressionibus, et applicationibus perpetuis, hisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, et quatenus opus sit felicis recordationis Pauli pp. II. praedecessoris Nostri de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non supradicti conventus, dictaeque majoris ecclesiae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis praedictae majori ecclesiae, illiusque praesuli, capitulo, et canonicis, dictoque ordini, illiusque superioribus, religiosis, et personis quibuslibet sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, et irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis pro illorum sufficienti derogatione aliter de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut quaelibet alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime ad praemissorum validissimum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Per easdem vero praesentes venerabilem fratrem Nostrum modernum archiepiscopum Thessalonicensem in partibus Infidelium in civitate Lisbonensi commorantem in exequutorem earumdem praesentium literarum apostolicarum dicta apostolica auctoritate deputamus. Eidemque archiepiscopo, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam in hujusmodi exequutione subdelegare libere, et licite valeat eadem apostolica auctoritate facultatem concedimus, et impertimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, applicationis, appropriationis, translationis, decreti, derogationis, deputationis, et facultatis concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pridie idus novembris, pontificatus Nostri anno tertio decimo. — Deputatio executoris apostolici.

DCLXXVI.

Dat. Romae 17. novem. 1787. Anno XIII.

Suppressio unius ex dignitatibus principalibus patriarchalis ecclesiae Lisbonensis, illiusque fructuum applicatio muneri generalis inquisitoris tribunalis sacrae inquisitionis in regno Portugalliae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Venerabili fratri
archiepiscopo Lacaedemoniensi
in partibus infidelium Lisbonae commoranti
salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum apostolatus officium humeris Nostris licet immerito a Christo Domino impositum a Nobis exigat, ut ad omnes officii hujusmodi partes adimplendas nulla ex iis praetermissa, nulla neglecta curas Nostras dirigere — Proemium

debeamus, atque omnibus occurrentibus in vinea Domini necessitatibus manum praebere opportunam. Cumque harum partium inter praecipuas postrema non sit ecclesiasticis illis viris, qui pro tuenda catholica religione, eademque vinea Domini non excolenda solummodo, sed et infestis in ea succrescentibus herbis evellendis, atque extirpandis strenuam operam impendunt firma, stabilique mercedis assignatione alacritatem addere, et animum, laudabilibus proinde personarum regia potestate fulgentium, votisque in id operis viribus propensius student incumbare apostolicae Sedis gratia fovere summopere in Domino obtestamur.

Tenor precum porrectarum a regina Portugalliae, et Algarbiorum

§. 2. Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Josephi Pereira Santiago equitis ordinis sancti Jacobi de Spatha, ac carissimae in Christo filiae Nostrae Mariae Franciscae Portugalliae, et Algarbiorum reginae fidelissimae apud Nos, et Sedem apostolicam suis regiis negociis praepositi, ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae nomine petitio continebat, quod cum ipsa serio perpenderit pro tempore existentibus generalibus inquisitoribus tribunalis sacrae inquisitionis contra haereticam pravitatem in Portugalliae, et Algarbiorum hujusmodi regnis existentibus, ad hoc ut ipsi tam conspicuum ecclesiasticum munus decentius sustinere valerent par pro tempore existentes eorumdam Portugalliae, et Algarbiorum reges fidelissimos ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae praedecessores ex propriis regiis redditibus gratuitas substentationes subministrari hactenus oportuisse, propterea que, ac ob ejus commendabilem religionis zelum, et pro ea, qua erga ecclesiasticos viros praesertim in tam insigni dignitate constitutos fertur benignitate summopere cupiant, infrascripti moderni, et pro tempore existentium generalium inquisitorum hujusmodi statui decenter, ac firmiter providere, et ad hunc effectum perspectum habeat, quod si ex nunc deinceps omnes, et singuli fructus, jura, obventiones, et emolumenta unius ex dignitatibus generalibus nuncupatis patriarchalis ecclesiae Lisbonensis ad praesens certo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso modo, extra Romanam curiam vacantibus, quae sicut accepimus, prout etiam aliae ejusdem patriarchalis ecclesiae dignitates, praelaturae similiter nuncupatae; ac canonicatus, et praebendae, caeteraque beneficia ecclesiastica in dicta patriarchali ecclesia existentia de jure patronatus praedictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae ex fundatione, vel dotatione existunt (praevia tamen illius tituli collativi perpetua suppressione, et extinctione) muneri generalis inquisitoris pro tempore existentis hujusmodi perpetuo applicarentur, et appropriarentur, at hoc profecto illius statui, ac decenti substentationi juxta ejusdem muneris exigentiam, ac tam pia dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae vota opportune consuleretur. Quare pro parte dicti Josephi ejusdem Mariae Franciscae reginae fidelissimae nomine supradicto Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus ipsius Mariae Franciscae reginae fidelissimae justis, ac piis votis, et desideriis praedictis favorabiliter annuere de benignitate apostolica dignaremur.

Ratio concessionis, et mandatum ad peragendam suppressionem dignitatis in ecclesia patriarchali Lisbonensi.

§. 3. Nos igitur, qui dudum inter alia voluimus, quod petentes beneficia ecclesiastica aliis uniri, tenerentur exprimere verum annuum valorem secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi, quam illius, cui uniri petitur, et in unionibus, seu applicationibus hujusmodi semper commissio fieret ad partes, vocatis, quorum interest, idemque servaretur in quibusvis suppressionibus, perpetuis dismembrationibus, ac concessionibus etiam de quibuscumque fructibus ecclesiasticis, quique regias dispositiones ad stabilimentum status personarum ecclesiasticarum provide factas benigno favore prosequi studemus, specialem gratiam facere volentes, nec non aliarum applicationum praedicto muneri generalis inquisitoris hacteus forsan factarum, si quae sint tenores etiam veriores, ac datas praesentibus pro expresse habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint ad id evocandi, dignitatem praedictam, sive ut praefertur, alias quovis modo, aut ex cujuscumque persona, seu per liberam cujusvis resignationem de illa extra dictam curiam etiam coram notario publico, et testibus sponte factam, aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici ordinaria auctoritate collati vacet, etiamsi tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem praedictam legitime devoluta, ac dignitas praedicta dispositioni apostolicae specialiter reservata existat, et su-

per ea inter aliquos lis, cujus statum praesentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, dummodo tempore datae praesentium non sit in ea alicui specialiter jus quaesitum, dictaeque dignitatis titulum collativum, nomen, denominationem, naturam, et essentiam dignitatis collativae, ita quod illa ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativa esse desinat, et de caetero uti talis in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illa quovis modo etiam ad nominationem, seu praesentationem dictae Mariae Franciscae reginae fidelissimae, ejusque successorum regum fidelissimorum pro tempore existentium disponi nullatenus umquam possit, et si illam deinceps ullo umquam tempore conferri, aut impetrari, vel alias de illa quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quaevis aliae dispositiones de illa pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant auctoritate Nostra perpetuo supprimas, et extinguas.

Applicatio bonorum spectantium ad dignitatem supprimendam.

§. 4. Illaque sic suppressa, et extincta omnes, et singulos ejusdem dignitatis per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae fructus, redditus, et proventus certos, et incertos, distributiones quotidianas, jura, et emolumenta quaecumque ad eamdem dignitatem per te, ut praefertur, supprimendam, et extinguendam quomodolibet spectantia praedicto muneri generalis inquisitoris hujusmodi, ita quod liceat venerabili fratri Nostro Ignatio a sancto Cajetano moderno archiepiscopo Thessalonicensi in partibus infidelium moderno ex nunc, ac perpetuis futuris temporibus ipsius Ignatii archiepiscopi in munere praedicto successoribus generalibus inquisitoribus pro tempore existentibus per se, vel per alium, seu alios eorum, ejusdemque muneris nomine praedictae dignitatis per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae, illiusque bonorum, rerum, proprietatum, fructuum, reddituum, et proventuum certorum, jurium, obventionum, et emolumentorum praedictorum veram, realem, corporalem, et actualem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere, dictaque bona, res, et proprietates locare, dislocare, arrendare, fructus quoque, et emolumenta praedicta percipere, exigere, levare, ac supportatis tamen prius per dictum Ignatium archiepiscopum ut praefertur, modernum, et pro tempore existentem generalem inquisitorem hujusmodi praedictae dignitatis per te, ut praefertur, supprimendae, et extinguendae missarum, aliisque, si quae sint illius oneribus in eorum respective usus, et utilitatem convertere, et de illis absque ulla prorsus differentia, aut imminutione, prout eadem Maria Francisca regina fidelissima provide statuit, libere gaudere dioecesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita auctoritate Nostra praedicta, et sine alicujus praejudicio etiam perpetuo applices, et appropries.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 5. Nos enim si suppressionem, extinctionem, applicationem, et appropriationes hujusmodi, aliaque per te earumdem praesentium vigore fieri contigerit, ut praefertur, easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari, et adimpleri debere, nec ullo umquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa etiam quantumvis juridica, et legitima, pia, et privilegiata, ac speciali nota digna, etiam ex eo, quod causae propter quas praemissa emanarunt, adductae, verificatae, et justificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut quovis alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, aut quocumque alio capite notari, impugnari, aut alias quomodolibet infringi, retardari, annullari, seu per Nos, et successores Nostros Romanos pontifices pro tempore existentes, ac Sedem eamdem, etiam motu proprio, et ex certa scientia, seu Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos, dictaeque Sedis nuncios, vel quosvis alios quavis auctoritate fungentes revocari, suspendi, restringi, limitari, ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, vel facti, seu gratiae, aut justitiae remedium impetrari, seu illis in aliquo derogari, aut quidquam aliud in contrarium disponi nul-

latenus unquam posse, nec illas sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas etiam quandocumque, etiam in crastinum assumptionis successorum Nostrorum Romanorum pontificum pro tempore existentium, et cujuslibet illorum ad summi apostolatus apicem, ac alias sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis etiamsi de eisdem praesentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat in posterum edendas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum, ac validissimum, ac cum, in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data quandocumque eligenda concessas esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempora quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari. Sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, vice legatos; dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum. §. 6. Non obstantibus priori voluntate Nostra praedicta, ac Lateranensis concilii novissime celebrati suppressiones, et applicationes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque quibusvis etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis, confirmatis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse, nec non opportune, et valido, hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo septimo quintodecimo kalendas decembris, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXXVII.

Dat. Romae as. novemb. 1787 Anno XIII.

Confirmatio capituli provincialis ordinis s. Augustini Eremitarum nuncupatorum provinciae Limanae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Injuncti Nobis per abundantiam divinae misericordiae pastoralis officii sollicitudo postulat, ut ad ea, per quae prospero illorum Christifidelium, qui Deo proprius in religione famulari susceperunt, statui, quoad Nobis integrum est, opportune consulitur, ejusdem officii partes sedulo intendamus, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum per rectorem a rege catholico. §. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod licet alias bonae memoriae Joannes de Raya, dum vixit, visitator, et reformator legitime deputatus dilectorum filiorum fratrum ordinis sancti Augustini Eremitarum nuncupat. provinciae Limanae inter caetera dilectum itidem filium Michaelem Munatriz fratrem dicti ordinis sancti Augustini expresse professum utriusque suffragii expertem esse declaraverit, seu voce acti-

va, et passiva privaverit, nihilominus in capitulo provinciali anno MDCCLXXXII. habito memoratus Michael a pluralitate vocalium in provincialem hujusmodi nulliter, atque invalide fuit electus, de qua irregularitate a pro-rege Peruviano commoniti vocales praedicti nondum post ad novam electionem processerunt, ac iterato scrutinio, electio in dilectum filium Laurentium Rodriguez fratrem provinciae, et ordinis praedictorum expresse professum devenit; qui muneris hujusmodi possessionem nactus, illud laudabiliter functus est, ea etiam, quae pro ejusdem provinciae reformatione jam fuerunt constituta exequendo. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Karolus rex catholicus ad omnem arcendam dubitationem, ac scrupulum ex animo vocalium hujusmodi, quae circa legitimam electionem dicti Laurentii Rodriguez in provincialem provinciae Limanae praedictae forsan exorta sunt, capitulum provinciale praedictum, cum etiam in eo factam electionem, caeteraque inde sequuta per Nos confirmari, et quatenus opus sit, sanari, aliaque pro ejusdem provinciae utilitate disponere summopere desideret: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur licet capitulum provinciale praedictum, nec non electio dicti Laurentii alias a dilecto filio magistro generali dicti ordinis fratrum sancti Augustini Eremitarum nuncupat. fuerint confirmata, nihilominus cum nil desideremus impensius, nilque Nobis magis cordi sit, quam inter eos praesertim Christifideles, qui e fluctibus saeculi erepti ad tranquillum religionis portum confugerunt, omnes dissentionum, ac disceptationum causas adimere, ac piis ejusdem Karoli regis catholici votis annuere volentes, dictaeque provinciae vocalium singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi Nobis humiliter porrectis inclinati, capitulum provinciale praedictum anno MDCCLXXXII. habitum, seu celebratum, ut praemittitur, nec non electionem dicti Laurentii in provincialem provinciae hujusmodi in eo factam, atque omnia inde sequuta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et validamus, et quatenus opus sit, omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem intervenerint, supplemus, et sanamus.

Conditiones adnexae.

§. 4. Atque ut in proximo futuro capitulo provinciali provinciae praedictae omnia juxta ordinis praedicti statuta, et dictae provinciae consuetudines in pace fiant, venerabilem fratrem Joannem Dominicum archiepiscopum Limanum, de cujus prudentia, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in dicto capitulo provinciali Nostro, et Sedis apostolicae nomine praesidentem cum auctoritate, facultatibus, jurisdictione, honoribus, et oneribus similibus praesidentibus competentibus, aliisque solitis, et consuetis, ac cum facultate, ut si, et quando definitorum nominationibus, ac superiorum localium electionibus, aliisque actibus capitularibus hujusmodi interesse non poterit, suum in spiritualibus vicarium in sui locum ad hujusmodi praesidentis munus obeundum cum auctoritate, et facultatibus illi per praesentes concessis substituendi auctoritate, et tenore praedictis facimus, constituimus, et deputamus. Quod si interim, quod Deus avertat, memoratus Joannes Dominicus archiepiscopus ex hac vita migrare contigerit, in sui locum in praesidentem hujusmodi cum auctoritate, facultate, et jurisdictione praedictis vicarium capitularem legitime deputatum sufficimus, ac constituimus. Praeterea eidem Joanni Dominico archiepiscopo per praesentes committimus, et mandamus, ut duos fratres ordinis, et provinciae praedictorum expresse professos sibi benevisos, qui caeteroquin prudentia, ac religionis zelo maxime commendabiles sint, deputet, ut accepti, et expensi conventus Limani dicti ordinis initium sumendo a provincialatu dilecti filii Thomae Artuis usque ad modernum priorem Limanum, a tempore scilicet, quo vita communis in dicto conventu fuit inducta, rationes petant, easque, quatenus rectae reperiantur, approbent, et confirment.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime

suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac apostolicae Sedis nuncios, sublata, eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciae praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima tertia novembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 23. novemb. 1787. Anno XIII.

DCLXXVIII.

Ad felicius regimen custodiae Terrae Sanctae ordinis fratrum minorum observantium nova praescribitur custodis, officialium, et discretorum eligendorum forma.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Inter multiplices, gravissimasque sacrosancti apostolatus officii Nobis divinitus commissi curas, in id praecipue pastoralem Nostram omnium ecclesiarum sollicitudinem incumbere oportere intelligimus, ut salubriori directioni, felicioríque progressui sacrorum operariorum, quos ad Dominicum agrum excolendum mittimus, consulamus.

Memorantur providentiae saptae a Romanis pontificibus favore religiosorum ordinis minorum.

§. 2. Dudum siquidem praedecessores Nostri Romani pontifices religiosos viros ordinis minorum sancti Francisci de observantia nuncupatorum, in civitate Hierusalem, aliisque sanctis Palestinae locis, in quibus Christus Dominus humanae redemptionis mysteria ortu, vita et morte sua consummavit divino cultui, et proximorum, ac peregrinorum saluti famulantium, pluribus privilegiis, facultatibus, exemptionibus, gratiis, et indulgentiis exornarunt, ad quos omnes magnus profecto cumulus accessit concessionibus praedecessorum Nostrorum Benedicti XIII., et Benedicti XIV. quorum alter constitutione, quae incipit *Loca sancta*, data quinto nonas martias MDCCXXVII. omnia, et singula privilegia a Romanis pontificibus decessoribus Nostris custodiae Terrae Sanctae in genere, et in specie, aut aliàs quinque ab hinc saeculis quomodolibet tributa, iterum concessit, amplissimaque in forma innovavit; alter per quasdam suas in simili forma Brevis literas, quorum initium: In *supremo militantis Ecclesiae solio*: die VII. januarii MDCCXLVI. expeditas, statuta, et decreta pro felici ejusdem custodiae gubernio, a tunc temporis existente ministro generali supradicti ordinis, in duas familias Cismontanam, et Ultramontanam dictas, jam diu divisi ipsius pontificis mandato, et auctoritate compilata, et per Nostram congregationem de Propaganda Fide revisa, et mature perpensa; approbavit, et apostolicae confirmationis robore communivit, quibus in statutis rata haberetur vetustissima illa consuetudo usque ab anno MDCCLXIV. in generalibus praedicti ordinis comitiis confirmata, de tribus praecipuis ejusdem custodiae officiis guardianatu, scilicet sancti montis Sion, vicariatus sanctissimi Salvatoris, et procuratione rerum temporalium ad custodiam pertinentium in utriusque familiae religiosos, ita dividendis, ut guardianatus Cismontano, vicariatus Gallo; procuratio Hispano, semper, et privative deferri debeat.

Expositio precum portectarum.

§. 3. Quum autem nuper dilectus filius eques Joseph de Azara charissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici apud Nos, Sedemque apostolicam minister plenipotentiarius, exponi Nobis curaverit regio

nomine magis convenire spirituali ac temporali regimini supradictae custodiae Terrae Sanctae, et ad animos religiosorum variarum nationum, ex quibus eadem custodia conflatur, mutuae charitatis vinculo devinciendas, ut ad praedicta tria praecipua officia, et munera promiscua, atque alternatim aditus pateat religiosis familiae, tam Cismontanae, quam Ultramontanae, et quoad Ultramontanam familiam Hispanis, Gallis, et Lusitanis, juxta methodum a laudato equite Josepho de Azara scripto traditam, ac dilectum filium magistrum Stephanum Borgia congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum a secretis Nobis relatam; proindeque petierit, ut novam hanc dictorum trium officiorum in religiosos praedictarum nationum distribuendorum formam auctoritate apostolica constitueremus.

Tenor conventionis

§. 4. Hinc est quod Nos desiderio flagrantes satisfaciendi petitioni inclyti regis, cui vera Dei religio, non modo in suis florentissimis regnis, atque provinciis ipsius pietate, et opibus diligentissime communita; verum, et ubique terrarum fulta praesidio, officiisque ac beneficiis suis defensa, aucta, et propagata, tantum debet, quantum commemorari vix potest, simulque feliciorum gubernationi religiosorum praedictae custodiae, et accuratiori administrationi pecuniarum, quae ad loca sancta manutenenda, et conservanda impenduntur, prospicere volentes, audito prius dilecto filio Paschale a Varisio ministro generali supradicti ordinis, motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione, deque apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium mandamus, decernimus, et constituimus, ut in posterum dicta tria officia, et munera guardiani, vicarii, et procuratoris Terrae Sanctae, sexennii spatio duratura, quacumque confirmationis spe prorsus sublata, ab Hispanis, Gallis, Lusitanis, et Cismontanae familiae religiosis promiscue, et per turnum, sic exerceri debeant, ut et nunc, primo nempe sexennio, quod proxime immediate subsequitur, eligatur ad officium guardianatus, quod in praesens, jam vacat per obitum bo: mem: fr: Joan: Dominici a Lavigliano ejusdem Terrae Sanctae, dum viveret guardiani religiosus Hispanus, ad vicariatum Cismontanus, ad procurationem Gallus; secundo vero sexennio ad guardianatum Cismontanus, et vicariatum Gallus, ad procurationem Lusitanus; tertio sexennio ad guardianatum Gallus, ad vicariatum Lusitanus, ad procurationem Hispanus; quarto sexennio ad guardianatum Lusitanus, ad vicariatum Hispanus, ad procurationem Cismontanus respective assumantur, et eligantur; et sic deinceps de sexennio in sexennium eodem ordine mox constituto.

Conditiones adnexae.

§. 5. Electio autem dictorum trium officiorum fiat a capitulo provinciali totius custodiae Terrae Sanctae eo, qui sequitur modo. Minister, seu superior generalis instituat, atque eligat opportuno tempore in praesidentem capituli mox indicendi religiosum ejusdem custodiae, vel ex alia quacumque provincia, qui tamen sit ex ea natione, seu familia, cujus nulla haberi potest ratio in praedictis officiis demandandis, juxta turnum, atque ordinem supra propositum, proindeque talis praesidens per superiorem generalem nominandus primo sexennio Lusitanus, altero Hispanus, tertio Cismontanus; quarto demum sexennio Gallus esse debebit. Huic porro praesidenti, sic electo, idem superior ordinis communicabit omnes, et singulas facultates, et jura, quae ordinis constitutiones, et consuetudines praesidentibus capitulorum tribui solent; illo dumtaxat excepto, vocis passivae, sive elegibilitatis ad praedicta tria officia, quo perfrui nullo modo debet juxta ea, quae paulo ante constituimus; ejusdem praesidentis officium erit capitulum per literas convocatorias anno circiter ante expediendas ad constitutam diem indicere in praecipuo totius custodiae coenobio, vel si inibi pestis grassetur, in alio quocumque ejusdem custodiae conventu, celebrandum. Ad hoc autem capitulum omnes guardiani conventuum, et praesidentes actuales hospitiorum Terrae Sanctae tenebuntur accedere, nisi infirmitas valetudinis, vel epidemica contagio occupans loca, in quibus degunt, vel per quae iter agere debebunt, fuerit impedimento, iisque impeditis liceat religioso sacerdoti suae respectivae nationis ex eadem Terrae Sanctae custodia per legitimum procurae mandatum a praesidente capituli cum discretorio recognoscendum, et admittendum proprii suffragii praerogativam deferre. Hi igitur guardiani conventuum, et praesidentes hospitiorum una cum praesidente capituli, et discretorio Terrae Sanctae, quod ex septem religiosis coalescit, nom-

pe ex guardiano, vicario, procuratore, aliisque quatuor, qui discreti appellantur, capitulariter congregati, per procuratoria, tum ad triennalia officia quatuor discretorum ex totidem nationibus, Italica nempe, Hispanica, Gallica, et Germanica semper assumendorum, etiamsi munus decurrente triennio ex obitu, vel dimissione alicujus discreti vacet (qui tamen poterunt ad aliud triennium, aut antea continuare, si ita expediens discretorio videbitur, et dummodo per secreta suffragia quatuor ad minus concurrant pro continuatione) totidemque alios religiosos illarum nationum, ex quibus quoad tria potiora tenore praesentium, quoad caetera vero juxta Terrae Sanctae statuta, sunt assumendi, sicque electi, et de novo instituti respectivorum officiorum possessionem illico capiant una cum electo in guardianum s. montis Sion, cui habita ratione distantiae locorum concedimus, et indulgemus, ut jurisdictionem suam in omnes, et singulos fratres in custodia Terrae Sanctae commorantes exercere possit, et valeat, etiam antequam ad eam pervenerint, tum confirmatoriae superioris generalis sui, tum patentes literae, et facultates praefecti missionum a custodia Terrae Sanctae dependentium per supradictam congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negociis propagandae fidei praepositorum ipsi concedendae, quas literas statim post electionem petere, et obtinere tenebitur, obtentasque formiter publicare: concesso etiam interim usu facultatum, tam ordinariorum, quam extraordinariarum, quae per organum ejusdem congregationis eidem guardiano concedi solent. Praesidens autem capituli, novusque guardianus, vicarius, et procurator tribunal component, quo coram singillatim discutiantur rationes, et merita illorum religiosorum, qui tribus hisce sexennalibus muneribus nuper perfuncti fuerant, talisque sindicatus explebitur per judiciale decretum approbationis, seu reprobationis, sive ex toto, sive ex parte rerum a singulis gestarum in respectivi exercitatione muneris; cujus quidem decreti authenticum exemplar quatuor virali praedictorum judicum subscriptione munitum, transmittant ad superiorem generalem ordinis, qui pro excussis in praedicto sindicatu rationibus, debitas cuilibet, vel pro meritis laudes, et praemia, vel pro defectibus poenas, reprehensionesque sua auctoritate constituet.

§. 6. Vacante tandem per obitum, vel alia quacumque de causa in sexennii, aut triennii decursu aliquo, sive ex tribus majoribus officiis, guardianatus, vicariatus, et procurationis, sive ex quatuor minoribus, discretorii partes erunt illico subrogare, et eligere ad muneris complementum, videlicet ad tempus sexennalis, vel triennalis spatii, quod remanet, alium religiosum illius nationis, quae vacans officium occupabat, adeo ut quolibet sexennio, vel triennio unaquaeque natio suum respectiva munus juxta turnum supra praefixum, integre occupare debeat. Talis autem subrogatio, et electio sub nullitatis poena fiat, ut sequitur. Proponantur ab officiali illius nationis, ex qua novus est assumendus, tres religiosi, ac si contigerit, ut vacante officio quod Lusitanus occupabat, nullus adsit Lusitanus inter sex viros, qui supersunt, tunc trium Lusitanorum praesentatio ad digniorem officialem Hispanum pertineat. Deinde facta in discretorio discussione meritorum de singulis: guardianus, vel vicarius, si de guardiano eligendo agatur, eligendum discretorio proponet, quem magis dignum, et idoneum in Domino judicaverit; editoque ab electoribus jurejurando coram imagine Christi Domini cruci affixi de meliore eligendo, subrogatio, seu electio fiat per secretas ballottationes, ut ajunt, sive suffragia, ac si majorem suffragiorum numerum tulerit, pro officiali, vel discretum legitime electo habeatur; sin vero alium ex tribus proponet idem guardianus, vel vicarius, ubi de guardianatu conferendo agitur, usque dum per votorum pluralitatem contingat electio.

Reservatio specialis

§. 7. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam substantiali, et formali, ac incogitato, vel inexcogitabili necessariam expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci ullo modo umquam posse; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae car-

Clausula sublata, et decretum irritans.

dinales, etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functures, sublata eis, et eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, aliisque apostolicis, atque in conciliis, et capitulis, tam generalibus, quam provincialibus editis genericis, et specificis constitutionibus, decretis, et ordinationibus, ac nominatim, quatenus opus sit, dictae custodiae Terrae Sanctae, aliisve quibuscumque, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, decretis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis personis et locis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, et insolitis, clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, et pluries innovatis. Quibus omnibus, et singulis tametsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XXVII. novembris MDCCLXXXVII., pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXXIX.

Dat. Romae 7. decemb. 1787. Anno XIII.

Exemptio hospitalis pro mentecaptis civitatis Alexandrinae provinciae Mediolanensis, eique inservientium et ministrorum a jurisdictione parochi intra cujus jurisdictionis septa existit, cum facultate illius rectori administrandi sacramenta, et gerendi curam animarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Piis fidelium votis, quae ad religionis propositum, et animarum salutem pertinere monstrantur, animo Nos decet libenti petentium desideriis congruum concedere suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus. Exposui siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii priores, et confratres confraternitatis sanctissimae Trinitatis nuncupat. civitatis Alexandrinae provinciae Taurinensis administratores xenodochii, seu hospitalis in eadem civitate Alexandrina pro mentecaptis ordinaria, et regia auctoritate instituti, quod utile, imo forsan, et necessarium foret, si sacerdos ab eis in rectorem hospitalis praedicti eligendus, et ab ordinario approbandus independenter a parocho collegiatae, et parochialis ecclesiae sanctorum Petri, et Dalmatii, intra cujus jurisdictionis limites dictum hospitale existit, tum infirmis pro tempore in eo existentibus, tum ejusdem hospitalis ministris, et inservientibus omnia sacramenta administrare, spiritualiter ipsis adesse, caeterasque omnia, quae curam animarum spectant, gerere, libere, ac licite posset, et valeret, eaque propter in ecclesia prope hospitale praedictum, et in illius utilitate, et commodum aedificanda sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, ac sacrum infirmorum oleum retinere, ac servari, in eaque tumulari liceret; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. — Ratio concessionis.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, audita dilecti filii moderni vicarii capitularis vacantis ecclesiae Alexandrinae legitime depu- — Tenor concessionis.

tati relatione, supplicationibus hujusmodi inclinati, hospitale praedictum, illiusque rectorem, ministros, et inservientes, inter ejus septa commorantes, ac in eo pro tempore degentes infirmos, seu mentecaptos a quibusvis juribus parochialibus dictae collegiatae, et parochialis ecclesiae sanctorum Petri, et Dalmatii, et ab illius parochi cura, et subjectione auctoritate apostolica tenore praesentium totaliter eximimus, et liberamus, ac curam animarum tum infirmorum, tum ejusdem hospitalis ministrorum, et inservientium sacerdoti pro tempore existenti in dicti hospitalis rectorem ab eadem confraternitate deputatum, et ab ordinario approbatum committimus, et demandamus, eumque in ipsorum parochum, et animarum suarum rectorem constituimus, illique in iis, quae ad administrationem sanctissimae Eucharistiae etiam pro viatico, ac extremae unctionis sacramentorum praedictorum, servatis tamen sacris ritibus, et caeremoniis a rituali Romano praescriptis, aliisque omnibus, quae ad animarum curam spectant, penitus, et omnino eas subjicimus, ita ut cura personarum sic exemptarum, ad rectorem hujusmodi privative quoad dictum parochum tam super administratione omnium sacramentorum, quam jure sepeliendi in ecclesia dicti hospitalis, ut praefertur, construenda, et aedificanda, absque ulla quartae, vel aliorum jurium parochialium, etiamsi in alia ecclesia sepultura electa fuerit, praestatione, seu solutione spectet, et pertineat, ac spectare, et pertinere debeat; ac in ecclesia praedicta sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ac sacrum infirmorum oleum servare libere, ac licite possit, et valeat concedimus, et impertimur.

Prohibitio ne parochus in hospitalis administratione sese immiscere praesumat.

§. 3. Quapropter moderno, et pro tempore existenti parocho, seu rectori dictae collegiatae, et parochialis ecclesiae sanctorum Petri, et Dalmatii districtius inhibemus, ne in eorumdem sacramentorum (excepto dumtaxat sacramento matrimonii, quoad ministros et alios inservientes, qui hac tantum ratione parocho, et paroeciae hujusmodi subsint) in dicti hospitalis administratione se ingerere, aut defunctorum sepulturae, seu exequiis inibi faciendis interesse, ullumve pro funere, aut aliud quodlibet jus, vel emolumentum parochiale petere, et praetendere, ac desuper hospitale, personas rectorum, seu eorum aliquem molestare audeat, seu quovis modo praesumat. Ne porro ob exemptionem hujusmodi eidem parocho aliquod inferatur damnum volumus, ac edicimus, ut a dicta confraternitate annua pensio eidem parocho ab ordinario juxta quantitatem emolumentorum, quae annuatim a dicto hospitale, ejusque ministris, et inservientibus percipere consueverat, taxanda omnino solvatur. Volumus praeterea, ut si ab aliis extraneis ejusdem confraternitatis ecclesiastica sepultura eligatur, constitutiones, synodales circa ea omnino serventur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod parochus dictae collegiatae, et parochialis ecclesiae, seu alii in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis, seu alias speciali, et individua mentione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, et auditi, neque causae propter quas eaedem praesentes literae emanarint adductae, specificatae, et justificatae fuerint, aut ex alia quacumque quantumvis justa, legitima, et privilegiata causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensu, aliove quolibet etiam quantumvis magno, et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, ad viam, seu terminos juris reduci, aut in controversiam vocari, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, vel emanato quempiam in judicio, vel extra illud uti posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta hujusmodi semper firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab illis inviolabiliter, et inconcusse observari; sicque, et non aliter in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Se-

dis apostolicae nuncius, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et in conciliis etiam universalibus editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non collegiatae, et parochialis ecclesiae praedictae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem parochiali, et collegiatae ecclesiae, dictoque illius rectori, seu parocho, aliisque quibusvis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliás in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio.

Dat. Romae 17. decem. 1787. Anno XIII.

DCLXXX.

Erectio archiepiscopalis sedis Camerinensis.

Pius Episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Proœmium.

§. 1. Quemadmodum apostolica Romana Sedes, in ecclesiae universalis regimine, nil habuit antiquius, quam ecclesiasticae hierarchiae decori, et ornamento prospicere, quod ut facilius assequeretur, eorum, qui in partem apostolicae sollicitudinis vocati sunt, sedes ad varios per orbem catholicum gradus sustollere consuevit; ita et Nos ad supremum pontificiam dignitatum, divina bonitate, evecti, aliquam ex iis sedibus, cujus praeclara, quae extant monumenta, atque immortalia in Ecclesiam universam promerita recensuimus, sublimiori tituli incremento decorare, et peculiaria illi insignia elargiri in Domino arbitramur.

Laudes civitatis Camerinensis.

§. 2. Camerinensis quidem, Umbriae inter, Picenique confinia situ antiquissima civitas, non modo ob agrorum faecunditatem, rerumque omnium copiam, ac oppidorum illi adjacentium frequentiam, sed etiam ob inclytam suorum gloriam civium, quos omni virtutum genere praestantes singulis aetatibus edidit, celeberrima semper habita fuit.

Viri sanctitate praestantes, qui in ea vixerunt memorantur.

§. 3. Verum illius gloria quammaxime adaucta est ex eo, quod ab anno salutis CCXLVIII. ad eam per sanctum Porphirium evangelii luce delata, subinde Leontius primus episcopus in crudelissima Decii imperatoris persecutione, qua durante, sanctus Venantius adhuc adolescens subiit martyrium, Christifideles confirmavit, ut cives, qui ethnicae superstitionis erroribus tenebantur, ad christianam religionem perduxit, multisque in illius ecclesiae regimine, laboribus, ac aerumnis usque ad extremum vitae spiritum perlatis, postremo in Domino quievit.

Episcopi qui illius gubernio praepositi fuerunt, quos inter Clemens papa decimus recensetur.

§. 4. Ab eo tempore constituta in ea civitate episcopalis sedes jugiter viguit, apostolicae Sedi immediate subjecta, quam sacri praesules, cum generis nobilitate, tum doctrina, et morum eximia probitate praestantes integre, sancteque non solum administrarunt, sed etiam mirum in modum illustrarunt. Illorum vero sex inter Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales cooptati fuere. Ac praecipue ecclesia illa felicis recordationis Clementem papam decimum praedecessorem Nostrum, ante sui ad supremi pontificatus assumptionem, in episcopum habuisse omni aevo gloriari debet.

Ampla ejus dioecesis declaratur.

§. 5. Adeo tamen Camerinensis episcopi dioecesis longe, lateque diffusa erat, ac tot civitates, et oppida complectebatur, ut ex ea Tolentini, sancti Severini, et Mathilicae, ac Fabriani episcopatus, variis inde temporibus, apostolica authoritate instituti fuerint. Verum,

praeter praemissas separationes, ea, quae Camerinensi episcopo adhuc regenda superest dioecesis, ampla satis, et celebribus oppidis, terris, pagisque, ac locis est referta.

Praestantia ecclesiae cathedralis, et cleri ornamentum laudibus extollitur.

§. 6. Huic autem civitatis splendori, et pervetustae sedis episcopalis dignitati accedit etiam, ad divini cultus decorem magis magisque augendum, cathedralis ecclesia elegauter illa quidem, et magnifice extructa, quae in honorem beatae Mariae virginis Deo dicata plurium beatorum coelitum servat reliquias, praesertim vero corpora sanctorum Ansovini episcopi, et Victorini eremitae. In ea duae dignitates, ac octodecim canonici rocchetto, et oblongis cappis, magnis nuncupatis, ex similis recordationis Urbani VIII. praedecessoris pariter Nostri privilegio utentes, sarra persolvunt. Nec ad cleri ornamentum desunt presbyteri, et clerici doctrinae etiam laude, et morum integritate praestantes: ii plerumque ex episcopali seminario prodeunt, ubi dum ad omnes bonas artes, et scientias, ac pietatem, ecclesiasticamque disciplinam informantur, ut eos decet, qui in sortem Domini vocati sunt; ecclesiae pariter deserviunt, ac solemnibus in functionibus cum splendidiori divino cultu, populique admiratione, et spirituali solatio sedulam operam navant.

Peculiaris collegiata in honorem s. Venantii memoratur.

§. 7. In ipsa praeterea civitate insignis extat collegiata ecclesia, ubi corpus sancti Venantii martyris asservatum pie colitur, variisque apostolicis, ut accepimus, privilegiis locupletata.

Erectionis tenor, et privilegiorum communicatio.

§. 8. Quare tot tantisque titulis, ac praerogativis cumulatam ecclesiam, cujus regimini venerabilis frater Noster Aloisius Amici pari prudentia, et zelo jamdiu laudabiliter praeest: inspectis etiam praecipuis illius meritis, cum dignam esse animo reputaverimus, ut tandem ad archiepiscopalis gradum, et honorem eveheremus: cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, in consistorio Nostro secreto hodie habito, de hac re verba fecimus, auditoque ab ipsis unanimi eorum consilio, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, ecclesiam Camerinensem, ad laudem, et gloriam omnipotentis Dei, et beatissimae virginis Mariae, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, nec non fidei catholicae exaltationem, totiusque militantis ecclesiae decus, in ecclesiam archiepiscopalem tantum, et Sedem illam usquemodo episcopalem, in archiepiscopalem praesulis archiepiscopi sedem, pro uno archiepiscopo, qui pallii, et crucis usum aliorum more archiepiscoporum habeat, cum aliis privilegiis, honoribus, et praerogativis similibus archiepiscopis debitis, et concessis, quibus pro tempore existens illius ecclesiae archiepiscopus uti, frui, potiri, et gaudere libere, et licite possit, et valeat, ac etiam debeat, apostolica Nostra authoritate, ipsarum tenore praesentium perpetuo erigimus, et instituimus, ac nomine, titulo, et honore archiepiscopali decoramus. Nec non dictum Aloisium usquemodo episcopum, et pro tempore existentem ecclesiae Camerinensis praesulem in archiepiscopum declaramus; ita quod dictus Aloisius, absque alia de ejus ecclesiae Camerinensis de novo facienda provisione, et praefectione in archiepiscopum Camerinensem praefectum esse intelligatur. Praeterea eidem Aloisio archiepiscopo, ejusque successoribus, ut ipse, et illorum singuli omnia, et singula quaecumque, quae ad similes archiepiscopos in eorum civitatibus, et dioecesibus, et ad archiepiscopale munus de jure, vel consuetudine, aut alias quoquomodo spectare, et pertinere solent, et debent gerere, facere, exercereque libere, et licite possit, ac possint; plenam, et omnimodam authoritatem, earumdem tenore praesentium, concedimus, et indulgemus.

Praesentes literae eximuntur a quavis revisione, sublato quovis remedio juris.

§. 9. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque nullo umquam tempore, etiam ex eo, quod causae, propter quas haec omnia gesta fuere, examinatae, verificatae, et approbatae, et quicumque in eis interesse habentes ad id vocati non fuerint, nec praemissis consenserint, sive alias ex quibuscumque causis juridicis, et legitimis, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, vel adversus illas quodcumque juris, vel facti, aut gratiae remedium etiam aperitionis oris, impetrari posse; nec sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, seu Romanos pontifices successores Nostros sub quibusvis verborum expressionibus, et formis, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore faciendis comprehendi, sed tamquam

pro divini cultus, et ecclesiastici ordinis decore, et augmento concessas semper ab illis excipi, suosque plenarios, et integros effectus sortiri debere; sicque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et vicelegatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus, et inane decernimus.

Derogatio contrariorum.

§. 10. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, nec non quorumcumque Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum super authoritate, et usu pallii editis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ejusdemque ecclesiae Camerinensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis eidem ecclesiae Camerinensi, illiusque praesulibus, nec non dilectis filiis illius ecclesiae capitulo, et canonicis, aliisque personis etiam speciali mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, nec non irritantibus, et aliis decretis etiam motu pari, et consistorialiter, aut alias, quomodolibet etiam pluries concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, mentio, seu quaevis alia expressio habenda foret; tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, praesentibus inserti forent, pro sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu pari derogamus contrariis quibuscumque.

Declaratio specialis.

§. 11. Per praesentes autem non intendimus juribus dictae collegiatae ecclesiae sancti Venantii in aliquo, prout de jure, praejudicium inferre.

Fidem habenda transumptis.

§. 12. Volumus praeterea quod earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, charactere notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent, vel ostensae.

Sanctio poenalis.

§. 13. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae erectionis, institutionis, decorationis, declarationis, concessionis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae, apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae, millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, sextodecimo kal. januarii, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

DCLXXXI.

Dat. Romae 16. decem. 1787 Anno XIII.

Licentia administratoribus, caeterisque inservientibus hospitalis loci sancti Idelphonsi nullius dioecesis, provinciae Toletanae perpetuo vescendi carnibus temporibus prohibitis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Pia loca quaecumque, praesertim vero illa, in quibus cum spiritus profectu misericordiae opera, aegris nempe solamen praestando, exercentur, Nos decet apostolicae providentiae favoribus prosequi, atque ad ea libenter intendere, per quae locorum eorumdem prospero, ac felici incremento una cum ministrorum, eisque quomodolibet inservientium incolumitati consulatur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi Nobis siquidem nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum in xenodochio, seu hospitali sancti Ferdinandi loci sancti Idelphonsi nullius dioecesis provinciae Toletanae plures infirmos excipiantur, hinc ut administratorum, ministrorum, aliorumque omnium eidem xenodochio quomodolibet inservientium, saepe ex lethali halitu infirmorum in adversam valetudinem incidentium incolumitati per Nos provide prospiciatur summopere

desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur memoratum Karolum regem catholicum specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac administratorum, aliorumque inservientium hujusmodi singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; modernis, et pro tempore existentibus, tam inservientibus, et in dicto hospitali conviventibus, quam aliis ejus ministris, sive ex mercede, sive gratis servitium praestantibus, nec non administratoribus praedictis, eorumque familiis, ut donec, et quousque munera inserviendi, aut ministrandi, vel alias, ut praefertur, obierint, quadragesimalibus, aliisque per annum temporibus, et diebus, quibus carnium, ovorum et lacticiniorum aesus est prohibitus (majori hebdomada tantum excepta) carnibus sine tamen scandalo vesci libere et licite, et absque ullo conscientiae scrupulo possint, et valeant, ac quilibet eorum possit, et valeat, licentiam auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, dictique xenodochii, seu hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Caeterum per praesentes non intendimus a lege jejunii inservientes, ministros, aliosque quoscumque praedictos, seu eorum aliquem exemptum, et solutum esse, imo, nulla valetudinis causa intercedente, ad jejunium servandum obstrictos esse declaramus. Volumus praeterea, ut moderni cappellani dicti xenodochii, seu hospitalis, qui, ut accepimus, sunt fratres ordinis sancti Francisci, caeterique pro tempore existentes, qui ex voto ad ciborum quadragesimalium aesum in certis anni diebus obstringuntur, votum hujusmodi non obstante hoc indulto omnino servari teneantur: per praesentes quippe hisce desuper nullo modo eos dispensatos esse dici, aut censeri posse decernimus. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava decembris millesimo septingentesimo octuagesimo septimo, pontificatus Nostri anno decimotertio. — Reservationes speciales

DCLXXXII.

Dat. Romae 19. ianuarii 1791. Anno XVI.

Confirmantur exemptiones a gabellis, et quaecumque alia privilegia latifundio Mesulae, ac vallibus Volani bonis praepositurae Pomposianae, caeterisque nuper a camera emptis alias competentia, illaque jurisdictioni thesaurarii generalis subjiciuntur.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Consueverunt Romani pontifices patrimonium apostolicae Sedis sibi concreditum sedulo custodire, atque opportune prospicere, ne ulli in damnum illius, ac contra fisci, et camerae apostolicae jura invehantur abusus, et si qui invecti forte fuerint, tollantur. Praeter permulta, quae pontificium aerarium habet in civitate, et provincia Nostra Ferrariae, de quibus Ferrarienses cives investire consuevit, alia etiam insignis valoris bona possidet pretio recenter comparata, quae suo nomine, suoque commodo retinet, atque administrat. — Prooemium.

Narrat quomodo exemptum fuerit praedium, et quibus privilegiis donatum. §. 2. Et quidem non multis ab hinc annis, dum Nos in minoribus constituti munere thesaurarii generalis fungeremur grandi pecunia emit amplum latifundium nuncupatum la Sammartina, quod olim allodiale erat ducum Esten-

sinum, quodque positum est prope alteram ex portis civitatis Ferrariae. Ut vero integra manerent cuncta privilegia, immunitates, et exemptiones, quibus antea idem latifundium fruebatur, et quae eidem, postquam evaserat camerae apostolicae proprium, potiori jure competebant, Nos ipsi ad summum apostolatum, divina disponente providentia, subinde evecti, dum per Nostras literas in forma Brevis die xv. novembris MDCCLXXVII., signatas quampluра statuimus, meliorem jurium fisci, et camerae in provincia Nostra Ferrariensi administrationem respicientia, illud quoque sancivimus, quod in omnibus causis civilibus, criminalibus, et mixtis ad memoratum latifundium la Sammartina quomodolibet pertinentibus, tam activis, quam passivis affictuariorum, sociorum, comparticipum, ministrorum, colonorum, livellariorum, artificum, et aliarum omnium personarum eidem latifundio inservientium judex primae instantiae privativo quoad omnes, esset commissarius Nostrae camerae residens in civitate Ferrariae cum facultate eas reassumendi a quocumque judice, et tribunali itemque oeconomicam exerceret privativam jurisdictionem super eodem latifundio, ac super rebus, et personis illius; judex vero secundae instantiae esset thesaurarius pro tempore generalis Camerae Apostolicae.

Referuntur dubietates subortae super applicatione concessorum privilegiorum.

§. 3. Et quoniam dubitatum postea fuit, num in omnibus indistincte causis criminalibus personarum praedicto latifundio addictarum, ac in iis quoque, quae poenis contra reos graviorіbus expediendae erant jus reddere deberet solus commissarius Ferrariae residens, Nos intentionem Nostram declarantes, mandavimus; eas tantum criminales causas a commissario ipso judicandas esse, quarum titulus poenam corporis afflictivam non importaret; has vero cognoscendas esse a thesaurario generali, qui suam habet congregationem criminalem in urbe, proindeque in causis istis criminalibus poenam afflictivam corporis praeseferentibus commissarium Ferrariae non sententiam dicere, sed compilare dumtaxat debere processum ab eo subinde ad eumdem thesaurarium generalem transmittendum, quemadmodum in sua de mandato Nostro ad commissariom data epistola diei xxxi. januarii MDCCLXXXIV. explicavit dilectus filius Noster Guillelmus Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Pallotta, qui eo tempore pro thesaurarii munus gerebat. Scimus autem ex his, quae tam quoad memoratum latifundium, quam quoad caetera jura cameralia in praedicto Nostro Brevi disposuimus, optimum in ea provincia invectum fuisse cameralis administrationis ordinem, omnemque sine ullo publicae quietis detrimento, sublatam inter camerae, ac legationis ministros, jurisdictionis quaestionem, sicuti lapsi inde temporis ad hanc diem perpetua tranquillitas confirmavit.

Refertur alia emptio facta ab imperatore Romanorum latifundii Mesulae cum suis adnexis juribus.

§. 4. Cum itaque nuper Nos praegrandi pretio scutorum nongentorum millium pro Nostra Camera Apostolica, Nostroque pontificio aerario emerimus ab Augusto imperatore filio Nostro dilectissimo Josepho Secundo amplissimum latifundium Mesulae, ac valles Volani, et quae in eis sunt, omnia item, quae ipse habeat jura super bonis Pomposianis, palatium Ferrariae positum, aliaque per multa, quae olim Estenses duces, mox vero idem imperator privato jure allodii in Nostra civitate, et provincia Ferrariae possidebat, et quae late descripta sunt in publico emptionis, et venditionis instrumento, quod stipulatum fuit Mediolani die prima decembris anni MDCCLXXXV. rogitu Karoli de Nigris notarii Mediolanensis, quodque subinde fuit tum a Nobis, cum a praelaudato imperatore Josepho Secundo ratificatum, consonum rationi Nobis visum est, ut quomodo ad conservanda jura, et privilegia cameralis latifundii la Sammartina peculiares Nostras literas in forma Brevis superius memoratas signavimus, eodem literas similes signaremus ad ea decernenda, quae pro juribus, et privilegiis Mesulae, vallium Volani, aliorumque bonorum nuper pro Nostra Camera Apostolica emptorum pariter conservandis perpetuo observanda erunt.

Tenor concessionis exemptionum pro bonis, et emptoribus fructuum ab illis colligendorum.

§. 5. Motu itaque proprio, atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostra, deque apostolicae potestatis plenitudine volumus, atque mandamus, ut praedicta bona omnia, illorumque fructus, itemque eorumdem bonorum, et fructuum emptores, nec non livellarii, coloni, affictuarii, ministri, caeterique eisdem bonis inservientes omnimoda fruantur exemptione ab omnibus, et singulis datiis, et gabellis, terraticis, taxis, aliisque oneribus quocumque nomine noncupatis realibus, personalibus, et mixtis, tam cameralibus, quam communitativis, sive jam impositis, sive in futurum quocumque titulo, ac auctoritate imponendis eo penitus modo, et non alias, quo hujusmodi

exemptione, immunitate, ac privilegiis, juxta etiam concordiam Faentinam inter Petrum cardinalem Aldobrandinum nomine sanctae Sedis, et ducem Caesarem d'Este initam die XII jan. MDXCVIII. et a praedecessore Nostro Clemente VIII. solemniter ratificatam, supradicta bona, fructus, ac memoratae personae gaudebant, dum allodiali jure bona ipsa erant, tum apud serenissimam familiam d'Este, tum penes Augustum imperatorem Josephum Secundum, quarum quidem immunitatum, exemptionum, et privilegiorum nullam volumus ullam censeri factam ex memorato emptionis contractu, aut mutationem, aut imminutionem.

Concessio privativae jurisdictionis cameralis.

§. 6. Praeterea bona ipsa, omnesque superius enunciatas personas ab omni alia eximentes jurisdictione subjicimus privativae jurisdictioni Camerae Apostolicae, illiusque pro tempore thesaurarii generalis, ac respective commissarii Nostrae camerae in civitate Ferrariensi residentis; ita quidem, ut in omnibus causis ad eadem bona quomodolibet pertinentibus, tam activis, quam passivis, atque etiam in illis, in quibus de bonorum, personarumque supradictarum privilegiis, et exemptionibus a datiis, et oneribus superius indicatis agatur, tametsi de ipsamet privilegiorum, ac exemptionis competentia disputari principaliter contingat, sive illae agi velint actione civili, sive etiam actione criminali contraventionum quorumcumque bannimentorum, judex primae instantiae privative quoad omnes, ac etiam quoad cardinalem legatum, et pro legatum Ferrariae sit, et esse debeat commissarius Nostrae camerae pro tempore residens in civitate Ferrariae cum facultate eas reassumendi a quocumque judice, et tribunali; judex autem secundae instantiae sit, et esse debeat thesaurarius pro tempore generalis camerae apostolicae; quo vero ad causas proprie criminales ob delicta livellariorum, colonorum, affictuariorum, ministrorum, aliorumque omnium cum patentalibus camerae apostolicae literis tenutae Mesulae, vallibus Volani, bonis praepositurae Pomposianae, caeteris nuper a camera, ut supra acquisitis inservientium, illorum cognitio privative in prima instantia pertineat ad eumdem commissarium camerae residentem Ferrariae, ubi causae ipsae criminales leviores sint, nempe ubi titulus delicti poenam corporis afflictivam non importet, ac deinde in gradu appellationis spectet ad thesaurarium generalem: si vero causae sint graviores, et titulo delicti poena afflictiva corporis sit adscripta, cognitio illarum etiam in prima instantia privative competat thesaurario generali, qui eas non aliter expedire debebit, quam cum sua congregatione criminali, quoad etiam in causis similibus alterius latifundii in Sammartina ab ipso thesaurario generali fieri debere, jam mandavimus, iterumque modo jubemus.

§. 7. Atque in causis hujusmodi commissarius camerae residens Ferrariae compilare solummodo debebit, consulto in occurrentibus ipsius compilationis dubietatibus eodem thesaurario generali, processum, illumque postea ad eum transmittere. Licet autem caeteri incolae, et habitatores Mesulae, vallium Volani, ac bonorum Pomposianorum, qui Camerae Apostolicae, ut supra non inserviunt, neque ab ea dependent, subjecti in omnibus esse debeant jurisdictioni judicum ordinariorum provinciae Ferrariae:

Declarationes speciales.

§. 8. Volumus tamen, quod ubi contingat, sive in civilibus, sive in criminalibus causis executiones in locis illis committendas esse tam reales, quam personales, non aliter illae fiant, nisi cum intelligentia, et consensu commissarii Nostrae camerae residentis Ferrariae, qui caeteroquin mandati, seu decreti justitiam ad examen revocare non debebit, atque executiones secus factae sint omnino nullae: volumusque insuper, quod non obstantibus quibuscumque ordinibus in contrarium fortasse vigentibus, eaedem executiones in memoratis locis, seu latifundiis in posterum fiant non medio birrariorum, aliorumque executorum tribunalium provinciae, et legationis Ferrariensis, sed medio dumtaxat, custodum, seu guardianorum cameralium circumdarii Mesulae, vallium Volani, et bonorum Pomposianorum, prout in altero latifundio camerali in Sammartina huc usque observatum est: et quoniam ea est Nostra voluntas, quod in circumdario illo nunquam admittantur, aut retineantur rei publicorum delictorum poena corporis afflictiva expiandorum ubicumque illa patrata sint, idcirco tum hodierno Nostrae camerae commissario residenti in civitate Ferrariae, tum futuris omnibus commissariis similibus expresse injungimus, ac sub poena Nostrae, et sanctae Sedis apostolicae indignatione praecipimus, ut hanc Nostram voluntatem diligenter observent, et exequantur, atque ab omnibus, qui bonis illis inserviunt

observari, et exequi curent; praecipueque a custodibus, et guardianis illius circumdarii, quibus imponent, ut reos hujusmodi de fuga susceptos ex abrupto arresteot, sibique postea denuncient: praeterea commissarii ipsi non modo statim, ac fuerint ab aliis tribunalibus, et judicibus requisiti, sed etiam ex officio demandare debebunt capturam a custodibus, ut supra faciendam supradictorum reorum, qui vel in circumdario ipso deliquerint, vel ad aliud umquam accesserint, sive sint livellarii, affictuarii, coloni, ministri aliique inservientes camerales, sive meri habitatores, incolae, aliaeque personae extraneae, nullam habentes a camera apostolica dependentiam, eosdemque reos tradere extra memoratum circumdarium faciant birruariis, cum lege eos illico deponendi in publicis carceribus, vel Ferrariae, vel aliorum locorum provinciae ad dispositionem thesaurarii generalis, si de livellariis, affictuariis, colonis, ministris, aliisque inservientibus cameralibus memoratorum criminum reis agatur, ut respective ad dispositionem tribunalium provinciae, et legationis Ferrariensis, si res sit de caeteris reis, ut omnes a respective suis judicibus condigna poena plectantur, secus ipsi Nostrae camerae commissariis strictam redditari Nobis, et successoribus Nostris erunt de sua culpa, et obscitantia rationem.

Cavetur ne impunitatis spe fraudetur privativa jurisdictio cameralis.

§. 9. Et ne ullo in loco criminum reis supersit impunitatis spes, cui ex sua exemptione ab ordinaria jurisdictione judicum provinciae fortasse confiderent, id quoque volumus, et ordinariis ipsius provinciae judicibus concedimus, ut extra latifundium Mesulae, valles Volani, ac bona praepositurae Pomposianae livellarii olim Estenses, et imperiales, nunc vero camerales, itemque affictuarii, coloni, ministri, omnesque alii inservientes bonis nuper a camera emptis arrestari pro quibuscumque delictis de eorum mandato, et ab ipsorum executoribus possint, dummodo tamen illico deponantur in carceribus ad dispositionem commissarii camerae in civitate Ferrariae residentis, ac respective thesaurarii generalis, alias processus, et quaecumque acta contra ipsos facta irrita omnino sint, et nulla, excepta captura, quae perinde habebitur, ac si facta esset de mandato judicis cameralis. Quo vero spectat ad consoles ad victualia sive civitatis, sive provinciae Ferrariensis eos nihil auctis habere volumus in latifundio Mesulae, vallibusque Volani, ac bonis Pomposianis, totoque illo circumdario, cum in eo universa omnium etiam proventuum inspectio, et gubernium penes commissarium camerae, itemque penes thesaurarium generalem residere debeant.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 10. Decernimusque autem praesentes Nostras literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo, quod interesse habentes, seu habere praetendentes vocati, et auditi non fuerint, de subreptionis, aut obreptionis vitio, aut intentionis Nostrae, seu alio quocumque defectu notari, impugnari, et redargui, in controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, gratiae, vel facti remedium intentari, vel impetrari, nullatenus posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suasque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et alios quoslibet quacumque praeeminentia, et potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus Nostris, et cancellariae apostolicae regulis de jure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, itemque statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae

apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima januarii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 11. januar. 1788. Anno XIII.

DCLXXXIII.

Confirmatio unionis factae nonnullorum bonorum spectantium fratribus ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat ea, quae non sunt tamquam ea, quae sunt humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore officii Nostri partes esse plane intelleximus, ut studia, vigiliasque Nostras ad ea quoque, per quae prospero illorum Christifidelium, qui Deo propius in religione famulari susceperunt, statui consulitur, impenderemus; quamobrem desideriis, quae ad ordinum, ac congregationum regularium bonum pertinere dignoscuntur, congruum Nos libenter impertimur suffragium.

Expositio precum porrectarum ab abbate generali.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Antonius Maria Griffi abbas generalis monachorum ordinis sancti Benedicti congregationis Olivetanae, ac abbas monasterii montis Oliveti Nullius dioecesis provinciae Senensis, quod cum post maturum examen sui definitorii intellexerit utile, quam maxime, ac proficuum futurum fore ordini, et congregationi praedictis, si tum parvum monasterium sancti Michaelis Archangeli de Gaiffa nuncupati dioecesis Urbinatensis cum suis bonis, ac redditibus monasterio sancti Petri civitatis Eugubinae, cum monasterium sancti Antonii civitatis Perusinae, cui adnexa est cura animarum, alteri monasterio sanctae Mariae de monte Morcino nuncupato ejusdem civitatis Perusinae, cum suis pariter bonis, et redditibus respective unirentur, ac incorporarentur; quod insuper, posita unione dicti monasterii de Gaiffa alteri monasterio Eugubino, quum nationi Eugubinae unum dumtaxat remaneret monasterium, illud scilicet sancti Petri civitatis Eugubinae, at eidem nationi, et monasterii sanctae Catharinae Fabrianensis firmitati, cui est satis tenuis census, et observantiae regulari, quae prout ex assiduo usu compertum est, magis viget in iis nationibus, quae variis constant monasteriis, opportune consuleretur, si sub certis modo, et forma dictum monasterium Fabrianense nationi Eugubinae incorporatur, ut inde ex duobus hisce monasteriis una constituatur natio Eugubina; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur pro ea paterna charitate, qua ordinem, et congregationem praedictos jugiter prosequimur, ac memoratum Antonium Mariam abbatem specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium episcoporum, et regularium negociis, et consultationibus praepositorum consilio, praevia tum monasterii sancti Michaelis Archangeli de Gaiffa nuncupati dioecesis Urbinatensis, cum monasterii sancti Antonii civitatis Perusinae congregationis, ac ordinis praedictorum suppressione, ac extinctione bona mobilia, et immobilia, redditus, proventus, jura, et actiones quascumque, nec non ipsam domum regularem, et ecclesiam primodicti monasterii de Gaiffa alteri monasterio sancti Petri civitatis Eugubinae, secundo vero dicti monasterii sancti Antonii civitatis Perusinae monasterio de monte Morcino nuncupato ejusdem civitatis Perusinae auctoritate apostolica tenore praesentium respective unimus, incorporamus, atque adnectimus, ac perpetuis futuris temporibus respective unita, incorporata, et adnexa esse statuimus, et declaramus, ita tamen ut missarum, aliaque quaecumque onera dictis extinguendis monasteriis incumbentia ad enunciata respectiva monasteria transferantur, et de hujusmodi translatione in tabella in sacrario retinenda fiat descriptio.

Praeceptum de deputando vicario ad nutum amovibili.

§. 4. Ne porro ex extinctione dicti monasterii sancti Antonii civitatis Perusinae, cura

animarum illi adnexa cum animarum Christifidelium detrimento negligatur, harum serie volumus, atque praecipimus, ut imposterum ab abbate pro tempore existenti dicti monasterii de monte Morcino nuncupato vicarius ad nutum amovibilis ei assignata congrua fructuum portione ex dictis bonis alias ad extinctum monasterium sancti Antonii spectantibus persolvenda juxta Tridentini concilii formam nominetur, qui curam animarum praedictam omni sedulitate, ac diligentia gerat.

Conservatio privilegiorum ad vitam pro abbatibus monasteriorum suppressorum.

§. 5. Praeterea, ut abbatum dd. extinguendorum monasteriorum jura sarta, et tecta serventur, atque omnis intercludatur controversiae occasio, illis non obstantibus suppressionibus hujusmodi, ut omnibus, et singulis juribus, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, et indultis, quibus usque adhuc usi, potiti, et gavisi sunt, vel abbates de gubernio ordinis, et congregationis praedictorum utuntur, fruuntur, et gaudent, vel uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant in omnibus, et per omnia perinde, ac si adhuc dictorum monasteriorum gubernium gererent auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur. Volumus tamen ut defuncto quolibet nationum Eugubinae, vel Perusinae abbate alter subrogari non possit titulo dictorum monasteriorum de Gaiffa, et sancti Antonii.

Provisio favore monasterii s. Catharinae Fabriani.

§. 6. Tandem, ut monasterio sanctae Catharinae Fabrianensis ad cujus status firmitatem, ut probatur, aliquod subsidium upus est, consulatur, nationi Eugubinae ordinis, ac congregationis praedictorum auctoritate praedicta incorporamus, at adnectimus, eique in posterum incorporatum, ac adnexum esse, et fore, itaut deinceps ex duobus hisce monasteriis, una dumtaxat constituatur natio Eugubina, cui adscripti censeantur, ac censeri, at haberi debeant omnes, et singuli professi dicti monasterii Fabrianensis decernimus, et mandamus, ea tamen lege, ut monasterio sancti Petri civitatis Eugubinae onus incumbat solvendi in singulos annos annua scuta centum monetae Romanae capsae publicae urbis dicti tui ordinis, et congregationis in decessionem de oneribus annualibus dicti monasterii Fabrianensis, quin tamen sors respondens dictis annuis scutis centum usurarum a monasterio Eugubino, sed a monasterio Fabrianensi semper debeatur.

Suppressio monasteriorum s. Michaelis Arcangeli de Gaiffa, et s. Antonii Perusini.

§. 7. Quocirca eidem Antonio Mariae abbati per praesentes committimus, et mandamus, ut primum dictum monasterium sancti Michaelis Archangeli de Gaiffa, cum alterum sancti Antonii Perusiae respective fuisse, esse, et fore extincta auctoritate Nostra apostolica statuat, atque decernat; deinde omnia bona mobilia, atque immobilia, et semoventia, jura, et actiones, nec non domus regulares, et ecclesias ad dicta duo monasteria quomodolibet pertinentia monasteriis sancti Petri Eugubini, et sanctae Mariae de monte Morcino juxta earumdem praesentium tenorem respective uniat, et applicet, et unita, et applicata esse declaret.

Incorporatio monasterii s. Catharinae Fabrianensis nationi Eugubinae.

§. 8. Eidem Antonio abbati insuper injungimus, ut monasterium sanctae Catharinae Fabrianensis nationi Eugubinae incorporet, atque adnectet, atque in futurum incorporatum, et adnexum esse, et fore declaret; caeteraque omnia, quae ut praemissa ad optatum finem perducantur statuenda, decernenda, et declaranda esse, et fore in Domino salubriter expedire conspexerit, statuat, decernat, atque declaret. Nos enim illi omnem quamcumque necessariam, et opportunam faciendi, gerendi, et exequendi, et exequi mandandi ea omnia, quae pro rerum circumstantiis constituere in Domino arbitrabitur facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Tollitur omne juris remedium ne harum literarum executio retardetur.

§. 9. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanaverint adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis; vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentes, consensus, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcum-

quo juris facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, et efficacia existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus, et per omnia inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 10. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 11. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac fel. record. Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, ac ordinis, et congregationis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quantumlibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 12. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo procuratoris generalis ejusdem ordinis munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xv januarii MDCCLXXXVIII, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

Dat. Romae 15. januarii 1788. Anno XIII.

DCLXXXIV.

Cessio juris nominandi ad certam parochialem Ferrariensis dioecesis per fratres conventus ordinis Servorum civitatis Foroliviensis archiepiscopo Ferrariensi facta.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exposuit Nobis nuper dilectus filius Alexander Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Matthejus nuncupatus ecclesiae Ferrariensis ex concessione, et dispensatione apostolica praesul, quod alias attenta suppressione conventus Consolationis nuncupati fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis civitatis Ferrariensis auctoritate Nostra apostolica facta, dilecti filii prior, et fratres conventus sanctae Mariae ejusdem ordinis civitatis Foroliviensis in juribus, et actionibus suppressi conventus hujusmodi, ac propterea in jure nominandi, seu praesentandi personam idoneam ad parochialem ecclesiam sanctae Blanchae Ferrariensis, dum ea pro tempore vacaret, successerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, prior, et fratres praedicti de consilio dilecti etiam filii moderni prioris generalis praedicti ordinis ad evitandas lites, et controversias, quae super dicto jure nominandi, et praesentandi inter eos, et archiepiscopalem curiam Ferrariensem oriri poterant, atque ob alias causas eorum animos moventes, die 27. decembris anni mox elapsi capitulariter congregati ad renunciationem, et abdicationem juris hujusmodi sub Nostro, et apostolicae Sedis beneplacito devenerint, prout requiritur videlicet.

Al Nome di Dio Amen

Questo dì 27. dicembre mille settecento ottantasette. Forlì.

Tenor abdicationis factae capitulariter a fratribus ordinis Servorum.

§. 2. Noi sottoscritti vocali del venerabile convento di santa Maria de' Servi di questa città di Forlì qui capitolarmente convocati, e congregati secondo il solito ec. secondando i consigli, e le insinuazioni dateci dal reverendissimo nostro padre generale con sua lettera in data di Roma li 15 del cadente mese diretta a questo padre maestro priore, e per evitare insieme qualunque questione, e controversia, che potesse insorgere tra di noi, come successori ne' diritti del convento della Consolazione già soppresso in Ferrara, e la curia arcivescovile di quella città, e per altri prudenti, e giu-

ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique conventus Foroliviensis, et ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima quinta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo tertio.

ANNO DECIMO QUARTO

Dat. Romae 19. februar. 1788. Anno XIV.

DCLXXXV.

Indulgetur presbyteris saecularibus congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Goanae in Indiis, ut in posterum loco cantus, quem vocant alla Cappuccina, cantu Gregoriano, uti valeant.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii praepositus, aliique presbyteri saeculares congregationis oratorii sancti Philippi Nerii civitatis Goanae in Indiis orientalibus, quod per constitutiones suae congregationis praedictae ab apostolica Sede approbatas cautum reperitur, ut eadem congregatio in missis, et conventualibus officiis, aliisque ecclesiasticis functionibus cantu, quo fratres ordinis minorum sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum utuntur, ipsa pariter utatur.

Ratio concessionis.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, exponentes probe noscant, cantum hujusmodi ad praesens irreverentiam potius, quam devotionem excitare, ac propterea reliquis illarum partium ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, qui cantu Gregoriano utuntur, se conformari posse summopere cupiant, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, moderno, ac pro tempore existente praeposito, aliisque dictae congregationis presbyteris: ut in posterum, tam in missis, et divinis officiis, quam in aliis ecclesiasticis functionibus persolvendis cantu Gregoriano uti libere, et licite possint, ac valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus praemissis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

Dat. Romae 20. februar. 1788. Anno XIV.

DCLXXXVI.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Santanderiensi.

Venerabili fratri episcopo Santanderiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Cum, sicut, quaedam sunt, ut inquit s. Leo magnus praedecessor Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper

conditione servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ex propter apostolica haec sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quo ad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam non sine conscientiae angore contemnuntur.

Ratio concessionis. §. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Santanderiensi, adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque, ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt persaepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contingit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Santanderiensis existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, atque sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et celebritatis omnium sanctorum; praeterea quinque dictis beatae Mariae Virgini immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis, sive per hanc sanctam Sedem praeceptis, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, et statuas praecipias, et mandes.

Derogatio contrariorum. §. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. die 7. mar. 1789. Anno XIV.

DCLXXXVII.

Bona cujusdam haereditatis applicantur hospitali, seu brephotrophio Tudertino.

Dilecto filio Nostro Francisco Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Carrara nuncupato.

Pius PP. VI.

Dilecte fili Noster
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Derogatio testamentariae dispositionis a Petro Dominici conditae, et erogatio haereditatis favore brephotrophii.

§. 1. Cum Nos alias, ut prospero plurium hospitalium, seu brephotrophiorum, aut curatrophiorum in ditione Nostra existentium, in quibus tum expositos, vulgo projetti, tum pauperes infirmos recipere, alere, educare, ac etiam respective mederi solent, statui consulerimos, te in illorum apostolicum visitatorem, ac commissarium per Nostras in simili forma brevis die x. januarii MDCCLXXXVI. expeditas literas deputavimus; hinc cum ad audientiam Nostram nuper pervenerit, alias in civitate Nostra Tudertina supremum clausisse diem bo. mem. Petrum Dominicum quondam Angeli sub cura sancti Nicolai ejusdem civitatis Tudertinae scriptis prius testamentariis tabulis, in quibus suam universalem haeredem nuncupavit unicam suam filiam Claram, qua defuncta, voluit, ut per tunc nominatos executores testamentarios omnibus divenditis suis bonis, tum mobilibus, tum immobilibus quibuscumque pretium percipiendum in tot sacrificia, seu missas pro animae suae, suorumque ascendentium expiatione, et suffragio insumeretur. Nuper vero e vita decesserit dicta Clara haeres instituta, eaque propter jam ab executoribus testamentariis praedictis quoad bona mobilia haereditaria voluntati memorati testatoris fuerit plenissime paritum, Nos hospitali, seu brephotrophio Tudertino omni ratione subvenire cupientes, ac testamentariam dispositionem praedictam, illiusque tenorem hisce praesentibus pro satis expressa haberi volentes, circumspectioni tuae, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, et mandamus, ut praevia derogatione dictae testamentariae dispositioni, omnia bona mobilia, si quae adhuc existant, seu eorum pretium, immobilia, jura, et actiones quascumque ad illam quomodolibet spectantia dicto hospitali, seu brephotrophio Tudertino auctoritate Nostra apostolica unias, incorpores, atque adnectas, eaque unita, incorporata, atque adnexa esse, et fore dicta auctoritate declares.

Suppletur de ecclesiae thesauro missarum oneribus a testatore praescriptis.

§. 2. Ne vero animae pii testatoris, suorumque ascendentium congruo suffragio defraudentur, tibi pariter injungimus, ut medietatem redditus ex dictis bonis percipiendi, habita ratione quatuor scutorum in singula centena illorum existimationis juxta consuetam taxam missarum perpetuarum in tot missas, seu suffragia in ecclesia, seu oratorio ejusdem hospitalis, seu brephotrophii celebranda ab illius administratoribus pro tempore existentibus esse, et fore impendendam eadem auctoritate decernas, ac statuas. Nos enim tibi omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, et exequi mandandi pro tua prudentia arbitraberis facultatem, auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea dictis executoribus testamentariis, ne sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis dictae haereditati se amplius immiscere audeant, teque in nihilo hisce desuper molestari, aut inquietari praesumant.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 3. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus, quatenus opus sit, dicti pii testatoris testamento, dispositione, seu codicillo, ac ultima voluntate, quae quoad praemissa sufficienter, ac expresse commutamus, nec non constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die septima martii mille-

simo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 8. martii 1788. Anno XIV.

DCLXXXVIII.

Erectio ecclesiae Labacensis in metropolitanam.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. In universa gregis Dominici cura ab ipso pastore Christo Domino licet immerentes constituti, illud ex debito apostolicae servitutis animadvertere satagimus, ut ovile quodlibet unicum habeat, unique climatis pastorem, cui nedum fontium, et herbarum ovibus suis apta qualitas, sed et ferarum lustra innotescant, quique si ovem aliquam longe aberrare contingat, aut lupus insidiator eam voraturus accedat, voce sua, quam usu illa cognoscit facilius reducere, ac valide in ejus ire possit occursum, ac ubi propterea gregis hujusmodi uniformitati variorum usum dignoscitur praeesse pastoris Nostri muneris est, ut alter eorum per apostolicae suppressionis ministerium ab exercitio pastoris ita removeatur, ut universa animarum jurisdictio, et auctoritas in unum tantum pro salubriori earum spirituali gubernio, consolatione, et tranquillitate prout decet, coalescere videatur; eo magis vero convenit, ut Nos aciem considerationis Nostrae ad id intendamus, cum supremorum, et de orthodoxa fide optime meritorum principum pia vota conspiciamus efflagitare.

Expositio precum porrectarum ab imperatore Romanorum pro assequenda nova erectione ecclesiae Labacensi.

§. 2. Cum itaque, sicut dilectus filius Noster Franciscus tituli sanctorum Nerei, et Achillei Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Herzan de Harras nuncupatus, carissimi in Christo filii Nostri Josephi Secundi in imperatorem electi, et Romanorum, Bohemiae, et Hungariae regis apud Nos, et Sedem apostolicam administer plenipotentiarius Nobis nuper exposuit, quod ipse Josephus imperator, et rex pro catholici principis debito, sedulo expendens, ut ad divinum suis in ditionibus cultum adaugendum, animarumque simul subditorum suorum salutem impensius promovendam, legum et pastorum uniformitas conferre plurimum soleat; ac proinde suae considerationis intuitum ad Christifideles omnes in infrascripto ducatu comprehensos extendens, quos eaedem non dum indoles, mores, et consuetudines, sed et ipsius linguae vernaculae usus uniunt, atque conjungunt, ut illi quidem sub uno pariter eodemque pabulo, atque pastore instruantur, et gubernentur probe noverit expedire, idque scilicet mediante metropolitanae ecclesiae ad praesens pastoris solatio destitutae opportuna suppressione, et extinctione obtineri posse, ad hoc ut episcopalis ecclesia Labacensis Sedi apostolicae immediate subjecta in Carniolae ducatu existens, quae pariter ad praesens simili pastoris solatio destituta reperitur, relicto, et suppresso quoque in ea cathedralitatis titulo, et ad archiepiscopalis metropolitanae ecclesiae honorem illius futurus, et pro tempore existens Labacensis archiepiscopus universas sibi committendas oves tam sub Goritiensi, ut infra supprimenda, et extinguenda quam Labacensi dioecesibus existentes unicus pascendas habeat, proptereaque per ipsum Franciscum cardinalem dicti Josephi imperatoris, et regis nomine Nobis fuerit humiliter supplicatum quatenus ipsam Goritiensem ecclesiam, illiusque sedem, et dignitatem, ac mensam archiepiscopales nec non capitulum, illudque componentes dignitates, ac singulos canonicatus, et praebendas, una cum dioecesi etiam Goritiensi, modo tamen et forma infrascriptis perpetuo supprimere, et extinguere, illisque sic suppressis, et extinctis eamdem Labacensem ecclesiam praevia pariter in ea cathedralitatis, et capituli cathedralis suppressione, in metropolitanam ecclesiam Labacensem, cui infrascriptae episcopales ecclesiae jure metropolitico subsint, ut infra etiam perpetuo erigere, et instituere, ipsumque suum cathedrale capitulum sic supprimendum, una tantum in ea etiam, ut infra erigenda addita dignitate, in capitulum quoque metropolitanum Labacense subrogata, aliaque infrascripta per eumdem Josephum imperatorem, et regem provide excogitata, et disposita ut infra ordinare, et concedere dignaremur.

§. 3. Nos igitur, quibus de caetero post hujusmodi susceptam dicti Francisci cardinalis instantiam ex processu a Nostro, et Sedis apostolicae nuncio in civitate Viennae Austriae commorante vigore decreti Nostri sub die decima mensis decembris anni Domini proxime

Processus adhibitus super novae erectionis utilitate.

praeteriti editi super ipsius expetitae suppressionis, et erectionis praefatarum necessitate, et utilitate confecto, et ad urbem noperrime transmisso, plane constitit, quod si praemissa per Nos, et dictam Sedem apostolicam fierent plurimis revera incommodis obviaretur, simulque speciali populorum ipsorum in supradicto ducatu existentium utilitati, feliciorique gubernio peropportune consuleretur, atque etiam attendentes quod omnes, et singuli, qui in eisdem praemissis interesse quomodolibet habent, per ipsum apostolicum nuncium auditi ad opus tam utile rite perficiendum libenti animo consentientes accesserunt, votis, et petitionibus dicti Josephi imperatoris, et regis hac in parte annuere volentes.

Suppressio ecclesiae Goritiensis, et capituli illius.

§. 4. Motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine archiepiscopalem cathedram, dignitatem, mensam, et sedem archiepiscopi Goritiensis nuncupati, nec non metropolitanam ecclesiam Goritiensem, illiusque capitulum, dignitates, ac singulos canonicatus, et praebendas, illarumque, et illorum respective titulos collativos, nomina, denominationes, naturas, et essentias dignitatum, ac canonicatuum, et praebendarum, ita quod illa, et illi, ex nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativae, et collativi esse desinant, ac de caetero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari, seu alias de illis quovis titulo disponi nullatenus umquam possit, et si illas, et illos ullo umquam tempore a quoquam quavis auctoritate conferri, aut impetrari, vel alias de illis quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, aliaeque dispositiones de illis pro tempore quomodolibet factae, nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, universamque ecclesiam Goritiensem apostolica auctoritate perpetuo supprimimus, et extinguimus, ipsamque civitatem Goritiensem civitatis itidem archiepiscopalis honore, titulo, et denominatione dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo destituimus.

Consulitur canonicis, et dignitatibus suppressi capituli Goritiensis.

§. 5. Ac ne dum pro aliorum hujusmodi spirituali bono laborare studemus, aliquis ex dilectis pariter filiis ejusdem metropolitanae ecclesiae Goritiensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae, nuper canonicis, seu qui dignitates in ea respective hactenus obtinuerunt, in hujusmodi canonicatuum, et praebendarum, nec non supradictarum dignitatum suppressione, et extinctione per Nos, ut praefertur, factis hujusmodi praejudicium aliquod in temporalibus pati valeat, quinimo in eis do suae quisque praebendae, sic ut praefertur suppressae amissis fructibus, redditibus, ac proventibus integram indemnitatem accipiat. Nos propterea cuilibet ex praefatis dictae metropolitanae ecclesiae Goritiensis, ut praefertur, suppressae, et extinctae nuper canonicis, seu qui dignitates hujusmodi, etiam ut praefertur suppressas, et extinctas in ea hactenus obtinuerunt pensionem annuam ab omnibus, et quibuscumque oneribus prorsus liberam, immunem, exemptam, quae redditunm cujuslibet per eos respective obtentae praebendae valorem annuum aequiparet eis eorum cuilibet quoad usque vixerint, et respective vixerit, vel eorum respective procuratori legitimo per ipsum Josephum imperatorem et regem, cujus expressa ad hoc accedit intentio, ejusque in regno successores in numerata pecunia annuatim respective persolvendam, donec aliunde eisdem dictae metropolitanae ecclesiae, ut praefertur suppressae, et extinctae nuper canonicis, seu qui dignitates etiam, ut praefertur, suppressas in ea ut supra obtinuerunt, et eorum cuilibet de aliis beneficiis ecclesiasticis in posterum vacaturis non minoris tamen summae respectiva pensionis hujusmodi canonicae etiam respective provisum fuerit, motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus respective reservamus, constituimus, et assignamus.

Tenor erectionis novae, cum designatione nominis novae cathedralis ecclesiae.

§. 6. His vero praemissis episcopalem, et cathedralem ecclesiam Labacensem praedictam sub invocatione sancti Nicolai episcopi, Sedique apostolicae praedictae hactenus immediate subjectam existentem, praevia pariter in ea, illiusque capitulo, nec non civitate, et dioecesi tituli, nominis, denominationis, et essentiae cathedralitatis, ac sedis dignitatis, ac mensae episcopalium, nec non capituli cathedralis, et civitatis, et dioecesis pariter episcopalis Labacensis perpetua itidem suppressione, et extinctione motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus in archiepiscopalem, et metropolitanam ecclesiam Labacensem nuncupandam sub eadem sancti Nicolai episcopi praefati invocatione, ut antea, extituram, et in ea sedem, et dignitatem archiepiscopalem pro uno

deinceps archiepiscopo Labacensi nuncupando, qui pallii, et crucis usum, aliorumqua archiepiscoporum more habeat, cum suis capitulo infrascripto, ac sigillo, arca, mensa archiepiscopali, omnibusque aliis archiepiscopalibus signis, et insigniis, nec non privilegiis, honoribus, et praerogativis archiepiscopis debitis, et concessis, ac juribus, jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, gratiis, favoribus, et indultis realibus, personalibus, et mixtis, quibus aliae metropolitanae ecclesiae, earumque praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, vel privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum. Nec non in praefata ut infra erigenda metropolitana ecclesia Labacensi unam dignitatem per ipsum nuncium apostolicum in infrascriptae executionis actu suis propriis titulo, denominatione, ac omnibus illi pro tempore incumbentibus, juxta mentem dicti Josephi imperatoris ac regis declarandam, quae uni ex canonicatibus, et praebendis infrascripti capituli prout et caeterae aliae dignitates etiam infrascriptae perpetuo adjuncta, et annexa, ac dictae metropolitanae ecclesiae ut infra erigendae tertia dignitas existat, ad solam laudem, et honorem Omnipotentis Dei, ac sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac ejusdem sancti Nicolai episcopi, nec non fidei catholicae exaltationem, ac totius militantis ecclesiae gloriam, apostolica auctoritate praedicta itidem perpetuo erigimus, et instituimus.

Declaratur Labacensis ecclesia archiepiscopalis.

§. 7. Nec non pro tempore existentem ecclesiae Labacensis praedictae per Nos ut praefertur erectae praesulem, ac civitatem ipsam Labacensem in archiepiscopum et metropolitanum, ac respectiva in civitatem archiepiscopalem Labacensem dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque declaramus, eidemque futuro Labacensi archiepiscopo, ut ipse caetera singula prout metropolitanis in eorum civitatibus, et dioecesibus, et provinciis a jure indultum existit, facere, exercere, administrare et exequi possit eadem apostolica auctoritate similiter perpetuo concedimus, et indulgemus.

Eidem archiepiscopali ecclesiae uniuntur et incorporantur aliae ecclesiae dismembratae a dioecesi Colocensi.

§. 8. Praeterea eidem metropolitanae ecclesiae Labacensi, ut praefertur, erectae unam Segniensem, et aliam Modrusiensem invicem perpetuo canonice unitas, et metropolitanae ecclesiae Colocensi hactenus metropolitico jure subjectas, nec non reliquam Gradiscanam, per Nos quam primum erigendam, episcopales ecclesias (praevia tamen quoad Segniensem, et Modrusiensem ecclesias praedictas illarum a jurisdictione metropolitica Colocensi dismembratione, et sejunctione, de dilectorum etiam filiorum modernorum capituli, et canonicorum dictae metropolitanae ecclesiae Colocensis, illius sede archiepiscopali ad praesens vacante praestito consensu) earumque futuros respective episcopos pro tempore existentes, pro ejusdem futuri archiepiscopi Labacensis pro tempore existentis suffraganeis, qui tamquam membra capiti eidem archiepiscopo Labacensi jure metropolitico subsint, ita quod archiepiscopus Labacensis pro tempore existens praedictus in Segniensi, et Modrusiensi, ac postquam per Nos, ut praefertur erecta fuerit, etiam Gradiscana civitatibus, et dioecesibus jus metropoliticum sibi vindicet, nec non Segniensis, et Modrusiensis, et postquam erecta fuerit, ut praefertur, etiam Gradiscana ecclesiae praedictae eidem archiepiscopo, et metropolitano Labacensi ad omnia, et singula teneantur, et obligatae sint, nec non judicentur secundum canonicas sanctiones apostolica auctoritate praedicta pariter perpetuo concedimus, et assignamus.

Jurisdictiones concessae pro archiepiscopo Labacensi.

§. 9. Ac eidem pro tempore futuro archiepiscopo Labacensi, suos suffraganeos consecrandi, ac provinciales synodos evocandi, et cum eis etiam publica negocia terminandi, et causas quarumcumque appellationum, sive querelas alias ad eum tamquam metropolitanum juxta decreta concilii Tridentini, ac alias juxta sacrorum canonum statuta spectantes agnoscendi, omniaque alia, et singula, quae de jure, vel consuetudine, aut alias quoquomodo ad archiepiscopos, et archiepiscopale munus spectare, et pertinere solent, et debent gerendi, faciendi, et exercendi plenam, liberam, et omnimodam auctoritatem concedimus, et facultatem.

Efformatio novae dioecesis.

§. 10. Ac insuper ut novi archiepiscopatus Labacensis dioecesis efformari, et constitui possit, praevia itidem omnium, et singulorum decanatuum, ac sub eis respective comprehensarum parocciarum, aliarumque ecclesiarum, beneficiorum, monasteriorum, conventuum, ac utriusque sexus personarum tam laicorum, quam clericorum, et presbyterorum secularium, et regularium, non tamen exemptorum

cujusvis ordinis, status, et conditionis perpetua segregatione, ac disjunctione a dioecesi, ac jurisdictione archiepiscopali ejusdem ecclesiae Goritiensis per Nos, ut praefertur, suppressae, et extinctae decanatus ipsos, et sub eis, ut praefertur comprehensas paroecias, aliasque ecclesias, monasteria, conventus, et omnes, et singulas personas supradictas eidem ecclesiae archiepiscopali Labacensi, ut praefertur erectae, et institutae, illiusque novae dioecesi, ut infra constituendas apostolica auctoritate praedicta itidem perpetue incorporamus, et adjungimus ac respective civitatem ipsam Labacensem, ac omnes, et singulos decanatus infrascriptos, et in eis pariter comprehensas infrascriptas paroecias, aliasque ecclesias, inter quos et quas pariter decanatus illi, et paroeciae ad dioecesim Goritiensem, ut praefertur suppressam antea spectantes, ac etiam, ut praefertur sejuncti, et incorporati, ac sejunctae, et incorporatae reperiuntur videlicet, unam s. Nicolai episcopi in civitate Labaci, et alteram paroeciam s. Jacobi apostoli in dicta civitate, ac decanatum ad s. Petrum extra muros, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Petri in suburbio extra muros, ac aliam b. Mariae Virginis Annuntiatae in suburbio, ac aliam s. Joannis Baptistae Tyrnavia, ac aliam Assumptionis b. Mariae Virginis in Campo, ac aliam b. Mariae Virginis Dobrova, ac aliam s. Nicolai episcopi Lippoglau, ac aliam s. Annae Tavor, ac aliam s. Uldarici episcopi Dabruim, ac aliam ss. Simonis, et Judae apostolorum Rudrig, ac aliam s. Canciani martyris Jezezza, ac aliam s. Antonii abbatis Bresoviz, ac aliam sancti Viti martyris supra Labacum, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Catharinae Hartemberg respective nuncupatas hujusmodi. Ac decanatum Ayctensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas, videlicet, unam sancti Martini episcopi Aych, ac aliam beatae Mariae Virginis Egg, ac aliam s. Magdalenae Gondelfeld, ac aliam s. Thomae apostoli Krazen, ac aliam s. Petri apostoli Glogaviez, ac aliam beatae Mariae Virginis Ischeschenza, ac aliam s. Osvaldi ad s. Osvaldum, ac aliam s. Martini episcopi sub Kallemberg, ac aliam s. Margarithae Vodigs, ac aliam s. Uldarici episcopi Hodnig, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias beatae Mariae Virginis Terbojae respective nuncupatas hujusmodi, Ac decanatum Kronaviensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam B. M. Virginis Kronau, ac aliam s. Leonardi Veissenfels, ac aliam s. Spiritus Ratschach, ac aliam s. Michaelis Lonfled, ac aliam s. Leonardi Aspling, ac aliam ss. Albuini, et Ingenuini Karnervellach, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Crucis Planina respective nuncupatas. Ac decanatum Obergoriachensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Georgii martyris Obergoriach, ac aliam s. Martini episcopi Veldescum insula Vert, et aliam s. Jacobi apostoli Geiffen, et aliam s. Margarithae Wokinervellach, et aliam s. Joannis Baptistae apostoli, et aliam s. Martini episcopi Voain cum Gutinsche, ac aliam s. Nicolai episcopi Feistriz, et aliam sancti Petri apostoli Raimanatreff, ac aliam sancti Clementis Rodain, ac aliam sancti Uldarici episcopi Vigaune, ac aliam beatae Mariae Virginis Lees, ac aliam s. Jacobi apostoli Leschach, ac aliam sanctissimae Trinitatis Staibibiskel, ac aliam s. Andreae apostoli Moschnach, ac paroecias seu alias ecclesias s. Crucis Dobrova respective nuncupatas hujusmodi. Ac decanatum Crainburgensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas, videlicet unam ss. Crucis, et Canciani Crainburgum, ac aliam s. Petri Apostoli Hofflein, ac aliam s. Sixti papae et martyris Praedassi, ac aliam B. M. Virginis Kankex, ac aliam s. Martini episcopi Terstenig, ac aliam s. Crucis penes Hesimarhit, ac aliam s. Jacobi apostoli Prinhendorf, ac aliam b. Mariae Virginis Lauffen, et aliam s. Petri apostoli Kables et aliam s. Andreae Gnrische, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias sancti Viti martyris Unter, Dupplach respective nuncupatas hujusmodi. Ac decanatum s. Martini extra Crainburg, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Martini episcopi ad s. Martinum penes Crainburg, et aliam s. Pauli apostoli Mintschitsch, et aliam s. Sadoci in Monte, ac aliam s. Nicolai episcopi Ouschische, et aliam s. Ægidii abbatis Festnitz, et sancti Stephani protomartyris Zier, et aliam s. Joannis Baptistae Presha, et aliam s. Nicolai Eberg, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Leonardi respective nuncupatas hujusmodi. Ac decana-

tum Kyperlabacensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Pauli apostoli Ky per Labacum, et aliam b. Mariae Virginis Lobitsch, et aliam sancti Joannis Baptistae Hotederschitz, et aliam s. Urbani papae Godowitsch, et aliam sancti Michaelis Greith, et aliam s. Brictii episcopi Paellippo, et aliam s. Crucis Venba, et aliam s. Joannis Baptistae Fraydenthal, ac aliam s. Uldarici episcopi Sapplane, et aliam Nativitatis b. Mariae virginis Pillichgraiw, et aliam b. Mariae virginis Assumptae Horiul prope templum Scoubrun, et aliam s. Jodoci supra Pilliegraz, ac reliquas paroecias, seu ecclesias s. Leonardi Schuarzenberg respective nuncupatas supradictas. Ac decanatum Iggensem, et sub eo respectiva comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas, videlicet, unam s. Martini episcopi Igg, et aliam Nativitatis B. Mariae Virginis Chomisch, et aliam sanctae Margarithae Gnilo, et aliam s. Viti martyris Schalimb, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias b. Mariae Virginis Kuresche respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum sancti Bartholomaei in Campestribus, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam sancti Bartholomaei apostoli in Campestribus, et aliam b. Mariae virginis Londstrass, et aliam s. Georgii martyris Obernusdorf, et aliam s. Crucis Prassunrusnitz, et aliam sanctissimae Trinitatis Pleteriach, et aliam s. Crucis Scharffenberg, et aliam s. Annae Debenz, et aliam s. Georgii martyris ad s. Georgium, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias sancti Bartholomaei apostoli Kosseza respective nuncupatas. Ac decanatum Listopolitanum, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam b. Mariae Virginis Litopolis, et aliam b. M. Virginis Miuhenderf, et aliam sancti Georgii martyris, et aliam s. Martini episcopi Unter Fuschain, et aliam b. M. Virginis Ober Fuchain, ac aliam sancti Antonii abbatis Heythal, et aliam s. Margarithae Kadomle, ac aliam s. Annae Goist, et aliam s. Agnetis V. Sello, et aliam sancti Udarici episcopi Kabensperg, et aliam s. Martini episcopi Moraiitsheum Grosdorff, ac aliam sanctissimae Trinitatis ad sanctissimam Trinitatem, et aliam s. Laurentii martyris Goreina, ac aliam s. Andreae apostoli Petsch, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Georgii martyris Jacobien respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Michel Theinitz, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam b. M. Virginis Michestetren, et aliam b. M. Virginis Tirbloch, et aliam s. Uldarici episcopi Ulrichsberg, et aliam s. Mathiae apostoli Sallach, et aliam s. Georgii martyris ad s. Georgium in Campo; ac aliam s. Michaelis Osbeuich, et aliam s. Petri apostoli commendam ordinis Melitensis, et aliam s. Annae Toynix, et aliam s. Nicolai episcopi Leppach, et aliam b. M. Virginis Neismarhtl, et aliam sanctae Catharinae virginis, et martyris Lem, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Annae Loibl respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Locopolitanum, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Georgii martyris Altenlsh, et aliam s. Jacobi apostoli Locopolie, et aliam b. Mariae Virginis Erenburgen, et aliam s. Thomae apostoli Furten, et aliam sancti Leonardi ad s. Leonardum, et aliam s. Clementis Wnbenshitza, et aliam s. Luciae virginis, et martyris Drashgosch, et aliam s. Nicolai episcopi Fravz, et aliam b. Mariae Virginis Salliloch cum Als, et aliam s. Antonii abbatis Eisner, et aliam s. Martini episcopi Poilandt, et aliam s. Joannis Baptistae Tractia, et aliam s. Viti martyris Lutschne, et aliam s. Pauli apostoli Altostlitz, et aliam s. Uldarici episcopi Itafelbach, et aliam s. Martini episcopi Seirach, et aliam s. Uldarici episcopi Sauraz, et aliam ss. trium Regum Verch, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Joannis Nepomuceni Hegestlitz respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Vallis Jocose, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam b. Mariae virginis Tirhniz, et aliam s. Margarithae virginis, et martyris Alben, et aliam s. Antonii de Padua Haasberg, et aliam s. Martini episcopi Mauniz, et aliam s. Pauli apostoli Scherouniza, et aliam sancti Viti martyris Presser, et aliam b. M. Virginis Travemberh, et aliam s. Margarithae virginis, et martyris Tranzderf, ac reliquas paroecias seu alias ecclesias s. Crucis Ka Wtina respective nuncupatas praefatas. Ac decanatum Siticensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Andreae apostoli Alba, ac

aliam sancti Laurentii martyris Urch, ac aliam s. Canciani martyris Gutlenwert cum Istrovashiarod, ac aliam s. Jacobi apostoli Tentsche, et aliam s. Georgii martyris Dobernig, ac aliam sanctissimae Trinitatis Unteraudoviz, et aliam s. Joannis Baptistae Sella Subscongerg, et aliam s. Margarithae virginis, et martyris Lastbal, et aliam s. Helenae ad s. Helenam, ac aliam s. Margarithae virginis, et martyris prope Klingenfels, et aliam s. Martini episcopi penes Lithai, et aliam ss. Hermagore et Fortunati martyrum Liberga, et aliam s. Antonii abbatis Stangerwald, et aliam s. Michaelis Moospurg, et aliam b. Mariae virginis Kiongallenberg seu Homez, et aliam ss. Cosmae, et Damiani Olbergurk, ac aliam b. Mariae virginis Hamer Gur, et aliam ss. Petri et Pauli apostolorum Sagor, et aliam b. M. virginis Haarlan vel Samariae, et aliam s. Georgii martyris ad s. Georgium, et aliam B. M. virginis Koppain, et aliam s. Jacobi apostoli Pollitz, et aliam b. M. virginis Cressen; et aliam ss. Hermagore, et Fortunati martyrum Seissenberg, et aliam s. Michaelis penes Seissenberg, et aliam b. Mariae virginis Tschemschenig, et aliam sancti Viti martyris ad s. Vitum penes Sitich cum Oscredeg, et aliam b. Mariae virginis Sittlcium, et aliam s. Andreae apostoli Watisch, et aliam b. Mariae virginis in Monte, et aliam s. Nicolai episcopi Sava, et aliam s. Helenae Hottisch, et aliam s. Bartholomaei apostoli Ambruss, et aliam s. Crucis penes Thum, et aliam s. Michaelis Ischatesch, et aliam s. Gottardi Trojana, et aliam s. Nicolai episcopi Hinach, et aliam s. Laurentii martyris Collobrah, et aliam sancti Benedicti Krosniz, et aliam s. Laurentii martyris Temeniz, et aliam s. Petri apostoli penes Vembof, et aliam s. Joannis Baptistae Heycleh, et aliam s. Margarithae virginis, et martyris Preschgain, et aliam sancti Nicolai episcopi Tautschberg, et aliam b. M. Virginis Primsban, et aliam b. Mariae virginis Prindl, et aliam ss. Simonis et Judae apostolorum Ischernotrch; et aliam b. Mariae virginis in Alpibus, et alia s. Leonardi Sostran, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Lamberti ad s. Lambertum respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Tudolphswertensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam sancti Nicolai episcopi Neostadium, ac alia sancti Ruperti ad s. Rupertum, ac aliam s. Crucis et sancti Leonardi Grossirnig vel Gabrielo, ac aliam sancti Canciani martyris Honigstain, ac aliam s. Ursulae Taubenberg, ac aliam s. Michaelis penes Rudolphsvert, ac aliam s. Josephi Pollandt, ac aliam b. M. Virginis Unterbuytschau, ac aliam s. Petri apostoli Unterlaah, ac aliam s. Ægidii abbatis Untermasonfor, ac aliam s. Crucis Saveustain, ac aliam b. M. Virginis Gillichberg, ac aliam b. Mariae Virginis Maichan, et aliam sanctorum Cosmae et Damiani Donsch, et aliam s. Erasmi martyris Einbod, et aliam b. Mariae virginis in Termis, et aliam s. Jacobi apostoli Waltendorf, et aliam s. Eliae prophetae Prestchua, et aliam b. Mariae virginis in Thal, et aliam s. Joannis Baptistae in Valle, et aliam sanctissimae Trinitatis ad sanctissimam Trinitatem, et aliam s. Joannis Baptistae Scheveinberg, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Viti martyris, et aliam b. Mariae virginis Stoppitrcb, alias ecclesias s. Petri apostoli Ratschach respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Reiffnicensem, et sub eo comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas, videlicet, unam sancti Stephani prothomartyris Reiffniz, et aliam sanctae Margarithae virginis, et martyris de Kirler, et aliam s. Thomae apostoli Pollaud, et aliam ss. Primi, et Feliciani Myssem, et aliam s. Magdalenae Soderschiz, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Marci evangelistae Soppotab respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Gutenfeldensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas, videlicet, unam sanctae Crucis Guttenfeld, et aliam s. Georgii ad s. Georgium, ac aliam sancti Augustini episcopi Strub, ac aliam b. M. Virginis Catschitsch, et aliam sancti Canciani martyris penes Castrum Aversperg, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias b. Mariae virginis Roob respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Gurbfeldensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam b. M. virginis Haselbach, et aliam ss. Primi, et Feliciani martyris Scondorf, ac aliam sancti Viti martyris Hauno, et aliam s. Pauli apostoli Goritza, ac aliam s. Joannis Baptistae Gurbfeld, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Marci evangelistae Tirble respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Gotscheviensem, et sub eo respective comprehensas paroecias,

seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam sancti Floriani martyris Gottsch, et aliam b. Mariae virginis Mitteudorf, et aliam s. Leonardi Mossel, et aliam s. Crucis Unterbul, et aliam sancti Joannis Baptistae Rieg, et aliam b. Mariae virginis Obergrass, et aliam sancti Jacobi apostoli Hessental, et aliam beatae Mariae virginis Iscbermoschnia, ac aliam s. Andreae et b. Mariae virginis Pollaodt, et aliam s. Antonii Klotsch, et aliam s. Margaritbae virginis, et martyris Altiab, et aliam ss. Petri et Pauli Ossiuniz, et aliam b. Mariae virginis Hostel, ac reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Jacobi apostoli Laoia Loba respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Lassfrensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam s. Georgii martyris Altenmahii Laass, et aliam s. Petri apostoli Laass, et aliam sancti Antonii Batna Poliza, et aliam sancti Michaelis Oblah, et aliam sanctissimae Trinitatis Schinze, et aliam sancti Viti martyris Schiltsche, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias s. Leonardi Laserbach respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Londstraffeusem et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, aliam s. Jacobi apostoli Landestras, et aliam s. Crucis ad s. Crucem, et aliam b. Mariae virginis Guschendorf, et aliam sanctae Catharinae virginis, et martyris Verlnga, et aliam s. Petri apostoli Obernassenfurs, et aliam sancti Antonii Teschenza, et aliam s. Georgii martyris Ischatesch, et aliam b. M. Virginis Grosdolina, et reliquas paroecias seu alias ecclesias sancti Joannis Baptistae Kayer respective nuncupatas praedictas. Ac decanatum Mottingensem, et sub eo respective comprehensas paroecias, seu alias ecclesias infrascriptas videlicet, unam sancti Nicolai episcopi Mottling, et aliam sancti Marci evangelistae Puschiusdorff, et aliam sancti Stephani prothomartyris Semiz, et aliam sancti Nicolai episcopi Grandnig, et aliam sancti Petri apostoli Ischernembl, et aliam sancti Joannis evangelistae Doblitsch, et aliam sancti Bartholomaei apostoli Ottavez, et aliam s. Crucis Veiniz, et aliam sanctissimae Trinitatis Preloba, et aliam sanctae Annae Navaiz, et aliam sancti Martini episcopi Podsemel, et aliam s. Joannis Baptistae Tributsche, et reliquas paroecias, seu alias ecclesias sancti Nicolai episcopi Adleschitz respective nuncupatas hujusmodi. Ac sub eisdem superius expressis decanatibus, ac paroeciis consistentes, et incolas tam laicos quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque non tamen exemptos eidem metropolitanae ecclesiae Labacensi, ut praefertur erectae, illiusque futuro praesuli pro suis civitate, territorio, dioecesi, ac clero, et populo Stagadd, licet personae eidem metropolitanae ecclesiae Labacensi tam nunc a primaeva illius erectione, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio destitutae in archiepiscopum praeficiendae per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in dicta civitate Labacensi, ac praefatis omnibus decanatibus, et paroeciis superius expressis propria auctoritate apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere cujusvis licentia desuper minime requisita pari apostolica auctoritate similiter perpetuo constituimus, et assignamus; illiusque ordinariae, et metropolitanae jurisdictioni, superioritati, et auctoritati respective supponimus atque subjicimus.

§. 11. Ut autem idem futurus archiepiscopus Labacensis pro tempore existens praesulis dignitatem decentius tenere valeat novae mensae archiepiscopalis Labacensi, ut praefertur, erectae eosdem redditus, quibus ipsa episcopalis mensa Labacensis, sic suppressa, dotata reperiebatur, et episcopi Labacenses ante banc percipiebant pro illius dotatione apostolica auctoritate praefata similiter perpetuo attribuimus, applicamus, et appropriamus. Itemque palatium prope cathedralem ecclesiam Labacensem, ut praefertur erectam existens, quod pro episcoporum habitatione Labacensum hactenus inservit eidem futuro archiepiscopo Labacensi pro tempore existenti pro simili sui decenti habitatione, dicta apostolica auctoritate perpetuo adscribimus, et concedimus. *Assignatio mensae.*

§. 12. Ulterius quoque ipsius cathedralis ecclesiae Labacensis, sic ut praefertur, suppressae capitulum in capitulum metropolitanum novae archiepiscopalis ecclesiae Labacensis etiam, ut praefertur, erectae, illudque respective componentes, praeposituram videlicet cum uno, et una in majorem post pontificalem, ac decanatum cum alio et alia in secundam, ac aliam per praesentes erectam, et per *Erectio capituli novae cathedralis ecclesiae.*

eumdem nuncium apostolicum, ut supra declarandam cum aliis, et aliis canonicatibus, et praebendis infrascriptis dignitatibus respective adnexis in tertiam respective dignitates, ac caeteros novem canonicatus, et praebendas, earumque; et eorum respective possessores nunc, et pro tempore existentes, nec non quatuor beneficiatos, et quatuor itidem clericos, nec non sacristam, et cathechetam, qui omnes eidem suppressae cathedrali ecclesiae Labacensi inservierunt, et de caetero inservire debebunt in totidem dignitarios, et canonicos, nec non cooperatores, levitas, cappellanos, beneficiates, clericos, sacristam, et cathechetam dictae metropolitanae ecclesiae Labacensis per Nos, ut praefertur erectae eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque subrogamus. Ita tamen, ut dilectus etiam filius modernus, et pro tempore existens praepositus ejusdem metropolitanae ecclesiae, per Nos, ut praefertur erectae, sic subrogatus iis omnibus praeeminentiis, quae sibi de jure debentur deinceps perpetuo frui debeat, et tam ipsi quam caeterae aliae dignitates, ac canonicatus, et praebendae nunc, et pro tempore existentes hujusmodi metropolitanae ecclesiae Labacensi, ut praefertur erectae inservientes praedicti pro suis respective praebenda, redditibus, et stipendiis eosdem fructus, seu proventus, quos quilibet eorum videlicet haec usque percepit, etiam in posterum perpetuis futuris temporibus, ut antea respective percipere valeant.

Canonicis, et dignitatibus privilegia conceduntur, et jus condendi statuta.

§. 13. Ac praeterea eisdem futuris capitulo, et canonicis ejusdem metropolitanae ecclesiae Labacensis, ut praefertur erectae, ut ipsi quoties id expediens eis videbitur capitulariter congregati pro dictae metropolitanae ecclesiae Labacensis, sic erectae, illiusque mensae capitularis, sacristiae, fabricae, earumque rerum, et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero, feliciquo novo regimine, gubernio, et directione, ac onerum eis respective pro tempore de novo incumbentium supportatione, missarum, horarum canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, ac dignitatibus, canonicatibus, et praebendis sic subrogatis praefatis, aliisque ministeriis ecclesiasticis inibi pro tempore providandorum receptione, et admissione personali residentia distributionum quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque repartitione, et administratione, ac poenarum per absentes, ac divinis officiis, et functionibus praefatis suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, atque incursu, ac singulorum praesentiis, et absentiis notandis a caeremoniis, et ritibus in praefata metropolitana ecclesia Labacensi, ut praefertur, erecta, illiusque choro capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis, nec non illius ministris, et inservientibus deputandis, et amovendis salariis, et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta ejusdem episcopalis ecclesiae Labacensis suppressae hactenus observata reformare, mutare et corrigere, ac etiam alia de novo licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et praefati concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis non contraria condere, et edere, conditaque et edita pro tempore, et rerum variatione, et qualitate etiam limitare, declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, seu pariter de novo, et ex integro, cum approbatione tamen semper, et consensu dicti futuri pro tempore existentis archiepiscopi Labacensis condere, et per eos ad quos pro tempore spectabit sub poenis in contrafacientes statuendis observari facere libere, et licite valeant plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem, dicta apostolica auctoritate concedimus, et impartimur.

§. 14. Ac pro eo quod sicut accepimus inter canonicatus, et praebendas supradicti capituli sic subrogati theologalis, et poenitentiaria praebendae institutae minime reperiantur mandamus propterea, ut futurus archiepiscopus Labacensis in dicta metropolitana ecclesia, ut praefertur erecta easdem theologalem, et poenitentiariam praebendas ad praescriptum concilii Tridentini praedicti erigat, et instituat, ejusdem futuri archiepiscopi Labacensis conscientiam desuper onerando.

Praecipitur erectio praebendae theologalis, et poenitentiariae.

§. 15. Ac postremo eidem Josepho imperatori, et regi, ejusque successoribus regibus jus nominandi ad dictam metropolitanam ecclesiam Labacensem, ut praefertur erectam hac prima vice a primaeva illius erectione praefata pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties eam pro tempore quomodolibet etiam pa-

Jus nominandi archiepiscopum, et capitulares conceditur imperatori, et ejus successoribus.

storis solatio destitui contigerit, infra tempus a jure praefixum, personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem ad nominationem hujusmodi eidem metropolitanae ecclesiae Labacensi, ut praefertur erectae in archiepiscopum praeficiendam pari prorsus modo, quo ad nominationem eamdem alias personae eidem episcopali ecclesiae Labacensi, ut praefertur suppressae, et extinctae in episcopos ab apostolica Sede praefici consueverunt, nec non aliud jus nominandi ad omnes in dicto capitulo, ut praefertur subrogato existentes canonicatus, et praebendas, eisque respective annexas dignitates, et quaevis alia beneficia hujusmodi, dum illos, et illas, ac illa ex personis eis, et eas, ac ea nunc, et pro tempore quomodolibet obtinentium vacare contigerit personas eisdem modo, et forma, quibus eidem Josepho imperatori ac regi ad eosdem canonicatus, et praebendas, ac dignitates, et beneficia hujusmodi ante illorum, et illarum respective subrogationem praedictam competebat de simili apostolica auctoritate etiam perpetuo reservamus. Decernentes jus nominandi hujusmodi, tam ad metropolitanam ecclesiam Labacensem praefatam per Nos, ut praefertur erectam, quam ad illius canonicatus, et praebendas, eisque adnexas dignitates, caeteraque beneficia hujusmodi, sic subrogatus, subrogatas, ac subrogata regium existere, eidemque Josepho imperatori, et regi, ejusque successoribus regibus praefatis; prout alias ad episcopalem Labacensem ecclesiam sic suppressam, et ad illius canonicatus, dignitates, et beneficia hujusmodi ante illorum, et illarum subrogationem praefatam competebat, etiam in posterum competere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, et roboris firmitatem juris nominandi regis hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione, etiam cum efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione, etiam per viam constitutionis, legis, regulae cancellariae apostolicae, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse neque debere.

Submovetur omne juris remedium contra plenam literarum apostolicarum executionem.

§. 16. Ac praesentem Nostrum motum proprium, et easdem praesentes semper, et perpetuo validum, et efficacem, ac validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, nec ullo umquam tempore de subreptionis, vel, obreptionis, aut nullitatis, seu invaliditatis vitio, vel intentionis Nostrae, aut alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato, et inexcogitabili, ac specialem, et individuam mentionem, et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates, et quaevis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerit, aut ex alio quocumque capite, de jure, vel de facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante, aut quocumque alio colore, praetextu, ratione, vel causa etiam quantumvis pia, privilegiata, legitima, et juridica, etiam tali, quae ad effectum validitatis praemissorum accessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra hujusmodi, et aliis superius expressis nullibi appareret, aut alias probari posset notari, impugnari, invalidari, retractari, infringi, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, vel adversus illum, et illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, redutiunis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiae vel justitiae remedium impetrari, seu alias quomodolibet etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et impetrato quempiam uti, seu se juvare in judicio, vel extra illud umquam posse, neque eumdem Nostrum motum proprium, et easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, et Sedem apostolicam praefatam per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariae apostolicae regulas quandocumque, et sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam motu, scientis, et potestatis plenitudine similibus pro tempore quomodolibet factis, et faciendis comprehendi, vel confundi, sed tamquam ad fidei catholicae exaltationem, divinique cultus incrementum, et animarum aedificationem, et solatium factas, et emanatas semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas, et planarie reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque posteriori data per futuros archiepiscopum Labacensem, ac capitulum, et canonicos dictae metropolitanae ecclesiae Labacensis nunc, et pro tempore existentes, ac alios

quorum favorem eaedem praesentes quomodolibet concernunt quandocumque eligenda concessas, et validas fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et sic ab omnibus censeri, et ita, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos etiam quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos dictaeque Sedis nuncios, et quoslibet alios quavis praerogativa, et privilegio pariter fungentes sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque judicio, et quacumque instantia judicari, et definiri debere, irritumque decernimus, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 17. Non obstantibus quatenus opus sit Nostrae, et cancellariae apostolicae praefatae regula de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones, et applicationes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, et ab ecclesiis membra dividi, aut distingui prohibentis, aliisque in contrarium facientibus, etiam synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, deque archiepiscopalis ecclesiae Goritiensis, ut praefertur suppressae etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, et quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempora quomodolibet etiam consistorialiter, aut alias etiam pluries, et iteratis vicibus concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata praesentibus inserti forent eisdem praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad praemissorum omnium, et singulorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum de inscribendis ecclesiae redditibus in libris camerae.

§. 18. Volumus autem quod dictae metropolitanae ecclesiae Labacensis per Nos, ut praefertur, erectae fructus, redditus, et proventus ad quingentos florenos auri de more taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae describi respective debeat.

Deputatio executoris apostolici.

§. 19. Nos autem per praesentes nuncium apostolicum praefatum in dicta civitate Viennensi Austriae, ut praefertur commorantem in executorem earumdem literarum quoad illarum executionem tantum apostolica auctoritate deputamus, eidemque nuncio apostolico Viennensi facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro hujusmodi executionis effectu subdelegare libere possit, ac tam nuncio praefato, quam personae illi per eum sic subdelegandae facultatem quoque, ut ipse, seu ipsa integram praemissorum observantiam sub quibuscumque sententiis, censuris, et poenis ecclesiasticis praecipere, ac super quacumque oppositione adversus eadem praemissa quomodolibet occurrente, servatis tamen de jure servandis definitive pronunciare etiam libere, et licite possit, et valeat dicta auctoritate apostolica pariter respective concedimus, atque impartimur.

Sanctio poenalis.

§. 20. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, destinationis, declarationis, concessionis, indulti, dismembrationis, assignationis, facultatis alterius concessionis, segregationis, disjunctionis, incorporationis, adjunctionis, constitutionis, alterius assignationis, suppositionis, subjectionis, subrogationis, mandati, reservationis, decreti, derogationis, et voluntatis, ac alterius etiam concessionis, et impartitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud san-

ctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo, septingentesimo octuagesimo octavo, octavo idus martii, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

Dat. Romae 11. martii 1788. Anno XIV.

DCLXXXIX.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui occasione capituli generalis visitaverint ecclesias ordinis sancti Augustini.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, Salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini in ecclesia, seu domo sancti Salvatoris canonicorum regularium hujusmodi civitatis Bononiensis propediem benedicente Domino celebrandum sit, Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis domorum canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque earumdem praesentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XI. martii MDCCLXXXVIII., pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 11. martii 1788. Anno XIV.

DCXC.

Committitur nuntio Poloniae, ut veris existentibus narratis mensae abbatiali monasterii Tremesnensis canonicorum ordinis sancti Augustini Gnesnensis dioecesis onus imponat praestandi quotannis florenos quinque mille monetae Poloniae pro firmandis fundationibus ab abbate monasterii praedicti factis.

Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Carthaginensi Nostro, et apostolicae Sedis apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Augustum Poloniae regem illustrem.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem votis illis suum praestare assensum, per quae divinus augetur cultus, religio propagatur, et animarum saluti provida ratione consulitur, quamobrem Nos ad apostolicae Sedis apicem divina disponente clementia assumpti his, quae propterea facta comperimus, Nostrae approbationis robur, cum id a Nobis petitur, libenter adjicere non recusamus, sicut in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum porrectarum.

§. 2. Sane pro parte dilecti filii Michaelis Kosmowki canonici expresse professi, ac moderni abbatis claustralis monasterii Tremesnensis canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini dioecesis Gnesnensis expositum Nobis nuper fuit, quod ipse alias ecclesiam sui monasterii e fundamentis extruxit, publicas aperuit scholas, et propriis sumptibus eleganti opere collegium aedificavit, in quo duodecim adolescentes pauperes nobiles aluntur, et bonis moribus, et disciplinis instituuntur; quodque etiam ad haec omnia stabilienda, praepositura Nistovien-

seni nuncupatam dictae dioecesis, ordinis, et congregationis praedictorum mensae abbatiali claustrali praedicti monasterii Tremesnensis per Nos uniri, adnecti, et incorporari obtinuit; prout in Nostris literis sub plumbo anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo primo pridie nonas septembris pontificatus Nostri anno septimo datis uberius continetur. Postmodum tamen cum in novum suae religionis, ac pietatis argumentum, et nosocomium Tremesnense restauraverit, atque ampliaverit, adeo, ut etiam pauperes invalidi in eo sustentari possint, ac scholas etiam ad excipiendas instituendasque puellas adjunxerit, cappellanum, qui de eis spiritualem curam gerat, ac rectorem, qui temporalibus praesit, constituere in praesentiarum intendit.

Ratio concessionis.

§. 3. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat memoratus Michael abbas annuos redditus suae mensae abbatialis claustralis jamdiu tum laudabili rei familiaris administratione, tum etiam paludes exsiccando, atque vasta nemora cedendo in grandem summam florenorum quatuordecim millium circiter monetae Polenae auxerit; hinc fundationis hujusmodi praevio sui capituli, nec non moderni abbatis coadjutoris cum futura successione in dicta abbatia Tremesnensi in aevum firmare consensu desideret. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 4. Nos igitur memorati Michaelis abbatis pietati, quantum cum Domino possumus favere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, religione, ac summa in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus, ut quatenus vera sint narrata, mensae abbatiali claustrali dicti monasterii Tremesnensis onus erogandi annuos florenos duomille ex redditibus dictae praepositurae Nistoviensis, ei, ut praefertur, perpetuo unitae, mille scilicet ad praestanda alimenta duobus alumnis dicti sui monasterii, qui in academia Cracoviensi studiis sedulam dent operam, ut inde sententias in publico lyceo, et collegio, ut praefertur, erectis profiteri valeant; et mille in aedificiorum dicti collegii, et nosocomii conservationem auctoritate Nostra apostolica imponas. Tibi insuper injungimus, ut abbates pro tempore existentes dicti monasterii Tremesnensis teneri quotannis solvere in manibus prioris pro tempore existentis ejusdem monasterii florenos termille ex quatuordecim mille annuorum redditunm a dicto Michaele abbate auctis; quorum mille pro dote, seu pensione fundandi muneris rectoris hospitalis praedicti cum iis oneribus in instrumento pro illius fundatione stipulando injungendi erunt assignandi, mille vero communitati ejusdem monasterii ad alendum dictum cappellanum, qui quotidie in oratorio, seu cappella ejusdem hospitalis sacrum facere, rudimenta christianae religionis docere, ac infirmis spiritualiter adesse teneatur, erunt persolvendi; caeteri autem floreni mille pro summa quingentorum in celebratione unius missae in feriis sextis cujuslibet hebdomadae pro moribundis, et post ipsius Michaelis abbatis funus in animae suae piaculum erunt insumendi; ducenti quinquaginta in utilitatem ecclesiae abbatialis in compensationem deperditorum redditunm cedent; tandem caeteri floreni ducenti quinquaginta inter antecessores, qui in monasterio praedicto scientias profitebuntur in laborum suorum praemium erunt distribuendi, eadem auctoritate statuas, atque declares, haecque omnia confirmes, eisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicias.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia Derogatio contrariorum.

roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima martii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 12. martii 1788. Anno XIV.

DCXCI.

Concessio indulgentiae plenariae assequendae ab eis, qui visitaverint ecclesiam sancti Caroli ad Catinarios urbis occasione celebrationis capituli generalis a clericis regularibus congregationis sancti Pauli Decollati.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis Salutem, et apostolicam benedictionem.

Tenor concessionis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale clericorum congregationis sancti Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu collegio sancti Caroli a Catinari nuncupat. de urbe prope diem benedicente Domino celebrandum sit; Nos ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem, coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra communione refectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis congregationis hujusmodi ubicumque existentem, die quo inchoabitur capitulum generale hujusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Conditiones adnexae, et fides habenda transumptis

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, atque earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae, vel procuratoris generalis dictae congregationis munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die XIII. martii MDCCLXXXVIII. pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 14. martii 1788. Anno XIV.

DCXCII.

Facultas archiepiscopo Gnesnensi applicandi seminario in ditione Borussica erigendo praeter beneficia simplicia alia duo beneficia curam animarum habentia.

Venerabili fratri Michaeli archiepiscopo Gnesnensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quantum pastoralis sollicitudinis, et vigilantiae in Dominicum gregem, cui fraternitatem tuam Dominus Noster Jesus Christus voluit praesidere, a te semper impendatur, novis hisce etiam postulatis ostenditur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem nuper Nobis fecisti, quod Nos alias per Nostras in simili forma Brevis diei decimae quintae mensis decembris anni MDCCLXXXVI. expeditas literas, ut spirituali tuorum subditorum in ditione regia Borussiae consistentium utilitati prospectum esset, tibi, praevia monasterii Wysoka canonicorum regularium congregationis Lateranensis

ordinis sancti Augustini in dicta ditione, tuaque dioecesi existentis suppressione, bona quaecumque, jura, et actiones ad monasterium hujusmodi spectantia ecclesiastico seminario ini bi erigendo sub certis modis, et conditionibus uniendi, et applicandi plenam, et amplam facultatem impertiti sumus; tibique insuper concessimus, ut si redditus, ac proventus bonorum, ac jurium dicti suppressi monasterii ad sufficientem alumnorum numerum sustendandum sat non essent, beneficia saecularia, ac simplicia dumtaxat, non autem curam animarum adnexam habentis ad formam concilii Tridentini eidem seminario pro tuo arbitrio, ac prudentia unires, et incorporares.

Ratio concessionis. §. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ea sit, ut plurimum in hisce partibus beneficiorum natura, et indoles, ut vel minimi sint si simplicia, vel curam animarum adnexam habeant, quae tamen cum ab illorum rectoribus per vicarios geri soleat, hinc etiam beneficia hujusmodi tamquam simplicia quodammodo reputantur; quamobrem cum ad tam utile inceptum perficiendum, erigendi scilicet seminarii in ditione Borussica redditus, ac proventus alias ad dictum novissime suppressum, ac unitum monasterium spectantes non sufficiant, nullaque sint fortasse beneficia simplicia saecularia, aut saltem nullius aestimationis, quae, ut praefertur, illi uniri possint; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor. §. 4. Nos igitur memores quantum indulgentiae, et facilitatis iis Nostris cooperatoribus, qui circa Dominicum gregem pondus diei, et aestus quotidie portare non recusant, debeatur, te specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, dictarum Nostrarum literarum diei xv. decembris MDCCLXXXVI. tenores etiam veriores pro plene, ac sufficienter insertis, et expressis habentes, supplicationibus hujusmodi Nobis tuo nomine humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ac mandamus, ut praeter beneficia saecularia, ac simplicia, si quae sint, in ea tuae dioecesis parte, quae in ditione Borussica est, et quae juxta earumdem Nostrarum literarum tenorem dicto seminario essent unienda, duo etiam beneficia curam animarum adnexam habentia in futurum vacatura illuc consistentia, prout juxta datam tibi a Domino prudentiam satius, atque opportunius videbitur, erigendo seminario praedicto auctoritate Nostra apostolica unias, applices, atque incorpores; ac unita, applicata, et incorporata esse, et fore statuas, atque decernas, ita tamen, ut vicariis perpetuis, per quos cura animarum eidem beneficiis adnexa erit exercenda juxta synodales constitutiones certam, ac fixam annuam congruam ex redditibus, ac proventibus eorumdem uniendorum beneficiorum persolvendam eadem auctoritate constituas, et assignes. Volumus propterea, ut postquam haec omnia confeceris quam primum de hisce Nos, aut Romanos pontifices successores Nostros certiores reddas, atque applicationum, et unionum hujusmodi actus ad urbem transmittas. Nos enim tibi necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem illa perducenda pertinent faciendi, gerendi, dicendi, et exequi mandandi ea omnia, quae componere, ac constituere pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 5. Decernentes has praesentes literas etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec vocati, et auditi, neque causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, aut justificatae ullatenus fuerint, ullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali: sive etiam ex eo, quod in eisdem praemissis solemnitates, ac quaevis alia servanda, et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, vel ex quocumque alio capite a jure, vel facto, aut statuto, vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, sive etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, et quovis alio praetextu, occasione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabilis, et privilegiata etiam talis, quae ad effectum validitatis prae-

missorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut alind quodcumque juris, et facti, vel gratiae remedium impetrari, seu quomolibet concesso, aut impetrato, quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostrae, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non applicandorum beneficiorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCXCIII.

Dat. Romae 11 aprilis 1788. Anno XIV.

Imminutio festorum in civitate, et dioecesi Abulensi.

Venerabili fratri episcopo Abulensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium

§. 1. Cum sicut quaedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus praedeces. Noster, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quae aut pro consideratione aetatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in his, quae vel dubia fuerint, aut obscura id noverimus sequendum, quod nec praeceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum. Ea propter apostolica haec Sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quae caeteroquin ad majus divini cultus incrementum praescripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariarum inopiam, non sine conscientiae angore contemnuntur.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuae innotuit, quod in civitate, et dioecesi Abulensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illarum habitatores, incolaeque ac praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt praesepissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, et id eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis cum suis

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus salutare remedium

conditionibus.

potius ad aeternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste substinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus earumdem civitatis, et dioecesis Abulensis existentibus, ut deinceps exceptis omnibus dominicis, nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, et Ascensionis, sancti Joannis Baptistae, sancti Josephi, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, et celebritatis omnium sanctorum, praeterea quinque dicatis beatae Mariae virgini immaculatae, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti patroni, aut tutelaris cujuslibet loci pro hominibus ejusdem loci dumtaxat festivis diebus, in quibus integra maneat praecepti obligatio; in reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem, sive per synodales earumdem civitatis, et dioecesis constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos facti, quod quoad hanc partem quoque auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus, praeceptis, praescriptisque, audita missa laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, praecipias, ac mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non civitatis, et dioecesis praedictarum, illorumque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCXCIV.

Dat. Romae 15. aprilis 1788. Anno XIV.

Confirmatur resolutio congregationis nationis Illyricae in ecclesia sancti Hieronymi de urbe institutae a capitulo, et canonicis dictae ecclesiae approbata, qua statuitur, ut archipresbytero dictae ecclesiae pro tempore existenti ex massa capitulari assignetur pars duplex ex iis fructibus, quos canonici percipiunt.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, cum tenore resolutionis captae a congregatione.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii deputati congregationis nationis Illyricae ecclesiae collegiatae sancti Hieronymi Illyricorum nuncupat. de urbe, quod licet ipsi ad majorem Dei cultum in eorum ecclesia promovendum, transactione inita inter capitulum, et canonicos ejusdem ecclesiae, ac familiam, et gentem Cesarini ipsius patronam, atque per alias Nostras in simili forma Brevis die vigesima secunda mensis martii MDCCLXXXII. expeditas litteras confirmata, pro tempore existenti ipsius ecclesiae archipresbytero ex communi totius capituli massa non amplius duplicem, sicut cautum fuerat in erectionis Bulla a

felicis recordationis Xisto papa VI. praedecessore Nostro alias edita, sed tantummodo tertiam partem statuerint ex iis fructibus, quos singuli ex canonicis percipiunt. Nihilo tamen secius cum modernus archipresbyter dilecto filio Nostro Karolo Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Rezzonico nuncupato ejusdem nationis apud Nos, et Sedem apostolicam protectori rite deputato, ac ipsimet congregationi exposuerit, quod per dictam praebendae archipresbyteralis imminutionem non solum contra fundationem, sed etiam adversus juris communis dispositionem factam grave detrimentum sibi, et successoribus inferebatur, ac proinde ab illo se eximi deprecabatur, eadem congregatio hujusmodi rationibus attentis, ac perpenso nationis suae statu in meliorem ex eo tempore verso, ut ad pristinum decus archipresbyteralem dignitatem restitueret, atque insuper dilecto etiam filio Joanni Antonio Pinelli moderno archipresbytero pro curis, et diuturnis sollicitudinibus ab eo cum insigni pii loci utilitate susceptis gratificaretur, statuit, ut favore ipsius, et archipresbyterorum ejusdem successorum praedictum augmentum in posterum fieret; atque communicata universo capitulo ex mandato dilecti pariter filii Nostri Francisci Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis Carrara nuncupati dictae ecclesiae titularis, convocato, praedictae congregationis sententia unanimi consensu, plenisque votis die XIII. januarii currentis anni approbata fuit, atque statutum, ut annuorum redditum capituli supputatione facta in capitularem massam congereretur id totum quod pro augmento hujusmodi faciendo assignaretur, et idem augmentum a vigilia usque Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi tunc proxime elapsa factum computaretur; declaratione insuper adjecta, quod quarta pars ex communi massa ad id conferenda, quotidianis ordinariis, et extraordinariis distributionibus comprehensis ab eadem congregatione in summa scutorum quadraginta monetae Romanae assignari deberet. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, praemissa congregationis, et capituli resolutio, ut firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri iidem exponentes summopere desiderent.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 2. Nos ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus, prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerit hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, supradictam congregationis, et capituli resolutionem cum omnibus, et singulis in ea contentis auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 3. Decernentes easdem praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus Nostris literis praedictis, quibus quoad ea, quae praemissa concernunt, sufficienter, et expresse derogamus, aliisque constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, et capituli praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 18. aprilis 1788. Anno XIV.

DCXCV.

Supprimuntur collegium, cappella, nec non sex cappellaniae alias a bon. mem. Emmanuele de Noronha episcopo Lamacensi erectae ad effectum erigendi in eadem Lamacensi dioecesi seminarium episcopale, cum aliis ordinationibus.

Venerabili fratri Joanni Antonio episcopo Lamacensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod cum inter caetera, quae pro reformanda, tuendaque ecclesiastica disciplina a concilio Tridentino statuta fuere, illud per utile visum sit, ut scilicet ab episcopis, unusquisque in sua dioecesi, collegia, seu seminaria erigerentur in quibus ii pueri recipiantur, quorum indoles, et voluntas spem afferet eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros esse, ut sic recte instituti, et a teneris annis, et antequam vitiorum habitus totos homines possideret, ad pietatem, et religionem efformati, Deo auxiliante, in disciplina ecclesiastica facilius perseverarent; hinc cum primum tam utile institutum in tua dioecesi prorsus desiderari tibi compertum fuit ad seminarium ecclesiasticum juxta decreta dicti concilii Tridentini pro spirituali bono, ac ecclesiasticae disciplinae progressu fundandum, ac ad procuranda media magis accomodata, et ad optatum finem conducentia animum adjecisti.

Ratio concessionis.

§. 2. Et quoniam pro constituenda ad formam ejusdem Tridentini concilii eidem seminario, ut praefertur, erigendo firma, stabilique dotatione, aeque firma, ac stabilia requiruntur subsidia tum pro alumnis inibi excipiendis, et sustentandis, cum pro magistris, aliisque inservientibus congrua danda stipendia, idcirco considerans tu, quod alias anno nempe MDXCVI, bon. mem. Emmanuel Noronha, dum vixit, episcopus Lamacensis in ultimo suae voluntatis elogio non solum sex anniversaria quotannis in animae suae expiatione a capitulo cathedralis Lamacensis celebrari voluit, aliaque disposuit, sed etiam fundata cappella sub titulo sancti Nicolai in claustro ejusdem cathedralis ecclesiae, collegium instituit in educationem octo clericorum dictae dioecesis, qui quotidie officium divinum in eadem cappella recitare, duas missas quotidie juxta pii testatoris intentionem per vices celebrare, nonnullas praescriptas preces fundere, aliaque onera adimplere, praesertim vero in collegio pernoctare, theologiae morali, ac plano cantici modo, seu *canto fermo* in scholis in id erectis sedulam operam navare deberent; qui cum nunc otio tabescentes neque theologiae morali, neque cantui vacent, nullam ecclesiae utilitatem afferunt, immo cum assignati a pio fundatore redditus progressu temporis copiosiores, ac uberiores facti sint, unde deductis sumptibus ad haec onera adimplenda necessariis, qui in summa scutorum mille, et ducentorum circiter monetae Romanae constituuntur, licet ex episcoporum, ac capituli, sede vacante, visitationibus nunc decem anniversaria quotannis fiant, a quolibet ex cathedralis ecclesiae presbyteris decem missae pro anima episcopi testatoris celebrentur, emolumenta clericis collegii, et capituli persolvenda pariter aucta sint, ac pro octo, duodecim alantur clerici in dicto collegio, nihilominus superextent annua scuta duomille, et octingenta circiter ejusdem monetae, neque proinde aptius, neque utilius erigendo seminario consuli posse arbitratus es, quam si retenta quantum fieri potest pii testatoris voluntate, bona, redditus, jura, et actiones ad dictam fundationem pertinentia in id applicarentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 3. Nos igitur dum providum tuum consilium fundandi, atque instituendi ecclesiasticum seminarium in tua dioecesi in Domino plurimum commendamus, tuis justis petitionibus libenter assensum praebere volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo quamplurimum maxime confidimus, per praesentes committimus, ac mandamus in primis, ut dictum collegium, nec

non cappellam sancti Nicolai, servitium chori in ea, ut praefertur, faciendum, ac sex ex dictis duodecim cappellanis, qui eidem cappellae veluti collegiales inserviunt, auctoritate Nostra apostolica supprimas, atque extinguas, ac suppressa, et extincta fore, et esse edicas.

Conditiones adnexae.

§. 4. Sex vero alios cappellanos dictae cappellae inservientes ad tuam cathedralem ecclesiam transferas, illlusque chori servitio perpetuo addicas; ita tamen, ut altera ex duabus missis quotidie in dicta cappella sancti Nicolai, ut praefertur, celebrandis a dictis sex cappellanis ad cathedralem ecclesiam translatis in posterum, aut in eadem cappella, ubi episcopus testator tumulatus est, aut in ecclesia cathedrali, prout statuendum fore opportunius duxeris, altera vero in cappella dicti erigendi seminarii semel ac constituta fuerit juxta intentionem, et modum ab eodem testatore praescriptum sint celebrandae constituas. Volumus insuper, tibique injungimus, ut anniversaria, quae in expiationem animae pii fundatoris nunc in memorata cappella fiunt, in ecclesia cathedrali cum iisdem distributionibus, et emolumentis, ac in eadem summa, et modo, quo nunc a canonicis, aliisque capitularibus percipiuntur, nisi quod aegrotantes quoque distributiones, ac emolumenta hujusmodi lucrabuntur, deinceps haberi debeant dicta auctoritate declares.

Declarationes circa satisfactionem onerum.

§. 5. Ne porro temporis progressu aliqua difficultas exurire possit quoad omnium onerum praedictorum satisfactionem, si ea ex administratione erigendi seminarii pendeat, tibi propterea mandamus, ut ecclesiam de Fanzeres alias dicto suppresso collegio, ac cappellae adnexam mensae capitulari dictae tuae ecclesiae cathedralis ea lege, ut omnia dicta onera adimpleantur eadem auctoritate perpetuo unias, et incorpores, ac unitam, et incorporatam esse, statuas, atque decernas. Verum quia redditus dictae ecclesiae de Fanzeres excedunt injuncta onera, volumus idcirco, ut a mensa capitulari praedicta nedum moderno administratori dictae cappellae, et collegii integrum quoad vixerit, emolumentum ei alias pro gerenda administratione hujusmodi constitutum solvatur, sed etiam fabricae ecclesiae cathedralis annua scuta centum viginti, extincta tamen pensione scutorum septuagintorum, quae fabricae praedictae quotannis de capitulari massa solvebantur, perpetuo assignetur, nec non de hisce ipsis fructibus portio aliqua, sicut praefertur, persolvenda pro congrua parochi, ac ecclesiae de Fanzeres praedictae tuo arbitrio, ac prudentia praefinienda statuatur. Post haec vero tibi concedimus, ut omnes redditus, ac proventus dicti collegii, ac cappellae, seu redditus ac proventus ecclesiae de Orezinho eis unitae, aliaque jura, actiones, bona mobilia, et immobilia, sacra, et prophana, quomodolibet ad collegium, ac cappellam hujusmodi spectantia, et pertinentia seminario, aut in loco dicti collegii, aut alibi pro tuo arbitrio erigendo, ita tamen ut administratores pro tempore existentes seminarii hujusmodi quotidianae missae praedictae in cappella ejusdem seminarii juxta episcopi testatoris intentionem curare teneantur, dicta auctoritate perpetuo unias, incorpores, atque adnectas, ac unita, incorporata, atque adnexa esse, et fore decernas.

Concessio mandati favore episcopi ad omnia gerenda, quae petita, et concessa fuerunt.

§. 6. Cum porro Nobis undique perspecta sit tua pastoralis sollicitudo, te hinc enixe hortamur, ut ea omnia, quae ad formam dicti concilii Tridentini tum pro puerorum in seminario excipiendorum ad pietatem, ac religionem efformatione, ac in ecclesiasticis disciplinis institutione, tum etiam seminarii firmitatem salubriora fore conspexeris, pro tuo arbitrio, ac prudentia statuas; sicque agas, ut seminarium hujusmodi tuae dioecesi proficuum, ac utile futurum sit. Nos enim tibi omnem et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexeris facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 7. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu aliàs sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legittima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nul-

litatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensu, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari.

Decretum irritans.

§. 8. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus, ac quatenus opus sit, memorati episcopi testatoris dispositione, codicillis, ac ultima voluntate, quam quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quaesito non tollendo, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Ut porro te specialioribus gratiis prosequamur, tibi perpetua missarum, aliaque antiqua onera, quibus cappellani cathedralis ecclesiae gravantur, attenta redditiuum imminutione, ac eleemosynarum tenuitate, quae ex eis percipere solent, reducendi pro tuo arbitrio, et conscientia possis et valeas auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCXCVI.

Dat. Romae 22. aprilis 1788 Anno XIV.

Sanctitas sua distulit vim, ac observantiam constitutionum fratrum ordinis B. M. de monte Carmelo Excalceatorum congregationis Hispanae provinciae sancti Alberti in Indiis quoad electiones superiorum dictae provinciae.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sedes apostolica veluti pia mater, quae filiorum uteri sui oblivisci nescit, quoties validissimis de causis aliquid de regularis disciplinae rigore per modicum tempus relaxari petitur, petentium desideriis, mature prius pensatis rerum circumstantiis, congruum suffragium impertiri consuevit, ut vicissim Christifideles, qui despectis hujus saeculi illecebris ad religionem veluti ad portum salutis confugerunt, intentiori deinde studio, atque solertiori cura juxta regularia suorum ordinum instituta viventes gratum Altissimo impendant famulatum, felicioribusque in dies in via Domini proficiant incrementis.

Expositio precum pro rectorum, et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Ignatius a sancto Joanne Baptista ordinis fratrum beatae Mariae virginis de Monte Carmelo excalceatorum nuncupatorum congregationis Hispanae expresse professus, definitor generalis, ac procurator provinciae s. Alberti in Indiis congregationis et ordinis praedictorum, quod posteaquam per Nostras in simili forma Brevis die XIV. martii MDCCLXXXVI,

expeditas literas praevio accurato, ac diligenti examine novas constitutiones ordinis, et congregationis praedictorum confirmavimus, a quibus inter caetera quaedam aetatis, et graduationis qualitates in iis, qui ad officia sunt designandi praerequiruntur, cum haud facile fore noverimus, tot fratres nunc primum praescriptis requisitis pollere, quot ad omnia ordinis, et congregationis praedictorum munia obeunda essent necessarii, hinc eos etiam, qui qualitatibus hujusmodi essent destituti, si alias sibi demandatis muneribus laudabiliter fuissent defuncti, ad eadem officia quoad essent, qui postulata adjuncta haberent, eligi posse concessimus. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat in dicta provincia s. Alberti in Indiis ordinis, et congregationis praedictorum, nedum eaedem vigeant causae, unde ob minimum fratrum numerum nulla habita ratione ad illorum aetatem, prout a dictis constitutionibus praescribitur, fratres de cathedra ad officia, ac praelaturas omnino deputandi sint, illud insuper urgeat, quod cum ob grassantem pestem in regno Mexicano plures inter eos, qui magis idonei reputabantur, interierint, officia hujusmodi in eos obvenient, qui et si aetate provecti, minime tamen apti ad gerenda officia hujusmodi censentur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur paterna charitate, qua ordinem, et congregationem praedictam prosequimur, suarum provinciarum bono consulere, ac memoratum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis, quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, vim, ac observantiam dictarum novarum constitutionum quoad dictae provinciae s. Alberti definitoris generalis, definitoris provinciae, provincialis, priorum, ac magistrorum novitiorum, ac professorum electiones ad quinque triennia proxime decurrenda auctoritate apostolica tenore praesentium proferimus, ita ut dictam provinciam in hac dumtaxat parte constitutionibus praedictis, durantibus hisce trienniis, minime adstringi, sed statuta ad haec usque tempora retenta observari debere auctoritate, et tenore praedictis constituimus, atque declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans. §. 4. Decernentes has praesentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus Nostris literis anno MDCCLXXXVI. in simili forma Brevis expeditis, aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCXCVII.

Dat. Romae 22 aprilis 1788. Anno XIV.

Facultas confratribus archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti loci, seu Castri s. Petri Bononiensis dioecesis elevandi in processionibus proprium vexillum vulgo confalone, o stendardo.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a confraternitate. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, officiales, et confratres archiconfraternitatis sanctissimi Sacramenti in loco, seu in castro sancti Petri istius Bononiensis dioecesis canonice, ut asseritur erectae, quod cum jamdiu eadem archiconfraternitas in dicto castro instituta, ac inter caeteras ejusdem castri confraternitates ipsa perantiqua, ac ob pia opera, quae a dictis confratribus exercen-

tur maxime illustris existat, hinc ipsi quemadmodum aliae confraternitates praesertim sub titulo sanctissimi Sacramenti in hac tua dioecesi solent licentiam elevandi in publicis functionibus, et processionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo stendardo, o confalone eis per Nos concedi summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut eis in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§ 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ac mandamus ut veris existentibus narratis, dictae archiconfraternitati, seu ejus confratribus pro tempore existentibus licentiam elevandi in quibusvis processionibus, et supplicationibus, aliisque publicis functionibus per dictum castrum pro tempore habendis proprium vexillum vulgo stendardo, o confalone nuncupatum auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia concedas, et indulgeas.

Clausula sublata, decretum irritans, et derogatio contrariorum.

§. 3. Decernentes has praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima secunda aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCXCVIII.

Dat. Romae 20 maji 1788. Anno XIV.

Conceditur, ut regii cappellani regis catholici canonici appellari, cappa nigra, et rocchetto, aliisque privilegiis, quibus canonici frui solent, uti libere, ac licito possint, et valeant.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium.

§. 1. Quoties Nobis postulatur, quod ad ecclesiarum decus, divini cultus augmentum, et ad Christifidelium pietatem, ac devotionem excitandam, promovendamque accomodatum, idoneumque videtur, Nos decet libenter concedere, et petentium sublimiorum praesertim principum desideriis congruum impertiri suffragium.

Ipse rex indultum pro regiis cappellanis impetravit.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici Nobis expositum fuit, quod cum alias anno scilicet MDCCLXIX. capitulum suorum regiorum cappellanorum ad regiam ecclesiam sancti Isidori oppidi civitatis nuncupatae Matriti Toletanae dioecesis transferri curaverit, illorumque numerum usque ad viginti quatuor praeter cappellanum majorem, quae dignitas archiepiscopis Toletanis pro tempore existentibus est in perpetuum unita, ac praeter suum vicarium, seu tenentem, eis statutis congruis redditibus cum onere tum interessendi, cum etiam suscipiendi spiritualem animarum Christifidelium curam, vel concionando, vel sacramentales confessiones excipiendo, auxerit, itaut nemo nisi prius per difficile examen ad formam canonicatuum ecclesiarum cathedralium regnorum Hispaniae, quos vocant de officio, de illius idoneitate constet, inter cappellanos hujusmodi adscribatur; hinc, ut cappellanos hujusmodi, ac ipsam regiam ecclesiam sancti Isidori novi oneris praerogativa exornet Nobis memoratus rex catholicus humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessi privilegii.

§. 3. Nos igitur piis ejusdem Caroli regis catholici votis annuere, ac cappellanos praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et

poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut deinceps, et perpetuis futuris temporibus cappellani regii hujusmodi canonici regiae ecclesiae sancti Isidori oppidi civitatis nuncupatae Matriti Toletanae dioecesis appellari, ac cappas chorales nigras, et rocchettum ad instar, et juxta consuetudinem aliarum ecclesiarum cathedralium, et collegiatarum regnorum Castellae tam in praedicta ecclesia sancti Isidori, ejusque choro, et capitulo, quam extra, cum in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti, ac caeteris dicti oppidi civitatis nuncupatae Matrici ecclesiasticis, vel cleri corporalibus praecedere, nec non omnibus, et singulis aliis juribus, praerogativis, praeeminentiis, honoribus, gratiis, et indultis, quibus aliarum cathedralium, et collegiatarum canonici uti, frui, et gaudere solent, pariter uti, et frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus; eosque desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima maji millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCIC.

Dat. Romae 10. junii 1788. Anno XIV.

Unio conventus fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini excalceatorum nuncupatorum civitatis Placentinae provinciae Bononiensis, provinciae Ferrariensi ejusdem ordinis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Sacrosanctum apostolatus ministerium humilitati Nostrae, nullo licet meritorum Nostrorum suffragio divinitus commissum postulat, ut inter multiplices apostolicae servitutis curas, illam peculiari studio suscipiamus, per quam Christifideles sub suavi religionis jugo divini numinis obsequiis insistentes, felicioribus in dies proficiant incrementis.

Expositio precum porrectarum et ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectissimus in Christo filius Noster Ferdinandus regius Hispaniarum infans, quod cum ad bonum, ac utilitatem conventus fratrum eremitarum ordinis sancti Augustini excalceatorum nuncupatorum civitatis Placentinae provinciae Bononiensis ad illius regularem disciplinam magis, magisque fovendam, conservandamque quammaxime spectaret, si praevia illius dismembratione, ac separatione a conventibus ordinis praedicti quibus usque adhuc unitus, ac incorporatus fuit, ille conventibus provinciae Ferrariensis uniretur, et incorporaretur, prout ille dictis conventibus uniri, et incorporari summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor decretae dismembrationis et respective unionis

§. 3. Nos igitur piis memorati Ferdinandi infantis votis quantum cum Domino possumus annuere, dictique conventus fratres specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac singulares eorum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratum conventum civitatis Placentinae provinciae Bononiensis, praevia illius dismembratione, ac segregatione a conventu, seu conventibus ordinis praedicti, cui usque adhuc addictum extitit, cum omnibus suis bonis, domibus, juribus, ac actionibus quibuscumque conventibus provinciae Ferrariensis auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus, ac perpetuo unitum, conjunctum, annexum, et incorporatum esse, et fore dicimus, et mandamus. Ita ut conventus hujusmodi deinceps cum aliis conventibus provinciae praedictae unum dumtaxat corpus, seu provinciam efformet.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros ef-

fectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respectivo inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti conventus ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium praemissorum superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliisque decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro pleno, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima junii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCC.

Dat. Romae 15. junii 1788. Anno XIV.

Instantibus monachis monasterii sancti Hieronymi oppidi Matriti Toletanae dioecesis applicantur fructus simplicis beneficii de Pruna duabus parochiis ejusdem oppidi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium. §. 1. Injuncti Nobis per abundantiam divinae gratiae pastoralis officii sollicitudo postulat, ut in his, quae monasteriorum, et ecclesiarum omnium prospero statui firmiter, atque utiliter consulitur, ejusdem officii partes sedulo intendamus, prout conspicimus in Domino salubriter expedire.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii modernus prior, et monachi monasterii sancti Hieronymi oppidi civitatis nuncupatae Matriti Toletanae dioecesis, quod cum alias carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus fructus, redditus, ac proventus simplicis ecclesiastici beneficii de Pruna nuncupati parochiali ecclesiae etiam de Pruna Hispalensis erecti, et jam tunc vacantis de sui, ut asseritur, regio patronatu pro illorum medietate ad statuendam congruam parochis de Pruna, et Alzamillas Hispalensis dioecesis cedere, alteram vero medietatem ad augendam totam dicti monasterii, rependendaque sua jura ei forsan competentia assignari, ac perpetuo uniri, ac applicare voluerit, venerabilis frater modernus archiepiscopus Hispalensis unionem, assignationem, ac applicationem medietatis fructuum, ac proventuum dicti beneficii memoratis duabus parochiis per suum decretum canonice perficit; bino, ut memorati regis catholici desiderium, etiam quoad alterius dictorum fructuum, ac proventuum medietatis unionem dicto monasterio faciendam impleatur. Nobis propterea dicti exponentes supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Expositio precum.

Tenor concessionis. §. 3. Nos igitur eosdem priorem, ac monachos dicti monasterii specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praevia, quatenus opus sit, confirmatione unionis medietatis fructuum, ac proventuum dicti simplicis beneficii duabus parochiis jam, ut praefertur, ab archiepiscopo Hispalensi canonice factae, alteram eorumdem fructuum, redditnum, ac proventuum medietatem dicto monasterio sancti Hieronymi oppidi civitatis nuncupatae Matriti pro illius dote, rependendisque juribus ei forsan competentibus auctoritate apostolica tenore praesentium perpetuo unimus, addicimus, ac incorporamus, medietatem fructuum, ac proventuum beneficii hujusmodi dicto monasterio perpetuis

futuris temporibus unitam, addictam, et incorporatam esse, et fore statuimus, atque mandamus.

Liberatio beneficii ab omnibus oneribus.

§. 4. Ne autem portio hujusmodi ullo umquam tempore imminuatur, eam ab omni prorsus onere, quo dictum beneficium ante unionem hujusmodi gravabatur, exemptam, et liberam esse, et fore declaramus, immo monasterium hujusmodi nihil conferre pro ipsius beneficii servitio teneri, ita tamen, ut vicissim ab eodem monasterio nulla umquam contributio a dictis parochis, qui beneficio praedicto inserviunt, et quibus alia eorumdem fructuum medietas cum suis oneribus, ut praefertur, unita fuit, postulari possit, auctoritate, et tenore praedictis volumus, atque concedimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, atque sanctae Sedis nuncios, sublata, eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCI.

Dat. Romae 20. junii 1788 Anno XIV.

Instante abbatissa capituli de Nevenbeerse Paderbonensis dioecesis, uniuntur duo beneficia ejus mensae capitulari.

Venerabili fratri Friderico Willelmo episcopo Paderbonensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Ad ecclesiarum omnium statum salubriter, et utiliter providendum paterna sollicitudine vigilantes, illa eis favorabiliter concedimus, quae eorum necessitatibus fore conspicimus opportuna. Prooemium.

Ratio concessionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilecta in Christo filia baronissa cognominata de Dalwegh moderna abbatissa collegii, seu capituli utriusque sexus de Nevenbeerse tuae Paderbonensis dioecesis, quod cum sua ecclesia de Nevenbeerse vetustate fatiscens, promptis, ac sumptuosis reparationibus indigeat; mensa communis, seu capitularis impar omnino est necessarios ad id sumptus sustinere, tum ob suorum redditinum tenuitatem, tum maxime ob aes alienum alias ad reparanda damna ex bello Germanico anni MDCCLVI. sibi allata contractum, quo adhuc gravata reperitur, quamobrem si nova nomina essent facienda adeo annuus suus census extenuaretur, ut quae ad ipsius ecclesiae servitium necessaria forent, prorsus quasi deessent, sicque paullatim ex divino cultu in dicta ecclesia multum deregaretur. Itaque desiderans memorata abbatissa decori, et necessitati suae ecclesiae provido consulere, ac nolens nova onera suis capitularibus imponere ad procurandas vias omnes magis accomodatas, et ad optatum finem

conducentes, animum suum adjecit; et quoniam capitulum, seu collegium praedictum nedum constat ex undecim canonissis praeter abbatissam, et aliis duobus canonicis, qui curam animarum in pago de Nevenheerse gerunt, verum etiam eidem capitulo, seu collegio alii quatuordecim vicarii, seu beneficiati adsunt, qui alternatim missam conventualem in praedicta ecclesia celebrando, ac diurnas, et vespertinas preces in diebus festivis canendo ecclesiae hujusmodi inserviunt, quique praeter assignatam portionem ex communi, seu capitulari mensâ persolvendam, suas etiam habent peculiares praebendas a piis fundatoribus erectas, quarum collatio, ut asseritur, dum vacant, quomodocumque ea vacent, ad abbatissam pro tempore existentem dicti capituli, seu collegii libere semper spectat; provide idcirco considerans praedicta abbatissa, quod si suppressis duobus ex dictis quatuordecim vicariis, seu beneficiatis primo vacaturis bona, ac redditus ad illa quomodolibet spectantis in hanc causam applicarentur, non solum praesentibus, sed etiam futuris praedictae ecclesiae necessariis reparationibus optime consultum esset. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Mandatum de supprimendis vicariis.

§. 3. Nos igitur reparationi, ac decori dictae ecclesiae, illiusque mensae capitulari, nec non divino cultui consulere, memoratamque exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et ejus singularem personam a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutam fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ac mandamus, ut veris existentibus narratis, duas primo vacaturas vicarias, seu beneficia ex quatuordecim vicariis, seu beneficiatis in dicta ecclesia de Nevenheerse, ut praefertur, fundatis, dummodo tamen tempore datae praesentium nemini sit in eis specialiter jus quaesitum, auctoritate Nostra apostolica nunc prout ex tunc, dum scilicet ea vacare contigerit, supprimas, et extinguas, ac suppressa, et extincta esse, et fore decernas, atque declares, ita ut vicariae, seu beneficia hujusmodi ex nunc collativa esse desinant, et de caetero uti talia in titulum collativum quavis auctoritate conferri, seu de illis disponi amplius nequeat, et si illa deinceps conferri, aut impetrari, aut alias de illis disponi contingat, collationes, provisiones, et aliae quaevis dispositiones de illis quomodolibet faciendae nullae, et inanes, nulliusque roboris, et momenti existant, nullique suffragentur, nec coloratum titulum possidendi cuiquam tribuant.

Applicatio fructuum vicariarum suppressarum favore mensae capitularis.

§. 4. Insuper omnes, et singulos dictarum vicariarum, seu beneficiorum primo vacaturorum, ut praefertur, supprimendorum, et extinguendorum fructus, redditus, et proventus certos, et incertos, jura, obventiones, et emolumenta quaecumque, ac distributiones festivas, ac quotidianas, si quae sunt, ad easdem vicarias, seu beneficia hujusmodi, seu ad illorum possessores pro tempore existentes spectantia, et pertinentia, et in quibusvis rebus consistentia, et undecumque provenientia mensae communi, seu capitulari dictae ecclesiae de Nevenheerse in reparationem, et fabricam ejusdem ecclesiae, aliasque necessitates omnino erogandos, ita ut postquam unum, aut utrumque ex beneficiis, seu vicariis hujusmodi primo vacaverit dictae modernae, et pro tempore existentes abbatissa, capitulum, seu collegium, ac canonissae, et canonici omnes, et singulos fructus, redditus, proventus, jura, obventiones, emolumenta, et distributiones etiam quotidianas, et festivas, si quae sunt hujusmodi beneficiorum, seu vicariarum, per te, ut praefertur, supprimendorum, et extinguendorum percipere, exigere, et levare, ac supportatis tamen prius per dictam mensam communem, seu capitularem eorumdem beneficiorum, seu vicariarum, ut praefertur supprimendorum, et extinguendorum missarum, aliisque, si existunt, piis oneribus in dictam causam erogare libere, ac licite possint, et valeant auctoritate praedicta perpetuo unias, applices, et appropries, ac nunc pro ut ex tunc unita, applicata, et appropriata esse, et fore mandes, ac statuas.

Clausulae subiata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem praesentes literas, semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judi-

ces ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque piorum fundatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad praemissa sufficienter, et expresse commutamus, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, et applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, et aliis Nostris, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac felicis recordationis Benedicti pp. XIV. praedecessoris Nostri super divisione materiarum constitutione, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non praefati capituli, seu collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima junii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCII.

Dat. Romae 27. junii 1788. Anno XIV.

Instantibus episcopo, et capitulo cathedralis ecclesiae de Cuenca in Indiis confirmatur quaedam conventio inter ipsos facta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanus pontifex, cui major cunctis Christianae religionis zelus, ac divinorum praeceptorum incumbit custodia, cum nil frequentius, nilque enixius a Christo Domino, dum adhuc vitam ageret in terris, discipulis suis inculcatum fuisse legitur, quam ut pacem, et unitatem diligerent, circa ea omnia, quae ad sedandas, compescendasque controversias, et dissidia praesertim inter Dei, et Ecclesiae ministros disposita esse noscuntur, auctoritatem suam praesertim, si id ab eo petatur, interponere tenetur, pro ut in Domino salubriter expedire arbitratur. Prooemium.

Expositio precum porrectarum a transigentibus

§. 2. Nuper siquidem pro parte venerabilis fratris episcopi de Cuenca in Indiis, et dilectorum filiorum capituli dictae cathedralis ecclesiae de Cuenca expositum fuit, quod cum alias episcopos, et capitulum simul praebendas ejusdem cathedralis ecclesiae in mensibus ordinariis vacantes conferre consueverint, hinc plures, atque plures inter episcopos pro tempore existentes, et capitulum simultates, et controversiae saepissime exortae sunt. Ad has praecidendas, suadente quoque carissimo in Christo filio nostro carolo Hispaniarum rege catholico, unanimi consensu statuerunt, ut in posterum episcopus, et capitulum hujusmodi alternis vicibus, et de per se praebendis in mensibus ordinariis vacaturis providerent, ita ut primam praebendam in mensibus ordinariis vacaturam episcopus, alteram capitulum, sicque vicissim quoties aliqua praebenda vacaverit, respective conferrent. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut conventio, seu transactio hujusmodi firmius subsistat, et servetur exactius, exponentes praedicti illam apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi vo- Tenor apostolicae confirmationis.

lentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati; transactionem, et conventionem hujusmodi cujusvis deinceps, et perpetuis futuris temporibus episcopus pro tempore existens de Cuenca in Indiis, et suum capitulum alternis vicibus praebendis ecclesiae cathedralis in mensibus ordinariis in posterum vacaturis de idoneis personis providebunt, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu interveuisse dici, et censeri possent supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, nec non ecclesiae, et capituli praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo nonagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCIII.

Dat. Romae 27. junii 1788. Anno XIV.

Confirmatur quaedam donatio ad instantiam fratrum ordinis Praedicatorum conventus Calvariensis Samogitiensis dioecesis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Ad uberes fructus, quos fratres ordinis Praedicatorum in agro Dominico quotidie faciunt, attente respicientes, aequum quin potius debitum reputamus, ut ea, quae in illorum favorem concessa fuerunt, approbemus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii prior, et fratres conventus Calvariensis nuncupati ordinis fratrum Praedicatorum Samogitiensis dioecesis, quod alias anno scilicet MDCCLII. a tunc in humanis agente episcopo Samogitiensi Antonio Tyszkiewicz pro parva ruinosa ecclesia quam tunc fratres praedicti obtinebant eis nova, eaque amplior suis sumptibus o fundamentis extructa fuit, et quoniam ipsi, quorum conventus in bonis ad mensam episcopalem alias spectantibus fundatus reperiebatur, magno studio, magnoque zelo cultum passionis Domini Nostri Jesu Christi favebant, memoratus Antonius episcopus ad augendum illorum numerum, eorumque ad promovendum divinum cultum, ardorem magis magisque confovendum, illustria suorum praedecessorum episcoporum Samogitientium exempla sectans, qui plura eidem conventui largiti sunt bona, ut sunt Casimirus Pac anno MDCLXXII. Joannes Zaiorski anno MDCCXI. et Alexander Korain anno MDCCXXV. nedum illorum donationes confirmavit, verum etiam in mense julii anni MDCCLII. approbante, ac consentiente capitulo ecclesiae Samogitiensis nonnulla alia bona ad suam episcopalem mensam spectantia eis donavit, prout constat ex actu ipso donationis tenoris, qui sequitur.

Tenor donationis factae ab episcopo Samogitiensi.

§. 3. Antonius Dominicus comes in Zohoysk et Bardyazou Tyszhiewicz Dei, et apostolicae Sedis gratia episcopus Samogitiae, eques ordinis albae aquilae in regno Poloniae.

Universis et singulis, quorum interest, aut quomodolibet in futurum interesse poterit, praesentes literas nostras perpetuo valituras lecturis, audituris, aut visuris salutem in Domino. Spatia dilatatae erga cultum Dominicum charitatis, et piae vestigia largitatis optatissimae recordationis Georgii Tyskiewicz primum Samogitiensis deinde Vilnensis episcopi proavi nostri pro modulo sectantes in conventu Calvariensi ordinis Praedicatorum loco antiquae angustioris lapsu temporum ad ruinam inclinatae augustiorem et ampliorem ecclesiam excitavimus, et dedicavimus. Sed cum ipsi admodum reverendi patres ordinis Praedicatorum in bonis mensae episcopalis Gordy, seu Calvaria nuncupatis fundati inibi degentes memoriam passionis Domini Nostri Jesu Christi sedulo promoventes ad commoditatem populi numerose illuc confluentis ipsi in vinea hujusmodi strenui operarii numero augeri cupiant, prout et auctos hac donatione nostra volumus, angustias vero loci summas patiantur: *ad exemplum illustrissimorum praedecessiorum Nostrorum Casimiri Poc sub dato anno Domini millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo mensis aprilis quinto die, Joannis Zaiorskii sub dato anno Domini millesimo septingentesimo undecimo die quinta augusti, Alexandri Koroin sub dato anno millesimo septingentesimo vigesimo tertio aprilis vicesimo quarto die factae ampliotionis auctoritate nostra ordinaria confirmantes, requisito, et obtento consensu venerabilis capituli nostri* Pascua aulae episcopalis Gordensis patribus ordinis Praedicatorum Calvariensibus communia, et indistincta facimos, fundumque protendimus, et aevum attribuimus in hac circumferentia: ab occasu solis hyemali a flumine Vardava dicto penes montem, ubi sita est cappella Ananiae cum eodem monte inclusivo, ab aquilone via veteri, quae ducit Siaclos pergendo non ita procul ad aliam viam Gordos ad dexteram tendentem directe ad collem nativa lingua Sakata Kalnas vocitatum, ab ortu ab eodem colle prope Pascua aulae directe ad fluvium superius nuncupatum Vardava, qui et a primaeva fundatione possessionem pp. Calvariensium cum aula limitat, a meridie idem fluvius ad pontem sub palatio nostro erectum limites agit, prout fusius, et expressius circumscribitur, scrupulisque indicatur in literis dislimitationis authenticis per commissarios, alterum ex latere nostro videlicet illustrissimum dominum Karolum de Henning vexilliferum S. R. Majestatis Calvariensem, et Elsladensem gubernatorem, alterum perillustrem et admodum reverendissimum dominum Matthiam Stecki canonicum cathedralis Samogitiensem procuratorem pro tunc capituli a capitulo designatos sub dato anni millesimi septingentesimi quinquagesimi secundi mensis julii quarta die factae. In hac itaque circumferentia terras utiles, et inutiles perpetuo dedimus, donavimus, et attribuimus, volumusque, ut praesentes nostrae robur perpetuae firmitatis habeant. In quorum fidem dabantur Elsiadis in palatio nostro episcopali anno Domini millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo mensis julii sexta die.

Antonius Tyszkiewicz episcopus Samogitiae.

Anno Domini MDCCLII. in generali capitulo pro festo sanctorum Petri, et Pauli apostolorum celebrari solito die 8. julii hocce privilegium per reverendum patrem priorem praesentatum, et subscriptum manibus nostris subscribimus.

Josephus Ciechanowiscki canonicus cathedralis Samogitiae nomine venerabilis capituli.
Matthias Stecki uti praesidens m. p. canonicus cathedralis Samogitiensis procurator reverendissimi capituli praepositus Turronensis.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut memorati prior, ac fratres ultimam, caeterasque in ea confirmatas donationes ad apostolicarum constitutionum praescriptum apostolico indulto, ac auctoritate, ut firmius subsistant, et serventur exactius commoniri summopere desiderent. Nobis propterea dicti exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quo-

via modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertum actum donationis, omniaque in ea contenta auctoritate apostolica confirmamus, illisque perpetuae, et inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, vel intervenisse dici, et censeri posset, supplemus, atque sanamus.

Clausula sublata et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae ecclesiae Samogitiensis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis ie contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatûs Nostri anno decimoquarto.

DCCIV.

Dat. Romae 27. junii 1788. Anno XIV.

Collegio missionum fratrum minorum sancti Francisci observantium in oppido de Vinhaes in dioecesi Brigantiensi tribuuntur privilegia, quibus potiuntur collegia de Bracannes, et de Varatojo.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Alias pro parte dilectorum filiorum superioris, et fratrum collegii missionariorum oppidi de Vinhaes ordinis minorum s. Francisci de observantia excalceatorum nuncupatorum Brigantiensis dioecesis congregationi venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum exposito, collegium hujusmodi cujus erectio a fel. rec. Benedicto pp. XIV. praedecessore Nostro per apostolicas suas ie simili forma Brevis die 20 februarii 1753 expeditionem, et disciplinam necessariae sunt jam instructum reperiri, ac propterea, nec non ad magis magisque excitandum missionariorum hujusmodi studium valde profuturum si privilegia, quibus ex apostolica largitate gaudent collegia de Bracannes, et de Varatojo dicti ordinis in Portugalliae regno, nec non missionarii Hispaniarum, et Indiarum in favorem primodicti collegii extenderentur eadem cardinalium congregatio, referente dilecto filio magistro Stephano Borgia ejus secretario, et audito voto dilecti filii Nostri Vincentii Sanctae Romanae Ecclesiae presbyteri cardinalis Ranzzi nuncupati tunc Nostri, et apostolicae Sedis in regnis Portugalliae, et Algarbiorum nuntii censuit Nobis esse supplicandum, ut ad praedictum collegium de Vinhaes, privilegia omnia, gratias et indulta a rec. mem. Innocentio XI. Clemente etiam XI. et Benedicto XIV. praedicto Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris missionum collegiis concessa, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes actu potiuntur, et gaudent, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones

pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et Bracannes praescriptae, ea qua decet sedulitate servarentur extendere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur superiorem, et fratres praedictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas incurrerent, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus desuper Nobis humiliter porrectis inclinati privilegia omnia, gratias, et indulta, quae memorati Innocentius XI, Clemens XI, et Benedictus XIV. Romani pontifices praedecessores Nostri collegiis missionum concesserant, et quibus conventus de Varatojo, et de Bracannes actu potiuntur, et gaudent ad primodictum collegium de Vinhaes, dummodo tamen in eo statuta, leges, et conditiones pro memoratis duobus collegiis de Varatojo, et de Bracannes praescripta ea qua decet sedulitate serventur auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri; et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum, insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vigesima septima junii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCV.

Dat. Romae 4. julii 1788. Anno XIV.

Suppressio congregationis antiquae, seu communis observantiae in ditione regis christianissimi existentis.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis in regnis christianissimi Galliarum regis.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Permulta, atque praeclara regularium ordinum in christianam rempublicam merita, quae, et in salutem animarum, et in religionis cultum, et in proximorum aedificationem longe, lateque dimanant, ita summorum pontificum curam, atque sollicitudinem in omni tempore excitarunt, ut et ad illorum decus amplificandum propagandumque, et ad nominis celebritatem tuendam, et ad instaurandum, restituendumque, si quid aut vetustate imminutum, aut rerum humanarum vicissitudine contractum sit modis omnibus adlaboraverint, nec illum umquam ex dictis religiosorum coetibus, atque familiis funditus interire, penitusque extingui passi sunt, nisi cum aut in angusto versari, aut eorum res, spesque omnes adeo pessundatas, labefactatasque cognoverint, ut nullo prorsus pacto possent ulterius consistere.

Laudes, et privilegia congregationis Cluniacensis narrantur, et simul referitur status noviss. dispersionis quo reperitur in universa Gallia.

§. 2. Nuper quidem accepimus ex parte carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Galliarum regis christianissimi pervetustam, multisque nominibus insignem ordinis Cluniacensis congregationem antiquam, seu communis observantiae nuncupatam ab ordinariorum jurisdictione exemptam, et sanctae Sedi immediate subjectam, unde plures Romani pontifices, et innumeri pene sanctitatis, doctrinae, omniumque virtutum laude praestantes viri prodiere, de qua non immerito dici posset mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, temporum injuria, omniumque rerum inopia eo fere compulsam, ut quamquam felicis recor-

dationis Clemens XIV. praedecessor Noster impendentem illius interitum perspexerit, et licet ipsi religiosi, quo studio, et pietate erga ipsam congregationem adhuc fervent, opera, consilio, habitisque desuper comitiis generalibus die sexta maii MDCCLXXXVII. sibi ipsis non defuerint, quo tantum malum averterent prout etiam si licuisset, intra pauca monasteria secedere, ut totius congregationis eversio, si fieri posset, impediretur, tamen nulla spes affulserit, ad illius instaurandas rationes, servandumque regularem statum, tum quia bis centum fere religiosi impares prorsus habentur ad incolenda triginta octo monasteria in Galliis dispersa, et ad ea implenda munia, quibus juxta votorum nuncupationem regularis vitae disciplinam, et instituti leges tenentur, tum quia fatiscentibus ejusdem congregationis aedibus, atque monasteriis, neque satis tutum exhibent religiosis hospitium, neque sine maximo sumptu refici, habitarique possunt, tum demum quia tenues admodum, implexique ejusdem congregationis redditus immanibus prope reparationis aedificiorum sumptibus, aliisque impensis pro restituenda in pristinum conventualitate, vitaque communi, necessariis, novisque oneribus ob auctam in Galliis parochorum congruam sustinendis nequaquam suppetunt; proindeque praedictus rex christianissimus Nobis significaverit optimum fore, si ejusdem congregationis Cluniacensis antiquae observantiae religiosos in tot aerumnis, ac calamitatibus constitutos congrua ad singulis vitam praefinita pensione ab instituti regularis lege absolvere, et bona ad dictam congregationem quomodolibet pertinentia in alios pios usus convertere, ac praecipue illarum dioecesum, ubi eadem bona sita sunt, commoditati, atque utilitati attribuere, et consignare de benignitate apostolica dignaremur.

Suppressio, et extinctio ipsius congregationis.

§. 3. Nos igitur praedicti regis christianissimi de catholica religione non secus, ac de Sede apostolica egregie meriti, votis, quantum cum Domino possumus, obsequi volentes, cum palam sit, praedictam congregationem Cluniacensem antiquae observantiae ab ordinariorum jurisdictione exemptam, et sanctae Sedi immediate subjectam religiosorum numero valde imminuto modico censu ditatam, collabentibus aedibus, ac monasteriis, disjectisque bonis, eo prorsus redactam, ut deficiente praesertim conventualitate, ac vita communi, sine quibus neque statuta ordinis exequi, neque claustralia officia obire licet, praeclusoque undique disciplinae regulari aditu, non posset amplius subsistere, attendentes insuper in irritum cessisse consilia, conatusque omnes, quibus et fel. rec. Clemens XIV. praedecessor Noster, et praesentes monachi periclitanti congregationi opem ferre, eamque fulcire, atque erigere frustra adnisi sunt, freti quoque quorumdam venerabilium fratrum episcoporum testimonio, atque in praemissis dilecti filii Nostri Dominici Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalis de la Rochefoucauld nuncupati ex indulto, et dispensatione apostolica archiepiscopi Rothomagensis, qui cum abbatiam caput ejusdem ordinis Cluniacensis strictioris observantiae addictam in commendam obtineat, eadem prorsus de monachorum congregationis antiquae observantiae, paucitate, conventualitatis defectu, aliisque supra praemissis Nobis retulit; animo demum reputantes, quod extincta etiam, atque suppressa dicta congregatione antiquae observantiae, non omnis propterea intercidat, pereatque Cluniacensis ordinis laus, atque memoria, cum ad illius nomen, decusque sustinendum, reparandumque jamdiu succreverit in Galliis, modoque floreat, et vigeat, alia Cluniacensis congregatio strictioris observantiae nuncupata; hinc supradictis omnibus causis, rationibusque adducti, atque permoti, conciliorum generalium decretis innixi, et praedecessorum Nostrorum in hujusmodi casibus exempla sectantes, omnesque, et singulas personas, quorum favorem praesentes Nostrae literae spectant, atque concernere possunt a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac memorati Ludovici regis christianissimi precibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitatibus vestris, in quarum prudentia, fide, religione plurimum in Domino confidimus per praesentes committimus, et mandamus, ut unusquisque vestrum accersitis omnibus, quorum interest, domos, seu monasteria ordinis, et observantiae praefatorum in vestris respective dioecesibus existentia, illorumque conventualitates ac mensas capitulares auctoritate Nostra apostolica supprimatis, ac extinguatis, ac

suppressa, et extincta esse, et fore decernatis. Nos enim ordinem communis, seu antiquae observantiae praedictum una cum omnibus ejus claustralibus ministeriis, omnique conventualitate, titulo, essentia, institutis, regularibus, denominatione, tenore praesentium perpetuo extinguimus, supprimimus, et abolemus.

Provisiones captae favore monachorum.

§. 4. Vobisque praeterea eadem auctoritate injungimus, ut omnes, et singulos sic suppressi ordinis, et congregationis religiosos, seu monachos, qui alias in eam professionem regularem emiserunt ab omni statutorum, ac constitutionum, regularumque quarumlibet observatione, onere, ac statu regulari respective eximatis, et liberetis, ac exemptos, et liberos esse, et fore declaretis; ita tamen ut sarta tectaque eis serventur privilegia omnia, indulta, exemptiones, libertates, praerogativae, honores, emolumenta, ac gratiae quaecumque spirituales, temporales, et mixtae, quae a sancta Sede, aut aliter concessae fuere monasteriis dictae observantiae, aut illius religiosis, et iis, qui ad ea quomodocumque spectant, dummodo tamen revocatae non sint, neque sacris canonibus, aut constitutionibus apostolicis, et concilio Tridentino, et illarum statui saeculari, vel praesentium Nostrarum literarum dispositioni contrarium non sit, cum omnibus fructibus, redditibus, proventibus, juribus, proprietatibus, actionibus, quae alias in illorum utilitatem canonice applicata fuere, quaeque ad eos pertinent in regnis christianissimi Galliarum regis, vel inibi in futurum per apostolicas concessiones quomodolibet pertinere poterunt, eisque, ut dimisso habitu regulari ordinis, et observantiae praefatorum omissio, jejuniis, aliisque usibus, ac legibus a regula, quem professi sunt praescriptis, retento dumtaxat voto castitatis, institutaque vivendi ratione, divinorumque officiorum celebratione, quae a presbyteris saecularibus servari solent in habitu presbyterorum saecularium hujusmodi sub jurisdictione, ac obedientia episcopo debita, intra cujus dioecesis fines juxta illorum beneplacitum commorari contigerit, nec non annuas, ac vitalitias pensiones eis, ut infra assignandas, atque omnes ecclesiasticos redditus, quos nunc obtinent in praedictis regnis, utendi, fruendi, ac in suos usus, ac utilitatem convertendi plenam, et omnimodam facultatem eadem auctoritate concedatis.

Distributio beneficiorum a monachis possessorum.

§. 5. Insuper ex speciali favore, et sanctae Sedis gratia religiosis hujusmodi, ut etiam postquam erunt ad statum presbyterorum saecularium translati, omnia beneficia ad dictum ordinem Cluniacensem, et sancti Benedicti, ut supra extinctum, atque suppressum, vel quomodolibet nunc canonice spectantia, et ab ipsis religiosis ad praesens possessa, vel ad quae jus habent in iisdem regnis sint ea monasteriis, in quibus ipsi resident spectantia, sive monasteriis jam pridem legitime suppressis, aut unitis spectaverint, ac etiam nova in titulum, et commendam apostolica concessione adhuc, ut prius retinere, nec non ut omnibus annuis pensionibus, quae alias super fructibus, redditibus, ac proventibus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum eis fuerunt reservatae, ac constitutae, ut prius frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium indulgemus. Praeterea eosdem religiosos post secularizationem praedictam ad omnia alia, ac quaecumque obtinenda beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura animarum sint ea saecularia, vel cujuscumque ordinis regularia, dummodo tamen saecularia in titulum, et regularia, praevia apostolica dispensatione in commendam eis conferantur, et non excedant numerum a concilio Tridentino praescriptum, etiam si quoad beneficia saecularia essent canonicatus, praebendae, dignitates majores, personatus, administrationes, et officia cum cura animarum, et electiva in cathedralibus, et metropolitanis, capitulis, et ecclesiis parochialibus, aut vicariis perpetuis consistentia, et quoad beneficia regularia, licet essent abbatiae, prioratus conventuales, et electivi, dummodo ad illos sint canonice electi, vel praesentati, et instituti, et in commendam auctoritate apostolica, ut praefertur, collata; ita ut illorum fructus, ac redditus percipere, exigere, ac in suos usus, et utilitatem convertere libere, ac licite possint, et valeant, non secus, ac presbyteri saeculares habiles, ac capaces dicta auctoritate tenore praesentium facimus, et declaramus; immo ut omnes omnino pensiones, quas in posterum eis ex apostolica auctoritate super fructibus, redditibus, ac proventibus, nec non quotidianis distributionibus omnium, et quorumcumque beneficiorum reservari, constitui, et assignari, seu in eos transferri contigerit consequi, et obtinere libere, ac licite,

possint et valeant auctoritate, et tenore praesentium concedimus.

Concessio juris disponendi de bonis ad monachos spectantibus, et non comprehensis in renunciationibus emissis occasione professionis monasticae.

§. 6. Ipsis tandem, ut de omnibus bonis suis, tam acquisitis, quam in futurum etiam ex voluntariis, specialibus, singularibusque dispositionibus acquirendis, quin tamen succedere ab intestato, aut legitimam, aliaque jura, quae vel jam sunt purificata, vel in futurum favore propinquorum ob omissam ab eis regularem professionem eruat purificanda petere possint, tam inter vivos, quam causa mortis, etiam in ultima voluntate, ac in una, seu pluribus vicibus favore quorumlibet factionem passivam testamenti habentium quandocumque eis videbitur testari, seu disponere valeant, quamcumque necessariam, et opportunam facultatem tribuimus, et impertimur.

Applicatio bonorum spectantium suppressae congregationi.

§. 7. Post vero vobis mandamus, ut omnia bona, fructus, redditus, jura, emolumenta, actiones quomodolibet ad supradictas suppressas mensas conventuales, nec non officia claustralia eis unita quomodolibet spectantia in regnis tamen ejusdem regis christianissimi consistentia variis ecclesiasticis, seu mixtis institutis ope aliqua, aut dotatione indigentibus, ac in vestris respective dioecesibus existentibus auctoritate praefata applicetis, ac uniatis, ac dicta instituta ecclesiastica, seu mixta, cuilibet ex dictis religiosis, sequuta saecularizatione hujusmodi, annuam vitalitiam congruam pensionem, quae habita ratione ad illorum aetatem, infirmitates, dignitatesque, et officia, quibus functi sunt in religione, erit praefinienda, persolvere, nec non onera fundationum, tum mensarum, ac officiorum conventualium adimplere salvo jure tertii teneantur. Nos enim vobis omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem eadem perducenda pertinent faciendi, gerendi, atque exequendi, ac exequi mandandi, quaecumque pro locorum, rerumque circumstantiis componere, ac constituere, pro vestra prudentia magis in Domino salubriter expedire cognoveritis, nec non personas vobis benevisas, et in ecclesiastica dignitate constitutas subdelegandi facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clause etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac Sedis apostolicae nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula, ac quatenus opus sit de jure quaesito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, nec non Lateranensis concilii nuninnes perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentia, ac felicis recordationis Benedicti papae XIV. super divisione materiarum, ac aliis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et congregationis praedictorum etiam juramen-

to, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis; ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 10. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die quarta julii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 4. julii 1788. Anno XIV.

DCCVI.

Providentiae pro utili manutentione bonificationis expletae in terris comprehensis in sic dictis — *Paludi Pontine* —.

Pius PP. VI.

Motu proprio ec.

Memoratur quomodo restituta fuerit via Appia, et praedia nuncupata PALUDI PONTINE ad pristinam utilitatem revocata sint.

§. 1. La via Appia, e li terreni nelle Pontine restituiti all' antichissimo stato di utilità dopo essere stati per tanti secoli infelice preda delle acque stagnanti, non lasciano di tenere sempre più l' animo Nostro occupato a rivolgervi ogni particolar cura, e vigilanza. Quindi se ad onta dell' estreme difficoltà, un' opera sì vasta, e malagevole sarà compita in tutte le sue parti mediante le ulteriori idrostatiche operazioni entro il circondario Pontino, sarà oggetto di non minore importanza, ed a cui per tempo debbano dirigersi i più serj provvedimenti la successiva manutenzione di questa impresa, per la quale in appresso si determineranno gli opportuni regolamenti, e sulla quale dovranno anche interessarsi non solo gli enfiteuti delle terre Pontine tanto presenti, che futuri, ma ancora i contribuenti di diversi gradi, per il qual' effetto s' istituirà una sistemata congregazione, che incessantemente invigili alla esecuzione degli opportuni lavori.

Indigitantur remedia adhibenda ne opus tam momentosum negligentia custodiae iterum in praeceps prolabatur.

§. 2. Ma antivedendo, che qualunque più esatta diligenza si pratichi per mantenere espurgati gli alvei, e spedito il corso de' fiumi per ricetto, e scarico delle acque entro il circondario della prescritta bonificazione, non sarà mai sufficiente, se eguale non venga usata da coloro che possiggono le terre fuori del circondario medesimo presso ai fiumi tributari, come rilevasi dalla pianta ultimamente incisa da Carlo Antonini, e designata da Gaetano Astolfi, e non usino ogni maggiore, e preventiva attrazione, onde le acque di quelli vengano ben raccolte, e con regolarità incassate per sgorgare nei recettacoli a tal' effetto destinati sino al limite del detto circondario, che, come parte la più bassa, erasi perciò resa palude, altrimenti potrebbe l' opera di leggieri venir distrutta dall' altrui trascuratezza, o malizia.

Praecipitur ut omnes cujuscumque gradus subjaceant jurisdictioni congregationis specialis deputandae.

§. 3. Pertanto volendo Noi seriamente impedire ai fatti pregiudizi, abbiamo giudicato cosa sommamente espediente alla più stabile conservazione dell' impresa, che dovunque si estendono le relazioni della bonificazione Pontina, e tutti coloro, che o per l' interesse vi contribuiscono, o per l' adiacenza suddetta vi potrebbero recare anche mediatamente qualche guasto, ed impedimento; perciò tutti i detti fiumi, canali, fosse, e scoli influenti nel circondario Pontino, e tutte le persone, alle quali incombe di custodirle siano ecclesiastiche privilegiate, privilegiatissime, e degne di espressa, e special menzione si assoggettano al descritto effetto in perpetuo, ed una sola economica, e privativa giurisdizione, onde nei modi più proficui possano prendersi le opportune risoluzioni, e vengano senza alcuna remora, ed ostacolo puntualmente da per tutto eseguiti.

Pro nunc jurisdictio privativa conceditur commissario, et R. C. D. thesaurario in gradu appellationis.

§. 4. Quindi di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra podestà vogliamo, che non solo tutti gli enfiteuti, e tutti i possessori, coloni, lavoratori, e ministri,

che sono, o saranno nel circondario della bonificazione Pontina, e tutti i siti compresi entro il circondario medesimo, e tutti i contribuenti, ma altresì tutti i possessori adiacenti ai fiumi, fossi, o ruscelli posti fuori del circondario, e per dovunque le acque o presentemente, o in qualunque tempo avvenire possono, o potranno in qualsivoglia modo conferire al vantaggio, o al pregiudizio, ed imbarazzo della bonificazione, o per l'espansione delle acque medesime, o per la irregolarità de' loro scoli, o per qualunque altra cagione tutte le suddette persone, e tutti i suddetti luoghi siano privativamente soggetti sempre al premesso effetto, e non altrimenti alla giurisdizione del commissario della bonificazione Pontina, da cui soltanto (ne' casi, ne' quali il ragione è permesso il ricorso, o l'appellazione) si potrà ricorrere, o appellare rispettivamente al Nostro tesoriere generale pro tempore senza ulteriore appellazione, o ricorso. A tale oggetto ancora concediamo al medesimo Nostro tesoriere generale pro tempore tutte le opportune facoltà, anche economiche, onde possa senza alcun'ostacolo procedere in ogni occorrenza contro tutti gli enfiteuti, loro ministri o coloni, e contro tutti i contribuenti, ed anche possessori adjacenti come sopra ad esclusione di qualunque altro tribonale anche privilegiatissimo, onde i suoi giudicati, ordini, precetti, risoluzioni, tanto giudiziali quanto estragiudiziali, ed economici, ed anche per via criminale, ove occorra, vengano esattamente, e puntualmente eseguiti.

Eisdem conceditur etiam facultas perficiendi reparationes sumptibus cujus de jure, et cum privilegio manus regiae pro recuperatione impensarum.

§. 5. E siccome alcune operazioni per le manutenzioni dei fiumi, e canali esigono una pronta speditezza, così trascurandosi nell'eseguire, o porvi gli opportuni ripari, e rimedj dopo il primo avviso, che loro verrà avanzato estragiudizialmente in scritto dal giudice commissario per la bonificazione, o da monsignor tesoriere generale, diamo, e concediamo ogni facoltà di farli subito eseguire a spese di chi contraverrà agli ordini datigli facendo chiudere, riparare, rimuovere dagli alvei, e fondi di detti fiumi, canali, e scoli ogni impedimento, e tutt'altro che possa occorrere a scanso di ogni pericolo di espansione di acque con astringere gl'interessati adiacenti, ed ogni altro a cui incomberà tal peso al pronto pagamento con mano regia more camerali, senza che debba precedere altra giudiziale interpellazione, acciocchè dalla loro ladulenza, o mancanza non venga danno all'inferior circondario. Confermando Noi fin da ora, conforme rinnoviamo, e confermiamo la privativa giurisdizione nel commissario pro tempore, le medesime facoltà, immunità, privilegi, giurisdizioni, autorità, e tutt'altro specialmente, ed ampiamente accordato, e conceduto nelle deputazioni e suddelegazioni col Nostro oracolo fatto li 20 marzo 1778 li 12 giugno detto anno alle quali ec.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 6. Volendo, e decretando, che la presente Nostra cedola di motu proprio, benchè non sia ammessa, nè registrata in camera, e ne' suoi libri secondo la Bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis* vaglia, e debba aver sempre in futuro tempo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa mai opporre di surrezione, e di alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, o intenzione, e che così, e non altrimenti debba sempre giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi da qualunque giudice, e tribunale benchè collegiale, e composto dei reverendissimi cardinali, togliendo loro ogni facoltà, ed autorità di giudicare, ed interpretare diversamente, e fin da ora dichiariamo nullo quanto si giudicasse, interpretasse, e facesse in contrario, ancorchè non ci sia stato chiamato, nè sentito, nè ci abbiano prestato l'assenso monsignor commissario della Nostra camera, le comunità, università, loro uomini, e consiglieri, e difensori, che potessero aver cause riguardanti i loro interessi relativamente al detto circondario Pontino, tanto universalmente, che specialmente, ed altre qualsisieno persone.

Derogatio contrariorum.

§. 7. E non ostante ancora la citata Bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis*, la regola della Nostra cancellaria *de jure quaesito non tollendo*, e qualsivogliano altre costituzioni, ed ordinazioni apostoliche Nostre, e de'Nostri predecessori con qualsisiano clausole insolite, e derogatorie, e delle quali abbisognasse farne individua menzione, usi, e stili, consuetudini, e qualunque altra cosa che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali cose tutte, e singole avendone il tenore qui espresso, e di parola in parola inserito, e supplendo Noi colla pienezza della Nostra podestà ad ogni vizio, e difetto, anche sostanziale, che potesse mai lo avvenire incontrarsi all'effetto

suddetto pienamente, ed espressamente derogghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Quirinale questo dì 4 luglio 1788.

PIUS PP. VI.

Dat. Romae 8. julii 1788. Anno XIV.

DCCVII.

Confirmantur quaedam capitula, et decretum provinciae utriusque Castellae fratrum ordinis B. M. V. de Monte Carmelo.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, ex eo tempore officii nostri partes esse intelleximus, ut studia, vigiliasque Nostras ad ea quoque, per quae prospero illorum Christifidelium, qui in religione Deo propius famulari susceperunt, statui consulitur, impenderemus. Quamobrem illis petitionibus, quae ad alicujus regularis ordinis bonum pertinere noscuntur, congruum Nos libenter impertimur suffragium.

Expositio precum. §. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici expositum fuit, quod Nos alias ejusdem regis catholici precibus annuentes, quo in capitulo provinciali fratrum ordinis beatae Mariae virginis de Monte Carmelo de observantia nuncupat. provinciae utriusque Castellae 1785. habendo, sed postmodum ad aliud tempus protracto, omnia in pace fierent, et quo insuper aliae Nostrae in simili forma Brevis die XXI. januarii MDCCLXXXIII. expeditae literae, in quibus tripartita in officiis dictae provinciae statuebatur ad plenum ac optatum finem adducerentur dilectum filium Petrum Joachinum de Marcia archidiaconum sancti Philippi, quae est dignitas metropolitanae ecclesiae Valentiae regium a consiliis in supremo consilio Castellae, et collectorem generalem spoliorum et vacantium beneficiorum in praesidentem dicti capituli deputavimus, eique insuper praeter facultates solitas, et consuetas, quatenus provinciae praedictae utile futurum fore pro sua prudentia arbitraretur, etiam provincialem, et definitores dictae provinciae pro illa vice tantum auctoritate Nostra apostolica nominandi, et deputandi, alisque omnia, quae ad rectam ejusdem provinciae administrationem et pacificam capituli praedicti celebrationem quomodolibet spectare possent, faciendi, gerendi, exequendi, et exequi mandandi plenam, et amplam facultatem impertiti sumus, prout in Nostris bisce desuper in simili forma Brevis die decima nona aprilis MDCCLXXXV. expeditis literis, quarum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, fusius continetur.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo memoratus Petrus Joachimus huic a Nobis, ut praefertur, sibi injuncto oneri sedulo, accurateque faceret satis in primis commissionem suam hujusmodi per magistrum priorem provincialem tunc existentem, quibus intererat significavit, subinde capitulum provinciale hujusmodi tertia dominica post Pascha Resurrectionis anni MDCCLXXXVI. in conventu de Valdemoro juxta inductam consuetudinem, ubi ex communi sententia futurus magister provincialis de Castella Nova assumendus sit, indixit, ac per organum ejusdem provincialis supplicationes in conventibus utrinsque sexus dictae provinciae, et exercitia spiritualia ad felicem dicti capituli exitum, ac pacis, et tranquillitatis in eadem provincia reintegrationem obtinendam decrevit. Congregatis porro vocalibus in aula capitulari dicti conventus de Valdemoro die quinta maji MDCCLXXXVI. publicatisque praedictis Nostris apostolicis literis, omnes se faciles, et alacres ad ea, quae ab iisdem literis erant praescripta praebuerunt, quapropter ea, qua par erat methodo acceptum est, agi conventus capitulo praeparatorios, et primum quidem ipso Petro Joachimo proponente, in judices causarum civilium dilecti filii Michael de Azero, et Franciscus Antonius Salinero; in judices criminales Eugenius Jordan, et Christophorus Guitierez; in tabellarum missarum defunctorum revisores Hieronymus Hernandez, et Michael Ronda omnes fratres dicti ordinis expresse professi, ac magistri, et demum a secretis capituli Franciscus Perez frater itidem expresse professus, ac dicti ordinis magister, nec non theologiae antecessor in universitate studiorum Salaman- Actus praeparatorii capituli generalis.

tim, electi fuere; dati, et accepti rationes postmodum ab omnibus prioribus fuerunt requisitae, ac discussa; altera vero die postquam solemni ritu missa votiva sancti Spiritus decantata fuerat, effusis consuetis precibus, caeterisque servatis canonicis formalitatibus, dictus capituli praeses Petrus Juarbimus dilectos filios dicti ordinis professores, et magistros Joannes de Arteaga in primum definitorem; Hieronymum Galan in secundum definitorem; Leonem Genzalez in tertium definitorem, et Josephum Alvarino in quartum definitorem, ac tandem Martinum Diaz in priorem provincialem dictae provinciae auctoritate Nostra apostolica nominavit, deputavitque, immo nomine etiam ipsius provincialis, qui eidem praesidenti suum jus nominandi socium, seu ab epistolis dicti officii permisit in socium hujusmodi dilectum etiam filium Stephanum de Bajas constituit; sicque omnia tranquille, ac concorditer in dicto capitulo peracta sunt. In proximis autem sessionibus in lectores pro tunc futuro capitulo generali dicti ordinis nominati fuerunt dilecti filii Michael de Acero, et Franciscus Garcia Cannivano, utrique ejusdem ordinis professores, ac magistri, et quorum primus in universitate Complutensi, alter in universitate Salamantina antecessores, seu cathedratici erant, ac in eventu, quod alter eorum, vel utrique ante capitulum generale hujusmodi mortem obiissent, in locum demortui dilecti itidem filii Didacus Cano pro Castella Nova, Joannes Baptista Gonzalez pro Castella Veteri cooptati sunt; in custodem vero dilectus itidem Jacobus Montes electus est, et in locum prioris provincialis, si contingeret sum mori, designatus est dilectus filius Christophorus Gutierez, qui omnes professores erant, ac magistri dicti ordinis. Posthaec definitorium provinciale simul cum dicto praesidente de providendis prioratibus, et subprioratibus, aliisque officiis dictae provinciae consuluit; unanimique consensu pro Castella Veteri dilectos filios fratres Joannem Lopez del Pozzo magistrum in priorem conventus Segobiensis, et Augustinum Miqueles in subpriorem; Julianum Martinez magistrum in priorem conventus Salmantini, et Isidorum Gutierez in subpriorem; Emmanuelem Petit praedicatorem jubilatum in priorem conventus de Valderas, et Franciscum Zambranos in subpriorem, Matthaeum Revordinos in priorem conventus nostrae Dominae de los Valles, et Joannem Arias in subpriorem; Emmanuelem Arias lectorem in priorem conventus de Medina, et Gregorium Gonzalez Castanno in subpriorem; Emmanuelem Serrano magistrum in priorem conventus sancti Pauli de la Moralesa, et Josephum a sancta Helena in subpriorem; Antonium Recaman magistrum in priorem conventus Vallisoletani, et Franciscum Roso in subpriorem; Emmanuelem Fernandez magistrum in priorem conventus Abulensis, et Aloisium Gomez in subpriorem pro Castella Nova; Didacum Cano magistrum in priorem conventus Matritensis, et Justum Ortes in subpriorem; Franciscum Lopez Bustos in priorem conventus de la Alverra, et Franciscum Barchino praedicatorem in subpriorem; Franciscum Salinero magistrum in priorem conventus Toletani, et Franciscum Itueda in subpriorem, Didacum Cuebas magistrum in priorem conventus de Valdeolibas, et Joannem Perez in subpriorem; Gabrielem Gallego magistrum in priorem conventus de Requena, et Blasium Ravadan in subpriorem; tandem Joannem Mota in priorem conventus Complutensis, et Raymundum Rodriquez in subpriorem respective constituit, atque deputavit. Quibus omnibus rite confectis quo modo, et qua methodo, quibusve legibus conventus recollectorum ad tollendas graves inordinationes, quae ab aliquibus suis consuetudinibus inferebantur, forent deinceps administrandi actum est; quamobrem cum in provincia Castellae Novae duo dumtaxat existerent conventus recollectorum de Pielago scilicet, et Valdemoro, quibus vigore dictarum nostrarum literarum de ac super tripartita anno MDCCLXXXIII. expeditarum alter conventus sancti Pauli de Moralesa pro Castella Veteri esset adjunctus, illud compertum fuit, quod dum aliqui a die usque sui ingressus dictis conventibus addicebantur, ipsis facilitas, ac commodum suscipiendi cursum literarium deerat, quodque non raro in eis religionis studium, ac vires, quae ad custodiendam regularem disciplinam in hisce conventibus necessario praerequiruntur desiderabantur; contra vero, cum pro iis fratribus, qui religionis zelo incensi strictiorem vitae rationem suscipere, illucque confugere desiderassent, ac in illorum defectu propriis, qui caeteroquin regulariter, ac prudenter viventes dictis conventibus a suis superioribus ob rerum circumstantias essent destinati, vel etiam pro

tis, qui ob illorum degenerem vitam sub rigidiorem regularis disciplinae observantiam essent redigendi, conventus hujusmodi constituti viderentur: hinc provinciale definitorium praedictum omnes fratres conventus de Valdemoro collegio, seu conventui Matritensi, conventus de Pielago collegio, seu conventui Toletano univit, atque aggregavit; statuitque praeterea, ut in posterum nullae filiationes pro conventibus recollectionis essent admittendae, ut hinc facilius fas esset omnibus fratribus dictae provinciae, ut praefertur, approbantibus suis provincialibus, et intra congruum viribus dictorum conventuum numerum, illuc confugere; ac tandem ob novam formam, quae hisce conventibus recollectionis constituta erat, et ad praecavenda incommoda, anxietates, et regularis observantiae defectus, quae ab electionibus suorum priorum, ac communitatibus conventuum de Pielago, et Valdemoro factis hucusque exorta erant, decrevit dictum definitorium, ut his communitatibus nullum deinceps jus esset nominandi, et eligendi suos priores, ac subpriores, sed illi a definitoribus provinciae, sicuti semper, et in more adhuc erat pro conventu recollectorum sancti Pauli de la Moralesa, in posterum nominarentur. Dein vero dilectos filios Franciscum de sancto Francisco in priorem conventus de Valdemoro, et Joannem de sancto Antonio in subpriorem, Cirillum de Sancto Bartholomaeo in priorem conventus de Pielago, et Bartholomaeum de Angelis in subpriorem deputati fuerunt; ac eventui, quo alter ex dictis quatuor definitoribus, ut supra deputatis e vivis decederet, consulere volens memoratus Petrus Joachimus dilectos filios magistrum Emmanuelem Huerta in locum primi definitoris, Augustinum Vidal in locum secundi, magistrum Christophorum Gotierez in locum tertii, et Petrum Galan in locum quarti definitoris sufficit. De reformationis autem articulis, de debita regularium, ac constitutionum custodia deque aliis rebus meliorem conventuum administrationem, studiorum, ac applicationis religiosorum methodum spectantibus, cum tandem aliquando sermo factus sit, toties memoratus Petrus Joachimus praesidens aliqua gravia capitula quae, debitum Dei cultum, in regem observantiam, ordinis bonum, et reipublicae utilitatem respiciebant, ut de iis definitorium provinciale sedulo, ac diligenter cognosceret; exposuit, quorum discussio, ut res postulabat, cum maturate fieri non posset, unanimi consensu definitorium provinciale ad conventum Matritensem translatum est; ubi omnibus perpensis, primum quidem definitorium praedictum die prima septembris anni MDCCLXXXVI: definite declaravit, dein memoratus Petrus Joachimus per suum decretum die duodecima ejusdem mensis evulgatum statuit perpetuis futuris temporibus servanda esse proposita capitula, ac decretum de ac super studiis, ac in concessionibus jubilationis, et graduum cathedrae, et pulpiti publicatum, quae sunt tenoris qui sequitur.

CAPUT I.

De observantia regulae, et statutorum quoad assistentiam horis canonicis, caeterisque spiritualibus exercitiis.

§. 1. Cum sit adeo justa, et necessaria religiosorum assistentia horis canonicis; missae conventuali, et anniversariis, orationi mentali, caeterisque spiritualibus exercitiis, prioribus, et subprioribus minime exceptis, qui excusationes voluntarias, vel simulatas ullius religiosi carentis legitima exceptione sibi a legibus ordinis concessa, ac pro vera, non autem voluntaria necessitate minime admittant, admodum reverendissimum definitorium statuit, quod in posterum quidquid nostrae sanctae leges praeceperunt, atque mandarunt, servetur, injunxitque, prout revera districte injungit patribus prioribus, et subprioribus quotidianum mentalis orationis exercitium utpote praecipuum nostri instituti objectum, ac etiam quod habeantur capitula culparum ad regulae praescriptum: decrevit insuper, quod in conventibus recollectionis praeter generalem observantiam cuncta adimpleantur religiosa exercitia, quae pridem in usu erant, tum quoad vitam perfecte communem, tum quoad majorem clausuram, abstractionem, ac chori protractionem; et pro executione omnium, quae in praesenti resolutione quoad hujusmodi caput statuta sunt prae oculis habeantur, serventur, et custodiantur sanctiones nostri reverendissimi Chizola in suis decretis de reformatione pro provinciis Hispaniae cap. 1. numeri 2. 3. 10. et 11., nec non constitutiones generales reverendissimi nostri Carnales cap. III. parte I. ubi etiam cap.

De observantia regulae, et statutorum quoad assistentiam horis canonicis, caeterisque spiritualibus exercitiis.

VII. et XI. Regulae denique decreta de reformatione ejusdem reverendissimi Chizola cap. III. num. 6. super quibus sedulo vigilet admodum reverendus pater provinciae moderator in visitationibus, hic enim admodum reverendum definitorium certiorare debet, quinam sit superior ab eo in aliqua supradictorum omissione deprehensus, ut irrimisibiliter privationis poena puniatur.

CAPUT II.

De gravitate, et modestia in celebratione divinorum officiorum servanda, ac de providentiis suscipiendis pro hujusmodi observantia.

De gravitate, et modestia in celebratione divinorum officiorum servanda, ac de providentiis suscipiendis pro hujusmodi observantia.

§. 5. Super hoc decrevit admodum reverendum definitorium patres priores, et subpriores majori quo poterunt zelo, et vigilantia curare debere, ut missae cum cantu, horaeque canonicae debita pausa, modestia, et gravitate persolvantur, servando, et servari faciendo quidquid in rubricis, et caeremoniis ordinis legitur praescriptum.

Sancivit pariter, quod patres priores studeant quoque, ut singuli religiosi sacrum peragant cum gravitate, et modestia insumendo saltem viginti minutorum spatium in missis lectis, acriterque moneant eos, qui in hoc cum detrimento propriae conscientiae, et magno populorum scandalo deficiant.

Statuit etiam, quod patres priores peculiarem curam habeant, ne in functionibus, quae in eorum conventibus habentur, et celebrantur, ulla irrepat irreverentia, et confusio in ecclesiis cum abusu, et sub falso cultus, et devotionis praetextu.

Demum admodum reverendum definitorium stantibus indecentiis, perturbationibus, et abusibus expertis in hoc Matritensi conventu in die festo, et per totam octavam nostrae sanctissimae genitricis de Monte Carmelo ratione musicae, decrevit, ne perpetuis futuris temporibus quacumque ex causa, licet aliquis devotionis gratia, de proprio expensas pro musica persolvere intendat, vel musici gratis concurrere velint, musica aliqua cum instrumentis, et vocibus habeatur in praefata die nostrae sanctissimae genitricis de Monte Carmelo, et in aliquo alio die infra ejus octavam, sed horae canonicae, missae, et reliqua a communitate cum organo canantur, prout hoc anno avenit, sublata reverendis patribus provincialibus, et definitoriis super hoc dispensandi facultate.

CAPUT III.

De religiosorum egressibus, de modo, et circumstantiis, quibus eisdem egressus permitti poterit, et de religiosorum assistentia penes confessionalia, et apud morti proximos.

De religiosorum egressibus, de modo et circumstantiis, quibus eisdem egressus permitti poterit, et de religiosorum assistentia penes confessionalia, et apud morti proximos.

§. 6. Super hoc decrevit admodum reverendum definitorium, ne religiosi egrediantur ad sacra peragenda extra ecclesias nostras, dummodo communitati ipsi onus non incumbat, nonnullas fundationes explendi, prout contingit communitati Vallisoletanae quoad conventus Spiritus Sancti, et Laurae, cum prohibitio religiosis egrediendi a conventibus ad celebrandas missas sit consentanea decretis laudati reverendissimi Chizola cap. IX n. 7 et reverendissimi Rubeo pag. 12. n. 18.

Insuper statuit, nullum religiosum egredi posse sine socio a praelato designando prout decernunt decreta sanctae memoriae Clementis pp. VIII. de reformatione n. XIX. XX. et XXI.

Sancivit itidem neminem egredi posse, et deambulare per loca incolis frequentia cum cappa nigra, sed cum cappa et capulio albo quemadmodum praescribunt constitutiones generales parte I. cap. VII. n. I. et III.

Statuit etiam nullum religiosum egredi posse e conventibus ultra duas vices per hebdomadam non jam diebus continuatis, nec sine justa causa, multoque minus id dominicis et festis diebus absque gravi necessitate prout injungunt constitutiones generales cap. VII. n. 2.

Decrevit insuper, ne ullus religiosus approbatus Christifidelium cujuscumque conditionis confessiones sacramentaliter excipere recuset juxta decreta reverendissimi Chizola de reformatione capite octavo numero decimo, quodque patres priores, caeterique superiores peculiari studio, et zelo curent, ne in singulis diebus, et praesertim in diebus festis, et dominicis desit in ecclesiis congruus confessariorum numerus prout tam populi, quam diei circumstantiae exegerint; nullusque religiosus licet lector ille sit, vel magister, quatenus a priore, vel superiore destinetur, ab assistentia confessionali praestanda excusari ullimode se possit.

Denique decrevit, quod in qualibet hebdomada designentur, et adnotentur in tabella communi, cujuscumque conventus, duo confessarii pro assistentia fidelibus in extremis laborantibus, quorum unus sit ex jubilatis, et magistris, et hic pro horis diurnis, et alter mediae aetatis, et sufficienter validus pro horis nocturnis; semper autem pergant, in quantum fieri possit, cum socio. Totum enim id in hoc capite expressum omni studio ab admodum reverendo patre provinciali in visitationibus investigetur, significando quidquid super hoc ipse inspexerit, ut irremissibiliter officio privetur prior, vel subprior, qui ea omnia, quae in praesenti capite statuta leguntur, in toto, vel in parte servari facere neglexerit.

CAPUT IV.

De iis, quae ministranda sunt sacerdotibus missae celebrationi impeditis, uti etiam clericis, laicisque, et de cibo parando communitatibus.

De iis, quae ministranda sunt sacerdotibus missae celebrationi impeditis, uti etiam clericis, laicisque, et de cibo parando communitatibus.

§. 7. Hac in re decrevit admodum reverendum definitorium, quod religiosis laicis, et clericis carentibus eleemosyna missarum, quae conceduntur sacerdotibus pro vestiario, et communibus expensis singuli priores opitulentur eis, suppeditando quid quid necesse fuerit pro vestibus interioribus, et exterioribus, ac pro expensis non solum prioris, sed et clavariorum judicio necessariis, quae quidem methodus servetur erga sacerdotes, qui ex infirmitate, vel alia de causa a celebratione missae impediantur, et ad hujusmodi effectum innotescat prioribus, et clavariis pro adimplemento cum advertentia, quod in visitationibus conventuum ab admodum reverendis patribus provincialibus explendis, et in definitorio annuali priores exhibere debeant testimonium a cunctis sacerdotibus impeditis, clericis, et laicis signatum de exacto hujus decreti adimplemento, et in casu contraventionis, admodum reverendus pater provincialis una cum definitorio irremissibiliter priorem, et clavarios ab officio deponat; totum enim nostrae sanctae regulae capite nono, ac decretis Clementis pp. VIII. numero octo congruit.

Pariter statuit admodum reverendum definitorium, quod religiosis universae provinciae ministretur victus in quantitate, et forma prout moris fuit in nova Castella, et huic quantitati se conforment veteris Castellae priores etiam quoad acetaria coenae, et disculum prandii in feriis sextis, et in diebus abstinentiae, sedulo curantibus superioribus, ut bene cibi condiantur, et panis ministretur bonae qualitatis, ne religiosi molestia afficiantur; cum haec omnia revera sint consona decretis Clementis VIII. numero decimo, constitutionibus generalibus parte prima, capite quarto, numero quarto, decretis de reformatione capite secundo, numero decimo sexto, et decreti reverendissimi Rubeo pagina trigesimaquarta numero quinquagesimo quinto; erit autem patris provincialis in definituriis significare quid emergat ad hoc, ut prior, vel subprior, qui in praescriptis in hujusmodi capite defecerit, irremissibiliter officio privetur.

CAPUT V.

Cuncti religiosi comedant in refectorio, eisque absque ulla differentia communis apponatur cibus, et de jejuniorum observantia.

§. 8. Admodum reverendum definitorium super hujusmodi re decrevit, quod singuli religiosi, licet graduati, et hospites ipsi sint, tam de mane, quam de sero pro prandio, et coena sumenda in refectorium descendant, quodque cunctis idem cibus in qualitate, et quantitate ministretur; ita enim expresse legitur dispositum in nostra sancta regula capite quarto, et in decretis Clementis papae octavi numero decimo, ac in illis nostri reverendissimi Soreth capite sexto pagina trigesima octava numero quarto: curentque sedulo priores ne quis religiosus quomodolibet graduatus comedat in sua cella sub praetextu, quod cibus extra conventum paratus illi afferatur; magistris autem de numero, qui insimul quinquagesimum ab habitus susceptione annum agant, et cathedraticis publicarum universitatum sumendi coenam, vel refectionem communitatis in suis cellis poterit esse facultas; primis quidem ob provectam aetatem, alteris vero ut diutius valeant elucubrari.

Cuncti religiosi comedant in refectorio, eisque absque ulla differentia communis apponatur cibus, et de jejuniorum observantia.

Statuit quoque, et decrevit, ut in diebus jejunii praelati sedulam ponant diligentiam in visitandis coquinis, ne paretur coena pro aliquo religioso, nec ipsi permittatur comestio carnis diebus a regula, et constitutionibus vetitis, dummodo non adsit declaratio medici de

necessitate testantis, prout praecipitur in constitutionibus nostri reverendissimi Soreth de jejunio, et comestione fratrum capite quarto, numero secundo, pagina quinquagesima secunda, ac in decretis de reformatione capite tertio, numero trigesimo septimo.

Denique statuit, et decrevit, ut infirmorum, et convalescentium indigentiis omni prorsus charitate occurratur (ita enim praescribunt constitutiones parte prima capite vigesimo) utque super omnibus in hoc capite contentis admodum reverendus pater provincialis in visitationibus invigilet, definitorium monendo de praelatis, quos in hoc defecisse deprehendat ad hoc, ut qualibet exclusione rejecta, priventur officio.

CAPUT VI.

Non sint religiosis famuli, neque saeculares in conventibus pernoctent.

De exclusione famulorum, et vetita saecularium pernoctatione in conventibus.

§. 9. Statuit admodum reverendum definitorium, quod nullus religiosus habeat famulum, quodque saeculares licet religiosorum propinqui in conventibus minime pernoctent, idque curetur quam diligentissime a prioribus, et subprioribus, secus enim in visitationibus acriter in illos animadvertatur, et pro modo negligentiae, vel dissimulationis ab iis hoc habitae ad eorum privationem ab officiis deveniatur, totum enim id statutis capituli generalis quinquagesimi septimi de anno 1575. pagina quinta, ac etiam constitutionibus generalibus parte prima capite decimonono num. decimo, demum decretis de reformatione capite quarto numero vigesimo quinto respondet.

CAPUT VII.

De spolio a religiosis annuatim explendo, ac de reliquis, quae debitam voti paupertatis respiciunt observantiam.

De spolio a religiosis annuatim explendo, ac de reliquis, quae debitam voti paupertatis respiciunt observantiam.

§. 10. In hujusmodi re statuit admodum reverendum definitorium, quod singuli religiosi immittant in depositum, seu arcam communitatis sub clavibus prioris, et clavariorum totam, quae ipsis sit, pecuniam quocumque titulo acquisitam, vel ex patrimonio, vel ex cathedris, praedicatione, missis, donationibus, sive eleemosynis, et hoc praestare teneantur infra terminum viginti quatuor horarum a pecuniae receptione computandum, secus poenis contra proprietarios plectantur; hoc enim, et paupertatis voto, et constitutionibus generalibus parte tertia, capite undecimo, numero tertio, decretis Clementis pp. VIII. numero tertio, et quarto, decreti capituli generalis de anno 1645. pagina vigesima septima, appendici comitiorum generalium, paragrapho decimo quinto, numero centesimo tertio omnino respondet: permissum vero volumus cuilibet religioso a suo respectivo deposito extrahere, penes se retinere, et insumere de prioris licentia aliquam modicam summam habito respectu indigentiis, ejusque personalibus qualitatibus. Ab hujusmodi vero depositis religiosorum priores, caeterique praelati sub poena excommunicationis juxta decreta relata in appendice 15. numero centesimoquarto aliquid pro communitatis expensis, nequeant extrahere.

Pariter sancivit admodum reverendum definitorium, ut quotannis de mense decembris ante festum Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi unusquisque ex religiosis inventarium rerum, quae pro usu retinet, conficiat, et hujusmodi inventarium juxta praescriptum constitutionum generalium parte tertia, capite undecimo, numero sexto in arca communi trium clavium ponatur, et superiores invigilent, curentque de hujusmodi inventariorum integritate, ac sinceritate, super quo in casu negligentiae, ex parte eorumdem priorum, et subpriorum contra eos inquiratur, et recurrentibus annis definitoriis testimonium mittant omnino comprobans singulos religiosos praedicta inventaria confecisse.

Insuper decrevit, ne ullus religiosus absque expressa sui praelati localis licentia ad praescriptum constitutionum generalium parte tertia, capite undecimo numero primo, et sequentibus, et appendicis decretorum generalium aliquid recipere, vel dare valeat.

Denique admodum reverendum definitorium statuit quod cuncti patres priores majori, quo fieri possit studio, et diligentia curent impedire, et eliminare quemcumque abusum, et prophanitatem in vestibus interioribus religiosorum, tum in qualitate, tum in colore, ac etiam in calceamentis, ne utantur calceis ex aluta, vel alterius speciei extraneae, ac meliis, vel parum decentia, et simplicitati, modestiae, et humilitati religiosae nullimode

cohaerentia; idemque intelligendum de mobilibus pretiosis, nempe de capsulis, horologiis, aliisque rebus; totum enim id oppositum omnino est paupertati, et honestati instituti Nostri, et a nostris legibus prohibetur, ut apparet ex decretis summi pontificis Clementis octavi; ex constitutionibus generalibus capite duodecimo, ex decretis de reformatione capite tertio, numero vigesimo sexto, et ex constitutionibus nostri reverendissimi Soreth capite septimo numero sexto. Quaelibet autem priorum, et subpriorem in hoc omissio severe corrigatur in visitationibus ab admodum reverendo patre provinciali habendis, qui de consenso admodum reverendi definitorii praefatis negligentibus privationem, violaturibus vero poenas pro modo culpae infliget.

CAPUT VIII.

De accurata methodo servanda in conscribendis libris introitus, et exitus redditum fixorum, et eventualium, et de depositis explendis in qualibet hebdomada, quin priores, caeterique superiores ullam pecuniae quantitatem penes se valeant retinere.

De methodo servanda in conscribendis libris introitus, et exitus, et de depositis.

§. 11. Quoad hoc decrevit admodum reverendum definitorium, quod in quolibet conventu majori, qua poterit diligentia, et studio exarentur libri, in quibus adnotentur computa introitus, et exitus redditum fixorum, et eventualium, ac deposita fiant in qualibet hebdomada; praevia ratione dati, et accepti, quin priores disponere valeant de quacumque pecuniae summa sub poena privationis ab officio, quam ipso facto irremissibiliter incurrant aeque ac prior, vel subprior, qui penes se ultra diem quamcumque pecuniae quantitatem retineat, quin certiores de ea reddat clavarios, eamque conferat immediate in depositum communitatis, uti praescribunt decreta Clementis papae octavi numero duodecimo, et decreta reformationis pagina quadragesima prima.

CAPUT IX.

Computa habenda de missis, quas a conventibus recipiuntur, et de earum numero, qui recipi possit.

De missis recipiendis, de ratione habenda de earum proventu.

§. 12. Hac in re decrevit admodum reverendum definitorium, quod religiosi sacristae syngraphas eleemosynarum pro missis acceptarum dare possint, dummodo hisce acquiescant oblatores; infra autem ipsius diei terminum praedicti sacristae tradant prioribus coram clavariis, et non aliter, nec alio modo pecuniam hujusmodi eleemosynarum cum expressione numeri missarum, uti etiam personarum, quae illas detulerunt, et pro quibus debeant applicari, et cum hac individua explicatione in librum arcae conferendae sunt partitae, in quibus describatur hujusmodi eleemosynarum quantitas; si vero oblatores syngraphas in ampliori forma exaratas exquirerent, hae dari debeant non jam a solo priore, sed ab isto, et clavariis; totum ergo id servent religiosi sacristae, et priores sub irremissibili poena privationis ab officiis.

Insuper sancivit admodum reverendum definitorium, quod in nullo conventu recipiantur missae, quae a respectiva communitate infra triginta dies a die accepti stipendii computandos, nequeant celebrari; si vero dum celebrantur missae jam acceptae, aliae supervenisent, admitti tantum poterunt, quae infra triginta dies satisfieri valeant, computatis iis, quae supersunt de jam acceptis; id enim cohaeret decretis Clementis papae VIII.; uti etiam illis de reformatione capite quinto, declarationi sacr. congregationis Concilii relatae a Benedicto papa XIV. in institutione quinquagesima sexta numero decimo quarto, et regulis, ac sensibus bonae moralis. Si quis autem prior, vel subprior missas ultra praefinitum numerum admiserit, irremissibiliter officio privetur.

Denique statuit admodum reverendum definitorium, quod in singulis conventibus infra terminum omnino sex mensium a die, in quo hujusmodi acta inibi recipiantur, computandum, efformentur tabellae missarum perpetuarum unicuique incumbentium cum expressione illarum, quae cum cantu, et quae sine sunt explendae, ac ad designatum altare, et statuto die cum reliquis circumstantiis, et conditionibus cujuslibet fundationis. Hujusmodi autem tabellarum, duo affigantur exempla, in cella priorali unum, in sacrario alterum injungendo, prout injungitur admodum reverendis patribus provincialibus, ut in visitationibus curent, quod duae praedictae tabellae appensae continuo remaneant, et ab iis examinetur, utrum respondeat veris obligationibus cujuslibet conventus, et satisfiat exacte omnino rela

tis missis perpetuis, quarum numerus juxta tempus propriae fundationis imminuere debet illas, quae recipi possint, et sunt explendae omnino infra terminum triginta dierum jam praescriptum pro missis manualibus, quae valent admitti.

CAPUT X.

De dimissione, et solutione aeris alieni, quo onerati reperiuntur nonnulli conventus, vetiturque, ne in posterum absque evidenti necessitate aes alienum quomodolibet contrahatur.

De dimissione aeris alieni.

§. 13. Super hoc decrevit admodum reverendum definitorium, quod priores singulorum conventuum noviter electi, ut primum possessionem ceperint, una cum clavariis inspiciant computa suorum immediato antecessorum, et officinas perlustrent una cum eisdem clavariis ad comprobandum an existant effectus descripti in praedictis computis, seu rationibus, nulla interposita mora, mittendo admodum reverendo patri provinciali testimonium factae inspectionis subscriptum ab actuali priore, et clavariis ad hoc, ut in definitorio districte inquiratur contra priorem praedecessorem, si fortasse in aliquo defecerit, uti etiam exquirant, et investigent, an priores antecessores absque licentia communitatis, et admodum reverendi patris provincialis extraxerint ab arcis communibus aliquam pecuniae quantitatem, vel aliquo alio modo acceperint aliquam summam ab administratoribus, vel ex fundis alicujus fundationis, et an de hisce omnibus, ac de pecunia hujusmodi inversione rationem reddiderint in computis ad capitulum directis, uti etiam an justum, et absolute necessarium fuerit aes alienum in quacumque summa ab antecessoribus praedictis contractum exprimentibus actualibus prioribus, et clavariis quantitatem aeris alieni, itemque necessitatem; quae hujusmodi contractionem urgebat. Totum autem id examinetur in primo definitorio, ut ab eo congrue provideatur.

CAPUT XI.

Quotannis intra Pascha Resurrectionis Dominicae, et Pentecostes habeatur definitorium.

De tempore, quo erit habendum definitorium.

§. 14. Sancivit admodum reverendum definitorium, quod singulis annis die ab admodum reverendo patre provinciali designanda intra Pascha Resurrectionis Dominicae, et Pentecostes in conventu nostro Matritensi semper, ac admodum reverendus pater provincialis sit ex nova Castella, si vero ex veteri in conventu Segobiensi habeatur definitorium, et in illo agatur de omnibus, quae spirituali, et temporali conventuum bono conducant; et quomodo praelati proprii officii obligationibus satisfaciant, dato pro qualitate necessitatis prompto remedio, nullaque auctoritas poterit dispensare, vel mandare, ne hujusmodi definitoria annualia habeantur, si haec dispensatio exhibita minime fuerit supremo Castellae senatui, a quo ejus exequutio fuerit praescripta.

CAPUT XII.

Ex nunc suspensae remaneant literae patentes pro lectoribus, et concionatoribus, et quaecumque aliae a reverendissimo nostro patre generali, vel ab alia qualibet auctoritate concessae, dummodo datae non fuerint ad praescriptum constitutionum ordinis, et mandatorum supremi senatus.

De literis patentibus relaxandis pro lectoribus, et concionatoribus.

§. 15. Decrevit admodum reverendum definitorium, quod ex nunc remaneant, prout remanent revocatae, et suspensae quaecumque institutiones, et patentes literae pro lectoribus, et concionatoribus, et quaelibet aliae a reverendissimo nostro generali, vel ab alia quacumque auctoritate in quinquennio proxime praeterito concessae, instituendo, et creando lectores philosophiae, et theologiae, ac alia munera attribuendo non servato concursu, aliisque circumstantiis a statutis praescriptis, decrevitque, quod literae patentes ita emanatae nullius sint roboris, vel valoris in futurum, nec etiam quoad praeteritum pro consequenda jubilatione, vel pro quacumque alia causa. Totum enim cohaeret actis reunionis conditione quarta, numero tertio, decretis reverendissimi Villalobos ab Innocentio papa XII. confirmatis pagina nonagesima quinta, numero sexto, et septimo, statutis reverendissimi nostri Ximenez §. 11. num. xx., et Brevi Sanctitatis suae Pii papae VI, dicta tripartita conditione sexta, et octava.

CAPUT XIII.

De conferentiis theologiae moralis in singulis conventibus, et de examine confessariorum.

De conferentiis theologiae moralis, et de examine confessariorum.

§. 16. Hac in re statuit admodum reverendum definitorium, quod in singulis conventibus, non exceptis domibus, sive collegiis studiorum, in secunda, et quinta cujuslibet hebdomadae feriis, quatenus in eas non incidat festus dies, secus diebus immediate sequentibus habeantur conferentiae theologiae moralis per horam immediate ante coenam, in quibus a concionatore, vel eo impedito, a religioso per praelatum designando legatur, et explicetur consecutive aliquis ex auctoribus bonae moralis, et concionator, vel praeses cunctos religiosos super rebus, quas indicaverit, interroget, quodque super celebratione hujusmodi conferentiarum, ac interventu omnium religiosorum quacumque de causa nequeat dispensari, quandoquidem debet esse formale capitulum in visitationibus peragendis ab admodum reverendo patre provinciali, qui definitori significabit quid animadverterit, ut ad privationem praelati, qui in hoc defecerit, deveniatur.

Insuper admodum reverendum definitorium sancivit, quod admodum reverendus pater provincialis per se ipsum, et quatenus aliquo detineatur impedimento, per praesidem ab eo deputandum una cum patre priore, magistris, et lectoribus, ac concionatore conventus qui actu visitatur per suum secretarium provincialem examini subjiciat super materiis moralibus cunctos religiosos, qui actu fuerint confessarii, et quinquagesimum ab habitus susceptione annum minime expleverint, nec gradum magisterii obtinuerint; si quis autem ab hujusmodi concursu se excusaret ipso facto suspensionem incurrat, et ab admodum reverendo patre provinciali compelli valeat ad examen hujusmodi habendum antequam visitatio expleatur, vocatis etiam absentibus, cum totum id decretis reverendissimi nostri Soreth capite nono paragrapho secundo sit conforme.

CAP. XIV.

Cuncti religiosi praesentes filiationem in certis conventibus, et de novo recipiendi in eorum professione admittantur pro designato conventu juxta cujuscumque communitatis necessitatem, pariterque recipiantur cum assignatione determinato collegio.

De filiatione habenda a singulis confratribus.

§. 17. Admodum reverendum definitorium sancivit, ut in posterum duae tantummodo sint novitiatus domus, conventus scilicet Matritensis pro nova Castella, et pro veteri conventus Vallisoletanus, quodque religiosus nullus choro addictus, vel laicus in alio conventu novitiatum valeat peragere.

Sancivit quoque, quod dum agatur de admissione alicujus ad habitum, illico in ipso novitiatus ingressu destinetur isti unum ex tribus collegiis per turnum: primus enim, qui recipietur, adscribendus erit collegio Matritensi, alter collegio Vallisoletano, tertius vero Toletano hoc ordine in perpetuum servato cum admittendis ad habitum, qui quidem ordo pro expleto habebitur si novitius, professionem emittat, et non aliter, et in admissione cujuslibet novitii constare debebit collegium, cui ipse adscribatur, et super hoc competens regestrum seu codex etiam est conficiendum.

Quilibet novitius, qui in posterum ad professionem admittetur, vel qua clericus, vel qua laicus admittatur omnino cum filiatione, et assignatione praefinito conventui juxta numerum, et competentiam cujuscumque communitatis, quod quidem similiter constare debeat, ac etiam ex libris cujuslibet communitatis.

Quilibet conventus exsolvere teneatur quotidie duo regalia domui novitiatus, et domibus studii pro unoquoque ex suis novitiis, et studentibus, durante tempore studiorum, licet studentes in sacro presbyteratus ordine constituti existant, in hoc enim casu missam pro conventu proprio applicare debebunt.

Demum admodum reverendum definitorium statuit peragi filiationes religiosorum ad praesens existentium destinando unumquemque ad correspondentes effectus, et illum designando certo provinciae conventui sine praejudicio, seu quin admodum reverendi patres provinciales, et definitoria justis de causis cuicumque religioso aliam conventualitatem ad tempus dare possint, quod quidem semper intelligendum est sine praejudicio propriae filiationis. Filiationes vero, et assignationes, quae nunc fiunt religiosorum actu in provincia existentium disponuntur, et sunt tenoris sequentis.

IN VETERI CASTELLA

Nomina fratrum filiationes obtinentium in conventibus veteris Castellae.

§. 18. Filiationes religiosorum Carmelitarum observantium respectivis veteris Castellae conventibus.

CONVENTUI ABULENSI AFFILIANTUR

P. magister Fr. Josephus Calvo
P. magister Fr. Emmanuel Fernandez
P. magister Fr. Joseph Alvarinno
P. magister Fr. Emmanuel Serrano
P. magister Fr. Emmanuel Cantero
P. magister Fr. Cajetanus Sanchez
P. Fr. Aloisius Gomez
P. Fr. Bartholomaeus Revilla
P. Fr. Michael Tosrez
P. Fr. Vincentius Rodriguez
P. Fr. Antonius Alonzo
P. Fr. Matthaeus Gomez
P. Fr. Basilius Garcia
P. Fr. Leander Gomez
P. Fr. Petrus Perez
P. Fr. Isidorus Gutierez
P. Fr. Matthias Sobrino
P. Fr. Vincentius Perez
P. Fr. Augostinus Merino
P. Fr. Augustinus Gil
P. Fr. Baldus Perez
P. Fr. Balthassar Nicolas
P. Fr. Michael Hernandez

Fratres laici

Fr. Joseph Vallesa
Fr. Franciscus a sancto Josepho Montalvo
Fr. Sebastianus Zazo
Fr. Josephus Carrasco
Fr. Antonius Andrès
Fr. Franciscus Garci Nunno
Fr. Sylvester Perez
Pater Fr. Petrus Galicia

CONVENTUI SANCTI PAULI DE LA MORALEJA

P. magister Fr. Stephanus Bargas
P. magister Fr. Petrus Migueles
P. Fr. Bonaventura Castro
P. Fr. Antonius Cerca
P. Fr. Matthias Carpio
P. Fr. Franciscus Amigo
P. Fr. Antonius Finistrosa
P. Fr. Laurentius a s. Josepho
P. Fr. Felix Cano
P. Fr. Thomas Gratos
P. Fr. Petrus Martinus Sevillano
P. Fr. Isidorus Serrano
P. Fr. Emmanuel Petit
P. Fr. Bernardinus Rivera
P. Fr. Raymundus Sant'Anna
P. Fr. Bernardus Sacristan
P. Fr. Michael de la Parta
P. Fr. Vincentius Olivares
P. Fr. Felix Meneses
P. Fr. Augustinus Migueles

Fratres laici

Fr. Matthias Diaz
Fr. Emmanuel Oreson
Fr. Joseph Garcia
Fr. Joannes Vizcayno

CONVENTUI NOSTRAE DOMINAE DE LOS VALLES

P. magister Fr. Michael Ronda
P. lecor Fr. Idelphonsus Serrano
P. Fr. Dionysius Losada
P. Fr. Matthias Ruiz
P. Fr. Franciscus Cannivano
P. Fr. Andreas Garcia
P. Fr. Anicetus Francia
P. Fr. Franciscus Zorto
P. Fr. Joannes a Royo
P. Fr. Petrus Miguelez
P. Fr. Augustinus Petit
P. Fr. Emmanuel Puga
P. Fr. Paschalis Ravenal
P. Fr. Joseph Palencia
P. Fr. Antonius Zambranus
P. Fr. Thomas Fernandez

Fratres laici

Fr. Romualdus Tesetor
Fr. Joannes Roman
Fr. Joseph Benito

CONVENTUI SALAMANTINO

P. magister Fr. Paulus Colmenero
P. magister Fr. Franciscus Perez

P. magist. Fr. Franciscus Garcia Cannivano
P. Fr. Aloisius Montero
P. Fr. Joannes Aynso
P. Fr. Gregorius Rivera
P. lector Fr. Emmanuel Axias
P. Fr. Franciscus Perez Blasco

Fratres laici

Fr. Thomas Qniros
Fr. Antonios Gallesa
Fr. Joseph. Martin
Fr. Bartholomaeos Lopes

CONVENTUI VALLISOLETANO

Noster admodum Reverendus Pater magister Fr. Augustinus Torres ex-provincialis
P. magister Fr. Emmanuel Martinus de los Ojos.
P. magister Fr. Antonius Recaman
P. lector Fr. Bernardus Bartolomè
P. lector Fr. Emmanuel Leyundo Serano
P. Fr. Joseph a Rosa
P. Fr. Franciscua Xaverius Dominguez
P. Fr. Leander Gomez
P. Fr. Paulus Cordero
P. Fr. Joannes Domioguez
P. Fr. Turibiua Mayo
P. Fr. Franciscua Dominguez Fernandez
P. Fr. Bernardus Moure
P. Fr. Petrus Fernandez
P. Fr. Bernardus Cannal
P. Fr. Petrua Sanchez
P. Fr. Vincentius Conde
P. Fr. Romoaldus Negrilla
P. Fr. Thomas Barbero

Fratres laici

Fr. Joseph Canivanno
Fr. Cajetanoa Carnicero
Fr. Emmanuel Ballesa
Fr. Emmannel Hurtado
Fr. Joannes Cuartero
Duo fratres laici novitii

CONVENTUI DE VALDERAS

P. magister Fr. Fraociscus Gonzalez Osorio
P. lector Fr. Petrus Galan
P. lector Fr. Gregorius Manzon
P. Fr. Jacobus Garcia
P. Fr. Matthaeus Pelaez
P. Fr. Barnabas Millan
P. Fr. Emmanuel Astorga
P. Fr. Joseph Belbez
P. Fr. Carolos de la Penna
P. Fr. Joannes Antonius Calvo
P. Fr. Franciscus Calvo
P. Fr. Joannes Arias
P. Fr. Ambrosius Valdnena
P. Fr. Andreas Martin
P. Fr. Gregorius Gonzalez
P. Fr. Fraociscus Zambrano
P. Fr. Matthias Blanco
P. Fr. Joseph a Conceptione
P. Fr. Ignatius Muha
P. Fr. Antonius Villagarcia
P. Fr. Augustinus Ronda

Fratres laici

Fr. Emmanuel Valdespino
Fr. Hiacynthos del Valle
Fr. Antooius Perez

CONVENTUI METINAE CAMPI

P. magister Fr. Julianus Martinez
P. magister Fr. Hieronymos Hernandez
P. lector Fr. Dominicus Aloisius Grando
P. Fr. Fernandos Crespo
P. Fr. Aloisius de Sancta Pazzis
P. Fr. Fraociscus Royo
P. Fr. Joanoes Villal
P. Fr. Augustinus Rodriguez
P. Fr. Matthias Revordiños
P. Fr. Joseph Silva
P. Fr. Franciscus Xaverius
P. Fr. Joannes Garcia Calderon
P. Fr. Josephus Cacho
P. Fr. Raymuodus Estevez
P. Fr. Balthassar Perez
P. Fr. Franciscos Fernandez
P. Fr. Jolianus Entero
P. Fr. Joseph Martin
P. Fr. Petrus Anton
P. Fr. Emmanoel Fuentes

Fratres laici

Fr. Michael Berben
Fr. Emmanoel Colioas
Fr. Didacus Andres

CONVENTUI SEGOBIENSI

Noster admodum reverendus pater magister Fr. Joseph Flores ex-provincialis
P. magister Fr. Emmanuel Alvarez
P. magister Joannes Baptista Gonzalez
P. Fr. Joannes Santos
P. Fr. Gabriel Martin
P. Fr. Joseph Coello
P. lector Fr. Joannes Montero
P. Fr. Joannes Cangias
P. Fr. Sylvester a sancto Stephano
P. Fr. Augustinus Vidal
P. Fr. Laurentius Segovia
P. Fr. Joseph Rodriguez
P. Fr. Dominicus Moreno
P. Fr. Matthias Revoll
P. Fr. Philippus Falcon
P. Fr. Joachim Espinosa
P. Fr. Joannes Vidales
P. Fr. Petrus Clemente
P. Fr. Felix Garcia
P. Fr. Joseph Secescun
P. Fr. Bernardus Najera

Fratres laici

Fr. Petrus Fuertes
Fr. Emmanuel Benito
Fr. Pastor Gonzalez
Fr. Jacobus Gil
Fr. Vincentius Conde

IN NOVA CASTELLA

Similia pro conventibus novae Castellae.

§. 19. Filiationes religiosorum Carmelitarum observantium respectivis conventibus Castella Novae, affilientur conventui Matritensi.

Admodum reverendus P. magister Fr. Martinus Diaz provincialis
P. magister Bernardus Residor
P. magister Fr. Jacobus Montes
P. magister Fr. Joannes Arteaga
P. magister Fr. Eugenius Jordan
P. magister Fr. Christophorus Gutierez
P. magister Fr. Gabriel Huete
P. magister Fr. Leo Gonzalez
P. magister Fr. Emmanuel Huerta
P. magister Fr. Joannes Antonius Moda
P. magister Fr. Joseph Nunez
P. magister Fr. Gabriel Gallego
P. lector Fr. Joannes Urda
P. lector Fr. Emmanuel Luna
P. lector Fr. Franciscus Cuesta
P. Fr. Emmanuel Rodrigo
P. Fr. Joseph Rugnilla
P. Fr. Joseph Romo
P. Fr. Joseph Arcos
P. Fr. Franciscus Rueda
P. Fr. Ignatius Pardo
P. Fr. Augustinus Lopez
P. Fr. Bartholomaeus Cavello
P. Fr. Thaddaeus Heroandez
P. Fr. Antonius Duennas
P. Fr. Antonius Garcia
P. Fr. Ambrosius Perez
P. Fr. Joseph Flores
P. Fr. Franciscus Yglesias
P. Fr. Benedictus Alvarez
P. Fr. Emmanuel Garcia
P. Fr. Petrus Campillo
P. Fr. Gregorius Diaz
P. Fr. Justus Ortes
P. Fr. Candidus Ruiz
P. Fr. Petrus Carrera
P. Fr. Petrus Fortuna
P. Fr. Ignatius Cruz
P. Fr. Antonius Raposo
P. Fr. Vincentius Palacios
P. Fr. Benedictus Huerta
P. Fr. Thomas Manzano
P. Fr. Prudentius Delgado
P. Fr. Aloisius Sanchez
P. Fr. Emmanuel Garcia
P. Fr. Narcisus Romero
P. Fr. Josephus Antonius Pallares
P. Fr. Hieronymus Pennalver
P. Fr. Christophorus Higueras
P. Fr. Franciscus Olias
P. Fr. Raphael Mora
P. Fr. Valentinus Matallana
P. Fr. Antonius Zenzerado
P. Fr. Emmanuel Residor
P. Fr. Petrus Mauzilla
P. Fr. Matthaeus Ruiz
P. Fr. Claudius Morago
P. Fr. Joseph Lopez Gil
P. Fr. Claudius Alvarez

Clerici

Fr. Raphael Garcia
Fr. Josephus Artejaga

Fr. Joseph de la Fuente
Fr. Joannes Antonius Alpuente

Fratres Laici

Fr. Thomas Tubar
Fr. Thomas Tbelar
Fr. Joseph Cuesta
Fr. Petrus Fajardo
Fr. Eusebius Barionuebo
Fr. Michael Royas
Fr. Vincentius Guerrero
Fr. Joseph Rodriguez
Fr. Georgius Arana
Fr. Michael Uria
Fr. Emmanuel Conde
Fr. Eulogius Deza
Fr. Petrus Fernandez

CONVENTUI TOLETANO

P. magister Fr. Didacus Cano
P. magister Fr. Joannes Freyanes
P. magister Fr. Joannes Ignatius Zurida
P. magister Fr. Vincentius Cavallero
P. magister Fr. Franciscus Montesinos
P. lector Fr. Emmanuel Rincon
P. lector. Fr. Antonius Paris
P. lector Fr. Andreas Huerta
P. Fr. Emmanuel Aguilora
P. Fr. Michael Roldan
P. Fr. Franciscus Cuebas
P. Fr. Martinus Escobedo
P. Fr. Franciscus Montes
P. Fr. Clemens Scolar
P. Fr. Ildephonsus Espadas
P. Fr. Joannes Navarro
P. Fr. Joannes Munooz
P. Fr. Gavinus Navarro
P. Fr. Matthias Carasco
P. Fr. Bernardus Cano
P. Fr. Franciscus Gavaldon
P. Fr. Didacus Ruiz
P. Fr. Joseph Criado
P. Fr. Franciscus Galledo
P. Fr. Antonius Alarcon
P. Fr. Emmanuel Cannaveral
P. Fr. Joseph Cano
P. Fr. Franciscus Patino
P. Fr. Thomas Ximenez
P. Fr. Raymundus Perez
P. Fr. Emmanuel Zerezeda

P. Fr. Petrus Calderon
P. Fr. Joannes Burgos
P. Fr. Joseph Salas

Novitius choro addictus

Fr. Joannes Christophorus Dellalamo

Fratres laici

Fr. Philippus Berito organista
Fr. Petrus Pinneiro
Fr. Antonius Sanchez

CONVENTUI REQUENAE

P. coucionator Fr. Blasius Ravadan
P. Fr. Thomas Ximenez
P. Fr. Didacus Salvador
P. Fr. Salvator Martinez
P. Fr. Iulianus Coronado
P. Fr. Hiacynthus Ybanez
P. Fr. Angelus Hzdalgo
P. Fr. Julianus Fuentes
P. Fr. Michael Rincon
P. lector Fr. Emmanuel Martinez
P. Fr. Michael Casero
P. Fr. Albertus Palao
P. Fr. Joannes Sanchez
P. Fr. Benedictus Martinez
P. Fr. Joannes Fernandez
P. Fr. Joannes Yzquierdo
P. Fr. Franciscus Maribella chorista
Fr. Eugenius Granatos
P. Fr. Antonius Briguega
P. Fr. Petrus Portillo
Fr. Eugenius Montalvo chorista

Fratres laici

Fr. Andreas Cebrian
Fr. Jacobus Cafons
Fr. Joseph Garcia
Fr. Emmanuel Penen
Fr. Emmanuel Albores
Fr. Emmanuel Saiz
Fr. Dominicus Navarro
Fr. Joseph Ximenez
Fr. Petrus Caxa

CONVENTUI ALVERCIAE

P. Fr. Franciscus Barchino
P. lector. Fr. Emmanuel Plaza

P. lector Fr. Petrus Romero
P. Fr. Stephanus Yzquierdo
P. Fr. Benedictus Sanchez de Urda
P. Fr. Vincentius Dell' Olmo
P. Fr. Bartholomaeus Rodriquez
P. Fr. Julianus Sarria
P. Fr. Antonius Valladolid
P. Fr. Emmanuel Martinez
P. Fr. Petrus Moragon
P. Fr. Franciscus a Senso
P. Fr. Antonius Gabaldon
P. Fr. Franciscus Rozarren
Fr. Joseph Garcia Casarrubios
P. Fr. Emmanuel Montes

Fratres laici

Fr. Ignatius Gomez

CONVENTUI PIELAGI

P. Fr. Cirillus a s. Bartholomaeo
P. Fr. Bartholomaeus ab Angelis
P. Fr. Emmanuel a s. Anna
P. Fr. Joseph a s. Bartholomaeo
P. Fr. Joseph a s. Theresia
P. Fr. Paulus a s. Josepho
P. Fr. Joseph a s. Catharina
P. Fr. Hieronymus ab Ascensione
P. Fr. Emmanuel a Jesu
P. Fr. Emmanuel a Vergine del Prado
P. Fr. Eulogius a s. Elia
P. Fr. Gregorius a s. Antonio
P. Fr. Melchior a s. Gregorio chorista
Fr. Petrus a Conceptione chorista
Fr. Emmanuel a Cruce chorista
Fr. Antonius a Trinitate chorista

Fratres laici

Fr. Raymundus a s. Secundo
Fr. Franciscus a ss. Sacramento
Fr. Emmanuel a s. Josepho
Fr. Antonius a Conceptione
Fr. Petrus a Solitudine
Fr. Michael a s. Josepho

CONVENTUI DE VALDEMORO

P. Fr. Franciscus a s. Francisco
P. Fr. Joannes a s. Antonio
P. Fr. Matthias a s. Elia
P. Fr. Elias a Carmelo
P. Fr. Aloisius De Remediis
P. Fr. Josephus a sancta Pazzis
P. Fr. Joannes de Christo
P. Fr. Felix a s. Joanne
P. Fr. Eugenius a s. Paschale
P. Fr. Michael de Cruce
P. Fr. Petrus Romeru
P. Fr. Bernardus Gomez chorista
P. Fr. Vincentius a s. Dominico

Fratres laici

Fr. Jacobus a Carmelo
Fr. Andreas a s. Josepho
Fr. Joseph a s. Theresia
Fr. Joannes Ortiz
Fr. Remigius a Carmelo
Fr. Joannes de Christo

CONVENTUI COMPLUTENSI

P. magister Fr. Michael de Azero cathedraticus
P. magister Fr. Franciscus Salinero graduatus
P. Fr. Raymundus Rodriguez
P. Fr. Joseph Petiego
P. Fr. Antonius Martinez
P. Fr. Antonius Piazza
P. Fr. Christophorus Velincon
P. Fr. Emmanuel Martin
P. Fr. Michael Azero, et Aldovera cathedraticus pro lingua Graeca
P. Fr. Joannes Hieronymus Palacius
P. Fr. Cosmas Seodin

Fratres laici

Fr. Andreas Crespo
Fr. Joannes Morales
Fr. Franciscus Lopez
Fr. Petrus Rodriquez

CONVENTUI DE VALDEOLIVAS

P. magister Fr. Didacus Cuevas
P. Fr. Joannes Perez
P. Fr. Elias Rincon
P. Fr. Joannes a s. Alberto
P. Fr. Franciscus Cidde
P. Fr. Joannes Alonso

P. Fr. Petrus Palacios
P. Fr. Petrus Alegria
P. Fr. Petrus Moutoja
P. Fr. Franciscus Espinac
P. Fr. Matthias Tavalera
P. Fr. Henricus Serrano
P. Fr. Paulus Abad
P. Fr. Dominicus Velez
P. Fr. Aloisius Sanchez
P. Fr. Raymundos de la Encina chorista
P. Fr. Thomas Perez
P. Fr. Joannes Malo
P. Fr. Athanasius Ponce
P. Fr. Martinus Montesinos
P. Fr. Ildelphonsus de la Encina
P. Fr. Cajetanus Cavallero
P. Fr. Raymundus Velasco
Fr. Matthias Ruiz novitius clericus

Fratres laici

Fr. Blasius Perez
Fr. Franciscus Bagas
Fr. Antonius Checa
Fr. Antonius Serrano
Fr. Leo Vindel
Fr. Celidonius Cannaveras

CAPUT XV.

Majori, quo fieri poterit studio caveatur, ne quis religiosus fraudes perpetret; quique in hoc deliquerit severe puniatur aeque ac superior, qui vigilare, et evitare hujusmodi crimina omiserit, et de doctrina, quae hac in re sit evulganda in pulpito; et confessionale.

De punitione delinquentium.

§. 20. Cum eo ipso tempore, quo sessiones praesentis definitorii habebantur, contigerit fraudem tabaci deprehensam fuisse in conventu nostro Requenae, rex dominus noster jussit, ut dominus praeses capituli de hujusmodi causa cognosceret, ea, qua par esset severitate puniret, ac encyclicas dare literas praelatis; iisdem injungendo districtam obligationem justitiae, et conscientiae qua tenentur cuncti religiosi nullimode cooperandi in hisce criminibus, quodque et in concionibus, et in excipiendis Christifidelium Sacramentalibus confessionibus doctrinam, quae illa detestatur, abominaturque, dabeant edocere; hinc dominus praeses ad singulos hujusce conventus hanc, quae sequitur epistolam misit.

Reverende pater prior

Inter caetera, quae in sacris literis, praesertim in Evangelio, et epistolis principum apostolorum magis magisque commendantur, et repetuntur obedientia, quam nostris supremis principibus praestare debemus, adnumeratur; ad exclusionem autem cujuscumque cavillationis, et effugii, nobis praecipit Paulus apostolus obedientiam, quam Nobis commendat non esse solum formidine poenae, sed propter conscientiam; omnis enim summa potestas a Deo pruvenit, et qui legitimae auctoritati resistit, ordinationi, et praecepto Deo resistit.

Divina haec doctrina expresse continetur; et commendatur in iisdem sacris literis quoad leges humanas, quae imponunt tributa; et interrogatus divinus Salvator respondit solvendum esse tributum Caesari; aliter nec status subsistere, nec tranquillitas regnorum servari, ner vera defendi posset religio, quapropter a sapiente theologo Ildephonso de Castro clandestina, et occulta tributorum solutionis subtractio error pestilentialis dicitur edocendo, non solum esse grave peccatum, verum etiam obligationem restitutionis importare.

Hac generali posita regula in materia tributorum inspiciatur modo, quantum augeatur obligatio, et conscientiae gravamen quoad leges prohibentes fraudes, quae non perpetrantur occulte, et absque periculo aliarum fatalium circumstantiarum, sed viceversa cum manifesta, et scandalosa resistentia supremi principis voluntati, cum ruina plurium familiarum, et cum imminenti vitae ipsorum fraudatorum, ac eorum, qui custodiae redditunm praesunt periculo.

Profecto non existimamus religiosos Carmelitas observantes provinciae utriusque Castellae, cujus capitulo vigore literarum apostolicarum in forma Brevis ad instantiam regis domini nostri expeditarum praefuimus, et cujus dispositio pro omnimoda rerum exigentia a summo pontifice nobis est demandata, Christifideles et in concionibus et in eorum sacramentalibus excipiendis confessionibus contrariam supradictae edocuisse doctrinam, immo nobis peculiari gaudio constet, scriptores Car-

melitas, quae superius diximus, defendisse, et magna edocuisse eruditione, et ad hoc sufficiat sapientissimus Henricus a sancto Ignatio, qui accuratissima methodo moralem theologiam conscripsit.

Magno autem moerore vidimus in conventu Requenae ejusdem provinciae repertos esse nonnullos religiosos, qui in hisce diebus receptarunt, et insumpserunt tabacum ex fraude, cujus quidem fraudis ingens quantitas fuit deprehensa; super quo praetor obligationem nostri muneris de speciali regiae majestatis mandato actu de correctione quoad praeteritum, at de providentia quoad futurum curamus.

Magno, inquam, animi moerore hujusmodi vidimus excessus; quis enim non contristaretur, inspiciendo sanctuarium in dissolutionis asylum conversum, quodque religiosi alumni, qui tantis de causis majorem fidem Deo, et regi servare debent, obedientiam utrique majestati debitam frangant?

Cognita est universis pietas, et devotio regis domini nostri in religiosos ordines sui regni, et quantis illos favoribus assidue cumulet. Nihil profecto religiosi ordines remittunt de existimatione, ac merito propriae fidelitatis, si aliqui ex suis individuis tanto honore indigni, hujusmodi perpetrent scelera. Hi autem, et praelati, qui ex negligentia, et defectu zeli, ac curae orga suos subditos, similibus criminibus locum praebent, erubescant oportet se vocari Hispanos, fideles enim non sunt supremo principi, nec illius grati beneficiis.

In actis capituli provincialis, quae una cum admodum reverendo definitorio de praesenti conficimus, occasione supradictae fraudis dabimus ea providentiae remedia, quae opportuna judicabimus; interim vero utile, et necessarium Dei, et regis servitio, atque hujus sanctae provinciae dedecori fore duximus hanc encyclicam dare cunctis praelatis, eisdem commandando, prout commendamus, quod statim ac tradita ipsis fuerit, convocent communitatem, et coram illa encyclicam ipsam perlegant, praecipiendo, et mandando, prout mandamus, et praecipimus singulis religiosis, ne in concionibus, et in excipiendis sacramentalibus Cristifidelium confessionibus acque ac in privatis colloquiis aliam doctrinam in materia fraudum praeter eam, quam supra adduximus doceant, vel defendant, imo curent eam praedicare, et Christifideles in quacumque occasione edocere, magni enim Dei servitium, et status interest utilitatem.

Pariter mandamus singulis ejusdem provinciae religiosis, ut ab ullimoda cooperatione in quacumque fraude, vel eam occultando, vel insumendo, vel favorem praestando fraudatoribus se abstineant, et religiosus, qui in hoc defecerit severe puniatur aeque ac praelatus, qui in hoc ex omissione, ac negligentia defecisse deprehendatur, at ex legitima praesumptione dignoscatur, perpetuo enim privabitur praelatus isto voce activa, et passiva, eique ulteriores pro merito culpae infligentur poenae.

Ad praemissos igitur effectus reverentiae vestrae, qua alteri ex praelatis hujusce provinciae hanc epistolam damus, qua communitati recitata, asservari eam faciet in archivio hujus conventus, nosque de exequutione monitos reddat.

Dominus noster paternitatem vestram per plures annos incolumem servet.

Datum Matriti die decima septima junii 1786.

Dominus Petrus Joachim de Murcia R. P. priori conventus N.

§. 21. Inhaerendo itaque adeo justae et debitae providentiae decernit admodum reverendum definitorium, quod in posterum perpetuo impleatur, exequutioni demandetur, atque servetur quidquid statutum legitur in eadem epistola, quae typis impressa extra provinciam regiae majestatis jussu est evulgata; quodque admodum reverendi patres provinciales in suis visitationibus investigent, verificentque, an aliquis religiosus directae, vel indirecte cooperationem praebuerit alicui fraudi, vel doctrinam oppositam illi in dicta epistola praescriptam edocuerit, religiosus autem, qui fraudis crimen admiserit, genus vetitum vendendo, emendo, insumendo, vel receptando, per triennium recludatur, cunctisque honoribus magisterii, vel jubilationis, quibus gauderat, sive frui posset, ac voce activa, et passiva perpetuo privatus existat, et in quartis, et sextis feriis, durante eodem triennio in pane, et aqua jejunet. Decrevit demum quod praelatus, qui ex omissione, et culpabili negligentia locum dederit alicui ex suis subditis, ut se immisceret in fraude, omni honore magisterii, vel jubilationis, quo gauderet, vel frui posset, ac etiam voce activa, et passiva perpetuo careat. Si ve- Confirmatio decreta per definitorium.

ro ad sui pervenisset notitiam subditum perpetrandae fraudi operam dare, nec eum redarguisset, et castigasset impediens quominus dicta fraus insumeretur, in hujusmodi casu dictus praelatus easdem incurrat poenas, quae statutae sunt contra delinquentem illum, qui emit, vendit, insumit, vel receptat fraudem, et semper praelatus iste ultimus sedeat inter sacerdotes illius conventus, in quo sedem habeat: hae autem poenae irremissibiliter infligentur, sublata admodum reverendis patribus provincialibus, et definitoriis super his dispensandi, easque poenas imminuendi facultate.

J. M. J.

Decretum praesidis capituli provinciae utriusque Castellae fratrum Carmelitarum observantium complectens studiorum methodum in posterum servandam, aliaque hoc idem respicientia, et praesertim super jubilationibus, caeterisque cathedrae, et pulpiti gradibus.

De methodo studiorum. §. 22. Methodus studiorum, ad dispositiones ad illam spectantes in provincia fratrum Carmelitarum observantium utriusque Castellae in exequutionem plurium literarum apostolicarum, et pro exigentia status, et circumstantiarum ejusdem provinciae implendae, et observandae.

Dominus Petrus Joachim de Murcia, et Cordova archidiaconus sancti Philippi dignitas sanctae metropolitanae ecclesiae Valentinae a consiliis regiae majestatis in supremo Castellae senatu, collector generalis spoliorum, et vacantium ecclesiarum in hisce regnis exartor generalis mediarum annatarum ecclesiasticarum in iisdem, et Indiarum regnis generalis administrator fundi pii beneficialis, et praeses, vigore apostolici Brevis ad instantiam catholici regis expediti, capituli provinciae fratrum Carmelitarum observantium utriusque Castellae.

Cum pro executione, et debita observantia apostolici Brevis sanctissimi domini nostri Pii papae sexti ad instantiam catholicae majestatis diei 19. aprilis anni MDCCLXXXV. expediti non solum praedicto capitulo provinciali praefuerimus, praescriptis in illo iis providentiis quas congruas judicavimus, verum etiam, ut exactae adimpleremus quidquid ab ipsa Sanctitate Sua nobis praecipiebatur peragendum, et exequi faciendum caetera, quae sint, vel forent quomodolibet necessaria pro bono ejusdem provinciae regimine, solerter omnino curaverimus nos constructos reddere de ejus spirituali, et oeconomico statu, et gubernio, ac etiam de studiis, et literariis exercitationibus, jubilationibus, et gradibus, nec non de generalibus ordinis constitutionibus, ac de apostolicis decretis ad id pertinentibus; cognitis, quae oeconomicum, et spirituale respiciunt, admodum reverendo definitorio nonnulla valde quidem considerato digna proposuimus, super quibus ejusdem definitorii deliberationes, et resolutiones emanarunt a nobis vigore nostrarum facultatum decreto diei 12. hujus mensis approbatae, et confirmatae. Hoc posito, et considerantes majori providentia, et sedulitate curandum esse pro utriusque majestatis servitio, honoro provinciae, et publica utilitate de methodo, et tempore studiorum, cursuumque literariorum quos in posterum decet expleri ab alumnis religiosis hujus provinciae, nec non de modo, et circumstantiis, quibus jubilationes, et gradus sint assequendi; ut id tuto assequi possemus, varias cum admodum reverendo definitorio conferentias habuimus, in quibus sequentes animadversiones factae sunt.

Et primo animadversum est exiguum, vel nullum literarum humaniorum, quod pluribus ab hinc annis in provincia peractum est studium, ex quo gravia quidem damna profecta sunt, siquidem adolescentes novitiatum, et deinde philosophiae studium in latinitate parum instructi inchoantes, plerique eorum fastidiunt aridam philosophicarum scholasticarum rerum lectionem, literasque negligunt ob non gustatam perfectam literaturam, tabescunt optima ingenia, quae in suas successive propagassent cognitiones, et literis amoeno humaniorum studio se applicassent, praestantissima utique evasissent.

Perpensum est in cunctis ecclesiae saeculis quamplures ex praestantioribus viris in sacris literis fundamentum, et principium hausisse ab humanioribus, in quibus et praestantissimi erant; qua quidem veritate in sanctorum patrum, qui humaniores literas summopere laudarunt, easque magni fecerunt, scriptis aperte cognita, notari poterunt, postremis temporibus eximii in singulis theologiae facultatibus magistri, in quibus sublimitas scientiae sacrae super fundamento humaniorum literarum firmata videbitur, et inter caeteros qui medium

afferri possent, fr. Ludovicus de Granada, Fr. Melchior Cano, et fr. Ludovicus de Leon suffi cient.

Hinc est, quod constitutiones ordinis parte prima capite XVIII. singulis praelatis sub poena privationis ab officiis praecipiunt, ut in conventibus urbium, aliorumque locorum magistros grammaticae religiosos, vel iis deficientibus, saeculares instituant, qui novitios, caeterosque adolescentes grammaticam edoceant, ut bene instructi evadant.

Ad id accedit quod cum adeo congruum, et conveniens sit statui religioso praedicationis munus, difficillime munus hoc cum laude impleri possit absque studio rhetoricae, magni enim sancti patres, Graeci, et Latini illam faciebant.

Sapienter hinc reverendissimus pater fr. Emmanuel Maria Trujllo ordinis sancti Francisci actualis dignus commissarius pro Indiis, cum provinciae Granatensis moderator existeret, paucis ab hinc annis in illam literarum humaniorum perfectae latinitatis rhetoricae, et poeseos studium invexit, felici adeo successu, qui ex publicis exercitationibus a pluribus religiosis adolescentibus illius provinciae peractis et deinde typis impressis apparet.

Secundo animadversum est nullum studium, quod in aulis provinciae expletum est, et expletur Graecae, et Haebraicae linguarum adeo utilium ad intelligentiam sacrarum literarum, licet enim exiguo ab hinc tempore honori sibi attribuerit provincia, suos habere religiosos in cathedris linguae Graecae in duobus insignibus universitatibus Salamantina nempe, et Complutensi, quorum alter anno proxime praeterito diem clausit extremum alter vero hactenus cathedram moderatur, hoc tamen evenit ex peculiari utriusque religiosi applicatione, non autem ex instructione illorum in provinciae studiis demandata.

Quod quidem respiciendum valde est, non solum, quia provincia habet conventus, ubi consistunt enunciatae universitates, in quibus linguae praedictae docentur, verum etiam, quia earum studium in variis apostolicis decretis injungitur, et praecipitur in constitutionibus ordinis peculiari praecepto, et praeferentia per ea, quae sequuntur verba — *Itidem* inhaerendo decretis felicis recordationis Pauli papae quinti, et sacrae congregationis de Propaganda Fide instituimus, et mandamus, ut in singulis conventibus, in quibus religiosi nostri artibus, et theologiae student, stabiliantur, et sedulo serventur studia linguarum exterarum scilicet Illyricae, Graecae vulgaris, Haebraicae, Arabicae, caeterarumque, designando magistros, qui eas doceant, et discipulos, qui eas addiscant. Ac ut singuli majori hilaritate, et diligentia ad hujusmodi studia incitentur r. p. generalis ad tramites decreti sacrae congregationis curabit, ut in promotionibus ad munia, gradus, et dignitates ordinis illi, qui sese exercuerint in eodem studio linguarum paribus concorrentibus circumstantiis praeferantur eis, qui studio hujusmodi operam non dederint.

Tertio animadversum est exiguum esse tempus duodecim annorum, quod de more provinciae sufficit ad acquirendas cathedrae, et pulpiti jubilationes, et magisteria, ex hoc enim provenit maximus numerus illorum, qui a frequenti assistentia choro se eximunt, et multiplicatio inviduorum communitatis ultra vires conventuum ne deficiant, qui hebdomadae, caeterisque oneribus satisfaciant, dum plures individui in aetate ad laborandum magis accommodata eximuntur.

Hi abusus et praejudicia ab eo comprobantur, quod de praesenti accidit in hoc Matritensi conventu, in quo actu quatuordecim jubilati cathedrae, et quinque pro pulpito resident, ita ut exceptis his ratione proprii privilegii exceptisque etiam quatuordecim quadragenariis ab habitus susceptione, nec non officialibus conventus, in communitate quinquaginta trium sacerdotum, duodecim tantum hebdomadarii supersunt.

Quarto demum animadversum est, praedicationis munus in tanto pretio non fuisse, quod illius merito conveniat, si congrua dignitate fungatur: pro illo enim minor non requiritur instructio, quam pro lectura theologiae, cujus magisterium totam, vel fere totam attentionem promeruit; nam pro dicto praedicationis munere praeter superius adnotatam institutionem exiguntur aliae naturales, et acquisitae dotes, quae praestantibus theologis possunt deficere. Ab hujusmodi autem inferiori aestimatione gravissimae promanant incongruentiae cum pauco ordinis decore, et magno Ecclesiae praejudicio, non enim sunt multi, qui studeant, et adlaborent pro assequenda instructione, et dotibus ad sublime adeo, et utile ministerium necessariis.

Hisce igitur, pluribusque aliis in definitorialibus conferentiis, quibus interfui, ponderatis, et utendo facultatibus per enunciatum apostolicum Breve nobis tributis ad disponendum, exequendum, exercendum, et exequi faciendi quidquid sit, vel foret quomodolibet necessarium, pro bujusce provinciae regimine, prae oculis habentes Brevia, et decreta apostolica, quae id concernunt, et praesertim enunciatum Breve nuncupatum *Tripartita* sub datum 21 februarii 1783. injungimus, et mandamus, ut in hac provincia capita, et quae sequuntur dispositiones perpetuo serventur, impleantur, et exequutioni demandentur.

I. In novitiatu curent magistri, ut novitii singulis diebus saltem per horam, et si fieri possit per duas horas in studio Latinae linguae se exerceant.

II. Emissa professione, studio litterarum humaniorum, et Graecae, ac Haebraicae linguarum religiosi operam dent, quo lo studio per trieonium se occupent, insumptis primaevis mensibus decem, et octo in grammatica Latina, rhetorica, et poesi perfecte addiscenda; reliquis vero decem, et octo mensibus, quin negligatur studium praesertim rethoricae in deliberandis principiis, at syntaxibus linguarum Graecae et Haebraicae: superata enim tali modo gravi difficultate horum idiomatum, poterunt deinde juxta cujuslibet individui inclinationem in illis summopere proficere.

III. In primo anno cum dimidio studeant rhetoricae juxta elementa patris Calixti Hornero Scholarum Piarum, vel alterius brevis, et methodici auctoris; memoriae mandent discipuli artem poeticam Horatii, quae quam plura principia ad recte sententiandum accommodata, et excellentes philosophiae, tum vitae civilis sententias complectitur, simulque ipsis aliqua ex bonis hujusmodi operis interpretationibus ostendatur, praesertim, quae a D. Thoma de Triarte confecta est, eximia plane, et notis instructa per quam appositis. Perlegendae ipsis dentur selectae orationes, et declamationes Ciceronis et opera Sallustii, Titi Livii, aliorumque bonorum auctorum, et explicata prius illis mensura, et numero praecipuorum metrorum latinae poeseos, perlegendi pariter illis porrigantur aliqui ex melioribus poetis, praesertim Virgilius, et Horatius, ac curetur, ut videant aliquot partes operum utriusque auctoris a magistro fr. Ludovico de Leon vernaculo sermone redditas, uti etiam aliquos psalmos, et capita Job ab eodem eximio viro in carmina Castellana conversa, ipsisque indicetur in illis operum latinorum partibus tam versu, quam soluta oratione, in quonam consistat excellentia, lepor, et elegantia, hic enim est melior docendi modus, prout admonet sapiens Rollin in tractatu de studiis, curentque magistri, ut ab ipso exordio, durante hujusce studii tempore in familiaribus colloquiis religiosi adolescentes latine loquantur emendate tamen, et eleganter, quin diversi tractatus Ludovici Vives ad hujusmodi materiam spectantes haud parum conducunt, et praesertim ille cui titulus *Exercitatio linguae latinae*, *et alter de conscribendis epistolis*, et postquam fuerint in Latina lingua sufficienter exercitati, lucubrationes exarent eloquentes in materia morali, et sacra, dividendo partes cujuscumque lucubrationis, ipsasque explicando, uti etiam opportunam troporum, et figurarum juxta argumentum applicationem, cujus rei causa methodus, et exempla rhetoricae ipsis inservient.

IV. Illico destinentur duo instructi religiosi, unus pro antiqua, et alter pro nova Castella, qui jam philosophiam legerint, quorum unus ad Complutensem conventum, alterum ad Salmaticensem continuo se conferat, ut in linguis Graeca, et Haebraica se instruant, quo in studio, itemque in literis humanioribus tres annos insumant, hocque tempus, et illud per quod legitimis muniti patentalibus literis philosophiam docuerint ipsis pro quindennio necessario ad obtinendam jubilationem, et magisterium erit computandum.

V. In praedicto triennio non inchoetur in provincia philosophicus cursus, et choristae qui dictae facultati sub lectoribus legitime institutis actu non studeant, choristae inquam veteris Castellae ad Salmanticum, qui autem ex nova sunt ad Complutensem respective conventus proficiscantur, ut per idem tempus magistris praefixum praedictarum linguarum, literarumque humaniorum studio incumbant, et utrique vivant sub directione antiquioris ordinis magistri, qui in quacumque ex praefatis universitatibus sit cathedraticus.

VI. Choristae, qui tam in veteri, quam in nova Castella sub lectoribus legitimas patentales habentibus philosophiae studio actu incumbant, expleto cursu, choristae itidem veteris Castellae Salamanticam, reliqui autem Com-

plutum contendant, ut per reliquum triennii tempus praefixi pro illis, qui magistri esse debebunt, literarum humaniorum, et linguarum studium prosequantur, tum rursus choristae veteris Castellae ad Segobiae, caeteri e nova ad Matriti respective coventus una cum suo magistro pergant ibi explendo triennium literarum humaniorum, et linguarum, et hi duo conventus pro hujusmodi studio perpetuo designati sunt.

VII. Ita absoluto literarum humaniorum, et linguarum studio inchoent discipuli curriculum philosophiae, cui per aliud triennium incumbent, utentes per duos primos annos interea, ut usque dum melior non prodeat cursu philosophico ab Altieri conscripto, in postremo autem anno praeter repetitionem cursus praefati studeant alicui compeodio philosophiae moralis illi ex: gr: a Petro Schwann confecto, vel alii huic simili, in quo clara, et scholastica methodus effulgeat; et perpetuo itidem destinati sunt pro domibus philosophiae in nova Castella Requenae, et in veteri nostrae Dominae de los Valles respective conventus, ac inter eos pro proportione sine differentia trium collegiorum provinciae dividantur discipuli.

VIII. Expleto philosophiae cursu per sexennium vacabunt studio theologiae, scholasticae, et moralis divisi in conventus, Compintensem, Toletanum, Salamantinum, et Vallisoletanum, et in unoquoque ipsorum duo tantummodo erunt theologiae lectores, unus pro scholastica, quae matutinis, et alter pro morali, quae vespertinis respective horis tradi debent: sequentur vero pro nunc quoad primam cursum Carmelitae Gaucci, et quoad secundam cursum Henrici a sancto Ignatio, nisi aliquod obvenerit impedimentum, vel alterius auctoris bonae moralis, et in quolibet cursu, qui, ut supra dictum est, ad sexennium extenditur in schola moralis detur juris canonici compendium, idque interea poterit esse, quod a patre Remigio Maschat Scholarum Piarum est exaratum; jus enim canonicum firmum est moralis theologiae fundamentum, et nusquam in quocumque alio conventu aliae cathedrae theologiae scholasticae, vel moralis esse debent.

IX. Absente, et infirmitate detento aliquo ex lectoribus theologiae, vel philosophiae, et humaniorum literarum magister studentium, qui pro quolibet ex dictis cursibus eligetur non aliter nominandus, quam hactenus factum est, vices illius suppleat, quin tempus magisterii studentium ad jubilationem ei suffragetur, id tamen pro speciali merito ipsi erit assequendam cathedram, si durante hujusmodi magisterii munere fungatur suo exacte praesidendo conferentiis ad eumdem spectantibus, discipulosque instituendo sollicite omnino, et diligenter respectivum lectorem coadjuvando.

X. Ad praescriptum constitutionum ordinis in singulis conventibus, in quibus literarum humaniorum, vel philosophiae, aut theologiae adsit studium, construantur professoria, sive mansiones professis, ubi studentes, durante toto studiorum tempore, vel saltem usque dum presbyteri sint seorsum a reliqua communitate vivant; cum enim districta clausura, et abstractio, ratio, et via utilissima sint non solum ad bene vivendum, sed etiam ad proficiendum in literis, decet eos durante toto tempore studii superius praefinito in professorio immorari.

XI. In dictis professoriis versari debent et lectores, et magistri studentium, ac inibi lector antiquior, et ipso deficiente, qui in antiquitate ei proximus est, utrisque autem deficientibus, magister studentium praesideat.

XII. Absoluto triennio studii literarum humaniorum coram admodum reverendo patre provinciali, magistris pulpiti, et cathedrae lectoribus actualibus domus, et concionatore conventuali conventus per eumdem admodum reverendum patrem provincialem designandi, qui quidem conventus omnino esse debet domus studii theologiae studentes religiosi concursum expleant, adnotatis in libro huic rei destinato censuris, quas unusquisque proferet, idemque servetur expleto philosophiae, et theologiae respective studio; praedictae autem censurae ab admodum reverendo patre provinciali, ejusque secretario, aliisque examinatoribus debeant subscribi, et in illis major eorumdem judicum suffragantium numerus praevaleat.

XIII. Singuli choristae ad studium cogantur, quique in literis humanioribus, et linguis minime profecerint ad eumdem cursum explendum rursus compellantur, et ita intelligatur quoad philosophiae, et theologiae cursus, licet religiosi praedicti in sacro presbyteratus ordine constituti reperiantur, eos poenia pro merito cogendo, ut studeant poena numquam alicui inflicta privationis, cursus literarum, poterunt tamen cathedrae, et pulpiti exercitio privari, qui ob malam vitae ratio-

nem; vel abstractionem à studio ministerii hujusmodi privari, et expoliari meruerint.

XIV. Cum sit deputandus lector literarum humaniorum, et linguarum pro veteri, et alter pro nova Castella, hujusmodi nominatio fiat in religioso filio alterius ex conventibus respective Castellae, et hoc idem servetur quoad geminos philosophiae lectores, utque quantum fieri possit tripartita distributio vigeat, illi collegio novae Castellae, cui non sit lector literarum humaniorum, vel philosophiae assignetur omnino una ex octo theologiae cathedris jam praestitutis ultra designatas collegio Vallisoletano, quod est in veteri Castella; hoc enim collegium juxta superius praescripta habere debet duas cathedras, alteram literarum humaniorum, et philosophiae alteram: si quod verò ex duobus praedictis collegiis novae Castellae remaneret sine cathedra literarum humaniorum, et philosophiae, ipsi dandi erunt alii duo ex octo praenotatis lectores theologiae, quo in tribus collegiis numeri cathedrarum aequalitas servetur.

XV. Lectores literarum humaniorum, et linguarum aeque ac illi philosophiae tres cursus continuatos, scilicet per novem annos in supradictis facultatibus expleant omnino antequam theologiae cathedram conscendant, tali methodo viri hujusmodi facultatibus versati minime deficiant. Effluxo vero novennio theologiae cursum incipiant per sexennium tantummodo duraturum, necessarium utique ad complementum quindennii pro magisterio obtinendo in prima ex qualibet cathedra utriusque Castellae, quae sit vacatura, nulla habita differentia; nulloque concursu, ac praelatione data in casu concurrentiae antiquiori in religiosa professione.

XVI. Jubilationes, et magisterio in futurum pro pulpito aeque, ac pro cathedra obtineantur, ea tamen adjecta necessaria conditione, ut concionatur conventualis in unoquoque assignati quindennii annos triginta saltem conciones methodo, et doctrina approbatione dignas habuerit; quoad numerum vero concionum a suo respectivo priore quotannis testimonium accipiet, et admodum reverendus pater provincialis, et definitoria certiora se reddant, qua ratione libuerit in conciones, vel sermones sint doctrina, et spiritu probabiles.

XVII. Ad obtinendas jubilationes; et magisterio pulpiti sit quoque conditio necessaria, ut concionatores fuerint conventuales saltem per sexannium in aliquo ex conventibus, nempe Matritensi, Toletano, Segobiensi, Abulensi, Vallisoletano, Salamantino, et Complutensi, in quibus aeque ac in reliquis provinciae conventibus unus tantum concionator conventualis esse possit.

XVIII. Ut quis assequatur titulum concionatoris conventualis in aliquo ex supradictis conventibus statim ac vacatio occurrat, fiat concursus coram admodum reverendo patre provinciali ejusque secretario, patribus magistris cathedrae, et pulpiti lectoribus theologiae, et concionatore conventuali illius conventus ubi concursus instituitur, qui quidem conventus domus studii theologiae necessario esse debet. Huic autem examini poterunt etiam concionatores conventuales aliorum conventuum se se subjicere, qui examinentur in oratoria sacra, et rursus super libris canonicis utriusque Testamenti, et controversiis quoad eorum authenticitatem, super sensibus divinae Scripturae aeque, ac super translationibus majorem habentibus authenticitatem, et sanctis patribus, qui super aliquibus ex libris sacrarum paginarum scripserunt, denique super interpretibus majoris notae. Interrogationes vero et responsa sint in scriptis. Denum in praefinito viginti quatuor horarum termino conficiant oportet brevem orationem de argumento ipsis proposito, quam quidem scriptam tradant, illamque coram examinatoribus proferent ad hoc, ut hi dotes exteriores, quibus unusquisque sit praeditus, valeant dignoscere, quin oportaat, ut concio haec memoriter recitatur, et praedicatura vacans per majorem suffragiorum numerum conferatur.

XIX. Jubilationes, et magisteria quoad lecturam enunciatarum facultatum, literarum humaniorum, philosophiae, ac theologiae, et quoad pulpitum sint aequalia, et absque ullo honoris voti in capitulo; caeterorumque praerogativorum discrimine. Inter graduatos autem in hujusmodi facultatibus, et in pulpito antiquior praecedat, et hoc ordine servato, connumerentur absque differentia cathedrae, et pulpiti novem magistri antiquiores cujuslibet ex utraque Castella, qui votum habere debent in capitulo provinciali, exclusis, prout usque adhuc exclusi fuerunt concionatores, qui jubilationem obtinuerint, et obtineant, quin studium concursus examina, et reliqua quoad

futurum, ut supra praescripta minime expleverint.

XX. Ad assequendum magisterium cathedrae aeque, ac pulpiti quindennium lecturae, vel praedicationis conventualis modo superius adnotato praecedat oportet, quique actu legunt theologiam legitimis muniti patentalibus literis prosequi debent in conventibus, in quibus existunt usque dum praefinitum quindennium expleatur, quod pariformiter explere debent actuales concionatores de conventu pro sua jubilatione, quae nullam differentiam ab illa, quam usque adhuc obtinuerunt, praeseferat. Magisterium autem praedictum pulpiti obtinebunt, qui in posterum cursum literarum humaniorum, et linguarum, philosophiae, et theologiae fuerint prosequuti, praevio examine in cunctis hisce facultatibus, et dummodo praedicationis munere in praefatis conventibus fungantur, idque juxta superius disposita.

XXI. Cum per quindennium igitur facultates literarum humanarum philosophiae, et theologiae, methodo ut supra praescripta legerint, ac cursum pulpiti fuerint prosequuti absoluto duodecimo anno studii literarum humanarum philosophiae, et theologiae, et peractis competentibus examinibus, sic in posterum magisterium cathedrae, et pulpiti obtinebunt; in proximo quippe definitorio provinciali erit in primis declarandum candidatum, seu postulantem omnia ad obtinendum magisterium adamussim exolvisse; subinde provincialis intra quindecim dies omnimode a facta declaratione hujusmodi computandis per eum, qui erit ab epistolis sui officii provincialis mittet magistro generali ordinis pro tempore existenti exemplar ejusdem declarationis manu propria signatum, ac interim in libris sui officii hujusmodi diem, in qua exemplar hujusmodi ordinario tabellario traditum fuit, accurate adnotabit. Quod si intra quadrimestre ab hac die computandum proxime futurum magister generalis omiserit literas patentales novi magistri dare, tunc provinciales literas hujusmodi ab eo, qui est ab epistolis provinciae signatas, nullo soluto stipendio, concedet; ita tamen, ut candidatus a conventu, in quo commoratur minime discedet, sed in utroque eventu de mano prioris conventus hujusmodi nulla soluta propina, aut facto sumptu, aut servata solemnitate gradum hujusmodi suscipiet, ac ubi contingat, patentales hasce literas, ut praeferatur, dari, a provinciali tunc haec omnia ab eo peragi censetur veluti delegatus a magistro generali in vim absolutae delegationis ab hisce statutis auctoritate apostolica confirmatis praesumptae.

XXII. Si quis religiosus provinciae obtineret, vel obtinuisset cathedram cujuscumque classis literarum humaniorum ex. gr. philosophiae moralis, et linguae Graecae, et Haebraicae in aliqua ex universitatibus, scilicet Salamantina, Vallisoletana, et Complutensi, idemque intelligendum est de philosophia scolastica theologia, jure canonico, sacra Scriptura, vel alia qualibet facultate, lingua, vel scientia, pro qua in dictis universitatibus cathedra existat, semper ac verificetur legisse per quindecim annos scholasticos in universitate, magisterium ordinis assequatur, cum iisdem honoribus, voto, et praerogativis aeque, ac religiosi, qui in ipso ordine per simile tempus cursus cathedrae, et pulpiti, ut supra statutum est explent. Et pro relato quindennio ii etiam computentur anni, per quos jam legerit in cathedra ordinis, licet hoc contigerit in facultate distincta ab illa quam in universitate docuerit.

XXIII. Si qui religiosi confessarii, licet cursum concionum conventualium non fuerint sequuti, sint tamen probatae vitae, et doctrinae, ac quadragenario majores dedicare se vellent sancto missionum exercitio, pariformiter examinentur, et accedente approbatione, pro majori suffragiorum parte, proficisci valeant ad hujusmodi sanctum exercitium, dummodo solus non pergat, et veniam domini episcopi in cujus dioecesi habendae sint missiones obtinuerint, et quatenus in missionibus praefatis per viginti annos continuatos, vel interpolatos, et quotannis per duos saltem menses continuatos se se exercuerint, quod constare debeat testimoniis parochorum respective locorum magisterium pulpiti cum iisdem praerogativis aeque ac caeteri magistri obtineant.

XXIV. Admodum reverendi patres provinciales nulli religioso, qui literarum humaniorum philosophiae, et theologiae concursum seu appositiones cum approbatione non substinuerit, patentes literas concionatoris valeant concedere.

XXV. Licentias itidem pro confessariis dare nequeant nisi postulantes fuerint examinati, et approbati majori suffragiorum parte in aliqua ex domibus studiorum.

XXVI. Denique in posterum duo antiquiores confessarii vocem non habeant in capitulo. Experientia enim comprobavit graves molestias, at vitae periculum, quod in itineribus subire cogebantur, ipsi enim in valde provecta aetate necessario constituti esse debent.

Quidquid igitur statutum legitur in anterioribus XXVI. capitibus utriusque majestatis servitio, majori hujus sanctae provinciae decori, publicaeque utilitati congruum esse dignovimus, hinc, utendo facultatibus nobis attributis, mandamus, ut in posterum quidquid in praedictis XXVI. capitibus continetur, quin in toto, vel parte ullo modo variari possit, perpetuo servetur, impleatur, et executioni demandentur. Tempore autem opportuno admodum reverendo definitorio hoc decretum intimabimus, at significabimus. Datum Matriti 14 augusti 1786.

D. Petrus Joachim de Murcia

Magister Fr. Franciscus Perez secretarius capitularis.

Confirmatio apostolica.

§. 23. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memoratus Karolus rex catholicus quo, ut praefertur, in capitulo gesta nullo umquam tempore obliterari possint, ac praeinserta capitula, ac decretum firmius subsistant, et serventur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere desideret, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui rectam dictae provinciae administrationem, et felices progressus sinceris exoptamus affectibus, piis dicti Karoli regis catholici votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, omnes, et singulas personas, quarum favore praesentes Nostrae literae concernunt, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, omnia, quae in dicto capitulo provinciali gesta esse noscuntur, seu non praeinserta capitula, et decretum, ac quaecumque in eis contenta auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis infirmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea, ut facilius omnia, et singula in dictis capitulis, et decreto disposita exequantur, ejusdem Karoli regis catholici precibus etiam hisce desuper porrectis suffragantes, eidem Petro Joachimo de Murcia, nec non dilectis filiis Idelphonso Camacho archidiacono de Talavera ecclesiae Toletanae, et a confessionibus dilectissimi filii Nostri principis Asturicensis, et magistro Francisco de Azedo a Torres praelato Nostro domestico; ac canonico ejusdem ecclesiae Toletanae, ac altero ex consiliariis regii consilii Castellae de quorum fide, prudentia, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus per praesentes in earumdem Nostrarum literarum exequutores ad quinquennium auctoritate apostolica constituimus, et deputamus, illisque propterea per easdem praesentes committimus, ac mandamus, ut omni diligentia, ac sedulitate quaecumque in praeinsertis capitulis, ac decreto disposita sunt, a fratribus dictae provinciae solerter adimpleri, ac exequi procurent. Nos enim eis praeter omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa capitula, et decretum, et circa illa, quae ad optatam observantiam ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quae pro locorum, ac rerum circumstantiis componere, et constituere pro illorum prudentia magis in Domino salubriter expedire conspexerint, facultatem; quam illis auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur; illis insuper durante quinquennio praedicto jus omnes, et singulos scientiarum, quae in dicta provincia docebuntur, lectores nominandi auctoritate, et tenore praedictis concedimus, et impertimur.

Mandatum de observando statuta, et poenae contra inobedientes.

§. 24. Mandantes propterea omnibus, et singulis prioribus, superioribus, fratribus, aliisque personis provinciae, et ordinis praedictorum in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis Nostrae, aliisque arbitrio Nostro infligendis poenis, ut memoratis Petro Joachimo, Idelphunso, et Francisco in praemissis omnibus, et singulis prompte pareant, et obediant, illorumque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenas, quam, seu quas ipsi rite tulerint, seu

statuerint, in rebelles ratam, seu ratas habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 25. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscum que judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 26. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; nec non provinciae, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die octava julii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 18. julii 1788. Anno XIV

DCCVIII.

Confirmatio, et approbatio codicis legum, et statutorum pro recta administratione archigymnasii Romani.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Postquam divinae sapientiae consilio ad Ecclesiae catholicae per universum orbem diffusae regimen, nullis licet meritorum Nostrorum suffragiis, evecti fuimus, ex eo tempore Nos, divina afflante gratia, nedum de iis specialem curam suscipere non destitimus, quae, sicut officii Nostri ratio praesertim postulat ad divinum ubique cultum promovendum, Ecclesiae disciplinam incorruptam servandam, ac animarum Christifidelium sollicitudini Nostrae concreditarum salutem procurandam maxime cognovimus pertinere; verum etiam a Nobis ea desiderari passi non sumus, quae ut temporali Nostrorum in primis huic sanctae Sedi subditorum bono consulere tur apprime necessaria esse intelleximus.

Memorantur quae in utilitatem ipsius archigymnasii fuerint ordinata.

§. 2. Quamobrem suavissimos, atque uberes fructus a viris literarum scientia praeditis in agro Dominico in dies produci, atque tum pro spiritualium, tum etiam pro temporalium rerum administratione in hac vita tenebris, et ambagibus plena utilem, immo necessarium esse illarum usum serio perpendentes; nec non Romanorum pontificum praedecessorum Nostrorum, et praesertim felicis recordationis Leonis pp. X. et Benedicti pp. XIV., qui vel ob auctum in hujus almae urbis Nostrae archigymnasio, et studio generali antecessorum numerum, vel ob praescriptas in eo leges de literis, ac studiis sunt optime meriti, exempla animo revolventes, quoties Nobis occasio oblata est, excitandi studiosam juventutem, ut omni diligentia, ac sedulitate scientiis vacaret, illam libenter tenuimus, eoque facile omisimus. Hinc tres novas cathedras in eodem archigymnasio, de locis scilicet Theologicis, de arte Obstetricia, et de Chirurgia practica, et forensi novissime ereximus; ac etiam desideriis, quae ad ipsius archigymnasii utilitatem pertinere dignoscuntur congruum praestandum esse suffragium arbitramur.

Collegio advocatorum consistorialium competit jus condendi statuta pro eodem archigymnasio.

§. 3. Dilecti siquidem filii collegium advocatorum consistorialium, quibus juxta fel. rec. Sixti pp. V. Clementis pp. VIII. Alexandri pp. VII., et Benedicti pp. XIV. praedecessorum Nostrorum concessiones competit statuta, ed ordinationes pro meliori ejusdem ar-

chigymnatii regimine, et administratione condere, facere, et publicare, atque illa, seu illas toties quoties aisdem, seu eorum majori parti expedire videbitur mutare, et innovare, exponi Nobis nuper fecerunt, quod dilectus filius Carolus Aloisius Constantinus sacrae consistorialis aulae, ei pauperum advocatus, ac dicti archigymnasii rector deputatus, ut Nostrae suffragaretur voluntati, tum ex antiquis, et vigentibus, tum ex novis dicti archigymnasii legibus, quas Nobis annuentibus, propositis novis praemiis illis, qui in litarariis quotannis iterandis periculis victores evasissent, praescripserat, approbantibus etiam duobus advocatis consistorialibus, dilectis nempe filiis magistro Prospero Bottinio utriusque signaturae Nostrae referendario, et altero ex praelatis ponentibus congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium super consultationibus civitatum, terrarum, et locorum status Nostri ecclesiastici auctoritate apostolica deputatorum, ot Josepho Benetti fisci, et camerae apostolicae advocato, quos sibi in consilium ab initio usque sui rectoratus assumpserat, novum concinnavit pro recta ipsius archigymnasii administratione legum, ac statutorum codicem tenoris; qui sequitur videlicet.

REGOLAMENTO DELL' ARCHIGINNASIO ROMANO

Memorentur pontificum beneficentiae erga Romanam universitatem.

§. 4. Gl' insigni benefizj accumulati dalla Santità di nostro signore felicemente regnante sulla Romana università dimostrano all' evidenza, che se devesi a Leone X. la ristorazione, ed a Benedetto XIV. la riforma; a Pio VI. si deve la perfezione dell' archiginnasio Romano. Le scuole collocate tutte ad un piano per servire al decoro, ed al comodo dei professori, e delli studenti: la tranquillità restituita con rinnovare efficacemente la proibizione d' ogni strepito nella strada soggetta: le regole ristabilite nella loro esatta osservanza: il calendario adattato al pubblico vantaggio: le ore, e le materie divise in guisa, che tutto possa insegnarsi con ordine senza complicazione di tempi: gli sperimenti chimici, e fisici, le dimostrazioni anatomiche, e botaniche, e le operazioni di chirurgia distribuite nei giorni vacanti, acciocchè servano al profitto dei giovani senza distrarli dalle lezioni catedratiche; e finalmente la nuova fondazione delle tre cattedre quotidiane dei luoghi Teologici, dell' Ostetricia, e della Chirurgia anche forense, formano un complesso di beneficenze, che esigono dal pubblico un' eterna gratitudine, e dalli studenti un impegno costante per trarne il corrispondente profitto.

Etiam collegia urbis nonnihil condendum duxerunt favore eorum qui studia colunt in archigymnasio Romano

§. 5. L' esempio del sovrano ha risvegliato in tutti lo zelo di contribuire a gara all' eccitamento della studiosa gioventù. Il collegio rettorale degli avvocati concistoriali, ritenuto fermo il solito premio annuo delle quattro lauree ad onore, due in legge, una in s. teologia, ed una in medicina, ha stabilito di addottorare gratis a titolo di premio tutti quelli, che compito il corso legale saranno approvati nell' esame da farsi dai professori della classe, che hanno generosamente rondonati tutti gli emolumenti dovuti loro dagli addottorandi: ha voluto altresì, che si conferiscano gratis nel modo suddetto li rispettivi magisterj di premio nella facoltà criminale, nelle arti, e nelle lingue; ed al premio della medaglia d' oro per l' ostetricia ha aggiunto un premio con un' attestato onorifico per la chirurgia. L' insigne collegio theologico si è ancora egli segnalato, decretando il gratuito dottorato di premio a tutti quelli, che compito il corso delle materie sagre, si presenteranno all' esame, e saranno ritrovati degni d' ottenerlo. E se l' eccellentissimo collegio Medico, atteso il corso triennale della sua facoltà, non ha potuto fare altrettanto, ha voluto però aggiungere al solito dottorato ad onore una laurea di premio da conferirsi ogni anno a quel soggetto, che nel concorso alla laurea ad onore si troverà degno di questa seconda onorificenza.

Divisio statutorum.

§. 6. Dai regolamenti che si pubblicano potrà ognuno riconoscere tutto il piano dell' università Romana. Per uso dei professori, e degli studenti si è creduto di riunire cotesti regolamenti in un solo punto di vista. Si vedrà così, che tutto pienamente s' insegna col miglior ordine, e metodo nell' archiginnasio Romano. Il merito dei chiari professori è tanto conosciuto, che si farebbe loro un torto se si volesse annunziarlo. Il loro nome è abbastanza celebre; ed il rigore, con cui si procede nel conferire le cattedre assicura all' università la continuazione d' una serie d' uomini incomparabili. Nulla manca alla studiosa gioventù nella Sapienza di Roma, e per compimento di co-

modò la bibliotheca Alessandrina accresciuta, ordinata, ed arricchita d'un nuovo esattissimo indice somministra loro la continua opportunità di maturare sui libri ciò, che imparano nelle scuole, per rendersi degni di ottenere quei premj, che si sono destinati a tutti quelli, che saranno meritevoli di conseguirli.

In quattro capitoli si divide questo regolamento.

Il primo tratta delle solenni funzioni, del calendario, e della biblioteca.

Il secondo del numero, elezione, stipendj, e doveri dei professori.

Il terzo delle materie, che si leggono nell' archiginnasio Romano.

Il quarto dei privilegj dei professori, o degli scolari, della matricola, e dei diversi premj, ed onori, che si conferiscone agli studenti.

CAPITOLO I.

Delle solenni funzioni, del calendario, e dello biblioteca.

Tenor statutorum, ac primum de functionibus solemnibus, de calendario, et bibliotheca.

§. 7. Si aprirà l'archigienasio ogni anno la mattina dei 3. novembre, con la celebrazione di una messa solenne nella propria pubblica chiesa, alla presenza di tutto il corpo dell'università; dopo di che si pubblicherà dal bidello il rotolo, l'editto, ed il calendario.

Se per essere giorno di dumenica li 2. novembre la commemorazione dei fedeli defonti caderà nel giorno 3. si anticiperà la suddetta funzione alla giornata precedente.

La mattina dei 4. novembre tutto il corpo dei lettori farà la solenne professione della s. fede avanti all' eminentissimo, e reverendissimo signor cardinal camerlengo, ed al rettore deputato.

Il giorno 25. di novembre si reciterà da un professore, che il rettore avrà destinato, l'orazione inauguratoria dei nuovi studj nella chiesa dell' università.

Nei giorni di mercoledì, venerdì, e sabbato ultimi di carnevale si celebreranno li solenni anniversarj di Leone papa X., degli avvocati concistoriali, e dei professori defonti: e nel primo dei suddetti giorni si reciterà un' orazione in lode del suddetto pontefice da un professore destinato dal rettore.

Per la festa di s. Ivo titolare dalla chiesa, e protettore del collegio rettorale degl' illustrissimi, e reverendissimi signori cardinali.

Il giorno 22. luglio, se sarà feriale, e cadendo in domenica il giorno precedente, si conferiranno pubblicamente li gradi di onore, e di premio alli studenti nella gran sala; d'onde tutto il corpo dell' università passerà alla chiesa per assistere alla solenne messa di ringraziamento all' Altissimo per l'anno scolastico felicemente terminato.

Interverrà tutto il corpo dell' università alle pubbliche dispute, che dai nuovi uditori di Rota, e dai nuovi avvocati concistoriali si sosterranno nella gran sala della cancellaria apostolica, con il permesso, e l'approvazione del rettore deputato.

Le scuole incominceranno sempre la mattina dei 5. novembre, ancorchè cadesse in giovedì, e cadendo in domenica si salirà in catedra il giorno 6.

L'ultima lezione sarà sempre il dì 27. giugno, e cadendo in domenica il giorno 26.

Fra questi due termini si distribuiranno annualmente nel calendario 137 *docetur* per realizzare poi lezioni 135 effettive, lasciando li due *docetur* di più al caso di qualche vacanza straordinaria.

Per ottenere il suddetto numero di *docetur* nello spazio prescritto, e nelle diverse rivoluzioni degli anni, le vacanze ordinarie saranno ridotte invariabilmente come segue.

Sarà vacanza tutte le domeniche, ed altre feste di precetto.

Il giovedì sarà vacanza solamente quando sarà necessario per impedire la quarta leziune consecutiva.

Sarà vacanza altresì nei giorni dedicati a s. Caterina v. e m. a s. Ivo; e così pure nel giorno anniversario della elezione, o della coronazione del sommo pontefice, secondo che sarà più opportuno per il numero stabilito di *docetur*.

Sarà vacanza per il ss. Natale dalli 24 decembre inclusivamente a tutto il primo di gennajo. Per carnevale dal primo sabato a tutto il giorno delle Ceneri. Per pasqua di Resurrezione dalla domenica delle palme alla terza festa.

Sarà vacanza straordinaria.

1. In occasioni di processioni solenni, alle quali intervenga il sommo pontefice con il s. collegio per l'apertura di un solenne giubileo.

2. Nel giorno di concistoro pubblico, e non

mai di concistoro segreto, ancorchè si creassero, e si pubblicassero dei nuovi cardinali.

3. Nel giorno d'ingresso pubblico di un nuovo cardinale, o di un legato a latere.

4. Nel giorno finalmente delle pubbliche dispute di un nuovo uditore di Rota, o avvocato concistoriale.

Nei casi non preveduti, che potessero sembrare degni di una straordinaria vacanza, dovrà ottenersi la licenza in scritto dal rettore deputato da affiggersi il giorno avanti nella sala dei professori, senza di che non potrà mai cessarsi dal leggere.

Se l'anno caderà in modo, che con queste regole si desse luogo a più di 137. *doctur*, per quell'anno solamente si segneranno tante vacanze di più in quei giorni, che sembreranno opportuni, quante se ne ricercheranno per non oltrepassare li 137. *doctur*.

Quando inoltrato verso il suo termine l'anno scolastico si vedrà escluso in tutto, o in parte il caso delle vacanze straordinarie, il rettore dichiarerà vacanti uno, e due giorni secondo occorrerà per non eccedere mai il numero prescritto di 135. lezioni nette, ed effettive.

Li professori di notomia, di chimica, di fisica, e di chirurgia, che hanno il peso degli sperimenti, operazioni, o dimostrazioni, siccome l'eseguiscono nei giorni di vacanza, prenderanno così il riposo nel giorno avanti alli sperimenti, o dimostrazioni rispettive, che si valuteranno in luogo di lezione.

Con la stessa regola procederà il lettore di botanica, che nell'ostensioni delle piante recitando 24. dissertazioni, ed alcune di queste, dopo finite le scuole, dovrà dare cento undici lezioni, che con le 24. dissertazioni compiranno il prescritto numero di 135.

In ogni giorno di scuola suonerà la campana alle ore seguenti:

La mattina.

Dalli 5. novembre a tutto gennajo alle ore 14.

Dal primo all'ultimo febbrajo alle ore 13. e mezza.

Dal primo di marzo a tutti li 15. del stesso mese alle ore 13.

Dalli 16. marzo a tutto quel mese alle ore 12. e mezza.

Dal primo all'ultimo d'aprile alle ore 12.

Dal primo all'ultimo di maggio alle ore 11. e mezza.

Dal primo alli 27. di giugno alle ore 11.

Il dopo pranzo.

Dalli 5. Novembre alle vacanze di carnevale alle ore 20.

Dal secondo giorno di quadragesima alli 27. di giugno alle ore 19. e mezza.

Le scuole incominceranno sempre un'ora in punto dopo l'ora assegnata al suono della campana.

Tutte le mattine di scuola mezz'ora prima dell'ingresso si celebrerà la s. messa nella pubblica chiesa per comodo delli studenti, e dei professori.

In tutto il tempo delle lezioni tanto quotidiane, che straordinarie saranno tirate le catene ai due capi della strada sottoposta alle scuole per impedire il passaggio alle carrozze, ed ai carri: e non sarà ivi permesso strepito, o clamore di qualunque sorta, sia per esercizio di qualsivoglia arte, o per qualsisia altra cagione, a forma dell'editto pubblicato li 13. settembre 1787.

Le ore di scuola saranno tre la mattina, e due dopo il pranzo.

Non permettendo la distribuzione, ed il numero delle scuole, e dei professori, che si assegni ad ogni lezione lo spazio d'un'ora, e mezza, o almeno d'un'ora, ed un quarto, come stilasi in altre università, dovrà assolutamente essere intiera, e compita l'ora prescritta, senza alcuna benchè menoma telleranza, nel modo, e con le multe stabilite dalla costituzione di Leone X., dal chirografo di Benedetto XIV., e dal moto proprio segnato a piè del rotolo dalla Santità di nostro signore papa Pio VI.

Perciò li signori professori si troveranno adunati nella loro sala, e vestiti in zimarra prima che suoni l'ora destinata. Al toccare dell'orologio il bidello puntatore, che sarà in abito, pronuncierà le parole *est hora DD.* e preso il caduceo, sortirà subito dalla sala, darà il segno con la campanella, e servirà li signori professori, precedendoli senza ritardo fino alla porta delle rispettive scuole, d'onde ricondurrà alla sala suddetta quelli, che devranno allora finire di leggere. Noterà immediatamente li professori, che non fossero saliti in cattedra nel tempo prescritto, o ne fossero discesi pri-

ma del segno suddetto, ed aggiungerà all'arrivo dei primi il tempo preciso del ritardo. Suonata la mezza d'ogni ora di scuola le visiterà tutte distintamente, e scriverà nel libretto delle puntature il numero degli studenti di quelle scuole, che non arrivassero ad averne sette. Mancando in qualunque cosa al suo uffizio egli per la prima volta sarà multato ad arbitrio: per la seconda sarà privato del salario, e di tutti gli emolumenti per un semestre; e per le terza negligenza sarà privato dell'impiego, e diverrà inabile ad ottenerlo di nuovo, a tenore della costituzione di Leone X.

La biblioteca dell'università si aprirà a pubblico comodo in tutti li giorni di scuola mezz'ora prima dell'ingresso tanto la mattina, che il dopo pranzo: e resterà aperta la mattina quattr'ore continue, ed il dopo pranzo due ore e mezza.

Acciocchè nelle ferie estive possano li studenti coltivare le scienze, e facoltà apprese nelle scuole, la libreria continuerà a tenersi aperta ogni mattina per quattr'ore continue dalla festa dei ss. apostoli Pietro, e Paolo a tutti li 15. settembre, e si chiuderà mezz'ora prima del mezzo dì.

Lo stesso sarà nei primi tre giorni di carnevale, e nei primi tre giorni della settimana santa.

Dopo li 27. giugno si terrà chiusa non solo in tutte le feste di precetto, ma ancora in tutti li giovedì, nei giorni di s. Pietro ai Vincoli, e di s. Agostino, nel giorno della collazione dei gradi d'onore, e di merito, e nei giorni, che vi sarà funzione nella chiesa dell'archiginnasio.

CAPITOLO II.

Del numero, elezione, stipendi, e doveri de' professori.

De numero, electione, stipendiis, ac muneribus professorum.

§. 7. Li professori dell'archiginnasio Romano sono trentuno, oltre li due soprannumeri uno per la classe legale, e l'altro per la classe medica.

Di questi cinque si prendono da alcuni ordini regolari: gli altri tutti sono di libera scelta.

Le cattedre di libera collazione si provedono per concorso a tenore della costituzione Benedettina *Inter conspicuos* e del chirografo della stessa san: mem: di Benedetto XIV.

Sarà riservato alla suprema sovrana autorità, esclusivamente ad ogni altra, l'arbitrio di eleggere qualche lattore senza concorso, quando vi sia un soggetto così noto, specialmente per le opere pubblicate, che non vi sia bisogno di fare altra prova della sua abilità: detto chirografo §. *Perchè poi*.

Per la classe legale il concorso riguarderà la lettura soprannumeraria, il di cui possessore passerà sempre alla cattedra vacante per rimanervi stabilmente. Lo stesso sarà per la classe medica, eccettuate le cattedre di chirurgia, e d'ostetricia, per le quali dovrà farsi in ogni vacanza un particolare concorso. Finalmente nella classe delle materie sacre, arti, e lingue si farà pure il concorso ad ogni cattedra vacante, non avendo questa classe il lettore soprannumero, attesa la diversità totale delle materie, che la compongono.

Li professori delle suddette cattedre di libera collazione potranno sperare la grazia della giubilazione nel modo, e forma, e colla distinzione stabilita nel lodato chirografo del continuo, e diligente esercizio per 20. o per 30. o per 40. anni da contarsi dal giorno, in cui ciascheduno sarà stato ammesso per lettore di numero.

Il professore però d'ostetricia, che senza avere il peso d'essere prima soprannumerario ha il vantaggio d'ottare ai maggiori emolumenti della classe, rilascerà al successore, anche in caso di giubilazione dopo il servizio di 30. anni, la quota dell'onorario stabilita nella fondazione.

Le cattedre, che si occupano da alcuni ordini regolari si conferiscono senza concorso, e sono le seguenti.

La prima di s. teologia suole concedersi al padre procurator generale dei Predicatori, colla facoltà di far leggere in sua vece un maestro dell'ordine da approvarsi dal rettore deputato.

La seconda parimenti di s. teologia suole conferirsi ad un maestro dei minori Conventuali.

Quella di teologia morale ad un maestro dell'ordine Carmelitano.

Quella d'etica ad un lettore dei Chierici Minori.

Quella finalmente di s. Scrittura ad un maestro dell'ordine Agostiniano.

Per la prima di queste il nuovo p. procurator generale presenterà al rettore deputato un memoriale diretto a sua Santità, nel quale

chiederà la grazia della collazione della cattedra. Ottenuta questa, pregherà il rettore medesimo ad abilitare in iscritto il sostituto maestro, ch'egli nominerà per esercitarla.

Vacando alcuna delle altre quattro cattedre suddette, il p. generale del rispettivo ordine presenterà al sommo pontefice per mezzo del rettore deputato una supplica con nota di quattro soggetti qualificati, acciocchè sua Santità possa prescegliere uno a suo arbitrio, e lo stesso dovrà farsi allorchè o per l'avanzata età, o per la cattiva salute, o per qualunque altra ragione verrà concedersi il riposo al lettore esercente, destinandole un coadjutore con la futura successione.

Le multe, che il coadjutore incorresse, anderanno allora a carico del coadjuto; ed in caso di vacanza l'onorario passerà nel coadjutore senza gli accrescimenti conseguiti, che ricaderanno alla classe per distribuirsi secondo il solito.

Gli appuntamenti delle cattedre di legge, e di medicina, e di quella delle matematiche miste saranno quelli stabiliti nel chirografo Benedettino, nella costituzione *Quanta reipublicae*, e nelle fondazioni della chirurgia, e dell'ostetricia. Rapporto a tutte le altre cattedre saranno quelli, che si sono finora osservati.

Lo stesso sarà degli accrescimenti, che secondo il solito si conseguiranno dai soli professori titolari attualmente esercenti.

L'anzianità per gli accrescimenti dovrà desumersi dal tempo, in cui si divenne professore titolare, come si è detto per l'affetto della giubilazione: ma il soprannumero della classe medica la conterà dal giorno del concorso quanto agli accrescimenti, per non essere posposto al lettore d'ostetricia, nel caso, che questi fosse stato eletto professore dopo di lui.

Sarà peso d'ogni professore di leggere per se medesimo la materia a lui destinata per un'ora intiera in ogni giorno segnato nel calendario nel modo, e con la precisione espressa nel capitolo primo. S'impiegherà mezz'ora nel dettare, e mezz'ora nello spiegare, e si eserciteranno li studenti una volta la settimana nelle cose fino allora insegnate, nel modo, e forma, che si crederà più utile.

La sola infermità sarà per li professori una legittima causa per cessare dal leggere senza alcuna perdita d'onorario. Chirografo Benedettino §. *Dichiariamo*, §. *E benchè*, e §. *Per lo stesso fine*. Dovrà però il professore infermo darne subito avviso, mandando in tempo al bidello puntatore li suoi scritti, acciocchè nemmeno per una lezione si cessi dal dettare: altrimenti non sarà esente dalla multa.

Il bidello consegnerà gli scritti allo scolare di maggiore età, che dovrà dettare per quella volta, e restituire gli scritti allo stesso bidello, a cui apparterrà di notificare immediatamente al rettore deputato l'infermità del professore, acciocchè possa provedere al servizio della cattedra per il seguente giorno con l'opportuno supplemento.

Nelle classi di legge, e di medicina dovrà supplire il lettore soprannumero a tenore del chirografo Benedettino. In quella delle arti apparterrà al rettore la scelta.

Quanto però alle cattedre addette agli ordini regolari, il superiore generale dovrà deputare subito tra'suoi individui un soggetto, da approvarsi dal rettore, che faccia le veci del professore infermo senza alcun dispendio dell'università.

Lo stesso sarà dei lettori di chirurgia, e di ostetricia, che secondo la legge delle fondazioni, dovranno nominare un chirurgo da approvarsi, come sopra, a tutto loro carico.

Ogni altra causa qualunque, eccettuata quella d'infermità, non meriterà alcun riguardo, benchè fosse degna di espressa menzione. Quindi il servizio del coro, il tempo piovoso, o nevoso, gli affari di qualsisia specie, le chiamate di qualunque personaggio, e gli obblighi di qualsivoglia altro uffizio anche pubblico non otterranno la minima considerazione, come nemmeno l'ottengono per li canonici, e benefiziati delle più distinti patriarcali nel continuo e reiterato giornaliero servizio, benchè taluno di loro mancando, non ne siegua nel coro quel vuoto totale, che produce nella rispettiva scuola la mancanza d'un pubblico professore.

Perciò non sarà permesso ad alcun professore di partire da Roma nell'anno scolastico senza licenza del rettore deputato, che la concederà con la sola legge di lasciare gli scritti quando con fede giurata del medico si provi la causa di salute; ed in ogni altro caso, in cui concorra una causa grave, o ragionevole, ancorchè fosse di servizio pubblico, e del principato, darà il permesso d'assentarsi lasciando, come sopra gli scritti, e con la con-

dizione di soddisfare intieramente del proprio il sopranumero, o altro professore, che supplirà le veci del lettore impedito: secondo la chiara disposizione del detto chirografo Benedettino §. *Di più*, §. *E benchè*, e §. *Per lo stesso fine*.

Dovrà pure ogni professore dentro l'anno scolastico compire tutto intiero il suo corso, o di elementi, o di trattati, non solo dettando, ma spiegando ugualmente tutto ciò che avrà dettato secondo la distribuzione del capitolo seguente.

Interverranno li professori a tutte le funzioni dell' università riferite distintamente nel cap. primo, e si presteranno agli esami, dei quali si parlerà nel cap. quarto.

Quei professori, che avranno recitata l'orazione inauguratoria degli studi, o l'altra in lode di Leone X. dovranno darne copia al rettore, che la farà collocare in archivio.

Li professori, che vorranno stampare qualche libro col proprio nome, dovranno prima presentarlo al rettore per ottenerne da lui la licenza in scritto, e darne poi un'esemplare alla biblioteca Alessandrina, a tenore dell'editto annuo del rettorato.

Per il chirografo Benedettino §. *In questo modo* il rettore deputato, considerati prima li pesi fissi certi, ed incerti addossati alla cassa del rettorato dallo stesso chirografo, dai sopravanzi, che vi potessero essere sarà facile a dare, quando si creda convenevole, qualche sovvenimento a quei lettori, che pubblicheranno alle stampe qualche opera da essi composta.

Si presteranno li professori a firmare nel fine d'ogni terzeria li rincontri della matricola ai loro studenti nel modo, che si dirà nel cap. quarto. Non sarà però lecito d'impiegare in questo il tempo destinato alla lezione, ma potranno li professori ricevere li suddetti rincontri nel sortire di scuola per restituirli firmati il seguente giorno ovvero assegnare un'ora di loro comodo, acciocchè gli studenti possano portarsi a questo oggetto alle loro abitazioni.

Tutte le puntature per qualunque titolo incorse si riterranno sempre per tutto l'anno scolastico antecedente dallo stipendio della seguente terzeria di Natale, e datane una quarta parte al bidello puntatore, si dividerà il rimanente tra tutti li professori della rispettiva classe in proporzione dello stipendio di ciaschedono.

Per le puntature farà piena prova il registro del bidello, che dovrà scriversi da lui seguitamente d'ora in ora, e tenersi esposto nella sala dei professori, acciocchè ognuno di loro possa vedere l'occorrente a suo piacere. Perciò se per accidente un professore giungesse dopo l'ingresso della sua ora, si presenterà nella detta sala prima d'entrare in scuola, perchè il bidello possa notare giustamente il ritardo, senza darli carico d'una più lunga mancanza: in diverso caso si avrà per assente finchè il bidello potrà vederlo in cattedra nella visita, che farà delle scuole dopo la mezz'ora.

La legge delle puntature essendo spettante alla giustizia commutativa, obbliga strettamente li professori, nè punto dipende dall'esattezza, o dalla conoivenza del bidello. Manca anzi intieramente allo stesso rettore deputato ogni facoltà, per poterla dispensare, o interpretare: giacchè il chirografo Benedettino confermato nel moto proprio segnato dalla Santità di nostro signore a piè del rotolo, mitigando in parte la costituzione di Leone X. che proibiva ai lettori ogni altro impiego, e segnatamente l'avvocatura, e stabiliva le multe nel doppio della rata corrispondente dello stipendio, prescriva, che assumendo in avvenire alcun lettore altro impiego, o carica, per cui resti impedito di esercitare per se medesimo la sua lettura, questa vachi *ipso facto*, *et ipso jure*, ed insieme ordina, e comanda al rettore, che quante volte un lettore lascierà di leggere, o non sarà pronto a salire in cattedra all'ora destinata, dobbiate voi, e li vostri successori assolutamente, senza riguardo alcuno ritenergli quella parte di salario, che corrisponde alla lettura di quel giorno; e così puntarlo tante volta, quante mancherà di leggere, o di essere pronto a leggere, eccettuato il solo caso d'infermità.

Siccome poi per le giubilazioni, e per gli accrescimenti (beneficenze non comuni in tutta la loro ampiezza all'altre primarie università) deve considerarsi non la sola anzianità, ma ancora la diligenza usata nel pubblico servizio; così in esecuzione del chirografo suddetto §. *In ultimo* dovrà il rettore umiliare alla Santità di nostro signore nel fine d'ogni anno scolastico la nota distinta delle puntature delle tre terzerie, e farà presente alla Santità sua

lo zelo, e l' applicazione, che ogni professore impiega nell' adempimento dei suoi doveri; collocando la relazione in archivio, ove se ne conserverà la serie da riassumersi sempre nei casi suddetti.

Si è dovuto dettagliare tutto questo con precisione, acciocchè il decorso del tempo non riconduca gli abusi deplorati con tanto zelo dai professori attuali. Questi che in voce, ed in scritto hanno formalmente richiesto al rettore deputato il ristabilimento dell' ora intiera prescritta ad ogni lezione, ed il numero fisso di 135 lezioni annue, sono ugualmente lontani dall' aver bisogno di queste leggi, e dal disapprovarne la più esatta osservanza; e comprendono per esperienza, che ogni tolleranza qualunque richiamerebbe il detestato disordine. Abbandonato una sola volta il punto stabilito dei segni della campana non si troverebbe più quel momento, che nell' angusto spazio di un' ora dovrebbe decidere della mancanza.

CAPITOLO III.

Delle materie, che si leggono nell' archiginnasio Romano.

De materiis in archigymnasio Romano legendis.

§. 9. Riflettendo la san: mem: di Benedetto XIV. che era un punto di gravissima importanza per il buon regolamento dello studio, e profitto della gioventù, che ciò, s'insegna da un lettore in una facoltà sia di strada, e preparamento all' altra facoltà superiore; e che all' incontro non si consumi il tempo in materie poco utili, o poco adattate all' esigenza dei tempi nostri, volle che fosse cura principale dei rettori pro tempore lo stabilire non solo li giorni, ed ore, nelle quali dovrà leggersi, ma ancora le materie, che dovrà leggere ciascun lettore; e l' ordine, e metodo, col quale dovrà leggersi chirogr. §. *Ed essendo.*

Quindi dopo le più serie, e mature considerazioni, con il consiglio di persone assai illuminate, ed esperte, si è stabilita la seguente distribuzione delle materie, scuole, ed ore nell' archiginnasio Romano.

Le materie, che si leggono, si dividono in cinque classi.

I. Materie sacre.

II. Giurisprudenza.

III. Medicina, e chirurgia.

IV. Filosofia, ed arti.

V. Lingue.

Materie sacre.

La classe delle materie sacre ha sei professori.

1. Il professore di s. Scrittura legge nella seconda ora della mattina, e finisce in tre anni il suo corso.

Nel primo anno legge. *De sacro textu veteris et novi testamenti, ejusque praecipuis versionibus, deque singulorum sacrorum voluminum canonicitate, et inspiratione.*

Nel secondo. *De singulorum librorum tam veteris, quam novi testamenti genuinitate.*

Nel terzo. *De variis s. Scripturae sensibus: de regulis interpretandi sacras Scripturas; deque praecipuis veteris, et novi testamenti idiotismis.*

Li quattro professori di sacra teologia leggono come siegue.

2. Uno di loro nella seconda ora del dopo pranzo detta ogn' anno l' intiero trattato *de Locis Theologicis* per introdurre li nuovi studenti nella teologia.

3. Un' altro nella stessa ora spiega in tre anni la morale.

Nel primo anno legge, *De morum norma, et natura: ac de officiis hominis erga Deum.*

Nel secondo. *Absolvuntur officia in Deum. Tum de officiis hominis erga seipsum.*

Nel terzo. *De mutuis inter homines officiis.*

Gli altri due professori di sacra teologia danno in quattro anni tutti li trattati particolari.

4. Uno di loro nella prima ora della mattina legge.

Nel primo anno. *De Deo, et divinis proprietatibus.*

Nel secondo: *De Deo trino, et Angelis, et rerum creatione.*

Nel terzo. *De gratia, et justificatione; ubi de fide, spe, et charitate.*

Nel quarto. *De incarnatione.*

5. L' altro nella prima ora del dopo pranzo legge.

Nel primo anno. *De sacramentis in genere. De baptismo, et confirmatione.*

Nel secondo. *De eucharistia.*

Nel terzo. *De poenitentia: de indulgentiis; et extrema unctione.*

Nel quarto. *De ordine, et matrimonio*.

6. Il professore di storia ecclesiastica compisce parimenti il suo corso in quattro anni leggendo nella terza ora dalla mattina.

Nel primo anno. *Ab adventu Christi ad concilium Nicaenum primum*.

Nel secondo. *A concilio Nicaeno ad Carolum Magnum*.

Nel terzo. *A Carolo Magno ad concilium Lateranense primum*.

Nel quarto. *A concilio Lateranensi primo ad concilium Tridentinum*.

In questa classe può aversi l'intiero corso in quattro anni frequentandosi per tre anni le cinque ore nelle respettive scuole, e l'anno quarto la prima, e la terza ora della mattina, e la due del dopo pranzo.

Giurisprudenza.

La classe d'ambedue le giurisprudenze ha sei professori.

1. Il lettore d'istituzioni di gius canonico legge alla prima ora del dopo pranzo.

2. Quello d'istituzioni di gius civile legga alla prima ora della mattina.

3. Quello d'istituzioni criminali legge alla terza ora della mattina.

Questi tre professori danno l'intiero loro rispettivo corso in ogni anno.

4. Il lettore di gius ecclesiastico legge alla seconda ora del dopo pranzo o compisce in cinque anni suo corso, dando

Nel primo anno. *Prolegomena in jus canonicum, et de fontibus ejusdem juris*.

Nel secondo. *De jure personarum*.

Nel terzo. *De rebus, ac praesertim de septem ecclesiae sacramentis tum in genere, tum in specie*.

Nel quarto. *De sacramento matrimonii*.

Nel quinto. *De judiciis ecclesiasticis*.

Li professori di gius civile leggono uno alla seconda, a l'altro alla terza ora della mattina, combinano con quelle del gius comune le disposizioni del gius statuterio, e finiscono il loro corso parimenti in cinque anni.

5. Uno di loro nel primo anno legge. *De origine, et progressu juris civilis, et de ratione universas leges, et statuta interpretandi*.

Nel secondo. *De diversis regulis juris*.

Nel terzo. *De jure personarum, et de jure dotium, et alimentis*.

Nel quarto. *De servitutibus praediorum: de usufructu, usu, et habitatione: et de pigneribus, et hypothecis*.

Nel quinto. *De actionibus, et interdictis: De judiciis, et rejudicata*.

6. L'altro legge nel primo anno. *De rerum divisione, et acquirendo earum dominio; De usucapionibus, et praescriptionibus*.

Nel secondo. *De haereditate, quae vel ex testamento, vel ab intestato defertur*.

Nel terzo. *De legatis, et fideicommissis: De mortis causa, aliisque donationibus; et de jure codicillorum*.

Nel quarto. *De obligationibus, quae ex contractu nascuntur*.

Nel quinto. *De obligationibus quae ex quasi contractu, ex delicto, aut quasi ex delicto nascuntur; et de feudis*.

Il corso intiero di questa classe porta cinque anni frequentando il primo anno le istituzioni civili alla prima ora della mattina; le canoniche alla prima ora del dopo pranzo; e nelle ore seconda, e terza della mattina le due cattedre del gius civile per cinque anni; come pure quella del gius canonico alla seconda ora del dopo pranzo. Possono aversi le istituzioni criminali aurrogandole per un anno al gius civile nella terza ora della mattina.

Medicina, e Chirurgia

Questa classe conta nove lettori.

1. Il lettore di notomia legge alla prima ora della mattina, e dà in ogni anno l'intiero suo corso.

In sedici giorni festivi e vacanti incominciando dopo l'Epifania, dà in teatro altrettante dissertazioni, con le parti presenti, e disposte per le corrispondenti dimostrazioni, che si eseguiscono dall'incisore anatomico.

Li due lettori d'istituzioni medico-teoriche, e medico pratiche si dividono gli elementi di medicina nel modo seguente.

2. Il professore delle medico-teoriche legge alla seconda ora della mattina l'istituzione di fisiologia, e patologia, con la semiotica, ed igiene.

3. Il professore delle medico-pratiche legge alla seconda ora del dopo pranzo l'istituzioni di terapeutica col metodo di medicare, e con la spiegazione d'Ippocrate.

Ancora questi due professori finiscono in ogni anno intieramente il loro corso.

Li due professori di materie mediche danno in due anni li loro trattati.

4. Uno legge alla terza ora della mattina.

Nel primo anno. *De morbis capitis*, *et de morbis puerorum*.

Nel secondo anno. *De morbis pectoris*, *et aneurismatibus*.

5. L'altro legge all' ora prima del dopo pranzo.

Nel primo anno. *De morbis ventris*, *et de morbis mulierum*.

Nel secondo. *De morbis universalibus*, *et de febribus*.

6. Il professore di chimica legge alla prima ora della mattina, e dà in ogni anno le intiere istituzioni generali. Quanto alle particolari le divide in tre anni, dando nel primo il regno animale, nel secondo il minerale, e nel terzo il vegetabile.

In quindici vacanze distribuite per l'anno scolastico legge alla terza ora della mattina nel laboratorio chimico altrettante dissertazioni relative alli corrispondenti sperimenti, che si eseguiscono in presenza degli uditori dall'operatore destinato. Ogni anno nelle prima sperienze si replica tuttociò, che riguarda l'apparato chimico, e le sue operazioni generali su i quattro elementi: e si passa in appresso alli sperimenti riguardanti quel regno, di cui in quell'anno si tratta.

7. Il professore di botanica legge alla seconda ora della mattina, e dà in ogni anno l'intiero suo corso.

Dagli ultimi giorni di aprile incomincia a leggere in tutte le domeniche, e vacanze le sue dissertazioni fino al numero di ventiquattro, che terminano prima del 22. di luglio. Fino alli 27. di giugno legge all'orto medico sul monte Gianicolo alle ore 22. in seguito legge in Sapienza alle ore 21. e mezza nella prima scuola. L'ispettore dell'orto dimostra agli uditori contemporaneamente le piante, delle quali si tratta.

8. Il professore di chirurgia legge nel teatro anatomico alla seconda ora della mattina, e dà in ogni anno il corso intiero delle sue istituzioni, servendo ancora all'uso forense per li giudizj, e perizie.

Nei giorni vacanti tanto prima dell'Epifania, che dopo compite le sedici dimostrazioni anatomiche, eseguisce alla seconda ora della mattina nello stesso teatro quindici operazioni, che in due anni ne formano la serie compita.

9. Il professore d'ostetricia legge alla prima ora del dopo pranzo l'intiero suo corso in ogni anno, che per gli studenti di chirurgia finisce a tutto aprile. Passa quindi ad istruire le levatrici nella scuola destinata nell'ospedale di s. Rocco. Agli uni, ed alle altre dimostra l'occorrente con l'opportuno fantoccio: ma agli studenti di chirurgia insegna ancora l'operazioni con gli stromenti corrispondenti.

Quindi in tre anni può compirsi l'intiero corso medico, frequentando nel primo anno alla prima ora della mattina la notomia, ed alla seconda le istituzioni medico-teoriche. Nel secondo anno alle ore medesime la chimica, e la botanica, (delle quali può ancora riservarsene una per il terzo anno) all'ora terza della mattina, ed alla prima del dopo pranzo le due cattedre di materie mediche, ed alla seconda parimenti del dopo pranzo, le istituzioni medico-pratiche: continuando nell'anno terzo le due suddette cattedre di materie mediche con unirvi nella mattina la chimica, o la botanica, che non si fosse studiata nell'anno secondo.

Essendo però necessaria alla medicina la cognizione della fisica, e delle matematiche si vedrà nella classe delle arti, come siasi provveduto anche in questa parte, al comodo della studiosa gioventù.

Il corso chirurgico esige la notomia teorica, e pratica nel primo anno, e nell'anno seguente le istituzioni chirurgiche la mattina, con frequentare però la operazioni nel primo, e nel secondo anno: potendosi ancora studiare l'ostetricia nella prima ora del dopo pranzo.

Filosofia, ed Arti.

Questa classe conta cinque professori.

1. Il lettore d'etica alla prima ora della mattina ogni anno intieramente la legge, e derivandola dai principj del dritto naturale, e delle genti dà realmente gli elementi del gius pubblico.

2. Quello di logica, e di metafisica legge alla seconda ora della mattina, e dà in ogni anno l'intiero suo corso, lasciando però l'etica al professore particolare.

3. Il professore d'aritmetica, geometria, ed algebra legge alla terza ora della mattina ed in ogni anno porta il suo corso fin dove è

necessario per introdurre gli studenti nelle matematiche miste.

4. Quello di fisica ha parimenti il corso annuale, e legge alla prima ora della sera.

In quindici vacanze distribuite per l'anno scolastico alternativamente con quelle dell'esperienze chimiche, alla terza ora della mattina legge nel teatro fisico altrettante dissertazioni, che comprendono tutti gli sperimenti, li quali si eseguiscono in presenza degli uditori con l'opera del macchinista destinato. Dal mese di maggio però, dopo finite le operazioni di chirurgia, si uniscono negli stessi giorni li sperimenti chimici, e li fisici per compire il prescritto numero degli uni, e degli altri prima dei 27 giugno; ed allora lasciando gli sperimenti chimici all'ora terza, quelli di fisica si eseguiscono all'ora seconda.

5. Il professore di matematiche miste alla seconda ora del dopo pranzo legge la meccanica, la statica, l'idrostatica, e le altre parti di matematica mista, che si credono più opportune, secondo la distribuzione, che ogni anno ne fa il rettore deputato.

Frequentandosi in questa classe nel primo anno le tre ore della mattina per studiare l'etica, e la logica, e metafisica e l'aritmetica, geometria, ed algebra, e nel secondo anno le due ore della sera per apprendere la fisica, e le matematiche miste da continuarsi negli anni seguenti a proporzione del desiderio di approfittarne, si ha il corso delle arti; alle quali si possono aggiungere nel secondo anno, e nelle ore della mattina la lingua Greca, e l'eloquenza Latina.

E siccome per gli studenti di medicina è necessaria la cognizione della fisica, e delle matematiche; così le tre cattedre corrispondenti si sono distribuite nella terza ora della mattina, e nelle due della sera, che sono libere nel primo anno per quelli che attendono al corso medico, ai quali anche nell'anno terzo resta libera la seconda ora della sera.

Lingue

Cinque lettori si contano in questa classe, ognuno dei quali dà annualmente il suo corso, ed unisce ai precetti grammaticali le seguenti materie.

1. Il professore di lingua Greca legge alla prima ora della mattina, e si estende ai principii dell'umanità, e belle lettere.

2. Quello di lingua Araba parla altresì degli assurdi dell'Alcorano, e legge alla seconda ora della mattina.

3. Quello di eloquenza Latina leggendo all'ora terza analizza gli scrittori classici, e dà in ogni anno una compita idea della polizia dei Romani, avendo in vista di servire all'intelligenza delle leggi per gli studenti di giurisprudenza.

4. Il professore di lingua Siro-Caldea legge alla prima ora della sera, e tratta ancora delle liturgie orientali.

5. Quello di lingua Ebraica legge all'ultima ora, e convince gl'errori della perfidia Giudaica.

Possono frequentarsi le lingue con la stessa facilità delle arti, essendo distribuite in modo da profittarne in due anni.

La distribuzione di tutte le materie nelle rispettive ore, e scuole è la seguente.

CLASSE PRIMA

SCUOLA PRIMA

Materie Sacre

La mattina
ora I. Sacra teologia.
II. Sacra Scrittura.
III. Storia ecclesiastica.
La sera
ora I. Sacra teologia.
II. Teologia morale.

CLASSE SECONDA

SCUOLA SECONDA

Giurisprudenza

La mattina
ora I. Istituzioni del gius civile.
II. Gius civile, e statutario.
III. Gius civile, e statutario.
La sera
ora I. Istituzioni del gius ecclesiastico.
II. Gius ecclesiastico.

CLASSE TERZA

SCUOLA TERZA

Medicina

La mattina
ora I. Notomia.
II. Istituzioni medico-teoriche.
III. Medicina pratica.

La sera
ora I. Medicina pratica.
II. Istituzioni medico-pratiche con la spiegazione d'Ippocrate.

SUPPLEMENTO
ALLE PRIME TRE CLASSI

SCUOLA QUARTA

Miscellanee

La mattina
ora I. Chimica.
II. Botanica.
III. Istituzione del gius criminale.
La sera
ora I. Ostetricia.
II. Sacra teologia dei luoghi teologici.

CLASSE QUARTA

SCUOLA QUINTA

Filosofia, ed arti

La mattina
ora I. Etica del gius naturale, e delle genti.
II. Logica, o metafisica.
III. Aritmetica, geometria, ed algobra.
La sera
ora I. Fisica.
II. Matematiche miste.

CLASSE QUINTA

SCUOLA SESTA

Lingue

La mattina
ora I. Lingua, ed umanità Greca.
II. Lingua Araba, e degli assurdi dell'Alcorano.
III. Eloquenza Latina, e storia Romana.
La sera
ora I. Lingua Caldaico-Sira, e delle sacre liturgie orientali.
II. Lingua Ebraica, e della perfidia Giudaica.

Teatro anatomico

La mattina
ora II. Istituzioni di chirurgia anche forense.

CAPUT IV.

Dei privilegi dei professori, e degli scolari dell'archiginnasio: della matricola, delle lauree ad onore, e delle laure, magisteri, ed altri premj, che si conferiscono agli studenti.

De privilegiis professorum, et discipulorum archigymnasii Romani.

§. 10. Li professori, e gli scolari dell'archiginnasio Romano godono le seguenti prerogative.

1. Sono a loro comuni tutti li privilegi, che si trovano conceduti ai professori, ed agli scolari di qualunque altra università, niuna affatto eccettuata *Cap. cum diversis de privileg. in sexto.*

2. Sono esenti da tutte le taglie, e pedagi per concessione di Bonifazio VIII. di Giovanni XXII. e di Leone X. lo che al presente è comune a gran parte dello stato ecclesiastico per la gloriosa abolizione di coteste gravezze ordinata dalla Santità di nostro signore felicemente regnante coi providissimi chirografi segnati li 9. aprile, e li 7. giugno 1777.

3. Li professori, o scolari, che ottengono canonicati, o altri benefizi corali sono dispensati dalla residenza nel modo, e forma, che dispongono la costituzione *In supremae* di Bonifazio VIII. e l'altra *Dum suavissimos* di Leone X.

4. Il privilegio del foro tanto in civile, che in criminale li rende esenti da ogni giurisdizione, e soggetti a quella del rettore deputato a tenore delle suddette costituzioni confermate dalla santa memoria di Benedetto XIV. nel chirografo dei 14. ottobre 1748. §. *Sopratutto*, e §. *Ordiniamo.*

5. Per il detto chirografo Benedettino §. *Ordiniamo* tanto li lettori, che li scolari sono preferiti ad ogn'altro nel conseguimento dei benefizj, e dignità ecclesiastiche, che si danno per concorso, o che sono di libera collazione della santa Sede, e rispettivamente nelle cariche, governi, ed impieghi pubblici anche negli ospedali di Roma ciascuno secondo la sua professione, e capacità.

6. Finalmente li scolari tanto dottori ad onore, quanto dottori, o maestri di premio godono d'una speciale considerazione, e a cose uguali, d'una positiva prelazione sopra tutti per conseguire le catedre corrispondenti della stessa università, anche per concorso.

A quest'effetto, e perchè in esecuzione del

chirografo Benedettino sempre apparisca quali sieno quelli, che debbono godere dei suddetti privilegj si farà la matricola, ed elenco degli scolari in ogni principio dell'anno scolastico nel modo seguente.

Ogni studente, che voglia partecipare dei privilegj riferiti, ed aspirare agli onori, che si diranno in appresso, dovrà scriversi di proprio carattere nel libro della matricola, che si riterrà dal bidello puntatore, notando il nome, il cognome, l'età, la patria, la parrocchia, e la precisa abitazione, e spiegando le scuole che intende di frequentare in quell'anno.

Si chiuderà la matricola il giorno 24. novembre, portandone il libro al rettore deputato, e dopo quel tempo niuno più potrà descriversi nella matricola senza un'espressa licenza del rettore medesimo, che esaminati li motivi del ritardo, potrà dispensare trovandoli giusti, purchè però non sia compita la terzeria del Natale.

Nei giorni dopo li 25. novembre ogni scolare ritirerà dal bidello puntatore il rincontro della matricola, che troverà presso di lui in un foglio stampato sottoscritto dal rettore, nel quale sarà espresso il nome dello studente, e la facoltà, che avrà detto di volere apprendere.

Nel fine d'ogni terzeria si esibiranno questi rincontri ai rispettivi professori, che, come si dirà in appresso, li segneranno di proprio pugno restituendoli alli scolari.

Tanto a quest'oggetto, quanto per le ricadenze degli stipendi nei casi di morte, rinuncia, o giubilazione dei professori, le terzerie saranno divise come siegue.

La prima del santissimo Natale incomincierà il dì 5. novembre, e finirà il dì 23. dicembre.

La seconda della s. Pasqua incomincerà il dì 2. gennajo, e finirà il sabato avanti la domenica delle palme.

La terza di san Giovan Battista incomincerà il mercoledì dopo la terza festa di pasqua, e finirà il giorno 27. di giugno: comprendendo per il professore di botanica tutte le dissertazioni posteriori fino alli 21. di luglio.

Li professori dell'università nelle annotazioni, che faranno in dorso del rincontro in ogni terzeria avranno presente non solo la frequenza materiale alla scuola, ma il profitto dimostrato negli esercizj d'ogni settimana, che dovranno assolutamente praticarsi; e così pure la morigeratezza, e tutto ciò, che è necessario in uno studente, perchè si concepisca di lui una buona speranza.

La sola infermità potrà scusare presso li professori il difetto di frequenza, purchè si giustifichi loro con attestato del medico, altrimenti si negherà di segnare il rincontro.

Nel nuovo anno scolastico dovrà sempre rinnuovarsi la matricola, ed il rincontro, anche per quelli scolari, che l'avranno goduta nell'anno precedente.

Finito il rispettivo corso, dovrà ogni studente esibire ad ogni professore, dal quale desideri l'attestato, tutti li rincontri originali delle passate matricole; acciocchè possa il lettore con fondamento attestare la verità in quei termini, che egli crederà proporzionati. Volendosi poi concorrere ai premj si dovranno presentare al rettore tanto gli attestati dei professori, che li suddetti rincontri.

§. 11. Le graduazioni, e premj, che si conferiranno al merito degli studenti nel fine d'ogn'anno scolastico saranno li seguenti. *De praemiis ad meritum, et ad honorem impertiendis.*

I. Li dottorati ad onore, e quelli di premio.

1. In s. teologia, e filosofia.
2. In gius canonico, e civile.
3. In filosofia, e medicina.

II. Li magisteri di premio.

1. In giurisprudenza criminale.
2. Nella filosofia, ed arti.
3. Nelle lingue.

III. Li premj, ed attestati d'idoneità.

1. In chirurgia.
2. In ostetricia.

Per li dottorati ad onore sarà necessario lo studio di tre anni almeno nelle rispettive classi, cioè

Per il dottorato di teologia dovranno frequentarsi per un triennio le due catedre di s. teologia, con unirvi per un'anno quella dei luoghi teologici, e per gl'altri due anni una dell'altre tre catedre della classe delle materie sacre: ovvero dovranno frequentarsi per un triennio le tre catedre suddette della s. Scrittura, e della morale, e della storia ecclesiastica.

Per li due dottorati di legge si frequenteranno nel primo anno le istituzioni del gius canonico, quelle di gius civile, e la catedra della storia Romana, e nel secondo, e nel terzo le tre catedre di gius ecclesiastico, e di gius civile.

Per il dottorato di filosofia, e medicina si farà costare d' avere applicato alla filosofia, e nel primo anno si studierà la notomia, e le istituzioni medico-teoriche, e negli altri due si frequenteranno assiduamente le due catedre di materia medica, con unirvi ripartitamente per un anno quelle d' istituzioni medico pratiche, di chimica, e di botanica.

Tutti quelli, che dopo acquistati li requisiti necessarj per concorrere alle lauree d'onore in s. teologia, ovvero in legge canonica, e civile continueranno a frequentare per due altri anni tre catedre della rispettiva classe, come appresso, saranno ammessi all' esame dei dottorati di premio, che si daranno gratis, salvi (a differenza dei dottorati ad onore) li soli emolumenti ai ministri dai quali non sono esenti nemmeno li poveri.

Quanto alla classe delle materie sacre, quelli, che avranno frequentate nel triennio le catedre di s. teologia dovranno continuarle il quarto anno per compire il corso, frequentando nello stesso tempo per terza catedra o la s. Scrittura, o la storia ecclesiastica, o la morale: le quali tre catedre unitamente dovranno frequentare nell' anno quinto; ed al contrario quelli, che avranno frequentate queste tre catedre nel triennio, dovranno nelli due anni seguenti frequentare le due catedre di s. teologia, unendovi nel primo anno la storia ecclesiastica per compirne il corso, e nel secondo anno quella dei luoghi teologici. Quelli però, che avessero in quattro anni compito l'intiero corso delle materie sacre, come si è espresso nel cap. 3. non avranno bisogno dell' anno quinto per essere ricevuti all' esame dalle lauree di premio.

Quanto poi alla classe di ambedue le giurisprudenze, quelli, che vorranno conseguire la lauree di premio, dopo avere acquistati li requisiti prescritti per concorrere ai dottorati ad onore, dovranno frequentare per altri due anni le due catedre di gius civile, e quella del gius ecclesiastico.

Finalmente nella classe medica si distinguerà col dottorato di premio quello studente, che tra gli ammessi al concorso dell' unica laurea ad onore sarà reputato degno di conseguire questa seconda graduazione, non avendo potuto ottenere la prima.

In avvenire però non si abiliterà più alcuno a poter concorrere per la seconda volta alle lauree ad onore con dispensa dal continuare la frequenza della scuole delle rispettive classi; a quanto alle lauree di legge per i poveri, si osserverà esattamente la costituzione di Sisto IV., e perciò dovranno questi giustificare gli studi fatti del gius civile, e canonico, e soggettarsi ad un rigoroso esame d' un publico professore avanti a quell' avvocato concistoriale, a cui sarà stato commesso il processo.

Quelli, che avranno frequentato per un anno le istituzioni canoniche, e le civili, e per un altr' anno l'etica, e le istituzioni criminali si ammetteranno all' esame dei magisteri di premio nella facoltà criminale.

Quelli altresì, che avranno studiato nel primo anno l'etica, la logica, e metafisica, e l'aritmetica, geometria, ed algebra, e nel secondo la fisica, e le matematiche miste, da continuarsi almeno per un altr' anno: saranno ammessi all' esame dei magisteri di filosofia, ed arti, nei quali saranno distinti quelli, che avranno applicato ancora alla lingua Greca, ed all' eloquenza Latina come si è detto nel cap. 3.

Quelli, che avranno atteso all' eloquenza Latina, ed alle lingue Ebraica, Greca, e Siro-Caldea, ed Araba impiegando in questi studi almeno due anni, si ammetteranno all' esame dei magisteri delle lingue.

Quelli, che si saranno applicati alla notomia, ed alla chirurgia, prendendo l' intiero corso dell' una, e dell' altra, con frequentare però per due anni il teatro tanto per le dimostrazioni anatomiche, che per le operazioni chirurgiche, concorreranno all' attestato di premio, che si darà a quelli, che se ne troveranno degni; aggiungendo per il più meritevolo il dono d' un' opera di chirurgia.

Finalmente quelli, che avranno frequentato per un intiero corso la scuola d' ostetricia potranno concorrere agli attestati d' idoneità, ed alla medaglia d' oro.

Questi ultimi due premj potranno ottarsi, e conseguirsi dallo stesso studente, quando in lui concorrano li sopra espressi requisiti.

Li dottorati di premio in s. teologia, ed in giurisprudenza, li magisteri di premio nella facoltà criminale, nelle arti, e nelle lingue, e gli attestati d' idoneità in chirurgia, ed in ostetricia non avranno un numero limitato: ma si conferiranno a tutti quelli, che forniti delle qualità sopra espresse, si troveranno degni di conseguirli nell' esame da farsene.

Per essere ammessi agli esami dovranno li concorrenti presentarsi al rettore deputato il primo giorno di luglio con tutti li rincontri delle matricole, e con gli attestati dei rispettivi professori non solo della diligente, ed assidua frequenza, ma del profitto dimostrato negli esercizj scolastici.

Per la teologia, e medicina il rettore ammetterà al concorso quelli, che avranno li requisiti prescritti, rimettendoli ai rispettivi collegi per l'esame, o collazione delle lauree tanto ad onore, che di premio.

Per le lauree ad onore in legge s'intimerà subito il concorso, che dovrà ultimarsi al più in termine di sei ore senza alcuna maggiore tolleranza; e considerate le dissertazioni, apparterrà al congresso rettorale il prescieglìero li due concorrenti più degni.

Per li dottorati di premio in legge si farà l'esame dai professori della classe legale avanti al rettore deputato, o suoi due colleghi. L'istesso sarà degli esami per li diversi magisteri, che si eseguiranno dai professori delle rispettive classi.

Per gli attestati, e premio di chirurgia, e per gli attestati, o medaglia d'oro in ostetricia si farà l'esame avanti al rettore, e suoi colleghi dai professori di medicina coll'intervento dei professori di chirurgia, ed ostetricia. Secondo il consiglio degli esaminatori suddetti si ordinerà, che si diano gli attestati della frequenza, ed abilità a quelli soltanto, che si crederanno sufficientemente istruiti. A quello studente poi, che a giudizio dei medesimi sarà il più abile in chirurgia, si darà un attestato assai onorifico, ed un premio d'un corpo di libri, come si è detto; ed al più abile in ostetricia si darà la medaglia d'oro.

Tutti questi esami, e concorsi devranno ultimarsi prima del giorno 16. di luglio.

Il giorno 21. o 22. di luglio all'occasione, che il collegio rettorale degli illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati concistoriali si adunerà nella gran sala dell'università per conferire, solennemente li due dottorati d'onore, e le lauree di premio in giurisprudenza, si ritroveranno presenti tutti quelli, che avranno conseguite le altre suddette graduazioni, sederanno in luoghi distinti, e verranno pubblicamente encomiati dal decano del lodato collegio. Saranno altresì stampati, ed affissi li loro nomi, ed il bidello li pubblicherà dal pulpito. Dopo di che tutto il corpo dell'università discenderà nella chiesa per assistere alla messa solenne in ringraziamento all'Altissimo.

CARLO LUIGI COSTANTINI

Avvocato concistoriale, o dei poveri,
e rettore deputato
dell'archiginnasio Romano.

Il regolamento dell'archiginnasio Romano, che presenta le leggi antiche, e veglianti combinate coi nuovi provvedimenti prescritti per espresso oracolo della Santità di nostro signore, essendo stato, dopo un maturo esame, pienamente approvato dagl'illustrissimi, e reverendissimi signori avvocati concisturiali monsignor Prospero Bottini ponente di s. Consulta, e monsignor Giuseppe Benetti avvocato del Fisco, e della Reverenda Camera Apostolica colleghi assunti dal principio del rettorato per la buona direzione dell'università a tenore del chirografo Benedettino §. *Ed essendo:* avrà il suo intiero effetto, e la sua totale esecuzione dal nuovo anno scolastico in virtù dello stesso chirografo §. *In esecuzione;* ed in luogo della consueta affissione, verrà distribuito a tutti li signori professori dal bidello puntatore, che ne farà la dovuta relazione in scritto nell'esemplare da conservarsi in archivio.

Dato dalla gran sala della Sapienza li 21. aprile 1788.

C. L. Costantini rettore deputato.

§. 12. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut praeinserta statuta, et leges firmius subsistant, et serventur exactius, memorati exponentes apostolicae firmitatis patrocinio per Nos communiri summopere desiderent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. *Preces porrectae pro confirmatione statutorum.*

§. 13. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat *Tenor confirmationis.*

consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinserta statuta et leges auctoritate Nostra apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 14. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 15. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, praedicti archigymnasii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die XV. julii MDCCLXXXVIII. pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCIX.

Dat. Romae 11 julii 1788. Anno XIV.

Indulgetur capellanis obedientiae magistralis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani, ut gestare valeant rocchettum cum mozzetta in eorum ecclesia conventuali.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quoties a Nobis postulatur, quod ad ecclesiarum, suorumque inservientium decus, divinique cultus augmentum, et ad Christifidelium pietatem, ac religionem excitandam, promoveodamque accommodatum, idoneumque videtur, Nos decet libenter concedere, et petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio precum exhibitarum a procuratore ordinis.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Stephani Pajla fratris cappuccini obedientiae magistralis expresse professi hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani procuratorio etiam nomine aliorum fratrum Cappuccinorum obedientiae magistralis dicti hospitalis in conventu residentium expositum fuit, quod suae ecclesiae splendor admodum conciliaretur, et divinus quoque cultus quodammodo incrementum susciperet, ubi eosdem fratres Cappuccinos illuc residentes aliqua honoris praerogativa in ecclesiastico habitu, quam gestare soleut donaremus. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur memoratum exponentem, aliosque Cappuccinos nunc in conventu dicti hospitalis residentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, illorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, ac etiam dilecti filii Antonii de Guirania Brillane fratris militis expresse professi, ac bajulivi Aquilae dicti hospitalis, ac apud Nos, et hanc sanctam Sedem dilecti filii magni magistri, ac totius ordinis hospitalis sancti Joannis Hierosolymitani oratoris precibus hisce desuper Nobis humiliter porrectis suffragantes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ut deinceps, et perpetuis futuris temporibus Cappuccini obedientiae magistralis dicti hospitalis pro tempore in conventu residentes rocchettum cum mozzetta nigri coloris serico rubro subsuta cum suis asolis, et globulis pariter rubris tam in sua ecclesia, ejusque choro, quam extra eum in processionibus, aliisque functionibus, et actibus publicis quibuscumque gestare, illisque uti libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus, eosque desuper a quoquam impediri, molestari, vel perturbari nullatenus pos-

se, ac irritum, et inane, si secus super his a quolibet quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Derogatio contrariorum

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit dicti hospitalis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima prima julii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCX.

Dat. Romae 21 julii 1788. Anno XIV.

Approbatio operum factarum in constructione canalis in flumine Eridani ad Spineticum ostium a civitate Faentiae usque ad mare Adriaticum.

Pius PP. VI.

Motu proprio ec.

Laudat pontifex opus a Zanellio expletum.

§. 1. Ci è ben noto il felice principio, e progresso, che previa la Nostra sovrana approvazione, ha avuta la grandiosa opera del canale Naviglio coraggiosamente, e con molto dispendio proprio intrapresa da Scipione Zanelli patrizio Faentino, e Nostro suddito, da Faenza fino al Po di Primaro. Con questo canale, che comincia dalla detta città di Faenza, e traversando li territorj di Cottignola, di Bagnacavallo, e di Ravenna, va ad imboccare nel fiume Primaro, ha egli introdotto un facile, e comodo commercio per acqua fino al mare Adriatico, in cui entra il Primaro stesso; ed abbiamo dai più accertati rincontri con molta Nostra sodisfazione rilevato essere già da alcuni anni indietro questo canale di navigazione talmente bene in azione, che vedesi frequentemente coperto da barche, generi, e mercanzie o inviate al mare Adriatico, o di là procedenti, e che in conseguenza in quella parte del Nostro stato, e nei vicini luoghi fiorisce già, e giornalmente cresce un commercio di cui antecedentemente non ve n'era idea, ed il quale riesce di molto vantaggio a quei Nostri sudditi.

Memorat quomodo adjutricem praebuerit manum, ut opus ad bonum exitum veniret.

§. 2. Siamo Noi ben memori di aver data più volte la Nostra mano adiutrice a quest'opera per animare chi con tanto zelu, e con esporre tutto il pingue suo patrimonio, ne aveva assunto l'impresa. Allorchè nell'anno 1776. col sentimento di una congregazione particolare de' reverendissimi cardinali da Noi deputata, concedessimo al succennato Scipione Zanelli la facoltà di scavare il suddetto nuovo canale di navigazione col mezzo dell'acqua già derivata superiormente alla città di Faenza dal fiume Lamone per uso de' molini, e di altri publici di lei edifizi, e d'incominciare lo scavo di esso canale dal molino di detta città denominato il molino della Croce, e di condurlo lungo la strada, che porta a Bagnacavallo, indi per i prati di Bagnacavallo medesimo, e successivamente lungo il fosso vecchio fino in Po di Primario nelle vicinanze di sant'Alberto giusta la linea, e metodo indicati dal perito idrostatico Romualdo Bertaglia nella sua relazione sottoscritta li 18 agosto 1754, credessimo opportuno di segnare sotto li due giugno del ridetto anno 1776 un chirografo, in cui accordassimo al medesimo Scipione Zanelli, e suoi in infinito la libera pertinenza di esso nuovo canale di navigazione, che aveva da aprirsi, e dei prodotti qualunque, che dal medesimo tanto per la navigazione, e per gli edificj da costruirvisi, quanto in qualunque altra maniera si fossero ricavati, e così ancora gli accordassimo la facoltà di gravare di una discreta contribuzione quelle merci, e prodotti, che si trasportassero per barca coll'uso di detto canal Naviglio a similitudine di quello, che si costuma nel Naviglio di Bologna, ed in altri simili canali manofatti: gli concedessimo altresì di poter longo il canale medesimo costruire molini, ed altre fabbriche ed edificj e di piantarvi alberi di qualunque sorta: dassimo a lui, e

suoi il dominio dall'acqua, che, dopo aver servito agli edificj della città di Faenza, dovea presso il molino della Croce introdursi nel Naviglio, proibendone la diversione, e diminuzione, fuori del caso dello spurgo della chiusa della città, da farsi anche questo con alcune cautele da Noi prescritte: esentammo l'intraprendente Zanelli di qualunque spesa, o contribuzione per il mantenimento della chiusa, e canale inserviente alla città, volendo bensì, che a di lui carico fossero tutte le spese, che potessero occorrere, non solo per la costruzione, ma ancora per la conservazione, e manutenzione del canal Naviglio dal suo principio sino al suo termine; come altresì, che dovesse egli co' proprj danari comprare tutta quella quantità di terreno, che fosse necessaria per fermare il medesimo Naviglio, suoi argini, sostegni, fabbriche, e strade laterali, coll'obbligazione a tutti li padroni de' terreni, ancorchè proprj degli ecclesiastici, e di altri privilegiati, di venderne a lui la quantità occorrente per il prezzo da fissarsi da due periti, e coll'obbligo rispettivamente all' intraprendente Zanelli di reintegrarli di tutti li danni, che potessero irrogarglisi dall'atterramento delle fabbriche, che avessero a demolirsi: proibissimo, che potesse alcuno pascere l'erbe, o percepire verun frutto proveniente da' terreni comprati dallo stesso Zanelli, e così pure, che o per personal comodo, o per trasporto potesse ritenere tanto lungo il canale quanto dall'una, e l'altra sponda barche nel nuovo naviglio senza l'espressa licenza in iscritto dell'intraprendente Zanelli, e suoi: ordinassimo inoltre che il nuovo Naviglio non fosse soggetto a veruna imposizione per causa de' lavorieri fatti, o da farsi nei fiumi, e fosso vecchio, o per qualunque altra causa; e che non fosse lecito a veruna comunità, per il di cui territorio era per passare il canale, e d'imporre veruna gabella di transito sulle barche, e loro carico, dichiarando però che restassero ferme tutte le gabelle, dazj, e pedagi, che per la roba, la quale s'introduceva, o si estraeva, o transitava per terra, si esigevano allora dalle medesime comunità, senza che per altro potessero tali dazj aumentarsi, o potessero imporsene dei nuovi sopra la roba da trasportarsi per esso canale. Deputammo in fine il reverendissimo cardinale legato della provincia di Romagna *pro tempore* per commissario, ed esecutore della suddetta opera del naviglio Faentino, e di tutte le altre cose da Noi disposte tanto dentro, quanto fuori dei limiti della legazione di Romagna, e conseguentemente anche dentro i limiti della legazione di Ferrara per quel tratto, che veniva dal nuovo canale ad intersecarsi, concedendo alli medesimi cardinali legati di Romagna tutte le facoltà opportune, fra le quali anche quella di fare qualche cambiamento dell'approvata linea del dottor Bertaglia, qualora per parte dell' intraprendente Zanelli gli si facesse costare essere la variazione stessa più commoda per la costruzione del Naviglio, meno dispendiosa, e più sicura per li scoli, e più utile ai possessori adjacenti.

Privilegia novissime concessa ipsi Zanellio memorantur.

§. 3. A questo primo chirografo altro ne aggiungessimo da Noi segnato li 20 marzo 1778. diretto al fu cardinal Casali prefetto allora della Nostra congregazione de' Sgravj, e Buon Governo: in esso, tornando Noi a concedere al Zanelli l'apertura di un canal Naviglio da Faenza fino al mare Adriatico per mezzo del Po di Primaro con tutte le grazie, privilegj, ed esenzioni accordategli nel succennato primo Nostro chirografo dei 2 giugno 1776., specialmente gli confermassimo la facoltà di gravare di quell' onesta contribuzione, e ricognizione, che al medesimo paresse, tutte le merci, e generi, che si fossero trasportati per detto canale in correspettività della grave spesa, di cui egli si era caricato, e del commodo, e vantaggio, che era per riceverne chi facesse uso del detto canale, il quale avrebbe dovuto altrimenti spendere molto di più trasportando le merci, e generi per terra. Gli confermassimo ancora l'altra facoltà di piantare alberi di qualunque sorta lungo gli argini, ed anche all' orlo de' fossi nell' uno, e nell' altro lato di ciascuna delle strade da farsi di nuovo, e da stabilirsi da lui, e di disporre sempre a piacere suo di tali alberi: confermassimo in fine, e rinovassimo l' espressa proibizione alle comunità per il territorio delle quali doveva passare il canal Naviglio, d' imporre in avvenire gabella alcuna su le barche, e loro carico, quali volemmo, che non dovessero esser gravati di alcun dazio, gabella, pedagio, transito, passo, e sotto qualunque altro titolo, e l' esentassimo anche dal dazio denominato il passo di sant' Alberto, circa il quale ordinassimo, che si destinasse, coll' intelligenza, e consenso del tesoriere di Ferrara, un sito so-

pra lo sbocco del nuovo Naviglio al Po di Primario, ove fossero tenuti pagare al medesimo tesoriere la consueta gabella, che si pagava a s. Alberto, tutti quei carichi e barche, che non fossero dirette, e non provenissero dal nuovo Naviglio. Di più essendosi in vista del vantaggio, che da quest'opera fondatamente si sperava, impegnata la comunità di Faenza di facilitare all'intraprendente Scipione Zanelli suo concittadino la reperizione del danaro occorrente per la medesima, risolvette nel pubblico consiglio dei 9 novembre 1777, di prestare il nome, e la solidale obbligazione de' cittadini, ed astanti del territorio *uti singuli* nel debito di scudi cinquantamila, che avrebbe contratto il medesimo Zanelli, per erogarli nella suddetta impresa: onde Noi informati di questa risoluzione consigliare, dopo aver sentito il parere del cardinal prefetto del Buon Governo, l'approvassimo col detto Nostro chirografo dei 20 marzo 1778, e commettessimo allo stesso cardinal prefetto di ammettere la comunità di Faenza al monte comunità nuovo per luoghi cinquecento da crearsi per via d'aggiunta, dandogli la facoltà di venderli, e rassegnarli per trasmetterne il prezzo in Faenza, e farlo depositare nel monte di Pietà di quella città coll'espressione della provenienza, e per erogarlo con ordini da sottoscriversi tanto dal Zanelli, quanto dal capo del magistrato *pro tempore* nelle spese di detta opera, e non in altre cause; con legge, e condizione, che sul Naviglio, suo fondo, argini, alberi, ponti, molini, ed edificj, e sopra tutt'altro, che facesse il Zanelli fabbricare, o stabilire sul medesimo Naviglio, e suoi annessi; come ancora sulle rendite, prodotti, ragioni, ed azioni qualunque da esso provenienti niun creditore ancorchè privilegiato, e privilegiatissimo di detto Zanelli potesse acquistarvi azione alcuna fino che non fosse intieramente estinto il detto debito di scudi cinquantamila, ed intieramente saldati li frutti: e commettessimo altresì al medesimo cardinal prefetto la stipolazione del pubblico istromento, nel quale Scipione Zanelli dovesse obbligarsi depositare l'importo de' frutti di detti luoghi cinquecento nella depositeria generale della camera in Roma di bimestre in bimestre anticipato; di terminar inoltre l'opera nel termine di anni sei; di estinguere affatto il debito nel termine di anni trenta successivi, dovendo però cominciare l'estinzione non più tardi degl'anni venti; di rilevare in fine la comunità di ogni danno, spesa, e molestia tanto coll'ipoteca, ed obbligo generale di tutti i suoi beni, quanto coll'ipoteca speciale dei beni assegnati al consiglio communitativo di Faenza, e dal medesimo accettati del valore di scudi cinquantamila, ducento quarantadue 03. 6., derogando e sospendendo per tal effetto qualunque fidecommisso, che vi potesse essere su di essi fino all'estinzione di detto debito, e coll'obbligo solidale de' cittadini, ed astanti nel territorio di Faenza *uti singuli*, a norma della suddetta risoluzione consigliare, e procura, che formata ne aveva il magistrato.

§. 4. Stipulatosi per tanto in esecuzione di questo Nostro secondo chirografo avanti il cardinal prefetto del Buon Governo li 21 marzo 1778 il publico istromento a' rogiti del Paco notaro di quella congregazione, si pose dal Zanelli la mano all'opera, comprando tutti li terreni occorrenti, scavando il canale, facendo gli argini di esso, alzando ponti, fabricando sostegni, molini, ed altri edifizj correlativi, aprendo finalmente le necessarie strade ai lati di esso, talchè l'impresa andava felicemente, e con sollecitudine inoltrandosi al suo compimento. Ma come suole in tali opere accadere, non potè quella nella lunga sua estensione di miglia venticinque, non incontrare delle non previste disgrazie prima della sua ultimazione, e queste poi non solamente fecero all'intraprendente Scipione Zanelli consumare molto tempo per rimediarvi; ma l'obbligarono anche a caricarsi di nuove ben sensibili spese per giungere al compimento della sua impresa: una improvisa rotta di fondo, e di argini accaduta alla destra del non molto distante fiume Senio li 28 ottobre 1780, la quale mondò per l'estensione di dieci miglia il nuovo canal Naviglio, ed in parte l'interrì, disfacendo pure se non ben per anche assodate arginature del medesimo; e così ancora due straordinarissime inondazioni del Po di Primario, che accaddero nei primi mesi dell'anno 1784, per mezzo di cui furono devastati agli argini a lui vicini del nuovo canale Naviglio di recente fatti, furono due cagioni, per le quali il Zanelli non solo dovette giunger più tardi all'ultimazione, ma dovette ancora caricarsi di due nuovi debiti, uno cioè di scudi venticinque mila, e l'altro di scudi quindici-

Enumerantur omnia quae a Zanellio gesta sunt, ut opus ad exitum perducere posset.

mila, per cui essendosi esibita la comunità di Faenza di prestare per lui il suo nome, e l'obbligazione solidale di tutti i consiglieri, cittadini, ed astanti del territorio *uti singuli* nell'ammissione della comunità stessa prima a luoghi duecento cinquanta, e poi ad altri luoghi cento cinquanta del monte nuovo Comunità nella medesima maniera, o colle sicurezze consimili a quelle, con cui aveva acconsentito alla precedente sua ammissione per gli altri luoghi cinquecento, perchè potesse il Zanelli erogarne il prezzo nella ristorazione degli argini, e negli altri lavori necessarj al compimento del canal Naviglio, Noi, che avevamo a cuore la perfezione di un'opera diretta al sollievo, e profitto dei Nostri sudditi, non incontrammo difficoltà di approvare le risoluzioni su di ciò prese dal pubblico consiglio di Faenza, e con due Nostri chirografi diretti al cardinal Casali prefetto del Buon Governo, uno segnato li 27 settembre 1781, e l'altro li 26 aprile 1784, dassimo a lui la facoltà di ammettere la comunità di Faenza prima a luoghi duecento cinquanta, e poi a luoghi cento cinquanta del monte Comunità nuovo a tutto commodo, e pericolo di Scipione Zanelli, e di stipolare col medesimo gl'istrumenti occorrenti tanto per sicurezza de' montisti, quanto per rilevazione, ed indennità della comunità, con tutte quelle cautele, condizioni, patti, dichiarazioni, e deroghe, che Noi avevamo prescritte per la prima ammissione della comunità ai luoghi cinquecento coll'altro Nostro chirografo di 20 marzo 1778., e che erano stato poi col Zanelli stesso nell'istromento su di ciò stipolato formalmente convenute. In forza pertanto di tutte queste Nostre provvidenze, ed ajuti potè felicemente proseguirsi, e condursi poi al suo termine la costruzione del canal Naviglio, degli edifici, ed altri lavori al medesimo spettanti.

Ius privativum ipsi Zanellio concessum fuisse narratur construendi pontes in canali.

§. 5. Siccome però nell'inoltrarsi, che faceva l'opera, ci si fece avvertire, che sarebbe stato di molto imbarazzo, e di gran ritardo alla navigazione per il detto canale, se fosse stato lecito ad ognuno, che possedeva ie vicinanza di esso canale, il far su di quello dei ponti levatori, conforme col Nostro primo chirografo dei 2 giugno 1776 glie ne avevamo lasciata la facoltà; perciò essendocisi offerto Scipione Zanelli di costruire egli a spese proprie sul medesimo canale diecisette ponti per comodo di tutti quei, che avessero voluto passarvi, e trasportarvi le loro robe, Noi con un rescritto di Nostro carattere firmato li 3 ottobre 1782. rivocassimo questa facoltà data ai possidenti suddetti nel succennato chirografo, ed ordinassimo, che niuno di loro potesse fare a traverso del canal Naviglio ponte alcuno di qualunque specie di struttura; e qualora avesse qualcuno attentato di farvelo, concedessimo la facoltà a Scipione Zanelli di devastarlo, e demolirlo per via di fatto senza alcuna interpellazione; senza bisogno d'implorare l'autorità di alcun giudice, e senza obbligo di rifare alcun danno, ordinando di più, che in questa Nostra disposizione fossero compresi li luoghi pii, ecclesiastici, camerali, ed in qualsivoglia altra maniera privilegiati, e così anche le persone dell'uno, e l'altro clero, e quelle altresì costituite in qualunque mai dignità, e degne di special menzione.

Opus bene extructum adprobare se pontifex declarat.

§. 6. Ora dunque che vedesi da qualche anno indietro compito già tutto ciò, che riguarda il canal Naviglio, e che fiorisce in esso, come dicemmo da principio, una felice, e comoda navigazione, e commercio da Faenza al mare Adriatico per mezzo del Po di Primaro, abbiamo creduto conveniente di dare la Nostra sovrana approvazione a tutta l'opera fatta, e di non solamente confermare le grazie da Noi già in passato accordate al benemerito Nostro suddito Scipione Zanelli, ma di concedergliene ancora delle altre da esso lui richiesteci, parte in dichiarazione delle precedenti, e parte anche di nuovo, acciò egli abbia così da noi un ulterior attestato della Nostra soddisfazione, e gradimento di quello, che egli ha per il pubblico bene con tanto zelo, incomodo, e dispendio proprio operato, ed acciò altresì ritragga un onesto compenso dalle moltissime fatiche, e dalle gravissime spese da lui incontrate per riuscire in una sì lodevol impresa.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 7. Avendo pertanto Noi per qui presenta, ed esattamente espresso tutto lo stato attuale del canal Naviglio, come ancora tutti li soprannominati Nostri chirografi, e rescritti, ed ogni altra cosa necessaria ad esprimersi, di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema potestà approviamo in primo luogo l'intiera opera del canal Naviglio col suoi argini, sostegni, ponti, strade laterali, ed edificj nella maniera, con cui è stata eseguita, sebbene esso canale nel territorio di

Bagnacavallo, e di Ravenna si vegga per un poco variare dalla linea, e metodo proposto nella sua relazione dei 18. agosto 1754. dell'idrostatico Romualdo Bertaglia, ed approvato nel 1776. dalla congregazione particolare da Noi deputata, poichè sappiamo, che tal piccola, ed innocua variazione fu fatta per maggior comodo, ed utile dei possessori adjacenti, e per maggior sicurezza della linea medesima, previo l'esame, e l'approvazione del reverendissimo cardinal Valenti Gonzaga mentre era legato in Romagna, a cui nel primo Nostro chirografo dei 2. giugno 1776. ne avevamo concessa la facoltà. Confermiamo in secondo luogo, e quando faccia di bisogno nuovamente concediamo a Scipione Zanelli, e suoi tutte le esenzioni, privilegj, facoltà, diritti, concessioni, e grazie diffusamente espresse non solo nel succennato chirografo dei 2. giugno 1776. diretto al reverendissimo cardinal Vitaliano Borromeo allora legato di Romagna, ma anche nell'altro segnato li 20. marzo 1778. e diretto al defonto cardinal Antonio Casali prefetto della congregazione del Buon Governo. E così ancora l'ammissione della comunità di Faenza ai luoghi novecento del monte Comunità fatta a tutto comodo, e pericolo di Scipione Zanelli con tutte però le obbligazioni, ipoteche, e sicurezze da esso date per di lei indennità, e da Noi prescritte tanto nell'ora ominato Nostro chirografo dei 20. marzo 1778. quanto nei due altri chirografi posteriori da Noi segnati li 27. settembre 1781. e li 26. aprile 1784. già pienamente eseguiti. Confermiamo altresì il rescritto di Nostro pugno firmato li 5. ottobre 1782. onde ordiniamo, e comandiamo di nuovo che niuno, ancorchè possidente vicino al canal Naviglio, possa erigere ponti levatori, o di qualunque altra sorta, sebben fossero pedagne, o passi, a traverso del medesimo Naviglio; e ciò perchè con tali ponti, pedagne, e passi si viene a recare un danno gravissimo alla di lui navigazione per l'impedimento, e ritardo, che gli apportano: che però, non ostante qualunque permesso, o facoltà accordatagli col primo Nostro chirografo dei 2. giugno 1776. proibiamo ad ogni persona tanto laica, quanto ecclesiastica, ancorchè regolare quanto si voglia privilegiata, costituita anche in dignità, e degna di special menzione, e così a qualunque luogo pio; ed anche camerale, di erigere ponte alcuno, pedagna, o passo per attraversare il canal Naviglio, e nel caso, che ve l'erigessero, concediamo a Scipione Zanelli la facoltà di demolirli per via di fatto senza alcuna interpellazione, senza implorare alcuna autorità, e senza obbligo di rifare alcun danno conforme già Noi comandassimo col suddetto Nostro rescritto dei 5. ottobre 1782.

§. 8. Vogliamo bensì, e comandiamo, che i ponti sul detto canal Naviglio siano in numero di diecisette, quanti di fatti in esso rescritto noi ordinassimo a Scipione Zanelli di costruirvene, a che sia a tutti sempre libero il passo su di quelli anche con bestie, e con carri per trasportare la loro roba dall'una all'altra parte del Naviglio stesso; come ancora vogliamo che tanto Scipione Zanelli, quanto li di lui successori siano in obbligo di perpetuamente mantenerli a proprie spese tutti e diecisette sempre aperti, e transitabili a pubblica comodità, senza che possano esigere cosa veruna nè a titolo di pedagio, nè a titolo della costruzione, e mantenimento de' ponti medesimi.

Declarationes speciales circa pontes.

§. 9. Oltre tutto ciò, avendoci ora rappresentato lo stesso Scipione Zanelli, che sebbene Noi col primo Nostro chirografo dei 2. giugno 1776. concedessimo ad esso lui, e suoi la proprietà, e dominio dell'acqua, che uscita dalla città di Faenza fosse introdotta nel canal Naviglio, e ciò non solo per poter sostenere in esso canale la navigazione, ma anche per costruire lungo quello qualunque sorta di edificio; che avesse creduto opportuno: conforme in fatti egli vi costruì fin da principio dei molini, e dei maceratori di lini, e di canape; tuttavia si sono alcuni presa la libertà di fare dei maceratori simili vicino al canale medesimo, tirando da quello l'acqua non sua, a pregiudizio non meno della navigazione, che dell'interesse del supplicante Zanelli, perciò Noi considerando non esser giusto, che altri si prevalghino dell'acqua, che abbiamo data in proprietà al Zanelli; nè potendosi permettere che con tali opere si espongbino a pericoli la navigazione, il canale, e gli argini, ordiniamo, e comandiamo, che entro il termine di tre mesi dopo che ne saranno stati da Scipione Zanelli interpellati i loro padroni, si demolischino tutti li maceratori dei lini, e canape, che dai possidenti vicino il canal Naviglio, siano laici, siano ecclesiastici, e regolari ancorchè privilegiati e privilegiatissimi, e quantunque degni

Prohibitio utendi aqua jam ipsi Zanellio concessa, et poenae contra inobedientes inflictae.

di special menzione, siano luoghi pii, o camerali, sono stati costruiti dopo l'apertura di esso nella distanza di sessanta pertiche Ravennati dalla base del medesimo come quelli, che per mancanza di acqua sorgiva in quei luoghi, non con altr'acqua si alimentano che con quella del detto canal Naviglio: e qualora dentro tal termine non siano stati dai possidenti stessi demoliti, diamo al medesimo Scipione Zanelli la facoltà di fargli egli demolire di fatto, e di autorità propria, in tutto, e per tutto, conforme abbiamo or ora ordinato relativamente si ponti.

Prohibitio construendi quodcumque novum opus in demonum novi canalis.

§. 10. Proibiamo altresì a tutte le persone, e luoghi pii, e camerali sunnominati, sotto la stessa pena dell'immediata demolizione da farsi coll' indicata libertà da Scipione Zanelli, e suoi il costruire, entro la suddetta distanza di sessanta pertiche Ravennati da misurarsi sempre dalla base degli argini del canale, maceratori nuovi, e così anche lo scavar fossi, far fornaci, innaffiamenti, e qualunque altra opera, che porti trapelo, diminuzione di acqua, ed altra qualunque lesione del canal Naviglio, volendo, che al solo Scipione Zanelli, e suoi sia permesso fare tali edificj entro la suddetta distanza: comandiamo bensì, che debbano restar in azione tutti quei maceratori, ed edificj sebbene non distanti sessanta pertiche, che esistevano prima che si costruisse il canal Naviglio; come ancora vogliamo, che a ciascuno dei possidenti vicino al canale sia lecito, anche dentro la suddetta distanza, scavare dei pozzi per servizio dei loro beni, e del loro bestiame.

Providentiae circa solutionem datiorum impositorum pro transvectione segetum.

§. 11. Essendosi poi da qualche vicina comunità specialmente della provincia di Ferrara, o dai loro appaltatori voluto esigere un insolito dazio di transito per quelle biade, che passano per il loro territorio allorchè vanno a macinarsi ai molini di Zanelli posti lungo il canal Naviglio, o da quelli si riconduchino già macinate; perciò condannando Noi questo abuso come lesivo della libertà, e dei privilegj da Noi accordati a Scipione Zanelli, espressamente comandiamo, che pagati che siano li soliti dazj del macinato da quei che conducono, o riportano le loro biade dai molini del canale, non debbano quelle esser da qualsisia comunità, o loro appaltatori assoggettate sì nell'andare, che nel ritornare a qualunque altro pagamento sotto nome di dazio, bolletta, passo, o altro titolo. Comandiamo parimente, che li grani, e minuti, che rimarranno al Zanelli per mercede delle moliture ne' suoi molini, siano sempre esenti dal pagare il dazio, o dazj del macinato, per averli già preventivamente pagati chi le conduce a quei molini: che però sempre che costi esser dette biade mercede di molitura, vogliamo, che si possino liberamente vendere tanto sode, quanto in farina senz'alcun altro pagamento di nuova bolletta del macinato. Per la quantità poi di mille rubbia di grano, e di rubbia seicento di marzatelli in quegli anni però, in cui tal quantità si ricavi dalla mercede delle moliture fatte nei molini del canal Naviglio, o non ricavandosi, per quella quantità, che realmente da essa si ritrarrà, concediamo a Scipione Zanelli, e suoi le tratte privilegiate per fuori di stato, tanto per mare, che per terra, da conseguirsi per altro in quei soli anni, in cui nella provincia di Romagna si concedino le tratte, e vogliamo, che tale tratta gli si dia fra le prime privilegiate, giacchè intendiamo di accordargliela in compenso delle gravissime spese da esso fatte nell'opera del Naviglio.

Jus retinendi custodem Zanellio concessum pro obtinenda executione omnium concessionum eidem factarum.

§. 12. Ad effetto poi, che lo stesso Scipione Zanelli non sia pregiudicato nel diritto, che nei Nostri due primi chirografi gli accordassimo di piantar alberi tanto sopra gli argini, quanto sopra il labro de' fossi adjacenti al Naviglio, e di raccoglier erba, e fieno nascente in detti luoghi, come pure ad effetto di evitare li furti, e danni, che spesso gli vengono fatti dagli uomini, e dai bestiami, e di conservare le arginature, ed il commodo per il tiro delle barche coi cavalli, o con altri animali, concediamo al medesimo la facoltà di poter ritenere due guardiani, che invigilino alla custodia di tutto il Naviglio, de' suoi prodotti, arginature, ed edifizj, quali guardiani, che averanno la facoltà di portare le consuete armi, dovranno, prima di principiare ad esercitare il loro impiego, esibire la loro patente alla legazione di Romagna, e farla ivi registrare, e dovranno altresì percepire per loro emolumento la terza parte delle pene, che coll' editto del reverendissimo cardinal Valenti Gonzaga legato di Romagna dei 24. luglio 1779. furono imposte contro li dannificanti, e contraventori, tornando qui Noi a confermare, e quando faccia di bisogno a concedere di nuovo alli reverendissimi cardinali legati della provincia di Roma-

gna la facoltà datagli nel Nostro primo chirografo dei 2. giugno 1776. di far loro eseguire tutte le disposizioni da Noi fatte sul più volte nominato canal Naviglio non solo per quel tratto, che esso ha dentro la Romagna, ma anche per quella parte, che va ad intersecare la legazione di Ferrara. Per questa stessa ragione poi che tutto il Naviglio dovrà sempre considerarsi come esistente nella legazione di Romagna, vogliamo, che tutti i grani, e marzatelli, che si ritraggono dai molini del medesimo Naviglio, possano sempre trasportarsi liberamente per il Naviglio stesso da uno all' altro dei di lui magazzeni posti tanto nella provincia di Romagna, quanto in quella di Ferrara indistintamente senza dover incontrare o nell' una, o nell' altra provincia difficoltà alcuna.

Concessio terreni olim occupati a viis nuncupatis la Forma et il Cogollo favore ejusdem Zanelli.

§. 13. Avendo il Zanelli nel costruire il nuovo Naviglio in vicinanza della terra di Bagnaravallo dovuto intersecare due strade, una detta la *Forma* e l'altra il *Cogollo*, che conducevano alla strada, a porta denominata dei Cappuccini di detta terra, ed avendo alle medesime sostituita un'altra nuova strada alla destra lungo il Naviglio, che conduce al ponte da lui fatto sopra il medesimo, ed alla porta di s. Domenico, sono restati, da che il Naviglio fu fatto, inoperosi affatto, ed abbandonati quei due tronchi delle succennate due strade, le quali non hanno mai data in passato comunicazione ad alcuno dei campi adjacenti dei particolari, i quali hanno tutti l' accesso, e le case sopra la strada de' Cappuccini. Siccome dunque detti due tronchi di strada pubblica sono di pertinenza Nostra, conforme lo sono sempre stati in addietro, e siccome altresì dal ritenersi così aperti, e derelitti ne deriva, che tutti vi mandano a pascere li bestiami, li quali poi vanno a danneggiare l' argination del Naviglio, che con quei tronchi confina, e li piantamenti fattivi; così avendoci Scipione Zanelli supplicato di concederglieli in proprietà, ad effetto di poterli far chiudere all' imbocco, che essi hanno sulla strada dei Cappuccini, perchè non vi entrino più nè uomini, nè bestie a far danno non meno a lui, che ai vicini campi, Noi ben volentieri gli concediamo in proprietà li detti due tronchi di strada denominati la *Forma*, *ed il Cogollo*; con che però debba mantenere li fossi laterali alli medesimi per scolo delle campagne adjacenti.

Indulgetur ut nova janua nuncupata aperiri possit in civitate Faventiae.

§. 14. Fin da quando nel Nostro passaggio da Faenza seguito nell' anno 1782., allorchè ritornavamo dal viaggio di Vienna, fossimo Noi a vedere l' opera già molto inoltrata del nuovo canal Naviglio, Scipione Zanelli ci supplicò di dargli la facoltà di aprire a sue spese una nuova porta sotto il Nostro nome nelle mura della città incontro allo stesso canale. Non isdegnassimo di accordargli fin' allora questa grazia a voce; ed avendocene ora replicata l'istanza, siamo condiscesi ad aderirci; e però concediamo ad esso la facoltà di aprire, e costruire a tutte sue spese questa porta in prospetto, e per uso del detto canal Naviglio, senza che per altro con ciò s' intenda a lui accordato alcun dritto di percepir dazio, o corrisposta veruna sotto qualunque pretesto da chi passerà per la medesima, e senza altresì possa impedire di porvisi dalla pubblica autorità la guardia ogni volta che vorrà, e quando si porranno alle altre porte di Faenza; con dichiarazione inoltre, che debba la medesima porta esser soggetta a tutte quelle leggi, a cui saranno soggette le altre porte di quella città.

Prorogatio termini ad effectum perficiendi opera omnia, et aedificia ipsi canali adnexa.

§. 15. Mentre era per ispirare il termine da Noi prefisso al Zanelli prima di un sessennio col Nostro chirografo dei 20 marzo 1778., e poi di un' quadriennio col Nostro rescritto dei 25 maggio 1784. per compire non solo il canal Naviglio, ma anche tutti gli edificj annessi al medesimo, che avesse egli creduto conveniente di fare, per i quali gli dassimo col primo Nostro chirografo dei 2 giugno 1776. la facoltà di obbligare li possessori adjacenti alla vendita del terreno occorrente per il giusto suo prezzo, ci fece egli vedere, che per la grandezza dell' opera, e per le disgrazie di rotte, ed inondazioni incontrate nel formarla, gli era mancato il tempo materiale per ultimare tutte le diverse fabbriche di molini, di magazzeni, ed altre da esso fin da principio stabilite; e però avendoci supplicato di una nuova proroga, ci siamo indotti a intercederegliela, onde gli torniamo ora a prorogare il termine del compimento degl' edificj ad altri quattro anni solamente, dopo li quali non potrà più egli godere di quei Nostri beneficj, o grazie, che per la loro costruzione in principio dell' opera gli accordassimo.

Exemptiones ipsi Zanellio concessae in gratiam operis facti.

§. 16. Finalmente essendosi nel nuovo sistema delle dogane ai confini cominciato ad eseguire l' anno 1786, imposto il dazio di tran-

sito in ragione di un paolo per ogni cento libra; sopra tutti li generi, e merci estere, che transitassero per lo stato Pontificio, ci ha supplicato Scipione Zanelli di voler Noi esimere da questo dazio tutte quelle merci, e generi esteri, che saranno diretti al suo canal Naviglio, e passeranno per il medesimo, e ciò in riflesso delle tante spese da esso fatte per aprirlo: e Noi volendo anche in questa parte usare un atto della Nostra sovrana clemenza verso il medesimo, gli concediamo, di lui vita soltanto naturale durante, la richiesta esenzione, che già monsignor tesoriere gli aveva provisionalmente, e fino che fosse sopravenuto il Nostro oracolo, accordata. E perciò ordiniamo allo stesso monsignore Tesoriere generale, che durante la vita di Scipione Zanelli, non faccia esigere dai ministri delle dogane dazio alcuno di transito imposto col nuovo sistema delle Finanze per quelle merci, e generi esteri, che, volendo transitare per il Nostro stato Pontificio, saranno diretti, e passeranno realmente per il di lui canale Naviglio: ben'inteso, che le gabelle d'introduzione, e di estrazione dal medesimo Pontificio stato si dovranno pagare ugualmente, che nel rimanente dello stato stesso, escluse le provincie di Bologna, e di Ferrara fin tanto che a Noi piacerà di considerarle non comprese nel sccennato nuovo sistema delle Finanze; siccome ancora non potranno i mercanti, e transitanti chiunque ricusare d'osservare, anche per il transito, le leggi delle dogane, prendendo i bollettoni, sottoponendosi alle visite, dando le occurrenti sicurtà, e facendo tutt'altro prescritto nelle ordinazioni tanto generali, che particolari della Finanza per il miglior governo della medesima, e soggiacendo in caso d'inosservanza alle penali stabilite nelle leggi, che saranno vegliantí, sempre però senza pagamento alcuno relativamente a tutto ciò, che riguarderà il transito suddetto.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 17. Tutte le cose pertanto da Noi disposte in questo Nostro moto proprio vogliamo, e comandiamo, che siano adempite, ed eseguite rispettivamente da chi spetta senza il più piccolo ritardo essendo questa la mente, e volontà Nostra espressa. Volendo, e decretando, che al presente Nostro moto proprio, benchè non esibito, nè ammesso, o registrato in camera; e ne' suoi libri a tenore della Bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis*, non possa in alcun tempo, nè per alcun capo, o causa opporsi di surrezzione, orrezzione, nè di alcun vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, nè che mai sotto questi, o altri qualunque pretesti possa essere impugnato, moderato, o rivocato; e che così, e non altrimenti debba sempre nelle premesse cose giudicarsi, definirsi, ed interpretarsi dalla Nostra congregazione dell' Acque da quella del Buon Governo, e da qualunque altra congregazione simile, come pure da' reverendissimi cardinali legati, e da qualunque giudice, e tribunale, benchè collegiale, camerlengo di santa Chiesa, tesoriere generale, rota, camera, e qualsivoglia altro giudice, o tribunale quanto si voglia qualificato, togliendo a ciascun di loro ogni facoltà di giudicare, definire, ed interpretare in contrario, e dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi scientemente, ed ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma e disposizione del presente Nostro moto proprio, il quale vogliamo debba avere il suo pieno effetto, a vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, ancorchè non siano stati chiamati, citati, e sentiti monsignor commissario della Nostra camera, le comunità, per il territorio delle quali passa il canal Naviglio, li possessori dei terreni vicini al medesimo, ed ogni altra persona benchè privilegiata, privilegiatissima anche ecclesiastica, e luogo pio, ed altri qualunque, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, e che per comprenderli esigessero una special menzione.

Derogatio contrariorum.

§. 18. Non ostante la suddetta Bolla di Pio IV. *de registrandis*, la regola della Nostra cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, e qualsivoglia altra costituzione, ed ordinazione apostolica non meno Nostra, che da' Nostri predecessori, leggi, statuti, e riforme, benchè confermate dalla santa Sede, privilegj, immunità, ed esenzioni a qualsivoglia persona, ed ordine anche militare, ed alle undici congregazioni, per qualunque titolo, anche oneroso, concedute, ed ogni altra cosa, che potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole avendone il tenore qui espresso, e di parola in parola inserto, colla pienezza della Nostra pontificia podestà, per questa sol volta, e per la piena, e totale esecuzione di quanto si contiene nel presente Nostro moto proprio ampiamente dero-

ghiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico quirinale li 26 luglio 1788.

Pius PP. Sextus

DCCXI.

Dat. Romae 29. julii 1788. Anno XIV.

Indulgetur, ut in ecclesia collegii sanctissimi Rosarii civitatis sanctae Fidei in Indiis festum sanctissimi Rosarii ad diem XVIII decembris quotannis transferri possit.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilecti filii rector, ac deputati collegii majoris nuncupati civitatis sanctae Fidei de Bogota sub titulo sanctissimi Rosarii Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga beatam Mariam virginem de Rosario gerunt devotionis affectum, festum ejusdem beatae Mariae virginis de Rosario ad diem XVIII decembris cum celebratione missae votivae ejusdem festi in eorum ecclesia quotannis transferre, nec non ut in eadem ecclesia celebrari possit sabbatho sancto post missam solemnem, alia missa lecta, vel votiva ejusdem beatae Mariae virginis de Rosario, vel saltem de tempore, plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus hujusmodi inclinati, et attenta relatione dilecti filii magistri Dominici Coppola congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii, ut in posterum festum tantummodo sanctissimi Rosarii praedicti ab diem XVIII decembris quotannis in ecclesia dicti collegii transferri, et celebrari libere, et licite valeat, auctoritate apostolica, tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti collegii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona julii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXII.

Dat. Romae 29. julii 1788. Anno XIV.

Indultum, ut certis diebus intra octavam Conceptionis beatae Mariae virginis immaculatae missa solemnis de die in ecclesia monasterii monialium s. Jacobi oppidi Matriti Toletanae dioecesis valeat celebrari licet diversum occurrat officium.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Cum sicut dilectae in Christo filiae moderna commendatrix nuncupata, ac moniales regalis monasterii ordinis militaris sancti Jacobi de Spatha oppidi Matriti Toletanae dioecesis Nobis nuper exponi fecerunt, pro singulari, quem tum ipsae, tum dilecti filii constituentes, et repraesentantes consilium ordinum militarium Hispaniarum erga beatam Mariam virginem Immaculatam gerunt devotionis affectum missam solemnem Conceptionis ejusdem beatae Mariae virginis Immaculatae in ecclesia dicti monasterii diebus infra octavam festi ejusdem Conceptionis, in quibus ad eam re-

praesentantes praedicti collegialiter accedere solent, celebrari facere posse plurimum desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, et attenta relatione dilecti etiam filii magistri Dominici Coppola congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretarii, ut in posterum in ecclesia dicti monasterii, iis diebus infra octavam Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, in quibus regale consilium ordinum militarium Hispaniarum ad eam collegialiter accedet, ut praefertur, missa solemnis ejusdem Conceptionis beatae Mariae virginis Immaculatae, prout in ejus die, licet diversum occurrat officium, celebrari libere, et licite possit, ac valeat, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ecclesiae, et ordinis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima nona julii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXIII.

Dat. Romae 6. augusti 1788. Anno XIV.

Instante rege catholico confirmatur decretum episcopi Oxomensis, nec non regis catholici, ut in posterum beneficia curata, quae in mensibus, tum ordinariis, tum reservatis erunt vacatura, nisi Oxomensibus conferri possint.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Supernae majestatis praesidio, cujus ineffabilem providentiam coelestia simul, et terrena diriguntur, super gregem Dominicum Nobis commissum, speculatoris officium, quantum imbecillitati Nostrae conceditur, exercentes, ea, quae pro populi christiani utilitate, divinique cultus augmento prudenter disposita esse noscuntur, quoties a Nobis petitur, confirmare non dedignamur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit venerabilis frater Joachim archiepiscopus episcopus Oxomensis, quod ipse intelligens, quanti Christifidelium saluti intersit, ut qui ad animarum curam vocantur, morum honestate, doctrina, probitate, prudentia, et vitae exemplaritate se manifestentur veluti Dei ministri, ut in omnibus se ipsos praebentes exemplum bonorum operum potentes sint exhortari in sana doctrina, et eos, qui contradicunt arguere, pro sua idcirco pastorali vigilantia, et quo clerici in novo episcopali seminario recipiendi libentius studiis, sacrisque disciplinis omnem navent operam, die XVII julii elapsi anni MDCCLXXXVII. statuit, ut nemo deinceps, qui non sit ex dioecesanis Oxomensibus beneficia curata, seu parochiae dictae dioecesis in mensibus ordinariis vacatura petere, aut ad petitionem hujusmodi recipi, et vocari possit; quod quidem consilium, ac decretum cum a carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum rege catholico probatum fuerit, voluit propterea ipse ad beneficia quoque curata in mensibus reservatis vacatura, et quorum collatio ad ipsum libere spectare, dignoscitur, solos dioecesanos Oxomenses fore praesentandos, et nominandos, ita ut ipsis dumtaxat deficientibus alienigenae nominari possint. Cum autem sicut pro parte ejusdem Karoli regis catholici Nobis expositum fuit, ut haec omnia,

ut praeferiur, statuta firmius subsistant, et serventur exactius, apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desiderent: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur ejusdem Karoli regis catholici votis, quantum cum Domino possumus annuere volentes, ac illorum, quorum favorem concernunt praesentes Nostrae literae, singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quavis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memorata statuta, seu decreta auctoritate apostolica, tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in eisdem quomodolibet intervenerint, supplemus, ita ut omnia, et singula beneficia curata dictae dioecesis Oxomensis, quae in posterum erunt in mensibus tum ordinariis, tum reservatis vacatura, nisi Oxomenses nominari, praesentari, aut illis conferri, et vel alias de eis, in alios quoquomodo, praeterquam si nullus habilis, ac capax ad ea obtinenda existeret, disponi nullimode possit, collationes, provisiones, et aliae quaevis dispositiones de illis nullius fore roboris, vel momenti, nullumque alicui etiam coloratum tribuere titulum possidendi, auctoritate, et tenore praedictis mandamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictae Oxomensis dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die octava augusti millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXIV.

Dat. Romae 10. augusti 1788. Anno XIV.

Erectio ecclesiae metropolitanae Gradiscanae in regno Austriae.

Pius episcopus
Servus servorum Dei
Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Super specula militantis Ecclesiae, illo sic disponente Domino, qui rebus cunctis imperat, cuique omnia semper obediunt, licet nullis suffragantibus meritis Nostris constituti ad universas orbis ecclesias aciem Nostrae mentis intendentes, quid insignium locorum splendori, quidve incolarum commoditati, et felici statui, eorumque animarum saluti magis congruat potissimum contemplamur, ut et in locis ipsis prout necessitas postulat, salus animarum exigit, et supremorum principum de orthodoxa religione optime meritorum, illarumque praesertim, qui communem christianae reipublicae censura adversus illius teterrimos hostes temporibus hisce tatis conatibus hostes adjuva-

re satagunt, vota exposcunt, novas episcopales sedes juxta circumstantiarum opportunitatem, per viam etiam alicujus suppressionis, et translationis erigamus, ut per novas erectiones hujusmodi nova etiam populorum eidem militanti ecclesiae augeatur adhaesio, fideique catholicae professio inibi validius efflorescat, eademque loca dignioribus titulis illustrentur, nec non illorum incolae, et personae bonorabilium vigilumque praesulum assistentia, doctrina, et regimine suffulti proficiant semper in fide cum divini cultus propagatione, et non careant in spiritualibus incremento.

Preces porrectae ab ipso imperatore pro obtinenda nova erectione.

§. 2. Cum itaque sicut ex insinuatione charissimi in Christo filii Nostri Josephi secundi in imperatorem electi, et Romanorum, ac Bohemiae, et Hungariae regis apostolici per dilectum filium Nostrum Franciscum tituli sanctae Crucis in Hierusalem Sanctae Romanae Ecclesiae presbyterum cardinalem Herzan de Harras nuncupatum apud Nos, et Sedem apostolicam administrum plenipotentiarium nuper facta accepimus, ipse Josephus imperator, et rex ad populorum in ditionibus sibi subjectis existentium spirituale bonum, sive promovendum, gravioremque animarum pastoribus curam alleviandam operaepretium existimet, ut variae nonnullarum dioecesum portiones in dictis ditionibus sparsim, vel mixtim hinc inde existentes inordinatum ambitum sub vigili unius tantum capitis inspectione claudantur, ac propterea attendens, quod ex sequuta nuper metropolitanae ecclesiae Goritiensis suppressione apostolica auctoritate perpetuo facta infrascripti illius dioecesis districtus ecclesiastici pars aliqua, de qua nondum dispositum extitit, illisque finitimae Dergestinae, et Petinensis dioecesum integri respective etiam districtus ecclesiastici in temporalibus Austriae ditioni respective subjecta, et subjecti reperiuntur, quae, et qui ad hujusmodi finem obtinendum, simul cum reliqua Parentinae, et Polensis dioecesum, et respective districtus parte in Histria Austriaca existere mererentur unum, et in unam tantum dioecesim, ut infra constitui, quodque hoc idem sentientes, atque ut opus, tam utile perficiatur animo haerentes venerabilis frater Noster modernus episcopus Dergestinus, illiusque episcopalis ecclesiae Dergestinae, nec non etiam illius sede episcopali Petinensis ecclesiae ad praesens vacante respective moderni capitulo, et canonici dilecti filii infrascriptis suppressioni, erectioni consenserunt, et quo ad dictum episcopum Dergestinum regimini, et administrationi ipsius Dergestinae ecclesiae, cui praeest ad eumdem infrascriptae erectionis effectum, in manibus Nostris sponte, et libere cessit, summo proinde desiderio flagret idem Josephus imperator, et rex, ut praevia ipsa cum Dergestinae, et Petinensis ecclesiarum unione, illarumque respective sedis, et dignitatis, nec non utriusque mensae episcopalis, atque respectivorum capitulorum hujusmodi, illaque respective componentium dignitatum, et singulorum canonicatuum, ac praebendarum, et quantumvis aliorum in eis respective existentium beneficiorum ecclesiasticorum una cum Dergestina, et Petinensi respective dioecesibus, modo tamen, et forma infrascriptis, et non alias facienda suppressione, et Parentinae, ac Polensis dioecesum praedictarum respective districtus infrascriptae partis dismembratione de simili venerabilium etiam Nostrorum modernorum Petrinensis, et Polensis episcoporum directorum itidem filiorum modernorum Parentinae, et Polensis ecclesiarum, capitulorum, et canonicorum jam praestito consensu, etiam infra facienda oppidum Gradiscae sub dioecesi Dergestina, ut infra sic supprimenda existens civitatis episcopalis Gradiscae titulo, et honore decoretur, ac in eo sita parochialis, et alia sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, praevia itidem illius tituli collativi suppressione, et extinctione de dilecti pariter filii moderni illius rectoris, simili consensu, perpetuo, ut infra etiam facienda in cathedralem ecclesiam Gradiscanam nuncupandam, ut infra quoque, perpetuo erigatur, aliaque infrascripta, per Nos, et Sedem apostolicam fiant, atque ordinentur.

§. 3. Nos igitur, quibus post susceptam dicti Francisci cardinalis instantiam, et processu a dilecto, etiam filio Nostro, et Sedis apostolicae praedictae nuncio in civitate Viennensi Austriae commorante vigore decreti Nostri sub die decima mensis decembris anni Domini proxime praeteriti, editi super ipsis expetitis suppressione, et dismembratione, ac erectione confecto; et ad urbem nuperrime transmisso, plane constitit, quod praemissorum necessitate, ac etiam utilitate revera existentibus, si supradicta omnia per Nos, et Sedem eamdem, ut infra concederentur ecclesiastica

Suppressio nonnullarum ecclesiarum unlendarum novae Sedi.

quidem disciplina in eisdem partibus cum ulteriori animarum hujusmodi fausto Catholicae religionis progressu coherdiearetur, et Christifidelium pietas in dies etiam augeretur votis, et supplicationibus dicti Josephi imperatoris; et regis ejus nomine Nobis per dictum Franciscum cardinalem humiliter super hoc porrectis annuere volentes, ac cessionem ab ipso Dergestino episcopo ad eumdem infrascriptum effectum, ut praefertur factam hujusmodi admittentes, ipsumque episcopum Dergestinum vinculo, quo Dergestinae ecclesiae praedictae, cui praeest tenetur apostolica auctoritate, motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine in Dergestina, et Petinensi respective civitatibus cathedrales ecclesias Dergestinam, et Petinensem, illarumque cathedras, et dignitates, ac sedes, nec non mensas episcopales cum universis Dergestina, ac Petinensi dioecesibus, nec non titulum, et denominationem Dergestinae, et Petinensis respective civitatis, et civitatum episcopalium, dictarumque cathedralium ecclesiarum respective capitula, et dignitates, ac singulos canonicatus, et praebendas, et quaevis alia inibi respective existentia, et utramque concernentia beneficia ecclesiastica, quovis nomine nuncupata, dictamque insuper parochialem ecclesiam eorumdem sanctorum Petri, et Pauli in dicto oppido, ut infra existentem, illius aeque, ac dignitatum hujusmodi, nec non canonicatuum et praebendarum, aliorumque sanctorum Petri et Pauli praedictorum respectiva titulos collativos, nomina, denominationes, naturas, et essentias dignitatum, ac canonicatuum, beneficiorum, ac parochialis ecclesiae hujusmodi collativarum, ac collativae hujusmodi; ita quod illae, et illi, nec non illa, et nunc deinceps perpetuis futuris temporibus collativae, et collativarum non collativa esse desinant, ac de caetero uti tales, et talia, et talis in titulum collativum, quavis auctoritate conferri, aut impetrari, aut alias de illis, et illo quovis modo disponi contigerit collationes, impetrationes, aliaeque dispositiones de illis et illa pro tempore quomodolibet factae nullae, et invalidae, nulliusque roboris, vel momenti existant, nullique suffragentur, nec cuiquam jus, vel coloratum titulum possidendi tribuant, apostolica pariter auctoritate, perpetuo respective supprimimus, et extinguimus. Ac ne alicui ex dictarum Dergestinae, et Petinensis ecclesiarum, sic suppressarum, et extinctarum super respective canonicis, ac qui dignitates in earum utramque simul hactenus respective obtinuerunt; dictaeque parochiales ecclesiae, itidem sic suppressae, et extinctae super etiam rectore praedicto, in hujusmodi dignitatum, et canonicatuum, et praebendarum, nec non dictae parochialis ecclesiae, respective facta abdicatione praejudicium aliquod inferri valeat, quinimo eorum quilibet in ea de suae respective sic suppressae praebendae amissis fructibus, et quoad ipsum insuper rectorem parochialis ecclesiae, ut praefertur suppressae, et extinctae, etiam de suis juribus parochialibus hucusque per eum percipi solitis integram respective indemnitatem accipiat, Nos propterea, cuilibet ex praedictis Dergestinae; et Petinensis ecclesiarum ut praefertur suppressarum, et extinctarum hujusmodi nuper canonicis; ac qui dignitates in illis simul, ut praefertur respectiva obtinuerunt, dictaeque, sic suppressae, et extinctae parochialis ecclesiae, nuper rectori praedicto pensionem annuam, quae cujusque per eos respective obtentae praebendae, ac jurium parochialium hujusmodi, ad ipsum insuper rectorem spectantium annuis redditibus aequivaleat eis eorum cuilibet, quoad vixerit, et respective vixerint, et eisdem praebendis, ac parochialis ecclesiae praedictae, ut praefertur suppressis, et suppressa, jam alias assignatis, per eos, et eorum quemlibet respective percipiendam, semper ipsum Josephum imperatorem, et regem cujus expressa ad hoc accessit assensio in numerata pecunia, donec aliunde eisdem, sic suppressarum Dergestinae, et Petinensis respective ecclesiarum hujusmodi nuper canonicis, et qui dignitates in illis, ut praefertur obtinuerunt; dictaeque parochialis ecclesiae, itidem, ut praefertur suppressae, et extinctae nuper rectori praedicto de aliquibus beneficiis ecclesiasticis, respectivi annui redditus, non minoris singuli eorum canonice provisum fuerit annuatim persolvendam dicta apostolica auctoritate ipsarum, tenore praesentium reservamus, constituimus; et assignamus.

§. 4. His vero praemissis praedictum oppidum Gradiscae in civitatem episcopalem Grandiscanam, ut antea nuncupandam cum omnibus, et singulis juribus, honoribus, praeemi- Declaratur oppidum Gradiscae civitatis honore frui debere, et eccle-

...rum ss. Petri, et Pauli in cathedralem erigitur.

nentiis, privilegiis, et praerogativis, quibus aliae civitates pontificali cathedra insignitae, et earum cives utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, uti, frui, potiri, et gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum: dictam vero parochialem ecclesiam eorumdem sanctorum Petri, et Pauli in eodem oppido, ut praefertur existentem, ac etiam, ut praefertur suppressam, et extinctam, in cathedralem ecclesiam archiepiscopo Labacensi pro tempore existenti suffraganeam, eique metropolitico jure subjectam sub invocatione sanctorum Petri, et Pauli apostolorum, et parochialem, ut antea exstituram, et in ea sedem, et dignitatem episcopalem, pro uno deinceps episcopo Gradiscano nuncupando, qui eidem ecclesiae Gradiscanae, illiusque civitati praefatae, ac dioecesi, ut infra constituendae praesit, abbates, inferiores praelatos, et alios ad synodum convocet, et omnia, ac singula jura, judicia, et munia episcopalia habeat, et exerceat, cum suis capitulo infrascripto, sigillo, arca, mensa episcopali, caeterisque pontificalibus signis, insigniis, nec non juribus, et jurisdictionibus, facultatibus, praeeminentiis, praerogativis, privilegiis, honoribus, gratiis, favoribus, et indultis realibus, et personalibus, ac mixtis, quibus caeterae nationis Germanicae episcopales ecclesiae, earumque praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari, similiter utuntur, fruuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, frui, potiri, gaudere possunt, et poterunt quomodolibet in futurum.

Creantur dignitates capituli.

§. 5. In ipsa autem cathedrali ecclesia Gradiscana, unam praepositurам, quae post pastoralem hujusmodi major, cum uno canonicatu, et alia praebenda pro uno canonico praeposito nuncupando, qui caput infrascripti capituli existat, iisque gaudeat praeeminentiis, quae sibi de jure competere debent. Ac unum decanatum, qui secundo cum alio pariter canonicatu, et alia praebenda pro alio pariter canonico decano, ac unam scholasticam, quae tertia inibi respective dignitates existant cum alio itidem canonicatu, et alia praebenda eisdem dignitatibus respective invicem perpetuo unitis exstituris pro uno canonico scholastico, ac alium, et aliam quartam nuncupandam, quibus vicarii generalis pro tempore futuri Gradiscani episcopi munus incumbat pro uno presbytero quarto canonico vicario generali etiam nuncupando, ac alium, et aliam quintam pariter nuncupandam, quibus cura animarum parochianorum dictae cathedralis, quae, ut praefertur, etiam parochialis existat ecclesiae Gradiscanae immineat pro alio presbytero quinto canonico, parocho similiter nuncupando, ac reliquos duos respective canonicatus, totidemque praebendas pro duobus aliis futuris mere canonicis dictae cathedralis ecclesiae illius capitulum componentibus, similiter cum choro, stallo, arca, et sigillo cum omnibus, aliisque signis, et insignils cathedralibus, ac cum omnibus praerogativis, honoribus, privilegiis, exemptionibus, quibus aliae cathedrales in Austriaca ditione existentes, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari, similibus acquisitis gaudere solent, ac possunt; nec non sex perpetuas vicarias chorales, et curatas mansionariatus nuncupandas pro totidem presbyteriis vicariis choralibus mansionariis itidem nuncupandis, quibus pariter servitium chori dictae cathedralis ecclesiae Gradiscanae onus quoque, curam animarum parochianorum hujusmodi, una cum quinto canonico parocho, ut praefertur nuncupando pro tempore existente, ipsius cathedralis ecclesiae Gradiscanae exercendi incumbat, et quatuor sine cura personalem tamen residentiam requirentes, ac servitium choro annexum habentes, cappellanias, minime tamen collativas, pro totidem clericis, seu presbyteris futuris in eadem ecclesia Gradiscana cappellanis, qui eidem in divinis inservire teneantur, et ad nutum pro tempore existentium illius capituli, et canonicorum ad cappellanias hujusmodi, tum hac prima vice, et a primaeva illarum erectione infrascripta vacantes, quam etiam, deinceps, quovis modo vacaturas eligi, et assumi, ac respective ab eisdem constitui possint, et debeant ad Dei omnipotentis laudem, et gloriam, eorumdemque sanctorum Petri, et Pauli apostolorum honorem, fideique catholicae exaltationem, apostolica auctoritate praedicta, itidem perpetuo respective erigimus, et instituimus, volentes quod futurus episcopus Gradiscanus in dicta cathedrali ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta theologalem, et poenitentiariam praebendas ad praescriptum concilii Tridentini instituat, ejusdem futuri episcopi Gradiscani conscientia desuper onerata remanente.

§. 6. Ac insuper, ut praedictae episcopali

Constituitur dioecesis novi episcopatus.

ecclesiae Gradiscanae, ut praefertur erectae dioecesis constitui possit, praevia unius Parentinae, et alterius Polentinae dioecesum respective districtuum partium in Histria Austriaca, ut praefertur sitarum, et in eis respective existentium parochialium ecclesiarum inferius exprimendarum per eosdem modernos Parentinum, et Polentinum episcopos, eorumque respectiva capitula, et canonicos praedictos respective perpetuo cessarum ab una, et altera eorum dioecesibus praedictis perpetua dismembratione, et disjunctione praefatum oppidum Gradiscanum in civitatem episcopalem, ut praefertur erectum, ac totos, et integros actuales Dergestinae, et Petinensis dioecesum, ut praefertur suppressarum districtus. Ac unam Goritiensem, nuper similiter, ut praefertur, et aliam, ac reliquam, ut supra dismembratas Parentinae, et Polentinae, respective dioecesum, etiam respective districtuum partes hujusmodi, et in eisdem districtibus, ac districtuum partibus supradictis respective consistentes, non tamen infrascriptas de Umago, et Matterada nuncupatas dictae Dergestinae dioecesis in Histria Veneta ecclesias, quae sequuntur videlicet. In districtu suppressi Dergestini unam beatae Mariae virginis Dergestinae in civitate veteri; et aliam sancti Antonii Dergestini in civitate nova Theresiana, et aliam sancti Bartholomaei Opchina, et aliam sancti Uldarici Boilina, ac aliam sancti Stephani Bresoniz, ac aliam sancti Petri apostoli Thomai, ac aliam sancti Bartholomaei Senosctsch, ac aliam beatae Mariae virginis Urem, ac aliam sancti Stephani Cosbana, et aliam beatae Mariae virginis Felshanae, et aliam sancti Petri apostoli Bornegg, et aliam beatae Mariae virginis Havina, et aliam sancti Martini Hrenoviz, et aliam sancti Chrisogoni Hrusbioza, et aliam sancti Petri apostoli Pover, et reliquam parochiales, seu alias ecclesias sancti Joannis Baptistae Rodigg, respective nuncupatas. Ac in alio districtu suppressi episcopatus Petinensis, unam beatae Mariae virginis Pedenae, et aliam sancti Viti Gallicanae, et aliam sancti Michaelis Novago, et aliam beatae Mariae virginis Ceroule, et aliam sancti Joannis Baptistae Corbune, et aliam sancti Giorgii Bendo; et aliam sanctorum Petri, et Pauli Gallogorizia, et aliam sanctorum Hermagorae, et Fortunati Lindaro, et aliam sanctissimae Trinitatis Zepitsch, et aliam beatae Mariae virginis St. Zuaniz, ac reliquam parochiales, seu alias sanctorum Cosmae, et Damiani Hernisla respective nuncupatas. Ac in parte districtus metropolitanae, et archiepiscopalis jam suppressae ecclesiae Goritiensis, unam sancti Hilarii in civitate Goritiae, et aliam sancti Ignatii in civitate Goritiae, et aliam sanctorum Petri, et Pauli in oppido Gradiscae; et aliam sancti Adalberti Carmons, et aliam sancti Uldarici Ajello, et aliam beatae Mariae virginis Farra, et aliam sancti Michaelis Chiopris, et aliam beatae Mariae virginis Romans, et aliam beatae Mariae virginis Visin, et aliam sancti Stephani Ruda, et aliam beatae Mariae virginis villa Vicontina, seu Ventina, et aliam sancti Laurentii Firumalto, et aliam sancti Joannis apostoli Aquilejae, et aliam sancti Martini de Terzo, et aliam sancti Michaelis Cervignano, et aliam sanctorum Vincentii, et Anastasii Purpetto, et aliam sancti Michaelis Antognano, et aliam sancti Lanciani Gonars, et aliam beatae Mariae virginis Zalns, et aliam sancti Thomae apostoli Carlino, at aliam sancti Marci Drolassa, et aliam beatae Mariae virginis Hanbruzzo, et aliam sancti Michaelis Campomolle, et aliam sancti Gregorii Rivarotta, et aliam sancti Martini Praecenico, et aliam sanctii Uldarici Hitsch, et aliam beatae Mariae virginis Talmein, et aliam beatae Mariae virginis Podmenz, et aliam sancti Lamberti Sremn Kerouth, et aliam sanctae Annae Kirohalm, et aliam sancti Georgii Shebrelle, at aliam sancti Viti, St. Veitsberg, et aliam sancti Leonardi Waltschah, at aliam beatae Mariae virginis Karfreit, et aliam beatae Mariae virginis Canal, et aliam beatae Mariae virginis Karfreit; et aliam sancti Stephani Salcan, at aliam sancti Michaelis Bigliana, et aliam sancti Andreae Mossan, et aliam sancti Georgii Lucenico, et aliam sancti Justi Ungersbach, at aliam sancti Silvestri Schonpass, et aliam sancti Viti Cerniza, et aliam sancti Petri St. Peter, et aliam sanctorum Hermagorae, et Fortunati Ranciano, et aliam sancti Andreae Praebacina, et aliam sancti Danielis Dorberg, et aliam sancti Uldarici Reifenberg, et aliam sancti Michaelis Camgne, et aliam sanctissimi Crucifixi Neihgen Kreiz, et aliam sancti Petri Comen, et aliam sancti Georgii Merna, et aliam sanctae Barbarae Oberidria, et aliam beatae Mariae virginis Unteridria, et aliam sancti Stephani Wippach, et reliquam parochiales,

seu alias ecclesias sancti Joannis Baptistae Tibele, respective nuncupatas. Ac in parte districtus ab episcopali ecclesia Parentina dismembrata, unam sancti Nicolai praepositnram Piriel nuncupatam, et aliam sancti Georgii Pirino vecchio, et aliam sancti Michaelis Pirino collegiatam, et aliam sancti Petri St. Perer in Vald, et aliam sanctorum Petri, et Pauli Corridigo, et aliam sanctorum Simonis, et Judae Antignana collegiatam, et aliam sancti Martini Vermo, et aliam beatae Mariae virginis Terviso, et aliam sancti Michaelis Zumesco, et aliam beatae Mariae virginis Gerdosella, et reliquam parochiales, seu alias ecclesias sancti Marci Kas Kerga, respective nuncupatas. Ac in parte districtus ab episcopali ecclesia Palentina dismembrata, unam sancti Marci Neprinae, et aliam sancti Georgii Laurana, et aliam sancti Rochi Paas, et aliam sancti Andreae Moscheniz, et aliam sancti Georgii Berrez collegiatam, et aliam sanctorum Petri, et Pauli Uragne, et aliam sancti Andriani Cargliaco, et aliam sancti Antonii abbatis Cersano, et aliam sancti Hieronymi Cluva, et aliam sanctae Helenae Castua collegiatam, et aliam sancti Martini Lippoglau, et aliam sanctorum Petri, et Pauli Sumberg, et aliam sancti Spiritus Villanova, ac reliquam parochiales, seu alias ecclesias sancti Georgii Boglino, respective nuncupatas.

Declaratur jurisdictio novi episcopi.

§. 7. Nec non sub praedictis districtibus, districtuumque partibus, ac singulis parochialibus, seu aliis ecclesiis supradictis, respective comprehensas utriusque sexus personas, habitatores, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, beneficiatos, et religiosos quoscumque, non tamen exemptos, cujuscumque gradus, status, ordinis, et conditionis existant (illos ab ordinaria jurisdictione Dergestinae, et Petinensis, nec non Goritiensis, ac Parentinae, et Polensis perpetuo, respective disjungendo, et eximendo) novae ecclesiae episcopali Gradiscanae, ut praefertur erectae, illiusque futuro praesuli pro suis civitate, et territorio, ac dioecesi, nec non clero, et populo, ita quod liceat personae, eidem ecclesiae Gradiscanae, tam nunc a primaeva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet, etiam pastoris solatio destitutae in episcopum praefici, inde per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, ac corporalem possessionem, seu quasi possessionem, administrationis spiritualis, et omnimodi juris dioecesani in praedicto oppido in civitatem episcopalem a Nobis per praesentes erecto, nec non omnibus, et singulis districtibus, districtuumque partibus, et parochialibus ecclesiis supradictis propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam hujusmodi perpetuo retinere, venerabilis quoque fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Labacensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita pari apostolica auctoritate, similiter perpetuo constituimus, et concedimus, et respective ordinariae ejusdem pro tempore existentis episcopi Gradiscani jurisdictione, potestate, et auctoritate, similiter perpetuo supponimus, atque subjicimus.

Assignatur mensa episcopo, et ecclesiae metropolitanae.

§. 8. Mensae autem episcopali Gradiscanae per Nos, ut praefertur erectae pro illius dotatione, et ad hoc, ut idem pro tempore episcopus Gradiscanus statum suum juxta pontificalis dignitatis exigentiam, decentius tenere valeat annuam summam decem millium florenorum monetae Rhenensium mille, et quadringentos, ac nonaginta sex florenos pares ex redditibus mensae archiepiscopalis ejusdem metropolitanae ecclesiae Goritiensis nuper, ut praefertur suppressae, et extinctae, reliquos vero termille quingentos quatuor florenos similes ex redditibus actuales mensae episcopalis ipsius ecclesiae Dergestinae per Nos, ut praefertur itidem suppressae, et extinctae respective percipiendas, eamque ab omni onere liberam, immunem, et exemptam a praedicto Josepho imperatore, et rege eidem pro tempore futuro episcopo Gradiscano, ut similiter accepimus assignatam, ita ut idem Josephus imperator, et rex expensis consistorii, illiusque expeditionibus, jam aliunde prospexerit, similiter perpetuo attribuimus, atque incorporamus. Ipsique pro tempore futuro episcopo Gradiscano pro sui decenti habitatione domum amplam, prope dictam parochialem ecclesiam, ut praefertur, suppressam, et extinctam, et in cathedralem ecclesiam, etiam per Nos, ut praefertur erectam existentem; et ab eodem Josepho imperatore, et rege, ut pariter accepimus, jam designatam, quae ad hujusmodi habitationis effectum reparabitur, perpetuo quoque addicimus, atque concedimus. Ac praeterea, ut dignitates, et canonicatus, ac praebendae, nec non praefatae vicariae ejusdem cathedralis

ecclesiae Gradiscanae, per Nos, ut praefertur erectae, et erecti de congrua respective etiam dotatione provideantur, illasque, et illos pro tempore obtinentes onera eis, et eorum cuilibet pro tempore respectiva incumbentia supportare valeant dictae praepositurae, eique adnexae, videlicet unam millium, ac dicto decanatui, eique pariter annexo, aliam octingentorum, ac praedictae scholasticae, eique similiter annexo canonicatui, aliam aliud eum octingentorum, ac quarto cui munus vicarii generalis hujusmodi, ut praefertur incumbit aliam duorum millium, et quingentorum, ac quinto, nec non sexto, et septimo canonicatibus per Nos, ut praefertur erectis hujusmodi, cuilibet eorum videlicet, aliam sexcentorum, unicuique vero ex praedictis vicariis, similiter per Nos, ut praefertur erectis docentorum, et quinquaginta florenorum similium respective annuas summas ab ipso Josepho imperatore, et rege, ut quoque accepimus, jam pariter designatas, seu constitutas pro illarum, et illorum respective praebenda simili apostolica auctoritate, etiam perpetuo applicamus, et assignamus, exceptis tamen futuris quatuor ejusdem cathedralis ecclesiae Gradiscanae, ut praefertur erectae cappellanis, qui sicuti ab eisdem illius capitulo, et canonicis, ut praefertur eligendi, ita pariter eorum sumptibus, et arbitrio manutenendi erunt.

Capitulo jus conceditur concedendi statuta.

§. 9. Ac insuper eisdem futuris, ac pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictae cathedralis ecclesiae Gradiscanae, ut ipsi capitulariter congregati pro dictae ecclesiae Gradiscanae, ac illius mensae, sacristiae, et fabricae, eorumque rerum, et bonorum, tam spiritualium, quam temporalium prospero, feliciqne statu, regimine, et gubernio, ac directione onerum eis pro tempore respective incumbentium supportatione, ac missa cum horarum canonicarum diurnarum, et nocturnarum, aliorumque divinorum officiorum, processionum, funeralium, et anniversariorum celebratione, ac de dignitatibus, canonicatibus et praebendis, ac vicariis, et cappellanis praedictis, aliisque ministeriis ecclesiasticis inibi pro tempore providendorum receptione, et admissione, personali residentia distributionum, etiam quotidianarum, et emolumentorum quorumcumque retentione, et administratione poenarum per absentes, ac divinis officiis, et functionibus suis loco, et tempore non interessentes, seu onera, et ministeria eis respective incumbentia subire negligentes incurrendarum impositione, atque incurrendarum singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, et ritibus in praedicta cathedrali ecclesia Gradiscana, ut praefertur erecta, illiusque choro, capitulo, processionibus, et aliis actibus servandis, nec non illius ministris deputandis, et amovendis salariis, et stipendiis eorum cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus in praemissis, et circa ea quomodolibet necessariis, et opportunis quaecumque statuta, ordinationes, capitula, et decreta justa tamen, et sacris canonibus, ac concilii Tridentini decretis, et constitutionibus apostolicis, non contraria condendi, et edendi, conditaque, et edita pro temporum variatione, et qualitate mutare, limitare, corrigere, declarare, et interpretare, ac in meliorem formam redigere, seu alias de novo, etiam ex integro de consensu semper, et cum approbatione pro tempore existentis episcopi Gradiscani condere, et per eos, ad quos pro tempore spectabit sub poenis statuendis observari facere libere, et licite valeant, plenam, liberam, et omnimodam facultatem, potestatem, et auctoritatem eadem apostolica auctoritate, similiter concedimus, et impartimur.

§. 10. Ulterius eidem Josepho imperatori, et regi, ejusque successoribus jus nominandi, seu praesentandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti infra tempus a jure praefixum ad dictam ecclesiam Gradiscanam, tam hac prima vice a primaeva illius erectione, et institutione a Nobis, ut praefertur factis hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps quotiescumque pro tempore quomodolibet, etiam pastoris solatio destitui contigerit personam idoneam per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem, praedictum eidem ecclesiae Gradiscanae in episcopum praeficiendam, pari prorsus modo quoad nominationem, seu praesentationem eamdem aliis episcopis ecclesiarum in dominiis Austriae etiam existentium ab apostolica Sede praefici consueverunt. Ac praeterea aliud jus nominandi, seu praesentandi ad dignitates, ac canonicatus, et praebendas, nec non vicarias ejusdem cathedralis ecclesiae Gradiscanae per Nos, etiam ut praefertur erectos, et erectas hujusmodi, tam pariter hac prima vice a primaeva illarum et illorum erectione, et institutione hujusmodi vacantes,

Jus praesentandi episcopum et canonicos ipsi imperatori, et successoribus ejus reservatur.

quam etiam in posterum, quovis modo vacaturos et vacaturas personas itidem idoneas, respective apostolica auctoritate praedicta itidem perpetuo reservamus; ac dictum jus nominandi, tam ad praedictam ecclesiam Gradiscanam, quam ad dignitates, ac canonicatus, et praebendas, nec non vicarias per Nos, ut praefertur erectam, et erectas, ac erectos, et erectas hujusmodi regium existere, illudque vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juris nominandi regii hujusmodi obtinere, ac uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis efficacioribus, et efficacissimis clausulis, ac decretis in quacumque dispositione, etiam per vias constitutionis, et legis, regulae cancellariae apostolicae, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo umquam tempore, et ex quavis causa derogari posse, neque deberi, ac collationes, provisiones, et quasvis alias dispositiones de dignitatibus, et canonicatibus, et praebendis, ac vicariis, per Nos, ut praefertur erectis hujusmodi absque ipsius Josephi imperatoris, et regis, ejusque successorum consensu, seu nominatione, aut praesentatione pro tempore factas, processusque desuper habendos, ac inde sequenda quaecumque nulla, et invalida nulliusque roboris, vel momenti esse, et fore, ac pro nullis, et invalidis, et infectis haberi, et reputari, nec jus, vel coloratum titulum possidendi, cuiquam per illa tribui; vel acquiri posse dicta apostolica auctoritate decernimus.

Nonnullae parochiales ecclesiae segregantur a dioecesi Dergestina, et incorporantur dioecesi Emoniensi.

§. 11. Nos vero in praemissis, cum sicut pariter accepimus sub eadem dioecesi Dergestina per Nos, ut praefertur suppressa, et extincta una de Umago, et altera Matherada, respective nuncupatae parochiales ecclesiae reperiuntur, quae utpote in Histria Veneta existentes, a praedicto nuper episcopo Dergestino, et ejusdem Josephi imperatoris, et regis voto, etiam in hoc impleantur favore, etiam venerabilis fratris Nostri moderni, et pro tempore existentis episcopi Emoniensis sub Nostro, et Sedis apostolicae beneplacito perpetuo cessae extiterunt. Nos propterea unam, et alteram parochiales ecclesias ultimo dictas, sic ut praefertur cessas, et in eis, respective etiam contentas utriusque sexus personas, et incolas, tam laicos, quam clericos, presbyteros, et beneficiatos, ac religiosos quoscumque, non tamen exemptos, ut praefertur ab ordinaria praedicti episcopi Dergestini jurisdictione perpetuo dismembrantes, illas, et illos ecclesiae episcopali, nec non dioecesi Emoniensi, illiusque clero, et populo eadem apostolica auctoritate itidem perpetuo adjungimus, et incorporamus, ac respective ordinariae ipsius moderni, et pro tempore existentis episcopi Emoniensis jurisdictioni, potestati, superioritati, et auctoritati, similiter perpetuo subjicimus, atque supponimus.

Clausulae salutares, et irritantes.

§. 12. Ac insuper easdem praesentes semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, et ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pro tempore quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo umquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, pia, legitima, et privilegiata, etiam ex eo quod causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint adductae, verificatae, et justificatae non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel quovis alio defectu, notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad viam, et terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti aut gratiae, vel justitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concesso, et emanato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse, neque debere, ac easdem praesentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque constitutiones apostolicas, aut cancellariae praedictae regulas, quandocumque, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter editas, et imposterum edendas comprehendi, sed semper ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas fore, et esse, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere; sicque, et non alias per quoscumque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores; ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales de latere legatos, vice-legatos, dictae

que Sedis euncios, judicari, et defieiri debere, irritumque decernimus; et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus quatenus opus sit Nostra, et cancellariae apostolicae regula, de jure quaesito non tollendo, ac Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri, nec non ab ecclesiis membra dividi, ac distingui, et beneficia ecclesiastica unius dioecesis, alterius dioecesis beneficiis uniri prohibentis, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis; quibus omnibus, et singulis, etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua mentio habenda, seu aliqua alia, etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi praesentibus pro expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus, harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeceptum describendi mensae bonis in libris camerae apostolicae.

§. 14. Volumus autem, quod dicta episcopalis ecclesia Gradiscana, ut praefertur erecta ad quingentos florenos auri tantum taxari, et hujusmodi taxa in libris camerae apostolicae respective describi debeat. Cum hoc tamen, quod alia episcopalis ecclesia Labacensis nuper apostolica auctoritate suppressa, et in metropolitanam ecclesiam, etiam Labacensem eadem apostolica auctoritate perpetuo erecta, et similiter ad quingentos florenos auri pares in eisdem libris camerae apostolicae hujusmodi descripta in aliis biscentum florenis similibus augeatur, ita ut imposterum perpetuis futuris temporibus ad septingentos florenos pares taxata remaneat.

Deputatio executoris apostolici.

§. 15. Nosque autem per easdem praesentes supradictum Nostrum, et Sedis apostolicae praedictae nuncium in civitate Viennensi Austriae, ut praefertur, commorantem in executorem earumdem praesentium quo ad illorum executionem tantum dicta apostolica auctoritate deputamus, eique facultatem, ut ipse quamcumque personam in dignitate ecclesiastica constitutam pro hujusmodi exequutionis effectu subdelegare libere, et licite valeat; ac eidem nuncio, seu personae ab eo sic subdelegandae praedictae, etiam facultatem, ut ipse integram praemissorum observantiam sub quibuscumque sententiis, censuris, et poenis cuilibet praecipere, et super quacumque oppositione adversus eadem praemissa in ipsius executionis acte quomodolibet oritura, et occurrenda, servatis tamen, quae fuerint de jure servanda definitive pronunciare etiam libere, et licite possit, et valeat, apostolica auctoritate praedicta, specialiter, et expresse respective concedimus, atque impertimur.

Sanctio poenalis.

§. 16. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, reservationis, constitutionis, assignationis, erectionis, institutionis, voluntatis, dismembrationis, exemptionis, possessionis, constitutionis, attributionis, incorporationis, applicationis, assignationis, facultatis, impartitionis, ac posteriorem, etiam reservationis, dismembrationis, subjectionis, et suppositionis, ac decreti, derogationis, voluntatis, deputationis, posteriorisque facultatis, concessionis infringere, atque ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae, millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, tertiodecimo kalendas septembris, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXV.

Dat. Romae 20 augusti 1788. Anno XIV.

Statuitur, ut in posterum officium primiceriatus universitatis Avenionensis titulum nobilitatis ad descendentes transmissibilem constituat sub diversis conditionibus.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Postquam Deo placuit omnipotenti, qui ex summa misericordia, et bonitate sua vocat

ea, quae non sunt, tamquam ea, quae sunt, humilitatem Nostram ad universalis Ecclesiae regimen vocare, licet prorsus immerito, ex eo tempore sublimiorum principum votis quantum res tulerunt, et in Nobis fuit, suffragandum esse plane intelleximus, ut qui devotione, ac fide erga hanc sanctam Sedem commendabiles erant, hisce novis devincti beneficiis, et in eadem devotione, ac fide erga ipsam apostolicam Sedem sincere persisterent, et in difficillimis praesertim hisce Ecclesiae temporibus illam pro viribus defenderent, atque tuerentur.

Expositio precum, et totius concessionis.

§. 2. Alias siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Ludovici Galliarum regis christianissimi Nobis expositum fuit, quod alias felicis recordationis Benedictus pp. XIII. praedecessor Noster per suas in simili forma Brevis dici XVII. septem. anni MDCCXXVIII. expeditas literas declaravit, primiceriatum universitatis studii generalis civitatis Nostrae tunc suae Avenionensis, tam de praeterito, quam in posterum esse, et fuisse, et constituere, ac constituisse titulum primordialem verae nobilitatis ad descendentes transmissibilem. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, per constitutiones, ac statuta dictae universitatis a felicis recordationis Bonifacio pp. VIII. et Joanne pp. XXII. ac Leone pp. X. praedecessoribus itidem Nostris praesertim confirmata cautum, praescriptumque sit officium hujusmodi ad annum dumtaxat durare, nobiles vero Avenionenses, et comitatus nostri Venayssini aeque nobiles in Galliarum regnis habeantur, atque reputentur, ne nimium multi praerogativam hanc obtineant, idcirco officium hujusmodi in posterum ad vitam dumtaxat esse concedendum declarari, aut aliter huic incommodo per Nos occurri summopere desiderat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor, cum suis adnexis conditionibus.

§. 3. Nos igitur considerantes, quod si officium primiceriatus dictae universitatis deinceps ad vitam tantum concedatur, hinc penitus quasi everteretur optima dictae universitatis methodus, contra vero ejusdem Ludovici regis christianissimi votis, quantum in Domino possumus annuere volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, memoratas Benedictinas literas per praesentes plene, et sufficienter expressas, ac de verbo ad verbum insertas habentes, primiceriatum dictae universitatis in posterum non constituere titulum primordialem verae nobilitatis ad descendentes transmissibilem, semperque ab iis omnibus ad omnes, et quoscumque effectus ad formam earumdem literarum Benedicti praedecessoris allegabilem, nisi dum quis, aut ipsemet, aut pater, et filius, vel alter per rectam lineam descendens per duas disjunctas vices ad officium hujusmodi electus, illoque functus fuerit, unde eadem familia semel ac iterum officium hujusmodi obtinuerit; ita tamen, ut titula primordialia nobilitatis, quae ab iis, qui officium hujusmodi exercuerunt, et ab illorum descendentibus ad formam dictae constitutionis Benedictinae hucusque acquisita sunt, salva, et illaesa permaneant, auctoritate apostolica tenore praesentium declaramus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vice legatos, et sanctae Sedis nuncios, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima secunda augusti millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCXVI.

Dat. Romae 6 septembr 1788 Anno XIV

Confirmatio erectionis monasterii monialium corporis Christi nuncupati civitatis Forliviensis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Quae ad felicem sacrarum virginum Altissimi obsequiis sub suavi religionis jugo

mancipatarum directionem, et statum, vel jamdiu constituta, vel de novo constitui contingat, ut suum robur obtineant, et effectum, utque firma semper, et illibata persistant, apostolici muniminis Nostri, cum a Nobis petitur, patrocinio libenter constabilimus.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilectae in Christo filiae abbatissa, seu priorissa, et moniales monasterii corporis Domini nuncupati civitatis Foroliviensis, quod alias, nempe de anno MDCXXX. quondam Fabritius Dallasse, dum viveret, presbyter congregationis Oratorii dictae civitatis quamdam domum ubi nunc dictum existit monasterium, ad periclitantes mulieres excipiendas construxit, quae quidem mulieres postmodum, quo jure ignoratur, regularem habitum induere, vota insuper juxta regulam s. Clarae emittere, ac formam quamdam clausurae servare ceperunt, prout constat ex pastorali visitatione ejusdem monasterii, tunc temporis sub invecatione s. Mariae Magdalenae, habita, ut asseritur, anno MDCXXXIII. Progressu autem temporis, censu, aedificiis, numero monialium adeo crevit monasterium hujusmodi, ut tamquam canonice erectum jamdiu existimetur, respectu enim donis pro monachandis, haec ad formam constitutionum fel. rec. Clementis pp. VIII. et Gregorii pp. XV. praedecessorum Nostrorum desuper editarum requiritur; respectu redditnum, habet unde tres supra triginta moniales substentare possit, pro quibus sedes satis sunt accomodae, praeter quam quod instructum est officinis ad praescriptum per canon. monasteria puellarum 18. quaest. 1. quibus accedit, quod et juxta dictum canonem, ab aliis religiosorum distat monasteriis, et ordinariae jurisdictioni semper extitit subjectum, itaut ex octo Foroliviensibus antistitibus, quotquot a praedicto anno MDCXXX. usque in praesens (ut etiam asseritur) numerantur, nemo de ejus canonica erectione dubitaverit. Perpendentes itaque abbatissa, et moniales praedictae, quod si institutum per eas imposterum servandum certis contineretur limitibus, certisque constaret legibus, suum profecto monasterium felicioribus in Domino proficeret incrementis, hinc ad sequentia sex capita illud redigere censuerunt videlicet. I. Quod ipsae, et pro tempore existentes dicti monasterii moniales regulam s. Clarae a memorato Urbano pp. IV. praedecessore Nostro declaratam, et adprobatam, quaeque ab ipsis primordiis inibi servari cepit, ita et imposterum servare teneantur, quo indulgentiis, et privilegiis ordinis perfrui valeant. II. Quod vita, quae dicitur communis, omni tempore in dicto monasterio observari debeat. III. Quod in eo, prout ab initio cautum fuit, moniales conversae nunquam recipiantur. IV. Quod puellae educationis causa in eo admitti possint, verum non ultra sex. V. Et quoad moniales professas, quod earum numerus tres supra triginta non excedat. VI. Denique quod constitutio per moniales ejusdem monasterii usque adhuc laudabiliter servata, orandi nimirum alternatim per earum singulas, aut etiam plures coram augustissimo Sacramento ab hora, qua de mane surgere, ad horam qua de sero cubitum ire eis mos est, perpetuo etiam servetur. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, abbatissa, et moniales praedictae pro sui monasterii decore, suique spiritus profectu, non modo praeinsertum institutum, verum etiam ejusdem monasterii erectionem per Nos adprobari, et confirmari summopere cupiant; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, ac, ut infra, indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et earum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes supplicationibus earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: erectionem praedicti monasterii, ac praeinsertum ejus institutum, (non tamen quoad puellarum educationis causa in eo recipiendarum numerum, hunc enim volumus pro rerum, et temporum circumstantiis variari posse) auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque et singulos juris, et facti defectus, siqui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus

sortiri, et obtinere, dictisque nunc, et pro tempore existentibus praedicti monasterii monialibus in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam caussarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum. §. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die secunda septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXVII.

Dat. Romae 2. septemb. 1788. Anno XIV.

Confirmatio methodi excogitati ab episcopo Oxomensi pro augumento congruae nonnullarum paroeciarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium. §. 1. Quoties a Nobis petitur, quod ad religionem, divinique cultus augmentum, ac Christifidelium salutem procurandam spectare dignoscitur, animo Nos decet libenti concedere, ac petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

§. 2. Exponi siquidem nobis nuper fecit venerabilis frater Joachim archiepiscopus episcopus Oxomensis, quod ubi primum placuit Deo illum ad insulam Oxomensem vocare, quale onus, angelicis etiam humeris formidandum, foret ipsi suscipiendum intellexit; quamobrem ne, quae officii sui erant, praetermitteret, cum maximi momenti sit, ab eoque pendere videatur fructuosa plebium gubernatio, ut nempe, qui animarum curam gerunt, neque segnes sint, neque remissi, neque desides in fidelem populum docendo, in viam salutis dirigendo, illumque ad Christianas virtutes incitando, quod quidem assequi posse videtur, si tum iis cura animarum committatur, qui doctrina, pietate, castis moribus, et illustribus bonorum operum exemplis caeteris praeluceant, ut vere lux, et sal populi sint, et habeantur, tum congregationis quoque dotantur redditibus, aliosque habeant in ejusmodi officio adjutores. Hinc, cum nemo melius, quam episcopus inter suos subditos ad hoc officium aptiores cognoscere teneatur, alias statuit, ut deinceps nemo praeter sui dioecesani Oxomenses ad petitionem beneficiorum cum cura animarum vacantium recipi possint, prout in Nostris hisce desuper die VIII. mox praeteriti augusti expeditis literis uberius continetur. Nuper vero, ut aliquas parochiales ecclesias congruis redditibus augeret, alias vero de opportunis adjutoribus provideret, prout visum est necessarium, Tridentinae synodus decretis in cap. 6. sess. 21. adhaerens, ac de carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici consensu, nonnulla beneficia, ac portiones, seu praestimonia parochialibus ecclesiis univit, aliquas vicarias perpetuas erexit, alias etiam parochias suppressit, ac tandem certis designatis beneficiis curae animarum onus imposuit, prout ex hisce desuper confecta die XIV. maji currentis anni nova methodo, seu piano tenoris, qui sequitur. Expositio precum.

Archipresbyteratus Oxomae

§. 3. Locus de Boos ex octogiuta quinque incolis constat, ejusque paroeciae, cui est annexus locus de Escobosa, quem duodecim homines inhabitant, fructus in summa quatuor mille quinquaginta unius regalium computantur. Vacuum existit in loco de Boos beneficium servitorium valoris regalium bismille Tenor methodi excogitati ab episcopo, in quo primitus agitur de loco de Boos nuncupato.

trecentorum nonaginta qoatuor. Utile, et necessarium censeo, quod beneficium hujusmodi supprimatur, ejusque valor applicetur vicariae perpetuae cum animarum cura io loco annexo de Escobosa erigendae, cui insoper uniantur decimae primitiae emolumenta vulgo *pie de altar* joxta morem dioecesis, nec non decimae deserti de Boyllos, per quam unionem novae vicariae fructus erunt bismille quatuor centum nonaginta quatuor regales, ejusque provisio aeque ac caeterae paroeciae per concursum, et ternariam propositionem fieri debebit.

Agitur de loco nuncupato de Ontoria del Pinar

§. 4. Locus de Ontoria del Pinar ex centum sexaginta qnatuor, eique annexus locus de la Aldea ex sexaginta sex bominibus respective constat. Paroeciao fructus in qoatuor mille quingentis sexaginta tribus regalibus computantor. Adest beneficium servitorium valoris quatuor mille ducentorum octuaginta unius regalium per dominum Ferdinandum Ximenez obtentum. Utile et necessarium judico, quod hujusmodi beeeficio ones adoinistrandi sacramenta cum animarum cura adjungatur, ejusque provisio per concursum, et examen synodale fiat. Pro uberiori autem spirituali pabulo incolarum loci de la Aldea decens mihi videtur rectorem, et beneficiatum loci de Ontoria adstringi ad subministrandum quid quid opus sit pro manutentione vice parochi perpetui episcopo benevisi in counciatn loco annexn de la Aldea.

Item de loco nuncupato de Ravanera del Pinar.

§. 5. In loco de Ravaoera del Pinar centum, et triginta incolae numerantur, ejusque paroeciae fructus sunt bismille octiogenti octuaginta septem regales. Erectum reperitur beneficium quod dominus Domiuicus de Valasco obtinet valoris bismille qoingentorum quinquaginta, et octo regalium. Necesse mihi videtur, attento onn exiguo incolarum numero, hujusmodi beneficio onus imponere administrationis sacramentorum cum cura animarum, ejusque provisionem concursui coram examinatoribus synodalibus explendo subjicere.

Idem de loco nuncupato de Valdenarros.

§. 6. Locus de Valdenarros ex quinquaginta uno, eique aunexus Lodares ex triginta, et octo respective constant bominibus. Fructus paroeciae io termille ducentis, et quadraginta septem regalibus computantur. Adest beneficium servitorium per dominum Josephum Troncoso obtentum valnris bismille quadringentorum, et triginta duorum regalium; perutile censeo, ut ex hujusmodi beneficio in loco annexo Lodares vicaria perpetua cum cura animarum erigatur, illam pro tempore obtinentibus, emolumentum vulgo *pie de Altar* concedendo, ejusque provisio per concursum, et ternariam propositionem fiat.

Item de loco nuncupato de Cantalucia.

§. 7. Numerus fixus incolarum loci de Cantalucia iguoratur. Ejus paroeciae fructus sunt quatuor mille quingenti, et oonaginta sex regales; cumque annexa habeat loca Cubilles, et Cubilla, satis iuter se dissita, attenta regionis asperitate necesse mihi videtur, quod in loco de Cubilla vicaria perpetua curata erigatur, applicatis pro sui dotatione cunctis decimis, primitiis, et emolumentis ejusdem loci de Cubilla, et insuper praestimonio de Callannazor, quod dominus Emmanuel de Arce obtinet valoris mille octiogentorum, et nonaginta regalium, ex quo vicariu decens congrua pertinget, nullumque praejudicium inferetur loco Callannazor, cui ministri bono provisi minimo desunt.

Item de loco dicto de Fuencaliente

§. 8. In loco de Fuencaliente nonaginta duo habitatores numerantur, ejusque vicariae fructus mille, et quingenti regales sunt. Necessaria mihi videtur eidem uniu praestimooii di Valdeante, valoris mille centum, et quinquaginta quatuor regalium, per quam quidem unionem ejus congrua integraliter esset regalium bismille sexcentorum, et quinquaginta quatuor, et valde facile foret vicario fructuum recollectio, unus enim ab alio loco parum distat.

Archipresbyteratus sancti Stephani

Item de loco nuncupato de Alcozar.

§. 9. Locus de Alcozar ex septuaginta qoatuor, eique annexus Velilla ex viginti duobus hominibus respective constant. Paroeciae fructus in quatuor mille centum, et viginti tribus regalibus computantur. Adest beneficium servitorium per dominum Bonaventuram Rosillo obtentum quatuor mille centum, et viginti duorum, nec non praestimonium vacans sexcentorum septuaginta novem regalium respectivo valoris. Utile, et necessariam censeo hujusmodi praestimoniuoi uniri paroeciae, per quam quidem unionem redditus ejusdem paroeciae ad quatuor mille octingentos, et duos regales ascendent, et beneficium in vicariam perpetuam loci annexi Velilla, subjiciendo ejus provisionem concursui coram examinatoribus synodalibus expleudo, erigatur.

Item de loco nuncupato de Boagas.

§. 10. In loco de Boagas sexaginta quatuor parochiani commorantur, ejusqun paroeciae fructus sunt tres mille sexcenti sexaginta quatuor regales. Erectum inibi reperitur beneficium servitorium per dominum Theoderum Rodriguez obtentum valoris bis mille septingentorum, et unius regalium. Per utile mihi videtur si huic beneficio onus imponatur administrationis sacramentorum cum cura animarum, et imposterum per concursum aeque, ac paroeciae conferatur.

Item de loco nuncupato de Minno.

§. 11. Locus de Minno ex quadraginta, et octo incolis constat, ejusque paroeciae fructus quatuor mille, et sexcenti regales sunt. Adest beneficium redditus septingentorum, et viginti regalium. Utile credo fore, si paroeciae uniatur, per quam quidem unionem quinquemille tercenti, et viginti regales eidem paroeciae erunt.

Item de loco nuncupato de Pennalva s. Stephani.

§. 12. Locum de Pennalva sancti Stephani triginta novem, eique annexum Aldea de Pennalva viginti, et octo homines respective incolant. Paroeciae fructus ad quinque mille nningentos viginti, et octo regales ascendunt. In loco de Pennalva adest beneficium servitorium per dominum Martinum Tamayo obtentum valoris quinque mille quadrigentorum septuaginta sex regalium. Valde justum, et aequitati consonum mihi videtur, quod ex dicti beneficii redditibus erigatur vicaria perpetua curata in loco annexo la Aldea de Pennalva, quae sit concursui, et ternariae propositioni subjecta.

Item de villa nuncupata sancti Stephani.

§. 13. Villa sancti Stephani ex centum triginta quinque incolis constat, tresque ibi recensentur paroeciae, prima sub sancti Stephani bis mille ducentorum et sex, altera sub sancti Michaelis cum ei annexa Quintanilla quatuor mille noningentorum sexaginta quinque, tertia vere sub sanctae Mariae del Rivero respective invocatione quatuor mille centum nonaginta quatuor regalium respective valoris. In prima ex dictis paroeciis adsunt duo beneficia vacantia, unum mille ducentorum sexaginta septem, et alterum mille centum quinquaginta novem regalium annui redditus, et tam pro dotatione utrinsque beneficii hujusmodi, quam pro dotatione paroeciae sancti Stephani unitum ipsis reperiebatur praestimonium, quod ex paroecia di Matama dismembratur octingentorum septuaginta trium regalium valoris. In altera vero reperitur beneficium servitorium, quod dominus Martinus Manene obtinet valoris mille ducentorum nonaginta quinque regalium. In tertia denique existit itidem aliud beneficium servitorium valoris ter mille ducentorum sexaginta trium regalium. Attenta angustia villae, et animadverso quod inibi existit conventus fratrum sancti Francisci de observantia, valde conveniens, et per utile censeo, quod paroecia sancti Stephani supprimatur, transferenda ad ecclesiam, quae actu existit, immaginem nostrae Dominae del Revero, qui imposterum erit illi titulus; paroeciae autem, quae modo venit sub hujusmodi titulo nostrae Dominae del Rivero, erit aremitorum ad hoc, ut in casibus necessitatis valeat supplere, et valor enunciatae paroeciae nostrae Dominae del Rivere, quae transfertur ad illam sancti Stephani, quae est supprimenda, quatuor mille centum nenaginta quatuor regalium remaneat, prout hactenus pro congrua rectoris paroeciae translatae; beneficio autem in dicta paroecia del Rivere existenti onus sacramentorum, et cura animarum superaddatur, eumque ex reddito ter mille ducentorum sexaginta trium regalium sese manutenere valeat recter, existimo, quod ejus provisio concursui, et ternariae propositiuni subjici debeat. Per utile etiam erit si in paroecia quae remanet sancti Michaelis erigatur itidem beneficium cum dicto onere administrationis sacramenterum, et cum animarum cura, quodque pariformiter provideatur, ejusque congrua ex mille ducentis noeaginta quinque regalibus beneficii existentis in hac paroecia, et cùm aliis bismille, ex quibus constat paroecia suppressa sancti Stephani poterit integrari, ita ut beneficium hujusmodi ex ter mille dncentis nonaginta quinque regalibus constet. Necesse etiam existimo, et valde decens quod cum his mille regalibus ex quibus constant duo beneficia vacantia paroeciae suppressae, et cum decimis, primitiis privativis, et emolumento vulgo *pie de Altar* loci de Quintanilla annexi alteri sancti Michaelis in dicto loco de Quintanilla erigatur vicaria perpetua cum cura animarum concursui, et examini synodali subjecta, quae ita ex decenti congrua constabit. Utile quoque censeo, praestimonium di Matanza valoris octingentorum septuaginta trium regalium alias applicatum dotationi curae, et beneficiorum paroeciae sancti Stephani, quae deductio in assignatioue valoris eorumdem a me est per-

acta, uniri curae di Matanza, quae tali ratione ex decem mille, et noningentis regalibus constabit, et a valore dictae curae di Matanza termille, et tercentum regales separari, et cum iis erigi vicariam perpetuam curatam in loco ei annexo Villalvaro, et ita sufficiens erit rectori, et vicarie dotatio. Supellectilia, mobilia, anniversaria, et memoriae ex dotatione paroeciae, quae supprimitur sancti Stephani inter duas, quae remanent nostrae Dominae del Rivero, et sancti Michaelis pro aequali dividantur.

Archipresbyteratus de Corunna

Item de villa de Aranzo de Miel. §. 14. Villa de Aranzo de Miel ex centum sexaginta sex incolis constat, ejusque paroeciae fructus computantur in termille quadringentis viginti quinque regalibus. Adsunt duo beneficia, unum ninirum quod dominus Martinus Laviano bismille sexcentorum quatuor, et alterum bismille quingentorum quadraginta trium regalium respective valoris, quod dominus Thomas Navas respective obtinent. Attenta incolarum multiplicitate utile existimo hujusmodi beneficiis onus administrationis sacramentorum cum cura animarum, eorum provisionem concursui, et ternariae propositioni subjiciendo, imponi.

Item de villa de Corunna del Conde. §. 15. In villa de Corunna del Conde triginta homines recensentur, et paroeciae fructus sunt termille ducenti nonaginta tres regales. Existit beneficium valoris bismille trecentorum, et trium regalium, quod ad praesens dominus Josephus Rodrigo Garralda, et praestimonium majus valoris septingentorum nonaginta quinque regalium, quod dominus Emmanuel Aragon respective obtinent. Utilis, et conveniens mihi videtur hujusmodi praestimonii suppressio, ejusque fructuum, qui pro aequali dividantur, applicatio paroeciae et beneficio, et ita paroecia termille sexcentorum nonaginta; beneficium autem bismille septingentorum regalium dotationem respective consequentur. Pariterque utile existimo quod beneficium hujusmodi in concursu, et per examen synodale provideatur, onere administrationis sacramentorum cum cura animarum ipsi superaddito.

Item de villa de Castrillo de la Reyna. §. 16. In villa de Castrillo de la Reyna centum et quadraginta homines commorantur, et paroeciae fructus sunt quatuor mille centum, et quadraginta regales. Existit beneficium servitorium per dominum Josephum Hipolytum de Urrutia obtentum valoris termille septingentorum octoginta septem regalium. Utile, et necessarium existimo, quod hujusmodi beneficio administrationis sacramentorum cura animarum onus adjungatur, quodque per concursum, et ternariam propositionem ejus provisio fiat.

§. 17. Villa de Palacios ex ducentis, et quindecim incolis constat Ibi duae existunt paroeciae, una videlicet sub sanctae Eulaliae et altera sub sanctae Mariae respectivu invocatione. In primo adest vicarius, et vicariae bismille trecentorum, et triginta quinque. Paroeciae autem valor bismille quadringentorum trigiota quatuor regalium annuatim respective computatur. In prima erectum reperitur beneficium servitorium, quod obtinet dominus Antonius Martinez Mancio valoris mille octingentorum, et sexdecim regalium, nonnullis manualibus minime comprehensis, quae quatenus comprehendantur, bismille regalium valorem excedet. Utile, et necessarium censeo, quod hujusmodi beneficio attentu considerabili incolarum numero administrationis sacramentorum cum cura animarum onus imponatur, et ejus provisio in concursu, et per examen synodale fiat. Item de villa de Palacios.

§. 18. Villa de Quintanarrya ex sexaginta, et octo incolis constat, et paroeciae fructus sunt termille quingenti regales. Adest beneficium servitorium, quod obtinet dominus Joannes Emmanuel Rubio, cujus fructus bismille trecenti, et quadraginta septem regales computantur; decet proinde mihi videtur, quod provideatur per concursum, et ternariam propositionem, quodque eidem administratio sacramentorum cum cura animarum adjungatur. Item de villa de Quintanarrya.

Archipresbyteratus de Andaluz

§. 19. Locum de Valderrueda viginti septem homines inhabitant, et vicariae fructus sunt bismille, et ducenti regales, cum autem hujusmodi redditus tenuis sit, idcirco dismembrato ab illa praestimonio, quod ad praesens vacat valoris noningentorum, et quadraginta regalium, necesse existimo fore, ut dictae vicariae ad complementum congruae in summa termille centum, et quadraginta regalium illud applicetur. Item de loco de Valderrueda.

Archipresbyteratus de Aranda

Item de villa de Aranda. §. 20. Villa hujus tituli ex noningentis, et septuaginta tribus incolis constat. Duae ibi recensentur parochiales ecclesiae, una sub sanctae Mariae, cujus fructus quinque mille centum, et tresdecim regales sunt, et quinque in ea erecta reperiuntur beneficia, cumque ipsa late pateat, mihi videtur conveniens applicare huic paroeciae beneficium ad praesens vacans mille sexcentorum, et quadraginta duorum, et aliud per dominum Dominicum Perez obtentum bismille sexcentorum sexaginta quinque regalium respective valoris, utrumque in eadem paraecia, per quas applicationes ipsius paroeciae fructus ex novem mille quadringentis, et viginti regalibus constabunt; altera vero sub sancti Joannis respective invocatione, cujus fructus sunt bismille treceuti nonaginta septem regales. Inibi tria beneficia; totidemque praestimonia existunt; necesse vero existimo curae hujusmodi applicari duo beneficia unum nimirum, quod ad praesens vacat mille noningentorum triginta septem regalium, et alterum ejusdem valoris, quod obtinet dominus Bernardus Carranza, et ita rectori sancti Joannis erit integraliter congrua sexmille ducentorum, et septuaginta unius regalium. Necesse itidem censeo attento multiplici villae incolarum numero, quod beneficiis servitoriis in unione, seu applicatione hujusmodi non comprehensis, administrationis sacramentorum cum cura animarum onus imponatur, et per concursum, et examen synodale provideantur, infimum enim ex illis paroeciae sanctae Mariae ex termille trecentis octoginta, et octo regalibus constat. Beneficio autem in paroecia sancti Joannis existenti modo obtento a domino Francisco Trevilla, cujus fructus tantummodo sunt mille noningenti, et triginta septem regales, et cui idem adjungitur onus, uniri, seu applicari oportet duo, quae in eadem paroecia ad praesens vacant praestimonia, quorum utrumque est valoris sexcentorum, et triginta unius regalium, per quod quidem augumentum beneficium sancti Joannis ex termille centum nonaginta novem regalibus constabit.

Item de villa de Gumiel de Izan. §. 21. In villa de Gumiel de Izan tercentis, et quinquaginta sex incolae adnumerantur, fructus autem paroeciae in quatuormille quingentis, et tribus regalibus computantur. Adest beneficium cum administratione sacramentorum per dominum Simonem Terradillos obtentum valoris bismille sexaginta quatuor regalium, et insuper in eadem parochiali ecclesia quatuor alia beneficia servitoria erecta reperiuntur, unum videlicet, quod dominus Emmanuel Miron quatuormille centum viginti, et octo, aliud quod dominus Martinus Nunuo termille sexcentorum, et quatuordecim, aliud quod Dominus Emmanuel Romero respective obtinent, termille sexcentorum, et quatuordecim regalium respective valoris, et reliquum similis redditus, quod ad praesens vacat. Existunt itidem in eadem ecclesia duo praestimonia, unum, videlicet per Dominum Felicem Venantium Vergara, cujus fructus sunt mille quadrigenti, et octoginta quinque regales, et alterum per Dominum Emmanuel Machin, respective obtenta valoris ducentorum, et quinque regalium. Utile mihi videtur beneficium vacans, cujus fructus sunt termille sexcenti, et quatuordecim regales paroeciae applicare, talique methodo ejusdem paraeciae redditus ad regales octo mille centum, et septemdecim ascendet, et rite factum iri pariter extimo, quod duo praestimonia valoris insimul mille sexcentorum, et nonaginta regalium beneficio cum administratione sacramentorum per dominum Simonem Terradillos obtentum uniantur, per quam incorporationem valor hujusce beneficii erit termille septingentorum, et quinquaginta quatuor regalium, et attento magno parochianorum numero necessarium censeo beneficio hujusmodi, cui onus incumbit administrandi sacramenta, aliud etiam superaddatur curae animarum, et id ipsum simili methodo expleatur, quoad alia tria, quae superestant in dicta parochiali ecclesia; et omnia haec quatuor beneficia per concursum, et ternariam propositionem provideantur.

Item de villa de la Aquilera. §. 22. Villa de la Aquilera ex nonaginta, vel centum incolis constat, et ejus paroecia est valoris quatuor mille septingentorum, et nonaginta regalium. Inibi adest beneficium servitorium, per dominum Franciscum Garcia Vinuesa obtentum valoris termille ducentorum, et triginta unius regalium, et erectum in eadem parochiali ecclesia, etiam reperitur praestimonium, quod possidet dominus Franciscus Xaverius Aparicio valoris regalium quingentorum, et quinquaginta novem; opertet dictum praestimonium beneficio servitorio

noiri, et tunc ejus valor erit termille septingentorum, et nonaginta regalium, adjuncto tamen buic beneficio onere administrandi sacramenta cum cura animarum, ejusque provisionem fieri per concursum, et examen synodale.

Item de loco nuncupato de Bannos. §. 23. Parochiani loci de Bannos numerum conflant septuagesimum tertium, et ejus paroeciae valor est quatuor mille trecentorum, et quinquaginta regalium. Adest beneficium servitorium valoris termille septingentorum viginti septem regalium, quod obtinet dominus Paulus Pozal. Perutile censeo, quod huic beneficio onus imponatur administrandi sacramenta cum cura animarum, quodque per concursum, et ternariam propositionem provideatur.

Item de loco nuncupato de Aquilles. §. 24. In loco de Aquillas octodecim adnumerantur incolae, ejusque paroeciae valor erit bismille octingentorum nonaginta quinque regalium. Tria inibi existunt praestimonia ad praesens vacantia, quorum insimul valor regalium sexcentorum, et tredecim summam constituit. Necessaria mihi videtur illorum unio paroeciae, quae ita ex termille quingentis, et octo regalibus constabit.

Item de loco nuncupato de Pinille de Trasmonte. §. 25. In loco de Pinilla de Trasmonte existunt trecenti quadraginta septem parochiani, ejusque paroeciae fructus in summa bismille sexcentorum octoginta septem regalium computantur. Erectum inibi reperitur beneficium servitorium per dominum Emmanuelem Gonzalez Horliz obtentum valoris bismille ducentorum, et triginta duorum regalium, uti etiam praestimonium, quod dominus Franciscus Xaverius Aparicio obtinet valoris quingentorum quadraginta trium regalium. Utile existimo dictum praestimonium paroeciae applicari, qua applicatione illius redditus ex termille ducentis, et triginta regalibus constabit, et beneficio onus superaddi administrationis sacramentorum cum cura animarum, ejusque provisionem in concursu, et per examen synodale fieri.

Archipresbyteratus de Roa

Item de loco nuncupato de Anguix. §. 6. Locus de Anguix ex centum, et quatuordecim incolis constat, ejusque paroeciae fructus in quatuormille quingentia, et nonaginta tribus regalibus computantur. Adest beneficium servitorium, quod obtinet dominus Joannes Nemesius Garrido valoris quatuormille quadringentis octuaginta, et octo regalium. Utile, et necesse mihi videtur, quod huic beneficio onus administrandi sacramenta cum cura animarum superaddatur, ejusque provisio per concursum, et ternariam propositionem fiat.

Item de villa de Gumiel de Mercado nuncupata. §. 27. Villa de Gumiel de Mercado ex centum, et nonaginta septem hominibus constat. Duae inibi existunt parochiales ecclesiae, una scilicet sub sanctae Mariae, cujus fructus in quatuor mille, et quinquaginta sex regalibus computantur, et in ea erectum reperitur beneficium valoris regalium termille quingentorum, et trium supra decem, quod dominus Didacus Cannas obtinet, altera vero sub sancti Petri respective invocatione cujus fructus sunt quinque mille quingenti, at septuaginta tres regales, in qua erectum pariter existit beneficium per dominum Alexandrum Aparicio obtentum valoris termille quadringentorum, et sex regalium. Utile, et necessarium mihi videtur, quod utrique beneficio hujusmodi onus imponatur sacramenta administrandi cum cura animarum, et in concursu, et per examen synodale provideatur.

Item de loco nuncupato de Gusman. §. 28. In loco de Gusman octuaginta novem parochiani degunt, et paroeciae fructus sunt termille quadringenti, et novem regales. Adest inibi beneficium servitorium valoris termille, et septuaginta quatuor regalium hujusmodi, illudque obtinet dominus Didacus Bernardus de Orunna. Utile existimo, quod hujusmodi beneficium in concursu, et per examen synodale provideatur, eidemque administratio sacramentorum cum cura animarum superaddatur.

Item de loco nuncupato de Olmedillo. §. 29. Locus de Olmedillo ex centum quinquaginta, et uno incolis constat. Duo beneficia inibi erecta existunt, unum nimirum valoris bismille nonigentorum, nonaginta quinque regalium, quod obtinet dominus Thomas Rodriguez, et alterum similis valoris, quod possidet dominus Antonius Hurtado: valor autem paroeciae est termille trecentorum, at triginta novem regalium. Utile, et conveniens existimo, quod alterum ex hisce duebus beneficiis supprimatur, ejusque fructus in tres partes dividantur, duas applicando paroeciae, quae hoc additamento augebitur usque ad quinque mille trecentos, et triginta quinque regales, reliqua autem pars uniatur beneficio, quod remanet ad hoc, ut congruam termille nonigen-

lorum unnaginta trium regalium constituat, et necesse etiam existimo huic beneficio administrationem sacramentorum cum cura animarum superaddere, ejusque provisionem, aeque ac parochialium ecclesiarum in concursu, et per examen synodale fieri.

Item de loco nuncupato de Piniilos.

§. 30. In loco de Piniilos triginta novem incolae adnumerantur, ejusque paroeciae fructus mille quingenti, et duodecim regales computantur. Adest inibi beneficium, quod ad praesens vacat valoris octingentorum vigintiquinque regalium; utilis mihi videtur ejus unio paroeciae, quae tali pacto ex bismille trecentis, et triginta septem regalibus constabit.

Item de villa de Roa.

§. 31. In villa de Roa quadringenti homines connumerantur. Adsunt inibi tres parochiales ecclesiae noa, videlicet unita canonicatui suae ecclesiae collegiatae, altera sub sancti Stephani quinque mille centum, et triginta novem, et reliqua sub sanctissimae Trinitatis, respective invocatione quinque mille quadringentorum triginta trium regalium, etiam respective valoris. In hac ultima dicta ecclesia erecta reperiuntur duo beneficia servitoria, unum majus nuncupatum, quod dominus Ferdinandus Yzquierdo obtinet bismille septingentorum octuaginta novem, alterum minus pariter nuncupatum per dominum Joannem Josephum Zapatero obtentum bismille, et octuaginta octo regalium respective valoris. Existit insuper in eadem parochiali ecclesia praestimonium valoris quingentorum, et triginta duorum regalium, et attento multiplici parochianorum numero necesse mihi videtur, quod praestimonium hujusmodi beneficio minori nuncupato uniatur, cujus dotatio, ita erit valoris bismille sexcentorum, et viginti regalium, quodque tam huic beneficio minori, quam alii majori onus superaddatur administrationis sacramentorum cum cura animarum, et utrumque in concursu, et per examen synodale provideatur.

Item de loco nuncupato sancti Martini de Rubiales.

§. 32. Locus sancti Martini de Rubiales ex centum, et octuaginta hominibus constat, et ejus paroeciae fructus sunt quinque mille, et ducenti regales. Erecta inibi reperiuntur duo beneficia servitoria; unum ultimum per dominum Joannem Emmanuelem Vesavente valoris termille centum, et novemdecim regalium, et alterum per dominum Raymundum Fernandez Salcedo respective obtentum valoris bismille noningentorum, et triginta novem regalium. Attento animarum numero, conveniens, et necessarium existimo hujusmodi beneficia in concursu, et per ternariam propositionem conferri, ipsisque onus administrandi sacramenta cum cura animarum superaddi.

Item de villa dicta de Sotillo.

§. 33. Villa de Sotillo ex trecentis duodecim incolis constat, et ejus paroeciae fructus in decem mille ducentis, et triginta quatuor regalibus computantur. Adest inibi beneficium valoris novem mille sexcentorum quinquaginta, et octo regalium: Decens existimo pro majori pabuli spiritualis abbundantia fructus hujusmodi beneficii, ex aequo dividi, ut duo instituantur beneficia valoris quatuor mille octingentorum, et novem regalium pro unoquoque superaddito utrique onere administrandi sacramenta cum cura animarum, et utrumque aeque, ac caeterae parochiales ecclesiae in concursu, et per examen synodale provideri.

Item de loco nuncupato de Terradillos.

§. 34. Locus de Terradillos ex triginta tribus hominibus constat, ejusque paroeciae valor est mille octingentorum, et novemdecim regalium. Adest inibi praestimonium ad praesens vacans valoris centum, et triginta unius regalium; necesse est ut hoc paroeciae uniatur, et ita ejus redditus erunt mille noningenti, et quinquaginta regales.

Item de loco dicto de villa Escusa.

§. 35. Locus de villa Escusa ex quadraginta novem incolis constat, ejusque paroeciae fructus sunt bismille, et viginti septem regales. Erectum inibi reperitur beneficium servitorium valoris mille octingentorum, et viginti quinque regalium, quod obtinet dominus Emmanuel Romero. Utile existimo fore, ut praestimonium hujusmodi paroeciae uniatur hic hoc, ut ipsius congrua in termille octingentis, et quinquaginta duobus regalibus constituatur.

Item de loco nuncupato de villa Tuelda.

§. 36. In loco de villa Tuelda quadraginta septem incolae numerantur, cujus paroeciae fructus sunt bismille centum, et quinquaginta duo regales. Adest inibi praestimonium ad praesens vacans valoris trecentorum, et quindecim regalium. Valde aequum mihi videtur, quod paroeciae uniatur pro suae dotationis augmento, quae tunc ex bismille quadringentis, et sexaginta septem regalibus constabit.

Item de loco de Villovela.

§. 37. Locum de Villovela triginta novem homines inhabitant. Ejus paroeciae fructus termille centum viginti, et octo regales connumerantur. Erectum inibi reperitur beneficium servitorium, quod obtinet dominus Isidorus Espinosa valoris bismille noningentorum, et

quatuor regalium: convenientem, et aequitati valde consonam existimo ejus applicationem paroeciae, cujus fructus tali methodo ex sexmille, ac triginta duobus regalibus constabunt.

Archipresbyteratus de Aza

Item de villa de Aza

§. 38. In villa hujus tituli viginti quinque adnumerantur homines, ejusque vicariae fructus mille nonigenti, et sexdecim regales sunt. In dicta villa nullum aliud practer archipresbyteratum, cujus valor est regalium octingenturum septusginta quatuor, beneficium ecclesiasticum erectum reperitur. Utilem existimo archipresbyteratus hujusmodi unionem paroeciae, aut vicariae, cujus fructus tali pacto ex bismille septingentis, et nonaginta regalibus integraliter constabunt, et rector vicarius hac condecoratione fruebstur.

Item de villa de Castrillo de la Vega.

§. 39. In villa de Castrillo de la Vega sub eodem archipresbyteratu, cujus quidem incolarum numerus sufficiens est, adest praestimonium valoris mille centum, et sexaginta unius regalium, quod ad praesens vacat. Cum autem redditus paroeciae supradictae villae sint sex mille noningenti, et quadraginta duo regales mihi videatur, ut plures sint ministri, decere ex fructibus paroeciae applicari quotannis praestimonio summam mille quadringenturum quadraginta duorum regalium, et ita praestimonium hujusmodi ex bismille sexcentis, et tribus regalibus constabit, superextantibus paroeciae pro sui congrua manutentione quinque mille, et quingentis regalibus, et idem praestimonium cum indicata unione erigi beneficium, cui administratio incumbat sacramentorum cum cura animarum, ejusque provisionem concursui, et ternariae propositioni subjici.

Item de loco nuncupato de Aldeanueva de la Serrezuela.

§. 40. Locus de Aldeanuera de la Serrezuela ex triginta, et octo hominibus constat, ejusque paroeciae fructus sunt regales mille noningenti triginta, et octo. In dicto loco nullum adest beneficium ecclesiasticum. Habito autem respectu ad exiguos paroeciae redditus, eiusque proximitatem locu de Fuentelisendro, in cujus parochiali ecclesia existit praestimonium valoris mille quadringentorum, et triginta sex regalium, quod obtinet dominus Didacus Bernardus de Oruna, uti etiam animadverso praestimonium hujusmodi necessarium non esse in dicto loco de Fuentelisendro, cujus paroeciae fructus sunt quindecim mille, ac quadraginta tres regales, utile existimo enunciatum praestimonium paroeciae loci de Aldeanueva de la Serrezuela uniri, quae tali pacto ex termille trecentis septuaginta quatuor regalibus constabit.

Item de villa de Moradillo.

§. 41. In villa de Moradillo centum, et sex homines numerantur, ejusque paroeciae fructus sunt quinque mille regales. Erectum inibi repecitur beneficium serviturium valoris quatuormille ducentorum, et viginti quinque regalium, quod obtinet dominus Petrus Membrive. Utile, et conveniens existimo beneficium hujusmodi provideri in concursu, et per examen synodale superaddito eidem onere administrandi sacramenta cum cura animarum.

Archipresbyteratus de Gormaz

Item de loco nuncupato de Mosarecos.

§. 42. Locus de Mosarecos ex triginta, eique adnexus Galapagares ex viginti quinque hominibus respective constant. Paroeciae fructus sunt termille trecenti, at quadraginta regales. Erectum inibi reperitur praestimonium valoris trecentorum octuaginta trium regalium ad praesens vacans. Decet, ut mihi videtur praestimonium hujusmodi applicari paroeciae, cujus quidem fructus per hanc applicationem erunt termille septingenti, et viginti tres regales.

Item de loco de Villanueva de Gormaz.

§. 43. In loco de Villanueva de Gormaz quinquaginta connumerantur incolae, ejusque paroeciae fructus sunt termille trecenti, et quatuor regales. Erectum inibi reperitur praestimonium valoris quingentorum viginti duorum regalium, quod obtinet dominus Petrus Garcia. Existimo conveniens esse idem applicari paroeciae cujus fructus, tunc ad summam termille octingentorum viginti sex regalium ascendent.

Archipresbyteratus de Caltanazor

Item de villa de Caltanazor.

§. 44. Villa hujus nuncupationis ex centum incolis constat. Valor autem ipsius paroeciae termille septingentis nonaginta septem regalibus consistit. Ei annexus reperitur locus de Aldebuela, in quo triginta connumerantur homines. In loco de Caltanazor tria beneficia erecta reperiuntur aeque, ac praestimonium. Primum quod obtinet dominus Josephus Her-

nandra reddit termille sexcentos septuaginta quatuor regales; alterum per dominum Didacum Antonium Garcia obtentum est valoris regalium etiam termille sexcentorum septuaginta quatuor; reliquum vero, quod obtinet dominus Didacus Bernardus da Orunna computatur valoris termille octingentorum triginta duorum regalium. Praestimonium denique, quod possidet dominus Emmanual da Arce ad summam mille octingentorum, et nonaginta regalium ascendit; necesse existimo quod in loco aduexo de la Aldequela vicaria perpetua curata per concursum erigatur, assignatis eidem pro sui dotatione fructibus, et valore beneficii per dominum Didacum Bernardum de Orunna obtenti, quodque aliis duobus beneficiis servitoriis onus imponatur administrandi sacramenta cum cura animarum, illorum provisionem concursui, et ternariae propositioni subjiciendo.

Item de loco de la Mallona.

§. 45. Locus de la Mallona constat ex triginta octo hominibus. Ejus paroecia est vicaria de novo erecta valoris mille noningentorum, ac duodecim regalium. In dicto loco nullum reperitur beneficium ecclesiasticum; cum autem in loco de la Cuenca ab illo de la Mallona parum dissito praestimonium valoris quadringentorum triginta sex regalium existat, et ab enunciato loco de la Cuenca separata fuerit vicaria, utile judico, quod praestimonium hujusmodi ad praesens vacans indicatae vicariae de la Mallona uniatur, ad hoc, ut ejus dotatio ex bismille trecentis quadraginta, et octo regalibus constet.

Archipresbyteratus de Soria

Item de civitate Soriae.

§. 46. Civitas Soriae octingentos, aut mille incolas enumerat. Duodecim inibi existunt parochiales ecclesiae, quae non per regiones, vel finium assignationem, sed tantummodo per familias distributae reperiuntur. Ex hoc summum recturibus incommodum oboritur, et major difficultas in bono pabuli spiritualis administratione, necessarium existimo praecipere finium assignationem fieri, et dispositionem hac in parte; cum autem sit opus satis difficile, et longum, arbitror, quod pro nunc deceat, et necesse sit dotare paroecias, quae majori premuntur egestate, idque fieri tali methodo.

Item de vicaria dicta nostrae Dominae del Azogue.

§. 47. Vicaria nostrae Dominae del Azogue intra limites collegiatae ecclesiae est valoris regalium quinque mille, et centum. Duo beneficia, et praestimonium erectum inibi reperiuntur. Primum est valoris bismille, et ducentorum regalium, illudque possidet dominus Aloisius de Morales. Alterum ad praesens vacat, ejusque valor in octingentis regalibus consistit, reliquum vero quod etiam vacat computatur valoris regalium centum, et triginta. Utile, et conveniens existimo beneficium, et praestimonium ut supra vacantia uniri beneficio quod obtinet dominus Aluisius de Morales per quam unionem beneficium hujusmodi reddet quotannis termille centum, et triginta regales, super imposito tamen illi onere administrandi sacramenta cum cura animarum, ejusque provisionem concursui, et examini synodali subjiciendo.

Item de paroecia sancti Salvatoris.

§. 48. Paroeciae sancti Salvatoris cujus fructus computantur termille quadringenti regales, utile existimo uniri dimidium beneficium, et praestimonium, quae ad praesens vacant in paroecia nostrae Dominae del Espino ejusdem civitatis, valoris insimul mille ducentorum, et quinquaginta regalium, et ita dotatio paroeciae sancti Salvatoris esset quatormille sexcentorum et quinquaginta regalium.

Item de paroecia nostrae Dominae de Barnuevo.

§. 49. Paroeciae nostrae Dominae de Barnuevo fructus in termille, et trecentis regalibus computantur, cumque nullum beneficium ecclesiasticum in hujusmodi ecclesia erectum reperiatur pro suae dotationis augumento mihi videtur augumentum hujusmodi expleri debere ipsi paroeciae uniendo beneficium sub invocatione sancti Ægydii valoris centum quadraginta quinque regalium, ac praestimonium sancti Bartholomaei, cujus fructus nonaginta quinque regalibus existimantur, et utrumque ad praesens vacat, ea dismembrando a parochiali ecclesia nostrae Dominae vulgo la Major ejusdem civitatis; per hujusmodi enim unionem fructus paroeciae nostrae Dominae de Barnuevo ex termille quingentis, et quadraginta regalibus constabunt.

Item de paroecia sancti Nicolai.

§. 50. In paroecia sancti Nicolai, cujus fructus in termille, et ducentis regalibus computantur erectum reperitur beneficium, quod obtinet dominus Franciscus Saborido valoris bismille regalium. Per utile existimo beneficium hujusmodi applicari paroeciae cujus fructus tunc ad quinque mille, et ducentos regales ascendent.

Item de paroecia sancti Joannis

§. 51. In paroecia sancti Joannis, cujus fructus sunt termille, et quinquaginta regales exi-

stit praestimonium valoris regalium centum, et quinquaginta quod ad praesens vacat. Decet prout mihi videtur praestimonium hujusmodi paroeciae applicari, ad hoc ut illius dotationem regalium termille et ducentorum constituat.

Item de vicaria, et paroecia sanctae Crucis.

§. 52. In vicaria, et paroecia sanctae Crucis valoris mille ducentorum, et quinquaginta regalium adest beneficium per dominum Josephum Gonzalez obtentum, cujus fructus sunt milleducenti, et quinquaginta regales, et praestimonium ad praesens vacans valoris centum, et octo regalium. Necessariam censeo applicationem hujusmodi beneficii, et praestimonii huic vicariae; pariterque utile agnosco, quod vicaria sancti Clementis ejusdem civitatis, quae usque, et a die prima julii millesimi septingentesimi septuagesimi octavi vacans reperitur sub obtutu suae suppressionis ex nunc supprimatur, ejusque valor in mille, et centum regalibus consistens uniatur quoque vicariae sanctae Crucis per quam unionem una cum illa desuper proposita beneficii, et praestimonii dotatio enunciatae vicariae sanctae Crucis ex termille septingentis, et octo regalibus constabit.

Item de paroecia sancti Clementis.

§. 53. Animadvertendum pariter est, quod existente in paroecia sancti Clementis, quae supprimi debet, praestimonio valoris ducentorum septuaginta quinque regalium per dominum Dominicum Elorra obtento convenit, et est per utile praestimonium hujusmodi applicari vicario del Barrio de las Casas, quae perdimidium leucae Soria distat, et ita ejus fructus cum applicatione praestimonii summam bismille ducentorum septuaginta quinque regalium constituent.

Archipresbiteratus de Gomora

Item de loco de Aldea de la Fuente.

§. 54. In loco de Aldea de la Fuente quadraginta, et sex homines enumerantur, et ejus vicariae fructus in regalibus bismille nonigentis, et nonaginta computantur; loca de Bivvaroya, et Tapiela illi sunt annexa. In loco de Aldea de la Fuente duo praestimonia existunt, unum, quod vacat, valoris quingentorum et octuaginta regalium, alterum vero trecentorum octuaginta sex, quod dominus Didacus Bernardus Orunua obtinet. Utriusque applicationem vicariae convenientem existimo, cujus quidem dotatio tunc ex termille nonigentis quinquaginta regalibus constabit.

Item de loco de Almazul.

§. 55. Locum de Almazul septuaginta novem incolae inhabitant; ejusque paroeciae fructus sunt valoris termille ducentorum trigiuta quinque regalium. Praestimonium inibi vacat valoris mille et triginta trium regalium. Conveniens, et utile censeo praestimonium hujusmodi uniri, seu applicari paroeciae, cujus fructus tunc erunt quatuormille ducentorum sexaginta, et octo regalium.

Item de loco de Ablon.

§. 56. Locus de Ablon ex sexaginta hominibus constat, ejusque paroeciae valor in termille centum nonaginta tribus regalibus computatur. Adest inibi praestimonium valoris octingentorum viginti quinque regalium, quod possidet dominus Bernardus de Orunna, et ejus applicationem paroeciae necessariam existimo, ad hoc ut dotationem ejusdem ex quatuor mille, et octodecim regalibus integraliter constet.

Item de loco de Canos.

§. 57. In loco de Canos quadraginta quinque incolae adnumerantur, et ejus paroeciae fructus in termille trecentis septuaginta septem regalibus consistere existimantur. Adest inibi praestimonium valoris trecentorum octuaginta quatuor regalium per dominum Petrum Ortega obtentum. Conveniens mihi videtur illud applicari paroeciae, cujus fructus tali pacto ex termille septingentis sexaginta, et unu regalibus constabit.

Item de loco de Cardeson.

§. 58. Locum de Cardeson quadraginta novem homines inhabitant. Fructus paroeciae in bismille trecentis quinquaginta sex regalibus computantur. In hujusmodi paroecia nullum ecclesiasticum beneficium, quod eidem applicari valeat existit. Cum autem parum distet a loco Mazateron, cujus paroecia augumento minime indiget, et dismembrato ab illa praestimonio major valoris mille sexcentorum, et septemdecim regalium, utile censeo hujusmodi majus praestimonium loci de Mazateron de cujus vacatione dubitatur applicari paroeciae de Cardeson, ad hoc ut ejus congrua ex termille nonigentis septuaginta tribus regalibus constet.

Item de loco de Fuentetecha.

§. 59. In loco de Fuentetecha, eique annexis Cabresuelas, et Duanne triginta sex quoad primum, novemdecim quoad secundum, et duo quoad reliquum incolae respective adnumerantur, et paroeciae fructus sunt bismille octingenti, et sexaginta quatuor regales. In loco Fuentetecha tria praestimonia existunt, quae vacant ad praesens, unum uimirum ducentorum septuaginta, et octo, aliud centum, et viginti quinque, et alterum sexaginta duorum

regalium respectiva valoris. Utile et conveniens existimo, quod cuncta haec praestimonia paroeciae uniantur, ad hoc ut ejus dotatio in summa termille treceotorum, et vigioti novem regalium expleatur.

Item de loco de Fuenseanco. §. 60. Locus de Fuenseanco ex triginta, ipsi autem annexus Riucabade ex sex hominibus respective constat. Ejus paroeciae fructus termille quadrigenti, et quatuor regales computantur, et inibi erectum reperitur praestimonium, quod obtioet dominus Fraociscus Xaverius Pharicie valori regalium trecentorum vigioti triom. Hujus praestimooii necessariam ceuseo applicationem paroeciae, cujus fructus per hujusmodi applicationem in termille septiugentis viginti septem regalibus consistent.

Item de loco de Mazalnete. §. 61. Locus de Mazalnete quinquaginta incolas habet, et paroeciae fructus sunt bismille ducenti nooaginta quatuor regales. Adest inibi praestiomonium, quod vacat, valoris regalium sexcentorum et quatuor. Cooveniens existimo praestimonium hujusmodi applicari paroeciae, cujus dotatio per hoc augumentum ex bismille octiogentis nonaginta et octo regalibus censtabit.

Item de loco de Minnana. §. 62. In loco de Minnana quadraginta sex incolae numerantur; valor autem ipsius paroeciae est regalium bismille nenigentorum quadraginta et octo: praestimonium ioibi existit, quod obtinet decanus de Lucronno valoris mille et sexaginta unius regalium. Utile, et oecessarium mihi videtur, praestimonium hujusmodi applicari paroeciae ad hoc, ut ejus coogrua in quatuor mille, et oevem regalibus constituatur.

Item de villa de Monte Acuto. §. 63. Villam de Monte Acuto centum et quadragieta sex hoioines inhabitant, et fructus ejus paroeciae sunt bismille quingenti, et duodecim regales. Erectum inibi reperitur beneficium obteutum per dominum Josephum Gutierrez Torrova mille neuiogentorum quadraginta trium. Praestimooium majus vacans septiagentorum, et quadraginta quinque, et aliud praestimooium mieus, quod obtiuet dominus Bernardus de Prao trecentorum et septuaginta unius regalium respective valoris. Necessariam existimo unionem praestimonii miooris per dominum Beroardum de Prao obtenti paroeciae, cujus quidem fructus per banc unionem ex bismille octingentis octuagiuta tribus regalibus constabuut, et habito respectu multiplici inhabitantium uumero, necesse etiam censeo, ut praestimonium majus vacans beneficio uniatur per dominum Josephum Gutierrez Torrova ohtento, cujus quidem fructus erunt bismille sexcenti octuaginta, et octo regales, ejusque provisio fiat in concursu, et per examen synodale, onus administrandi sacramenta cum cura animarum hujusmodi beneficiu superaddendo.

Item de loco de Nompareddes. §. 64. Locus de Nuoparedes ex quadraginta tribus habitatoribus constat, fructusque ejus paroeciae sunt bismille quadringenti nonaginta duo regales. Erectum inibi reperitur praestimonium vacans valoris noningentorum quinquaginta sex regalium, et utilis mibi videtur ejus applicatiu paroeciae, ad hoc ut per hujusmodi augumentum ejus fructus termille quadringentorum quadraginta et octo regalium summam coustitnant.

Item de villa de Novierces. §. 65. In villa de Noviercas ducenti, et septuaginta incolae oumerantur, ejusque paroeciae fructus sunt regales sex mille quingenti quinquaginta duo. Beneficium inibi existit per dominum Joannem Aetonium Ruiz obtentum; valoris quatuormille quingentorum nonaginta uuius regaliom. Convenieus, et necesse existimo, attanto multiplici inhabitantium numero, eidem beneficio onus administrandi sacramenta cum cura animarum soperaddi, ejusque provisionem concursui, et synodo subjici.

Item de loco de Peroniel. §. 66. Locum de Peroniel sexagiotaquioque homines inhabitant, fructusque ejus paroeciae computantur bismille septingenti octoginta tres regales. Adest inibi praestimonium valoris octingentorum vigiotiquatuor regalium quod possidet dominus Nicolaus Almagro. Utilem considero ejus unionem paroeciae, per quam fructus ejusdem erunt termille sexcenti, et septem regales.

Item de loco de Pinilla del Campo. §. 67. Locus de Pinilla del Campo ex triginta duobus incolis constat, et fructus ejus paroeciae sunt bismille noningenti et nonaginta regales. Nullum inibi adest beneficium ecclesiasticum ipsi uoiendum. Cum autem in Pezalmuro, qui locus est illi proximus praestimonium vacans valoris quingentorum quinquaginta quatuor regalium existat, cumque praestimooium hujusmodi necessarium minime sit in secundo dicto loco de Pezalmoro, fructus enim ejus paroeciae sunt septem mille centum ouoaginta quioque regales, utile mibi videtur hujusmodi praestimonium uniri, seu applicari paroeciae primodicti loci de Pinilla, cujus quidem fructus tali ratiooe ex termille

quingentis, et quadraginta quatuor regalibus constabunt.

Item de villa de Seron.

§. 68. Villam de Seron centum nonaginta habitatores incolaet. Inibi una tantummodo existit ecclesia, et in hac tres pareeciae sub sanctae Mariae, sanctae Crucis, et sancti Jacobi respective invocationibus erectae reperiuntur. Primae termille sexcenti octusginta tres; secundae mille noningenti qusdraginta at unus; tertiae vero bis mille, et viginti tres regales respective fructus sunt. Necesse censeo, ut prima, quae vacaverit supprimistur, fructusque cunctarum trium una cum oneribus anniversariis, caeterisqna obligationibus pro acquali inter duas, quae supererunt, dividantur, distribusnturque, et tali methodo unaquseque ex hisce paroeciis ex termille octingentis viginti tribus regalibus cum dimidio regalia hujusmodi constabit.

Item de loco de Torleegua.

§. 69. Locus de Torleegua ex centum nonaginta iecolis constat, ejusque parneciae fructus sunt termille, et sexdecim regales. Praestimonium inibi adest vacans valoris quadringentorum, et quinquaginta unius regalium. Utilia mibi videtur unio ejusdem paroeciae, quae tali pacto ex termilla quadringentis sexaginta septem regalibus constabit.

Item de loco de Tozalmuro.

§. 70. Locum de Tozalmuro viginti septem hemines inhabitant, ejusque paroeciaa fructus bismille septuaginta septem regsles existimantur. Duo inibi sunt praestimonia, unum vacans trecentorum, et undecim, alterum vero per dominum Franciscum Mentes Nava obtentum trecentorum, et quadraginta duorum regalium respective valoris. Convenieos, et uecesse censeo, ut utraque haec praestimonia unisntor paroeciae, et tunc ejus fructus ex bismille septingentis at triginta regalibus constabunt.

Item de loco de Villaseca.

§. 71. In loco de Villaseca octodecim homines numerantur, fructusque ejus paroeciae in bismille quingentis, at septuaginta regalibus computantur. Praestimonium inibi existit, quod vscat, cujus vslor sexcentis octoginta, et uno regalibus consistit. Utilem, et necesseriam applicationem paroeciae existimo, per quam ipsa ex termille ducentis quinquaginta, et uno regslibus constabit.

Item de loco de Paredes Roya.

§. 72. Locum de Paredes Roya trigiata incolau, locumque de Turralba illi annexum septemdecim incolae respective inhabitant. Paroeciae fructus quatuor mille septingenti quadraginta quatuor regales existimantur. Praestimonium, quod vacat, inibi existit, ejusque unionem paroeciae necessariam censeo, cum enim sit vslor bujusmodi praestimonii trecentorum, et trigiata trium regalium, paroeciae fructus ex quinque mille, et septusgiata septem regalibua constabunt.

Item de loco de Renieblas.

§. 73. In loco de Renieblas septuaginta novem, et in loco eidem annexo de Ventosilla novem respective homines adnumerantur, ejus paroeciae fructus sunt quatuor mille trecenti qusdrsginta et octo regales. Praestimonium, quod vacat, inibi existit, valuris septingentorum et decem regalium; necessaria mibi videtur ejus applicatio paroeciae, cujus dotatio tunc ex quinque mille quinquaginta, et octo regalibus constabit.

Item de loco de Sanquillo de Bonices.

§. 74. In loco de Sanquillo de Bonices viginti; et in allu de Aparrache sex homines respective adnumerantur. Fructus paroeciae in quatuermille ducentis, et quadraginta sex regalibus existimantur. Inibi existit praestimonium vacans valoris quingenturum, et triginta duorum regalium. Utilem censeo ejus unionem paroeciae, per quam ejus congrua ex qustuor mille septingentis septuaginta, et octo regalibus constabit.

Archipresbyteratus del Campo

Item de loco de Buytrago.

§. 75. Locus de Buytrago ex quadrsginta, ei autem adnexa Pedraza, et Ayllon, ex triginta respectivo hominibus constant. Paroeciae fructus sunt regales termille ducenti sexaginta tres. Erectum inibi reperitur beneficium servitorium, quod obtinet dominus Andreas Cersino bismille trecentorum, et trium, et praestimonium per dominum Josephum Larrad obtentum centum quadraginta duorum regalium respective valoris. Conveniens mihi videtur in locis adnexis Petraza, et Ayllon vicariam curatam perpetuam concursui subjectam erigi, et pro sui dotatione beneficium, et praestimonium supradictas una cum decimis majoribus, et minoribus, primitiis privatis, caeterisque proventibus quos incolae, et habitantes locorum adnexorum bujusmodi solvunt, et parochus, et beneficiatus actu percipiunt ipsi oeiri; tali enim ratione novae vicariae congrua ex bismille, et sexcentis regalibus constabit, rectorque loci de Buytrago cum redditus termille centum, et undecim, et quinqua-

ginta quinque regales subtrahantur per hanc novam erectionem considerabile nihilominus levamen assequitur.

Item de loco de Aldealices §. 76. In loco de Aldealices viginti duo homines numerantur. Est vicaria, cujus fructus sunt mille noningenti quinquaginta quinque regales, et dismembrata fuit a paroecia loci de Castilfrio, quae ex tresdecim mille trecentis viginti sex regalibus constat. Cum adeo tenuis sit vicariae dotatio, viceque versa adeo pinguis illa paroeciae, necesse existimo, ut concedantur, et applicentur vicariae cunctae decimae vulgo *Cillares*, et primitiae loci Aldealices, quas hodie percipit parochus de Castilfrio, injuncto tamen onere vicariae quotannis conferendi paroeciae de Castilfrio medimnum vulgo *Fanega* tritici, quae sit agnitio, seu probatio hunc locum fuisse caput, et matricem loci de Aldealices. Hac ratione vicaria decentem dotationem assequetur paroecia, aut plus quam mediocriter dotata existet.

Item de loco de Garay. §. 77. Locus de Garay ex quadraginta et uno, illique adnexus Tardesillas ex viginti quinque hominibus respective constat. Vicaria de Garay per rectorem Parochialis ecclesiae nostrae Dominae del Espino civitatis Soriae provideri solet, ejusque fructus sunt bismille sexcenti octuaginta, et octo regales. In loco annexo Tordesillas adest vice parochus, cui rector, et beneficiati parochialis ecclesiae del Espino, qui duas ex tribus decimarum partes percipiunt summam sexcentorum regalium quotannis persolvunt; trecentorum vero vicarius de Garay, opportunum et necesse mihi videtur imponere paroeciae del Espino, cujus fructus sunt sexmille et ducenti regales, onus praestandi dicto vice parocho ultra summam, quae actu persolvit alios regales septingentos, beneficiatis vero, qui de decimis participant trecentos, ultra etiam contributionem, quam actu expleut, quin eximatur vicarius, quatenus ex sua parte ducentos regales conferat; tali enim ratione vice parochus congruam mille octingentorum regalium assequetur. Animadvertendum tamen est hujus vice parochi munus esse debere perpetuum aeque ac contributiones, obtenteremque esse episcopo beneviso.

Item de loco de Poveda. §. 78. Locus de Poveda ex septuaginta octo, illique annexa Barrio Martin e los Sanctos ex triginta tribus hominibus constat. Paroeciae fructus in quatuor mille trecentis quinquaginta duobus regalibus existimantur. Adest beneficium servitorium per dominum Emmanuelem Ganzalez obtentum valoris bismille quadringentorum septuaginta septem regalium. Utile, et necessarium censeo quod hujusmodi beneficio suppresso, ex ejus valore erigatur vicaria perpetua curata in loco annexo Barrio Martio, cujus quidem provisio concursui subjiciatur, adjuncto novae vicariae onere spiritualem assistentiam loco annexo los Sanctos praebendi.

Item de loco de los Molinos de Razon. §. 79. Locus de los Molinos de Razon ex sexaginta tribus incolis constat, fructusque ejus paroeciae in mille sexcentis, et sexaginta quinque regalibus computantur, cumque nullum adsit ecclesiasticum beneficium in hac paroecia ipsi uniendum, utile et necessarium videtur quod praestimonium de Valdeavellano per dominum Paschalem Raymundum Sanz obtentum valoris mille centum, et quinquaginta sex regalium ipsi applicetur; uterque enim locus parum distat inter se, nullumque paroeciae de Valdeavellano infertur praejudicium, cujus fructus sunt quinque mille septingentorum quinquaginta, et unus regales. Per hanc unionem redditus paroeciae de los Molinos de Razon ad bismille, octingentos, viginti et unum regales ascendent.

Item de loco de Pinilla de Caridueñas. §. 80. In loco de Pinilla de Caridueñas sexdecim, in annexo autem ipsi la Rubia viginti quinque homines respective adnumerantur. Paroeciae fructus sunt termille quingenti vigintiquatuor regales, et dismembratu ab illa praestimonio, quod obtinet dominus Antonius Fernandez Guilarte valoris centum, et quinquaginta regalium valde conventens existimo ipsum applicari paroeciae, quae tali ratione ex tribus mille sexcentis, et septuaginta quatuor regalibus constabit.

Item de loco de Villarraso. §. 81. Locum de Villarraso viginti tres incolae inhabitant, ejusque paroeciae fructus mille septingenti et septuaginta regales computantur. Nullum inibi existit praestimonium, vel beneficium ipsi uniendum. Cum autem in loco de los Narros parum dissito erectum reperiatur praestimonium valoris bismille, et quadraginta sex regalium per dominum Dominicum Josephum de Velasco obtentum, necessaria mihi videtur praestimonii hujusmodi unio paroeciae de Villaraso; paroecia enim supradicti loci de los Narros augumento minime indiget, quia ejus fructus sunt decem mille septingenti, et viginti regales. Per hanc autem

unionem paroecia loci de Villarasa congruam termille octingentorum, et sexdecim regalium assequetur.

Archipresbyteratus de Baranera

Item de loco de Lubia.

§. 82. In loco de Lubia triginta quatuor sunt homines, et in annexis Navalcavallo, et Camparanón existit vice parochia perpetua, cujus fructus in termille sexcentis nonaginta septem regalibus computantur. Cumque dotatio paroeciae summam bismille trecentorum, et triginta novem regalium minime excedat, et in supradictis locis annexis erectum reperiatur beneficium valoris mille, et triginta novem regalium, quod dominus Josephus Gonzalez obtinet, necessariam censeo ejus applicationem paroeciae de Lubia, quae tali pacto congruam termille trecentorum septuaginta et octo regalium habebit, utileque pariter judico, quod vice parochia hujusmodi in vicariam perpetuam curatam de Navalcavallo, et Camparanón erigatur.

Item de villa de Vinoesa.

§. 83. Villa de Vinoesa ex ducentis quadraginta sex habitatoribus constat, ejusque paroecia fructus sunt quinque mille centum et decem regales. Adest inibi beneficium servitorium per dominum Calixtum Ramos de la Mensa obtentum valoris quatuor mille sexcentorum viginti quinque regalium. Valde conveniens, et necesse mihi videtur, ut praeter onera dicto beneficio incumbentia illud ei superaddatur administrandi sacramenta cum cura animarum, et per concursum, et ternariam propositionem ejus provisio fiat.

Item de vicaria de Cascasosa, et Osonilla.

§. 84. Vicaria de novo erecta in locis de Cascasosa, et Osonilla in tenui summa regalium mille ducentorum quinquaginta septem dotata reperitur; cumque praefata duo loca, ut supra annexa separata fuerint a paroecia loci de Taldelquende, et in ipsa existat praestimonium valoris sexcentorum, et nonaginta trium regalium per dominum Vincentium Casqueta obtentum, necessariam existimo ejus unionem vicariae de Cascasosa, et Osonilla, quae tali pacto ex mille nongentis et quinquaginta regalibus constabit.

Exponuntur quae sint servanda pro statuta unione.

§. 85. Posita peculiari, et generali applicatione, seu unione a me desuper statuta, mihi videtur, quod pro majori legalitate universaa illius extentionis ea omnia, quae sequuntur servari debeant.

De provisionibus faciendis circa beneficia habentia adnexam sacramentorum administrationem.

§. 86. Primo: quod ille in quem provisio beneficii, cui annexa sit sacramentorum administratio ceciderit, approbatus sit oportet ad curam animarum in examine, et concursu synodali, prout fit, et agitur, quoad caeteras parochiales ecclesias; et vicarias dioecesis subjecta ejus praesentationi, consultationi, vel ternariae propositioni juxta menses in quibus vacaverit, cumque ejusmodi beneficia sint curata de illis provideantur naturales dioecesis, prout statuitur, et praescribitur in regali cedula majestatis vestrae sub datum sancti Ildephonsi duodecima augusti anni proxime praeteriti millesimi septingentesimi octogesimi septimi, sub cujus censura comprehensa illa remaneant.

De domicilio beneficiatorum statuendo.

§. 87. Secundo: quod beneficiatus suum statuat domicilium in loco, alternet cum parocho per hebdomadas celebrationem missarum pro populo, anniversaria, responsoria, novemdialia, et explanationem evangelii, et doctrinae Christianae, administret vicissim sacramenta poenitentiae et eucharistiae per totum anni tempus, quin idcirco exemptus censeatur ab hujusmodi onere parochus, licet non illius sit hebdomadae.

De forma servanda in celebratione missarum, et in processionibus.

§. 88. Tertio: quod ubi celebranda sit aliqua missa, et habenda processio cum subdiacono, et diacono (praeter illas, quas infra excipiam, quaeque regulariter celebrari et fieri assolent in cunctis parochialibus ecclesiis, in quibus rector, et beneficiatus existunt), ad populi instantiam, vel ob aliam causam, et necessitatem id exigentem, functio expleatur a primo, nempe a rectore, licet non contingat in ejus hebdomada; alter vero, scilicet beneficiatus, cum alio quocumque ecclesiastico, si adsit, vel invitetur, illi administret; fas enim minime est quod rector nil minister inserviat; si autem hic in hujusmodi functione, vel functionibus concionem habuerit, missam tunc celebret beneficiatus, vel quilibet alter presbyter, aut parochus, qui intersit, vel invitatus accesserit, et in hujusmodi casibus fraterne se gerant, ut dissensiones, et jurgia amoveantur, et commendabile paroeciae populo praebeatur exemplum.

De administratione eucharistiae tempore paschali.

§. 89. Quarto: quod eucharistiam tempore paschali, nec non viaticum, et extremam unctionem ministrare, prout etiam infirmis assistere, baptisma conferre, matrimonia celebrare, regimen, et directionem librorum

parochialium habere; christianam doctrinam docere, et examen annuale parochianorum desuper explere proprium, peculiare, et privativum sit rectorum paroeciarum, nisi in infirmitatibus duplicetur necessitas, et urgentia, aut infirmi pro majori fiducia, et satisfactione beneficiatum petant, et instanter postulent; in hisce enim casibus necesse est ut beneficiatus sacramenta infirmis administret, in ultimo agone illis adsit statim ac in periculo constituantur, prout parochus tenetur, quin iste quidem illum impedire, ille vero sub quocumque praetextu se excusare possit, et valeat. Ad rectorem paroeciae etiam spectabit celebratio officiorum in majori hebdomada, missarum in diebus per annum solemnioribus, videlicet in prima die paschatis resurrectionis Dominicae, et pentecostes, nec non in sancti titularis paroeciae patronorum, regni, loci, et dioecesis, omnium sanctorum, epiphaniae, et ascensionis, nativitatis Domini nostri Jesu Christi, circumcisionis Dominicae, corporis Christi; sancti Petri apostoli, assumptionis et nativitatis beatae Mariae virg., litaniarum majorum, uti etiam in benedictionis candelarum, cinerum, et palmarum festis diebus, quibus omnibus intersit oportet superpelliceo indutus beneficiatus, sit nec ne hebdomadarius, qui etiam pro majori solemnitate in missis conventualibus canat epistolam, quoties tamen deficiat alter minister, qui cum illis missam celebret.

De substitutione beneficiatorum in casu absentiae, vel infirmitatis.

§. 90. Quinto: quod si per duos menses, prout a sacrosancta Tridentina synodo permittitur, vel per aliud tempus, de licentia tamen et probata necessitate abfuerint, aeque ac in infirmitatibus quibus laborant nequeant sese invicem substituere per ulterius tempus plus quam per octo dies; debent enim in casu majoris absentiae constituere alium distinctum ministrum, qui pro ipsis respective illorum munia obeat, ad hoc ut paroecia ministro, ac spirituali pabulo, quod uterque ministrare debet, minime careat.

De oneribus implendis a beneficiatis tempore vacationis ecclesiarum parochialium.

§. 91. Sexto: quoties vacaverit parochialis ecclesia, munus erit beneficiati adimplere onera, quae uti propria privativa, et peculiaria reservantur parocho sub numero quarto; beneficiatus enim qua proprius minister vice parochum nominandum praecellat oportet, hicque satisfaciet operibus beneficiato incumbentibus, dum parochus existit. Adveniente autem vacatione beneficii, a curia mea ecclesiastica constituatur persona, quae necessariis munita licentiis onera adimpleta, prout fieri assolet, dum aliqua parochialis ecclesia, vel vicaria vacat, assignato ipsi stipendio, quod respondere videbitur occupationi, et labori ab eodem substinendo.

Confirmatio apostolica.

§. 92. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat praeinsertam methodum, seu planum memoratus Carolus rex catholicus, ut eidem Oxomensi dioecesi per utilem agnoverit, eamque omnem vim obtinere desideret, hinc memoratus exponens, ut ea firmius subsistat, et servetur exactius apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiri summopere exoptat. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur Nostris in agro Dominico cooperatoribus in suo ministerio, quantum cum Domino possumus, adesse satagentes, ac ejusdem Joachimi archiepiscopi episcopi precibus annuere volentes eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes supplicationibus hujusmodi inclinati, praeinsertam methodum, seu planum auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui hisce desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 93. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 94. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus nec non dictae dioecesis Oxomensis, ac parochialium, beneficiorum, et praestimoniorum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Quoniam vero justum, ac aequum est, ut haec omnia sine praejudicio obtinentium fiant, hinc harum serie statuimus, ac mandamus, ut uniones, suppressiones, caeteraque, ut praefertur, disposita in praesentiarum, nisi quoad eas ecclesias parochiales, beneficia, ac praestimonia, quae nunc vacant, perfici possint, quoad caetera vero nisi dum pro tempore vacabunt, methodus praedicta obtinebit, secus nulla, irrita, ac inania, nulliusque roboris, et valoris esse, et fore decernimus. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die secunda septembris millesimo septingentesimo octogesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXVIII.

Dat. die 22. septembris 1788. Anno XIV.

Instantes rege Sardiniae supprimuntur tres conventus, eorumque bona applicantur seminario episcopali.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Memoratur quomodo ad eamdem etc.

§. 1. Cum Nos alias per Nostras in simili forma Brevis die decima quarta septembris anni MDCCLXXXVII. expeditas literas piissimis carissimi in Christo filii Nostri Victorii Amadei Sardiniae regis illustris votis annuentes tres conventus, alterum scilicet fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis sub titulo sanctissimae Annuntiatae de Monte, alterum fratrum ordinis sancti Francisci de Paula minimorum nuncupatorum sub titulo beatae Mariae de Tinella, tertium demum fratrum tertii ordinis sancti Francisci de Poenitentia nuncupat. sub titulo beatae Mariae virginis de Gratia, omnes in ea Papiensis dioecesis parte, quae sub imperio est ejusdem Victorii Amadei regis consistentes, propterea suppresserimus, ut ex illorum redditibus, atque proventibus congrua constitueretur dos episcopali seminario, quod pro suis subditis Fori Fulvii instituere intendebat, decet hinc, ut si rationibus ejusdem seminarii satis hoc modo consultum non sit, ne in suis ipsis primordiis tam utile, tamque proficuum inceptum cadat, ea insuper concedamus, quae magis accomodata, atque ad optatum finem assequendum magis conducentia esse dignoscuntur, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Factum jam alias trium conventuum fuerint suppressi applicatis eorum bonis seminario.

Exponitur necessitas, et utilitas supprimendi alios tres conventus ut digne ditari possit seminarium ad tramitem praescriptionis concilii Tridentini.

§. 2. Nuper siquidem pro parte memorati Victorii Amadei regis Nobis expositum fuit, quod posteaquam dictae Nostrae literae fuerunt executae, ac episcopale seminarium hujusmodi cum magna multorum suorum subditorum illuc jam confluentium utilitate fuit erectum, animadversum est, fructus, ac redditus bonorum, ut praefertur, applicatorum impares omnino esse oneribus fabricae, et sustentationis ejusdem seminarii, quippe qui nedum tenues sunt, verum etiam illorum non minima portio partim in annuas pensiones fratribus in suppressis conventibus alias commorantibus persolvendas, partim in missarum, aliorumque legatorum piorum satisfactionem, ac ecclesiarum conservationem est eroganda. Quamobrem considerans ipse vias, quas Tridentina synodus ad constituendam dotem episcopalibus seminariis ostendit, ut nunc quidem res illuc se habent, minime convenire, contra vero alios duos praeter tres jam dictos suppressos reperiri in eadem Papiensis dioecesis parte parvos conventus, alterum scilicet fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis in pago sancti Salvatoris provinciae montis Ferrati, in quo vix quatuor, ad summum quinque individui, seu fratres dumtaxat residere solent, alte-

rum fratrum ordinis Praedicatorum in loco Pecetto prope dictum oppidum civitatem nuncupat. Fori Fulvii, qui ad praesens unico tantum individuo, seu fratre constans est, ac in hisce duobus conventibus ob fratrum paucitatem disciplina regularis minime custodiri. Hinc ut firmius, ac stabilius ejusdem seminarii dotationi provideatur, suppressis hisce quoque duobus conventibus bona ad illos spectantia eidem seminario per Nos applicari summopere desiderat. Insuper animadvertens, quod Fori Fulvii alius conventus fratrum ordinis Praedicatorum existit, cujus aedes, cum amplae sint, nullo quasi sumptu ad excipiendos tot alumnos, quot imposterum ad novum seminarium confluent optari possent, quodque cum in eo tres fratres vivant, qui vel senes, vel tenui admodum sunt valetudine, utile propterea quam maxime foret, gravique impendio ad novas excitandas idoneas domum pro seminario parceretur, si praevia suppressione dicti conventus, translatisque tribus fratribus hujusmodi simul cum suis bonis ad alium inter varios conventus ejusdem ordinis in sua ditione jam erectos aedes, seu conventus hujusmodi, ac adnexa ecclesia eidem seminario adjungeretur. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ac in id preces quoque venerabilis fratris Barthulomaei archiepiscopi episcopi Papiensis accedant, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Regis consilium laudatur, et optata decernitur suppressio monasteriorum.

§. 3. Nos igitur commendantes in primis ejusdem Victorii Amadei regis propositum, qui ad promovendam in praedicto seminario germanam Thomisticam doctrinam in ea est intentione, ut ibidem, vel theologiae dogmaticae, aut moralis, seu historiae ecclesiasticae unus lector eligatur ex ordine fratrum praedictorum, ac toties memorati Victorii Amadei regis desideriis, quantum cum Domino possumus suffragari, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, omnesque, et singulas personas, quarum favore praesentes Nostrae literae concernunt a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati tres dictos conventus, alterum scilicet fratrum ordinis Servorum beatae Mariae virginis pagi sancti Salvatoris provinciae Montis Ferrati, alterum fratrum ordinis Praedicatorum loci de Pecetto, tertium denique fratrum ejusdem ordinis Praedicatorum Fori Fulvii respective existentes, auctoritate apostolica tenore praesentium supprimimus, ac penitus extinguimus, illorumque omnem conventualitatem, ac regularitatem tollimus, et abolemus.

Bona eorum seminario assignantur, salvis oneribus, et conservatione adnexarum ecclesiarum.

§. 4. Bona vero mobilia, et immobilia, ac semoventia, annuosque redditus, ac proventus, jura, et actiones quaecumque ad primo dictos duos conventus fratrum videlicet ordinis Servorum beatae Mariae virginis in pago sancti Salvatoris, et fratrum ordinis Praedicatorum loci de Pecetto quomodolibet spectantia, et pertinentia, salvis missarum, aliorumque legatorum piorum oneribus, quibus in praesentiarum gravantur, salvaque adnexarum ecclesiarum conservatione, quorum omnium pondus ab administratoribus seminarii pro tempore existentibus erit sustinendum, ita tamen ut deinceps onera praedicta in ecclesia eidem seminario, ut infra, assignanda ab iisdem administratoribus sint adimplenda, desuper eorum conscientias districte onerando, dicto jam erecto seminario auctoritate, et tenore praedictis perpetuo unimus, atque applicamus, et unita, atque applicata esse, et fore statuimus, et declaramus. Bona porro mobilia, atque immobilia, et semoventia, annuosque redditus, et proventus, jura, et actiones quomodolibet ad alterum fratrum ordinis Praedicatorum Fori Fulvii, ut praefertur suppressum conventum quomodolibet spectantia, et pertinentia, detracta prius ea suorum bonorum quantitate, quae pro missarum, aliorumque piorum onerum satisfactione legata fuere, detractisque etiam aedibus dicti conventus, et adnexa ecclesia, quae erecto seminario hujusmodi, auctoritate, et tenore praedictis adjungimus, atque applicamus, ac adjuncta, et applicata fore, et esse volumus, atque mandamus; ita tamen, ut onera hujusmodi in dicta ecclesia sic seminario unita per suos administratores adimpleri debeant. Conventui ejusdem ordinis intra limites ditionis dicti Victorii Amadei regis existenti, ad quem eruut, ut infra transferendi dicti fratres auctoritate, et tenore praedictis unimus pariter, et incorporamus, ac unita, et incorporata esse, et fore decernimus.

Consulitur monachis in dictis con-

§. 5. Quotquot autem sunt omnes dictorum trium conventuum, ac ordinum professores cu-

ventibus assignatis.

juscumque gradus, et qualitatis existentes, et quocumque officio, at superioritate fungentes ad alios conventus eorumdem respective ordinum intra status eidem Victorio Amadeo regi subjectos existentes a superioribus respective generalibus de ejusdem Sardiniae regis consensu designandos, ea tamen lege, ac conditione, ut unicuique ex fratribus primodictorum duorum conventuum, pagi scilicet sancti Salvatoris, et loci de Pecetto quoniam fratribus conventus oppidi civitatis nuncupatae Fori Fulvii jam satis provisum videtur per unionem bonorum hujus conventus alteri, ad quem erunt translati annua congrua vitalitia pensio conventibus, ad quos migrabunt ex bonis, et redditibus eorumdem soppressorum conventuum, ut praefertur seminario applicatis ab illius administratoribus persolvenda assignetur, transferandos fore, et esse auctoritate, et tenore praedictis statuimus, et quatenus opus sit, nunc prout ex tunc cum suppressiones hujusmodi ad effectum erunt adductae transferimus.

Archiepiscopus Papiensis deputatur in executorem apostolicum, ut suppressionem et assignationem peragat, cum superius relatis conditionibus.

§. 6. Quocirca dilecto filio Horatio Cavalli de Sale utriusque juris doctori, ac archiepiscopi episcopi Papiensis in ditione memorato Victorio Amadeo regi subjecta generali in temporalibus vicario per praesentes committimus, ac mandamus, ut praedictos tres conventus nempe fratrum ordinis servorum b. Mariae virginis pagi s. Salvatoris provinciae Montis Ferrati, alterum fratrum ordinis Praedicatorum loci de Pecetto, tertium denique fratrum ejusdem ordinis Praedicatorum Fori Fulvii esse, et fore suppressos, et extinctos auctoritate Nostra apostolica statuat, atque decernat; deinde, ut translationem, seu translationes juxta formam, et tenorem praesentium in alios conventus faciendam, assignata fratribus in primis dictis duobus conventibus commorantibus annua vitalitia pensione arbitrio suo, ac prudentia praefigenda reipsa fieri, al exequi curet, et faciat, ac tandem, ut omnia bona mobilia, atque immobilia, et semoventia, actiones, et jura quaecumque ad eosdem duos conventus quomodolibet spectantia, et pertinentia juxta earumdem praesentium dispositionem, dicto seminario, aut aliter auctoritate, et tenore praedictis uniat, et applicet, ac uuita, et applicata esse, et fore mandet, reservatis perpetuo bonis omnibus, et juribus quibuscumque conventus Fori Fulvii favore, ut supra alterius conventus, ad quem transferendi erunt religiosi in eo existentes. Insuper administratores pro tempore existentes dicti seminarii omnia missarum, et piorum legatorum onera, quibus dicti conventus, et adnexae ecclesiae gravantur adimplere, ac decentem manutentionem, et earum ecclesiarum decorem studere teneri declarat. Nos enim eidem Horatio omnem, et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea, quae ad optatum finem ea perducenda pertinent, faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi pro sua prudentia magis in Domino salubriter expedire arbitrabitur, facultatem auctoritate, et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Removetur quodcumque juris remedium, ad retardandam literarum executionem idoneum.

§. 7. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarint, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legittima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensu, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quempiam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his

a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac fel. rec. Benedicti XIV. praedecessoris Nostri de divisione materiarum, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac ordinum praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam majorem sub annulo piscatoris die duodecima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. Romae 25. septemb. 1788. Anno XIV.

DCCXIX.

Facultas erigendi tria conservatoria puellarum in civitate Ravennatensi existentia in unum tantum.

Venerabili fratri Antonio archiepiscopo Ravennatensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium.

§. 1. Quantum pastoralis sollicitudinis, et vigilantiae in Dominicum gregem cui fraternitatem tuam Dominus Noster Jesus Christus voluit praesidere, a te quotidie impendatur, ex precibus, quae Nobis tuo nomine oblatae fuerunt, satis manifeste ostenditur.

Expositio precum.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecisti, quod in hac Nostra civitate Ravennatensi tria jampridem erecta existunt conservatoria, seu orphanotrophia, quorum primum *delle orfanelle* nuncupatur, pro puellis, quae uno, aut altero, vel etiam utroque parente orphanae sunt; alterum *delle mendicanti* pro eis, quae licet parentibus non careant, omni tamen ope, et praesidio sunt destitutae; tertium denique *della providenza*, pro puellis, quae nedum parentibus orphanae existunt, verum etiam in aperto versantur pudicitiae discrimine. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, plura, atque plura sint incommoda, quae exinde existunt, quaeque uno veluti ictu e medio auferentur, si in unum majus conservatorium, seu orphanotrophium, minora haec tria coalescerent; praeterquam quod enim parum id a piis fundatorum dispositionibus abhorret, quotidiano praeterea sumptui parceretur in plurium consortio, et divisis domesticis curis, et officiis puellae rarius iis distentae artibus sedulo vacabunt, orphanotrophium hujusmodi plurimum hinc lucri reportabit; Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Episcopo facultates tribuuntur, ut praevia suppressione trium conservatoriorum unum erigat auctoritate apostolica.

§. 3. Nos igitur tuis votis, quantum cum Domino possumus, libenter annuere, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae, de cujus prudentia, fide, ac in rebus gerendis summa dexteritate plurimum in Domino confidimus per praesentes committimus, et mandamus, ut praevia trium conservatoriorum hujusmodi suppressione, ac extinctione, illa in unum auctoritate Nostra apostolica erigas, atque instituas, cui omnia bona mobilia, et immobilia, jura, et actiones ad illa quomodolibet spectantia, et pertinentia attribues, et adnectes.

Eidem injungitur, ut civitas quo fieri possit omnes puellas in aliis degentes ad novum adducat.

§. 4. Tibi praeterea injungimus, ut neque novis constructis, neque aliis coemptis aedibus, sed una, aut alia, quam malueris ex tribus domibus ad eadem conservatoria spectantibus ad majorem puellarum numerum exci-

piendum sufficienter instructa, atque accomodata ad noviter erectum conservatorium, cum primum licebit, tum omnes puellas in aliis nunc degentes transferas, tum alias pro annui vectigalis viribus in illud recipias, atque admittas, inter quas, si tibi opportunum in Domino videbitur, diversas classes juxta varias piorum fundatorum voluntates, ac dispositiones constitues.

Onera missarum reducuntur, et simul conservantur a novo conservatorio ferenda.

§. 5. Insuper cum praeter alia legata pia, onera etiam annuae celebrationis missarum mille ducentarum nonaginta septem tria dicta conservatoria graventur, hinc, ut necessariae novierigendi conservatorii exhibitioni, ut nunc res ferunt, succurratur, retentis legatis missarum octoginta quinque in variis regularium ecclesiis celebrandis, alia onera praedicta ad unam quotidianam cappellaniam cum uno annuo anniversario juxta datam tibi a Domino prudentiam, conscientiamque loco assignatorum per testatores, seu fundatores celebrandorum onerum, applicatis interim superextantibus fructibus in ejusdem conservatori utilitatem redigendi plenam, et amplam facultatem eadem auctoritate tenore praesentium tribuimus, et impertimur.

Praeceptum de erigendo publica schola, etiam pro puellis non admissis in conservatorio.

§. 6. Volumus tandem, ut in eodem erigendo conservatorio publicae scholae pro puellis, quae in eo admitti nequeunt, aperiantur. Nos enim tibi omnem et quamcumque necessariam, et opportunam ad praemissa omnia, et circa ea quae ad optatum finem ea perducenda pertinent faciendi, gerendi, et exequendi, ac exequi mandandi pro tua prudentia magis in Domino salubriter expedire arbitraberis, facultatem auctoritate et tenore praedictis tribuimus, et impertimur.

Submovetur omne juris remedium, quod retardare posset executionem literarum apostolicarum.

§. 7. Decernentes has praesentes literas, ac omnia, et singula in illis contenta, etiam ex eo, quod quicumque in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, ac ad ea vocati, citati, et auditi, seu causae propter quas praesentes emanarunt, adductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam nullatenus justificatae non fuerint, aut ex alia quavis quantumlibet legitima, pia, juridica, et privilegiata causa, colore, praetextu, occasione, et capite etiam in corpore juris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo umquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vitio, seu intentionis Nostrae, vel quorumvis interesse habentium consensus, aut alio quovis quantumvis magno, et substantiali, ac inexcogitato defectu notari, impugnari, invalidari, infringi, retractari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aut aliud quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concesso, quemquam in judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas praesentes literas, et in eis contenta quaecumque firma, valida, et efficacia existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 8. Sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, ac sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 9. Non obstantibus, quatenus opus sit quorumcumque piorum testatorum, ac fundatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas, quoad praemissa, sufficienter, et expresse commutamus, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, et applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis, quorum interest, et aliis Nostrae, et cancellariae apostolicae regulis, nec non Lateranensis concilii unionnes perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, ac fel. recordationis Benedicti papae decimi quarti praedecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dictorum conservatoriorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus et personis, sub quibus-

cumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quaevis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. die 23. septembris 1788. Anno XIV.

DCCXX.

Instante rege catholico, declaratur circa indultum Benedictinum vescendi carnibus in diebus sabbathis totius anni.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis, et episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, seu ordinariis civitatum, ac locorum in regnis Castellae, Legionis, Aragoniae, et partis Navarrae, ac in ditionibus Indiarum carissimo in Christo filio Nostro Karolo Hispaniarum regi catholico subjectis existentibus.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres, ac dilecti filii Salutem, et apostolicam benedictionem.

Prooemium. §. 1. Decet Romanum pontificem ex pastoralis officii sibi commissi debito ea, quae alias ad tollendos ex fidelium animis molestos conscientiae scrupulos provide, ac maturo consilio statuta fuere, si ex intempestiva aliquorum cunctatione fideles nondum ab omni sollicitudine, ac metu erepti sunt, ita declarare, ac illorum executionem urgere, ut amota quavis ficta, et ulteriori dubitandi causa, quae ab apostolica Sede disposita sunt, et convenienti recipiantur reverentia, et omnino impleantur, prout in Domino salubriter expedire conspicit.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Karolus Hispaniarum rex catholicus, quod cum alias felicis recordationis Benedictus pp. XIV. praedecessor Noster accepisset in regnis Castellae, Legionis, atque Indiarum eidem regi catholico subjectis veterem obtinuisse consuetudinem, ut in sabbathis simplicibus, in quibus scilicet nullum jejunii, aut quadragesimae praeceptum indicitur edere liceret extremas partes animalium, pedes nempe, alas, colla, atque intestina, ac cum arduum prorsus, ac difficile esset licitas animalium partes satis accurate, ac diligenter a vetitis secernere, Deum timentes in maximas hinc adduci angustias, et anxietates, caeteris vero, qui parum de Ecclesiae disciplina solliciti erant religionem non esse, quominus omnes indiscriminatim carnes comederent, ut fidelium conscientiae securitati provide consuleret, ac plurimis scandalis aditus intercluderetur cla: mem: Philippi, dum vixit, regis catholici precibus obsecundans benigne indulsit, ut in regnis praedictis Christifideles per quoslibet dies sabbathi simplices, in quibus nempe, aut quadragesimae, aut aliud jejunium non esset praeceptum omnibus animalium partibus vesci libere, ac licite possent, prout in suis in simili forma Brevis XXIII januarii MDCCXLV. expeditis literis uberius continetur; et quum dictis regnis Castellae, et Legionis alia regna coronae Aragoniae, et partis Navarrae eidem regi catholico subjecta limitropha sint, quorum confinia non adeo certa, ac distincta sint, ut facile definiri possit, quibus vel non Benedictinum indultum praedictum prodesset, adeout piorum hominum conscientia semper esset in ancipiti, ac propterea eadem regna gravi piscium penuria laborent. — Expositio precum, in quibus mentio inedit mansuetudinis obtinentis circa esum ciborum vetitorum die sabbathi in regnis regi catholico subjectis.

§. 3. Nos memorati Karoli regis catholici precibus Nobis hisce desuper humiliter porrectis annuentes, ac omnes dubietates in animis fidelium sedare, immo tollere cupientes ad dicta regna coronae Aragoniae, et partis Navarrae toties memorato Karolo regi catholico subjecta Benedictinum indultum hujusmodi extendimus, et ampliavimus, prout in Nostris sub die IX februarii anni MDCCLXXXIX. expeditis literis uberius continetur. Cum autem — Indultum, et consuetudo fuerat etiam apostolica auctoritate confirmata.

sicut eadem expositio subjungebat, aliqui inter eos, qui Christifidelium animas spiritualiter dirigunt quoad Benedictini indulti praedicti interpretationem in diversas abeant opiniones, at sententias praesertim vero in oppido civitate nuncupat. sancti Christophori Havanna Cubanae dioecesis, in qua non sine gravi bonorum omnium dolore, ac fidelium scandalo tot, et tantae turbae suscitatae sunt, ut ejusdem oppidi civitatis nuncupatae gubernator, et magistratus e re sua putarunt, incommoda, quae exinde proficiscebantur, eidem Karolo regi catholico referre: hinc desiderans ipse pro sua pietate, ac religione, ut ex suorum subditorum animo quivis scrupulus evellatur, utque ipsis certum, exploratumque sit, quid in re tam gravi tenendum, quidve faciendum sit: Nobis humiliter supplicari fecit, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Ad auferendas dubitationes quieti animarum consulitur praecepta ipsius indulti executione.

§. 4. Nos igitur justis, ac piis memorati Karoli regis catholici votis quantum cum Domino possumus annuere, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, per praesentes fraternitatibus, ac discretionibus vestris committimus, et mandamus, ut quatenus in vestris respective dioecesibus opus sit, quavis seposita circa memorati Benedictini indulti interpretationem dubitandi ratione Christifideles vestrum vigilantiae respective commissos, ac in memoratis regnis Castellae, Legionis, Aragoniae, et partis Navarrae, ac in omnibus ditionibus Indiarum dicto Karolo regi catholico subjectis commorantes per quoscumque dies sabbathi simplicis, extra nempe quadragesimam, aliasque sabbathi dies, in quibus ecclesiasticum jejunium praecipitur, quibuscumque animalium carnibus libere, ac licite vesci sinatis, nulliqne in posterum fas esse fictis rationibus Benedictinum indultum praedictum adversari auctoritate Nostra apostolica statuatis. Nos enim scientes quaedam esse, quae nulla possunt ratione convelli, ita multa esse, quae pro rerum necessitate oporteat temperari, malumus aliquid de rigore disciplinae ecclesiasticae relaxari, quam illius custodiae nimis urgendo nobis concreditas plebes circa aesum carnium per dies simplices sabbathi cum gravi animarum suarum periculo, et bonorum scandalo in novas anxietates, et dubitationes adducere.

Derogatio contrariorum, et fides habenda transumptis.

§. 5. Non obstantibus quibuscumque in contrarium praemissorum facientibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio, et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vigesima tertia septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXI.

Dat. Romae 23 septemb. 1788. Anno XIV.

Confirmatur consuetudo immemorabilis, qua capitulum cathedralis ecclesiae civitatis Castelli utitur, habendi scilicet in omnibus functionibus scabella tapeto induta.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Dum singularem fidei constantiam, et eximiae devotionis affectum, quod dilecti filii capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae civitatis Castelli erga Nos, et hanc sanctam Sedem gerere comprobantur, pensamus, dignum ac justum arbitramur illorum petitionibus, quae ad ipsius ecclesiae splendorem magis, magisque firmandum, stabiliendumque, ac illius canonicos in suis praerogativis, ac honoribus sartos, tectosque servandos pertinere dignoscuntur, congruum impertiri suffragium, prout in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio precum poirectarum pro obtinenda confirmatione consuetudinis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt capitulum, et canonici praedicti, quod ipsi per immemorabilem consuetudinem in quasi sunt possessione habendi scabella, seu genuflexoria tapeto induta, cum pulvinaribus tam sub genibus, quam sub brachiis hinc, et illinc altaribus efformatim duas quasi alas tam praesente, quam absente episcopo in omnibus prioralibus regularium, monialium, ac confraternitatum quoque laicalium, aliisque quibusvis ecclesiis, ac in ipsamet ecclesia cathedrali, non autem in choro, et in quibusvis functioni-

bus, in quibus aliquod altare existit, nedum etiam episcopus deferens sanctissimum Eucharistiae sacramentum ingressurus cathedralem ecclesiam, super decretum adstantem populum benedictio impertitur, et licet ex synodali constitutione anno MDCLXV. a Joanne Baptista dum vixit episcopo civitatis Castelli prohibitus fuerit usus similium pulvinarium, nihilominus iisdem canonicis a dicto Joanne Baptista episcopo copia facta fuit eadem praerogativa utendi. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quamvis immemorabilis consuetudo hujusmodi adeo certa, ac pacifica sit, ut nullimode concuti possit, nihilominus memorati exponentes ea omnia ne ulle umquam tempore perfringantur apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio illum communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et illorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, audita prius venerabilis fratris Petri episcopi civitatis Castelli relatione, dictam immemorabilem consuetudinem qua memorati capitulum, et canonici cathedralis ecclesiae civitatis Castelli in praesenti, ut praefertur, utuntur, habendi scilicet praesente, vel absente episcopo in quibusvis ecclesiasticis functionibus, in quibus capitulum universum adest, scabella, seu genuflexoria, tapeto induta cum pulvinaribus sub genibus, et sub brachiis, hinc, et illinc altaribus sic composita, ut quasi duas alas efforment eo prorsus modo, quo nunc in more positum est auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, dicta synodali constitutione anni MDCCLXV. aliisque dictae dioecesis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque, tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, at expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXII.

Dat. die 30 septembris 1788 Anno XIV.

Confirmantur nonnulla rescripta, et concessiones circa manipulum quinquaginta militum in civitate Caesenatensi institutum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium, et laudes civitatis Caesenatensis.

§. 1. Inter multiplices, atque gravissimas sollicitudines, quibus pro communi universi Christiani gregis, vigilantiae Nostrae divina dispositione commissi regimine, ac utilitate in hisce praesertim difficilissimis temporibus quotidie urgemur, de temporali etiam sanctae Romanae Ecclesiae subditorum commodo et utilitate, quod illos quasi Nostros peculiares,

eximieque caros, et acceptos, ac prae caeteris dilectos filios in Nostram, et hujus sanctae Sedis clientelam, et fidem receptos censemus, peculiarem curam a Nobis esse gerendam agnovimus. Quo quidem paterni amoris sensu, si caeteras omnes pontificiae ditionis civitates merito respicimus, dignum profecto, justumque est, ut civitatem Nostram Caesenatensem, ubi vitae limen attigimus, apud quam et solidae pietatis, orthodoxaeque religionis cultus, ac summa in Romanos pontifices, et apostolicam Sedem observantia, et studium semper enituit, propensiori quodam affectu, natura ipsa dictante, prosequamur.

Memoratur erectio magistratus nuncupati, octuaginta virorum Pacificorum, et describuntur privilegia eidem concessa.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Joannes Jacobus Bandi, et Joannes Franciscus Fattiboni nobiles cives Caesenatenses, quod cum pro parte dilectorum itidem filiorum magistratus Caesenatensis Nobis alias humiliter expositum fuerit, quod fel. rec. Paulus pp. III. praedecessor Noster quasdam constitutiones, ordinationes, et capitula, quae ut factionibus, inimicitiis, et intestinis odiis, quibus civitas Caesenatensis tunc temporis laborabat, occurreretur, bo: mem: Benedictus, dum vixit episcopus Aesious, et tunc Romandiolae provinciae, et exarchatus Ravennae praesidens collegerat, apostolica sua auctoritate de verbo ad verbum per suas in simili forma Brevis die decima sexta maji MDXLV expeditas literas confirmans magistratum octuaginta virorum Pacificorum nuncupatorum in eadem civitate Caesenatensi erexit, atque instituit, qui publicae consulerent tranquillitati, eisque stipendia assignavit, nec non pluribus privilegiis, ac gratiis eos donavit, inter quae, ut unam cohortem centum, et ultra juvenum, quos de numero vocavit, qui gubernatori, et ipsi magistratui in omnibus praesto essent, ac aliam pariter cohortem ducenterum in districtu, aliam ducentorum virorum in comitatu Caesenatensi conscribere possent, cui magistratui praeterea ad instar Pacificorum Foroliviensium retinendi viginti pedites pro ipsius custodia facultatem indulsit: quas concessiones, capitula, et ordinationes fel. rec. Julius pp. III. et Pius pp. IV. praedecessores itidem Nostri per suas in simili forma Brevis die duodecima septembris MDL. et duodecima julii MDLIX. expeditas literas pacifice confirmarunt, prout in eisdem Pauli, Julii, et Pii literis uberius dicitur contineri.

Preces porrectae pro novis privilegiis tribuendis quinquaginta militibus ex quavis cohorte.

§. 3. Quodque insuper, dum anno MDLXXXI. generali consilio civitatis Caesenatensis adjunctus fuit magistratus octoginta virorum Pacificorum, cohors praedicta, quae de numero vocabatur, et ex ducentis tunc erat composita militibus, suis officiis fungi, ac iisdem vexillo, ac militaribus signis, quibus jam honestabatur, in bimestralibus ejusdem cohortis recensienibus, ac dum magistratus suum capessebant munus uti porrexit, novi ei fuerunt constituti proventus, ac primus conservator dictus fuit prior numeri, aliaque fuerunt disposita pro perenni, ac recto ejusdem cohortis gubernio, et regimine, quae cum adhuc ita essent anno MDCCLXXVI. magistratus praedictus Nobis humiliter supplicari fecit, ut delectis quinquaginta militibus ex omni dicta cohorte, eos nonnullis peculiaribus privilegiis donaremus.

Tenor eorum privilegiorum.

§. 4. Nos hisce precibus annuentes per organum officii commissariatus generalibus armorum status ecclesiastici sub die XII julii MDCCLXXVI. eidem magistratui concessimus, ut ipse ex omnibus militibus de numero, quos vocant Pacificos, liceret seligere quinquaginta probos honestus, non miserabiles milites, ex quibus selectus erigeretur manipulus quinquaginta militum Pacificorum, qui militares induerent vestes, atque arma, caeteraque ornamenta propriis sumptibus sibi parassent, eidem magistratui adessent, dum conservatores designati suum munus in solemni pompa ineunt, aliaque praestarent, quae a militibus de numero, seu Pacificis, alias praestari solebant: ita tamen ut nihil exinde detractum censeretur de acquisito jure cohortibus civitatis in iis functionibus cujuscumque essent generis, in quibus hucusque ipsae efficium suum praebebant, volumusque propterea, ut quinquaginta milites erigendi manipuli numero biscenturum militum Pacificorum sub directione magistratus continerentur. Hisce porro militibus, suisque majeribus, et mineribus efficialibus nedum privilegium pacis eo prorsus modo, et forma, quibus caeteri milites status ecclesiastici utuntur, indulsimus, verum etiam sub vexillo sanctae Sedis recepimus, ac jurisdictioni officii commissariatus armorum subjecimus.

Aliae preces propositae pro obtinenda assignatione stipendii pro militibus

§. 5. Haec autem cum grata, et accepta essent eidem magistratui, ab eo deputati fuerunt memorati exponentes Joannes Jacobus Bandi, et Joannes Franciscus Fattiboni, quos

libus, quod conceditur imposito laxa speciali.

commissarios vocavit, ut armorum, aliorumque ad dictos delectos milites spectantium curam gererent, ac cum primo conservatore priore dictae cohortis do numero nuncupato omnia emergentia, dependentia, adnexa, atque connexa dicto selecto manipulo provide definirent. Ut autem firma, ac stabilis esset haec Nostra concessio, ac privilegium magistratus hujusmodi novas Nobis obtulit preces, obtinuitque, ut hisce quinquaginta militibus, suisque officialibus majoribus, et minoribus congruum a Nobis assignaretur stipendium, caeterisque necessariis consuleretur sumptibus. Siquidem cum in territorio Caesenatensi vigeat consuetudo, ut possidentes viis publicis adjacentes pro fronte illorum possessionis jus habeant conserendi arbores, hinc de speciali Nostro mandato, ac voluntate per organum secretariae Nostrae status sub die decima quarta junii MDCCLXXX dilecto filio Nostro Aloisio Sanctae Romanae Ecclesiae presbytero cardinali Valenti Gonzaga nuncupato tunc provinciae Romandiolae, et exarchatus Ravennae Nostro, et Sedis apostolicae de latere legato communicato, novum annuum vectigal, seu taxam duorum quadrantium, seu *quattrini* monetae Romanae pro qualibet mensura vulgo canna, seu pertica Caesenatensi linearis longitudinis viarum publicarum ad communitatem spectantium a possidentibus etiam ecclesiasticis quibuscumque speciali quoque mentione dignis, qui secundum easdem vias pro fronte praediorum suorum arbores serere solent, solvendam, et more camerali exigendam, ita tamen, ut publicae viae per latitudinem saltem decem palmorum, seu unius perticae agrimensoriae non occuparentur, ad mensuram viarum territorialium a Dionisio Carrara publico decem pedatore Caesenatensi factam auctoritate Nostra apostolica memoratus Aloisius cardinalis legatus indixit, ac caetera, quae pro recta ejusdem taxae exactione, et administratione opportuna erant, disposuit; ast cum post iteratam a dicto Dionisio Carrara mensuram earumdem viarum deprehensum fuerit, taxam hujusmodi ad congrua stipendia militibus solvenda, aliosque necessarios sumptus explendos haud satis esse, de speciali pariter Nostro mandato, ac voluntate dilectus filius Noster Nicolaus Sanctae Romanae Ecclesiae presbyter cardinalis Columna de Hostiliano nuncupatus modernus dictae provinciae Romandiolae, et exarchatus Ravennae de latere legatus per organum congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium boni regiminis communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici praepositorum ei communicato per edicta, ac notificationes a gubernatore Caesenatensi die XXVII octobris, et III novembris anni MDCCLXXXVII. publicata eamdem taxam ad eas quoque territoriales vias, quae angustiores essent decem palmis, seu una pertica agrimensoria juxta aliam mensuram earumdem viarum jam anno MDCCLXXX. a memorato Dionisio Carrara factam, extendit, et ampliavit, decrevit ut intra terminum unius anni cuilibet possidenti integrum esset, aut eamdem taxam acceptare, eamque imposterum sine mora solvere, vel renunciando juri arbores praedictas conserendi, se ab ea vindicare, ut inde jus hujusmodi majoribus oblatoribus locari liceret; aliaque subinde pro ejusdem taxae exactione, et erogatione statuit.

Statuta condita pro gubernio agminis quinquaginta militum confirmantur.

§. 6. Quae dum agebatur, ut nihil desideraretur ad firmandam, stabiliendamque erectionem dicti agminis quinquaginta militum, ut nempe sua propria haberent statuta, quibus omnia sua officia, ac jura dirigerentur, magistratus Caesenatensis nonnulla concinnavit statuta in diversa capitula distincta, quae post maturum examen a dilecto filio magistro Joanne Baptista Bussi de Pretis camerae Nostrae apostolicae clerico praesidente, ac commissario generali armorum sub die XXX maji MDCCLXXXVI. approbata, ac confirmata fuere. Tandem cum ob plura latrocinia, aliaque crimina in civitate Caesenatensi patrata a cardinali legato Romandiolae concessum fuerit, ut milites praedicti per aliquod tempus vigilias agerent, hinc cum consilii hujusmodi exitus fuerit, qualis optabatur, a Nobis deprecatum fuit, ut etiam in hac parte Caesenatensium civium securitati, et utilitati consuleremus.

Confirmantur etiam omnia, quae pertinent ad dependentiam ipsorum militum, capsam militarem, exactionem vectigalis ad formam resolutionis etc. congregationis Boni Regiminis.

§. 7. Itaque Nos audita prius memorati Joannis Baptistae commissarii generalis relatione jam assignatos annuos proventus dictae taxae stipendia, aliosque necessarios explendos sumptus, ut certus eorumdem militum numerus diu, noctuque per turnum in statione esset, sufficere, supplicibus votis annuentes per organum ejusdem officii commissariatus generalis armorum sub die decima sexta julii currentis anni MDCCLXXXVIII. indulsimus,

ut agmen delectorum militum praedictorum non modo ad diurnas agendas excubias, sed etiam ad nocturnas vigilias circumeundas sub dependentia gubernatoria Caesenatensis constitueretur. Voluimusque praeterea, ut militaris capsa, seu exactio, ac dispositio jam indicti vectigalis, suusque depositarius a jurisdictione dicti officii commissariatus omnino penderet, sub conditionibus inter memoratam congregationem Boni Regiminis, et eumdem Joannem Baptistam commissarium generalem armorum statuendis; eidemque officio commissariatus generalis sub die decimo septembris currentis anni privilegium manus regiae more camerali pro creatione dictae taxae communicavimus; conditiones porro inter congregationem praedictam, seu illius praefectum dilectum filium Nostrum Philippum Sanctae Romanae Ecclesiae diaconum cardinalem Carandini nuncupatum ex una, ac dictum Joannem Baptistam commissarium generalem armorum ex altera parte sub die nono mensis praeteriti septembris sunt tenoris qui sequitur.

CAPITOLI

Approvati dalla sagra congregazione del Buon Governo per la cessione degli assegnamenti alla cassa militare di Cesena.

Tenor capitulorum a s. congregatione approbatorum super cessione assignamentorum capsae militaris Caesenatensis.

§. 8. 1. Che a carico degli assegnamenti da Nostro Signore stabiliti colle consapute tasse rimanga qualunque debito, che possa avere la cassa militare contratto per servizio della cassa medesima; qual debito dovrà con detta cassa soddisfarsi in tante rate alla ragione di scudi cento annui; come già dichiarò essa sagra congregazione.

2. Che mai per qualunque titolo, causa, e variazione, che potesse accadere non possa le compagnia de' scelti affacciare pretensioni contro le casse pubbliche.

3. Che siccome è piaciuto a sua Beatitudine di fissare la guardia continua di otto individui, di turnare nella suddetta compagnia de' scelti, e di assegnare a' medesimi il giornale stipendio sulla cassa militare, sia detta guardia tenuta di prestare al magistrato, ed al pubblico i servigi, che finora ha prestati, nell' intelligenza, che impiegandosi ne' servizj suddetti secondo gli ordini de' superiori, e circostanze maggior numero di soldati, ed ufiziali, debba il di più de' suddetti otto individui esser soddisfatto dalla cassa delle sommità, e da quei particolari che ne facessero l' istanza con quel soldo stabilito ne' regolamenti militari secondo la graduazione di essi.

4. Che si continui dalla comunità la somministrazione tabellata di scudi ventisette e bajocchi novanta per il necessario mantenimento dell' armeria appartenente alla stessa comunità.

5. Finalmente, che dichiarandosi separata la cassa militare dalle altre casse comunitative, rimanga anche separate, e disgiunto il depositario di essa cassa militare, la quale insieme collo stesso depositario militare da eleggersi da monsignor commissario generale dell' armi coll' intelligenza dei cavalieri deputati rimarranno sotto la privativa giurisdizione di esso monsignor commissario.

Novae preces porrectae pro assequenda nova confirmatione apostolica circa singula capita superius relata.

§. 9. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memorati Joannes Jacobus Bandi, et Joannes Franciscus Fattiboni commissarii a magistratu Caesenatensi ad hoc negocium deputati pro majori substantia, firmiorique observantia omnium, et singulorum gratiarum, indultorum, statutorumque, conditionum, per Nos ad custodiendum, stabiliendumque dictum manipulum quinquaginta delectorum militum ad decus, et ornamentum civitatis Caesenatensis erectum, ut praefertur, concessorum cum omnibus, et singulis in eis contentis, et expressis, omniaque in vim, ac in executionem Nostrae voluntatis subsequuta per Nos confirmari, et apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea supplicari fecerunt, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere, de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 10. Nos igitur attendentes firmiora esse, quibus Sedis apostolicae saepius intercedit auctoritas, ac eamdem civitatem Nostram Caesenatensem, summque magistratum, ac deputatos praedictos, specialibus favoribus, et gratiis prosequi, et ornare volentes, ac singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, privilegia, ac gratias militibus de numero nuncupatis a memoratis Paulo III. Julio

III. et Pio IV. Romanis pontificibus praedecessoribus Nostris, ut praefertur concessas, nec non erectionem dicti manipuli ex quinquaginta militibus de numero, dicti vectigalis impositionem, eorumdem delectorum militum qui diu, noctuque excubias, et vigilias agant, agminis constitutionem, capitula, et statuta, ad eorumdem militum officia, et stipendia directionem tendentia, ut praefertur, a commissario generali approbata, ac praeinsertas conditiones in cessione administrationis capsae militaris a congregatione Boni Regiminis volitas, caeteraque omnia, quae circa erectionem ejusdem manipuli militum, vectigalis impositionem, ejusque exactionem, capsae militaris administrationem, aut per edicta, et notificationes voluntatem Nostram exequentes, aut per rescripta disposita, statuta, et firmata, aut in eis contenta sunt, auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, omnes, et singulos juris, et facti defectos, si qui desuper in eis intervenerint, supplemus, quinimmo omnia, et singula in omnibus memoratis concessionibus, ac rescriptis contenta denuo statuimus, sancimus, et ordinamus, ac ab omnibus quibuscumque etiam specisli, ac individua nota dignis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum exacte, inconcusse, ac inviolabiliter perpetuo observari, volumus, decernimus, et mandamus.

Concessio tituli militario favore commissariorum pro tempore deputandorum a magistrato.

§. 11. Praeterea cum justum ac dignum reputemus, ut memorati Joannes Jacobus Bandi, et Joannes Franciscus Fattiboni, caeterique pro tempore veluti ab eodem magistratu Caesenatensi commissarii deputati, qui huic delectorum militum manipulo praeerunt, sub jurisdictione tamen dicti officii commissariatus generalis armorum aliquo titulo militari utantur; hinc eisdem Joanni Francisco, caeterisque, ut praefertur, deputandis ut militari titulo, ac praerogativis vulgo di comandanti uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus. Volumus insuper, ut ipsi alternatim sex per sex menses munere praedicto sibi a magistratu concesso fungantur.

Clausulae solitae, et decretum irritans.

§. 12. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque, in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 13. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae civitatis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die trigesima septembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXIII.

Dat. die 14. novembris 1788. Anno XIV.

Damnatio, et prohibitio libri, cui titulus — *Seconda memoria cattolica contenente il trionfo della Fede, e Chiesa, de' monarchi, e monarchie, e della compagnia di Gesù, e sue apologie collo sterminio de' lor nemici da presentarsi a sua Santità, ed alli principi cristiani.*

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exponitur impiabum librum contumeliis, maledictis, falsitatibus, aliisque noxis refertum, esse pro tua exitialem.

§. 1. Cum primum accepimus in lucem clanculum prodiisse, ac per manus hominum versari quemdam librum, cujus in fronte scriptum — *Seconda memoria cattolica contenente il trionfo della Fede, e Chiesa, de' monarchi, e monarchie, e della compagnia di Gesù, e sue*

apologie collo sterminio de' loro nemici, da presentarsi a sua Santità, ed ai principi cristiani. Opera divisa in tre tomi, e parti, e postuma in una richiesta, e gradita da Clemente XIII. nella nuova Stamperia Camerale di Buon' aria MDCCLXXXIII. MDCCLXXXIV. — Statim Nostra interesse putavimus certiores fieri, et percontari, an hoc revera illud esset opus, quale Nobis renunciatum fuerat, et deprehendi non immerito poterat ex comparatione, et similitudine tituli alterius opusculi inscripti — *Memoria cattolica da presentarsi a sua Santità, opera postuma Cosmopoli MCCCLXXX. fol.* 188. — quod ementitis pariter typis evulgatum octo circiter ab hinc annis per Nostras literas in forma Brevis datas die XIII junii anni MDCCXXXI., uti flagitiosum, et impium damnavimus, ac reprobavimus. Nobismetipsis igitur praefatum librum sedulo in examen revocantibus, facile innotuit de una, eademque re cum illo opusculo tractantem, illiusque se praebentem vindicem, aut unum, eumdemque habere auctorem, aut certe alterum, qui hujus vestigiis haerere, imo audaciae, et improbitatis palmam praeripere studuit. Novimus enim hunc librum — *Seconda memoria cattolica ec.* — ab odio, et nequitia progenitum, totum fuisse contextum ex maledictis, conviciis, mendaciis, calumniis, atque assertionibus, quae procul a veritate aberrantes, nihil aliud redolent, nisi falsitatem, injuriam, aut satyram, quibus undique in viros potestate supremos, pietate eximios, prudentia conspicuos, nefarie, et turpiter grassatur. Eo temeritatis, et malitiae saepius devenit auctor, ut nunc Romanos pontifices apostolico munere abutentes, veluti ligios homines alienae voluntati perpersm, et absque defectu obsecundasse referat; nunc turpi simulationi indulgentes uno, eodemque ductu probasse, ac fovisse, quae palam improbare ac destruere demonstrabant; nunc piissimos reges impiorum consiliis conniventes credulitatem, atque tyrannidem tantum habuisse in deliciis: nunc amplissimos Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales criminum, et fraudum factos fuisse participes, nunc demum administros Nostros, ipsorumque regum privatae eorum utilitati, ac voluptatibus unice consulentes, conspiratione facta, salutem reipublicae quasi auro vendidisse, idque aliquot ex iis, quasi stimulis conscientiae adactos vulgo profiteri postmodum non dubitasse. Hisce omnibus improbus iste detractor animum suum praecipue adjecit, ac summam diligentiam, et studium adhibuit, ut sacerdotii, et imperii majestatem, ac potestatem imminueret, pacem, et tranquillitatem populorum perturbaret: officia hominum erga principes, et erga se ipsos pessumdaret; contra decreta, et sanctiones pontificum, et regum turbas cieret; famam denique, decus, et nomen tot illustrium virorum obscuraret, atque furore percitus quaquaversum penitus laceraret.

§. 2. Quibus agnitis decrevimus illico, quae Nostra esse deberet agendi ratio. Nihil prius, nihil antiquius habuere legum latores, et praecipue summi pontifices, quam pravam hanc maledicendi, scribendi, sentiendique libidinem opprimere, ac retundere, potissimum vero cavere ne istiusmodi libri bonorum scandalo, ac detrimento serpant in vulgus. Hanc, quam praestitimus curam adversus praefatum opusculum, vel maxime contra librum, de quo nunc actum est, habendam esse existimamus; quanto detestabilior post illius damnationem hujus contumacia, ac nequitia omnibus plane videri debet. Volentes itaque debitum pastoralis officii Nostri, cui jam in parte satisfactum est per edictum desuper latum sub hac ipsa die a venerabili fratre Ignatio archiepiscopo Emiseno almae urbis Nostrae gubernatore, plenius, ac firmius adimplere.

His agnitis illius proscriptio illico decreta fuit per edictum gubernatoris urbis.

§. 3. Motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine saepedictum librum, cui titulus — *Seconda memoria cattolica ec.* — tres in partes, totidemque tomos distinctum, uti contumeliis, maledictis, calumniis, falsitatibus, caeterisque notis, jam supra allatis, undique refertum, praecipue vero sanctae huic Sedi, Romanis pontificibus, catholicis principibus, eorumque magistratibus, et administris summopere injuriosum, et tamquam verum libellum infamatorium damnamus, et reprobamus, ejusque divulgationem, lectionem, ac retentionem interdicimus, ac prohibemus sub poenis per leges tam civiles, quam canonicas, ac per constitutiones praedecessorum Nostrorum hac in re sancitis: mandantes propterea, ut quicumque librum hunc penes se habuerint, illum statim, ac praesentes literae eis innotuerint, locorum ordinariis tradere, atque consignare teneantur; hi vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis abolere curent.

Plenius damnatur liber etiam plenitudine apostolicae potestatis, ac sub poenis jam hac in re sancitis.

Derogatio contrariorum.

§. 4. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eaedem praesentes literae ad omnium notitiam facilius perducantur, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus, et auctoritate praedicta decernimus, illas ad valvas basilicae Principis Apostolorum, ac cancellariae apostolicae, nec non curiae generalis in Monte Citatorio, et in acie campi Florae de urbe, per aliquem ex cursoribus Nostris, ut moris est, publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui; sic vero publicatas, omnes, et singulos, quos concernunt, perinde afficere, et arctare, ac si unicuique illorum personaliter notificatae, et intimatae fuissent.

Fides habenda transumptis.

§. 5. Ipsarum autem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem tam in judicio, quam extra illud, ubicumque locorum haberi, quae iisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae, et ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die decima octava novembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. die 18. novembris 1788. Anno XIV.

DCCXXIV.

Facultas creandi cambia, et census pro communitatibus ex officio ad effectum reficiendi vias consularea.

CHIROGRAFO

Reverendissimo cardinal Carandini prefetto della Nostra congregazione de' Sgravj, e Buon Governo.

Ratio concessionis.

§. 1. Avendoci voi rappresentato, che per supplire alle spese del riattamento delle strade consolari vi troviate spesse volte in necessità di permettere alle comunità l'imposizione di qualche censo, o cambio, e che una tal permissione rimanga inoperosa per la renitenza de' consiglieri di consentire all'obbligazione *uti singuli, et in solidum*, che dai censuarj, o cambisti si desidera per maggior loro cautela, dimodochè viene perciò a prolungarsi la confezione dell'opera con avantaggio non meno dei fabricatori, che delle strade medesime.

Tenor concessionis.

§. 2. Ai quali disordini volendo Noi dare un pronto, ed efficace provvedimento: quindi col presente Nostro chirografo di Nostro moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra podestà vi diamo, e concediamo la facoltà d'imporre ex officio a nome di qualunque comunità, o provincia, ed alla possibile minore usura quei censi, o cambj, che voi crederete necessarj per supplire alle spese, che occorrono per tali riattamenti, o per soddisfare quelle tasse, che per questa causa sono state, o saranno imposte da voi, o dal Nostro tribunale delle Strade, con facoltà d'ipotecare i beni, e ragioni delle comunità, e provincie, e quelli de' consiglieri *uti singuli, et in solidum*.

Declaratio specialis.

§. 3. Volendo Noi che il vostro semplice rescritto facoltativo abbia forza, e valore, come se fosse stato convocato il publico consiglio con l'intervento dei deputati ecclesiastici, e come se l'imposizione del censo, o la creazione del cambio fosse stata consigliarmente proposta, e risoluta con l'obbligazione de' consiglieri *uti singuli, et in solidum*.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Volendo, e decretando, che il presente Nostro chirografo, benchè non ammesso, nè registrato in camera a tenore della Bolla di Pio IV. Nostro predecessore *de registrandis* vaglia, e debba avere il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla Nostra semplice sottoscrizione, e che non gli si possa opporre di orrezione, o sorrezione, nè di altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, e che così, e non altrimenti debba giudicarsi dalla detta Nostra congregazione del Buon Governo, dal tribunale della Nostra camera, e da qualsisia altro giudice, o tribunale, togliendo loro ogni facoltà di giudicare diversamente; dichiarando Noi adesso, e preventivamente nullo, ed invalido tutto ciò, che si decretasse in contrario, benchè non vi sieno stati citati, nè sentiti il commissario di detta Nostra camera, li consiglieri, e pubblici rappresentanti delle comunità, ed altri, che vi avessero, o potessero avervi interesse.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non ostante la regola della Nostra cancelleria *de jure quaesito non tollendo*, leggi civili, e canoniche, statuti locali, o provinciali, riforme, consuetudini, ed ogni altra cosa, che far potesse in contrario, alle quali per il solo effetto delle cose premesse amplamente dero-

gbiamo. Dato dal Nostro palazzo apostolico Vaticano questo dì 28 novembre 1788.

Pius pp. VI.

Supplicata la Santità di Nostro Signore nell'udienza dei 28 gennaro 1789 di estendere l'anzidetta facoltà di creare censi, e cambi *ex officio* a nome delle comunità ancora per altre cause, e spese delle stesse comunità, oltre la causa delle strade, si degnò la Santità sua di prescrivere come appresso.

Ex audientia sanctissimi die 28 januarii 1789.

Amplistio ejusdem concessionis, etiam ad alias causas.

§. 6. Sanctissimus facultatem eminentissimo praefecto sacrae congregationis Boni Regiminis in chirographo dicti 28 novembris 1788. jam datam supplendi expensis pro restauratione viarum cum creatione censuum, et cambiorum, nomine communitatum ex officio, modo, et cum effectu, de quo in eodem chirographo benigne extendit etiam ad creationem censuum, et cambiorum etiam ex officio pro aliis expensis, ex quavis alia causa a communitatibus subeundis in omnibus, et per omnia modo, et cum effectu in eodem chirographo expressis, quibuscumque non obstantibus.

Dat. Romae 6. decembris 1788. Anno XIV.

DCCXXV.

Declaratur ecclesiastica immunitate non gaudere illos, qui in civitate, et in principatu Leodiensi fraudolenter bona cesserunt.

Venerabili fratri Francisco Costantiensi episcopo Leodiensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Ratio legis.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecisti, quod hujus civitatis, et principatus Leodiensis ejusmodi est situs, ut veluti quasi exterarum nationum emporium censeri possit, plures quippe tum ex Gallia, tum ex Hollandia, Anglia, et Germania istuc conveniunt, ut praecipue mercium vernacularum commercia habeant. Quoniam tamen non raro aliqui dolose, ac fraudolenter foro cedunt, idque etiam saepius contingere videtur, quod rei ad ecclesiam, caeteraque loca immunia, quae in hac civitate, ac principatu plura, atque plura esse compertum est, non sine gravi commercii detrimento, ac damno, confugientes, legum rigorem declinare confidunt: intersit vero quam plurimum reipublicae ne hujusmodi alienarum facultatum raptores poenas a canonicis, et civilibus legibus adversus dolosos decoctores inflictas devitent, ac magistratus saeculares, ad compescendas istiusmodi fraudes quotidie a te hosce reos tradi expectant. Nobis propterea humilitor supplicari fecisti, ut in praemissis providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Legis tenor quae derogat juri ecclesiastico super immunitate non servanda pro dolosis debitoribus.

§. 2. Nos igitur ne scelesti, perditique homines praedicti causam facilius suis creditoribus dolose decoquendi ex praesenti spe confugii, et ecclesiarum immunitate desumant, utque tam exitiosum crimen coerceatur, ac in illius reos digna, ut oportet, animadvertatur, teque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, de apostolicae potestatis plenitudine sequentes regulas pro immunitate locali in posterum observandas praescribimus. Si quis laicus reus doloso foro cessionis in locum immunem intra civitatis, ac principatus Leodiensis fines consistentem confugerit, instante saeculari magistratu cum indiciis ad capturam de episcopi Leodiensis, aut sui vicarii generalis in civitate, in aliis vero locis de personae ecclesiasticae, ad id ab episcopo deputatae licentia extrahatur a loco immuni cum praesentia personae ecclesiasticae, et juxta apostolicarum constitutionum formam, et praescriptum, et curiae saeculari tradatur, praestito juramento in scriptis retinendi reum nomine ecclesiae, eumque reddendi, si illum ecclesiastica immunitate gaudere decisum fuerit, et reo non reddito, episcopus contra saecularem magistratum ad canonicas poenas adversus ecclesiasticae immunitatis violatores inflictas procedat. Quod si postulata, modo quo supra licentia extrahendi denegetur, liceat judici laico absque censurarum timore, reum a loco immuni extrahere, eumque, facta, ut supra, jurata declaratione episcopo transmittenda retinere, proviso, ne scandala oriantur. Reo in lai-

cales carceres detruso studeat judex saecularis iotra quatuor menses processum informativum soper crimine omnino conficere, et episcopo exhibere, qui intra mensem num concurraut inditia ad torturam, proptereaque num reus ecclesiastica immunitate, nec ne gaudeat, declarabit; quod si infra quatuor meoses a judice laico processus praedictus curiae ecclesiasticae non fuerit exhibitus, tunc episcopus instabit pro restitutione rei ad ecclesiam juxta obligationem a judice laico in actu consignationis rei factam. Si porro episcopus reum ecclesiastica immunitate non gaudere pronunciaverit, obligatio praedicta cessabit, quae rorsus modo, quo supra, facienda erit, reddendi sciiicet reum ecclesiae, si iste in suis defensionibus super qualitate excepti deiicti indicia purgaverit, et super hoc ipsius judicis laici conscientiam oneramus.

In causis agendis super immunitate vel concedenda, vel denegranda recursus ad s. Sedem, et s. congregationem immunitatis reservatur.

§. 3. Ab ejusmodi vero episcopi judicio nullum competere recursum decernimus, praeterquam si ad apostolicam Sedem, et congregationem praedictam Immunitatis deferatur, quae postmodum omnibus perpeosis ea decernet, quae magis justitiae consona videbuntur. Tandem appellatio hujusmodi prosequenda erit ab iis, quibus intererit intra tres menses computandos a die interpositae appellationis, secus termino hujusmodi elapso, quatenus non legitime constet de prosequuta appellatione, eo casu episcopi, seu curiae episcopalis sententia suum integrum, ac plenum obtinebit effectum.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes ipsas praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocomque spectabit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscomque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, et sanctae Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ac aliis quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die sexta decembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXVI.

Dat. Romae 10. decemb. 1788. Anno XIV

Derogatio statutorum fratrum ordinis Bethlemitarum in Indiis occidentalibus quoad sacerdotum ejusdem ordinis promotionem.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Decet Romanum pontificem in iis auctoritatis suae partes libenter interponere, per quae et divinus augeatur cultus, et religiosorum statui, eorumque instituto promovendo opportune consulitur.

Declaratur quid in statutis dispositum invenitur ad rem.

§. 2. Sane pro parte dilecti filii Gregorii a Conceptione procuratoris generalis ordinis fratrum Bethlemitarum nuncupatorum in Indiis occidentalibus instituti expositum Nobis fuit, quod per statuta, seu constitutiones dicti ordinis auctoritate apostolica confirmata inter caetera, quae circa promovendos ad sacerdotium statuuntur expresse cavetur, ne quis ad sacrum presbyteratus ordinem promoveatur, nisi post lapsum decennium a die ingressus in religionem.

Ratio petendae derogationis statutorum.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ordo hujusmodi sufficienti fratrum sacerdotum numero deficiat, ita ut non raro sa-

cerdotum saecularium opera in sacramentorum administratione non sine gravi ejusdem ordinis incommodo uti cogantur, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor indultae derogationis.

§. 4. Nos igitur felici, prosperoque dicti ordinis gubernio consulere cupientes, ac eumdem Gregorium specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, praefatis aliisque justis de causis animum Nostrum moventibus adducti de voto dilecti filii nostri Francisci Xaverii presbyteri cardinalis de Zelada nuncupati ejusdem ordinis fratrum Bethlemitarum apud Nos, et apostolicam hanc Sedem protectoris, dilecto filio moderno, et pro tempore existenti praefecto generali dicti ordinis, ut ipse de caetero aliquos ex fratribus ordinis praedicti etiam post lapsum dumtaxat sexennium a die ingressus in religionem quot scilicet ipsi pro sua prudentia, et conscientia, ut singula illorum hospitalia convalescentibus, et infirmis inibi existentibus ecclesiae sacramenta administrentur in Domino opportunum, et necessarium videbitur ad sacros ordines promoveri permittere libere ac licite possit, et valeat auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes has praesentes literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Benedicti pp. XIII. praedecessoris in simili forma Brevis die XIII sept. MDCCXXVIII. expeditis literis, aliisque ordinationibus et constitutionibus apostolicis, nec non ordinis praedicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCXXVII.

Dat. Romae 19. decemb. 1788 Anno XIV

Erectio sex vicariarum curatarum in perpetuas, illarumque subjectio episcopo Fabrianensi.

Pius episcopus
Servus servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium

§. 1. Posteaquam plura ad Christifidelium spirituale regimen promptius procurandum a Nobis fuere jampridem constituta, novis subinde emergentibus causis nonnulla, aliaque consentanea sunt addere, prout rerum conditio requirit opportunum censemus.

Memoratur dismembratio peracta mensae Fabrianensis a mensa Camerinensi.

§. 2. Nuper siquidem ex pluribus, gravissimisque causis, quae animum Nostrum digne moverunt, ad majorem Dei gloriam erectionem ecclesiae Fabrianensis in cathedralem, illiusque immediatam apostolicae Sedi subjectionem felicis recordationis Benedicto XIII. praedecessore Nostro cum assignatione illius dioecesis factam confirmantes, et innovantes, illius tamen unionem Camerinensi ecclesiae aeque principaliter etiam demandatam dissolventes eam a quacumque jurisdictione ordinaria, et delegata episcopi, et capituli Camerinensis ecclesiae, tam in spiritualibus, quam in temporalibus

perpetuo abdicavimus. Pariterque civitatem Mathelicae, ejusque territorium a quacumque ejusdem Camerinensis episcopi jurisdictione plenarie dismembravimus. Iisque gestis, civitatem Mathelicae ad episcopalis civitatis gradum redintegravimus, et quatenus opus esset sub certis, amplissimisque modo, et forma de novo ereximus, illiusque dioecesim assignavimus eamdemque ecclesiam Mathelicenaem una cum Fabrianensi ecclesia aeque principaliter univimus.

Refertur quomodo sublato jure monachorum aliae novem cappellaniae factae fuerint de collatione episcopi Fabrianensis.

§. 3. Ac insuper quia compertum habuimus in dioecesi Fabrianensi novem existere ecclesias vicarias nuncupatas per totidem presbyteros saeculares regi solitas, qui animarum curam in illis exercebant, et usque eo ad nominationem, seu collationem abbatis monachorum monasterii ordinis sancti Benedicti congregationis Camaldulensium in monasterio sancti Blasii ejusdem civitatis degentis, cui forsan ecclesiae illae unitae fuerant, vel alias quomodolibet pertinebant ecclesiis praedictis semper provideri soliti fuerint sine concursu. Nos pro salubriori animarum regimine deleto, et abrogato quovis abbatia, et monachorum jure, sive nominandi, sive conferendi novem supradictas ecclesias in vicarias perpetuas ereximus, et sub libera pro tempore existentis episcopi Fabrianensis collatione, et provisione constituimus ad hoc ut praevio concursu, servata forma a sacro concilio Tridentino, et a constitutione sanctae memoriae Pii papae pariter praedecessoris Nostri praescripta occurrentibus earum vacationibus ad illarum collationem procederet.

Declarantur jura imposita possessoribus cappellaniarum.

§. 4. Pariterque voluimus, ut loco stipendii, quod annuatim illis presbyteris curam animarum ibi exercentibus praestare consueverat abbas, et monasterium sancti Blasii teneretur in futurum, et in perpetuum supradictum monasterium singulis dictarum ecclesiarum parochis, seu vicariis curatis praestare annua scuta quinquaginta monetae Romanae pro congrua singulorum substentatione imposito singulis vicariis onere perpetuo manutenendi lampadem assidue accensam in eorum ecclesiis ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, et pro hujusmodi effectu mandavimus, ut pro solutione ejusdem taxae annuorum scutorum quinquaginta cuilibet ex supradictis novem ecclesiarum vicariis curatis persolvendae bona omnia ejusdem monasterii sancti Blasii semper, et in perpetuum obligata esse deberent prout in Nostris sub datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, octavo idus julii, pontificatus Nostri anno undecimo desuper expeditis literis plenius continetur.

Episcopus flagitat, ut etiam super sex aliis cappellaniis jura monachorum deleantur, et fiant de libera episcopi collatione.

§. 5. Quum autem venerabilis frater Noster Nicolaus Zoppetti ecclesiarum Fabrianensis, et Mathelicensis episcopus a Nobis constitutus sibi commissum pastorale munus pari sedulitate, ac zelo exequi, ac dioeceses perlustrare cepisset, Nobis retulit in eadem Fabrianensi dioecesi praeter enunciatas novem, alias sex in totidem pagis, seu vicis enumerari ecclesias, ad quas ibi cura pertinet animarum; illam vero a presbyteris, qui ab abbatibus regularibus deputari solent, et ad eorum nutum amovibiles sunt exerceri, videlicet.

Descriptio cappellaniarum.

§. 6. In loco, seu vico de Pierosana ecclesia hactenus fuit nominationis abbatis monasterii monachorum congregationis Montis Oliveti. In loco, seu vico de Castelletta similiter deputatio vicarii curati extitit usque modo abbatis monasterii sancti Benedicti congregationis Silvestrinorum. Ac demum alias quatuor ecclesias locorum, seu pagorum unius nimirum de Tranquelli, et alius de Civita, et Ciresola, ac alius de Avenale, ac reliqui la Rocchetta di mezzo nuncupati. Jus nominandi presbyteros, qui in eis respective curam gerent animarum abbas monasterii sanctae Crucis de Saxoferrato Nucerinae dioecesis exercere solet. Insuper ab eodem Nicolao episcopo percepimus deesse in civitate Mathelicae archivium scripturarum, quae cancellariam civilem, et criminalem respiciunt: quin imo neque Fabriani curiam codicibus, quae ad illam pertinent satis esse instructam.

Pontifex indulget juxta preces.

§. 7. Quibus sane a Nobis perceptis animo reputantes utriusque ecclesiae regimen, et plenum episcopale jus cumulate minime expletum fore nisi, et omnium parochorum selectui, ac etiam utriusque curiae institutioni consuleremur. Motu itaque proprio, et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine quemadmodum Nobis circa novem alias vicarias in eadem Fabrianensi dioecesi vigore priorum literarum Nostrarum sancitum, et ordinatum fuit, ita per praesentes, deleto prorsus dictorum abbatum quovis nominandi, vel deputandi jure, quovis titulo respective competente etiamsi alias dictae sex ecclesiae monasteriis

praefatis apostolica auctoritate, aut alias canonice unitae fuissent, dictas sex vicarias in perpetuas erigimus, et instituimus, atque praecipimus modo, et mandamus, ut illae in perpetuas erectae sub ordinaria, plenaque episcopi Fabrianensis jurisdictione in titulum perpetuum ad instar aliarum parochialium ecclesiarum juxta canonicas sanctiones; ac praevio concursu, servata forma concilii Tridentini praefati, ac praemissae constitutionis sancti Pii papae quinti praedecessoris forma conferri debeant.

Declarationes addit speciales.

§. 8. Expresse tamen declaramus eadem monasteria, eorumque bona nedum obnoxia, et obligata fore annuae praestationi, prout antea, scutorum quinquaginta monetae Romanae singulis vicariis praefatis, injuncto tamen eis onere servandi lampadem assidue ardentem ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum, verum etiam eadem monasteria censeri minime debeant exempta ab onere supellectilium fabricae, campanae, seu campanarum, aliisque omnibus oneribus, ita ut ea omnia pariter subire debeant donec, et quousque servatis servandis probaverint insufficientiam bonorum ex pia fidelium largitione acquisitorum, aut alio quovis titulo, et capite possessorum. Caeterum in hac parte jura omnia desumpta sive ex consuetudine, sive ex contractu, sive ex alio quovis titulo, et causa in quaestione coram congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis episcoporum, et regularium praeposita inter abbatem, et monachos supradicti monasterii sancti Blasii ex una, et populos castri Domi et Rotorsii ex altera partibus pendente, prout de jure praeservamus. Ex his asserta plenius ordinaria episcopi Fabrianensis, et Mathelicensis jurisdictione ad formandas, et componendas utriusque ecclesiae episcopales curias animum Nostrum convertentes in ulteriorem priorum Nostrarum literarum supraenunciatarum executionem, harum quoque serie districte praecipimus, et mandamus, ut infra trium mensium terminum ex scripturis, et documentis omnibus, quae in cancellaria archiepiscopali Camerinensi extant, illa secernantur, quae Fabrianensis, et Mathelicensis ecclesiarum, et utriusque cleri, et populi interesse concernunt, et peracta diligenti descriptione, quae ad Fabrianensem illius cancellariae, quae vero ad Mathelicensem respective ecclesias spectant pariter cancellariae denuo erectae respective tradantur. Et si quae scripturae, et documenta, vel quia agant etiam de juribus ecclesiae Camerinensis, ejusque populi, vel quia alia rationabili de causa tradi nequirent, tunc transcribi, et tradi debeant copiae, seu authentica exempla, soluta a cancellario alterutrius ecclesiae, ad quam spectant, consueta mercede.

Mandat praesentes literas esse exequendas sublato quovis juris remedio.

§. 9. Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod dictorum monasteriorum abbates, seu enunciatarum congregationum superiores, aliique in praemissis interesse habentes, seu habere praetendentes ad id vocati, citati, et auditi non fuerint, aut alia quavis de causa de subreptionis, vel obreptionis, sive nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel alio quovis defectu notari, impugnari, invalidari, seu in jus, vel controversiam vocari, aut adversus illas quodcumque juris, vel facti remedium impetrari posse, nec illas sub quibusvis generalibus derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, si quae fierent, comprehendi, sed tamquam ad prosperum populorum spirituale regimen in salutem animarum editas, et emanatas semper ab illis excipi, validasque, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere; sicque ab omnibus censeri.

Irritum declarat quidquid in contrarium decerneretur.

§. 10. Ita quoque per quoscumque judices ordinarios, et delegatos quavis auctoritate fungentes etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Omnibus in contrarium facientibus derogat.

§. 11. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, et de unionibus, et dismembrationibus committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac de praestando consensu in similibus aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis etiam in universalibus, et provincialibus conciliis editis nec non dictorum monasteriorum, ac ordinum, et congregationum privilegiis, indultis quoque, et literis apostolicis, etiam specifica, expressa, et

individua mentione dignis, et sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie etiam motu simili, et consistorialiter in contrarium praemissorum forsan concessis, confirmatis, et innovatis; quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut alia quaevis exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, formas, et clausulas praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, latissime, et plenissime, atque specialiter, et expresse auctoritatis Nostrae plenitudine harum quoque serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Etiam transumptis fidem habendam esse decernit

§. 12. Volumus autem, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae dismembrationis, sejunctionis, separationis, divisionis, exemptionis, liberationis, assignationis, subjectionis, subpositionis, concessionis, praecepti, mandati, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romae apud s. Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, quartodecimo kalendas januarii, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXVIII.

Dat. die 20. decembris 1788. Anno XIV.

Facultas confratribus confraternitatis tertii ordinis sancti Francisci civitatis Brigatiensis eligendi sibi presbyterum saecularem in visitatorem commissarium.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Expositio precum porrectarum.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii minister, et confratres confraternitatis tertii ordinis de Poenitentia sancti Francisci Tertiariorum nuncupatorum in civitate Brigatiensi canonice, ut asseritur, erectae, quod cum fratres ordinis minorum ejusdem sancti Francisci de observantia nuncupat. sub quorum gubernio, ac regimine ipsi erant post longam litem, quam fratres praedicti perdiderunt, memoratos exponentes ab illorum fraternitate, et subjectione dimiserint, suspenso interim ab officio commissarii visitatoris fratre, qui officio hujusmodi fungebatur, ipsi ad episcopum Brigantiensem confugerunt, ut ordinaria sua auctoritate ipsis consuleret; quamobrem ipse inter caetera, quae pro illorum existentia decrevit, dilectum etiam filium Emmanuelem Andream Guarrido presbyterum saecularem, quem ipsi in suum commissarium visitatorem in locum commissarii visitatoris regularis sibi elegerunt, in officium hujusmodi confirmavit, eique omnes, et singulas facultates, quibus visitator commissarius regularis praedictus, dum ipsi sub gubernio, ac regimine dictorum fratrum existebant, fruebatur, ipsi impertitus est. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut haec canonice fierent memoratus episcopus Brigatiensis ipsis injunxerit, ut de hisce omnibus confirmationem a Sede apostolica impetrare deberent, ac insuper memorati exponentes de caetero novos commissarios visitatores, qui presbyteri saeculares sint, quique omnibus facultatibus praedictis muniti sint eligere summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 2. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, ministro, et officialibus, aliisque, ad quos spectat, dictae confraternitatis pro tempore existentibus jus, ac facultatem presbyte-

rum saecularem sibi in commissarium visitatorem caeteroquin ab ordinario approbandum, eligendi plenam, et amplam facultatem tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Commissario vero visitatori hujusmodi sic canonice electo, et ab ordinario approbato nunc, et pro tempore existenti, donec munus hujusmodi fungatur, ut omnibus, et singulis juribus, auctoritate, et privilegiis, praerogativis, et gratiis, ac indultis, quibus commissarii visitatores regulares ejusdem confraternitatis alias utebantur, fruebantur, et gaudebant, vel uti, frui, et gaudere, libere, ac licite possit, et valeat in omnibus, et per omnia perinde ac si eidem commissario visitatori presbytero saeculari ab initio concessae fuissent, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et impertimur.

Derogatio contrariorum. §. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ordinis, atque confraternitatis praedictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die duodecima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

Dat. die 9. januarii 1789. Anno XIV.

DCCXXIX.

Committitur episcopo Praenestino, ut quamdam cappellaniam confraternitatis Annunciationis B. M. V. I. oppidi Paleani Praenestinae dioecesis, cum quolibet residentiali beneficio incompatibilem esse declaret.

Venerabili fratri Nostro Marco Antonio episcopo Praenestino Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Columna nuncupato.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

Expositio precum. §. 1. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis, seu sodalitii Annuntiationis beatae Mariae virginis immaculatae oppidi Paleani istius Praenestinae dioecesis, quod anno MDCLXXIX. quondam Rosaria de Franciscis, extincta suorum descendentium linea, eorum confraternitatem substituit, cum onere sex missarum hebdomadalium. Post purificatam substitutionem hujusmodi, sicuti per confratres dictae confraternitatis tunc existentes actum fuit in publicis comitiis per eos anno MDCCXV habitis de perpetua erigenda cappellania ex haereditariis bonis dictae Rosariae, proinde statuerunt, quod cappellanus sex missas hebdomadales a testatrice injunctas, et unam ex eisdem ad commodum confratrum singulis diebus festis celebrare deberet immediate post recitationem officii; rursus, quod sacramentales confessiones die communionis generalis singulis quibusque mensibus, et festis beatae Mariae virginis faciendae excipere teneretur; quodque demum si cappellanus pro tempore aliud ecclesiasticum beneficium, aut perpetuam cappellaniam obtinuisset, praedicta cappellania vacare censeretur eo ipso, possentque dicti confratres alteri presbytero et confessario eam libere conferre. Itaque pro confirmatione seu approbatione erectionis cappellaniae hujusmodi habito per tunc existentes dictae confraternitatis confratres recursu ad congregationem venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum, eadem congregatio die XVI maji MDCCXVI. erectionem praedictam approbavit cum oneribus tantum missarum, et excipiendi confessiones; nam reticita in precibus tunc eidem congregationi porrectis postrema incompatibilitatis conditio, cum jure comprehendi haec nequiret sub simplici dictae congregationis ea super re edito rescripto, videlicet — *Pro facultate arbitrio eminentissimi episcopi* — nulla quoque de ea in apostolicis literis desuper subinde

expeditis habita fuit mentio, ac propterea saepe evenit, ut cappellanus aliud assecutus residentiale beneficium, oratorii et confraternitatis servitium vel neglexerit, vel pene deseruerit. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, memorata cappellania ad praesens vacet, novusque propterea cappellanus nominandus sit, exponentes autem praedictam cappellaniam, cum alio residentiali beneficio etiam ad nutum amovibili esse incompatibilem, juxta primaevam dictae confraternitatis mentem, per Nos declarari summopere cupiant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignamur.

Tenor declarationis ab episcopo edendae.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati: de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium dictae congregationis, qui relationem tuam super praemissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt, consilio: fraternitati tuae per praesentes committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, saepedictam cappellaniam, cum alio residentiali beneficio etiam ad nutum amovibili incompatibilem esse auctoritate Nostra apostolica arbitrio, et prudentia tua declares.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dictae confraternitatis, ejusque oratorii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die nona januarii millesimo septingentesimo octuagesimo nono, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

DCCXXX.

Dat. die 2. februarii 1789. Anno XIV.

Confirmatio transactionis inter principem Columnam ac communitates civitatis Alatrinae et Collepardi super finibus territorialibus initae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Romanus pontifex cui major cunctis christianae religionis zelus, ac divinorum praeceptorum incumbit custodia, cum nil frequentius, nilque enixius a Christo Domino, dum adhuc vitam ageret in terris discipulis suis inculcatum fuisse legatur, quam, ut pacem, et unitatem diligerent, servarentque; hinc circa ea omnia, quae ad pacem hanc, ac unitatem retinendam, illamque perturbatam restituendam disposita esse noscuntur, auctoritatem suam, praesertim si id ab eo petatur, interponere tenetur, prout in Domino salubriter expedire arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Philippi Columnae principis Palliani, regiique in regno Neapolitano stabuli comitis, et hominum communitatis pagi de Collepardo, qui est sui principatus Palliani membrum, nec non omnium communitatum civitatis Nostrae Alatrinae expositum fuit, quod cum plures lites, ac controversiae, quae de ac super territorialibus confinibus in causarum palatii Nostri apostolici auditorio inter easdem communitates actae fuerunt, haec per transactionem die prima mensis februarii mox praeteriti anni MDCCLXXXVIII. stipulatam, reservata tamen pro illius firmitate apostolica confirmatione, novissime definitae fuerunt. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat; ut instrumentum hisce desuper confectum firmius subsistat, et servetur exactius praedicti exponentes apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desiderent.

Nobis propterea bumiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito prius dilecti filii Nostri Philippi Sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis Carandini nuncupati congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium Boni Regiminis communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici praepositorum praefecti consilio eamdem transactionem auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus pariter, et approbamus, eique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet intervenerint supplemus. Mandantes propterea, ut quidquid ab eadem transactione constitutum fuit, nullo umquam praetexto, causa, colore, ac juris remedio, vel etiam enormis, enormissimae laesionis impugnari, retractari, vel in controversiam revocari possit, sed semper ac perpetuo inviolabiliter ab omnibus ad quos spectat, et quomodolibet spectabit observari omnino debeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictarum commonitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alis roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia februarii millesimo septingentesimo octuagesimo nono, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

DCCXXXI.

Dat. die 3. februari 1789. Anno XIV.

Facultas fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia civitatis sancti Jacobi de Cuba in Indiis celebrandi unam missam sanctissimi Rosarii per quindecim continuos dies.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio precum, et ratio concessionis.

§. 1. Cum, sicut dilecti filii superiores, et fratres ordinis minorum sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis sancti Jacobi de Cuba in Indiis Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga sanctissimum rosarium beatae Mariae virginis gerunt devotionis affectu, unam missam sanctissimi rosarii ejusdem beatae Mariae virginis cum cantu per dies quindecim continuos incipiendo a dominica prima octobris, celebrare posse summopere cupiunt. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessionis tenor.

§. 2. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi

supplicationibus inclinati: audito dilecto filio magistro Dominico Coppola congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum secretario; modernis; et pro tempore existentibus fratribus ordinis minorum sancti Francisci de observantia reformatorum nuncupatorum civitatis praedictae, ut in posterum per dies quindecim continuos incipiendo a prima dominica octobris, in qua festum sanctissimi rosarii agitur, quotidie unam missam sanctissimi rosarii beatae Mariae virginis cum cantu (non omissa tamen conventuali de sancto occurrente, quatenus ex dispositione rubricarum sit dicenda) celebrare libere, et licite possint, ac valeant, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus.

Derogatio contrariorum.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, dictique ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die tertia februarii millesimo septingentesimo octuagesimo nono, pontificatus Nostri anno decimoquarto.

Dat. Romae 3. februarii 1789. Anno XIV.

DCCXXXII.

Confirmatio transactionis inter principem Columnam, et communitatem Alatrinam, et Vici initae.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooemium.

§. 1. Quoties a Nobis petitur, ut circa ea, quae ad tollendas controversias, dirimendasque lites, ex quibus plerumque christiana charitas perturbatur, scite, prudenterque conventa, ac statuta fuere providentiae Nostrae partes interponamus. Animo Nos decet libenti petentium desideriis congruum impertiri suffragium.

Expositio initae transactionis.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii nobilis vir Philippus Columna princeps Palliani, regique in regno Neapolitano stabuli comes, et homines communitatis Vici, quod est pagus sui principatus Palliani, et civitatis Nostrae Alatrinae, quod post longam litem inter easdem communitates de ac super confinibus territorialibus etiam in causarum palatii Nostri apostolici auditorio magno sumptu sustentatam, tandem omnem controversiam transactione decernere statuerunt, quae die prima mensis febr. mox praeteriti an. MDCCLXXXVIII, inter partes stipulata fuit, ac hisce desuper confectum legale instrumentum. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut praedicta transactio firmius subsistat, et servetur exactius, praedicti exponentes apostolicae firmitatis patrocinio communiri summopere desiderent. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor apostolicae confirmationis.

§. 3. Nos igitur memoratos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, audito prius dilecti filii Nostri Philippi Sanctae Romanae Ecclesiae diaconi cardinalis Carandini nuncupati congregationis venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium boni regiminis communitatum, et universitatum status Nostri ecclesiastici praepositorum praefecti consilio, eamdem transactionem auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus, eique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper in ea quomodolibet intervenerint, supplemus. Mandantes propterea, ut quidquid ab eadem transactione constitutum fuit nullo umquam praetextu, causa, colore, ac juris remedio, vel etiam enormissimae laesionis impugnari, retractari,

vel in controversiam revocari possit, sed semper, ac perpetuo inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, et quemodolibet spectabit observari omnino debeat.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas validas, et efficaces existere, at fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et ieane, si secus super his a quoquam quavis aucteritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus, apostolicis, nec non dictarum communitatum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum qoibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub aonulo piscatoris die tertia februarii millesimo septingentesimo octuagesimo octavo, pontificatus Nostri anno decimo quarto.

INDEX MATERIARUM

QUAE

IN HOC SEXTO VOLUMINE PARTE SECUNDA

CONTINENTUR

C

CAPPELLANIA

CIVITAS

CONFIRMATIO

CONFRATERNITAS

CONGREGATIO

CONSERVATORIUM

CONSTITUTIO

D

DAMNATIO

DISMEMBRATIO

E

ECCLESIA

ERECTIO

EXEMPTIO

F

FACULTAS

FESTUM

H

HOSPITALE

I

IMMUNITAS

INDULGENTIA

INDULTUM

N

NOBILITAS

O

OFFICIUM

ORDO

P

PRIVILEGIUM

R

REDUCTIO

REGULAE

S

SANCTUS AUGUSTINUS

SEMINARIUM

SEPARATIO

STATUTUM

SUPPRESSIO

T

TAXA

TRANSLATIO

U

UNIO

V

VECTIGAL

INDEX RUBRICARUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUÆ

IN HOC TOMO SEXTO PARTE SECUNDA

CONTINENTUR.

PII VI.

ANNO IX.

ANNO X.

ANNO XI.

ANNO XIV.

INDEX

VOCABULORUM INITIALIUM

OMNIUM CONSTITUTIONUM

QUÆ

IN HOC SEXTO TOMO PARTE SECUNDA CONTINENTUR

A

B

C

D

E

FINIS.